UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th 13a

Ph. 13a.
B. VII. 2.

B. III. 30.

EPISTOLARVM
INNOCENTII III.
ROMANI PONTIFICIS
LIBRI VNDECIM.

ACCEDVNT

Gesta ejusdem Innocentii, & prima collectio Decretalium composita à Rainerio Diacono & monacho Pomposiano.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelensis in unum collegit, magnam partem nunc primùm edidit, reliqua emendavit.

TOMVS SECVNDVS.

Ex Legato Celmi Principis FERDINANDI, Epi Paderb. et Monaster. Ao 1683.

Collegij Soctis JESU Paderb.

PARISIIS

Apud FRANCISCUM MUGUET Typographum Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis.

MDCLXXXII.

Cum Privilegio Regis.



EPISTOLARVM
SIVE
REGESTORVM
INNOCENTII III.
ROMANI PONTIFICIS.
LIBER DECIMVS.

ABBATI EVESHAMENSI.

Epiſt. 1. Remittit A. monachum ſuum excommunicatum, cum eo ſuper certis diſpenſandum.

IN noſtra præſentia conſtitutus dilectus filius A. monachus nobis lacrymabiliter explicavit quòd cùm olim apud monaſterium de Chich profeſſionem fecerit regularem, inimico humani generis inſtigante ab eodem loco licentia non petita receſſit, aſportans ſecum quandam pecuniæ quantitatem: qui licèt propter exceſſus hujuſmodi fuiſſet excommunicationis vinculo innodatus, ad tuum tamen monaſterium veniens, habitum ibidem monachalem aſſumpſit. Cùmque tibi poſtmodum in ſecreta confeſſione quæ præmiſimus intimaſſet, & tu apud dictum Abbatem de Chich precibus inſtitiſſes ut eidem A. beneficium abſolutionis impenderet, nec ille annueret poſtulatis, tu eundem A. ad monaſticam profeſſionem admittens, ipſum feciſti in Preſbyterum ordinari. Et quamvis tempore procedente inter vos diſcordiæ occaſione ſuborta ipſum A. ab executione ſacerdotalis officij ſuſpendiſſes, concordia tamen inter vos poſtea reformata, eundem A. cum tuis litteris ad ſedem apoſtolicam deſtinaſti, ut tam abſolutionis quàm diſpenſationis beneficium obtineret. Qui de mandato noſtro à dilecto filio noſtro I. Tituli ſancti Stephani in cælio monte Preſbytero Cardinali abſolutione obtenta, cùm ad te cum ejuſdem Cardinalis litteris rediiſſet, ipſum, antiquæ diſcordiæ non oblitus, renuiſti recipere redeuntem, quin imò eum habitum compuliſti deponere monachalem. Nolentes igitur quòd idem A. hujus occaſionis obtentu materiam habeat ulteriùs evagandi, ipſum ad tuum monaſterium duximus remittendum; per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes quatinus ipſum patiaris ibidem in monaſtico habitu Domino famulari, cum eodem, prout expedire videris, diſpenſando. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Kal. Martij, anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI SANCTI Vedasti Atrebatensis.

Epist. 1. Confirmatur eis privilegium Alexandri PP. super prohibitione concessionis aliquarum præbendarum, quas Canonici B. Petri recipiebant.

QVanto religiosi viri ad conservationem propositi sui majori secessu indigent & quiete, tanto propensiùs secularibus viris est omnis occasio amputanda, qua eorum pacem valeant impedire. Cùm ergo felicis recordationis Eugenius Papa prædecessor noster auctoritate apostolica prohibuerit ne præbendas illas quas Canonicis secularibus in Ecclesia beati Petri de mensa vestra consuevistis conferre, concederetis alicui, eorum aliquo decedente, sed ad usus fratrum Ecclesiæ vestræ sine aliqua contradictione redirent, ita tamen ut hac occasione præfata Ecclesia divinorum nequaquam celebratione careret, & hoc quidem Alexander Papa duxerit confirmandum; nos eorum vestigiis inhærentes, idipsum auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut illud futuris temporibus inviolabiliter observetur. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum V. Kal. Martij, anno decimo.

EISDEM.

Epist. 3. Committitur quidam processus & confirmantur quædam indulgentiæ.

CVm super processu à dilecto filio .. Archidiacono & Gualtero Scolare Tornacensibus habito super causa quæ de præbendis Ecclesiæ sancti Petri inter vos & quosdam Attrebatenses Clericos vertebatur, coram nobis esset hinc inde diutiùs disputatum, postulantibus dictis Clericis ut sententiam ab eisdem judicibus promulgatam apostolico dignaremur munimine roborare; vobis autem in contrarium respondentibus quòd eadem sententia irrita debebat inaníque censeri, utpote contra indulgentiam felicis recordationis Eugenij Papæ prædecessoris nostri, quæ demum per bonæ memoriæ Alexandrum Papam prædecessorem nostrum extitit confirmata, perperam lata fuerat, licèt prædicti judices indulgentiam ipsam in bulla, cart, & stilo, circumstantias attendentes, multiplici se dixerint habuisse ratione suspectam, nos iis & aliis diligenter auditis & plenius intellectis, quia cognovimus indulgentiam prælibatam nullum falsitatis indicium continere, ac judices supradictos contra ipsam in eodem negotio perperam processisse, processum eorum in irritum duximus revocandum, & præfatam indulgentiam approbantes, ipsam jussimus confirmari. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Martij, anno decimo.

ABBATI SANCTI AVBERTI, ... Cantori, & Magistro R. de Bekerel Canonico Cameracensi.

Epist. 4. Vt Hugonem Subdiaconum ad canonicatum & præbendam Ecclesiæ Brugensis vacantem recipi faciant.

DIlecti filij .. sancti Frambaldi Decanus, & Magistri I. Poëta & H. de Aurelianis Canonici Silvanectenses, per suas nobis litteras intimarunt quòd cùm bonæ memoriæ .. Præpositum & dil. fil. .. Decanum & Capitulum Brugenses, quibus pro dil fil. Hugone Subdiacono direximus scripta nostra, auctoritate apostolica movere ac inducere curavissent ut ipsum juxta mandati nostri tenorem in Ecclesia sua reciperent in Canonicum & in fratrem, & dictus Præpositus præbendam, si qua vacaret ibidem, ei liberaliter assignaret, ipsi, pro eo quòd nulla præbenda in Ecclesia ipsa vacabat, & de vacatura in nostris litteris mentio non fiebat, mandatum apostolicum prorsùs irritum judicarunt. Veruntamen Præpositus idem adjunxit quòd si prædictus Subdiaconus suæ se super hoc exoneret voluntati, taliter provideret eidem quòd de ipso justè conqueri non valeret. cui etiam Capitulum repromisit quòd quandocumque ipsorum Præpositus in eorum Ecclesia aliquam præbendam conferret eidem, ipsi stallum in Choro & locum in Capitulo & alia quæ ad eosdem pertinent liberaliter assignarent. Sed tamen idem Præpositus postmodum mandatum apostolicum exequi non curavit. Ceterùm Subdiaconus memoratus, cùm præfato Præposito viam universæ carnis ingresso Capitulum quendam ejusdem Ecclesiæ Canonicum in Præpositum nominassent, ne ipsius præbenda alij conferretur, ad sedem apostolicam appellavit. Nolentes igitur quod de præfato Subdiacono misericorditer inchoavimus relinquere inexpletum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratos Decanum & Capitulum & Præpositum, si quis interim fuerit institutus, ut eum ad præbendam vacantem in Ecclesia eorundem recipiant in Canonicum & in fratrem, ipsi stallum in Choro & locum in Capitulo assignantes, monitione præmissa, per di-

ſtrictionem eccleſiaſticam, ſublato cujuſcumque contradictionis & appellationis obſtaculo, compellatis. Teſtes autem qui fuerint nominati &c. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

NOBILI VIRO E. DVCI SAXONIÆ.

Epiſt. 5. Recipitur ipſe cum bonis ſuis ſub protectione apoſtolicæ ſedis.

CVm juxta canonicas ſanctiones non ſit contra quempiam procedendum niſi confeſſus fuerit vel convictus, aut notorius ſit ejus exceſſus, vel ipſe contumax appareret, aut publicè infamatus; nos qui juris ordinem volumus, ſicut convenit, obſervare, auctoritate præſentium tibi duximus concedendum quòd ſi aliquid adversùm te contra præſcriptum ordinem à nobis apparuerit impetratum, tibi per illud, tanquam ſubreptum, nullum præjudicium generetur; perſonam tuam, cum iis quæ in præſenti rationabiliter poſſides, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteris adipiſci, ſuſcipientes ſub protectione apoſtolicæ ſedis, tanquam Principem catholicum & devotum. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & protectionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum V. Non. Martij, anno decimo.

SOPHIÆ ABBATISSÆ QVINDELINgeburgenſis monaſterij, ejuſque ſororibus tam præſentibus quàm futuris regulariter ſubrogandis in perpetuum.

Epiſt. 6. Monaſterium ipſum Romano Pontifici immediatè ſubjectum & quædam alia eiſdem conceduntur, ſalvo ſemper cenſu annuo unius libræ argenti.

PRudentibus virginibus, quæ ſub habitu religionis per opera ſanctitatis jugiter ſe præparant ire obviam ſponſo, præſidium debet apoſtolicum impertiri, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eas à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum Quindelingeburgenſe monaſterium, quod beati Petri juris exiſtit, & ab illuſtris memoriæ Henrico Rege fundatum eſt, & ſub annuo cenſu unius libræ argenti Eccleſiæ Romanæ oblatum, ad exemplar felicis recordationis Agapiti, Iohannis, Silveſtri, Innocentij, & Lucij prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo canonicus, qui ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam in eodem monaſterio noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſenti juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis vobiſque ſuccedentibus & illibata permaneant. Innovamus etiam & omnimodis prohibemus ut nulli unquam perſonæ vel Eccleſiæ, præterquàm Romanæ Eccleſiæ, idem monaſterium ſubmittatur. Sed nec alicui Regum aliqua licentia pateat illud in beneficium dare. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel earum aliqua quæ tibi ſucceſſerit, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quam ſorores communi conſenſu, vel ſororum pars conſilij ſanioris, ſecundùm Dei timorem & beati Auguſtini regulam providerint eligendam. Sicut autem præfatum monaſterium ſoli tantùm Romano Pontifici ſubjacere ſtatuimus, ita nihilominus de perſonis tam Clericorum quàm laicorum ſeu ceteris rebus ad eundem locum generaliter pertinentibus, & veſtro ſervitio deputatis, præſenti decreto ſancimus ſicut eorundem prædeceſſorum noſtrorum ſanctione noſcitur inſtitutum. Simili quoque modo decernimus ut clauſtrum ſanctæ Mariæ in monte ſecundùm beati Benedicti regulam, & clauſtrum ſancti Quichberti in præfato loco Quidelingeburch, necnon clauſtrum ſancti Nicolai in Winethuſen, ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam ordinentur. Vniverſa inſuper quæ ſunt Eccleſiæ ſancti Michaëlis Archangeli ſitæ in loco qui vocatur Lapis ſancti Michaëlis, ex bonis bonæ memoriæ Burchardi Militis, vobis & eidem veſtræ Eccleſiæ nihilominus confirmamus. Adicientes etiam, ut quicunque Deo ibi ſervire decreverint, ſine proprio communiter & regulariter vivant, & ſemper ſub Quidelingeburgenſis monaſterij, ſicut hactenus, jure ac diſpoſitione conſiſtant. Idipſum quoque de Eccleſia ſancti Iohannis Baptiſtæ ſita in Quidelingeburch & hoſpitali domo ad ſuſcipiendos pauperes juxta eam præſenti ſcripto ſtatuimus. Veruntamen ibidem Preſbyter religioſus & ſapiens ſtatuatur qui etiam pauperum curam gerat. Exceptis quoque excommunicatis & interdictis, ſi quis ibi ſepeliri deſiderat, nequa-

quam prohibeatur. justitia nimirum matricis Ecclesiæ ac reverentia salva. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem quòd idem monasterium beati Petri juris existat, unam libram argenti annis singulis, nomine census, nobis nostrísque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, qua. &c. *usque in finem*. Datum Romæ apud sanctum Petrum, per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, Non. Martij, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

CAPITVLO MAGDEBVRGENSI.

Epist. 7. Prohibetur eis ne certa jura & bona eorum aliis quàm Canonicis vendere vel locare valeant.

VEnerabilis frater noster Albertus Archiepiscopus vester nobis humiliter supplicavit ut inhibere vobis auctoritate apostolica dignaremur ne quis vestrum curias vel clausirales areas, quæ vendi debent tantummodo Canonicis Magdeburgensibus vel locari, personis aliis donare, vendere, vel locare præsumat. Nos igitur ejus precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium inhibemus ne curias vel areas supradictas aliis quàm concanonicis vestris præsumatis donare, vendere, vel locare; dummodo ipsi justum pretium offerant pro eisdem. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Non. Martij, anno decimo.

..ALBERSTADIENSI ET .. MERSEBVRgensi Episcopis, & .. Abbati sancti Iohannis in monte Magdeburgensi.

Epist. 8. Quòd Presbyteros & alios viros idoneos in ipsa Ecclesia in

VEnerabilis frater noster .. Magdeburgensis Archiepiscopus sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm bonæ memoriæ Benedictus & Iohannes Papæ prædecessores nostri Canonicis Magdeburgensibus ministrantibus altari majori in quibusdam festivis diebus sandaliorum usum duxerint concedendum, sicut in ipsorum privilegiis continetur, plerique Canonicorum, illius occasione indulti, aiunt neminem ad illius altaris ministerium debere admitti qui non fuerit cum sandaliis ordinatus. propter quod Presbyteros discretos pariter & honestos, qui possent eidem Ecclesiæ utiliter deservire, in fratres & Canonicos assumere contradicunt. Cùm igitur ex gratia sibi ab apostolica sede collata iidem sumere non debeant materiam malignandi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus facientes vobis dictum privilegium præsentari, & eo diligenter inspecto, si nihil aliud de sandaliis contineatur in ipso nisi quòd ministri altaris eis certis diebus utantur, auctoritate nostra Magdeburgensi Capitulo injungatis ut propter hoc Presbyteros idoneos & alios viros honestos, cùm necesse fuerit, in fratres & Canonicos recipere non recusent. Alioquin etiam Archiepiscopus suus in eodem non celebraret altari, cùm non fuerit à nobis in sandaliis ad officium sacerdotale promotus, cùm nos neminem cum sandaliis in Presbyterum ordinemus; sed utentem sandaliis in Episcopum consecramus. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VIII. Idus Martij, anno decimo.

Canonicos & fratres recipere non recusent non obstante privilegio quondam eis concesso.

MAGISTRO GERVANDO.

Epist. 9. Confirmatur collatio sibi facta cujusdam præbendæ Magdeburgensis.

LIcèt causam quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum & quosdam Canonicos Magdeburgenses super collatione quarundam præbendarum ab eodem Archiepiscopo facta, quarum una tibi ab ipso extitit assignata, venerabilibus fratribus nostris .. Merseburgensi & bonæ memoriæ .. Brandeburgensi & .. Havelbergen. Episcopis commiserimus fine canonico terminandam, nos tamen devotionem quam erga personam nostram & Romanam Ecclesiam habere dinosceris attendentes, intuitu quoque probitatis & litteraturæ tuæ, ita duximus providendum, utsi ad Archiepiscopum ipsum, eo tempore quo dictam præbendam tibi contulit, ipsius donatio pertinebat, quod circa te factum est de ipsa præbenda, in sua permaneat firmitate. Quòd si ad nos tunc erat ipsius donatio devoluta, de spe-

ciali gratia eam tibi duximus conferendam. Cùm igitur secundùm utrumlibet modum eam te velimus habere, nos ipsam tibi auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis & confirmationis infringere vel ei ausu &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, anno decimo.

CAPITVLO MAGDEBVRGENSI.

Epist. 10. Super eodem, & pro eodem G. scribitur ut eum recipiant & admittant.

LIcèt causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum vestrum & quosdam ex vobis vertitur super collatione quarundam præbendarum ab eodem Archiepiscopo facta &c. *in eundem modum usque* confirmamus. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus magistrum ipsum juxta Ecclesiæ vestræ consuetudinem recipientes in Canonicum & in fratrem, eundem fraterna caritate tractetis. Datum ut in alia.

ALBERTO MAGDEBVRGENSI Archiepiscopo.

Epist. 11. Super eodem, & pro eodem G.

LIcèt causam quæ inter te ac quosdam Magdeburgenses Canonicos &c. *in eundem modum usque* confirmamus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus eidem stallum in Choro & locum in Capitulo auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, studeas assignare. Datum ut in alia.

.. MERSEBVRGENSI EPISCOPO & .. Brandeburgensi & .. Havelburgensi Electis.

Epist. 12. Super eodem.

LIcèt causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum & quosdam Canonicos Magdeburgenses vertitur &c. *in eundem modum usque* confirmamus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratum magistrum possessione ipsius præbendæ facientes auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

VLRICO CLERICO.

Epist. 13. Confirmatur custodia S. Petri in Leodio sibi collata.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* perducatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, custodiam sancti Petri in Leodio, quam ex concessione venerabilis fratris nostri H. Leodiensis Episcopi te asseris assecutum, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Non. Martij, anno decimo.

LVCÆ ABBATI ET CONVENTVI Burgulienſi.

Epist. 14. Datur certus modus vivendi & regendi monasterium ad relationem nonnullorum, quibus correctio exiterat commissa.

AD evellendum & destruendum, ædificandum pariter & plantandum, super gentes & regna disponente Domino constituti, iis tenemur robur apostolicum impertiri quæ inter viros religiosos, pro resecanda dissolutionis materia & virtutibus coalendis, deliberatione provida statuuntur, ut in odorem unguentorum Domini pede currant adolescentulæ inoffenso, & liberiùs secus pedes Domini sedeant cum Maria. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinati, ea quæ dilecti filij .. de Savigneio & .. de Claromonte Abbates Cistercienses ordinis, & P. de Butera Canonicus Andegavensis, quibus correctionem monasterij vestri duximus committendam, pro informatione religionis & utilitate monasterij vestri vobis consentientibus providè statuerunt, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus, constitutiones ipsas, prout in eorum authentico continetur, ad evidentiam pleniorem de verbo ad verbum huic nostræ paginæ inserentes. STATVIMVS « pro bono pacis & amore religionis quòd « Abbas, qui plus debet prodesse quàm « præesse & discipulos suos magis exemplo « quàm verbo docere, semper pauset in « dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minutus, vel aliqua manifesta necessitas exegerit, vel magnum laborem substinuerit. « Nec Abbas nec aliquis monachus habeat « coopertorium nisi de agniculis vel catis « vel vulpibus, & cum panno nigro vel albo ordinato. Sæpius comedat in refectorio; & si in camera comederit, comedat «

» cum fratribus sive Clericis & laicis. Lon-
» gas autem vigilias post completorium
» prohibemus. Nullus monachus comedat
» in infirmaria sine licentia Abbatis vel
» Prioris. Nullus Clericus vel laicus come-
» dat nisi in hospitio; exceptis servientibus,
» qui comedere poterunt in suis officinis,
» nisi fuerint excellentes personæ. Abbas
» sæpius intersit divinis officiis, & sedeat in
» claustro causa ædificationis. Non donet
» redditus vel possessiones, vel aliquid quod
» à monacho bene & ad utilitatem Eccle-
» siæ ministrari possit, parentibus suis vel
» aliis. Non sit sumptuosus circa parentes
» suos vel alios in expensis vel donis. In om-
» nibus negotiis suis vel visitandis obedien-
» tiis sit contentus quinque aut sex equita-
» turis, nisi fortè aliquos bonos viros causa
» consilij vocaverit. Non exigat munera à
» Prioribus pro dono prioratuum. Non
» amoveat aliquem de prioratibus vel baliis
» dum bene fuerit, nisi causa eminentis uti-
» litatis. & hoc faciat cum consilio senio-
» rum. Non sustineat destructorem, sed
» amoveat, & puniat regulariter, ut ceteri
» terreantur. Provideat ordinatè in omni-
» bus necessariis omnibus fratribus, mode-
» ratè & honestè, & non tamen superfluè,
» & provideri faciat à Prioribus. Redditus
» & possessiones collatas vel acquisitas tam
» olim quàm imposterum non alienet à lo-
» cis quibus dabuntur, sine consilio Capi-
» tuli. Non donet pensionem alicui nisi de
» speciali mandato Domini Papæ. Non ac-
» cipiat mutuum ultra viginti quinque li-
» bras Andegavensis monetæ sine sigillo &
» conscientia Capituli. Non faciat ple-
» gium pro aliquo. Non invadiet thesau-
» rum vel possessiones Ecclesiæ nisi cum
» consilio seniorum, & convocatis Priori-
» bus exterioribus infra unam dietam ma-
» nentibus. Nec aliquam institutionem fa-
» ciat nisi in generali Capitulo quod cele-
» bratur in festo Apostolorum Petri & Pau-
» li. Si qua minora gerenda sunt per an-
» num, consilio seniorum utatur; & quod
» melius judicaverit, faciat. Nullam obe-
» dientiam vel balivam teneat Abbas in
» manu sua, sed quàm citiùs poterit, Prio-
» rem vel Bailivum constituat idoneum.
» præter hospitium & cameram, quæ
» sibi poterit retinere, si voluerit. Non
» committantur alicui duo officia vel prio-
» ratus, quandiu quilibet monachus eos
» utiliter administrare poterit; nec donet
» eos ad vitam vel ad certum terminum, nec
» donet eos extraneis monachis. Omnes
» balivas tam in capite quàm in membris,

quæ per monachos administrari possunt « ad honorem & utilitatem Ecclesiæ Cleri- « cis vel laicis secularibus non committat, « nec à Prioribus committi permittat. « Quod verò per monachos administrari « non potest, per condonatos idoneos ad- « ministretur. Omnes tam Priores quàm « claustrales intus & exteriùs communita- « tem firmiter teneant in monasterio, in « dormitorio, in refectorio. Nec aliquis « in refectorio sumat nisi communes cibos. « Infirmaria suos redditus habeat. Infirma- « rius & Piscinarius abbatiæ à Capitulo « eligantur. De Priori abbatiæ faciat Ab- « bas secundùm antiquam consuetudinem. « Sigillum Capituli statuimus & præcipi- « mus ut custodiatur sub tribus clavibus; « quarum unam habeat Abbas; duo electi « in generali Capitulo & jurati alias duas « custodiant. nec aliquid in eo sigillent nisi « de assensu præsentis Capituli. & hoc ip- « sum in sequenti Capitulo generali recite- « tur. Abbas vel Prior abbatiæ cum aliquo « monacho honesto & discreto ad præcep- « tum Abbatis singulis annis omnes semel « obedientias visitet; & si quid invenerit « corrigendum, corrigat, & quod correxe- « rit, vel corrigendum reliquerit, Abbati « & Capitulo renuntiet generali. Singulis « annis in generali Capitulo tam Abbas « quàm balivi & Priores reddant rationem « de statu & debito officiorum suorum præ- « teriti & præsentis anni, & status & debi- « ta in scriptum redigantur; & cum sigillo « Capituli custodiantur, in Capitulo se- « quentis anni recitanda. Nec Abbas nec « aliquis de Prioribus aliquos redditus ven- « dat vel invadiet nisi ad præsentem annum. « Si feodus vel alius redditus quoquo modo « acciderit, non detur vel vendatur extra- « neis, sed Cellario remaneat. Similiter or- « namenta Sacristæ reddantur, libri Arma- « rio. Ad accusationem secularium Clerico- « rum vel laicorum monachi non condem- « nentur, nisi crimen sit notorium. Nec « aliquis nisi præsens judicetur, vel damne- « tur, nisi fuerit contumax. Omnes condo- « nati in habitu & in tonsura à secularibus « discernantur. Pueri non recipiantur infra « quindecim annos. Post quintumdecimum « annum per triennium in custodia tenean- « tur. Nullus monachus induatur camisiis, « sed staminiis tantùm, nec utatur stivali- « bus attingentibus ultra genu.] Nulli er- « go omnino hominum liceat hanc pagi- « nam nostræ confirmationis infringere, vel « ei ausu temerario contraire. Si quis autem « hoc attentare præsumpserit, indignatio-

nem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VII. Id. Martij, anno decimo.

..EPISCOPO ET.. DECANO Parisiensi.

Epist. 15. Ut procedant contra quosdam falsarios, pœna illos et ea falsarios edita puniendo.

VEstra prudentia nos consuluit utrum ab apostolica sede processerit hujusmodi decretalis allegata nuper in judicio coram vobis, quam de verbo ad verbum nobis in hac forma scripsistis. » QVISQVIS in suis dubitationibus à » nobis sperat remedium posse conferri, » prona nos convenit animositate præstare. » Discretionem igitur tuam non immeritò » commendamus, pro eo quòd quæstioni- » bus vanis & inutilibus vis finem impone- » re, quæ in foro tuo sæpissime cum magna » legum altercatione discutiuntur, eccle- » siasticæ utilitati consulendo, & subjecto- » rum utilitati providendo. Ex tuarum ita- » que inquisitione quæstionum nobis inno- » tuit quòd quidam, causa coram suo ordi- » nario non mota, vel causa mota, præter- » missa appellatione ad sedem apostolicam » accedentes, ad judices alterius provinciæ » litteras impetrant. Cùm autem rei citati » coram judicibus apparent, eorum exa- » men declinare contendunt; quandoque » contra adversarios excipientes, quia eos » primò non admonuerunt, & auctorita- » tem sui ordinarij postposuerunt; quando- » que quia extranei judicis expetere judi- » cium vel pati recusant. Nos autem ab » animo tuo dubitationem auferre cupien- » tes, constituimus ut si quis prætermissa » judicis sui auctoritate ad nos accesserit, & » litteras impetraverit, nisi ad judicem im- » petret ordinarium, ei nullum afferant pe- » nitùs suffragium. Sacræ verò leges di- » cunt, quibus auctoritatem debemus ac- » commodare, quòd si quis spreto judice » provinciæ ad Imperatorem accesserit, » nullum debet ei dare responsum, ne in » hoc videamur jura subvertere, ad quos » potissimùm pertinet ea tueri & fovere. » De illis autem qui lite pendente litteras » impetrant, judicamus eorum impetratio- » nem illis non debere prodesse, cùm pri- » vilegium super re litigiosa impetratum » non valeat, maximè cùm in sacris cano- » nibus cautum inveniatur in medio litis sa- » cras jussiones non impetrari. Si quis au- » tem, dum lis examinatur, pragmaticum » typum impetraverit, ei prodesse nolu- » mus. De illis autem qui ad judices extra- » neos litteras impetrant, sancimus juxta » legum auctoritatem quòd litteræ nulla- » tenus debent effectum sortiri, nisi illi » qui litigant, contra Metropolitanum vel » Præsidem provinciæ causam habuerint; » maximè cùm judices nostri temporis » amorem Dei amori mundi quandoque » postponunt, non animadvertentes quòd » occisores corporis non sunt timendi con- » tra homines justitiam impellentes. Illam » autem dicimus provinciam quæ juxta » Chalcedonense Concilium habet Metro- » politanum, & quæ certis limitibus est di- » visa, ut Aquitania, Britannia, Norman- » nia, & idem sit in similibus judicium. Sa- » nè consuluisti utrum illi dandæ sint indu- » ciæ deliberationis qui coram judice ordi- » nario eas obtinuit, cùm coram judice de- » legato reus apparet. Ad quod utique res- » pondemus, quòd cùm à nobis ad appella- » tionem rescriptum est, dilationem tribui » non licebit, eadem ratione qua in præ- » sentia nostra tribui non solet. Ad hoc » quod requiris utrum illi dandæ sint indu- » ciæ qui nostrum rescriptum in litteris ci- » tatoriis insertum accepit, dicimus quòd » eas implorare non debet, juxta Felicis » Papæ decretum constituentis quòd Epis- » copi accusatis per scripta debent signifi- » care quid opponatur, ut parati ad res- » ponsionem veniant; maximè cùm co- » piam nostri rescripti coram judice dele- » gato habeat & diligenter possit perspicere » ubi de rescripto aliquid fuerit adjectum » vel subtractum. De eo autem quòd du- » bitas, quòd interdum titulo donationis, » interdum titulo venditionis transferuntur » villæ, tum ad laicos, tum ad religiosos, » quarum possessione laici jus patronatus » sibi vindicant, utrum ad illos transfera- » tur jus patronatus cum universitate, ad » hoc tale damus responsum, quòd religio- » sæ personæ in villis acquisitis id vendicare » possunt.] Super quo vobis duximus res- pondendum quòd quanquam in decretali seu potiùs concretali præmissa contineri aliqua juri consona videantur, quibus temerarius fabricator ipsius sua mendacia coloravit, nos tamen eam, utpote falsam, omnino respuimus & damnamus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatinus revocato in statum debitum si quid ejus occasione in favorem utentis ea fuerit attentatum, actores ipsius, si potuerint reperiri, vel illos quos noveritis usos esse scienter eadem, pœna contra falsarios edita puniatis. Datum Laterani V. Idus Martij, anno decimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HELIÆ ABBATI ET CONVENTVI de Radingia Cluniacensis ordinis.

Epist. 16. Ipsum monasterium & bona eorum suscipiuntur sub protectione, & confirmantur eis privilegia.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, monasterium de Radingia, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsenti rationabiliter possidet aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, necnon & personas in eo Domino famulantes, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesias, Capellas, terras, possessiones, & redditus, libertates, & immunitates, & omnia alia quæ concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, seu etiam emptione vel donatione, ac oblatione fidelium, aut aliis justis modis estis hactenus assecuti, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus; districtiùs inhibentes ne quis super privilegiis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vos aut monasterium vestrum temerè molestare præsumat. Nulli ergo &c. nostræ protectionis, confirmationis, & inhibitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Martij, anno decimo.

EISDEM.

Epist. 17. Indulgetur quòd liceat eis bona monasterii alienata revocare.

CVm ex illorum incuria qui monasterio vestro per tempora præfuerunt, & damnosa taciturnitate conventus, qui plerunque factis eorum contradicere non est ausus, contra ipsius monasterij privilegia nonnulla de bonis ejus alienata dicantur in ipsius grave præjudicium & jacturam, volentes indemnitatibus suis paterna sollicitudine præcavere, præsentium vobis auctoritate concedimus ut quæ sic ab eodem monasterio alienata fore noscuntur, liceat vobis ad ipsum legitimè revocare. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

ABBATI DE RADINGIA.

Epist. 18. Vt in exterioribus monasterij procurationibus liceat sibi fratres professionis in religione approbatos absque contradictione constituere & revocare prout sibi videbitur.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* assensu, præsentium tibi auctoritate concedimus ut in exterioribus monasterij tui procurationibus liceat tibi, cum consilio Capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius, fratres professionis vestræ in religione probatos, industrios, ac discretos absque contradictione cujuslibet, sicut eidem monasterio expedire videris, constituere, ac iterum exigente utilitate, vel urgente necessitate, cùm tibi bene placuerit, de simili fratrum consilio revocare. Ita sanè quòd res, possessiones, redditus, & proventus monasterij memorati non nisi per manus fratrum, qui tibi & Capitulo tuo de sibi commissis, prout debitum est, respondeant, disponantur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Id. Martij, anno decimo.

MAIORI DECANO, PRIORIBVS, & ceteris Clericis Colonienſibus.

Epist. 19. Adversis tribulationibus afflicti confortantur & inducuntur ut robustiores & intimidi existant.

LIcèt Colonienſis Ecclesia in favorem suum super negotio Imperij nos induxerit, non nos ipsam, ac ideo plus nos ei quàm ipsa nobis de ipso negotio imputare possimus; quia tamen postmodum fidelem eam invenimus & devotam, hoc ipsum quòd in suo proposito constantiam conservavit, ita gratum gessimus & acceptum, ac si sequentia, non de suo, sed de nostro potiùs initio proveniſſent. Vtinam autem nunquam natus homo ille fuisset qui Ecclesiam & civitatem vestram turpitudinum suarum contagione fœdavit, eámque pernicioſissimis factis suis in multiplicem difficultatem induxit. Verè filius Belial; quandoquidem ipse lubricus & versutus fuit, ipse versipellis & perfidus, callida semper arte decipiens, bonis nostris initia fraudulenta suggeſſit, ut tanto demum faciliùs malignari posset in ipsis, quanto de opere quasi suo confidentes in eo familiaris pejus offenderet inimicus, illius imitando versutiam qui frequenter allicit nonnullos ad bonum, ut gravius malum eliciat ex eodem. Quia verò postquam draco ille projectus est, per quem Satan cribrandos vos quasi triticum expetivit, nullatenus fides vestra defecit, quos adversarius impulit, non versavit, ariésque tentationum admotus constantiæ vestræ murum non potuit penetrare. Cùm igitur tanquam aurum in fornace Dominus suos probet

probet electos, fornacem persecutionis instantis æquanimiter ferre debetis; ut ex ea demum, si aurum estis, purius exeatis; ne si decoctionis examen usque ad probationem perfectam aurum vestræ fidei non pertulerit, unde clarificari potuerat obscuretur; præsertim cùm antè quàm fornax hæc septuplum succendatur, potens sit Dominus mittere angelum sanctum suum, qui vobiscum in ipsam descendens, flammam ignis ex ea ministros proprios absumpturam excutiat, ac ipsam aspersione salvifici roris extinguat. Consolamini ergo, filij dilectissimi, consolamini, & pugnam quam suscitavit adversùs vos inveteratus dierum malorum hostis antiquus, forti animo sustinete, quæ procul dubio non certamen, sed ludus & umbra certaminis vobis esse videbitur, si pugnatorem illum fortissimum attendatis qui cùm omnes simul amisisset divitias, peremptósque filios audivisset, sub ruina quassatæ domus unum habuisse sepulcrum, succedentibus sibi malorum nuntiis, ad singulas plagas immobilis ferebatur; adhuc etiam ita graviter in proprio corpore flagellandus, ut pelli suæ consumptis carnibus os proprium adhæreret, nec tamen cessaret Dominum labiis benedicere, quæ sibi tantummodo circa dentes fuerant derelicta. Vnde profectò vos, quos fidelis Deus tentari nullomodo patietur ultrà quàm ferre possitis, augere animum ac mentem convenit ampliare, complendo illud de sapiente præconium: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ruinæ ferient.* Quoniam etsi tribulationes vestræ plurimæ videantur, Dominus tamen vos de iis omnibus liberabit, & præter id quod in præsenti vobis poterit retribuere, multò majus ab eo præmium in futuro poteritis de patientia vestra sperare. Non enim condignæ sunt hujus seculi passiones ad futuram gloriam quam in vobis credimus revelandam, in qua procul dubio vobis pro defensione justitiæ inter illos merces æterna reddetur qui persecutionem propter justitiam patiuntur, & cùm probati fuerint, coronam vitæ recipient, quam diligentibus se Dominus repromisit. Monemus ergo devotionem vestram & exhortamur attentè, per apostolica scripta mandantes, quatinus inter malleum positi & incudem, imminentem pressuram per patientiam eludatis: quia licèt, ut naufragi, latrones in littore videamini reperisse, ac juxta Prophetarum eloquia, fugientes ursum, extensam dexteram ad parietem morderi à colubro metuatis, à duobus tamen caudis fumigantium titionum, qui contra vos consilium inierunt, manere impavidos vos oportet. Deus enim, qui decipientem agnoscit, & eum qui decipitur non ignorat, consiliarios fatuos in stultum finem adducet; poténsque solvere Regum balteum ac præcingere funè renes eorum, super eos qui suis credunt viribus principari despectionem effundet, & illos qui oppressi fuerant relevabit, ac sicut duxit nequam sacerdotem inglorium, ita supplantabit, cùm voluerit, optimatem. Proinde patientes estote, ac libenter insipientes, cùm sitis ipsi sapientes, feratis: quia per patientiæ clypeum adversitatum instantium ictus frangere, ac per tolerantiæ murum cuncta poteritis persecutionum jacula superare. Bonum nempe certamen hactenus certavistis. Sed cùm nonnisi qui legitimè certaverit coronetur, ut de reliquo vobis corona justitiæ reponatur, cursum vos decet perfecti operis consummare: quia nihil prodest in stadio cucurrisse, si antè quàm comprehendatur bravium, currere desinatur. Pensetis autem de quanto bono Scariothis ille ceciderit, qui nequaquam in perseverantiæ bono stetit; quid Salomon amiserit, qui stabilitatem animi non servavit; in quem casum Saül devenerit, pro eo quòd à proposito bono recessit. Et ut familiare magis exemplum in perseverantia vos consolidet, consideretis in quam ruinam Principem quondam vestrum varietatis suæ culpa dejecit; cujus attendendo ruinam, de sua faciatis vobis damnatione cautelam: quia scriptum est: *Sapiens de alieno vitio emendat suum, discendo vitare proprium per periculum alienum.* Ex illa verò arbore parabolam addiscatis quæ sive ad austrum sive ad aquilonem ceciderit, ibi erit. Nam qui judicat fines terræ, ubi unumquemque invenerit, ibi eum proculdubio judicabit. In vespera namque laudatur diei serenitas, & in fine status boni operis commendatur: quoniam non est magnum bonum incipere, sed perfectum finire. Multi enim aggrediuntur ardua, sed in via deficiunt. Multi exeunt Babylonem, sed in itinere moriuntur. Perseverantia quippe currentem remunerat, roborátque pugnantem. Hæc est justi talaris tunica, quæ ad pedum extremitatem extenditur. Hæc est hostiæ cauda, quæ cum victima simul offerri jubetur. Hæc est operationis bonæ calcaneus, quem sapiens à serpente cu-

stodit. Hæc est quæ res difficiles ad facilitatem reducit. Hanc ergo curetis & vos taliter custodire ut per eam faciliter illas difficultates vincatis in quas, recedendo ab ipsâ, vir instabilis & apostata vos induxit; pro certo sperantes quòd adjuvante Domino sic intendimus in tentationibus vestris vobis in proximo subvenire quòd ad instar evangelicæ mulieris, quæ cùm pepererit filium, pressuræ non meminit, cùm auxilium, quod expectamus de cœlo, in vobis fuerit revelatum, succedentibus prosperis, adversitatum poteritis omnium oblivisci, nuntios vestros ad propria remissuri quam citò se facultas obtulerit opportuna. Virtutem quoque obedientiæ, quæ victimis antefertur, non solùm erga nos, verùm etiam erga venerabilem fratrem nostrum Brunonem Archiepiscopum vestrum fortes & intrepidi observetis; à qua si quis forsan apostatando discederet, tanquam reus criminis idolatriæ, cui secundùm Prophetam inobedientia comparatur, procul dubio puniretur. Datum Laterani III. Id. Martij, anno decimo.

.. TVRONENSI ARCHIEPISCOPO & .. de Chaloceio & .. de Oratorio Abbatibus ordinis Cistercienſis Andegavenſis dioceſis.

Epist. 20. Vt Hilarium Abbatem Burgulienſem ad accedendum ad monasterium S. Iovini inducant & compellant pro fructuosa pœnitentia sibi injuncta in eo peragenda.

EX parte dilectorum filiorum .. Abbatis & Conventus Burgulienſis fuit propositum coram nobis quòd Hilarius quondam monasterij sui Abbas, per diversas discurrens provincias, & conversationis pristinæ flagitia non abhorrens, per fautores & complices suos ac quosdam vicinos Abbates Turonensis & Andegavensis dioceſum, qui eum dicuntur in suis iniquitatibus confovere, domos & redditus Burgulienſis monasterij sibi & suis instanter postulat assignari; ut sic locum & vocem obtinens in monasterio memorato, ejusdem tranquillitatem valeat perturbare. Quod quoniam Abbas & Conventus prædicti sibi concedere denegant, cùm ejus malitiam plenariè sint experti, consanguinei, complices, & fautores ipsius earundem & Pictavienſis dioceſum bona monasterij diripiunt violenter, & quorundam falsorum debitorum occasione prætenta contumelias monachis inferunt & jacturas, plerisque illorum truncationem membrorum & necem aliis intentantes. propter quod quamplures eorum ad procuranda negotia monasterij non audent accedere, scientes illos nullum facinus abhorrere. In tantam enim vesaniam & audaciam proruperunt quòd grangiam monasterij de nocte incendio devastarunt, monasterium ipsum cum adjacente burgo eodem incendio vastaturi, nisi ventus contrarius divina clementia excitatus flammas ignium avertisset. Cùm igitur idem Hilarius ab administratione ipsius monasterij à nobis sententialiter exigente justitia sit amotus, & ad pœnitentiam peragendam in monasterio sancti Iovini de Marnis eundem præceperimus commorari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratum Hilarium, ut in clausto præfati monasterij sancti Iovini resideat, & ibidem agat pœnitentiam fructuosam, juxta quod eidem duximus injungendum, nec extra ipsum monasterium evagetur, moneatis attentiùs & efficaciter inducatis. Alioquin ipsum ad id per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, cogere non tardetis; consanguineos, complices, & fautores ipsius à præfati monasterij & monachorum molestatione indebita & falsorum debitorum exactione, monitione præmissâ, per censuram ecclesiasticam, sublata appellatione, districtè compescentes, & facientes eisdem de damnis & irrogatis injuriis satisfactionem debitam exhiberi. Quòd si non omnes, tu, frater Archiepiscope, &c. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI Burgulienſi.

Epist. 21. Mandatur & indulgetur ut conceſſiones & penſiones per Hilarium quondam eorum Abbatem illicitè factas revocare poſſint.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quòd Hilarius quondam Abbas monasterij vestri, sua potiùs quàm quæ Iesu Christi sunt quærens, ut sibi secularium favorem acquireret & potentum, multis percipiendas à monasterio vestro concessit annuas pensiones, in ipsius monasterij præjudicium & gravamen; quas etiam quidam eorum, seculari freti potentia, non verentur à vobis per violentiam extorquere. Vnde nobis humiliter supplicastis ut super hoc indemnitati monasterij vestri dignaremur misericorditer providere. Nos igitur vestris precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus quatinus conceſſiones pensionum ipsarum ab eodem Hilario illicitè factas appellatione remota legitimè revocetis. Nulli ergo &c. nostræ conceſſionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

.. TVRONENSI ARCHIEPISCOPO & .. de Oratorio &., de Chaloceio Abbatibus ordinis Cistercienſis Andegavenſis dioceſis.

Epiſt. 22. Vt de debitis per contractum legitimum debitis tempore Hilarij quondam Abbatis Burgulien. conquerentibus exhibere faciant juſtitiæ complementum.

CVm tibi, frater Archiepiſcope, ac venerabilibus fratribus noſtris .. Pictavienſi & .. Andegavenſi Epiſcopis dederimus in mandatis quatinus per veſtras denuntiari dioceſes faciatis utſi qui à tempore Hilarij quondam Abbatis Burgulienſis monaſterij debita duxerint ab eodem monaſterio requirenda, veſtro ſe conſpectui repræſentent, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus faciatis ab Abbate ac Conventu monaſterij memorati cuilibet ſuper debitis conquerenti, uſuris ceſſantibus, juſtitiæ plenitudinem exhiberi, eos qui ſuper debitis monaſterium ipſum aliter præſumpſerint infeſtare, monitione præmiſſa, ſublato appellationis obſtaculo, excommunicationis ſententiæ ſupponentes. Quòd ſi non omnes, tu, frater Archiepiſcope, &c. Datum ut in alia.

.. TVRONENSI ARCHIEPISCOPO & .. Pictavenſi & .. Andegavenſi Epiſcopis.

Epiſt. 23. Vt contra incendiatores cujuſdam grangiæ Hilarij quondam Abbatis Burgulienſis procedant.

SIcut ex parte dilectorum filiorum .. Abbatis & Conventus Burgulienſis fuit propoſitum coram nobis, cùm quidam filij Belial, complices & fautores Hilarij ejuſdem monaſterij quondam Abbatis, quandam ipſius grangiam igne appoſito concremarint, & monaſterium ipſum non deſinant contra juſtitiam aggravare, ab eodem nihilominus falſa debita exigentes, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſinguli veſtrum in dioceſibus ſuis in omnes illos qui præfatam grangiam combuſſerunt, vel ad eam comburendam impenderunt auxilium vel favorem, aut obtentu ipſius Hilarij dictum monaſterium præſumpſerint moleſtare, vel falſa debita exegerint ab eodem, excommunicationis ſententiam, ſublato appellationis obſtaculo, ſolemniter promulgetis, & faciatis eandem uſque ad ſatisfactionem congruam firmiter obſervari, per dioceſes veſtras denuntiari nihilominus facientes utſi qui ab eodem monaſterio à tempore ipſius Hilarij debita duxerint requirenda, tuo ſe, frater Archiepiſcope, & dilectorum filiorum .. de Oratorio & .. de Chaloceio Abbatum ordinis Ciſtercienſis Andegavenſis dioceſis conſpectui repræſentent, ſuper eo juſtitiæ plenitudinem recepturi. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis, anno decimo.

.. ABBATI ET CONVENTVI Burgulienſi.

Epiſt. 24. Vt nonnullos monachos dicti monaſterij complices Hilarij quondam Abbatis dicti monaſterij caſtigent & ad eorum obedientiam advocent, nec permittant monaſterium perturbare.

SIgnificarunt nobis dilecti filij H. & G. monachi veſtri quòd cùm nos Hilarium quondam Abbatem monaſterij veſtri ab adminiſtratione ipſius ſententialiter duxerimus amovendum, quidam monachi complices ejus in veſtro monaſterio commorantes tibi, fili Abbas, obedientiam & reverentiam debitam denegant exhibere, ac molientes pacem & unitatem monaſterij perturbare, tam per ſe quàm per alios falſa debita exigere non verentur. Cùm igitur pax & unitas religioni præbeant incrementum, univerſitatem veſtram monemus & exhortamur attentè, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatinus in unitate ac pace firmiter perſiſtatis, monachos ipſos qui ſuper iis vel aliis monaſterium ipſum præſumpſerint perturbare, auctoritate noſtra regulariter caſtigantes. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo.

.. MAIORIS MONASTERII, .. ſancti Iuliani, & .. ſancti Florentij Abbatibus Turonenſis & Andegavenſis dioceſum.

Epiſt. 25. Vt Hilarium quondam Abbatem Burgulienſem ad clauſtrum ſibi aſſignatum ad pœnitendum reverti compellant.

CVm Hilarius quondam Abbas Burgulienſis ab adminiſtratione ipſius monaſterij à nobis ſententialiter exigente juſtitia ſit amotus, & ad pœnitentiam peragendam in monaſterio ſancti Iovini de Marnis eundem præceperimus commorari, præſentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus ipſum extra clauſtrum prædictum vagantem in cameris monaſteriorum veſtrorum vel mentis veſtris recipere nullatenus præſumatis, ne ipſum in ſua videamini malitia confovere, repellentes eundem, ut ſic ad clauſtrum aſſignatum ſibi ad pœnitentiam revertatur. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris .. Turonenſi Archiepiſcopo, &.. Epiſcopo Andegavenſi & dilecto filio .. Abbati de Oratorio Ciſtercienſis ordinis Andegavenſis dioceſis per noſtras damus litteras in mandatis ut vos ab hujuſmodi præſumptione per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compeſcant. Datum Laterani XIV. Kal. Aprilis, anno decimo.

.. TVRONENSI ARCHIEPISCOPO, &.. Episcopo Andegavensi, &.. Abbati de Oratorio Cisterciensis ordinis Andegavensis diocesis.

Epist. 26. Super eodem ut suprà.

CVm Hilarius quondam Abbas Burgulienſis &c. *in eundem modum usque* commorari, dilectis filiis .. Majoris monasterij, .. sancti Iuliani, &.. sancti Florentij Abbatibus Turonensis & Andegavensis dioceſum per nostras damus litteras in præceptis ut eundem extra claustrum prædictum vagantem &c. *in eundem ferè modum usque* revertatur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si præfati Abbates secus, quod non credimus, præsumpserint attentare, vos illos ab hujusmodi præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum ut in alia.

MATHÆO PRÆPOSITO ET Canonicis Ecclesiæ beati Laurentij de Iovisvilla tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Epist. 27. Suscipiuntur sub protectione sedis apostolicæ cum omnibus eorum bonis, libertatibus, immunitatibus, ac privilegiis.

PIæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam beati Laurentij de Iovisvilla, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione susscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Præterea quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia in præsenti justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firmà vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo memorata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. quicquid habetis apud Iovisvillam. Ecclesiam de Ova, cum appenditiis suis, & quicquid in eadem villa habetis. Altaria de sancto Quintino & de Berveres, cum appenditiis suis. quicquid habetis apud Manisd. & Semincurten. quicquid habetis apud Wassium. quicquid habetis apud Moruncurten. quicquid habetis apud Charmes. quicquid habetis apud Sememonten. quicquid habetis apud Doniors, & jus quod habetis in præbendis de Saleio. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat. salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates præterea & immunitates Ecclesiæ vestræ concessas, necnon antiquas & rationabiles consuetudines hactenus observatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas permanere censemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibusliber vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & dioceſani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reámque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij, XI. Kal. Aprilis, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

HELIÆ ABBATI DE RADINGIA, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 28. Suscipiuntur sub protectione &c. ut suprà, cum quibusdam aliis eleemosynis favore religionis concessis

IDdeo sumus, licèt immeriti, divina disponente clementia ad fastigium summi pontificatus assumpti ut pro universarum Ecclesiarum statu pastorali sollicitudine debeamus & cura satagere, ac

ipsis apostolicæ sedis patrocinium exhibere; ut tanto in eis Deus ampliùs veneretur quanto magis fuerint à malignorum infestatione quietæ. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sanctæ Mariæ de Radingia Cluniacensis ordinis, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestríque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Radingiam, Chelseiam, & Leominístiam, cum Ecclesiis, Capellis, cimiteriis, decimis, & oblationibus, cum silvis, agris, pasturis, pratis, aquis, molendinis, piscariis, & omnibus aliis appenditiis & pertinentiis suis. Tacheam cum omnibus pertinentiis suis, & Ecclesiam de Weregrava. Witellhie cum omnibus pertinentiis suis. Wiccheburiam cum omnibus pertinentiis suis. Bleiburiam cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam habetis in Henreda, cum omnibus pertinentiis suis. Estonam, cum Ecclesia ejusdem villæ ac omnibus aliis pertinentiis suis. Rockenton. cum Ecclesia ejusdem villæ ac omnibus aliis pertinentiis suis. Ecclesias de Stanton. de Haneborhe, & de Inglesfelt, cum pertinentiis earum. Dudelesfande cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam habetis in Hectun. cum omnibus pertinentiis suis. Terras quoque quas habetis in Lingeborche, & in Stretfelda, quæ fuit Hugonis de Mortuomari, & in Sebrichteswrde, cum omnibus pertinentiis earum. Terras & redditus quos habetis in Londoniis & in Berchamstede, cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam adepti estis infra tenimentum de Hou, nomine dotis Ecclesiæ vestræ, cum omnibus pertinentiis suis. Prioratum de Mai cum omnibus pertinentiis suis; & Lindegros in Scotia, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis; nullus à vobis decimas præsumat exigere vel quomodolibet extorquere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne ullus in vos vel monasterium vestrum excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa promulgare seu novis & indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum seu Clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano Episcopo, siquidem catholicus fuerit & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, gratis & absque ulla pravitate vobis præcipimus exhiberi. Ad hæc, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra parrochias Ecclesiarum vestrarum Ecclesiam vel oratorium sine assensu diocesani Episcopi & Capituli de Radingia de novo ædificare præsumat. salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Paci quoque ac tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, necnon & libertates & immunitates & exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus, & aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate ac diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona,

hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reámque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei &c. *usque* ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus &c. *usque in finem.* Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, X. Kal. Aprilis, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

quam habent um Ecclesia Ravennat. conceduntur.

NOBILI VIRO M. DE ROMANIA.

Epist. 29. Diffinitur super restitutione juris patronatus Ecclesiæ sancti Angeli de Casaperota.

EXaminata causa quæ vertitur inter te ac Milites Camponiscos super Ecclesia sancti Angeli de Casaperota, auditis confessionibus & attestationibus intellectis, inspectis etiam instrumentis, & allegationibus indagatis, perpendimus evidenter arbitrium quod T. Vicedominus Sabinensis dicebatur super eodem negotio promulgasse, contra formam juris & compromissi fuisse dictatum. Vnde non obstante confirmatione felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui confirmaverat illud sicut providè latum fuerat & ab utraque parte receptum, decrevimus ipsum irritum & inane. Actionem autem quam super jure patronatus ejusdem Ecclesiæ contra præfatos Milites intendebas incongruentem cognovimus & ineptam: quia cùm testes induxeris ad probandum quòd quando præfatus Vicedominus eandem Ecclesiam quasi sequester accepit, tu ipsam Ecclesiam possidebas, profectò nec rei vendicationem intendere nec ipsius restitutionem poteras postulare. Vnde intentionem tuam in hac parte pronuntiavimus non tenere, absolventes prænominatos Milites ab eadem. Ita tamen quòd si congruentem & aptam intendere volueris actionem, respondere tibi nihilominus teneantur. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis, anno decimo.

POTESTATI ET POPVLO Faventinensi.

Epist. 30. Induciæ super quæstione

CVm nuper ex parte vestra dilecti filij M. & Ar. ad sedem apostolicam accessissent pro causa quæ vertitur inter vos & Ecclesiam Ravennatensem, procurator tandem constitutus à Syndico vestro, qui domi remansit, contra dicta testium partis adversæ falsi querelam objecit. Sed cùm interrogatus fuisset à nobis utrum juramento vellet asserere quòd eam non opponeret per calumniam propter negotium protrahendum, sed crederet ipsam per legitimos posse testes probari, aut saltem quòd Syndicus qui præstiterat juramentum calumniæ injunxerit illi ut hanc opponeret quæstionem, neutrum se juraturum respondit. Vnde licèt pro eo quòd post peremptorium edictum non apparuit coram nobis sufficiens responsalis, secundùm rigorem juris potuissemus aliud statuisse, ad instantiam tamen nuntiorum vestrorum, qui super hoc nobis humiliter supplicarunt, inducias usque ad primum Pascha vobis duximus concedendas, ut interim vel ipsum Syndicum vel alium responsalem idoneum ad nostram præsentiam transmittatis, qui exceptionem prædictam aut quamlibet aliam competentem legitimè possit obicere, ne ulteriùs ipsum negotium differatur. Alioquin ex tunc & in expensas quas propter hoc expectando fecerit pars adversa vos exigente justitia decrevimus condemnandos, & in ipso negotio quantum de jure poterimus procedemus.

.. EPISCOPO ET H. ABBATI de Aberbruhot, Th. Priori, Radulpho Archidiacono, & Magistro Laurentio Officiali sancti Andreæ.

Epist. 31. Committitur ut quæstiones certas super quibusdam decimis valeant terminare.

CVm dilecti filij Abbas & Canonici de Kambuskinel dilectos filios.. Abbatem & monachos de Dunfermelin diocesis sancti Andreæ coram venerabili fratre nostro.. Dublinensi Episcopo & dilectis filiis.. de Cupro &.. de Soona Abbatibus ejusdem diocesis super quibusdam decimis ad Ecclesiam suam de Egles spectantibus & damnis & injuriis irrogatis auctoritate litterarum nostrarum traxissent in causam, & ipsi eosdem Abbatem & Canonicos ex delegatione nostra coram dilectis filiis.. Priore sanctæ Crucis &.. Decano de Tiningham prædictæ diocesis ac te, fili Officialis, super Capella de Dunipast & decimis ad eandem spectantibus convenissent, utraque pars in vos post allegationes & altercationes multiplices compromisit, ut vos in negotiis ipsis secundùm juris ordinem procedentes, controversias ipsas tam su-

per possessione quàm proprietate, appellatione postposita, judicio vel concordia finiretis; præstito corporaliter juramento firmantes quòd quicquid super iis duo vestrum tecum, frater Episcope, si non possetis omnes pariter concordare, ducerent statuendum, ratum haberent & firmiter observarent, nec processum arbitrij dolo vel malitia impedirent. Vos igitur auditis hinc inde propositis, receptis testibus, & publicatis depositionibus eorundem, quia super quatuor articulis dubitastis, causam instructam ad nostram præsentiam transmisistis, super quatuor illis dubitabilibus apostolicæ sedis oraculum implorantes. Ex eo siquidem coram vobis prima quæstio est exorta, quòd cùm Canonici monachos super prædictis decimis convenissent, monachi super quibusdam aliis decimis reconvenire volebant eosdem, licèt de eis in vos non fuerit compromissum. Asserebat enim pars monachorum quòd secundùm legitimas sanctiones is qui coram aliquo convenitur, coram eodem reconvenire valet eundem. Vnde utrum coram arbitris reconventioni sit locus postulastis per sedem apostolicam explicari. Secunda verò ex eo dubitatio est exorta, quòd cùm Canonici supradicti post publicationem attestationum ad suam intentionem fundandam exhibere vellent quædam pro ipsis facientia instrumenta, pars monachorum asseruit quòd post publicationem attestationum, sicut nec testes produci, sic exhiberi non poterant instrumenta. Vnde quæsivistis sollicitè utrum post publicationem attestationum instrumenta valeant exhiberi. Ex eo autem scrupulus tertiæ dubitationis emersit, quòd monachi supradicti excipientes contra Canonicos supradictos asseruerunt controversiam super præfatis decimis tempore inclitæ recordationis Regis David fuisse per concordiam terminatam, super compositione inita instrumentum in medium producentes præfati Regis sigillo munitum. Super quo nostrum postulastis responsum, utrum instrumentum illud, testibus sublatis de medio, per se sufficere valeat ad probandum propositum, cùm hinc inde fuerit allegatum. Super eo autem quarta dubitatio est suborta, quòd cùm coram vobis de possessione ac proprietate sit actum, pars una proposuit quòd utraque quæstio una debebat pronuntiatione sopiri, parte altera proponente super possessione primò debere arbitrium promulgari, & restitutione facta quæstionem debere postmodum proprietatis decidi. Vnde cùm hinc inde fuerit multipliciter allegatum, postulastis per sedem apostolicam edoceri utrum possessorij ac petitorij quæstio una vel duabus debeat sententiis terminari; & si duabus, utrum sententia demandari executioni priùs debeat super possessorio promulgata quàm super petitorio proferatur. Nos igitur discretioni vestræ super primo articulo taliter respondemus, quòd licèt in judicio convenientem reconvenire valeat is qui coram aliquo convenitur, coram arbitris tamen reconvenire non potest, cùm arbitri judicare non valeant nisi de iis tantùm super quibus in eos extitit compromissum. Ad secundam autem quæstionem taliter duximus respondendum, quòd utralibet pars instrumenta potest etiam post publicationem attestationum usque ad diffinitivæ sententiæ calculum exhibere antequam fuerit in causa concluſum. Super tertio verò capitulo taliter respondemus, quòd inquiratis diligentiùs veritatem. Et si consuetudo illius patriæ obtinet approbata ut instrumentis illius Regis fides adhibeatur in talibus, vos securè poteritis præfatum admittere instrumentum; præsertim cùm sæpedictus Rex tantæ fuerit honestatis quòd ipsius instrumenta maximæ auctoritatis sint in partibus Scoticanis. Ad quartum autem breviter respondemus, quòd cùm super possessorio & petitorio simul est actum, utrumque una debet sententia terminari. Sed licèt in pronuntiatione sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas prævalere. Quamvis autem vos causam instructam ad nostram præsentiam duxeritis destinandam; quia tamen multa hinc inde per Advocatos fuere proposita coram nobis de quibus coram vobis non videbatur actum fuisse, pro eo quòd illa esse notoria in illis partibus asserantur, vos ea plenius indagantes, causam ipsam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo fine debito decidatis, ita quòd negotium ipsum ultra duos menses nullatenus prorogetis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum duobus vel tribus reliquis ea nihilominus exequaris. Datum Laterani XIII. Kal. Aprilis, anno decimo.

Cap. Cùm dilecti. *De arbitris.*

Cap. Cùm dilectus. *De fide instrum.*

Cap Cùm dilecti. *De causa possess. & præt.*

PRIORIBVS ET FRATRIBVS de Kirkehan, Giseburnensis, Bredlingam, de Novo-burgo, & aliis ejusdem ordinis in Eboracensi diocesi constitutis.

Epist 32. Committitur potestas reformandi & corrigendi Ecclesias sibi subjectas.

VErbum est sapientis quod legitur: *Omnia fac cum consilio, & post factum minimè pœnitebis.* Et illud: *Vbi multa consilia, ibi salus.* Dominus autem in evangelio de se ipso testatur, *Vbicumque*, inquiens, *duo vel tres fuerint in nomine meo, & ego in medio sum eorum.* Sicut post resurrectionem ostendit, dum discipulis de se in via loquentibus se tertium interponens interpretabatur in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Vnde cùm diei superexcrescente malitia multorum caritas refrigescat, expedit iis præsertim qui vitam professi sunt regularem, ut ad vitia resecanda & plantandas virtutes tanto consultiùs & cum majori gravitate procedant quanto ipse quoque mundi senescentis defectus & humanæ conditionis infirmitas huic proposito potiùs contradicit. Monemus igitur discretionem vestram & hortamur attentè, & per apostolica vobis scripta mandamus quatinus vos, filij Priores, omnes, si commodè fieri potest, vel pro majori parte, annis singulis conveniatis in unum, & de ordinis reformatione tractantes, corrigatis salubri consilio quæ in Ecclesiis vestris corrigenda videritis, & statuatis quæ secundùm Deum fuerint statuenda, non obstante appellatione in elusionem regularis interposita disciplinæ, ita ut cùm necesse fuerit, ad Ecclesiam in qua videbitur correctio facienda simul duo vel tres vestrum accedant, & correctionis officium laudabiliter exequantur, cùm de ordinis observantia non teneamini Priori alterius regularis Ecclesiæ respondere. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo.

..MONOPOLITANENSI,.. POLIGNIANENSI, & .. Conversanensi Episcopis.

Epist. 33. Vt electionem Benedicti Episcopi insulæ Kefaloniæ, si sit idoneus, & canonicè facta fuerit, valeant confirmare.

PEr suas nobis dilecti filij nobilis vir Maio Comes, clerus & populus insulæ Kefaloniæ litteras intimarunt quòd ejusdem insulæ sede pontificali vacante, dum de præficiendo sibi pastore Latino diligentem habuissent tractatum, omnes unanimi voluntate ac pari consensu Benedictum Presbyterum, quem de discretione ac honestate plurimùm commendarunt, in Episcopum elegerunt; nobis humiliter supplicantes ut cùm sedes metropolitana sit viduata pastore, ad quam, etiamsi non vacaret, non possent habere recursum, cùm adhuc eadem sedi apostolicæ sit inobediens & rebellis, electionem ipsam dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Presbyterum facientes vestro conspectui præsentari, de litteratura, vita, natalibus, & aliis quæ circa idoneitatem personæ ipsius inquirenda fuerint inquiratis diligentiùs veritatem; & si eundem idoneum inveneritis, electionem ipsam auctoritate sedis apostolicæ confirmantes, ipsum vice nostra in Episcopum consecretis, recipientes ab eo pro nobis & successoribus nostris fidelitatis & obedientiæ juramentum, quod feceritis nobis fideliter rescribentes. Datum Laterani X. Kal. Aprilis, anno decimo.

EPISCOPO,.. DECANO, ET.. Archidiacono Noviomensibus.

Epist. 34. Vt sententiam latam & confirmatam pro Guiburge paupere vidua habeant executioni demandare.

ACcedens ad præsentiam nostram Guiburgis pauper vidua nobis humiliter supplicavit ut diffinitivam sententiam quam pro ipsa super dotalitio suo & rebus aliis contra Abbatissam Montis Martyrum Parisiensis diocesis auctoritate nostra tulistis, apostolico dignaremur munimine roborare. Volentes igitur ejusdem viduæ simplicitati consulere, quæ jam sæpius propter hoc ad sedem apostolicam laboravit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus sententiam ipsam, sicut est justa, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, non obstante appellatione quacunque, si qua forsitan ex parte ipsius abbatissæ ad nostram apparuerit audientiam interjecta, cùm eam non fuerit prosecuta. Quia verò præfata mulier, tanquam simplex, & juris ignara, meritum causæ suæ nobis explicare nescivit, ne sicut alia vice adversa pars, calumniando simplicitatem ipsius, eam & nunc deprecum falsitate causetur, & sic labor multiplicetur ejusdem, volumus & mandamus ut si forsan rem esse aliter inveneritis quàm per simplicem relationem suam nos fecerit intelligere, inquiratis super iis diligentissimè veritatem quæ adversùs præfatam proposuerit Abbatissam, & habentes præ oculis solum Deum, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari;

vari, præceptum apostolicum taliter impleturi quòd pro defectu vestro non cogatur ad nos ulteriùs replicare querelam. Testes &c. Nullis litteris &c. Quòd si non omnes &c. tu, frater &c. Datum Laterani IX. Kal. April. anno decimo.

CLERO ET POPVLO VERISIEN.

Epist. 35. Vt obedientiam & reverentiam impendant Magistro Garino in Archiepiscopum Varisien. electo.

ET apostolicæ sedis auctoritas & Ecclesiæ Constantinopolitanæ necessitas nos induxit ut Magistrum Guarin. tunc Electum, nunc autem Archiepiscopum vestrum, ad nostram præsentiam accedentem ordinare in Diaconum & Presbyterum, & consecrare in Pontificem curaremus, Palleum, sibi videlicet pontificalis officij plenitudinem, concedendo. Sic enim Romanus Pontifex vocavit alios in partem sollicitudinis ut sibi retinuerit plenitudinem potestatis. Vnde canonica tradit auctoritas quòd undecunque venientes ad ipsum, tuitionem & consecrationem accipiant ab eodem: quoniam qui utitur jure suo, non intelligitur aliis injuriam irrogare. Idem verò, licèt à venerabili fratre nostro .. Patriarcha Constantinopolitano fuerit confirmatus, non tamen ab eo poterat consecrari, pro eo quòd Coëpiscopos non habeat unde opportuit ipsum .. Athenien. & .. Theban. Electos pro consecrationis munere obtinendo in Syriam destinare. Ipsum igitur iis ex causis ordinatum, consecratum, & palleatum à nobis cum gratiæ nostræ favore remittimus, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus ei reverentiam & obedientiam impendatis tam debitam quàm devotam. Dat. Laterani III. Kal. April. anno decimo.

In eundem modum Patriarchæ Constantinopolitano. Datum ut in alia.

In eundem modum carissimo in Christo filio Henrico Imperatori Constantinopolitano Illustri. Datum ut in alia.

G. VERISIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 36. Decernitur excommunicationis & suspensionis sententias latas sine rationabili causa non teneri & sententiam quę post appellationem contigerit jaculari non esse servandam tanquam irritum.

CVm per manus nostras ordinatus fueris in Diaconum & Presbyterum, & in Episcopum consecratus, ut tam nostro quàm tuo deferamus honori, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te sine manifesta & rationabili causa suspensionis vel excommunicationis sententiam promulgare præsumat, semperque ammonitio canonica præmittatur, nisi fortè talis esset excessus qui ordinem judiciarium exigeret non servandum. Si verò te præsenseris aggravari, liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare, ut imminens tibi gravamen evites. Et si post appellationem hujusmodi quisquam in te suspensionis vel excommunicationis sententiam præsumpserit jaculari, nos eam decernimus non servandam, tanquam irritam & inanem. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis, concessionis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in aliis.

EIDEM.

Epist. 37. Indulgetur ut beneficia, quæ in ipsa civitate antequam esset promotus obtinebat, possit retinere.

CVm Constantinopolitanum Imperium nondum sit adeo solidatum quin adhuc ex magna parte fluctuet status ejus, indemnitati tuæ paterna volumus in posterum sollicitudine præcavere, ut quicquid ex futuris eventibus extra civitatem Constantinopolitanam contingat, infra ipsam speciale refugium habeas, ad quod exigente necessitate recurras. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis postulationibus grato concurrentes assensu, concedimus ut beneficia, quæ in prænominata civitate, antequam ad onus pastoralis officij fuisses assumptus, canonicè fueras assecutus, cum omnimoda integritate retineas, donec nobis & successoribus nostris visum fuerit expedire. Datum ut suprà.

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS Crucesignatis in Romaniæ partibus constitutis.

Epist. 38. Suadetur ut contra paganos perfidos terribiles & fortes in creatoris nostri obsequio assistant.

CVm ad apostolicæ commonitionis apices, relictis patriis laribus, & bonis propriis pro reverentia divini nominis vilipensis, ad partes orientales vos duxeritis transferendos, ut recuperationi terræ sanctæ fortiùs insistatis, ineffica ad hoc virtus existit humana, nec quicquam per se potest efficere, nisi desuper id sibi fuerit attributum. propter quod ad auctorem rerum omnium in humilitatis spiritu & in anima contrita totis est vobis affectibus recurrendum, ipsum submissis precibus implorantes, ut iter vestrum ad finem dirigat exoptatum, & per præsentem laborem fructus vobis præparetur æternus. Quia verò de vobis paterno affectu curam gerimus diligentem, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatinus cùm in voluntate divina cuncta sint posita, stabiles & fortes in creatoris vestri obsequio persistatis, totam spem vestram proicien-

tes in ipsum : quoniam ipse, vobis in ejus timore manentibus, vias inimicorum crucis Christi sua virtute in tenebras convertet & lubricum, & præter æternam gloriam omnia vobis ad præsens adversantia in prospera commutabit. Est enim Crucesignatorum copiosa multitudo, sicut firmiter speramus, in auxilium vestrum citò ventura, cum quibus ad paganorum perfidiam à Christianorum finibus exufflandam efficaciter cum Dei auxilio poteritis laborare. Datum ut suprà.

A. ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 59. Refcribitur persuadendo quòd pro malo non habeat si electio facta Præpositi Pabenburgensis in Archiepiscopum Colocen. germani conjugis tuæ, qui in ætate & aliàs illiteratus existebat, confirmari non possit.

SIcut regali prudentiæ per alias nos meminimus litteras intimasse, illa te caritatis prærogativa diligimus ut nihil tibi negare velimus quod essemus aliquando cuiquam Principum concessuri, cùm ad honorem & profectum tuum, quantum cum Deo possumus, efficaciter aspiremus. Licèt autem affectuosas nobis preces porrexeris pro dilecto filio .. Pabenburgensi Præposito germano .. conjugis tuæ in Archiepiscopum Colocensem electo, ut ei, quem in archiepiscopali officio tibi & regno tuo utilem fore ac necessarium confidebas, beneficium confirmationis conferre, ac donum Palle transmittere dignaremur; quia tamen Apostolus docet ut manus citò nemini imponamus, videlicet antequàm de ipso per examinationem canonicam habeamus certitudinem pleniorem, & nos de ipsius Præpositi ætate ac litteratura eramus incerti, venerabili fratri nostro.. Archiepiscopo & dilecto filio .. Præposito Salceburgensi dedimus in mandatis ut super iis diligenter inquirerent, & quod invenirent nobis fideliter intimarent, serenitati tuæ litteris apostolicis intimantes quòd si litteratura non solùm eminens, sed saltim competens in eo foret inventa, & ætas non solùm perfecta, sed saltem perfectioni vicina, usque adeo tuæ desiderabamus satisfacere voluntati ut nisi tantus appareret in utraque defectus quòd non deberet aliquatenus tolerari, temperato rigore cum ipso curaremus ex gratia dispensare. alioquin non nostræ duritiæ, sed ipsius posset insufficientiæ imputari, si tua supplicatio circa ipsum optatum non sortiretur effectum. Præfatus autem Salceburgensis Archiepiscopus nuper apostolatui nostro per suas litteras intimavit quòd accedens ad fines Vngariæ, duobus suffraganeis Colocensis Ecclesiæ aliisque viris idoneis in sua præsentia constitutis, ad examinationem prædicti Præpositi juxta formam mandati nostri processit, asserens se reperisse illum textum expeditè legentem, & interpretantem ejusdem verba suo idiomate competenter, & aptè præterea de constructione grammatica respondentem, quendam verò Militem ipsius Præpositi pædagogum juramento corporaliter præstito affirmantem eum indubitanter esse viginti quinque annorum & ultra, & huic quidem ætati staturam sui corporis concordare. Nos ergo super iis habito cum fratribus nostris diligenti tractatu, perpendimus evidenter eum nec in jure canonico nec in divino eloquio vel tenuiter commendatum, & ætatem ipsius non solùm non esse perfectam, sed nec etiam perfectioni vicinam. Quæ duo, videlicet ætas legitima & litteratura sufficiens, adeo sunt Archiepiscopo necessaria, qui debet esse pater patrum & magistrorum magister, ut juxta statutum Lateranensis Concilij, si Clerici præsumpserint quemquam eligere, non solùm in Archiepiscopum sed etiam in Episcopum, qui patiatur in illis duobus aut alterutro eorum defectum, præter hoc quòd irrita est talis electio, ipsi ea vice sint eligendi potestate privati, & per triennium à beneficiorum perceptione suspensi. Vnde quod est irritum ipso jure nos non potuimus ratum habere, misericorditer agentes ob tui gratiam & favorem cum Capitulo Colocensi quòd ei pœnam in prælibato decreto statutam non duximus infligendam. Dolemus autem non modicùm quòd in hoc regiæ non potuimus satisfacere voluntati; ne si fortè declinaremus ad dexteram vel sinistram, esset in manu nostra pondus & pondus, mensura & mensura, quorum utrumque abominabile est apud Deum. Vnigenitus enim Dei filius Iesus Christus, qui ab ipsa conceptione Spiritum sine mensura recepit, usque ad tricesimum annum distulit prædicationis officium exercere, per hoc evidenter ostendens quod ante tricesimum annum nemo sibi debet prædicationis officium usurpare, quod maximè convenit sollicitudini pastorali. Ex eo verò quòd legitur quia Iesus erat incipiens quasi annorum triginta notatur quòd si eligendus in Præsulem sit illi ætati propinquus, dispensari potest cum illo, quando necessitas vel utilitas id exposcit, dummodo

ei vita & scientia suffragentur, ejus exemplo qui cœpit facere ac docere. Nam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Alioquin, si videlicet secùs fiat, non dispensatio sed dissipatio est censenda. Rogamus igitur celsitudinem regiam & monemus quatinus in eo quod juri necessitas fieri non permisit tua serenitas non turbetur, sed potiùs faciat præfatum Præpositum theologicis & canonicis instrui documentis; ut cùm tempore procedente profecerit in scientia litterali, nos ad honorem & profectum ipsius tecum pariter intendamus: quia nec tibi nec illi procul dubio expediret ut contra Deum onus assumeret pastorale; ne fortè unde putares proficere, inde magis deficere merereris, nósque tu viles meritò reputares, cùm intelligeres quòd propter Regem terrenum non timuissemus offendere Regem cœlestem, qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Datum Laterani Non. April. anno decimo.

..ABBATI ET CONVENTVI DE CAMbuschineo dioc. S. Andreæ.

Epist. 40. Decernitur quòd propter confirmationem privilegij fictum eis ad Abbatis & Conventus de Romfermelin petitionem non intendit jus novum conferre sed collatum conservare.

LIcèt in privilegio quod ad petitionem dil. fil.. Abbatis & Conventus de Domfermelin eis ad exemplum fel. me. Lucij Papæ prædecessoris nostri fecimus innovari quædam contineantur de quibus inter vos & ipsos quæstio noscitur emersisse, nolumus tamen quòd ex innovatione hujusmodi privilegij vobis in jure vestro ullum valeat præjudicium generari: quia non intendimus jus novum conferre, sed collatum servare, contra quod nondum potuit à tempore præfati prædecessoris nostri præscribi. Datum Laterani Non. April. anno decimo.

..ILLVSTRI REGI DANORVM.

Epist. 41. Regratiatur super liberatione Slevvicen. Episcopi; & advocata causa impositorum eidem suadetur ut permittat ipsum Episcopum per administratorem suum gaudere de fructibus ipsius episcopatus.

QValiter super facto karissimæ in Christo filiæ.. germanæ tuæ Reginæ Francorum karissimo in Christo filio nostro Ph. illustri Regi Francorum suo viro scribamus, nuntij tui fideliter tibi poterunt enarrare. Quòd autem venerabilem fratrem nostrum.. Slewicen. Episcopum pro sedis apostolicæ reverentia liberasti, tuam regalem magnificentiam sinceris prosequimur actionibus gratiarum. Quamvis igitur idem Episcopus in nostra præsentia constitutus super iis quæ objecta fuerunt contra ipsum multipliciter se ostendere nisus fuerit inculpabilem, nuntij verò tui nisi sint eundem culpabilem multipliciter demonstrare, quia tamen in cognitione illorum plenè procedere non potuimus, attendentes quòd & tuæ securitati à suspicione quæ incidit sit cavendum, & Slewicensem Ecclesiam omnino non deceat sine regimine pastorali manere, inter dexteram & sinistram via regia incedendo, taliter duximus providendum, ut prædictus Episcopus circa nos, donec res concordia vel justitia mediante pacificum finem capiat, commoretur, & interim per venerabilem fratrem nostrum.. Lunden. Archiepiscopum Ecclesiæ memoratæ provideatur in idoneo provisore, qui tam in spiritualibus quàm temporalibus providere procuret eandem, rationem de illius proventibus redditurus, de quibus pecunia quæ ad usum ipsius est Episcopi mutuata solvatur, & durante hujus necessitatis articulo competenter ei necessaria ministrentur. Quocirca serenitatem regiam monemus attentè & hortamur quatinus Ecclesiam ipsam per eundem Archiepiscopum, secundùm præmissam deliberationis apostolicæ providentiam, liberè disponi permittas, & præfato Episcopo de ipsius proventibus provideri. Ne verò causa diutiùs quàm expediat remaneat in suspenso, aliquos viros providos & fideles hinc ad primò venturum festum Natalis Domini ad sedem apostolicam studeas destinare, potestate sibi commissa ut per eos & cum eis, si desuper datum fuerit, vice tua super negotio ipso tractare concordiam efficaciter valeamus. Alioquin auditis & intellectis quæ per eos adversùs eundem Episcopum duxeris proponenda, & illis quæ ipse in sui defensione curaverit respondere, de vultu nostro procedat judicium æquitatis. Præterea nuntij memorati, viri utique providi & fideles, tuæ poterunt serenitati referre quæ à nobis super iis & aliis audierunt. Datum Laterani IV. Non. April. anno decimo.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 42. Vt I. conjugem suam maritali affectione tractare valeat suadetur.

DEbitum officij pastoralis, quo secundùm Apostolum sapientibus & insipientibus debitores existimus, nos hortatur ut ad ea quæ justa sunt & honesta tuam regalem magnificentiam opportunè importunè salutaribus monitis inducamus. Vnde licèt sæpe mansuetudinem tuam fuerimus exhortati ut karissimam in Christo filiam I. Reginam conjugem tuam plenè in tui gratiam revocares,

túque per Dei gratiam, etsi non ex toto, pro parte tamen monitiones apostolicas ascultaris, quia tamen nondum est ei plenè conjugalis gratia restituta, erga te cogimur super hoc sedulioribus instare studiis caritatis. Licèt enim apud homines, quos tua latent occulta, te satagas excusare super eo quòd eidem Reginæ affectum non exhibes conjugalem; quia tamen super hoc saltem nullatenus excusare te potes quòd ei non facis regalem honorificentiam exhiberi, serenitatem tuam rogamus attentè, & propensiùs exhortamur, per Iesum Christum, qui mediator est legitimi fœderis, obtestantes, quatinus cùm secundùm Apostolum conjugatos non deceat ad invicem defraudari, ne incidant in laqueum Satanæ, si fieri unquam potest, prædictam Reginam tractare procures gratia maritali, sanctum spiritum disciplinæ reveritus, qui cùm fictum effugiat, metuendum est tibi ne, quod absit, à cogitationibus tuis se auferat, si sine hujusmodi intellectu consistant. Si verò Deum, qui non irridetur, conscientiæ testem habeas quòd eandem non possis hujusmodi gratia pertractare, regali saltem verecundia perfundaris ut mulierem illustrem, Regum neptem, Regis germanam, Regis conjugem, Regis natam, in opprobrium tanti generis & dispendium famæ tuæ quasi captivatam amodo non sustineas despicabiliter detineri, sed potiùs ei facias honorificentiam impendi regalem; ne si diutiùs ei manifesta subtraxeris, occultis eam defraudare proberis, & intima per exteriora propalans, non solummodo Deum habeas tui judicem, sed & mundum; quorum alterum etsi demum possis pœnitendo placare, alterius tamen murmur, si super hoc perstrepere contra te cæperit, vix poteris cohibere. Licèt enim extiteris victoriosus in multis, nunquam tamen ita bene viciſti quàm si vincas te ipsum, ut non à vitio sed à virtute vincaris: Salomone magnifico Rege testante quòd melior est sapiens viro forti, & qui dominatur animo expugnatore urbium. Scribimus autem dil. fil... Abbati de Sarnai, viro, sicut credimus, provido & honesto, ut tuæ regali prudentiæ litteras nostras exhibeat & exponat; ne fortè nunc etiam, sicut olim, tibi per alium minùs fideliter exponantur. Datum ut in alia.

HELIEN. ET .. CICESTREN. Episcopis.

Epist. 43. Vt persuadere habeant justitiarios regni Angliæ etiam per cen. ec. ne vota emissa peregrinantium Crucesignatorum impediantur.

Dilectus filius nobilis vir G. filius Petri Iustitiarius Angliæ nostris dudum auribus intimavit quòd propter guerram quæ inter karissimos in Christo filios nostros Ph. Francorum & I. Anglorum Reges illustres periculosè tunc temporis vertebatur, idem Rex Angliæ ac magnates ejus ipsum exire de Anglia minimè permittebant, cùm esset plurimùm in tanta turbatione necessarius toti regno, & præfatus Rex Franciæ ac Barones ipsius non patiebantur eum per suas terras undecunque transire; sicque peregrinationis votum, quod olim Crucesignatus emiserat, tunc adimplere non poterat, iis occasionibus impeditus. Adjecit insuper quòd parvulos habebat heredes potentissimos inimicos habentes, qui eosdem exheredare modis quibus poterant nitebantur: qui cùm jam occupassent magnam partem hereditatis eorum, etiam residuum in patris eorum absentia facilè poterant obtinere. Præterea monasterium monialium ordinis de Sempingham in filiorum ipsorum hereditate se asseruit construxisse: quod secundùm legem Anglicanæ provinciæ stare non poterat, si filij ejus essent eadem hereditate privati. Promisit insuper idem Miles construere xenodochium ad suscipiendum pauperes transeuntes in loco plurimùm opportuno. Vnde misericorditer sibi petiit indulgeri ut propter has causas de licentia nostra posset executionem voti differre, promittens quòd interim sexaginta marcas legalium Sterlingorum annuatim transmitteret in subsidium terræ sanctæ. Pro eodem quoque nobili, quem propter expertam ipsius prudentiam & virtutem esse perneceſſarium noveratis in hujusmodi tempestatis articulo toti regno, præfatus Rex Angliæ, ac bo. me... Cantuarien. Archiepiscopus, & tu frater Helien. supplicastis instanter, necessitates tam Regis & regni quàm etiam filiorum per vestras nobis litteras exponentes. Vnde venerabili fratri nostro.. Episcopo, & dil. fil.. Decano Lincolnien. dedimus in mandatis ut si veritate quæ præmisimus niterentur, auctoritate nostra nobili memorato concederent ut per tres annos de nostra licentia remaneret ad Regis obsequium & præsidium filiorum; nisi nos interim, pensatis rerum & temporum circumstantiis, duceremus cir-

ca ipsum aliter statuendum; ita videlicet quòd ipse fideliter exequi procuraret quod de xenodochio ad opus pauperum construendo & pecunia in terræ sanctæ subsidium transmittenda promisit. Verùm, sicut nobis innotuit, idem Iustitiarius prædictis litteris hactenus non est usus, nec pecuniam repromissam in terræ sanctæ subsidium exolvere studuit annuatim; & cùm guerrarum instantia, quæ inter dictos Reges excreverat, Domino sit disponente pacata, Regi vel regno non est idem Iustitiarius utilis sicut priùs. Cùm igitur præter causas jam dictas plures aliæ cessasse dicantur quæ nos videntur ad concedendum præscriptam indulgentiam induxisse, sitque insuper consentaneum rationi ut cessante causa cessare debeat pariter quod urgebat, præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus si est ita, sæpedictum Iustitiarium monere ac efficaciter inducere studeatis, ipsum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, quatinus votum quod emisisse dinoscitur exequi non postponat. Quòd si non ambo, alter vestrum &c. Datum Laterani VIII. Id. April. anno decimo.

.. ARCHIEPISCOPO .. SVBDECANO B. Martini & Magistro Socrati Canonico Turonen.

Epist. 44. Committitur causa matrimonialis I. de Alcia & M. uxoris suæ terminanda.

EX litteris venerabilis fratris nostri .. Episcopi Trecoren. intelleximus evidenter quòd cùm causam matrimonij, quæ inter nobilem virum I. de Alcia & M. uxorem suam Andegaven. diocesis vertebatur, ipsi & dilectis filiis .. Cantori & .. Archidiacono Trecoren. commisissemus fine canonico terminandam, idem, utpote remoti, penitùs ignorantes ipsam bo. me. B. prædecessori tuo, frater Archiepiscope, vobisque, filij Subdecane ac Magister W. Socrates, à nobis fuisse primitus delegatam, à præfato nobili, qui aspirabat ad divortium, circumventi, usque ad receptionem testium in negotio processerunt. Verùm dictus nobilis diffinitivam sententiam non expectans, quibusdam falsis usus, sicut dicitur, instrumentis, aliam superduxit. Asseruit insuper Episcopus memoratus mulierem eandem sub potestate prædicti nobilis fuisse detentam, & coram ipso & conjudicibus suis indefensam penitùs extitisse. Requisita tamen ab eisdem in jure utrum contradiceret, nec ne, receptioni & examinationi testium productorum assensum præbuit, sed ignorat quo ducta spiritu id fecisset. Veruntamen secretò postmodum, quia publicè non audebat, revelabit eisdem quòd à viro suo ut captiva detenta, minis & verberibus ab ipso compulsa, præstito juramento firmavit quòd iis quæ contra ipsam proponerentur super matrimonio dissolvendo nullatenus contradicere attentaret. quare supersederunt negotio memorato. Cùm igitur fraus & dolus nulli debeant patrocinium impertiri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si præmissis veritas suffragatur, vos, prædictis litteris nequaquam obstantibus, in causa eadem juxta priorum continentiam litterarum occasione qualibet & excusatione cessantibus, sublato appellationis obstaculo, ratione prævia procedatis, reducentes in statum debitum quicquid occasione litterarum illarum in ejusdem mulieris præjudicium noveritis attentatum. Datum ut in alia.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

Epist. 45. Super declaratione obedientiæ & exemptione parrochialium Ecclesiarum, ac super sepulturis & nonnullis aliis ad ipsum Episcopum pertinentibus.

APostolicæ sedis oraculo tua petiit fraternitas edoceri si monasterij Abbas exempti parrochialium Ecclesiarum obtentu ad idem monasterium pertinentium, quæ ab episcopali jurisdictione minimè sint exemptæ, diocesano Episcopo canonicam præstare obedientiam teneatur. Ad quod tibi duximus respondendum, quòd cùm juxta canonicas sanctiones in religiosorum Ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, institui debeant sacerdotes, qui Episcopis de plebis cura respondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, non utique ab Abbate, sed ab hujusmodi sacerdotibus, Episcopo convenit pro talibus Ecclesiis obedientiam exhiberi. Quæsivisti præterea utrum viris religiosis, quibus parrochiales Ecclesiæ in usus proprios sunt collatæ, decedentibus personis earum liceat auctoritate propria possessionem earundem Ecclesiarum intrare, an per diocesanum Episcopum in ipsam sint potiùs inducendi. Ad quod utique respondemus quòd nisi eis specialiter sit concessum ut cùm vacaverint, per se ipsos ingrediantur eadem, profectò in possessionem ipsarum, suo Episcopo inconsulto, non est eis licitum introire. Quia verò nonnulli viri religiosi Ecclesias parrochiales tenentes, Episcopo parrochiam visitanti procurationem denegant exhibere, in defensionem sui præscrip-

Vide Addit. ad cap. 31. lib. 6. de concordia sacerdotij & imperij.

tionem tantummodo allegantes, fraternitatem tuam nolumus ignorare quòd cùm in talibus præscriptio sibi locum vendicare non possit, sicut à nobis alibi rationabiliter est ostensum, per eam se nequeunt ab ipsius præstatione tueri. Cæterùm cùm plerunque contingat quòd Episcopi successivè locis religiosis de redditibus qui pertinent ad eosdem, ultra quinquagesimam conferant portionem, ita quòd interdum usque ad tertiam partem vel quartam, interdum verò plus minùsve hujusmodi redditus minuuntur, tua fraternitas nos consuluit utrum successoribus eorundem ea quæ taliter fuerint ultra quinquagesimam portionem concessa, liceat aliquatenus revocare. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd licèt sit in canone diffinitum ut si quis Episcoporum in parrochia sua monasterium constituere fortè voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ cui præsidet ipse ditare, non ampliùs ibidem quàm quinquagesimam, Ecclesiæ verò quam monasticis regulis informare vel pro suis magnificare voluerit sepulturis, non ampliùs quàm centesimam partem census Ecclesiæ cui præest debeat elargiri. Quia tamen in eodem canone consequenter adjungitur ut hæc temperamenti æquitas observetur quòd cui tribuit, competens subsidium conferat, & cui tollit damna gravia non infligat; ea quidem cautela servata, ut unam tantummodo, quæ placuerit, ex iis duabus remunerationem assumat, hoc semper est observandum quòd Episcopus unus vel alius non solùm non debet ampliùs, sed nec tantùm nec minùs cum gravi Ecclesiæ suæ detrimento conferre, sive simul & semel id facere velit, sive pluries successivè eidem vel diversis Ecclesiis conferendo. Vnde quod in grave detrimentum sive de possessionibus sive de proventibus vel ad episcopalem mensam vel cathedralem Ecclesiam pertinentibus in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitimè revocari, nisi præscriptione vel alia exceptione legitima hujusmodi actio excludatur. Nam etsi prima facie præsumatur quòd collatio quinquagesimæ vel centesimæ partis grave non inferat detrimentum; quia tamensi non solùm si sæpe, sed etiam si semel id fiat, ex variis circumstantiis deprehendi potest interdum esse valde damnosum, quod quidem magis potest ex ostensione ipsius facti quàm expressione alicujus statuti cognosci, nec quinquagesima nec centesima semel aut successivè debet cum gravi damno conferri. Si verò in tantum abundet Episcopus ut sine damno Ecclesiæ suæ possit ampliùs etiam quàm in quinquagesimam vel centesimam partem necessitati alterius Ecclesiæ subvenire, quamvis per se non debeat excedere summam à canone præfinitam, per quem incautè largiri volentibus est occursum, de superioris tamen auctoritate potest etiam in majori summa ex ejus copia inopiæ alterius provideri. Datum Laterani VIII. Id. Aprilis, anno decimo.

Cap. Cùm non liceat. *De præscript.*
Cap. Cùm plerunque. *De donationib.*

..MARCHIONI DE MALASPINA.

Epist. 46. Inhibetur ne occasione pedagij ante statutum Lateranen. Concilij in terra sua aliquid recipere præsumat nisi quod antea recipiebat.

AVctoritate præsentium prohibemus ne quis occasione pedagij quod ante statutum Lateranensis Concilij super hoc editum in terra tua recipi consueverat, te præsumat per censuram ecclesiasticam molestare, nisi forsan antiquo & approbato pedagio abutaris. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IV. Idus Aprilis, anno decimo.

..RAVENNAT. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 47. Conceditur ut Palleum recipere possit & uti eodem.

LIcèt ab antiquo provida fuerit deliberatione statutum ut electus in Ecclesiæ Ravennatis antistitem consecrationis munus, vel si consecrandus non fuerit, Palleum ad Romanam accedat Ecclesiam susceperus, necessitatis tamen ejusdem Ecclesiæ túæque devotionis obtentu statutum hujusmodi temperando taliter duximus providendum, ut Palleum de corpore B. Petri sumptum, plenitudo scilicet pontificalis officij, secundùm formam quam sub Bulla nostra destinamus expressam, per dilectum filium R. Subdiaconum nostrum tuæ fraternitati tradatur; ita quòd quàm citò se facultas obtulerit, infra annum apostolico te conspectui repræsentes, professionem quam nunc juramento præstiteris ore tunc ibi proprio editurus. Monemus ergo fraternitatem tuam & exhortamur attentè, per apostolica scripta mandantes, quatinus specialem gratiam tibi factam, quam utique ad consequentiam trahi nolumus, recognoscens, in vocatione qua vocavit te Dominus, commissæ tibi Ecclesiæ te talem studeas exhibere quòd quæ læsa videtur non leviter in utrisque, tua provisione se gaudeat in temporalibus & spiritualibus reparari. Datum La-

terani XVI. Kal. Maij, anno decimo.

PRIORI ET FRATRIBVS Grandimontensibus.

Epist. 48. Vt preces effundat valeant pro anima M. Turonen. Archiepiscopi, ut ipsorum, quas pro suis excessibus forsan meruit, valeat liberari.

ETsi fraternæ caritatis, quæ nunquam excidit, sincerus affectus sit ad proximos extendendus, dum fuerint in præsentis peregrinationis exilio constituti, ex ejusdem tamen dilectionis fonte tunc est eis uberioribus beneficiis succurrendum cùm à corporis vinculis absoluti nec tempus nec locum habent ut per se valeant ulteriùs operari. Propter quod à sanctis patribus quædam sunt præscripta remedia quibus defunctorum angustiis consulatur, eleemosynæ videlicet & jejunia, oblationes ac preces, quæ illis præcipuè prodesse noscuntur qui, dum viverent, meruerunt ut hæc sibi possent prodesse post mortem. Multis quippe divinæ scripturæ testimoniis comprobatur quòd meritis & precibus aliorum salutem mentis & corporis aliqui consequuntur, quorum, inquit, fidem ut vidit, ait Dominus paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & consequenter adjecit: *Tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* Socrus quoque Simonis, quæ magnis febribus tenebatur, ad preces eorum qui manentes in domo rogaverunt pro ipsa meruit liberari. Maria etiam & Martha vitam Lazaro lacrymosis precibus impetrarunt. Et ad lacrymas viduæ turba comite supplicantis, ejus filium Dominus suscitavit. Ad hujusmodi verò exhibenda suffragia quamvis fidelis quilibet teneatur juxta illud quod in Ecclesiastico legitur, *Mortuo non prohibeas gratiam, omnes siquidem moriemur*, illi tamen ad hoc specialiter astringuntur qui à curis secularibus expediti, tam sua quàm aliorum possunt commodiùs peccata deflere. Illis quoque convenit per hæc pietatis officia pleniùs subveniri qui suæ liberationis fiduciam in iis qui adhuc vivunt in corpore posuerunt. Sanè bo. me. B. Turonensis Archiepiscopus, dum appropinquaret ad portas mortis, & esset in ultimo vitæ suæ termino constitutus, quasdam litteras fecit scribi, quæ sub sigillo suo fuere nobis à dil. fil. Magistro P. de Vico post ejus obitum præsentatæ; in quibus nobis humiliter supplicabat ut vos nostris litteris moneremus quatinus pro ipso ad Dominum orationes & preces vestras effundere curaretis. Nos igitur in hoc pium ejus devotionis desiderium commendantes, qui apud districtum judicem Ecclesiæ petiit suffragiis adjuvari, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino quatinus pro jam dicto defuncto effundatis coram Domino corda vestra, & pro ipsius anima devotissimè supplicetis altissimo, ut à pœnis quas pro suis forsan excessibus meruit, vestris intercessionibus liberetur, spem firmam habentes ut qui ex fideli devotione supplicationum vestrarum patrocinium imploravit, vestris precibus & beneficium percipiet & juvamen. Datum Laterani V. Id. April. anno decimo.

EPISCOPIS, ABBATIBVS, PRIORIBVS, & universis Clericis per Achaiam constitutis.

Epist. 49. Vt Archiepiscopo Patracen. ad exolvenda sua debita caritativis studeant auxiliis subvenire.

ETsi quilibet in necessitatis articulo proximo subvenire, illius tamen necessitates eum convenit liberaliùs relevare ad cujus reverentiam ex subjectionis debito noscitur obligatus. Cùm igitur venerabilis frater noster .. Patracen. Archiepiscopus semel & iterum pro suis & Ecclesiæ suæ negotiis ad sedem apostolicam veniendo, præter labores multiplices, jacturas graves sustinuerit & expensas, nec ad exolvenda sua debita in præsenti ejusdem sufficiant facultates, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eidem Archiepiscopo caritativis studeatis auxiliis subvenire, ut vestræ liberalitatis subsidiis à suorum debitorum obligationibus expeditus, vestris commodis expeditiùs valeat insudare. Datum Laterani IV. Kal. Maij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Epist. 50. Vt Clericis suæ provinciæ proventus ecclesiasticos percipere non permittat si in illis personaliter deservire contempserint, nisi sibi constiterit eos canonicè fuisse promotos, & beneficiatos in eorum Ecclesiis residere compellat.

AD nostram noveris audientiam perveniſſe quòd quidam Clerici in Ecclesiis tuæ provinciæ proventus ecclesiasticos percipere non verentur, cùm in eis residentiam facere negligant & personaliter deservire. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus quatinus Clericos memoratos, qui in Ecclesiis in quibus ordinati fuerint personaliter deservire contempserint, proventus ecclesiasticos percipere non permittas, cùm hoc tempore multa sit ibidem penuria Clericorum. Datum ut in alia.

EIDEM.

Epist. 51. Vt illis qui ad Achaiæ partes accedunt celebrare non permittat.

EX tuæ devotionis insinuatione recepimus quòd cùm Latini regionem Achaiæ occupassent, quidam Episcopi

Græci suffraganei tui, timore perterriti, de locis propriis fugientes, suas Ecclesias reliquerunt; quorum quidam, licèt sæpius moniti, ad sedes tamen suas redire contemnunt; nonnulli propter guerrarum discrimina per certos nequeunt nuntios commoneri. Vnde nobis humiliter supplicasti ut super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos & ipsorum dioceses procedere debeas, tibi scribere dignaremur. Nos igitur attendentes quòd propter novitatem mutationis illius terræ & novitatum eventus sit cum maturitate plurima procedendum, devotioni tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe, videlicet primò, secundò, & tertiò, citare procures; & si comparere noluerint, sed in sua voluerint contumacia perdurare, nisi fortè se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis & excommunicationis sententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd si nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius B. tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ab episcopatuum administratione removeat, & quibus præsunt Ecclesiis de personis idoneis faciat provideri, sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer, si expediat, faciliùs agi possit. In Ecclesiis autem eorum qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari. Et si nec sic curaverint obedire, seu etiam ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, ut juxta canonicas sanctiones eis debeant meritò spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Postulasti præterea per sedem apostolicam edoceri utrum Clericos illos qui ad partes Achaïæ sine commendatiis litteris veniunt permittere debeas celebrare. Super quo tibi taliter respondemus, quod nisi legitimè tibi constiterit, sive per litteras, sive per testes, de illorum ordinatione canonica qui penitùs sunt ignoti, non debes ipsos permittere tuis plebibus celebrare. Sed si forsan eorum aliqui secretò ex devotione celebrare voluerint, poteris sustinere. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, anno decimo.

EPISCOPO PATAVIENSI.

Epist. 51. Ad suggestionem Aquilen.

ET canonica tradit auctoritas & ratio suggerit naturalis, ut cùm necessitas exigit vel utilitas persuadet, & unus episcopatus dividatur in plures, & plures conjungantur in unum, ne cura pastoris desit alicui vel aliquid desit curæ pastoris. Legimus enim quòd cùm multi essent minores sacerdotes, quos Chananæos communiter appellabant, unus autem summus sacerdos, quem nominabant specialiter Arabartum, David Prophetarum eximius per Spiritum sanctum intelligens quòd unus non sufficeret universis, viginti quatuor summos sacerdotes instituit, sexdecim de Eleazar, & octo de Ythamar: quibus tamen omnibus unum præfecit, quem statuit principem sacerdotum. Singulis autem per sortem vicis suæ divisit hebdomadas; quarum octava provenit Abiæ, de cujus genere Zacharias pater Iohannis Baptistæ descendit. Dilectus itaque filius nobilis vir.. Dux Austriæ tam per litteras proprias quàm nuntium specialem nostris auribus intimavit quòd Pataviensis episcopatus parrochialibus adeo limitibus est diffusus quòd per unam quantumlibet exercitatam personam absque multorum animarum periculo pastorale circa singulas oves in ipso nequeat officium exerceri. Quod utique venerabilis frater noster .. Aquilegen. Patriarcha, dum Patavienſi Ecclesiæ præsideret providè circumspiciens, in votis dicitur habuisse fel. rec. C. Papæ prædecessori nostro cum instantia supplicare ut in provincia seu potiùs provinciis tam diffusis alium præter se antistitem ordinaret, quibus, ut expertus, agnoverat per unum immediatè pastorem spiritualia sacramenta non posse congruè ministrari. De quibus, inter ceteras partes episcopatus ejusdem, Austria maximum noscitur sustinere defectum: quæ profectò in tantum dicitur à sede cathedrali distare ut ad nonnullas Ecclesias inibi constitutas vix infra sex dies à cœna Domini perveniat novum chrisma. Consecrationes quoque altarium, confirmationis sacramentum, & ordinationes nihilominus Clericorum nonnunquam tempore multo, sæpe verò perpetuò differuntur, nisi per advenas fortassis Episcopos aliquotiens impendantur eisdem. Quódque gravius est, usque adeo, ut asseritur, ibi pestis invaluit hæreticæ pravitatis ut passim in caulas dominicarum ovium lupi rapaces irrumpant, dum per virgam pastoris, quæ quanto pluribus est intenta, tanto minùs specialiter super eis prævaler vigilare, truculenta rabies eorundem ab ipsis sedulitatis

censis Patriarchæ, dum ipsi Patavien. Ecclesiæ præsidebat, committitur, ut de loco insigni, ubi unam cathedralem Ecclesiam erigere possit in loco Viennensi.

tatis officio non arcetur. Vnde considerans dictus nobilis messem multam per operarios paucos non posse commodè procurari, & ideo rogandum dominum ejus esse ut mittat operarios in eandem, nobis humiliter supplicavit ut necessitate pariter & utilitate pensata, in provincia sua, quæ quantò est à tua sede remotior, tantò solatio noscitur alterius Præsulis ampliùs indigere, specialem ordinare pastorem super gregem dominicum dignaremur, locum congruentem designans in quo decenter constitui possit Ecclesia cathedralis, Wiennam videlicet civitatem, quæ post Coloniam una de melioribus Teutonici regni urbibus esse dicitur, amœna flumine, situ prædita, civibus populosa, in qua dudum episcopalis sedes noscitur extitisse, sed per incursum exteræ nationis, quæ tam illam quàm alias multas circumstantes provincias devastavit, primò Lauriacum & inde Pataviam est translata. Ne verò cum enormi tuo gravamine id petere vel appetere videatur per quod potiùs onus tuum allevandum intendit, tertiam partem Austriæ sive quartam constituendæ diocesis postulavit limitibus deputari, villis & castris cum possessionibus universis ac ceteris temporalibus, præter jus parochiale duntaxat, in eadem particula tibi & Patavien. Ecclesiæ reservatis. Ita profectò quòd idem Dux cum Wiennensi plebe de bonis suis episcopatum hujusmodi redditibus mille marcharum pro salute animæ suæ suorúmque parentum pia devotione dotabit, redditus nihilominus assignando de quibus tricenarius præbendarum in ea numerus statuatur, quarum cuilibet in extimatione viginti marcharum proventus annuus deputetur. Nos igitur attendentes quòd cùm oves spirituales non sint negligentiùs carnalibus gubernandæ, quandoquidem rector illarum custodum plurimorum ipsis adhibet diligentiam cùm eas ab uno viderit non posse pro multitudine custodiri, ad dominici gregis regimen, qui nimis est in tuo multiplicatus ovili, alium, si verum est quod asseritur, oporteat præter te deputari pastorem, qui & suas oves cognoscat, & à suis ovibus cognoscatur, ejus exemplo qui ait, *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*, licèt non solùm secundùm statuta canonica, verùm etiam nonnulla prædecessorum nostrorum exempla, postulationi præfati Ducis videatur meritò annuendum, tuæ tamen volentes fraternitati deferre, de superabundanti gratia rem ipsam tibi voluimus intimare, considerato quòd etsi non sit necessarium super hoc tuum obtinere consensum, illum tamen requirere sit honestum. Quocirca fraternitatem tuam monemus attentè & propensiùs exhortamur, per apostolica scripta mandantes, quatinus tam salutare propositum benivolo prosequendo favore, lucrúmque animæ temporali quæstui præponendo, quantum in te fuerit in hoc affectum adhibeas & effectum, quid de singulis ejus negotij circumstantiis sentias nobis quantocius rescripturus. Nos enim venerabili fratri nostro.. Salseburgensi Archiepiscopo dedimus in mandatis ut memoratum Ducem ad peragendum hujusmodi propositum pietatis propensiùs exhortetur, & inquisita super iis diligentiùs veritate, nobis eam sub opportuna celeritate rescribat, determinatè significans in qua & quanta parte provinciæ memoratæ futuri episcopatus locari cathedra & parrochia valeat congruentiùs assignari; ut sic demum certiores effecti, ad consummationem hujus negotij sicut inspiraverit Dominus procedamus. Datum Laterani XVIII. Kal. Maij, anno decimo.

.. *EPISCOPO.. PRÆPOSITO SANCTI Lucij, & .. Scolastico Curiensi.*

Epist. 51. Committitur ut H. pauperi Presbytero de Ecclesia de Rapis faciant pacifica possessione gaudere, prout de jure fuerit faciendum.

ACcedens olim ad præsentiam nostram dilectus filius H. pauper Presbyter humili nobis insinuatione monstravit quod cùm Vl. & Ha. Constantienses Canonici eum super Ecclesia de Rapis, ad quam fuerat legitimè præsentatus, contra justitiam molestarent, idem Presbyter ad Abbatem de Capella & conjudices ejus super hoc litteras apostolicas impetravit. coram quibus cùm multa fuissent hinc inde proposita, metu demum adversæ partis ad sententiæ calculum procedere noluerunt; sicut ipsi per suas nobis litteras intimarunt. Quare Presbyter ipse ad nostram audientiam appellavit, festum beatorum Philippi & Iacobi proximò tunc præteritum suæ terminum appellationi præfigens. Vnde nos vobis dedimus in mandatis utsi constaret memoratum Presbyterum nullum habentem ecclesiasticum beneficium ad præfatam Ecclesiam fuisse canonicè præsentatum, nonobstante institutione alterius, qui alia dicebatur ecclesiastica beneficia possidere, ipsum faceretis de illa sublato appellationis obstaculo investiri. Verùm, sicut tu, frater Episcope, per tuas nobis

litteras intimasti, licèt ejusdem Presbyteri adversarium constitissèt alia ecclesiastica beneficia obtinere, quia tamen objectum extitit quòd dictus Presbyter litteras prælibati mandati per falsi suggestionem & suppressionem obtinuerat veritatis, eodem adversario sedem apostolicam appellante procedere ad sententiam distulistis. Cùm igitur dictus Presbyter denuo propter hoc ad præsentiam nostram accedens diù suum expectaverit adversarium, qui appellationem quam interjecerat non est aliquatenus prosecutus, compatientes ejusdem laboribus & expensis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus si constiterit præfato Presbytero ex præsentatione illa jus in illa fuisse Ecclesia acquisitum, nonobstante quòd prælibatas litteras ad falsi suggestionem per suppressionem veritatis dicitur impetrasse, cùm hanc formam tanquam consonam juri communi falsitatis expressio vel suppressio veritatis nequeat immutare, secundùm mandatum earum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo in ipso negotio procedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo; sollicitè provisuri ut cùm adversarius sæpedictus post litteras secundò à nobis per Presbyterum eundem obtentas possessionem ipsius Ecclesiæ occupasse dicatur, si secundùm formam mandati nostri Presbyterum ipsum de illa contigerit investiri, amoto ab ipsa tam eo quàm alio quolibet illicito detentore faciatis dictum Presbyterum ipsius pacifica possessione gaudere, in eos qui se temerè ducerent opponendos canonicam promulgando censuram; præfatum nihilominus adversarium ad debitam restitutionem fructuum subtractorum eidem Presbytero faciendam per eandem censuram appellatione postposita compellentes. Sic autem mandatum apostolicum impleatis quòd de cetero pro defectu vestro prædictum pauperem non oporteat ad sedem apostolicam laborare, vos quoque non possitis de negligentia reprehendi. Depositiones verò testium, quas nobis super ipso negotio transmisistis, vestræ discretioni remittimus; ut tam secundùm ea quæ super eodem negotio sunt deposita, quàm secundùm illa quæ legitimè deponentur, in causa ipsa canonicè procedatis. Nullis litteris &c. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Laterani XIV. Kal. Maij, anno decimo.

..POTESTATI ET CONSVLIBVS tam præsentibus quàm futuris & universo populo Tarvisin.

Epist. 54. Persuadentur quòd acquiescant & credant eorum Episcopo super corrigendis nefandis & schismaticis erroribus quos tenent contra fidem, & idem Episcopus Clericorum corrigat excessus.

GLoria nominis vestri longè latequè clarescèret, nisi eam fumus hæreticæ pravitatis multipliciter offuscaret, cùm secundùm Apostolum non solùm multum fermenti, sed etiam modicum quidem totam massam corrumpit. Vt quid igitur, incliti cives, fidem catholicam, per quam renati estis ex aqua & spiritu in baptismo, corrumpi permittitis à quibusdam indisciplinatis & indoctis hominibus seductoribus & seductis, qui neque sacras scripturas intelligunt, neque virtutem divinam agnoscunt, sub ovina pelle lupinam rapacitatem velantes, ut propinent incautis in aureo calice fel draconum? Expurgate itaque vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis, attendentes à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, præsertim ab impiis Manichæis, qui se Catharos vel Paterenos appellant, quorum insaniam Paulus Apostolus in Spiritu sancto prævidit & prædixit esse vitandam, scribens inter cetera Timotheo: *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione à fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem. quia omnis creatura Dei bona, & nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 1. *Tim.* 4. Ecce quàm expressè & manifestè Paulus Apostolus, vas electionis, & doctor gentium, segregatus in evangelium Dei, quod ipse ab homine non accepit nec didicit, sed per revelationem solummodo Iesu Christi, damnat & improbat vesanum dogma perfidi Manichæi, quod non solùm ab orthodoxæ fidei veritate, verùm etiam à naturalis rationis judicio est penitùs alienum. Ille quippe cum sequentibus suis dogmatisat corporales cibos non esse creatos à Deo, sed à diabolo, quem appellat principem tenebrarum, à quo universa corporalia & visibilia dicit esse creata. Iste verò docet cibos à Deo

esse creatos, & ideo percipiendos esse à fidelibus cum actionibus gratiarum. Ille prohibet nubere, damnans conjugium, & asserens non esse majus peccatum polluere matrem vel filiam quàm extraneam vel ignotam. Iste verò commendat conjugium, asserens illud magnum existere sacramentum in Christo & in Ecclesia, juxta quod protoplastus evigilans prophetavit. *Hoc*, inquit, *nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ideóque nubere melius dicit esse quàm uri. Cur autem in talibus immoramur, cùm inter omnes insanias hæc sit magis insana, & inter omnes errores hic sit magis horribilis, tanquam qui non solùm evangelicam veritatem impugnat, verùm etiam philosophicam doctrinam evertit, quæ tradit unum esse universorum tam visibilium quàm invisibilium conditorem. Fugite itaque, fugite damnabilem & damnatum quin etiam damnosum & damnantem errorem, qui tenebras interiores inducit ut ad tenebras exteriores perducat; & nolite obtenebrari cum illis qui fatentur se ipsos esse creatos à principe tenebrarum; sed illuminamini magis cùm iis qui se confitentur à patre luminum esse creatos, apud quem tenebræ non sunt ullæ. Nos enim spondemus pro vobis apud Christum Iesum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, quòd illa est vera fides & recta, secundùm doctrinam apostolicam & propheticam, quam sedes apostolica dogmatisat, cui nos, licèt immeriti, præsidemus, & in novissimo districti judicij die ante tribunal ipsius super hoc ipsi pro vobis volumus respondere; interpellantes vos ad illud divinæ majestatis tribunal, coram quo tandem adstabitis secundùm merita recepturi, ut aspernantes & detestantes falsa dogmata hereticæ pravitatis, amplexemini & sectemini veram doctrinam apostolicæ sedis supra firmam petram immobili soliditate fundatam, reminiscentes quid olim promiseritis nobis interposito juramento in manu venerabilis fratris nostri .. Ferrarien sis Episcopi, quando communionis gratiam diù vobis subtractam per ejus ministerium paterna vobis restituimus pietate. Quocirca devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus venerabili fratri nostro .. Episcopo vestro, cui dedimus in præceptis ut districtè corrigat Clericorum excessus quorum prava vos exempla conturbant, credatis & acquiescatis in iis quæ redolent mores honestos & fidem sapiunt orthodoxam; non scandalisantes animas vestras in eo quòd aliqui aliter vivunt quàm doceant: quia sicut infirmitas medici vim non impedit medicinæ, sic iniquitas sacerdotis virtutem non evacuat sacramenti. Datum Laterani XI. Kal. Maij, anno decimo.

Vide Baluzij Notas ad Agobardum pag. 66.

EPISCOPO BRIXINENSI, H. Aquilegensi Præposito, & S. Scolastico Augustensi.

Epist. 55. Eis committitur examinatio testium super electione Pastoris Gurcen. Ecclesiæ, super qua electione Salisburgen. Ecclesia jus habere sibi vendicabat.

COnquesta est nobis Gurcensis Ecclesia quòd super libertate sibi Pontificem eligendi Salisburgensis Ecclesia ipsam indebitè molestabat, quam tam de jure communi quàm antiqua consuetudine ac privilegio speciali .. Gurcensis Ecclesiæ procurator eidem competere proponebat. Cui cùm ex parte altera quædam obiceretur sententia, quæ super hoc pro Salisburgensi dicebatur Ecclesia promulgata, idem asseruit nullam super hoc sententiam prolatam fuisse. Verùm exhibitio nobis quibusdam litteris venerabilis fratris nostri .. Episcopi Frisingensis & dilecti filij .. Abbatis sanctæ Crucis, quæ videbantur latam ab ipsis dictam sententiam continere, idem proposuit subsequenter quòd præfati judices nec ordinarij fuerant, nec arbitri communiter electi à partibus, neque constabat quòd fuerint delegati, unde quod statuerant robur habere non poterat firmitatis, contendens Gurcen. Canonicos liberè suum Pontificem hactenus elegisse. quem usum sufficienter se asseruit probaturum. Cùmque ipsi esset ex adverso responsum memoratos judices ex delegatione fel.me. Alexandri Papæ III. habuisse auctoritatem negotium terminandi super usu eligendi & commissione ipsa, venerabilibus fratribus nostris .. Frisingen. & .. Tergestin. Episcopis unà tecum, frater Brixinen. Episcope, receptionem testium quos alterutra partium vellet producere duximus committendam. Partibus verò in nostra præsentia constitutis, & attestationes super illis duobus articulis offerentibus nobis clausas, Gurcensis Ecclesiæ procurator est in judicio protestatus quòd non credebat super hoc sententiam latam fore, sed si esset, per metum contra eandem Ecclesiam fuerat judicatum. Quem ad nos se-

cretò vocavimus, & de metus inquisivimus qualitate. Sed cùm nobis talem exprimeret qui probatus parti suæ amminiculum non afferret, & se nolle probare alium fateretur, postulans inducias ad metum, quem expresserat, comprobandum, nos partibus consuluimus, ad concordiam intendentes, quòd adventum venerabilis fratris nostri .. Salseburgen. Archiepiscopi expectarent. Qui cùm fuisset diutiùs expectatus, & interim quidam ex Gurcen. Canonicis ad suam Ecclesiam accessissent, secum quosdam testes redeuntes duxerunt, per quos alium metum, scilicet quòd compulsi fuerunt per .. Comitem Palatinum & fratres germanos ipsius Archiepiscopi, qui tunc erat, contra se Gurcen. Canonici confiteri, dictus probare voluit procurator, tunc demum confitens sententiam latam fuisse, allegando proponens quòd cùm in jure civili habeatur expressum quia quod vi metúsve causa gestum est, Prætor nullo tempore ratum habebit, nec hoc tempore rata debet haberi sententia, quæ occasione metus est lata à judicibus memoratis. nec ratione longi temporis exceptionem obstare rei judicatæ proposuit quin actio quòd metus causa modò valeat intentari, quia nedum quadraginta annorum spatium, per quod ei, si loco religioso competat, obstaculum præparatur, sed nec triginta post prolatam sententiam est efluxum, quin imò auctoritate canonis totum est illud judicium renovandum, in quo pars ex eo quòd contra se aliquid confessa fuisset, contrarium judicium reportavit, in confessione se probaverit violentiam pertulisse, necnon omnis confessio quæ fit ex necessitate fides non est, & pessimum est de suspicione aut extorta confessione aliquem judicare. Item certum est quòd sicut exceptio est actionis exclusio, ita replicatio est auxilium actionis. Quare cùm ea quæ sunt annua ad agendum, perpetua ad excipiendum dicantur, & replicatio sit quasi exceptionis exclusio, dum aliàs duraret actio, nisi obstaret exceptio, per replicationis suffragium vigorem actio reassumit. Propter quòd non obstante rei judicatæ exceptione dixit se posse, sicut & ante sententiam, & modò electionem liberam vendicare. Ei quod objectum fuerat, scilicet non ad unam solummodo probationis speciem judices animos applicasse, sed ex confessionibus & testibus & instrumentis quibusdam contra Gurcen. Ecclesiam sententiam protulisse, respondit quòd metus, qui continebat corporis cruciatum, in toto judicio intervenit. Porrò pars alia proponere procuravit quòd ejus adversarius audiri penitùs non debebat, multiplici ratione; tum quia confessus fuerat quòd metum alium proponere non volebat, tum quia cùm à principio sententiam prolatam negaret, per fraudem postmodum contrarium est confessus, & fraus & dolus nemini patrocinium debet ferre. unde in pœnam inficiationis sibi debebat actio denegari, sicut per legem in casu consimili est statutum. tum etiam quia confessus fuerat post memoratam sententiam Salseburgensi Archiepiscopo Gurcen. Canonicos in talibus obedientiam præstitisse, sic suo consensu sententiam confirmantes, præsumpto per jus civile quòd propter consensum spontaneum subsequentem in prolatione ipsius sententiæ nulla coactio intercessit. Adiciens quòd postquam bo. me. Lucio Papæ III. Gurcenses de ipsa sententia querimoniam obtulerunt, ab eo fuit eadem confirmata, quòdque Gurcen. Canonici sponte per multos annos ipsi sententiæ paruerunt. Quæ rationes ab adversario hujusmodi responsionibus sunt delusæ, quòd quemlibet sui licet pœnitere responsi, si nulla captio ex ejus pœnitentia sit actoris. At cùm Salseburgensis Ecclesia in excipiendo vices actoris sustineat, & nihil credatur utilitatibus ecclesiasticis deperire, si quæ sunt aliena reddantur, potest locus esse pœnitentiæ replicanti ad jus suum integrum conservandum. Præterea procurator prædictus obtulit sacramentum, quòd de novo talis metus in suam devenerit notionem. quare audiri debebat illa consimili ratione, quòd si quisquam tempore contracti matrimonij præsens fuit, nec tunc aliquid proposuit contra ipsum, sed illud velit processu temporis accusare, ac fuisse consanguineos contrahentes juraverit postea se sciviſſe, auditur accusans. Item si quis petitorio intentato, & super eo testibus jam receptis, velit actor possessorium intentare, ad illud reverti per nostram concessa est licentia decretalem. Verùm quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est, & error facti nemini nec-dum negotio finito nocet per legitimas sanctiones, præcipuè cùm Gurcen. certet Ecclesia de damno vitando & jure suo acquirendo vel potiùs conservando, ex variationibus hujusmodi non debet periculum sustinere. Nam nonnunquam Prætor

variantem non repellit, & consilium non aspernatur mutantis. Sic autem tertiæ ac quartæ objectionibus est responsum, quòd non debet Gurcen. Ecclesiæ servitutis confessio præjudicium generare: quia si de jure communi habere debeat liberum de illo qui est ei præficiendus judicium, & contra hujusmodi libertatem sic servitutem confessa, juris civilis auxilio suffragante, quod vult liberum hominem servum per confessionem non effici servitutis, non est ipsi libera electio adimenda, adjungens quòd post translationem ad Maguntin. Ecclesiam Archiepiscopi memorati, Gurcen. Ecclesia dicto prædecessori nostro Lucio Papæ III. quando potuit reclamare, super violentia exposuit quæstionem; sed ipse, sicut in privilegio quod super electione, institutione, consecratione Gurcen. Episcopi fel. rec. Alexander Papa II. dicebatur Salseburgensi Ecclesiæ concessisse, ita & in sententia circumventus, asserens se diligenter examinasse, ac verum illud privilegium invenisse, quod nos falsum reperimus manifestè, eam absentibus Gurcen. Canonicis confirmavit. Nos igitur iis & aliis intellectis quæ partes coram nobis multipliciter allegarunt, interloquendo concessimus ut procurator Gurcen. Ecclesiæ probandi metum illum facultatem haberet, præstito juramento se illum postea didicisse; sicque testes produxit, quos per dil. fil. n. L. Tituli sanctæ Crucis Presbyterum & G. sanctæ Mariæ in Portico Diaconum Card. examinari mandavimus & eorum depositiones conscribi. Quia verò sæpedicti Archiepiscopi procurator tam super hoc quàm super eo quòd Gurcen. spontanea voluntate sententiæ paruerunt, & quòd tam metu quàm aliis coram bo. me. Lucio Papa prædecessore nostro in judicio allegatis idem prædecessor noster per privilegij paginam præfatam sententiam confirmavit, volebat in patria producere testes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus testes quos utralibet pars super præmissis articulis & super transactione quæ post tempus sententiæ dicitur facta fuisse, aut in personas testium duxerit producendos, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, circa festum omnium sanctorum in loco securo partibus recipere procuretis, & attestationes redactas in scriptis nobis fideliter transmittatis, ex tunc præfigentes ipsis partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent; nisi forsan interim possent ad amicabilem venire concordiam, quam utrique parti credimus expedire. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani XIV. Kal. April. anno decimo.

CAPITVLO PATRACENSI.

Epist. 58. Vt Patracen. Archiepiscopum in concordia electum tanquam eorum verum Archiepiscopum recipiant.

CVm dilectus filius nobilis vir Guillelmus Campanensis Princeps Achaiæ & vos pariter cum eodem nobis olim instanter supplicaveritis & devotè ut venerabilem fratrem nostrum .. Patracen. Archiepiscopum, tunc unanimiter electum à vobis, & ad sedem apostolicam accedentem, vobis in pastorem concedere dignaremur, nos diligentiùs indagantes qualiter fuerat in ipsius electione processum, quod per vos factum fuerat, tanquam minùs licitè procuratum, cùm & vos fuissetis minùs canonicè instituti, non duximus approbandum; sed necessitate pariter & utilitate pensatis, postquam de veritate negotij & statu terræ per juramenta sociorum ejusdem Archiepiscopi tunc electi fuimus certiores effecti, de potestate nostra eum Ecclesiæ vestræ pastorem constituimus & rectorem, administrationem ipsi plenariam tam in spiritualibus quàm in temporalibus concedentes. Licèt autem de plenitudine potestatis, quam habemus Domino disponente super Ecclesias universas, consecrationis munus potuissemus eidem tunc temporis impendisse, quia tamen volumus venerabili fratri nostro .. Patriarchæ Constantinopolitano, cui Ecclesia vestra asseritur esse subjecta, in hac parte deferre, ipsum ad Patriarcham remisimus memoratum, ab eodem consecrationis gratiam recepturum. Verùm idem Archiepiscopus guerrarum & turbationum periculis, quæ vigent in Romaniæ partibus, impeditus, ejusdem Patriarchæ se non potuit conspectui præsentare; sed nec expedire credebat, cùm idem Patriarcha tunc temporis eum consecrare nequiverit, quia coëpiscopos non habebat. Vnde Athenien. & Theban. electos ad suam præsentiam accedentes in Syriam destinavit, consecrationis munus inibi recepturos. Nos igitur eidem paterno compatientes affectu, qui semel & iterum ad sedem apostolicam veniendo, præter labores multiplices, jacturas graves sustinuit &

expensas, ei munus consecrationis impendimus, ipsum cum honore Pallei, plenitudine scilicet pontificalis officij, insignitum, cum gratiæ nostræ plenitudine remittentes exhibiturum præfato Patriarchæ obedientiam & reverentiam tam debitam quàm devotam, cùm ex eo quòd à nobis consecrationem accepit, nulli velimus præjudicium generari, ne fortè, quod absit, inde injuriarum nascatur occasio unde jura nascuntur. Veruntamen si super Ecclesiæ vestræ statu jus vestrum prosequi volueritis, nos, qui, secundùm Apostolum, sumus omnibus in justitia debitores, justitiam vobis auctore Deo curabimus exhibere. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eidem tanquam vestro Archiepiscopo intendatis, ejus salubria monita & præcepta recipientes humiliter & devotè. Datum Laterani VIII. Kal. Maij, anno decimo.

.. ARCHIDIACONO ET.. PRÆPOSITO de Setara Subdiacono nostro, Canonico Mediolanensi.

Epist. 57. Vt causam quæ inter C. scolarem & Iohannem Clericum vertitur audiant & fine debito terminent.

DVdum bo. me.. Archidiacono Mediolanen. dedimus in mandatis ut dil. fil. C. Scolarem à.. Presbytero sancti Victoris quadraginta Martyrum, qui solus in ipsa Ecclesia ministrabat, in qua, sicut scolaris idem asseruit, quondam ministraverunt Clericus & sacerdos, in Clericum & fratrem ejusdem Ecclesiæ recipi faceret, cujus facultates idem scolaris proposuit nullatenus imminutas. Sed Presbyter memoratus, ipsius Archidiaconi examen malitiosè declinans, Iohannem Clericum pro se ad nostram præsentiam destinavit, cui & præfato C. venerabilem fratrem nostrum B. Tranen. Archiepiscopum apostolicæ sedis Legatum tunc Subdiaconum & Capellanum nostrum dedimus auditorem. Coram quo dictus Iohannes asseruit quòd nequaquam sufficiebant duobus Clericis facultates Ecclesiæ memoratæ, adiciens quòd prædictus C. non erat idoneus ad illius Ecclesiæ beneficium obtinendum. Vnde nos venerabili fratri nostro... Patriarchæ Hierosolymitano, tunc Episcopo Vercellensi, de illorum assensu mandavimus ut si prædictus C. legitimè coram ipso probaret quòd facultates Ecclesiæ supradictæ imminutæ non essent, sed duobus sufficerent, & persona ejus esset idonea, Presbyterum supradictum ad receptionem ipsius per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelleret, contradictores vel rebelles, si qui forsitan apparerent, à præsumptione sua districtione simili, cessante appellatione, compescens. alioquin perpetuum silentium scolari super hoc imponeret memorato. Testes etiam qui nominarentur eidem, si se gratia, odio, vel timore subtraherent, canonica districtione, cessante appellatione, compelleret perhibere testimonium veritati. Cùm autem præfatus scolaris ad probandum quòd facultates Ecclesiæ imminutæ non essent, sed duobus sufficerent, ad prædicti Patriarchæ tunc Vercellen. Episcopi præsentiam multotiens accessisset, & idem Episcopus testes nominatos ab ipso, quia monitione præmissa nolebant veritati testimonium perhibere, interdicto suppositio esset, venerabilis frater noster.. tunc Mediolanensis Archiepiscopus interdictum ipsum auctoritate propria relaxavit. Quare supradictus C. jus suum non potuit obtinere. Vnde tibi, fili Præpolite, dedimus postmodum in præceptis ut inspectis attestationibus jam receptis, quas voluimus ut per censuram ecclesiasticam tibi faceres exhiberi, secundùm eas & alias, si quas partes legitimè ducerent proferendas, cùm nondum essent, quæ receptæ fuerant, publicatæ, causam ipsam juxta tenorem præcedentium litterarum, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, ratione prævia terminares. Partibus igitur propter hoc in tua postmodum præsentia constitutis, cùm dictus C. ad probandum quòd facultates Ecclesiæ suppetebant, quosdam patronos & parrochianos Ecclesiæ ad ferendum testimonium nominasset, & ipsi licèt, à te sæpius moniti, nollent testimonium perhibere, quibusdam se rationibus excusantes, tu eos, nisi usque ad quindecim dies ex tunc venirent ad testimonium perhibendum, excommunicationis vinculo innodasti. sed ipsi ante præfixum diem ad sedem apostolicam provocarunt. quare non fuit ulteriùs in causa processum. Volentes igitur ut finis eidem controversiæ imponatur, te, fili Archidiacone, cognitioni ejusdem causæ duximus adjungendum, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandantes quatinus laicis supradictis ad cautelam absolutionis beneficium impendatis, & causam ipsam juxta priorum litterarum continentiam, appellatione remota, ratione prævia terminetis, ita ut ex illa clausula, scilicet si persona fuerit

idonea, quæ noſtro reſcripto reperitur inſerta, eidem ſcolari probandi ſe idoneum nulla neceſſitas imponatur; cùm prima facie præſumatur idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur. Teſtes autem quos utraque pars duxerit nominandos, ſive Patroni ſive etiam parrochiani ſint Eccleſiæ ſupradictæ, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per diſtrictionem eccleſiaſticam appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Datum Laterani V. Kal. Maij, anno decimo.

ZAMORENSI, SECOBIENSI, & Abulenſi Epiſcopis.

Epiſt. 18. Vſu Magiſter I. Scolaſticus Eccleſiæ Palentin. contra Epiſcopum Palentin. calumnioſè crimina proponendo contra eum proceſſerat, ab officio ac beneficio ſuſpenditur.

Cap. Cùm dilectus. De accuſat.

CVm dilectus filius I. magiſter ſcolarum Eccleſiæ Palentin. olim ad ſedem apoſtolicam acceſſiſſet, & nobis de venerabili fratre.. Palentin. Epiſcopo ſuo exceſſus varios nuntiaſſet, venerabili fratri noſtro.. quondam Epiſcopo Legionen. nunc Archiepiſcopo Compoſtellan. & dilectis filiis.. de Vallebona, &.. de Mataplana Abbatibus dioceſis Palentin. examinationem commiſimus exceſſuum objectorum. Qui ſuper ſimonia duplici, dilapidatione, abſolutione incidentium in canonem ſententiæ promulgatæ, quòdque appellationibus ad nos interpoſitis deferre contemneret, necnon quòd in manibus ſuis ultra tempus in Concilio Lateran. conſtitutum vacantem tenuerit dignitatem, & quòd furtim quoddam ſubtraxerit inſtrumentum in quo à jure Canonicorum jura epiſcopalia diſtinguntur, & quibuſdam aliis, inquiſita per teſtes pleniùs veritate, inquiſitionem ipſam cum depoſitionibus teſtium nobis fideliter tranſmiſerunt. Cùm autem proceſſum negotij & dicta teſtium examinaverimus diligenter, nec intelligere potuerimus probatum eſſe ſufficienter aliquid de prædictis, eundem Epiſcopum de conſilio fratrum noſtrorum abſolvendum decrevimus ab objectis, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatinus memoratum magiſtrum ſcolarum, donec canonicè ſuam purgaverit innocentiam, ſcilicet quòd non calumniandi animo ad hujuſmodi crimina proponenda proceſſerit, ab officio & beneficio ſuſpendatis, ut ceteri ſimili pœna perterriti ad infamationem ſuorum facilem non proſiliant Prælatorum. Quòd ſi non omnes, duo veſtrum &c. Datum Laterani V. Id. Maij, anno decimo.

PRIORISSÆ ET SORORIBVS DE Sexen. tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 19. Conceduntur privilegia, & confirmantur eis libertates & immunitates.

PRudentibus virginibus, quæ ſub habitu religionis accenſis lampadibus &c. *uſque* clementer annuimus, & monaſterium veſtrum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo canonicus, qui ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſenti juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtríſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Sexenam, in quo præfatum monaſterium ſitum eſt. Villam novam, Senam, Ontinenam, & Vrgelletum, cum omnibus pertinentiis eorum. Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas è ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli ſororum veſtrarum poſt factam in veſtro monaſterio profeſſionem fas ſit abſque Prioriſſæ ſuæ licentia, niſi arctioris religionis obtentu, de eo diſcedere. Diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis &c. *uſque* celebrare. Ad hæc, auctoritate apoſtolica prohibemus ut nulli liceat in vos vel monaſterium veſtrum ſine manifeſta & rationabili cauſa excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare. Præterea inſtitutiones ab R. quondam Oſcenſi Epiſcopo &.. Magiſtro Hoſpitalis Empoſtæ & aliis viris religioſis de aſſenſu kariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ S. illuſtris Reginæ Aragonum in ipſo monaſterio rationabiliter factas auctoritate apoſtolica confirmamus. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Prioriſſa, vel earum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aliqua quæ tibi succesſerint, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi eam ſorores communi conſenſu, vel earum major pars conſilij ſanioris, ſecundùm Dei timorem & beati Auguſtini regulam providerint eligendam. Si verò contingat ſorores monaſterij fore in electione Prioriſſæ diſcordes, Magiſtrum Hoſpitalis Hieroſolymitani de Empoſta, cujus habitum geritis, ad veſtrum monaſterium convocabitis, per quem, cum conſilio dioceſani Epiſcopi, orta inter vos diſcordia ſopiatur. Statuimus autem ut non liceat Hoſpitalariis Prioriſſam vel Conventum de domo ipſa eicere, vel aliquam ſororum mutare aut ſtatuere in eadem. Sed ſi contigerit Prioriſſam vel aliquam ſororum excedere ita quòd per vos emendari non poſſit, per Priorem Empoſtæ ac dioceſanum Epiſcopum in eodem monaſterio ſecundùm beati Auguſtini, quam ſervatis, regulam corrigatur. Nec liceat eiſdem Hoſpitalariis contra ea quæ in ipſius regula monaſterij inter vos & ipſos de electione Prioriſſæ providè ſunt ſtatuta, quavis temeritate venire. Eccleſia verò in ſuo ſtatu manente, tricenarius Canonicarum numerus non poſſit minui, ſed augeri, ſi ad plurium ſuſtentationem facultates ejus contigerit augmentari. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare &c. *uſque* profutura. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate, dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia, & Magiſtri Hoſpitalis Empoſtæ debita reverentia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona &c. *uſque* ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatinus &c. *uſque in finem.* Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, VII. Id. Maij, Indict. IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

CANONICIS SANCTI MAVRITII Auguſtenſis tam præſentibus quàm futuris canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 60. Conceduntur privilegia & indulgentiæ, & confirmantur libertates &c.

EFfectum juſta poſtulantibus indulgere & vigor æquitatis & ordo exigit rationis; præſertim quando voluntatem petentium pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplar fel. rec. Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſenti juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum &c. *uſque* illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Eccleſiam in Baldeshuſen. cum villicali curia & omnibus pertinentiis ejus, paſcuis videlicet, pratis, ſilvis, aquis, & earum decurſibus. Eccleſiam in Mimmenushen. cum villicali curia & omni jure ejus. Vicum qui dicitur Nanthereshuſen. Vicum qui dicitur Gerute. Duas curias in villa quæ dicitur Oberenhoven. Curiam in villa quæ dicitur Niuſazen. Curiam in villa quæ dicitur Gegingen. Curiam in villa quæ vocatur Warengereshoven. Eccleſiam & villicalem curiam in villa quæ vocatur Biberin, cum molendino uno. Curiam villicalem in villa quæ vocatur Heinricheshoven. In pago ipſius civitatis Auguſtenſis agros, hortos, curtilia, & molendinum unum. In provincia quæ dicitur Franconia, villam quæ nuncupatur Chrowelshain. Eccleſiam & villicalem curiam in villa quæ vocatur Goltpach, cum taberna. Ad hæc, ſancimus ut Capella quæ Vffenburch vocatur, cum bonis & redditibus quos ibidem habet, & in villa quæ dicitur Egevenburch, uſibus fratrum deputata, ſine aſſenſu eorum nullius temeritate eorundem fratrum uſibus ſubtrahatur. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Obeunte verò Præpoſito Eccleſiæ veſtræ, qui pro tempore fuerit, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum major pars ſanioris conſilij, ſecundùm Dei timorem prævideriut eligendum. In parrochialibus autem Eccleſiis veſtris vacantibus liceat vobis ſacerdotes eligere & Epiſcopo præſentare: quibus, ſi idonei inventi fuerint,

fuerint, Episcopus animarum curam committat; ut de plebis quidem cura Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre &c. *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem*. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, VII. Idus Maij, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

EPISCOPO AVTISIODORENSI.

Epist. 61. De decimis Iudæorum, fructibus scholarium, & usuris.

TVæ fraternitatis discretio postulavit per sedem apostolicam edoceri qualiter contra Iudæos illos procedere debeas qui cùm villas, prædia, & vineas emerint, decimas ex eisdem Ecclesiis & personis ecclesiasticis debitas reddere contradicunt, cùm per censuram ecclesiasticam compelli nequeant, quam contemnunt. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd terræ Princeps est sollicitè admonendus ut ipsos ad solutionem earum tradita sibi potestate compellat. Quòd si forsan ille id exequi non curaverit, sub districtione anathematis interdicendum est Christianis ne habeant commercia cum eisdem, donec satisfecerint de præmissis. Quæsivisti præterea ut

Cap. Tuæ fraternitatis. De Clericis non resid.

cùm interdum Canonici, quibus studiorum gratia est indultum ut in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, accepta licentia se ad villas transferant vel castella in quibus nullum est vel minùs competens exercitium studiorum, utrum præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi. Ad quod breviter respondemus, eis qui hujusmodi fraudem committunt, cùm fraus & dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam competere non debere. Ceterùm cùm in

Cap. Cùm in dioceli. De usur.

dioceli tua sint quamplurimi usurarij, de quibus minimè dubitatur quin sint usurarij manifesti, contra quos propter timorem Principum & potentum, qui tuentur eosdem, non apparet aliquis accusator, nec iidem sunt per sententiam condemnati, qualiter procedere valeas contra ipsos, oraculum duxisti sedis apostolicæ requirendum. Nos autem fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd licet contra ipsos non appareat accusator, si tamen aliis argumentis illos esse constiterit usurarios manifestos, in eos pœnam in Lateranensi Concilio contra usurarios editam liberè poteris exercere. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij, anno decimo.

MAIORI DECANO ET PRIORI Colonienſi.

Epist. 62. De beneficiatis excommunicatis & interdictis &c.

POstulastis per sedem apostolicam edoceri quis suffraganeus Colonien-sis Ecclesiæ, dum venerabilis frater noster B. Archiepiscopus vester in vinculis detinetur, debeat judicare, si fortè à Clericis suis iidem fuerint ad Colonien-sem Ecclesiam appellati, & quid fieri debeat de beneficiis vacantibus, quæ ad donationem noscuntur ejusdem Archiepiscopi pertinere. Nos ergo inquisitioni vestræ breviter respondemus, quòd per Legatorum nostrorum sollicitudinem, quos in Theutoniam destinamus, eundem Archiepiscopum restituendum speramus, auctore Domino, libertati; qui tam in iis quàm in aliis suum officium exequetur. Consequenter etiam quæsivistis, utrum

Cap. Consequenter. De Cler. excomm.

Clerici, qui, dum essent excommunicationis vinculo innodati, ecclesiastica beneficia sunt adepti, eadem, postquam absolutionis beneficium obtinuerint, licitè valeant retinere; postulantes nihilominus per sedem apostolicam explicari qua pœna corrigi debeant Abbates, Abbatissæ, ac alij Ecclesiarum Prælati, qui scienter Clericis excommunicationi subjectis ecclesiastica beneficia contulerunt. Ad quæ vobis taliter duximus respondendum, quòd cùm excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi ea valent licitè retinere, nisi forsan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cùm ipsa non fuerint canonicè assecuti. Illi verò qui scienter ipsa beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent à beneficiorum collatione suspendi donec super hoc veniam consequi mereantur; ut puniantur in eo in quo delinquere præsumpserunt. Quæsivistis præterea qualiter puniri debeant Clerici ac monachi necnon etiam moniales Ecclesiarum conventualium qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto præsumpse-

runt hactenus & adhuc etiam non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc sicut excommunicationis vinculo innodati. Ad quod breviter respondemus, quòd Clerici qui talia præsumpserunt, sunt ecclesiasticis beneficiis spoliandi, monachi verò vel moniales in arctioribus monasteriis ad peragendam pœnitentiam retrudendi. Insuper postulastis per apostolicæ sedis oraculum explicari quid fieri debeat de Clericis illis qui, cùm eis à judicibus delegatis fuisset injunctum, cùm ipsis absolutionis beneficium præstiterunt, ut se nostro conspectui præsentarent, id exequi contempserunt, & ex eis qui præfato Archiepiscopo præstiterunt fidelitatis & obedientiæ juramentum & illud postmodum transgredi non verentes, interdicti sententiam non servarunt. Nos igitur ad hæc taliter respondemus, quòd utrique, tanquam perjuri, pœna canonica sunt plectendi. Datum Laterani Id. Maij, anno decimo.

Vide Baluzij Notas ad Concilia Galliæ Narbon. pag. 18.

PISANENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 63. Committitur ei causa matrimonialis.

BNobilis mulieris oblata nobis petitio continebat quòd cùm jam agens tempora pubertatis ex patris imperio potiùs quàm spontanea voluntate .. Iudici Arborensi fuit matrimonio copulata, & licèt ex eo unicam prolem susceperit, ad ipsum tamen diligendum ut virum nec amicorum instantia nec consiliis propinquorum potuit animari. Cùmque sic secum noluntaria permaneret, intellexit quòd quando acceperat ipsum in virum, aliam sibi matrimonio copulatam haberet. Asserebat etiam idem Iudex quòd quandam consobrinam hujus cognoverat ante matrimonium cum ipsa contractum. sicque factum est quòd ad invicem diverterunt. Quod qualiter fuerit procuratum, alio modo non novit, nisi quòd & tunc credidit & nunc credit quòd rationabiliter fuerit & canonicè factum. Tandem ad domum paternam reversa, & circa biennium absque ulla quereja innupta consistens, publicè postmodum & solemniter in facie Ecclesiæ nobili viro Hugoni Comiti nupsit; cum quo per annos quatuordecim pacificè commorata, duos suscepit filios ex eodem, quos humiliter petiit auctoritate apostolica pronuntiari legitimos, pro eo quòd bona fide in facie Ecclesiæ juncti fuerant vir & uxor, & magno tempore absque contradictione aliqua simul fuerant commorati. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita diligentiùs veritate, si tibi constiterit quòd præfatus Iudex eo tempore quo cum præfata B. contraxit, aliam haberet uxorem, vel quòd ejus consanguineam antea carnaliter cognovisset, vel virum jam obisse priorem, præfatos virum & uxorem invicem reconcilies, & facias eos mutuò semetipsos nuptiali honore ac maritali affectione tractare, sed & filios quos taliter susceperunt legitimos reputari. Quòd si de prædictis tribus articulis nihil tibi constiterit, quia tamen sæpedicta mulier præfato viro in conspectu Ecclesiæ solemniter nupsit, & simul quatuordecim annis conjuncti tanquam vir & uxor absque ulla contradictione bona fide manserunt, eorum filios nihilominus facias reputari legitimos, & ad jura paterna vocari. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij, anno decimo.

CONSULIBUS ET POPULO Placentino.

Epist. 64. De conservanda libertate ecclesiastica.

IN arca fœderis cum tabulis testamenti virga continebatur & manna; quoniam in monte rectoris cum scientia legis divinæ virga correctionis & manna dulcedinis debet esse, ut rigor mansuetudine temperetur, & mansuetudo rigore. Hoc igitur attendentes, auditis quæ venerabilis frater noster.. Episcopus & Clerici Placentini, necnon & dilecti filij Vbertus Vicecomes, Iohannes de Malamina, & Petrus de Vilimercato, nuntij vestri, viri providi & fideles, super faciendo vobis mandato coram nobis proponere curaverunt, illis justitiam, istis misericordiam implorantibus, illud taliter duximus temperandum, ut misericordia se pariter & justitia complectentibus in eodem, neutra deseratur ab altera, sed potiùs ipsum sit utraque virtute conditum. Proinde levate vestros oculos in directum, & attendite diligenter quorsum devenerit necessaria vestræ prævaricationis offensa; quæ licèt gravis extitisse noscatur, divino tamen est forsan consilio procuratum ut per illam erudiantur & qui propè sunt & qui longè contra libertatem ecclesiasticam similia non præsumere, cùm facinoris vestri vos viderint salubriter pœnitere. Ecce siquidem multi sunt qui observant exitum hujus rei; quibus quemadmodum facta est culpa vestræ præsumptionis in scandalum, ita profectò fiet disciplina vestræ pœnitudinis in exemplum. Attentandum erat aliquando forsitan ab aliquibus similis luctæ certamen; quod cùm à

vobis contigerit prætentari, succumbendo salubriter in eodem, cautelam ceteris tribuetis, utiliùsque libertatem ecclesiasticam hujusmodi promovebitis exercitio quàm fortasse promovere valueritis quiescendo. Vnde profectò felicem dicent, qui hoc audierint, culpam vestram, si, velut potestis, in causam generalis utilitatis ecclesiasticæ convertere satagatis eandem. Satis enim ex perpetratione ipsius diffamati mundo fuistis. Sed longè magis ejusdem humilis satisfactio nomen vestrum in omnem terram honorificare valebit. Videntes ergo videte qualiter ex offensa quam perpetrastis, dummodo satisfactione condigna illam studueritis expiare, præconium laudis vestræ magnificare possitis & utilitatem ecclesiasticam promovere. Psalmi quippe David, epistolæ Pauli, evangeliúmque Matthæi frequentiùs inter scripturas ceteras in Ecclesia recitantur; quorum primus adulter & homicida, secundus verò blasphemus & persecutor, ac tertius publicanus & telonarius, ita reatus suos satisfactione purgarunt ut hæc de ipsis nequaquam ad contumeliam sed ad gloriam memorentur eorum; quorum profectò scripturas frequentior Ecclesiæ usus habet, ut ex familiari eorum exemplo peccatores ad pœnitentiam convertantur. Vobis quoque talis similitudo continget. Quoniam ubicunque fatisfactio vestra in universo mundo dicetur, non sine magna nominis vestri laude suscipient, qui audierint, & de offensa vestra cautelam, & de pœnitentia disciplinam. Quia igitur justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit, & impietas impij non nocebit eidem in quacunque die fuerit ab impietate conversus, universitatem vestram rogamus attentè & propensiùs exhortamur, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus verbum Domini cum tremore pensantes per Prophetam de gente peccatrice dicentis, *Si pœnitentiam egerit gens à malo quod fum locutus adversùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut sibi facerem. Sed si malum in oculis meis fecerit ut non audiat vocem meam, agam pœnitentiam super bono quod ut ei facerem fuum locutus*, pœnitentiam vestram prompta satisfactione peragere studeatis; ne, quod absit, hoc quod esse prævalet causa boni, vobis demum occasio mali fiat. Nos enim, si quantum in vobis est efficere sategeritis ut ad laudem divini nominis, ecclesiasticæ libertatis honorem, & salutem vestram, hoc negotium terminetur; cùm pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est pariter & futuræ, præter gratiæ mundanæ favorem, quam exinde merebimini, de hujusmodi opere pietatis coronam vobis pollicemur æternam. Formam verò prædicti mandati venerabilibus fratribus nostris .. Vercellensi &. . Iporiensi Episcopis & dilectis filiis .. Abbati de Tilieto & Presbytero Alberto Mantuan. Visitatoribus Lombardiæ sub Bulla nostra destinamus inclusam; dantes in mandantes eisdem ut omnes, vel tres, aut duo saltem eorum, in ipso faciendo procedant, illúdque faciant per censuram ecclesiasticam, si opus fuerit, firmiter observari. Datum Laterani.... Maij, anno decimo.

KARISSIMO IN CHRISTO FILIO nostro Kalo-Iohanni Regi Bulgarorum illustri.

Epist. 65. Vt pacem & treugam ineat cum Imperatore CP. & Latinis.

CVm superbis Deus resistat, humilibus autem det gratiam, juxta quod Apostolus Iacobus contestatur, à Domino tibi triumphum concessum non tuæ virtuti adscribere debuisti, sed potiùs illorum imputare peccatis qui suis exigentibus meritis ceciderunt, utpote in arcu suo sperantes, & suo salvari gladio confidentes. Verùm tu tibi adscribens triumphum de hostibus reportatum, Deo, in cujus sunt manibus corda Regum, prout debueras, gloriam non dedisti. Quod ex eo satis potuit manifestè perpendi quòd cùm ad te nostrum curaverimus nuntium destinare, ut cum Latinis apud Constantinopolim commorantibus pacem inires aut treugas, tu non solùm id facere noluisti, verùm etiam ipsum nuntium suscepisti & dimisisti minùs honestè quàm decuerit regiam dignitatem, quem ob reverentiam apostolicæ sedis & benignè recipere debuisti & honestè tractare, attendens quòd missus fuerat evangelisare pacem & prædicare salutem. Licèt ergo ex præfata victoria intra te ipsum fueris plus debito exaltatus, quia tamen te sicut karissimum in Christo filium sincera diligimus in Domino caritate, optantes tibi salutem & pacem, dilectum filium .. nuntium tuum & litteras quas per eum nobis misisti benignè recepimus, & quæ nobis significasti per eas notavimus diligenter. Intellecto sanè quòd jamdudum nuntios affectaveras ad nostram præsentiam destinare, sed ipsis aditus non patebat, cùm per Vngariam transire non audeant, nec per Duratium propter Venetos dominantes ibidem, karissimo in Christo filio ..

illustri Regi Vngariæ per scripta nostra mandamus ut nuntios tuos, quos ad sedem duxeris apostolicam destinandos, per terram suam transire permittat liberè ac securè. id idem dilecto filio nobili viro .. Venetorum Duci mandantes, ut eisdem per Duratium faciat transitum habere securum. Super eo autem quòd te in devotione apostolicæ sedis perseverare firmiter asseveras, &, si, necesse foret, caput exponeres pro eadem, excellentiam regiam in Domino commendamus, & gratiarum actiones referimus bonorum omnium largitori, qui hoc propositum tibi misericorditer inspiravit. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus cum karissimo in Christo filio nostro H. Constantinopolitano Imperatore illustri & aliis Latinis in Romaniæ imperio commorantibus pacem vel treugam ineas & observes. Nos enim de mittendo ad te nuntium nostrum, cùm expedire viderimus, curabimus providere, juxta quod nobis fuerit de super inspiratum. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, anno decimo.

NOBILI MVLIERI .. COMITISSÆ Blesensi.

Epist. 66. Explicatur verba cujusdam privilegij Canonicorum Carnotensium.

CVm olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam capitulum contra te fuerit allegatum, quod dicebatur in Ecclesiæ suæ privilegio contineri, ut videlicet nemini liceat excommunicatis vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere, quoniam fuit in quæstione deductum quæ foret congrua satisfactio, ad intelligendum clausulam ipsam meminimus distinxisse utrum in aliquem esset interdicti vel excommunicationis sententia promulgata pro contumacia tantùm, quia videlicet citatus noluit stare juri, vel etiam pro offensa, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare; in primo casu credentes congruè satisfieri, ut hujusmodi relaxaretur sententia, si sufficiens standi juri cautio præberetur; in secundo verò, si manifesta foret offensa; dicentes nequaquam satisfieri congruè, ut relaxaretur sententia, nisi priùs sufficiens exhiberetur emenda; & si forsitan esset dubia, sufficere reputantes ad relaxandum eandem, si parendi mandato competens satisdatio præberetur. Quia verò dum ansam solvimus, nodum dicimur ligavisse per hoc quòd eis-

Cap. Cùm olim. *De verbor. signif.*

Cap Ex parte. *eod. tit.*

dem Canonicis, velut asseris, proponentibus illam esse manifestam offensam, non quæ judici, non quæ alij, sed quæ sibi manifesta tantummodo videretur, major ex illa dictione, videlicet *manifesta*, scrupulus quæstionis emersit, tuis humilibus precibus inclinati, offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam quæ vel per confessionem vel probationem legitimam nota fuerit aut etiam evidentiam rei quæ nulla possit tergiversatione celari. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO ET DECANO Senonensi.

Epist. 67. Rescribit in favorem Comitis Blesensis.

QVòd quærentibus principaliter regnum Dei secundariò adiciantur & alia secundùm evangelicam veritatem apostolica sedes attendens universos Crucesignatos sub sua speciali defensione recepit, provida deliberatione constituens ut bona eorum sub ejus & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consisterent, & donec cognosceretur certissimè de reditu vel obitu eorundem, illibata & integra permanerent. Cùm ergo claræ memoriæ L. Blesensis & Claromontensis Comes assumpto crucis signaculo se devoverit obsequio Crucifixi, & in itinere peregrinationis vitam finierit temporalem, volentes nobili mulieri .. relictæ suæ ac pupillo & procuratoribus necnon officialibus ejus paterna sollicitudine pleniùs providere, ut etiam ipsi defuncto Comiti respondeamus juxta suæ devotionis affectum, ac imbecillitati puerili & fragilitati femineæ consulamus, cùm difficile sit ad nos pro singulis habere recursum, vices nostras usque ad annos pubertatis pupilli sui vobis duximus committendas; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatinus, cùm oppressis quibuslibet liceat ad sedem apostolicam appellare, si quando duxerint appellandum, audiatis auctoritate nostra causas super quibus contra homines ejusdem provinciæ fuerit appellatum, & sublato appellationis obstaculo fine debito decidatis, denuntiantes illas sententias non tenere quæ in Comitissam, procuratores, & terram Comitis memorati post appellationem ad nos legitimè interpositam fuerint promulgatæ. Illas autem quæ secùs prolatæ fuerint, secundùm formam Ecclesiæ appellatione postposita relaxetis; & injuncto quod de jure fuerit injungendum, audiatis si quid fuerit quæstionis, & ap-

pellatione remota fine debito decidatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quòd si forsan alteri partium vestrum judicium sit suspectum, partes ad eligendos arbitros appellatione postposita compellatis, qui prædicta, sublato appellationis obstaculo, sicut præmisimus, exequantur. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non ambo &c. tu, frater Archiepiscope &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Iunij, anno decimo.

COSORANENSI EPISCOPO ET ABBATI Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 68. Committitur causa Archiepiscopi Narbonensis de variis criminibus accusati.

CVm geramus in terris, licèt immeriti, vicem ejus cui cœlestis pater judicium omne dedit, ut nec esset nimis regidum ex potentia, nec ex benignitate valde remissum, sed misericordia pariter & justitia per sapientiam temperatum, ita nos decet de subditis judicare quòd utraque virtute nostrum judicium condiamus. Sanè cùm olim per Legatos nostros in Narbonensem provinciam destinatos descenderimus ad videndum utrum clamorem, qui ad nos venerat, .. Archiepiscopus Narbonensis opere compleviſſet, ipsi per viros juratos inquisitionem plenariam facientes, depositiones eorum suis inclusas sigillis nobis fideliter transmiserunt; per quas idem Archiepiscopus de duobus præcipuè, avaritia scilicet & negligentia, culpabilis notabatur. quæ duo inter abusiones duodecim numerantur; cùm videlicet est Episcopus negligens, & dives avarus. quamvis utraque radix in multos ramos perhibeatur esse diffusa. Idem autem Archiepiscopus ad præsentiam nostram accedens, super objectis se multipliciter excusavit, misericordiam tamen postulans, & emendationem promittens, ut expiare posset præterita per futura, recolens illud quod Iohannes Apostolus ait: *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, quoniam in multis offendimus omnes.* Nos igitur attendentes quòd ex labore grandis & gravis itineris, maximè præ senectute ac debilitate corporis, esset afflictus, & abbatia Montis-Aragonum, quæ pluris ei quàm Narbonensis archiepiscopatus, sicut dicebatur, extiterat, per vos fuerat spoliatus, disposuimus infundere oleum super vinum, ut in nobis justitiam pariter & misericordiam inveniret, cùm in arca tabernaculi manna contineretur & virga, tamen ne manna dulcedinis posset efficere dissolutum quem virga correctionis debebat reddere castigatum. Ad parabolam igitur evangelicam de ficulnea plantata in vinea recurrentes, de qua cùm dominus cultori vineæ præcepisset ut illam succideret, ne terram inutiliter occuparet, qui veniens post tres annos non invenit fructum in illa, & ille respondit domino ut dimitteret illam per annum usque dum foderet circa ipsam & mitteret stercora, & si quidem faceret fructum, alioquin eam succideret in futurum, adhuc eidem Archiepiscopo, circa quem foderamus comminando & increpando, & miseramus stercora commonendo & exhortando, amplioris temporis spatium duximus indulgendum, ut probaremus utrum fructum afferret optatum; & si fortè fructum non faceret, securim ad radicem infructuosæ arboris justiùs poneremus. Eidem ergo districtè præcepimus ut non pecuniarum sed animarum lucris insistens, illicitis exactionibus & iniquis commerciis nequaquam intenderet, sed ad hospitalitatem ac pietatem se diligenter exercens, peregrinis & indigentibus se largum & benignum deinceps exhiberet. Studeret insuper visitare provinciam, celebrare Concilium, hæreses expugnare, multiplices excessus corrigere, ac cetera operari quæ requirit officium pastorale. Verùm quia, sicut accepimus, non solùm præterita non correxit, verùm etiam pejora prioribus noviſſima sua fecit, volentes cum ipso procedere utiliter in justitia, circa quem in misericordia noscimur inutiliter processisse, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita diligentiùs & cognita veritate, si eum vel de præmissis inveneritis incorrectum, vel in similibus aut gravioribus deliquisse, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ab administratione Narbonensis Ecclesiæ ipsum removeatis omnino, facientes eidem cum consilio vestro de persona idonea in Pontificem provideri, qui & possit & velit non solùm sibi subditis, verùm etiam & vicinis, verbo & exemplo proficere, ac præsertim à lupis rapacibus, qui contra caulas Ecclesiæ de latibulis pravitatis hæreticæ sunt egressi, gregem dominicum custodire. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censura ecclesiastica appellatione postposita compescentes. Datum ut in alia.

NOBILI VIRO RAYMVNDO COMITI Tolosano, spiritum consilij sanioris.

Epist. 69. Vt cesset persequi Ecclesiam Dei.

SI parietem cordis tui fodere cum Propheta possemus, ingrederemur illud, & monstraremus tibi abominationes pessimas quas in ipso fecisti. Sed quoniam super lapidem duruisse videtur, facilè quidem poterit pulsu salutiferi verbi percuti, sed difficile penetrari. propter quod etsi corripere te satagimus, corrigere vix speramus. Proh dolor, quæ cor tuum superbia tumefecit, quæ te, vir pestilens, vesania comprehendit, ut pacem cum proximis servare contemnas, & à legibus recedendo divinis, hostibus te catholicæ veritatis adjungas? Numquid parum tibi videtur hominibus esse molestum, nisi molestum etiam sis & Deo? Numquid pro tantis iniquitatibus à temporalibus saltem non expedit tibi formidare flagellis, si leve reputas habitare cum ardoribus sempiternis? Attende, miser, & paveas quòd dum insidians proximo bellicam cladem exerces, Deóque injurians hæreticam pestem foves, pro duplici tuæ prævaricationis offensa duplex etiam in te poterit exasperari vindicta. Væ tibi, væ, si non metuas propter hoc duplici contritione juxta Prophetam conteri, & sicut diploide pœnali confusione vestiri. Hoc utique, si non esset insipiens cor tuum penitùs obscuratum, si Deus, quem habere in notitiam non probasti, te in sensum reprobum non dedisset, attenderes, & saltim formidine pœnæ animum à nefando proposito revocares. Considera igitur, insensate, considera. Nonne Deus, qui dominus est mortis & vitæ, subitò potest præcidere dies tuos; ut quem patientia ejus ad pœnitentiam non adduxit, ira demum tradat tormentis æternis. Sed etsi vita præsens tibi diutiùs prorogetur, attende quot possis calamitatum incommodis subjacere. Non est siquidem ænea caro tua, nec naturæ alterius quàm illorum quorum aliqui subitò febribus invaduntur, percutiuntur lepra, paralytici fiunt, arripiuntur dæmoniis, & morbis incurabilibus flagellantur. ut de ceteris infortuniis taceamus, quæ, cùm nunquam aliquis suspicatur, solent evenire securo; quæ nimirum etsi nonnunquam justis contingant ad experientiam patientiæ, illis tamen ad initium cedunt pœnæ de quibus vir justus ait: *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, ac metunt eos, subitò Deo flante perisse.* Tu verò cur hujusmodi non recogitas & pavescis quòd horribile sit in manus Dei viventis incidere, qui propter hoc etiam potens est te in bestialem habitum commutare, ut velut irrationabile animal cum Babylonico Rege fias, qui contra Deum data tibi abuteris ratione? Quòd si forsan impœnitens cor tuum flagella præsentis temporis ab iniquitate non revocant, & thesaurizare tibi non metuis iram in die iræ ac revelationis justi judicij Dei, quam excusationem prætendes, quam pro te allegationem induces, cùm, nisi per pœnitentiam prævenias iram extremi judicis, cum iis qui sunt æternis incendiis deputandi, terribile tonitruum illius es sententiæ auditurus: *Ite maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* Sanè quem facis te ipsum, ut karissimo in Christo filio nostro.. illustri Rege Aragonum cunctísque ferè magnatibus circumpositæ regionis ad exhortationem Legatorum Apostolicæ sedis pacis fœdera simul jurantibus, tu solus illa respueris, ut in bellicis simultatibus lucra ponens, quasi corvus cadaveribus vescereris? Non te pudet juramenta quamplurima non servasse quibus universos hæreticos in tuo dominio constitutos proscribere promisisti; quandoquidem in Arelatensem provinciam cum Aragonensibus tuis hostili vastitate crassando, rogatus à venerabili fratre nostro Arausicensi Episcopo ut monasteriis parceres, & saltem tempore sancto ac diebus festivis instantibus à terrarum depopulatione cessares, apprehendisti dexteram ejus, & jurasti per eam quòd nec tempori sancto nec diebus deferres dominicis, nec à læsione piorum locorum vel ecclesiasticarum desisteres personarum; & juramentum hujusmodi, quod magis est dicendum perjurium, diligentiùs ceteris, quæ ob causam honestam feceras, observasti. Impie, crudelis, & dire tyranne, non es confusus in pravitatem hæreticam usque adeo declinare ut ei qui te corripuit super hæreticorum defensione respondeas quòd talem hæresiarcham, quendam scilicet hæreticorum Episcopum, invenires qui fidem eorum meliorem quàm catholicorum esse probaret? Sed & illud quod, dum esses in obsidione cujusdam castri, fratribus monasterij de Candelio, qui pro indemnitate vinearum suarum rogare te venerant, respondisti, de perfidia te notavit, cùm illis ignominiosè repulsis, vineas eorum fecisti destrui, & eas quas habebant ibidem hæretici sine læsione servari.

Multa quidem alia contra Deum te novimus commisisse. Sed in hoc tibi præcipuè, si tamen & ipse doleas, condolemus, quia per hoc quòd foves hæreticos, suspectus de hæresi vehementer haberis. Interrogamus te igitur, quæ sit ista dementia quæ te cepit, ut sententias nugaces ascultes, & hujusmodi viæ confoveas sectatores? Erisne sapientior cunctis illis qui sequuntur ecclesiasticam unitatem? An omnes qui servaverunt catholicam veritatem, damnati sunt, & qui vanitates ac insanias falsas tenuere, salvati? Ideóne plerique prudentes & divites, cùm haberent intelligentiam scripturarum, & rebus secularibus abundarent, dereliquere mundum, & cum hac fide ad eremum transierunt? Ideóne nonnulli patres orthodoxæ fidei zelatores, pro ea suum sanguinem effudere? Profectò desipis, si sic sapis; & aut ea recipies quæ de talibus inquit ille in Dei evangelium segregatus, *In novissimis scilicet temporibus quidam à fide discedent, spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisin loquentium attendentes*; aut ministrum evangelij reprobando, evangelij esse adversarius convinceris. Cùm igitur propter hoc etiam & pro eo quòd Aragonenses familiariter tecum tenens, terram devastas cum ipsis, quòd dies quadragesimæ festorum ac temporum, quæ securitate pacis gaudere debuerant, violasti, quòd adversariis tuis, qui se justitiæ offerebant, pacémque juraverant, justitiam exhibere recusas, quòd Iudæis publica committis officia in contumeliam fidei Christianæ, ac monasterio sancti Guillelmi & aliis Ecclesiis possessiones & Ecclesias abstulisti, quòd incastellasti Ecclesias, de quibus guerram facere non formidas, quòd noviter augmentasti pedagia, & venerabilem fratrem nostrum .. Carpentoratensem Episcopum à sede propria depulisti, prædicti Legati excommunicationis in te ac terram tuam interdicti sententias promulgarunt, nos eas ratas habemus, & secundùm dispositionem ipsorum præcipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Licèt autem in Deum & Ecclesiam generalem graviter & in teipsum graviùs deliquisse noscaris, quia tamen ad rectitudinis semitam revocare tenemur errantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur attentè, per apostolica tibi scripta sub divini judicij obtestatione præcipiendo mandantes, quatinus super ys ita celerem & condignam satisfactionem impendas quòd absolutionis obtinere beneficium merearis. Alioquin cùm tantam Ecclesiæ generalis injuriam, immo Dei, nequeamus dimittere impunitam, terram quam noscris ab Ecclesia Romana tenere tibi faciemus auferri. Et si nec sic vexatio tibi dederit intellectum, universis circumpositis Principibus injungemus ut in te velut in hostem Christi & Ecclesiæ persecutorem insurgant, retinendo sibi quascunque terras de tuis poterunt occupare, ne ampliùs sub tuo inficiantur dominio macula hæreticæ pravitatis. Nec in omnibus iis avertetur furor Domini super te; sed manus ejus adhuc extenta te comprimet, & ostendet quòd difficile tibi erit fugere à facie iræ suæ, quam graviter provocasti. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Iunij, anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI Grandissilvæ.

Epist. 70. Vt Hugonem Vitalis in ordine sacerdotali permittant liberè celebrare.

Dilectus filius Hugo Vitalis lator præsentium ad sedem apostolicam veniens, humili nobis confessione monstravit quòd cùm esset in acolythatus ordine constitutus, quandam puellam R. nomine in Ecclesiæ facie duxit uxorem; cùmque aliquandiu cohabitassent insimul, & ipse illam carnaliter cognovisset, orta discordia inter eum & fratres jam dictæ puellæ, dimisit eam motu propriæ voluntatis. Qui cum ad eandem recipiendam nullatenus posset induci, habito super hoc inter eum & amicos puellæ coram venerabili fratre nostro Ruthenensi Episcopo diligenti tractatu, dicta puella fuit alij, Vitali nomine, copulata; & idem Episcopus memoratum Hugonem usque ad ordinem sacerdotij promovendo, quandam Ecclesiam concessit eidem. Cùm autem eundem Hugonem propter hoc sua conscientia remorderet, & de consilio quorundam religiosorum Cistercienſis ordinis habitum assumpsisset, tandem tibi, fili Abbas, prædicta omnia revelavit. Quem cùm sollicitè monuisses ut super hoc saluti suæ animæ provideret, ipse reatum proprium recognoscens, supradictam puellam monuit diligenter ut ad ipsum, relicto adultero, prout tenebatur, redire curaret. quod ipsa facere penitùs recusavit. Quocirca mandamus quatinus si est ita, ex quo monita noluit ad ipsum redire, sed potiùs cum alio permanere, quia jam ipsum non posset repetere cum effectu, dictum Hugo-

nem in susceptо sacerdotij ordine celebrare liberè permittatis. Datum.

TVRONENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Parisiensi.

Epist 72 De regalia Autisiodorensi.

GRaviter nos angit zelus & comedit domus Dei, ad cujus sumus, licèt immeriti, custodiam disponente Domino deputati, cùm ab illis affligitur qui eam deberent potiùs confovere, ac gravatur ab eis per quos deberet ab aliis defensari: quibus paterno compatientes affectu, non minùs urimur pro eisdem quàm pro domo Domini, quam affligunt. Sanè quanto KARISSIMUM in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem ferventiori caritate diligimus, tanto majori dolore turbamur quotiens ea nobis de ipsius actibus referuntur quæ famam ejusdem obnubilant apud homines, & conscientiam maculant apud Deum; dum idem in ejus Ecclesiam dicitur desævire, quæ quasi passer nidificare deberet in eo, tanquam in cedro à Domino super Libanum complantata. Ad audientiam namque nostram noveritis pervenisse quòd idem Rex audito quòd bonæ memoriæ Hugo Altisiodorensis Episcopus naturæ debitum exolvisset, statim fecit per servientes suos episcopales res, quas vocat regalia, occupari: qui more prædonum debacchantes in eis crudeliter, Ecclesiæ nemora passim fecere succidi, eadem venalia omnibus exponentes. Stagna quoque fecerunt dirui & penitùs expiscari; & ejusdem Ecclesiæ hominibus captis, ipsos tormentis ad redemptionem miserabilem compulerunt; & abducentes animalia universa, frumentum, vinum, fœnum, ligna etiam & lapides expolitos quos idem Episcopus ad construendam Capellam & alia ædificia præpararat, nequiter asportarunt; episcopalibus domibus supellectili qualibet spoliatis, ita ut in eis, præter tectum & parietes, non fuerit aliquid derelictum; alia damna & gravamina in rebus episcopalibus nihilominus irrogantes. Præterea bona quæ præfatus Episcopus Ecclesiis & pauperibus diversorum locorum sub bonorum virorum testimonio pia & provida deliberatione legarat, sicut apparet in testamento ipsius sigillorum venerabilis fratris nostri Episcopi Eduensis & septem Abbatum necnon & ejusdem Episcopi munimine roborato, idem Rex penitùs confiscavit, duas præbendas, quæ postmodum vacaverunt, Clericis suis assignans pro suæ arbitrio voluntatis; licèt, sicut seniores ejusdem Ecclesiæ asseverant, inclitæ recordationis Rex Ludovicus pater ejus & antecessores ipsius hactenus nec præbendas episcopali sede vacante contulerint, nec extenderint ad regalia manus suas, sed Decanus & Archidiaconus ea in suis manibus detinentes, & gerentes administrationem Ecclesiæ memoratæ, obventiones & redditus futuro Episcopo reservarint. Verùm quia præfatus Rex Philippus adhuc puer ad suggestionem Gilonis de Torneello, qui tunc consiliarius ejus erat, & ut frater ejus eligeretur in Episcopum laborabat, regalia occupavit, (super quibus tamen nihil prædictæ Ecclesiæ intulit læsionis, quæ etiam resignavit postmodum liberaliter Capitulo postulante, ac dicto fratre Gilonis electo à quadam parte Capituli, tandem occupata illi quasi electo assignans, quasdam præbendas vacantes suis Clericis contulit, quos dictus Episcopus post confirmationem electionis suæ, non ratione collationis regiæ, sed ipsius Regis devictus precibus, toleravit) idem postea Hierosolymam proficiscens, monitus ab Episcopo sæpedicto ut super iis Ecclesiæ suæ satisfactionem congruam exhiberet, quasdam litteras concessit eidem, in quibus continebatur expresè ut nullus de cetero ex parte Regis ad regalia manus extendere attentaret donec inter ipsum & Capitulum esset plenè discussum quis ea, sede vacante, in suis debeat manibus retinere. Sed cùm præfato Regi hujusmodi litteræ præsentatæ fuissent & in ejus præsentia recitatæ, idem eas de manu legentis arripuit, ac resignare postmodum contradixit. Cùm autem venerabilis frater noster Altisiodorensis Episcopus præfatum Regem tam super damnis resarciendis prædictis quàm retentis litteris amicabiliter convenisset, & ipsum super eis humiliter exorasset, idem ipsi nullatenus acquievit. Præterea castrum de feudo Altisiodorensis Ecclesiæ, quod Giem. appellatur, cujus dominus eidem Ecclesiæ hominium & fidelitatem exhibere tenetur, à Comite Nivernensi, qui tunc ipsum tenebat, sibi traditum in præjudicium ipsius Ecclesiæ detinere contendit. Nos igitur non minùs honori ac saluti suæ quàm Ecclesiæ sæpedictæ paterna volentes sollicitudine providere, venerabilibus fratribus nostris Senonensi Archiepiscopo & Episcopo Nivernensi dedimus in præceptis ut Regem prædictum moneant efficaciter & inducant quatinus super prædictis omnibus taliter

Vide Historiam Episcopor. Autisiodor. pag. 483. & seq.

taliter satisfaciat Episcopo & Ecclesiæ supradictis quòd offensam divinæ majestatis evitet, quam propter hoc creditur incurrisse, & apud homines ejus opinio, quæ per prædicta maculata fuerat, relevetur. Licèt ergo prædictum Regem sicut karissimum in Christo filium diligamus & ejusdem velimus honori deferre, quia tamen homini contra Deum & Ecclesiæ libertatem, pro qua, si opus esset, exponeremus juxta officij nostri debitum intrepidè nosmetipsos, deferre non possumus aliqua ratione, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus nisi prædictorum Archiepiscopi & Episcopi monitionibus super præmissis duxerit annuendum, vos inquisita super iis pleniùs & cognita veritate, quod justum fuerit sublato cujuslibet appellationis & contradictionis obstaculo statuatis, & faciatis quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani XV. Kal. Iunij, anno decimo.

EPISCOPO TERVISINO, ET ALBERTO Presbytero Mantuano.

Epist. 72. De electione Episcopi Tridentini.

DVdum à nobis venerabilis frater noster .. Tridentinus Episcopus postulavit ut dignaremur ipsi cedendi licentiam indulgere, quasdam causas inducens propter quas ei non videbatur idoneum pontificale deinceps officium exercere, quia videlicet parrochiani sui per se ac alios intolerabilibus eum injuriis & molestiis affligebant, & quia tum ratione ætatis vergentis in senium, tum occasione laborum quibus fuerat multipliciter fatigatus, nimia erat debilitate confractus, & propter multa homicidia, perjuria, & incendia, quæ occasione discordiæ quam cum eisdem parrochianis habuerat hinc inde fuerant nequiter perpetrata. Nos autem ejus precibus inclinati, venerabili fratri nostro .. Paduano Episcopo dedimus in mandatis ut vice nostra recipiens cessionem ipsius, injungeret Tridentino Capitulo ut personam idoneam canonicè sibi eligerent in pastorem. Verùm cùm inter Decanum & Capitulum ex una parte ac dictum Episcopum Tridentinum ex altera, occasione cessionis ejusdem Episcopi controversia postmodum emersisset, idem Decanus cum quibusdam sociis & Episcopus ad sedem apostolicam accesserunt. Decanus itaque proposuit coram nobis quòd cùm dictus Episcopus deliberasset ad vitam monasticam convolare, fratres suos convocavit in unum, exponens eis quòd apud Ecclesiam sancti Georgij super montem in vita monastica militare Domino disponebat, quòdque pro cedendi petenda licentia proprium ad nos nuntium destinarat, adiciens quòd cum iidem Canonici super hoc litteras nostras viderent, à juramento fidelitatis & obedientiæ debito, quo eidem tenebantur adstricti, essent penitùs absoluti. Ad quæ probanda Decanus ipse publicum exhibuit instrumentum, proponens insuper quòd post hæc idem Episcopus ad monasterium transiit supradictum, & ibidem post votum emissum solemnem professionem faciens, habitum monachalem assumpsit. Cùmque postmodum Episcopi nuntius cum cessionis litteris rediisset, idem Episcopus, carne ac sanguine præpeditus, cœpit à proposito quod assumpserat resilire. Dicti verò Decanus & Capitulum attendentes Episcopum in salutis suæ dispendium & detrimentum Ecclesiæ assumptum propositum revocare, tanquam devoti filij, volentes suæ matris obviare jacturis, nostris hoc auribus intimarunt, multa damna & gravamina quæ ipsa Ecclesia per dictum Episcopum postmodum sustinuerat exprimentes. Propter quod prædicto Paduano Episcopo dedimus in præceptis ut nisi memoratus Episcopus Tridentinus justam & necessariam causam ostenderet quare cedendi mutaverit voluntatem, ipsum ut cederet moneret & induceret diligenter, & si necesse foret, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellere procuraret. Cùm autem auctoritate litterarum illarum citati fuissent Episcopus & Capitulum Tridentin. & statuto termino exhibuissent suam præsentiam coram eodem Episcopo Paduano, dictus Tridentinus Episcopus quasdam exceptiones opposuit ad judicium declinandum. Et cùm super ipsis nos consuluerit Episcopus Paduanus, nos exceptiones illas supervacuas judicantes, ipsi dedimus in mandatis ut exceptionibus illis, tanquam frivolis, nequaquam obstantibus, in ipso negotio juxta nostri formam mandati procedere non tardaret. Sanè Paduanus Episcopus, Capitulo non citato, nec absente per contumaciam, testes ad causas probandas propter quas Tridentinus Episcopus mutaverat voluntatem productos ab ipsius parte recepit; quos supradictus Decanus multipliciter reprobabat. Vnus enim eorum balistarius est & arcator, alius aleator & barata-

rius; sicut iidem testes in seriem sui testimonij attestantur. Tertius autem convincitur esse perjurus: quia cùm Decano juraverit servare credentiam, postmodum consilium sibi creditum, sicut idem testis deposuit, Episcopo reseravit. Vnus etiam ex testibus R. nomine respersus deprehenditur labe simoniacæ pravitatis. Inter ipsos quoque testes manifesta contrarietas invenitur. Petebat itaque dictus Decanus quòd cùm idem Episcopus justam & necessariam causam legitimè non probasset quare mutaverat voluntatem, ut ipsum a cedendum compellere dignaremur; maximè cùm illæ causæ propter quas cedendi licentiam petiit dimminutæ non essent, sed potiùs augmentatæ. Allegabat etiam Decanus jamdictus quòd etsi propter illas causas non esset ad cessionem præpeditus Episcopus compellendus, propter manifestam tamen dilapidationem ipsius in episcopatus administratione non debet ulteriùs sustineri, cùm plus quàm in quadraginta millibus librarum Veronensis monetæ suam gravasset Ecclesiam onere debitorum, sicut ex ipsius confessione constabat. Episcopus autem dicta Decani multipliciter impugnando, facti seriem & processum proposuit dissimiliter quàm Decanus, asserens quòd etsi propter causas superius annotatas mutandi vitam propositum concepisset, & ad nos destinasset proprium nuntium ad cedendi licentiam obtinendam, ex causa tamen probabili & honesta, quia videlicet sponsam suam videbat iniquis studiis & turpibus promissionibus prophanari, mutavit postea voluntatem. Ad hoc etiam quod Decanus induxit, quia scilicet Episcopus Paduanus, lite non contestata, ac juris ordine prætermisso, testes recepit, Episcopus sic respondit, quòd in hoc articulo non fuit omnimoda solemnitas judiciarij ordinis observanda, cùm Paduano Episcopo non contentiosa sed quædam planaria jurisdictio fuerit demandata. Vnde juris solemnitatibus prætermissis testes in hoc casu recipi potuerunt. Ea quoque quæ circa testes & eorum dicta objecta fuerant idem Episcopus diversis responsionibus excusavit, adjungens quòd etsi sua Ecclesia debitorum onere gravabatur, non sibi sed suis potiùs subditis poterat imputari, qui contra ipsum seditionem minùs rationabiliter commoverunt. Nos igitur rationibus & allegationibus utriusque partis auditis & plenius intellectis, attendentes quòd etiamsi Episcopus causam illam, propter quam suum se asserit mutasse propositum, per testes idoneos sufficienter legitimè probavisset, quia tamen eadem causa differre potuit cedendi propositum, non mutare, maximè cum talis causa cesset omnino ex quo Ecclesiæ Tridentinæ per nostram volumus sollicitudinem provideri, de consilio fratrum nostrorum decrevimus ut idem Episcopus sine qualibet dilatione cedat, prout à nobis sollicitè dinoscitur postulasse. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus Capitulum Tridentinum attentiùs moneatis ut infra octo dies post admonitionem vestram personam idoneam, quæ omni suspicione careat, cum vestro consilio sibi eligant canonicè in pastorem. Quod si facere fortè distulerint, vos auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo id exequi non tardetis. Contradictores &c. Datum Laterani IX. Kal. Iunij, anno decimo.

VVACIENSI EPISCOPO.

Epist. 73. Respondet ad ejus consulta.

EO libentiùs tuis inquisitionibus respondemus quò devotiùs sedem apostolicam veneraris. Sanè proponere curavisti quòd cùm super decimis Crúciferorum, quibus à sede apostolica est indultum ne de novalibus vel illis fundis quos propriis manibus vel sumptibus excolunt decimas exolvere teneantur, sustineas non modicam læsionem, dubitas utrum si prædia vel possessiones, à quibus proventus consueveras recipere decimales, ipsis in eleemosynam conferantur, vèl per contractum acquisierint emptionis, ex eisdem possessionibus, propriis eorum manibus aut sumptibus non excultis, decimas solitas exigendo, contra privilegia sedis apostolicæ agere videaris. Vnde super hoc certificari per rescriptum apostolicum postulasti. Adiciens aliam quæstionem, an illorum filij qui Ecclesiæ servili conditione tenentur, traditi à parentibus militiæ clericali cum suorum conniventia dominorum, ut Deo in ea cujus sunt Ecclesia debeant deservire, assequentes propterea libertatem, post tempus eadem relicta possint ad aliam se transferre. Nos verò in utroque articulo fraternitati tuæ satisfacere cupientes taliter respondemus, quòd cùm iidem Cruciferi ex tenore privilegiorum nostrorum decimas de laboribus quos suis manibus aut sumptibus excolunt solvere non cogantur, si alij propriis sumptibus eorum excolunt prædia, præstare tenentur decimas de laboribus

Cap. Eò libentiùs. De serv. non ordin.

alienis. In alio verò capitulo credimus distinguendum, utrum eo tenore fuerint manumissi & oblati ordini clericali, quòd manumittenti Ecclesiæ, dum vixerint, debent impendere famulatum in obsequiis divinorum, & tunc transferendi se ad aliam est eis licentia deneganda, vel manumissi extiterint absolutè, sícque libertatem habeant ad aliam transeundi. Datum Viterbij V. Idus Iunij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO TVRONENSI & suffraganeis ejus.

Epist. 74. De torneamentis, & de subsidio terræ sanctæ.

OLim venerabilis frater noster . . Episcopus Suessionensis per suas nobis litteras intimavit quòd cùm torneamenta quæ fiebant in suis partibus peregrinationis suæ propositum crederet plurimùm impedire, auctoritate nostra in torneatores excommunicationis sententiam promulgarat. propter quod multi Milites fuerunt adeo conturbati ut nec crucem assumere nec aliquod subsidium vellent terræ sanctæ conferre. Vnde postulavit à nobis ut sibi permittere dignaremur ad tempus illam sententiam mitigare. Licèt autem intentionis nostræ non esset torneamenta permittere, quæ sacris noscuntur institutionibus interdicta; quia tamen quod provisum erat ad commodum, tendere videbatur ad noxam, eidem Episcopo duximus concedendum ut sententiam ipsam circa omnes vel aliquos relaxare curaret, prout nosceret expedire. Ipse verò in negotio ipso cum debita maturitate procedens, recepta secundùm formam Ecclesiæ cautione ab omnibus qui Montis aurei & Laudun. hastiludiis interfuerant, præfatam excommunicationis sententiam relaxavit, tam ipsos quàm universos qui vel in hospitio vel etiam aliàs communicarant eisdem nuntiari faciens absolutos. Canonis quidem censura de talibus in suo robore perdurante. Quapropter Milites absoluti plurimùm exultantes, devotione unanimi statuerunt certam quantitatem pecuniæ singillatim in terræ sanctæ subsidium destinare. Nos igitur quod ab eodem Episcopo providè ac utiliter factum est approbantes, universitati vestræ auctoritate præsentium mandamus quatinus Milites memoratos ut quod in hereditatis Christi subsidium promiserunt se devotione laudabili soluturos exolvant unusquisque per diocesim suam moneatis prudenter & efficaciter inducatis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per districtionem ecclesiasticam compellentes, censuram Lateranensis Concilij circa tales obtinere vigorem debitum faciendo. Datum Viterbij VII. Kal. Iulij, anno decimo.

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 75. Vt reconciliare possit altare S. Iacobi. *Cap.* Proposuisti *De consecr. Ecclesiar.*

PRropositi nobis in nostra præsentia constitutus quòd venientibus ad Ecclesiam beati Iacobi ex diversis regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab alteris per contentiones & rixas altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia contingunt interdum, & aliquando vulnera inferuntur. Propter quod humiliter postulasti ut alio modo quàm per reconsecrationis beneficium dignaremur ipsi Ecclesiæ providere. Manente igitur Ecclesia & altari, fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat quòd ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, anno decimo.

EIDEM.

Epist. 76. De procurationibus. *Cap.* Super eo. *De censib.*

SVper eo quòd fraternitas tua nos consulere voluit, ut quia tota ferè provincia Compostellana de novo est ad jurisdictionem Ecclesiæ tuæ conversa, qualiter tibi provinciam vel partem provinciæ visitanti obsequi debeat & servire, necnon & in procurationibus providere, te instruere dignaremur, tibi taliter duximus respondendum, quia illud observare tenetur quod in vicinis provinciis observatur. Datum Viterbij X. Kal. Iulij, anno decimo.

ABBATI SANCTI AVBERTI, & Magistro R. de Bekerel & R. Torel Canonicis Cameracensibus.

Epist. 77. De Clerico qui factus fuerat monachus in infirmitate.

COnstitutus in præsentia nostra dilectus filius C. Clericus sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm olim pro injuriis quas .. Præpositus Ecclesiæ sancti Audomari super beneficio suo ejusdem Ecclesiæ irrogabat eidem ad sedem apostolicam provocasset, & ipsum ad prosequendam appellationem suam in itinere constitutum ad sedem apostolicam veniendi apud Trecas contingeret gravi ægritudine occupari, demum ut populi tumultum idem Clericus evitaret, se fecit ad monasterium Clarevallense deferri; ubi cùmtandem invalescente morbo fuisset in extasi positus, monachi ejusdem loci eum novitiorum habitu induerunt. qui statim ut ad mentem rediit reclama-

vit, nunquam consentiens, & depositio habitu, recedendi licentiam obtinuit ab eisdem. Quare à nobis humiliter postulavit ut ei dignaremur super hoc contra æmulorum suorum astutiam paterna sollicitudine præcavere. Nos igitur petitioni ejus paterno condescendentes affectu, præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus si est ita, prædictum Clericum hujus occasionis obtentu non permittatis ab aliquibus molestari, eidem redditus suos, possessiones, & res alias cum integritate debita, si quas ea occasione inveneritis temerè occupatas, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo restitui facientes. Testes autem qui fuerint nominati &c. Nullis litteris &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Viterbij VI. Non. Iulij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS per Hispaniam & Guasconiam constitutis.

Epist. 78. De adulterinis insignis beati Iacobi.

OCcurrere debet apostolica sedes præsumptionibus malignorum, & eorum excessus pastorali sollicitudine cohibere. Sanè ad audientiam apostolatus nostri pervenit quòd quidam in Hispania & Guasconia constituti adulterina insignia beati Iacobi, quæ conchæ dicuntur, in animarum suarum periculum cudere non verentur. Volentes igitur præsumptiones hujusmodi per vestræ discretionis prudentiam cohibere, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus auctoritate nostra universis per vestras provincias constitutis sub excommunicationis pœna districtiùs inhibere curetis ne hujusmodi adulterina insignia, quod in suarum vergit periculum animarum, cudere aliqua temeritate præsumant. Datum Viterbij XIII. Kal. Iulij, anno decimo.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis in Aquitania constitutis.

Epist. 79. De literis apostolicis per fraudem obtentis.

INsinuata nobis per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Xanctonensem quorundam perversorum iniquitas animum nostrum non potuit non movere; qui nova lucrandi fraude reperta, contra nonnullos in vestris diocesibus constitutos graves calumnias per litteras nostras exercent. Quidam enim, ut dicitur, super falsis querelis adversùs eos quorum personas oderint, vel ambierint facultates, commissionum à nobis litteras impetrantes, in injurias jura convertunt, dum illos tamdiu fatigare compellunt sub prætextu justitiæ per easdem donec per injustitiam vel personas ad libitum fatigaverint vel extorserint pretium pro susceptati litigij cessione. De quibus siquidem unus, cùm nequivisset quandam juvenculam conjugatam ad suæ libidinis inclinare consensum, repetens exenia quæ se illi misisse dicebat, eam citari fecit ad causam. Quæ sive de fraude timida, sive per virum ad judices accedere non permissa, non solùm ipsa, verùm etiam consanguinea quædam ejus, quæ noluerat esse adulterij mediatrix, & quidam alij, excommunicationis sententiam pertulerunt: quorum interim aliqui decedentes sepulturam ecclesiasticam nequiverunt aliquatenus obtinere, quanquam unus judicum à .. Presbytero, qui conjugatam prædictam in mortis articulo constitutam ad pœnitentiam receperat, certam extorserit pecuniæ quantitatem. Præterea quendam sutorem pro sotularium filo quatuor denarios vix valente citari ad remotos judices procuravit & tandem excommunicationi supponi; qui etiam occasione sumpta quòd cujusdam burgensis famulus eidem domini sui domum intrare volenti ostium obseraverat, post non modicum temporis, eodem famulo contrahere volente cum quadam, objecit quòd pro injuria sibi facta vinculo eum fecerat excommunicationis astringi; & tandem decem solidis pro tali contradictione receptis, dicens se judicum auctoritatem habere, ipse idem illum absolvit. Alia verò vice, cùm ferè ducentos homines pro variis quæstionum figmentis à quodam Archipresbytero citari fecisset, demum eundem Archipresbyterum, eò quòd negligenter fuisset mandatum apostolicum executus, coram eisdem judicibus impetivit, & ab ejus calumnia non nisi data redemptione quievit. Alius autem similiter à quodam sutore, imponens ei quòd suos parando calceos, eorum soleas decurtarat, quindecim solidos extorsit. Qui profectò cùm equum unum à quodam alio conduxisset, in certa pecuniæ summa illum satisfacere sibi compulit, eò quòd idem equus casualiter in aquam sub ipso corruens, ejus infusione suum pallium madefecit. Sed & alius quidam pro manipulo caulium decem solidos recepit à quodam quem calumniatus fuerat super ipso. Quódque recoli est indignum, quidam alius quendam juvenem citari fecit ad judices per tres dietas & ultrà remotos, eò

quòd cum ipso ad publicas mulieres accedens, eum noluerit expectare, questus quòd ex ejus absentia rerum suarum dispendium incurrisset, cùm illud summam unius denarij non excesserit; quem, ex eo quòd solus remanserat, dare pro symbolo est compulsus. Quæ nimirum & iis similia tanto licentiùs ab hujusmodi perpetrantur, quanto quidam judicum damnabiliùs in iis eis participare dicuntur; qui citatis & loca non tuta quasi ex deliberatione præfigunt, & nonnunquam eisdem petitionarijs cartulas suas tradunt sigillo proprio sigillatas, per quas excommunicandi & absolvendi tales sibi conferunt potestatem. Cùm igitur hæc, si vera sunt, clausis non debeamus oculis pertransire, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus veritate diligentiùs inquisita, litteras quas constiterit in hanc fraudem per hujusmodi calumniatores obtentas, carere viribus decernatis, & revocato in statum debitum quicquid per eas inveneritis perperam attentatum, illos ad restitutionem eorum quæ temerè per occasionem extorserunt appellatione remota cogentes, aliàs eis pœnam talem infligere procuretis per quam & sua condignè puniatur iniquitas, & ceteri ab exemplo similium arceantur. Contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Viterbij V. Kal. Iulij, anno decimo.

EPISCOPO TRECENSI & A. Parisiensi Archidiacono.

Epist. 80. Vt M. Abbatem ad custodiam Ecclesiæ Peronensis restituant.

Cap. Cùm ad nostram. De instit.

CVm ad nostram dudum audientiam perveniſſet quòd in Ecclesia Peronensi dignitas quædam, quæ custodia vulgariter appellatur, contra statuta Lateranensis Concilij per duos annos & amplius vacavisset, venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo, tunc Archidiacono Parisiensi, & dilecto filio Decano sancti Quintini dedisse recolimus in præceptis ut si res taliter se haberet, cùm ad nos ipsius dignitatis esset donatio devoluta, ipsi auctoritate nostra suffulti eam in suam custodiam assumentes, insinuarent nobis per suas litteras veritatem; ut per eas certiores effecti, dignitatem ipsam personæ idoneæ conferremus. Ipsi verò tam Decanum & Capitulum quàm etiam Matthæum Abbatem Peronensis Ecclesiæ, qui custodem etiam ejusdem Ecclesiæ se gerebat, peremptoriè citaverunt. Cùmque dictus Archiepiscopus, quia die statuta interesse non poterat, per suas se litteras excusasset, supradicti procurator Abbatis coram Decano comparuit memorato, proponens nostras litteras directas ad illos multiplici ratione suspectas. tum quia in salutatione ipsarum priùs positum fuerat nomen Archidiaconi quàm Decani, & notula quæ ad assignationem personæ litteras impetrantis solet apponi, non erat à tergo scripta, sed in margine potiùs litterarum; tum quia S. littera capitalis in hac dictione *salutem* nimis erat in longum à posteriori parte protensa; & quia in eisdem litteris adversarius vel accusator seu etiam denuntiator non erat ex nomine designatus. quæ omnia obviare sedis apostolicæ consuetudini proponebat. Idem quoque procurator allegans quòd in eodem negotio erat ordine judiciario procedendum, dilationem cum instantia postulavit, ut dictus Abbas posset eidem causæ personaliter interesse; obstaculum appellationis obiciens, si eidem postulata dilatio negaretur. Dictus verò Decanus allegationes prædictas, tanquam supervacuas, vilipendens, dilatione penitùs denegata, in suam curam assumpsit custodiam memoratam, idoneis provisoribus tam in exterioribus quàm in interioribus deputatis. Qui ut de veritate negotij nos posset reddere certiores, Decanum & quosdam Canonicos Peronensis Ecclesiæ coëgit super ipso negotio veritati testimonium perhibere; quorum depositiones inclusas sub sigillo proprio ad nostram præsentiam destinavit. Nos igitur ejusdem Decani processum diligentiùs recensentes, licèt exceptiones quasdam ab Abbatis prædicti procuratore propositas frivolas reputaverimus & inanes, quia tamen secundùm legitimas sanctiones, etsi non cognitio, sed executio demandetur, oportet tamen de veritate precum inquiri, maximè cùm illa clausula, videlicet *si res ita se habet*, litteris nostris esset inserta, processum ejusdem Decani, qui priùs custodiam in suam curam accepit quàm inquireret veritatem, duximus irritandum; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatinus Abbatem ipsum restituatis ad custodiam supradictam, cùm constet ipsum contra formam mandati apostolici destitutum, ac deinde secundùm ejusdem mandati tenorem procedere procuretis; illud nihilominus attendentes, ut nisi dictus Abbas rationabilem causam ostenderit quòd in eadem Ecclesia custodiam simul & abbatiam possit

habere, vos, eo destituto, in curam vestram, sublato appellationis obstaculo, sæpedictam custodiam assumatis, custodientes eandem donec de ipsa mandatum apostolicum impleatis. Illud autem vos nolumus ignorare, quòd postquam idem M. fuit Abbas effectus, prædictam custodiam de jure non potuit obtinere: quia cùm ratione abbatiæ ad ipsum pertineat donatio tam custodiæ quàm aliarum dignitatum ac etiam præbendarum in Ecclesia Peronensi, custodiam ipsius nequaquam recipere potuit à se ipso, cùm inter dantem & recipientem debeat esse distinctio personalis; sed nec ab alio, cùm jus conferendi alius non haberet. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, anno decimo.

ROFFENSI EPISCOPO.

Epist. 81. Vt Iohannem ab officio & beneficio privatum cohabitare uxori suæ compellat.

PEr tuas nobis litteras intimasti quòd cùm Iohannes lator præsentium publicè coram te fuisset in jure confessus se cum quadam post susceptum subdiaconatus ordinem contraxisse, ac postmodum se fecisse, hujus rei tacita veritate, in Diaconum ordinari, licèt demum tam de contracto matrimonio quàm de diaconatus ordine pòst susceptо tibi per idoneos testes constiterit, idem tamen quòd ante contractum matrimonium factus fuerit Subdiaconus probare nequivit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, prædictum I. officio beneficióque privatum cohabitare compellas uxori. Datum Viterbij V. Kal. Iulij, anno decimo.

EPISCOPO ENGOLISMENSI.

Epist. 82. De Canonicis ad presbyteratum promovendis.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cùm in Engolismensi Ecclesia plures esse Canonici consueverint, qui per hebdomadas Missarum solemnia celebrabant in ordine vicis suæ, quia duo tantùm Presbyteri, qui sunt ad præsens in ipsa, onus hoc se non posse gerere conqueruntur, quod dudum à sex vel septem non facilè portabatur, Canonicos inferioris ordinis monuisti ut causa supplendi defectum hujusmodi se facerent in Presbyteros ordinari. ad quod nullus potuit ipsorum induci. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus dictos Canonicos moneas & inducas ut vel qui fuerint idonei, promoveri non differant pro tali necessitate ad officium sacerdotis, vel tecum pariter, prout convenit, aliquos assumant in socios & in fratres, à quibus in officio ipso in prædicta Ecclesia ministretur. Alioquin defectum eorum prout utile fuerit circa hoc, appellatione remota, nostra studeas auctoritate supplere. Nullis litteris &c. Datum ut in alia.

REGENSI EPISCOPO, & Abbati de Boscaudo.

Epist. 83. De causa Episcopi Nicensis.

CVm olim quidam religiosi diocesis Nicensis tenorem quarundam litterarum nobis obtulerint intuendum, quibus venerabilis frater noster.. Nicensis Episcopus super quibusdam expensis usus fuerat contra ipsos, conicientes per illum easdem litteras esse falsas, venerabilibus fratribus nostris Glandecensi & Senecensi Episcopis dedimus in mandatis ut occasione ipsarum in negotio non procederent, donec, inspectis eisdem, procederemus in hoc sicut contingeret expedire. Interim autem idem Nicensis Episcopus, qui tunc usque veras esse putaverat litteras prælibatas, incidens in suspicionem earum, protinus ad dilectum filium fratrem Petrum de Castronovo apostolicæ sedis Legatum accessit, & exposito quòd.. Clericus, qui sibi familiaris extiterat, illas litteras à nobis se dixerat impetrasse, quòdque penitùs earum falsitatis ignarus fuerit usus ipsis, quid tantæ malitiæ nova relatione confusus ageret ab ipso quæsivit. Vnde mox ad apostolicam sedem properans, oblatis nobis quibusdam litteris, quibus plerique viri religiosi suam innocentiam excusabant, sponte quidem, sed cum rubore, nobis aperuit quomodo in re ipsa confidenter quia simpliciter ambularit. Licèt igitur, juxta constitutionem contra falsarios editam, gravis pœna videretur eidem Episcopo imminere, quia tamen in eadem constitutione cavetur ut in hujusmodi plus malitia quàm negligentia puniatur, attendentes quòd, velut asserit, hic nocet alterius non sua culpa sibi, quanquam diligens non extiterit circa litteras memoratas quam debuit adhibendo cautelam, illud quoque notantes, quòd nec fautor falsitatis extitisse videtur, quam, cùm primò fuit suspicatus de ipsa, nostro studuit revelare Legato, ac tandem personaliter ad nos veniens, coram nobis spontaneus est confessus, ipsum officio pontificali suspensum ad vos, de quorum discretione confidimus, duximus remittendum, præsentium vobis auctoritate mandantes quatinus postquam ab eo cum tribus Episcopis super hoc purgationem canonicam receperitis, ipsum ad

idem officium restituere procuretis, illum quem jamdictas litteras constiterit procurasse secundùm constitutionem præfatam appellatione postposita puniturí. Quòd si non ambo, alter vestrum &c. Datum ut suprà.

EPISCOPO ET CAPITVLO ELENENSI.

Epist. 84. Ne contradictio unius prævaleat adversùs publicam utilitatem.

AD nostram noveritis audientiam perveniſſe quòd hujusmodi consuetudo in vestra Ecclesia inolevit, quód si vos pro tractandis ipsius negotiis aliquando convenire contingat, licèt omnibus Canonicorum institutio vel negotij alicujus certa deliberatio & communis, utilis videatur, & revera nitatur consilio saniori, si tamen displiceat uni soli ratione aliqua non suffulto, sed ducto potiùs motu propriæ voluntatis, totum illud evacuari asseritur, quantumcumque sit utile vel honestum quod ab aliis singulis comprobatur. Quia verò hæc animi pernicioſa libertas, quæ per consuetudinem verbi dicitur approbata, sacris canonibus penitùs inimica, apostolico debet moderamine coërceri, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ei de cetero nullatenus innitentes, ad communis juris observantiam redeatis. Datum Viterbij IV. Nonas Iulij, anno decimo.

CLAROMONTENSI ET NIVERNENSI Episcopis.

Epist. 85. Committitur eis causa Episcopi Anicienſis adversùs cives suos.

EX parte dilectorum filiorum Anicienſium civium nostris est auribus intimatum quòd licèt à piæ rec. Lucio Papa prædeceſſore nostro bo. me... Anicienſi Episcopo fuerit sub officij pœna præceptum ne legitima viduarum matrimonia impediret, aut pro eis contrahendis seu decedentium sepulturis pecuniam exigeret contra canonicas sanctiones, vel à suis subditis extorqueri aut exigi pateretur, venerabilis frater noster.. succeſſor ipsius non solùm hujusmodi postmodum attentavit, verùm etiam dictos cives in iis & aliis molestando, excommunicationis & interdicti sententias jaculari præcipitanter in ipsos pro voluntate sua sine causa rationabili non formidat. Vnde nos eidem Episcopo sub interminatione canonicæ pœnæ dedimus in præceptis ut quæ per ipsum vel Clericos suos ab eisdem civibus contra justitiam sunt extorta restituens & restitui faciens, ut tenetur, de cetero ab hujusmodi sic abstineat quòd justam de se querelam non oporteat iterari; propter quod manum nostram in ipsum gravare meritò deberemus; dictos quoque cives aut eorum nuntios non impediat nec faciat impediri quò minùs eundo & redeundo causam suam securè ac liberè prosequantur. Nos enim memoratis civibus per scripta nostra præcipiendo mandamus ut eidem reverentiam & obedientiam tam debitam quàm devotam impendant, & laudabilem consuetudinem hactenus observatam ex pia devotione parentum erga sepulturas carorum diligenter observent, ne forsan ex fermento pravitatis hæreticæ illam corrumpere videantur sub prætextu canonicæ puritatis. Ideóque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ab Episcopo & civibus antedictis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam faciatis appellatione remota præceptum nostrum inviolabiliter observari. Datum Viterbij Nonis Iulij, anno decimo.

POTESTATI ET CIVIBVS Florentinis.

Epist. 86. Exhortantur ad pacem & concordiam.

SI diligenter attenditis quód providus pater sæpe servum à filio, sæpe verò filium à servo facit propter offensam utriuslibet vapulare, gaudio quod nuper de Senensium victoria concepistis non poteritis non miscere timorem, nescientes utrum eos Dominus coram vobis propter vestram humiliarit justitiam, an quia per ministerium vestrum illis apponere voluerit disciplinam, cùm in uno formidabile videatur quòd Assur virga furoris Domini afflixerit Dei populum; quanquam in altero securitas colligatur ex eo quòd David in funda prostravit Philistæum. Licèt autem Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, vobis in ipsorum conflictu astitisse credatur, triumphi tamen accepti gloriam viribus vestris non debetis adscribere, sed alienis peccatis potiùs imputare, non excedendo modum in facto, ne forsan ei similes videamini cui contra populum furoris sui, secundùm Prophetam, mandaturum se dicit Dominus ut auferat spolia & dividat prædam, & quasi lutum platearum in conculcatione ponat eundem. Ipse autem non sic arbitrabitur; sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum. Cùm ergo discordiæ tantæ causa in grande rerum dispendium, grave damnum corporum, & immane periculum animarum redundare

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noscatur, & ad nos tanto pertineat specialiùs revocare discordantes ad pacem quanto differentiùs præ ceteris hereditamus eandem, quibus eam mediator Dei & hominum Iesus Christus, cujus nos, licèt indigni, vicem exercemus in terris, non solùm nascendo per angelum nuntiavit *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* dicentem, verùm etiam moriendo quasi testamento legavit, cùm dixit *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, ac resurgendo demum, *Pax vobis* discipulis suis inquiens, per ipsos prædicandam instruxit, ad ipsam, si desuper datum fuerit, paterna sollicitudine vos duximus reducendos. Hinc est igitur quòd dilectum filium nostrum G. sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, quem nota probitas & experta prudentia specialiter nobis reddunt inter ceteros fratres nostros acceptum, pro reformanda pace inter vos ac Senenses prædictos, & captivis liberandis utrinque, curavimus destinare; universitatem vestram monentes attentiùs, propensiùs exhortantes, ac in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus humilitatem, quæ vos creditur exaltasse, servantes, secundùm providam exhortationem ipsius in eodem negotio efficaciter procedatis; sollicitè provisuri quòd cùm tractatus pacis, quem ad exhortationem nuntij nostri, priùs quàm fuissetis congressi, fecistis, habeatur in scriptis, totum accedere ad superbiam videretur & ab humilitate recedere quod ultra ipsum plus debito pro pace niteremini postulare, possétque non immeritò de vobis impleri sententia veritatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur, sacra contestante scriptura quoniam ante ruinam exaltabitur cor, id est, post exaltationem cordis ruina succedit. Et quidem ille vobis erit titulus gloriæ sempiternæ, si omnipotenti Deo dantes honorem, pro ipsius reverentia, non necessitate, sed humilitate coacti, ea post victoriam sitis mensura contenti quam ante victoriam approbastis. Nos enim præfato Cardinali dedimus in mandatis ut ad ea quæ præmisimus peragenda prudenter insistat & diligenter attendat, in partem, si quam repererit contumacem, sublata appellatione, districtionis ecclesiasticæ promulgando censuram. Mandamus etiam universis Episcopis in Tuscia constitutis ut sententiam quam idem duxerit proferendam, inviolabiliter faciant observari. Datum Viterbij V. Idus Iulij, anno decimo.

PRIORI ET CONVENTVI de Kyrchan.

Epist. 87. De confirmatione privilegiorum.

OLim fuistis apostolatui nostro conquesti quòd venerabilis frater noster Eboracensis Archiepiscopus & quidam alij Ecclesiarum Prælati, contra privilegia Romanorum Pontificum vobis indulta, vos, Ecclesias, & Clericos vestros injustè suspendere non verentes, aliàs super Ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis injurias vobis multiplices inferebant, & prohibebant laïcos in iis ad quæ tenebantur vestris Ecclesiis respondere. Vnde dilectis filiis.. Abbati de Torenton. & conjudicibus ejus dedimus in mandatis ut dictum Archiepiscopum & alios per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ab indebita vestri molestatione desistere, ac de damnis & injuriis irrogatis satisfactionem congruam exhibere. Ipsi verò, sicut per suas nobis litteras intimarunt, illos propter hoc sæpius citaverunt. Sed idem Archiepiscopus per annum integrum peremptoriè locis & temporibus competentibus citatus ab ipsis, nec per se nec per idoneum responsalem in eorum voluit præsentia comparere; quin-imo per quasdam litteras ad venerabilem fratrem nostrum Saresberiensem Episcopum & collegas ipsius impetratas à nobis, in quibus de litteris nostris tempore quidem & usu prioribus nulla mentio facta fuit, usque ad octo dietas gravibus laboribus & expensis vos multociens fatigavit. Quapropter prænominati judices vestri, habito prudentum consilio, dictis Archiepiscopo & Episcopo Saresberiensi ac sociis suis, ut ab injusta vexatione vestri desisterent, auctoritate apostolica injunxerunt; à qua cùm idem Archiepiscopus desistere nunquam vellet, ipsum à vestra, Clericorum, & Ecclesiarum vestrarum obedientia pro manifesta contumacia suspendêre, donec affectus tædio vobis in judicio responderet. Qui demum multis peremptoriè citatus edictis per annum ei temporibus & locis competentibus assignatis, per se vel responsalem sufficientem in eorum comparere præsentia contumaciter recusavit. Proinde dicti judices in expensas per injustam ejus vexationem factas & probatas legitimè, competenti taxatione præmissa, vobis condemnarunt eundem. At ille nihilominus apostolicæ sedis auctoritatem contemnens,

nens, jam per tertium & quartum annum à vestra noluit infestatione cessare. Nos igitur quod à judicibus sæpedictis factum est approbantes, præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus si est ita, usque ad satisfactionem idoneam præmissorum vos aut Clerici vel Ecclesiæ vestræ prædicto Archiepiscopo in nullo penitùs intendatis; & si quam interim in vos aut Clericos vel Ecclesias memoratas sententiam promulgaverit, nequaquam observetis eandem. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI Tutellensi.

Epist. 88. De numero vectiorum in visitationibus. Similis epistola extat lib. 1. epist. 140.

CVm ad quorundam insolentiam reprimendam in Lateranensi Concilio provida sit deliberatione statutum ut Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, & Decani certum evectionum & personarum numerum in Ecclesiarum visitationibus non excedant, quia, sicut audivimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super eo commoditati vestræ duximus providendum. Ideóque devotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus ut si qua de prænominatis personis numerum evectionum & personarum in memorato Concilio constitutum, cùm Ecclesias visitarit, in gravamen vestrum excedere fortè præsumpserit, & pro illis procurationem exegerit, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare. Et si propter hoc in Ecclesias vel Clericos vestros aliquam sententiam promulgaverit, ipsam auctoritate apostolica decernimus non servandam. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij IV. Non. Iulij, anno decimo.

AVTISIODORENSI ET TRECENSI Episcopis, & Abbati sancti Benigni.

Epist. 89. Committitur ea inquisitio alterius Abbatem & monachos Vezelaicenses.

EIus exemplo qui de mandato Domini fodit parietem, & ingressus vidit abominationes pessimas quas domus Israël faciebat in templo, descendimus per angelos nostros, ut videremus utrum clamorem qui venit ad nos Abbas & monachi Virziliacenses opere compleviſſent; quatinus perditis malè malis, bonam vineam bonis agricolis locaremus; illum nihilominus imitantes qui cùm villico diffamato, quasi bona domini dissipasset, dixisset, *Quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuæ*, statim adjunxit: *Jam enim non poteris villicare.* Expositio ergo nobis inquisitionis processu quem circa ipsos per venerabilem fratrem nostrum Senonensem Archiepiscopum & dilectum filium Magistrum Robertum de Corzon Canonicum Noviomensem fieri jusseramus, intelleximus contra dictum Abbatem fuisse propositum quòd cùm Virziliacense monasterium in obitu prædecessoris ejus ab omni onere debitorum liberum remansisset, & pervenissent ad istum triginta millia solidorum, præter argentea vasa sexaginta marcharum, idem Abbas iis omnibus malè pro majori parte consumptis, illud duorum millium ducentarum & viginti librarum debitis onerarat. Et licèt testes id expressè probarent, Abbas tamen confessione propria recognovit quòd præter vasa sexaginta & unius marcharum, viginti octo millia solidorum de thesauris prædecessoris sui pervenerat ad eundem, & nunc non nisi in mille octingentis libris proventus monasterium tenebatur. Fuit quoque propositum contra eum quòd esset incontinens, & filium ac filiam de bonis Ecclesiæ maritarat, quos videbatur post susceptum habitum genuisse, cùm quòd octennis intrasset monasterium, ejus confessione liqueret. Dicebatur etiam quòd interfuit nuptiis, & vestierat puellam sericis indumentis, & quòd sederit in convivio nuptiarum, quòd simoniacum habuisset ingressum, & quosdam in fratres receperit & aliquibus prioratus concesserit per simoniacam pravitatem. Sufficienter quoque quidam testes omni exceptione majores probabant quòd contra institutionem bonæ memoriæ Octaviani Episcopi Ostiensis tunc apostolicæ sedis Legati factam sub pœna excommunicationis, & per nos postmodum confirmatam, .. fratri suo laïco quendam contulerat prioratum. In quo videbatur multipliciter excessisse; tum contra honestatem ecclesiasticam, quæ non patitur laïcos monachis præsidere; tum contra auctoritatem apostolicæ sedis, cujus violaverat instituta; tum quia caro & sanguis ei ut hoc faceret revelarat. Probatum est insuper contra eum quòd esset nimiùm liberalis, negligens, remissus, & mollis. Quod non solùm ex testium depositione liquebat, sed & opera ejus perhibebant testimonium veritati, cùm eos sustinuisset in dignitatibus & consiliarios habuisset quorum incontinentia nota erat, & quorum aliqui contra monasticum ordinem habebant propria. Quidam verò quòd in ingressu

ejus pro eo & cum eo commiserunt simoniam, proprio juramento monstrabant, licèt singuli fuerint in suo testimonio singulares. Quia verò contra Priorem, Eleemosynarium, Decanum, Cellerarium, tertium Priorem, de Flavi, de Fleiaco, & de Siverriaco Priores & Capellanos Abbatis pariter & Prioris enormia fuerunt multa proposita & aliqua comprobata, eos à monasterio ipso ejecimus, & per alia monasteria, in quibus ordo monasticus districtiùs observetur, decrevimus dividendos; non ut plures in uno ponantur monasterio, sed singuli potiùs in singulis collocentur; nec præter auctoritatem apostolicæ sedis de cetero assumantur ad aliquam dignitatem. Volentes quoque indemnitati ejusdem monasterij providere, tam in eos quàm in alios monachos Virziliacenses qui habent proprium excommunicationis sententiam promulgavimus, nisi protinus illud ad usus Ecclesiæ resignarint. Licèt autem Abbas ipse se in quibusdam nisus fuerit excusare, quia tamen ejus excusatio ex aliqua parte in accusationem potiùs vertebatur, utpote cùm esset excusatio in peccatis, non solùm ex provisionis officio verùm etiam ex rigore juris processimus contra eum, ipsum ab administratione monasterij & abbatiæ regimine amoventes. Volentes igitur monasterio consulere memorato, discretioni vestræ, de qua fiduciam plenam gerimus, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatinus ad ipsum personaliter accedentes, injungatis auctoritate nostra conventui ut infra tres dies personam idoneam per regularem electionem præficiat sibi cum consilio vestro concorditer in Abbatem. Alioquin vos ex tunc, sive de ipsius gremio monasterij, seu etiam aliunde, virum providum & honestum, non tam in futuro probandum quàm in præterito jam probatum, per quem domus & spiritualibus proficiat institutis & temporalibus juvetur augmentis, in Abbatem ei præficere procuretis, facientes eidem per censuram ecclesiasticam appellatione remota reverentiam & obedientiam debitam exhiberi. Deinde verò tam Abbatem amotum & alios supradictos quàm etiam quoscunque de fratribus aut conversis præfati monasterij repereritis proprietatem habere, ut eam ad opus monasterij sine diminutione resignent moneatis attentiùs & propensiùs inducatis, excommunicatos eos qui secùs fecerint publicè nuntiantes, & adhibentes ad coactionem eorum, si necesse fuerit, brachium seculare; præscriptos Priorem & alios nihilominus, sicut à nobis est providè definitum, divisuri per singula monasteria, in quibus ordo monasticus districtiùs observetur; compellendo contradictores auctoritate nostra, si opus fuerit, ad receptionem ipsorum, & eos arctiùs faciendo vacare regularibus institutis. Vt autem monasterium sæpedictum ab omni macula pleniùs expietur, volumus & mandamus ut cùm ista sub celeri diligentia fueritis executi, de statu ejus & personarum iterum diligentissimè inquiratis, & habito præ oculis solo Deo, corrigatis quæ secundùm ipsum corrigenda videritis, & statuatis quæ fuerint statuenda; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles appellatione remota per ecclesiasticam compescendo censuram. Taliter autem mandatorum nostrorum primitias audire ac exaudire curetis quòd in iis tanquam obedientiæ vestræ initiis cognoscamus quantum zelus domus Dei vos tangat, & quantæ devotionis affectum circa nos & Romanam Ecclesiam habeatis & sitis in posterum habituri. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Interim autem donec Abbas fuerit institutus, curam & administrationem ipsius monasterij dilectis filiis Sacristæ & Hospitalario duximus committendam, ne idem monasterium sine regimine dispergatur. Sigillum verò ac duos anulos, quos recipi fecimus ab Abbate prædicto, sub bulla nostra vobis mittimus intercluſos, eidem monasterio resignandos. Datum Viterbij XIV. Kal. Augusti, anno decimo.

EISDEM.

Epist. 99. De depositione Gileberti Abbatis Flaviniacensis.

LIcèt contra Gilibertum quondam Flaviniacensem Abbatem per inquisitionem factam super statu Virziliacensis cœnobij nihil fuerit oppositum vel probatum, ea forsitan ratione quòd pro monacho Virziliacensi minimè habebatur; quia tamen ejus sunt ad damnationem opera manifesta, ipsum à præfato cœnobio perpetuò decrevimus excludendum, & in districtiori monasterio collocandum ad agendam pœnitentiam de commissis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus quod à nobis decretum est provida ratione, per districtionem ecclesiasticam sublato contradictionis & appellationis obstaculo faciatis executioni mandari. Præsentes autem litteras præter morem clausas dirigimus, ut in illis sigil-

lum & anulos & alias quasdam litteras mittamus inclusas. Quòd si non omnes &c. Datum Viterbij.

ARCHIDIACONO ET CAPITVLO Venafrano.

Epist. 91. Confirmantur eius jura & sententiæ latæ pro ipso.

CVm olim inter Venafranam & Yserniensem Ecclesias in præsentia felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri super quibusdam dignitatibus, sede videlicet, sigillo, & chrismate, necnon & festo beati Nicandri, quæstio verteretur, longisque temporibus fuisset antea ventilata, adeo ut jam utraque ipsarum Ecclesiarum ac civitatum sustinuisset propter hoc graves molestias & jacturas, idem prædecessor noster volens finem eidem imponere quæstioni, dilecto filio G. sancti Adriani Diacono Cardinali tunc Beneventano rectori dedit suis litteris in mandatis ut inter easdem Ecclesias pacem studeret & concordiam reformare. quòd si ad hoc induci nequirent, idem Ecclesiæ utrique proprium habendi Pontificem auctoritate apostolica, remoto cujuslibet ipsius & Episcopi appellationis & contradictionis obstaculo, tribueret facultatem, ita ut liberum esset illi Pontifici qui tunc Ecclesiæ utrique dinoscebatur præesse, apud earum alteram, quam vellet, infra decem dies sibi sedem eligere, ac eam cum sua parrochia retinere; altera verò Ecclesia liberè alium sibi eligere posset antistitem, qui parrochiæ suæ præesset pariter & prodesset. Dedit etiam eidem auctoritate apostolica facultatem electionem illam canonicè ac de persona idonea celebratam appellatione postposita confirmandi. salvo jure imposterum Ecclesiæ Capuanæ. Si verò neutram eligere vellet Episcopus memoratus, ipse nihilominus illi Ecclesiæ quæ pastorem sibi alium habere volebat, facultatem tribueret eligendi; injungens eidem ut si dictus Episcopus præeligeret Ecclesiam Venafranam, tantum de communibus proventibus civitas ipsa episcopalibus redditibus superaddere procuraret ut exinde posset honorificè sustentari. Præfatus verò Cardinalis, post dilationes & citationes quamplurimas, habito jurisperitorum prudentum consilio, potestatem & auctoritatem vobis contulit eligendi & habendi Episcopum & perpetuò successionaliter obtinendi, ut tam civitas quàm Ecclesia Venafrana sedem habeant perpetuò cathedralem. salva in omnibus justitia metropolitanæ Ecclesiæ Capuanæ. Ita quidem quòd tantum de communibus proventibus episcopalibus redditibus superadderet civitas Venafrana quòd exinde posset Venafranus Episcopus honorificè sustentari. Postmodum autem dicti Clerici Venafrani à præfato Cardinali accepta licentia sibi eligendi personam idoneam canonicè in pastorem, dilectum filium Iohannem de Abner concorditer elegerunt; cujus electionem idem prædecessor noster meritò reprobavit, quia nondum erat in sacris ordinibus constitutus. Sed vos iterum convenientes in unum, & Spiritus sancti gratia invocata, venerabilem fratrem nostrum R. tunc Archidiaconum, nunc Episcopum vestrum communiter elegistis. Et cùm idem ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam accessisset pro confirmationis munere impetrando, idem electionem confirmavit eandem, Archipresbytero & Capitulo Ecclesiæ Ysernienſis per litteras suas demandans quòd cùm tam Venafrana quàm Ysernienſis Ecclesiæ ex destitutione pastoris incurrissent non modicum detrimentum, præsertim cùm per biennium & eò ampliùs dictæ Ecclesiæ fuissent viduatæ pastore, & juxta Lateranenſis statuta Concilij ad ipsum earum ordinatio pertineret, dictum R. concedebat eisdem de fratrum suorum consilio in pastorem, nulla mentione habita de sententia Cardinalis; injungens eisdem ut ei tanquam electo suo & pastori animarum suarum debitam obedientiam exhiberent, & ejus salubria monita & mandata reciperent humiliter & servarent. Verùm idem prædecessor noster volens ab eisdem Ecclesiis auferre materiam querelandi, eidem electo litteris suis injunxit ut cùm esset in Ecclesia Venafrana, illo uteretur sigillo in quo tantùm vocaretur Episcopus Venafranus; quod cùm esset in Ecclesia Ysernienſi similiter observaret. chrisma verò uno anno in Ecclesia Ysernienſi conficeret, & alio in Ecclesia Venafrana. quod etiam de festo sancti Nicandri præcepit firmiter observari. Sanè cùm olim Ysernienſis Ecclesiæ nuntij ad nostram præsentiam accessissent, & humiliter postularent ut eorum Ecclesiæ desolatæ paterna dignaremur sollicitudine providere ac finem imponere quæstioni, dilectis filiis R. Capuano electo & Magistro Ph. Notario nostro tunc Beneventano rectori dedimus in mandatis quatinus partibus convocatis, diligenter causæ merita examinare curarent, & usque ad diffinitivam sententiam remoto

appellationis obstaculo procedentes, ad nostram audientiam remitterent ipsam sufficienter instructam; præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent. Sed quia idem electus examinationi causæ non potuit interesse, commisit eidem Notario vices suas. Qui juxta mandatum nostrum procedens, eandem causam sufficienter instructam ad nostram audientiam remittere procuravit, festum nativitatis beatæ virginis proximò præteritum præfigens partibus, in quo nostro se conspectui præsentarent. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, & rationibus utriusque plenius intellectis, quia manifestè cognovimus mandatum super divisione facienda quibusdam circumventionibus à præfato prædecessore nostro fuisse subreptum, quod ipse postea recognoscens utcunque studuit revocare, quanquam id fecerit parte altera penitùs ignorante, de consilio fratrum nostrorum quicquid illius occasione mandati super divisione fuerat attentatum, decrevimus irritum & inane. Postmodum autem ut inter ipsas Ecclesias pacis possent fœdera reformari, operam dedimus efficacem, partes cum diligentia commonentes ut inter se amicabiliter componere procurarent. Quæ nobis mediantibus ad talem concordiam devenerunt quòd vos pro bono pacis Yfernienſi Ecclesiæ concessistis ut castrum Fossæ cœcæ, quod vestra possidebat Ecclesia, eadem Yfernienſis Ecclesia in perpetuum obtineret, & castrum Capriatæ, super quo pariter fuerat lis exorta, in perpetuum remaneret Ecclesiæ Venafranæ; ac castro sancti Iohannis, de quo quæstio vertebatur, in vestris manibus sequestrato, donec de ipso ad cujus parrochiam pertineat plenius cognoscatur, de cetero proprium & specialem Episcopum habeat Ecclesia Venafrana, qui sua sit contentus dioceſi, quam dinoscitur antiquitus habuisse; Ecclesia Yfernienſis dioceſi sua pari modo contenta, personam idoneam sibi eligat in pastorem, quæ ipsi Ecclesiæ præesse valeat pariter & prodesse. Ne igitur quæ in præsentia nostra concorditer & amicabiliter sunt statuta in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud Montem Flasconem per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, VI. Kal. Augusti, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno M C C V I I. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

R. TITVLI SANCTORVM MARCELLINI & Petri Presbytero Cardinali, Casinenſi Abbati.

Epist. 92. Committuntur certæ causæ usurarum audiendæ.

EX conqueſtione venerabilis fratris nostri .. Episcopi Venafrani ad nostram noveris audientiam perveniſſe quòd cùm olim Ecclesia Venafrana in magno esset necessitatis articulo constituta, dilectus filius Iohannes de Abner, qui tunc temporis electus fuerat ad eandem, quandam terram B. de Duratio civi Venafrano pro certa quantitate pecuniæ obligavit. Et ne idem creditor per canonem contra usurarios editum posset imposterum conveniri, terram ipsam recepit ab eo titulo emptionis, cùm re vera contractus usurarius ageretur. quod patet ex eo quòd idem creditor, sicut publicum continet instrumentum, debitori promisit quòd quandocunque ipsi restitueret pecuniam antedictam, terram ipsam eidem restituere procuraret. Licèt autem tamdiu eandem tenuerit taliter obligatam quòd ex ipsius fructibus jam perceperit ultra sortem, ipsam tamen, instrumentum venditionis allegans, in animæ suæ periculum retinet & restituere contradicit. Quia verò fraus & dolus alicui patrocinari non debet, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus, si res ita se habet, instrumento venditionis confecto in fraudem canonis promulgati contra usurarios non obstante, prædictum civem, ut fructibus computatis in sortem, & recepto si quid sorti defuerit, terram ipsam restituat conquerenti, per pœnam in Lateranenſi Concilio contra usurarios promulgatam appellatione remota constringas. Teſtes &c. Datum Viterbij IX. Kal. Augusti, anno decimo.

DECANO ET CAPITVLO sancti Aniani Aurelianenſis.

Epist. 93. Munitur privilegio adversus litteras apostolicæ sedis.

CVm Ecclesia vestra sedis apostolicæ sit filia specialis, indemnitatibus ejus paterna volentes sollicitudine præcavere, præsentium auctoritate statuimus ut per litteras apostolicas quæ ad .. Archiepiscopum Senonenſem vel .. Aurelia-

nensem Episcopum seu alios in eorum diocesibus constitutos super quibuscunque negotiis vos aut Ecclesiam vestram quomodolibet contingentibus fuerint impetratæ, nullum ejusdem Ecclesiæ libertati præjudicium generetur, districtiùs inhibentes ut nulli ecclesiasticæ personæ liceat in Ecclesias aut villas vestras seu etiam servientes vestros sine manifesta & rationabili causa excommunicationis sententiam vel interdicti proferre. Vobis quoque sit liberum, si super iis vel aliis vos senseritis contra justitiam prægravari, sedem apostolicam appellare. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij XV. Kal. Augusti, anno decimo.

SANCTI GERMANI DE PRATIS & sanctæ Genovefæ Abbatibus & Priori sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Epist. 94. Vt de malefactoribus Ecclesiæ sancti Aniani inhibeant justitiæ complementum.

CVm Ecclesia beati Aniani Aurelianensis apostolicæ sedis sit filia specialis, indemnitatibus ejus paterna sollicitudine præcavere volentes, discretioni vestræ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus quatinus de quibuslibet malefactoribus suis in Senonensi provincia constitutis, quotiens ab ipsa fueritis requisiti, sine malitiosa dilatione justitiæ faciatis eidem plenitudinem exhiberi; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compescentes, nec relaxaturi sententiam, usque ad satisfactionem condignam, quam propter hoc in quemlibet duxeritis proferendam. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Vt autem pleniùs quieti provideatur Ecclesiæ memoratæ, volumus & mandamus ut si contigerit de vobis humanitus, ad vestros etiam successores hæc auctoritas extendatur; cùm sit dignum ut ejusdem Ecclesiæ paci specialiter consulamus quæ ad Romanum Pontificem nullo pertinens mediante, non habet, post ipsum, alium protectorem. Datum ut in alia.

VV. DECANO ECCLESIÆ SANCTI Aniani Aurelianensis ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 95. De confirmatione privilegiorum. Edita ab Hulerto in Prolat. histor. S. Aniani pag. 111.

CVm omnium Ecclesiarum attentam curam & sollicitudinem ex injuncto nobis à Deo apostolatus officio gerere debeamus, de illis tamen præcipuè nos oportet esse sollicitos quæ ad jus & proprietatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialiùs pertinere noscuntur, & de apostolicæ sedis protectione ampliori devotione confidunt, & ne quorumlibet hominum in bonis seu etiam dignitatibus temerariis ausibus fatigentur, auctoritatis nostræ suffragio eas convenit pariter communiri. Ideóque, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar felicis recordationis Alexandri & Lucij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum præfatam sancti Aniani Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsenti justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrísque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Villam videlicet de Sentiliaco cum Ecclesia, villam de Ruem cum Ecclesia, villam de Tilliaco cum Ecclesia, Ecclesiam de Chalo, & villam de Artenaio à bonæ memoriæ A. illustri Francorum Regina vobis commutatam pro villa de Chalo in ea libertate ac immunitate tenendam in qua bonæ memoriæ L. quondam illustris Francorum Rex, quemadmodum in ejus scripto continetur authentico, eam noscitur habuisse. Medietatem quoque proventuum tam in minutis decimis quàm in oblationibus & omnibus beneficiis vivorum & mortuorum in prædicta Ecclesia de Chalo, juxta quod vobis olim concessum est à bonæ memoriæ W. tunc Senonensi postmodum verò Remensi Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Cardinali, apostolicæ sedis Legato, & in ejus scripto authentico redactum est; eo tamen tenore, quòd si plures in eadem villa parrochiales Ecclesiæ constructæ fuerint, in omnibus quæ ibidem surrexerint id juris habeatis quod in prædicta Ecclesia habuisse noscimini & habere. Villam de Herbiliaco cum Ecclesia & omnibus decimis & pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Aniani veteris, quæ Capella vocatur, & Ecclesiam sancti Germani infra muros civitatis. Quicquid habetis in villa de Centolio, & Ecclesiam villæ ejusdem. Quicquid habetis in villa de fonteneio, & Ecclesiam ejusdem villæ, cum decimis & aliis redditibus ad jus ve-

Alexandri & Lucij privilegia edita sunt ibid. pag. 116. & seqq.

strum pertinentibus. Aquam Ligeris à muro veteris civitatis usque ad sanctum Lupum, & molendina omnia quæ in eadem aqua habetis, cum piscationibus suis. Quicquid habetis ultra Ligerim, & in * Sicalonia. Quicquid habetis in Gastinesio. Villam de Berziaco, cum omnibus pertinentiis suis. Quicquid habetis apud Oscuras. Quicquid habetis in foresta quæ Bolonia dicitur, & villam de Casellis. Quicquid pertinet ad Majoriam de Iarria, & villam de Seteis. Molendina quoque quæ in villis vestris de novo feciſtis, & illud quod in loco qui Domitiacum appellatur habetis. In supradictis verò parrochialibus Ecclesiis, scilicet de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco, de Fonteneio, de Centolio, de Herbiliaco, & de Chalo, quas tenetis, Presbyteros eligatis, & Episcopis præsentetis: quibus, si idonei fuerint, Episcopi curam animarum absque venalitate committant, ut de plebis quidem cura eis respondeant, pro rebus verò temporalibus debitas vobis obedientias & consuetam subjectionem exhibeant. In reliquis verò duabus Ecclesiis, videlicet sancti Aniani & sancti Germani, & ad servitium altaris Crucifixi Ecclesiæ beati Aniani, liberè & absque alicujus contradictione & præsentatione, sicut hactenus, ita & deinceps, liceat vobis substituere sacerdotes. Liceat etiam vobis in parrochialibus Ecclesiis vestris vacantibus, uti consuetum est & ab antiquis hactenus temporibus observatum, sacerdotes ponere ad succursum; qui donec veneritis in personas idoneas, quæ instituti debeant in eis, omnipotenti Deo famulentur. Ferias præterea in duabus solemnitatibus beati Aniani ad luminaria ejusdem Ecclesiæ concinnanda tam à bonæ memoriæ L. illustri Rege Francorum quàm à Iohanne quondam Aurelianensi Episcopo vobis & Ecclesiæ vestræ concessas, & scripti sui munimine roboratas, [quemadmodum in eorum scriptis authenticis continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus præsenti decreto statuimus ut duæ præbendæ quæ antea deputatæ fuerant officio confrariæ, ac tertia, quam ei provida pietate postmodum addidistis, & annuales Canonicorum, quocunque modo præbendæ mutentur, officio permaneant confrariæ. Vineas insuper & omnia quæ prædictæ confrariæ collata sunt vobis & per vos ipsi confrariæ, prout communi assensu Capituli statutum est & scripto firmatum, apostolicæ sedis munimine] roboramus, & constitutionem illam ratam & inconvulsam futuris temporibus decernimus permanere. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Canonicorum seu Clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipietis Episcopo; si quidem catholicus fuerit, & gratiam apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & absque pecunia vel exactione aliqua voluerit exhibere. Alioquin ad quemcunque malueritis antistitem recurratis, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Præterea omnes libertates seu etiam immunitates ac regias consuetudines à Francorum Regibus vobis & Ecclesiæ vestræ indultas, & scripti sui munimine roboratas, auctoritate apostolica confirmamus, & illibatas perpetuò statuimus permanere. Sancimus quoque & præsenti decreto statuimus ut nulli Archiepiscopo vel Episcopo seu cuilibet personæ commissam vobis Ecclesiam vel vos aut Clericos chori vestri, nisi Romano Pontifici vel Legato ejus, aut etiam de speciali mandato apostolicæ sedis, excommunicare seu à divinis officiis interdicere liceat. Visitationem verò vel procurationem nullus ab Ecclesia vestra nisi auctoritate apostolicæ sedis præsumat exigere, cùm ei nullo medio sit subjecta. Prohibemus insuper ut nulli ecclesiasticæ vel cujuscunque ordinis personæ fas sit indebitas exactiones Ecclesiis vestris aut Capellis vel sacerdotibus earum imponere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & in præfatis Ecclesiis de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco, de Fonteneio, de Centolio, de Chalo, & de Herbiliaco dioceſanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Datum Viterbij per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, XII. Kal. Augusti, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

* sologne.

Quæ his notis [ ] concluduntur, excideruntur in editione Huberti.

EPISCOPO MELDENSI.

Epist. 96. De subjectione monasterii Resbacensis.

SVborta dudum inter te ac monasterium Resbacense super ipsius mona-

Extat in Chartulario Ecclesiæ Meldensis. Vide infrà epist. 208.

nasterij subjectione materia quæstionis, procuratores partium propter hoc ad sedem apostolicam accesserunt. Quibus aliquandiu litigantibus coram nobis, quia per confessionem partis adversæ constitit te possessionem obedientiæ in eodem monasterio habuisse, te restituendum decrevimus ad eandem. Verùm quia privilegium felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri ex monasterij parte nobis exhibitum libertatem plenariam exprimebat, dilectis filiis Magistro G. Decano Suessionensi, .. Remensi Cantori, &.. Succentori Silvanectensi dedimus in mandatis ut te in possessionem obedientiæ restituto, nisi post restitutionem tuam infra sex menses contra privilegij libertatem rationabile aliquid obiceres & probares, super subjectione monasterij supradicti perpetuum tibi silentium sublato appellationis obstaculo imponere procurarent; districtiùs inhibentes ne idem monasterium super libertate privilegij auderes ulteriùs molestare, quòd si de partium existeret voluntate, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittentes, præfigerent ipsis terminum competentem, quo se nostro conspectui præsentarent, setentiam recepturæ. Partibus igitur in ipsorum judicum præsentia postmodum constitutis, cùm privilegij copiam habuisses, illud voluisti arguere falsitatis, eò quòd facta collatione bullæ ipsius privilegij ad alias bullas, ipsa, sicuti proponebas, minor & dissimilis aliis videbatur. Auctoritatem quoque rei judicatæ ad evacuandas vires privilegij allegasti, asserens quòd felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster, sicut per ipsius litteras ostendebas, super hoc contra monasterium sententiam promulgarat. Privilegia insuper Alexandri prædicti & bonæ memoriæ Honorij Papæ prædecessorum nostrorum inducere procurasti; in quibus expresè dinoscitur esse statutum ut Meldensi Episcopo à Resbacensi Abbate canonica obedientia persolvatur. Abbas verò monasterij supradicti proposuit ex adverso quòd idem monasterium non solùm auctoritate privilegij prætaxati plena debet libertate gaudere, verùm etiam alia ratione, quia videlicet sanctus Pharo Meldensis Episcopus liberalissimum ei duxerat privilegium indulgendum, sicut in ejusdem sancti legenda contineri manifestè dicebat; adiciens idem Abbas quia de sententia supradicta, quam tu pro parte tua duxeras allegandam, usque ad illium diem nullam unquam audierat mentionem; sed etsi sententia vera esset, tacitè tamen per compositionem amicabilem subsequentem fuerat ab ipsa recessum. Talis enim, ut ipse dicebat, inter bonæ memoriæ B. Resbacensem Abbatem & Stephanum Episcopum Meldensem compositio intercessit, ut idem Abbas ea conditione ipsi obedientiam faceret ut reperto privilegio libertatis, quod præ manibus non habebat, idem Abbas libertate gauderet, & ad exhibendam eidem Episcopo obedientiam minimè teneretur. quam compositionem & quædam alia, quæ proposuerat idem Abbas, se asseruit probaturum. Die igitur Parisius assignato testes Abbatis supradicti, Decanus & Succentor, quia tertius judex interesse non potuit, receperunt, & apud Resbacum examinantes eosdem, quosdam alios senes & valitudinarios receperunt ibidem. Tandem cùm tua pars ad majorem fidem super Alexandri sententia faciendam litteras quorundam Cardinalium & aliorum judicibus præsentasset, pars Abbatis objecit quòd cùm semestre tempus in nostris esset litteris comprehensum, infra quod probandi quod voluisti habueras facultatem, post tempus illud elapsum munimenta pro parte tua vel probationes alias non poteras exhibere; sed cùm ibi non esset aditus probandi præclusus, juramentum recipi postulabat, quod Capitulum Resbacense sub animarum suarum periculo præstari mandabat, videlicet quòd nunquam ampliùs sententiam viderant quam tu duxeras exhibendam. Iudicibus autem nolentibus dirimere quæstionem, causam ipsam instructam cum procuratoribus partium ad nostram præsentiam transmiserunt; quibus postmodum dilectum filium nostrum Iohannem sanctæ Mariæ in vita lata Diaconum Cardinalem dedimus auditorem. Qui cùm hæc & alia proposuissent plenius coram eo, & idem Cardinalis quæ audierat nobis fideliter retulisset, nos utriusque partis rationibus diligenter inspectis, quia tuas efficaciores esse cognovimus rationes, subjectionem tibi adjudicavimus monasterij memorati, ut ibidem liberam habeas tanquam diocesanus Episcopus potestatem; ita tamen ut per hoc nullum apostolicæ sedi præjudicium generetur quò minùs legitimo tempore, si voluerit, suam justitiam prosequatur. Nimirum si præfati Innocentij privilegium Alexan-

dro fuit in judicio præsentatum, & ipse tulit sententiam contra illud, ipsum intelligitur reprobasse. Si verò non fuit exhibitum coram eo, prætextu privilegij de novo reperti prædicta non debet sententia retractari. Datum Viterbij XVII. Kal. Iulij, anno decimo.

In Chartulario Ecclesiæ Meldensis extat præterea epistola Innocentij ad Episcopum, Decanum, & Cancellarium Parisiens. pro executione superioris sententiæ, verbum è verbo descripta ex ea quæ data est ad Episcopum Meldensem, mutatis mutandis. In fine verò istius hæc adduntur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum ut in alia. *Ista verò commissio extat ex parte in cap.* Suborta. *De sentent. & re judic.*

PRIORI ET CONVENTVI MONASTERII sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis, quod in Torvarensi est parrochia constitutum.

Epist. 97. De electione Prioris.

CVm per privilegium felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, quod nobis præsentatum inspeximus, vestro monasterio sit concessum ut obeunte ipsius Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel eorum pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam duxerint eligendum, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne quis super eadem concessione temerè vos impetere vel molestare præsumat; sed liceat vobis & successoribus vestris secundùm ipsam nunc & amodo, cùm Ecclesiam vestram Abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio vestro vel aliunde per regularem electionem vobis præficere in pastorem, Karrofiensi monasterio humiliter præsentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, & reverentiam ei, quam debet, impendat. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis & concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij V. Non. Iulij, anno decimo.

VVIBERTO PRESBYTERO.

Epist. 88. Ei confirmatur institutio canonicatus & præbendæ sanctæ Sophiæ per Legatum sibi facta.

IVstis petentium &c. *usque* complere. Cùm igitur dilectus filius noster B. Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, te in Ecclesia sanctæ Sophiæ Canonicum instituerit, nos tuis precibus inclinati, institutionem ipsam, sicut canonicè facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud Montem Flasconem IV. Kal. Augusti, anno decimo.

EIDEM.

Epist. 99. Concessio Præposituræ sanctæ Anastasis per Legatum sibi facta confirmatur.

CVm à nobis petitur. &c. *usque* perducatur effectum. Cùm igitur dilectus filius noster P. Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, præposituram Ecclesiæ sanctæ Anastasis tibi duxerit concedendam, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonicè facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARdinali, & .. Archidiacono Mediolanensi.

Epist. 100. Vt .. Presbytero ad suam Ecclesiam S. Michaëlis Vercellensis licentiam tribuant redeundi.

VEnerabilis frater noster .. Yporiensis Episcopus suis nobis litteris intimavit quòd cùm olim, antequam consecratus fuerit in Yporiensem Episcopum, pennas ad volandum in solitudinem assumpsisset, sacerdos quidam, qui tunc Ecclesiam sancti Michaëlis Vercellensis regebat, secum in eremo desiderans habitare, ad eum cum litteris venerabilis fratris nostri .. Episcopi Vercellensis accessit, obsecrans humiliter & devotè ut eum pro serviente ac famulo ad habitandum secum susipere dignaretur. Cujus supplicationibus inclinatus, ac inductus precibus memorati Episcopi Vercellensis, ejus in hac parte desiderio satisfecit. Accidit autem ut dum idem Presbyter facere quandam capam disponeret, alij qui in eodem loco fuerant congregati, ei ut cucullam faceret suaserunt, asserentes quòd ad altaris officium esset habilior & expeditior ad scribendum, necnon aptior ad laborem & ad cetera quæ ipsum facere oporteret. Quorum suasionibus acquiescens, cucullam fieri sibi permisit: quam cùm idem Episcopus vellet secundùm consuetudinem

consuetudinem benedicere, respondit Presbyter memoratus: *Monachus nolo fieri, nec cucullæ nomine cucullam suscipio. nulli voto, nulli ordini, nulli professioni me adhuc alligare intendo. Si manebitis hic, vobiscum ero. Aliàs in solitudine non manebo.* Post modicum verò tempus, cùm idem Episcopus de mandato sedis apostolicæ ad regimen Yporiensis Ecclesiæ rediisset, præfatus Presbyter, cum proposito, ut dicebat, non redeundi ad eremum, secutus est eum, dicens: *Amodo in solitudine non teneor remanere; quia cessante causa, cessare debet effectus. Propter vos accessi ad eremum. Vobis discedentibus, amplius non manebo.* Quem cùm idem Episcopus monere diligentiùs & inducere procurasset ut vel in solitudine, ad quam venerat, vel, si mallet, secum familiariter habitaret, ipse multùm hæsitans & vacillans, ad solitudinem rediit; in qua cùm aliquandiu permansisset, vicini Ecclesiæ supradictæ, cui antea præsidebat, quos velut pastor providus verbo nutrierat & exemplo, totis affectibus suum sibi restitui postulavere rectorem. Vnde factum est ut ad eandem rediens civitatem, & ibi moram faciens cum præfato Episcopo Vercellensi, ad regimen dictæ Ecclesiæ regredi non præsumit absque licentia sedis apostolicæ speciali. Nos igitur honestis desideriis vicinorum volentes condescendere, ac utilitati ejusdem Ecclesiæ, quæ sub ipsius regimine tam in spiritualibus quàm temporalibus valde dicitur profeciſſe, paterna cupientes sollicitudine providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus si præmissis veritas suffragatur, eidem Presbytero auctoritate nostra licentiam tribuatis ad eandem Ecclesiam redeundi, ut per ejus industriam & conversationem honestam auctore Domino temporaliter ac spiritualiter suscipere valeat incrementum. Quòd si non ambo &c. tu, frater Archiepiscope, &c. Datum apud Montemflasconem IV. Non. Augusti, anno decimo.

POTESTATI ET POPVLO FLORENTINO.

Epist. 101. Suadetur ut meritis sedis apostolicæ & Legati ejusdem acquiescant.

EX apostolicæ servitutis officio, quo sumus sapientibus & insipientibus debitores, & ex gratia speciali quam ad civitatem vestram habemus, indemnitatibus vestris tam in spiritualibus quàm temporalibus paterna sollicitudine præcavere volentes, per litteras nostras & dilecti filij G. sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis universitatem vestram diligentiùs commonere curavimus ut non ex victoria exaltati, sed potiùs propter Deum & commonitiones nostras, ad pacis tractatum, quem, antea quàm fuissetis congressi, mediante nuntio nostro cum Senensibus habuistis, rediretis humiliter & devotè. Vos autem, suggerente eo qui in filios superbiæ dominatur, cui est sollicitudo continua pacis profectibus obviare, nec ad Deum nec ad nos debitum habentes respectum, commonitiones nostras & Cardinalis prædicti, quod dolentes dicimus, pertransistis hactenus aure surda, non attendentes quòd mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, ut hominem (qui ex suggestione diabolica in tantam se superbiam contra Deum exaltarat quòd deitatis nomen sibi nisus fuerit usurpare juxta suggestionem invisoris pacis, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*) reconciliaret patri, non dubitavit manibus tradi nocentum, & in ara crucis, quasi esca sacri corporis sui, præfatum apostatam inimicum pacis in oculis suis capiens pretiosum sanguinem suum fudit, offerens se patri hostiam immaculatam in redemptionem animarum nostrarum. Convertimini igitur, filij karissimi, convertimini, non obturantes aures vestras à voce clamoris Vicarij ejus, dantes gloriam Deo, & apostolicæ sedi devotionem vestram humiliter exhibentes; ne si secus, quod absit, egeritis, & non recipientibus verbum pacis recesserit à vobis Cardinalis prædictus, in testimonium super vos pulverem pedum suorum excutiat, & sequatur quod consequenter in evangelio legitur: *Tolerabilius erit Sodomæ & Gomorræ quàm illi civitati.* Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi & adventum ejus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus humiliemini sub potenti manu Domini, qui superbis resistit & humilibus gratiam elargitur, & secundùm quòd vobis per alia scripta mandavimus, monitis & consiliis nostris acquiescatis omnino: quia tunc victores vos veriùs cognoscetis, cùm carnalibus motibus resistentes, in victoria cesseritis soli Deo, cùm melior sit sapiens viro forti, & qui dominatur animo, expugnatore urbium. Datum apud Montemflasconem II. Non. Augusti, anno decimo.

ABBATISSÆ ET CONVENTVI sancti Ciriaci in Gerondod.

Epist. 102 Absolvuntur à solutione census unius marchæ argenti.

NOstro apostolatui est compertum quòd inclitæ recordationis Otto Imperator per privilegium suum confirmavit monasterio sancti Ciriaci de Vrbe annuum censum unius marcæ argenti à monasterio vestro solvendum. Constitit præterea nobis per litteras Frederici Imperatoris ab eo pro viginti annis censum ipsum solutum fuisse monasterio memorato. Nos autem, ut Ecclesia vestra in sua maneat libertate, paterna volentes sollicitudine providere, consentientibus nuntiis vestris marcam unam censui nostro duximus adaugendam, vos à solutione ipsius census dicto monasterio facienda penitùs absolventes, quia nos dicto monasterio satisfieri faciemus. Datum apud Montem Flasconem IV. Non. Augusti, anno decimo.

R. CASINENSI ABBATI.

Epist. 103. Dicit se nolle respondere literis ejus.

REcepimus litteras tuas, & quæ continebantur in eis notavimus diligenter. Iis autem super quibus nos consulere voluisti non duximus respondendum, cùm consultatio ipsa quæstionem contineat Ecclesiæ Casinensis, quæ inter te ac homines tuos sub examine judiciali dinoscitur agitari. Vnde per judices ipsos honestiùs nobis potuisset exponi. Datum Viterbij V. Idus Augusti, anno decimo.

CONSVLIBVS ET POPVLO Viterbiensi.

Epist. 104. Vt Malfitanam puellam super legitimitate sua non permittant ab aliquo molestari.

AD nostram noveritis audientiam perveniſſe quòd cùm Thol. filius quondam Girardi Manituti Malfitanam mulierem carnaliter cognovisset, ex ea tandem filia procreata, ipsam duxit postmodum in uxorem. Verùm quia puellam ipsam quidam non esse legitimam asseverant, idem T. nobis humiliter supplicavit ut eidem puellæ paterna super hoc dignaremur sollicitudine providere. Cùm igitur secundùm canonicas sanctiones favore subsequentis matrimonij proles de naturali priùs susceptа concubitu, legitima debeat reputari, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, prædictam puellam super legitimitate sua non permittatis ab aliquibus molestari. Datum apud Montem Flasconem III. Non. Augusti, anno decimo.

CONSVLIBVS VITERBIENSIBVS.

Epist. 105.

CVm res Paterinorum decreverimus publicari, ne quis in fraudem, occasione depositi, eas detinere contendat, præsentium vobis auctoritate concedimus ut apud quoscunque, sive in Viterbio, sive in ejus districtu, res hujusmodi repereritis, liceat vobis illas accipere, ipsarúmque rerum detentores, prout expedierit, arbitraria pœna punire. Quod ut liberiùs exequi valeatis, firmiter inhibemus ne hujus executionis obtentu futuri Consules vos præsumant ausu temerario molestare. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij II. Idus Augusti, anno decimo.

ADELL. ABBATISSÆ SANCTÆ DEI genitricis sempérque virginis Mariæ & sancti Petri Apostolorum principis, sanctíque martyris Ciriaci in Gerondod, ejúsque sororibus canonicè substituendis.

Epist. 106. Confirmantur eis libertates & immunitates, & conceduntur eis nonnulla privilegia.

PRudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis, accensis lampadibus, per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso venire, sedes apostolica debet patrocinium impertiri; ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eas à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in Gerondod, quod in fundo beati Petri, quem bonæ memoriæ G. Marchio cum tota proprietate sua Ecclesiæ Romanæ obtulit intuitu pietatis, noscitur esse constructum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Iohannis & Leonis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum cum Clericis ministerialibus & omnibus ad idem monasterium pertinentibus sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui in eodem monasterio secundùm Deum institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona idem monasterium in præsenti justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit

adipiſci, firma vobis veſtríſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Forenſem Eccleſiam, cum capellis. Monaſterium in Froſe, cum ipſâ villa & duabus parrochiis poſitis in eadem. Aſlevenſem majorem & minorem, cum capella & duabus parrochiis. Egelenſem cum capella Abbatiſſæ & tribus aliis Eccleſiis. Waledalen. cum capella Abbatiſſæ & parrochia. Padeburnen. cum duabus Eccleſiis. Hetteborn. cum parrochia. Quatuor villas quæ nominantur Polege, cum Eccleſia. Nacterſtede, cum Eccleſia. Iezere cum Eccleſia. Strenze, cum Eccleſia. Drogebulen. cum Eccleſia. Bernezingerot, Ethelbelingerot cum Eccleſia. Behem, Wellebeke, Genezendorop, Baleberge, Benendorp, Analaborc, Hachebornen viginti quinque manſos, in Henrikeſtorp viginti ſeptem manſos, in Plezege ſeptem manſos, Alkendorp duodecim manſos, in occidentali Hegelen triginta manſos, in Grovingen triginta tres manſos, in Blexentorp triginta ſeptem manſos cum parrochia, in Ammendorp tres manſos, in Hergetſtede & in Werſterhuſen ſedecim manſos, in Remeſtorp decem & ſeptem manſos & dimidium, cum foro, & viginti curtes pertinentes ad forum cum Eccleſia, in Wallenthorp quatuor manſos, in Mulendorp ſex manſos, in Cumelez decem manſos, in Nientorp ſex manſos, in Aſmerleve viginti duos manſos, cum Eccleſia, in Zorchewiſt octo manſos, in Storniz viginti duos manſos, in Droſege tredecim manſos, in Chocſtede duos manſos, in Sinſelve duos manſos, in Wederſtede dimidium manſum, in Winnige duos manſos, in Wicſedherothe novem manſos, in Hachemerſlephe decem & octo manſos, in Gaterſlephe tres manſos, in Welpeſlephe tres manſos, in Wedeſtorp unum manſum, in Daldorp ſex manſos, in Remſtede unum manſum, in Wipere unum manſum, in Avenſleve duos manſos, in Rodolveſbure duos manſos, in Sulthen duos manſos, in Retmerſleve viginti manſos, in Menſtede duos manſos, in Scolene unum manſum, in Burgewiz duos manſos, in Leveze duos manſos, in Lere unum manſum, in Thederzengeroht unum manſum, in Wendelmereſbroche duos manſos, in Mandorp unum manſum, in Cephen duos manſos, in Abberoht unum manſum. Sanè novalium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, tam de terris cultis quàm incultis, ſive de hortis & virgultis, & piſcationibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Ad hæc, novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis in eadem Eccleſia fieri prohibemus. Prædictorum autem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, prohibemus omnem cujuſlibet Eccleſiæ ſacerdotem, præter apoſtolicam ſedem, habere aliquam in veſtro monaſterio ditionem. Præterea beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate inhibemus ut nullus Rex, Dux, Marchio, Comes, vel alia ſecularis perſona licentiam habeat ipſum monaſterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profectò juxta id quod ſubjectum apoſtolicæ ſedi privilegij firmitate conſiſtit, inconcuſsè ditatum permaneat, & locis ac rebus, tam iis quas moderno tempore habet vel poſſidet, quàm quæ futuris temporibus in jure ipſius monaſterij divina pietas voluerit adaugere ex donis, oblationibus, decimíſque fidelium, abſque ullius perſonæ contradictione firmitate perpetua perfruantur. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel earum aliqua quæ tibi ſucceſſerit, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia vel violentia præponatur, niſi quam ſorores communi conſenſu, vel earum pars conſilij ſanioris, ſecundùm Dei & timorem & canonicas ſanctiones providerint eligendam. Libertates quoque & immunitates antiquas & rationabiles conſuetudines monaſterio veſtro conceſſas & hactenus obſervatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere ſancimus. Ad hæc, auctoritate apoſtolica prohibemus ut nullus publicus judex vel quilibet ex judiciaria poteſtate in loca præfati monaſterij ad cauſas audiendas ingredi audeat, vel freda ſeu tributa & conjectus aliquos exigendos, aut manſiones vel paratas faciendas, fidejuſſores tollendos, homines ipſius Eccleſiæ conſtringendos, teloneum vel palafredos ab ipſius hominibus requirendos, eoſdem homines ſive litos vel liberos ad mallum convocandi, vel exercendi aliquam poteſtatem, niſi Advocatus quem Abbatiſſa ejuſdem loci communi conſenſu ſororum ſuarum ad hoc duxerit eligendum. Ad indicium autem per-

ceptæ hujus à sede apostolica libertatis duas marcas & dimidiam puri argenti nobis nostrísque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva apostolicæ sedis auctoritate & diocesanorum Episcoporum canonica justitia in Ecclesiis non exemptis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, &c. *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Amen. Datum Viterbij per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij, V. Idus Augusti, Indictione VIII. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

ABBATI MALLEONENSI.

Epist. 107. Mandatur ut A. de Scobol ad primam cogat redire uxorem.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cùm A. de Scobol .. mulierem duxerit in uxorem, & cum ea fuerit diutiùs commoratus, ipsam carnaliter non cognovit. Vnde bonæ memoriæ W. Pictavensis Episcopus, cùm ei de frigiditate viri tam per ipsius quàm mulieris confessionem plenius constitissèt, inter eos divortium celebravit. Verùm postmodum alij nupsit mulier supradicta, & præfatus A. duxit aliam in uxorem, quam carnali commixtione cognovit. Vnde quæsisti per sedem apostolicam explicari utrum dictus vir debeat ad primam redire, vel manere potiùs cum secunda. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm ex pòst facto appareat fuisse præfatum Episcopum circumventum, dictus A. ut ad primam redeat est cogendus. Datum Viterbij XIV. Kal. Septembris, anno decimo.

ABBATI ET MONACHIS Resbacensibus.

Epist. 108. Confirmantur privilegia eorum & omnes libertates & immunitates. Vide suprà epist. 96.

LICÈT monasterium vestrum per privilegium felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri plenæ videretur libertatis prærogativa gaudere, emergente tamen postmodum inter bonæ memoriæ.. Meldensem Episcopum & monasterium ipsum super ejusdem subjectione scrupulo quæstionis, beatæ memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, ad cujus præsentiam eadem fuerat causa delata, ipsius causæ meritis intellectis, jus episcopale in monasterio vestro Meldensi adjudicavit Episcopo. Postea quoque quæstionis ejusdem coram nobis materia suscitata, causam ipsam per dilectos filios.. Sueßionensem Decanum, H. Cantorem Remensem, &.. Succentorem Silvanectensem examinari fecimus diligenter. Qui cùm eandem causam ad nos remisissent sufficienter instructam, nos utriusque partis rationibus intellectis, quia cognovimus efficaciores Meldensis Episcopi rationes, subjectionem eidem monasterij vestri adjudicare curavimus, ut liberam ibidem tanquam diocesanus Episcopus habeat potestatem; ita tamen ut per hoc nullum apostolicæ sedi præjudicium generetur quò minùs legitimo tempore, si voluerit, suam justitiam prosequatur. Verùm quia possessiones & alia bona monasterij memorati per illud privilegium Innocentij eidem sunt monasterio confirmata, nos ipsius prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, vobis & per vos ea monasterio vestro, sicut eadem justè ac pacificè possidetis, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Burgum videlicet ipsius monasterij, quod Resbacus dicitur, cum omnibus suis appenditiis, cum Ecclesiis & decimis, cum servis & ancillis, cum pratis aut pascuis, cum aqua quæ dicitur Mucra, seu omni piscatione, insulis quoque ac molendinis, necnon & piscatoriis, cum pontibus etiam cunctisque ipsius aquæ transitoriis, & cum omnibus sibi adjacentibus, cultis & incultis. Villam Orlei & villam Montbotr. cum earundem villarum Ecclesiis, decimis, servis & ancillis, pratis & pascuis, & cum omnibus eisdem adjacentibus cultis & incultis. Villam quæ Vltiacus dicitur, & villam quæ Septemfortes dicitur, cum earundem villarum Ecclesiis, decimis, servis & ancillis, cum pratis & pascuis, & earum appenditiis cultis & incultis. Portum de Fai dimidium. Villam quæ Brigein dicitur, cum matre Ecclesia & decimis ad eam pertinentibus, cum servis & ancillis, cum pratis & pascuis, & aliis circumadjacentibus tam cultis quàm incultis. Villam quæ dicitur Montiniacus, cum Ecclesia & decima & sibi circumadjacen-

tibus, pratis, pascuis, terris cultis & incultis. Villam quæ dicitur Capella super Mucram, & villam quæ dicitur Curmaiot super eandem ripam, & villam quæ dicitur Malerei super eandem ripam, & villam quæ dicitur Veretum super eandem ripam, cum earundem villarum Ecclesiis, decimis, servis & ancillis, molendinis, piscationibus, pratis, pascuis, & omnibus appenditiis cultis & incultis. Villam quæ dicitur Campuscoëllus, cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, & omnibus appenditiis cultis & incultis. Villam quæ appellatur Nemus sancti Petri dimidiam, cum suis appenditiis cultis & incultis. Villam quæ dicitur Meri cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, piscationibus, & omnibus suis appenditiis cultis & incultis. Insulam quæ dicitur Belluslocus, cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, piscationibus, & omnibus suis appenditiis cultis & incultis. Villam quæ Herbitia dicitur, cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, & sibi adjacentibus cultis & incultis. Villam quæ dicitur Agili mansio, cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, & sibi adjacentibus cultis & incultis. Decimam villæ quæ dicitur Semonnia, cum terra appendente, cum servis & ancillis. Terram & decimam villæ quæ dicitur sancti Lupi, cum servis & ancillis. Villam quæ dicitur Luqueius super ripam Materni fluminis, cum servis, ancillis, pratis, pascuis, & suis appenditiis cultis & incultis. Super eandem ripam, possessionem quæ dicitur Porterum, & alteram quæ dicitur Vernolium, & tertiam quæ Capella vocatur, cum servis, ancillis, pratis, pascuis, & aliis appenditiis cultis & incultis. Circa castrum quod appellatur Breias, villam quæ dicitur Bruceium, cum Ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, & aliis appenditiis cultis & incultis. Apud alterum Bruceium, terrastricum & censum, cum servis & ancillis. Iuxta castrum quod dicitur Mons-mirellus, villam quæ dicitur Marcungia, cum servis & ancillis, pratis, pascuis, & aliis appenditiis cultis & incultis. Prohibemus insuper ne prædictæ occasione sententiæ à nobis latæ Meldensis Episcopus vos vel monasterium vestrum indebitè aggravet vel molestet; quia privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbij XVII. Kal. Septembris, anno decimo.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis per Saxoniam constitutis.

Epist. 109. De privilegiis monasterij in Gerondod.

CVm ex injuncto nobis servitutis officio in jure suo providere universis Ecclesiis teneamur, ad Ecclesiam sancti Ciriaci in Gerondod debitum habentes respectum, ipsius quieti & paci paterna duximus sollicitudine specialiter providendum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si venerabilis frater noster . . Episcopus Halverstadensis, in cujus dioceſi Ecclesia ipsa consistit, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & cetera ecclesiastica sacramenta à dilectis in Christo filiis Abbatissa & sororibus ipsius Ecclesiæ requisitus recusaverit exhibere, cùm monasterium illud ad Romanam Ecclesiam nullo pertineat mediante, vos auctoritate nostra eisdem gratis & sine pravitate qualibet impendatis. Præterea volumus & mandamus ut si quando de malefactoribus suis parrochianis vestris ad vos duxerint querimoniam deferendam, vos eis plenam de ipsis justitiam sublato appellationis obstaculo faciatis. Datum Viterbij VIII. Kal. Septemb. anno decimo.

CÆSARAVGVSTANO EPISCOPO.

Epist. 110. Declaratur quid per novalis vocabulum intelligatur. *Cap.* Quid per novalis. *De verb signif.* Vide Reginonem lib. 1. c. 44.

QVid per novalis vocabulum intelligi debeat à nobis tua fraternitas requisivit. Licèt autem quidam dixerint quòd novale sit terra præcisa quæ anno cessat, aliis asserentibus quòd ex silva quæ ex arboribus extirpatis ad cultum redigitur, quarum utraque interpretatio colligitur ex civilibus legibus; nos tamen inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd eam credimus antecessorum nostrorum intentionem fuisse, cùm piis locis indulgentiam de novalibus concesserunt, ut novale intellexerint agrum de novo redactum ad cultum, de quo non extat memoria quòd aliquando cultus fuisset. Sed nec de quolibet tali credimus eisdem indulgentiam fore concessam, nisi de illo duntaxat cujus decimas religiosus conventus potest absque gravi detrimento

parrochialis Ecclesiæ retinere, cùm sæpe sit talis locus incultus de quo parrochialis Ecclesia magnos percipit decimarum ratione proventus. Datum Viterbij XI. Kal. Septembris, anno decimo.

ABBATI CISTERCIENSI ET PETRO de Castronovo apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 111. Ad quem pertineat dominium urbis Massilienfis.

SIgnificante venerabili fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo cum multis Episcopis ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd cùm cives Massilienses in fœdus pacis convenissent cum eis, gravis ex parte dilecti filij nobilis viri Hugonis de Baucio querimonia fuit proposita contra eos, videlicet quòd B. quondam domino Massiliæ viam universæ carnis ingresso, cùm civitas Massilienfis ad nobilem mulierem B. filiam ejus jure nosceretur hereditario pertinere, cives ipsi Roncelinum fratrem dicti defuncti, monachum & Subdiaconum, in Abbatem electum, cum impetu populari de monasterio extrahentes, lacerato ipsius habitu, consentientem & volentem, in suum & dictæ civitatis dominum non sine magna divinæ majestatis offensa & gravi præfatæ nobilis præjudicio assumpserunt. Quamobrem dictus Hugo de Baucio, qui sæpefatam nobilem duxit legitimè in uxorem, prolémque susceperit ex ea, cum nobili viro W. de Baucio Principe Arausicensi germano suo memoratis Episcopis & nobis humiliter supplicavit ut cùm ipsi fideles existant Ecclesiæ ac devoti, & ad promotionem pacis juxta mandatum nostrum intendant viriliter & potenter, eidem Hugoni super adipiscenda hereditate uxoris suæ dignaretur Ecclesia subvenire. Cùm igitur occurrere debeat sedes apostolica præsumptionibus malignorum & eorum excessus pastorali sollicitudine cohibere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus in dictos cives, ut memoratum Roncelinum excommunicatum, apostatam, & perjurum, à dominio suo, quod contra proprium juramentum in contemptum Dei & fidei Christianæ opprobrium detinet occupatum, prorsùs amoveant, & supradictæ nobili hereditatem restituant, ut tenentur, per excommunicationis & interdicti civitatis & terræ ad ipsius dominium pertinentis sententias, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, sicut justum fuerit compellatis. Attentiùs provisuri ut sententias ipsas faciatis in monasterio sancti Victoris appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Viterbij XII. Kal. Septembris, anno decimo.

CVSENTINO ARCHIEPISCOPO & Episcopo Marturanensi.

Epist. 112. De protectione Episcopi Militensis adversùs Comitem Amfusum.

SEdens iniquitas super talentum plumbi quosdam malitiæ perversitate gravatos tam miserabiliter in vitiorum ima depressit ut lætantes cùm malè fecerint, ac in rebus pessimis exultantes, ex quadam delinquendi consuetudine in tantæ prævaricationis devenere contemptum ut licèt per multimodæ transgressionis excessus contra se non immeritò provocent iram Dei, ad Ecclesias tamen & ecclesiasticos viros, in reprobum sensum dati, manus extendere non formidant, ipsorum bona præsumptuosis ausibus invadentes & dantes in direptionem & prædam. Credebamus sanè quòd vexatio dedisset intellectum auditui, & nobiles regni Siciliæ diutinæ tribulationis aculeus docuisset per justitiæ semitam ambulare. Sed, quod dolentes dicimus, videntur eorum aliqui inter flagellorum malleos duruisse, dum eó minùs ab illicitis abstinent quò potiùs persecutionis acerbitas invalescit. Sicut enim venerabilis frater noster P. Militensis Episcopus graviter conquestus est coram nobis, nobilis vir Comes Amfusus, Ecclesia Militensi vacante, turrim ipsius, in qua consueverant esse campanæ, fraudulenter invadens, Comiti R. fratri suo assignavit eandem: qui tam Episcopum ipsum quàm Ecclesiam suam intolerabili vexatione fatigans, domos episcopales & Canonicorum etiam & Clericorum Militensium occupavit, illas ad usum suum & suorum minùs honestè quàm deceat retinendo. Frumentum insuper, vinum, hordeum, & alia bona tam Episcopi quàm Ecclesiæ capiens, ipsa pro suæ voluntatis arbitrio dissipat & consumit, ac homines ejusdem Ecclesiæ indebitis angariis & variis gravaminibus non desinit molestare. Præterea Canonicos & Clericos Militenses sine causa rationabili sæpe capiens, quosdam bonis propriis spoliat, quosdam tamdiu detinet carcerali custodiæ mancipatos donec ipsos ad intolerabilem ferè redemptionem adducit. Dictus etiam Comes R. cùm quoddam castrum de novo construxerit, & homines Ecclesiæ nequiret inducere ut habitarent ibidem, casale de Karna ad eandem Ecclesiam pertinens dissipavit, eosdem homines de locis propriis expel-

lendo. Idem quoque Comes Amfusus, dum turrim prædictam & Ecclesiam occupavit, pecuniam, equitaturas, frumentum, vinum, hordeum, & alia nonnulla violenter accepit, de quibus postmodum nullatenus satisfecit. Et in iis & multis aliis iidem Comites usque adeo persequuntur memoratum Episcopum & affligunt ut suam Ecclesiam deserere sit coactus. Cùm igitur hæc & alia gravamina, quæ idem Episcopus nobis exposuit, nolimus, quia non possumus, sub dissimulatione transire, fraternitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatinus inquisita super præmissis plenius & cognita veritate, prædictos Comites moneatis attentiùs & efficaciter inducatis ut eidem Episcopo tam domos episcopales, Canonicorum, & Clericorum, & turrim jamdictam, quàm alia quæ abstulisse noscuntur, sine difficultate qualibet restituant, ut tenentur, & permittant pacificè possidere, de damnis & injuriis irrogatis satisfacientes competenter eidem. Alioquin ipsos per totam Calabriam & Siciliam auctoritate nostra denuntietis excommunicationis vinculo innodatos, & totam terram eorum ecclesiastico suppositam interdicto, facientes tam excommunicationis quàm interdicti sententiam sublato appellationis obstaculo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus insuper & mandamus ut generaliter indicere studeatis ut ad quamcumque terram interim venerint iidem Comites, divina officia eis præsentibus nullatenus celebrentur. Quòd si non ambo &c. alter vestrum &c. Datum Viterbij VIII. Kal. Septembris, anno decimo.

..LONDONIEN.. HELIEN. & VVigornien. Episcopis.

Epist. 113. De caula Archiepiscopi Cantuariensis adventûs Regem Angliæ.

ILlius testimonium invocamus qui testis est cœlo fidelis quòd Kar. in Christo fil. nostrum I. Regem Anglorum illustrem sinceriſſima semper caritate dileximus, & usque adeo erga ipsum exuberavit nostræ gratiæ plenitudo ut plurimi Principum in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non solùm minùs ferventes extiterint, sed quidam facti sint etiam indevoti. Si quando enim in eum vel regnum suum fragor turbationis invaluit, sedes apostolica pia gestans viscera circa eum, potenter ipsum adjuvit, & in multorum invidiam à multis angustiis relevavit. Verùm, quod dolentes referimus, usque adeo gratiæ nostræ se reddit ingratum ut nequaquam videamur eum beneficiis attraxisse, sed injuriis provocasse, cùm nostris immo Dei dispositionibus se opponens, ea minùs sano ductus consilio non formidet incipere quæ in ejus possunt grave periculum redundare. Quæ verò sint illa non credimus exprimenda, cùm vobis sint magis nota quàm nobis. Verùm quamvis devotionem ipsius Regis valde nobis necessariam reputemus, non minùs tamen, sed forsitan longè ampliùs extimare potest & debet nostram sibi gratiam opportunam, quemadmodum evidentiùs, si bene recolit, jam percepit. Sed ipse immemor omnium, jurisdictionem nostram non solùm impedire, verùm etiam evacuare conatur; licèt nos suam numquam minuere, sed semper studuerimus defensare. Illúdque potiùs deberet attendere, quòd Principes illi qui libertatem ecclesiasticam impugnando, indebitam sibi super Ecclesias conati sunt arripere potestatem, divino judicio penè penitùs defecerunt; qui verò sanctam Ecclesiam in sua libertate fovendo, digno venerantur honore, de bono semper in melius prosperantur. Ceterùm ad quem finem ex incepta possit persecutione venire nequaquam attendit: quia si finem prudenter attenderet, ab incepto procul dubio declinaret, cùm præter divinam offensam, nisi quantociùs resipuerit, gravem sit incursurus jacturam; quia durum est ei contra stimulum calcitrare. Absit enim ut in tam iniquo proposito populus Anglicanus, qui verè Christianus existit & zelator fidei orthodoxæ, contra Regem cœlestem Regem sequatur terrenum, corporalia spiritualibus præferendo, cùm non solùm Clerici sed & laici tantæ discretionis & devotionis existant ut norint & velint distinguere inter illa quæ reddenda sunt Cæsari & ea quæ reddenda sunt Deo. Cùm igitur honori suo pariter & saluti vix credamus hoc tempore posse utiliùs provideri quàm ut Cantuariensis Ecclesia talem Pontificem habeat qui fama, scientia, & vita præclarus, ad ea quæ Dei sunt eum documentis provocare valeat & exemplis, ac tota sibi mentis affectione cohærens, sanum ei consilium circa spirituales & temporales utilitates impendat, quoniam hæc in venerabili fratre nostro S. Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali novimus convenire, licèt mo lestissimum nobis esset eum à nostro latere separare, ut qui quasi nobiscum hactenus

Vide Matthæum Paris. ad an. 1207. & 1208.

universali præfuerat Ecclesiæ, secundùm vocationem de ipso factam Cantuariensi metropoli specialiter præferretur, quia tamen utilitati ejusdem Regis suæque saluti desideramus consulere, ac ipsius profectibus intendimus providere, Archiepiscopum ipsum à Conventu Cantuariensis Ecclesiæ canonicè postulatum pariter & electum nostris manibus consecravimus, & Palleo de corpore beati Petri sumpto, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij sibi dato, ad regimen Ecclesiæ sibi commissæ duximus destinandum. Quamvis igitur Regem ipsum, ut in testimonio Dei loquamur, sincerissimè diligamus, & ipsius honori desideremus deferre, quia tamen Deo magis quàm hominibus deferre nos convenit, & in executionem justitiæ non debet esse personarum acceptio vel delectus, fraternitatem vestram monemus attentè & hortamur, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes quatinus diligentiùs attendentes quòd juxta sententiam sapientis qui arguunt laudabuntur, & super eos veniet benedictio, induti virtute spiritus ex alto, & assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, Regem ipsum pariter adeatis, eúmque in spiritu libertatis reverenter ut Regem hortemini, & diligenter ut filium inducatis, quatinus animabus salutem, quietem populis, honorem Deo, & Ecclesiæ providens libertatem, sanis consiliis acquiescat, & præfato Archiepiscopo, quem, quicquid siniſtra de ipso fuerit sibi detractione suggestum, fidelem ei novimus & devotum, dignam reverentiam & debitum honorem impendens, & cognoscens hoc factum non tam ab homine quàm à Deo, dispositioni divinæ prompto favore consentiat, ut idem Archiepiscopus sincera sibi devotione cohærens, circa gregem sibi commissum à Domino suum efficaciter valeat officium exercere. Alioqui omni mundano timore postposito, ac remoto cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, per totam Angliam generalem interdicti sententiam proferatis, nullum ibi, præter parvulorum baptisma & pœnitentias morientium, ecclesiasticum permittentes officium celebrari; quam & vos pleniùs observetis, & faciatis ab omnibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Sciturі pro certo quòd si qui forsitan, quod non credimus, contumaci spiritu præsumpserint obviare, sic eorum curabimus præsumptionem corrigere quòd terrore ad posteros derivato talis non transibit insolentia in exemplum, sed eorum correctio terrere poterit universos. Quòd si nec sic vexatio ipsi Regi dederit intellectum, quia pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat, manus nostras in eum curabimus aggravare; ut sic demum medicinali manu sanatus, in gratiarum nobis actiones assurgat. Illos autem qui caput ejus oleo peccatoris impinguant, foventes ipsum in malo, tanquam adulatores despiciat, & velut corruptores expellat. Nos quoque, qui talium corruptelas non penitùs ignoramus, pro meritis sibi curabimus auctore Domino respondere. Tales igitur in hujusmodi executione mandati vos exhibere curetis quòd Deum magis quàm hominem comprobemini revereri; nec sitis ex illis qui canes muti sunt, non valentes latrare. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

IANVENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 114. Committitur causa divortij adulterij commissi. Cap. Quemadmodum. De jurejur.

QVemadmodum si vir mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, quòd eam semper pro legitima teneret uxore, ipse quidem pro fornicatione quam mulier antea commisisset non posset illam dimittere, sed pro fornicatione quam postea perpetraret eam dimittere posset non obstante hujusmodi juramento, quoniam in eo talis esset subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem conjugij non peccaret; ita si quis juravit se ducturum aliquam in uxorem, ipse profectò non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem ei potest opponere, ut illam non ducat in conjugem; quoniam in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. Alioquin, si post hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem. quod est prorsùs absurdum. Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere, longè fortiùs ante conjugium celebratum propter eandem causam sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam; quia turpiùs ejicitur quàm non admittitur hospes. nonobstante in alterutro casu vinculo juramenti; quod quidem, propter subintelligendam conditionem, est tale ut is qui juravit, ad utrumque sine transgressione se possit habere.

bere. Quòd si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos aut nasum amitteret, seu quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò *nuptam non posset dimittere. Sed numquid non ductam admittere teneretur, quamvis interdum contractum non dirimat quod impedit contrahendum. Illud autem juramentum est procul dubio temerarium, si vir juret uxori quòd eam super nullo crimine accusabit: quia si mulier fieret infidelis & nollet cohabitare viro absque contumelia creatoris, vel ut illum pertraheret ad infidelitatis errorem, vir incunctanter deberet illam impetere apud judicem suum, ut eam, nisi penitùs resipisceret, omnino dimitteret secundùm canonicas sanctiones. Quòd si expressè jurasset quòd eam super adulterio non impeteret, essétne servandum hujusmodi juramentum, cùm scriptura testetur quòd patronus est turpitudinis qui celat crimen uxoris? Et secundùm regulam evangelij, si primò & secundò correcta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, ut tanquam ethnica & publicana deinde vitaretur, néve per hoc libera præberetur ei peccandi facultas, propter impunitatem peccati. Sed numquid vir ei non potest dimittere in ipsum peccanti, non solùm septies, sed etiam usque septuagies septies secundùm evangelicam veritatem? Tutius igitur in hoc casu videtur ut propter jurisjurandi religionem vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quanquam eam denuntiare possit ad pœnitentiam peragendam. Pensato itaque hujus responsionis tenore procedas in causa super qua nos consulere decrevisti. Datum Viterbij Kal. Septembris, anno decimo.

* In Tertia Colect. ductam

CAPITVLO ECCLESIÆ Ravennatensis.

Epist. 115. Vt provideant Archiepiscopo suo quædam pontificalia indumenta.

AD tantam, sicut dolentes accepimus, Ecclesia vestra necessitatem devenit ut præter alias incommoditates ipsius grandes & graves, pontifica liaetiam ornamenta sint pignori obligata, ita quòd venerabilis frater noster Archiepiscopus vester non habet cum quibus congruè valeat pontificale officium celebrare. Nos igitur ipsius necessitati paterno compatientes affectu, ad ejus indigentiam ex abundantia nostra supplendam fieri jussimus pontificalia indumenta, videlicet tunicam, dalmaticam, & planetam de optimo examito rubeo, grammatibus & aurifrigiis decenter ornata, & tam ipsa quàm amictum, albam, stolam, cingulum, & manipulum eidem Archiepiscopo & per eum Ecclesiæ tribuimus Ravennati, sub anathematis interminatione vetantes ne quisquam ea quomodolibet alienare præsumat, sed ad usum Archiepiscopi, qui pro tempore fuerit, ex apostolicæ sedis statuto in jure Ecclesiæ Ravennatis semper consistant. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ donationis, prohibitionis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSI.

Epist. 116. De controversia inter Ecclesiam Ravennatem & Commune Faventinum.

Cap. Licèt causam. De probationibus.

LIcèt causam quæ inter te ac Ecclesiam tuam ex una parte & dilectos filios commune Faventiæ ex altera vertebatur super jurisdictione, honore, atque districtu in villa Lucij sancti Petri & castro Arioli, quæ ad tuam Ecclesiam dicebantur de jure spectare, sæpe diversis judicibus commiserimus, quia tamen per eorum aliquos non fuit utiliter in negotio ipso processum, partibus demum dedimus in mandatis ut pro ipsa causa nostro se conspectui præsentarent. Quarum procuratoribus cum instrumentis de rato in nostra postmodum præsentia constitutis, cùm fuisset aliquandiu coram nobis super quibusdam exceptionibus disputatum, Iconomus tandem Ecclesiæ tuæ proposuit in hunc modum, quòd cùm omnimoda jurisdictio, honor, atque districtus, & alia quædam ad hæc spectantia in prædictis locis ad Ecclesiam pertineant memoratam & in ipsorum quasi possessione plenaria diù fuerit & quieta, commune Faventiæ ipsam super præmissis contra justitiam molestabat, homines prædictorum locorum cogendo in collectis sibi, exercitu, cavalcatis, laboreriis, bannis, & placitis, angariis & parangariis respondere, ac domicilia in civitate sibi constituere Faventina. Vnde petebat idem Iconomus ut Faventinos ipsos ab hujusmodi perturbatione ac molestatione indebita faceremus auctoritate apostolica cohiberi. Ad cujus postulationem Syndico communis Faventiæ respondente, ac interrogationibus & responsionibus redactis in scriptis, juramentum calumniæ fecimus utrinque præstari. Verùm quia utrique parti erat plurimùm onerosum ut testes produceret coram nobis, venerabili fratri nostro Placentino Episcopo dedimus in præceptis ut infra tres menses post susceptionem

litterarum nostrarum testes appellatione remota reciperet quos utraque pars tam super principali negotio quàm in personas testium duceret producendos, ita videlicet ut effrenata testium multitudine refrenata, hinc inde quadragenarium numerum testium excedere nullatenus pateretur; ac eosdem prudenter examinans, & inquirens de circumstantiis diligenter, attestationes ipsas nobis sub sigillo suo fideliter transmitteret consignatas; injungens partibus ut ad nostram venirent præsentiam sic instructæ; quatinus attestationibus publicatis, & instrumentis exhibitis, justam à nobis, auctore Domino, sententiam reportarent. Dictus autem Episcopus testes juxta numerum in nostris litteris diffinitum ab utraque parte recepit. Sicque postmodum utriusque partis procuratores cum attestationibus consignatis ad nostram præsentiam redierunt. Porrò attestationibus solemniter publicatis, Syndicus Faventinorum proposuit se velle in personas testium ex parte altera productorum quædam obicere ac probare, Iconomo Ecclesiæ asserente id fieri non debere. Super quo cùm fuisset hinc inde aliquandiu altercatum, tandem interloquendo decrevimus ipsum super hoc nullatenus audiendum, cùm infra trium mensium spatium in nostris litteris comprehensum hujusmodi testes producere non curavit, infra quod tantùm pars utraque testes inducere potuit tam in personas testium quàm super negotio principali. Post hæc siquidem idem Syndicus objecit in testes prædictos quòd corrupti falsa dixissent, & ad querelam falsi probandam concedi sibi petiit facultatem. Vnde quia talis exceptio non solùm ante sed etiam post sententiam potest opponi secundùm legitimas sanctiones, licèt nonnulli crederent Faventinorum partem exceptionem hujusmodi per excogitatam malitiam ad impediendum processum negotij objecisse, quia tamen nolumus à juris tramite declinare, dilectis filiis Magistris C. & G. Bononiæ commorantibus per scripta nostra præcepimus ut partibus convocatis testes quos super hac exceptione procurator Faventinorum duceret producendos, infra mensem recipere ac examinare curarent, de singulis circumstantiis subtiliter inquirentes, & depositiones eorum fideliter redigentes in scriptis; indulto ex tunc altero mense procuratori Ecclesiæ supradictæ, infra quem, si vellet, ad reprobationem illorum testium testes produceret coram eis; & eorum dicta fideliter conscribentes, viginti dierum terminum utrique parti præfigerent, infra quem cum attestationibus ipsis nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Partibus itaque comparentibus iterum coram nobis, & hujusmodi attestationibus publicatis, audivimus quæcunque proponere voluerunt. Quanquam autem pars Faventinorum testes multos produxerit super negotio principali ad probandum quòd homines prædictorum locorum à longis retro temporibus exhibuerunt eis servitia in bannis & placitis, fossatis, collectis, & cavalcatis, & quibusdam aliis pertinentibus ad districtum, vix tamen ex illis sex tantummodo remanserunt, cùm alij multi sibimet in serie sui testimonij contradicant, & quidam alij sint in dicto sui testimonij singulares. Ad reprobandum verò quosdam testium Ecclesiæ tuæ, etsi ex parte Faventinorum quidam sint testes inducti, plures ipsorum potiùs reprobantur, quia sibi invicem evidentissimè contradicunt. Quidam verò alij, pauci numero, quamvis non reprobentur expresè, usque adeo tamen malæ famæ sunt & levis opinionis, sicut per attestationes exhibitas est probatum, quòd eorum dictis nulla vel modica fides est exhibenda. Iidem quoque testes Faventinorum generaliter repelluntur, quia non probant illud ad quod Syndicus eorundem se probaturum astrinxit, videlicet quòd corrupti falsa dixissent; quoniam etsi de corruptione videantur aliquid dicere, de falsitate tamen penitùs nihil dicunt. Per multos autem testes Ecclesiæ tuæ omni exceptione majores probatum est manifestè Ecclesiam tuam villam Lucij, sancti Petri, & castrum Arioli longissimo tempore possedisse cum omni honore, districtu, jurisdictione, nominatim expressis universis articulis exprimentibus jurisdictionem, honorem, atque districtum. Ex præmissis igitur satis evidenter apparet quòd Ecclesia tua per testes numero plures, quibus potiùs lux veritatis assistit, qui etiam aptiora negotio & vero proximiora in suis testimoniis expresserunt, sufficienter ostendit quòd à sexaginta annis citra cum omni jurisdictione, honore, atque districtu loca supradicta possedit. Per quod patet quòd etsi commune Faventiæ à quinquaginta annis citra, sicut eorum videntur testes deponere, aliqua servitia in locis perceperint supradictis, illa procul dubio sine justo titulo percipere

inceperunt, cùm duo insimul eandem rem & eodem modo in solidum possidere non possint, maximè cùm iidem Faventini justum possessionis titulum non ostendant, & ex privilegiis Imperatorum & Romanorum Pontificum Ecclesiæ tuæ concessis evidentissimè colligatur possessionem ipsius Ecclesiæ in prædictis locis justam fuisse. Cùm ergo constet Faventinos ab eo tempore quo se possedisse probare contendunt, minùs justè ac sine titulo aliqua in prædictis locis temeritate propria occupasse ac processu temporis per violentiam extorsisse, sicut per multos testes Ecclesiæ tuæ manifestè probatur, & Yconomus ejusdem Ecclesiæ petierit coram nobis à vi turbativa seu inquietativa super præmissis commune Faventiæ prohiberi, nos cognoscentes in hoc casu non sic esse locum interdicto *Vti possidetis* ut dicere debeamus *Vti possidetis, ita possideatis*, cùm probationes Ecclesiæ longè sint potiores, & ideo sit in interdicto superior, de fratrum nostrorum consilio commune Faventiæ condemnamus, eidem super jurisdictione, honore, atque districtu, & aliis ad hæc generaliter pertinentibus in locis prædictis, quoad possessorium judicium, quo tantummodo actum est, perpetuum silentium imponentes, & prohibentes eidem ut neque per se neque per alios super iis præsumat te, Ecclesiam tuam, aut habitatores prædictorum locorum aliquatenus molestare. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij Kal. Septembris, anno decimo.

POTESTATI ET POPVLO PISANO.

Epist. 117. Respondetur ei super certis quæstionibus.

ACcedentes ad apostolicam sedem dilectos filios nobiles viros Gottifredum Vicecomitem, Opizum Cortevecele, & Vgonem de Grotta, nuntios vestros, viros providos & fideles, illa qua decuit benignitate recepimus, & ea quæ nobis prudenter ex parte vestra proponere curaverunt, nos quoque curavimus intelligere diligenter, grates altissimo referentes quòd progenitorum vestrorum inhærentes vestigiis, à devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ non intenditis deviare. Satisfactionem verò quam nobis tam super facto Sardiniæ quàm super facto Siciliæ iidem nuntij obtulerunt, etsi non fuerit omnino perfecta, pro tempore tamen duximus acceptandam, cùm speremus quòd beneplacito nostro pro eos plenius intellecto, perfectiorem nobis exhibere velitis, ita ut gratia nostra circa vos nec minui debeat nec turbari. Verùm quia tunc coram nobis de archiepiscopatus vestri negotio agebatur, volentes non solùm à malo sed etiam ab omni specie mali secundùm Apostolum abstinere, nullam ab eis super hujusmodi satisfactione voluimus recipere cautionem, quam & ipsi non de mandato vestro, sed de suo arbitrio promittere se dicebant. Eam verò per nostras vobis litteras intimamus; ut & vos liberalitatis nostræ gratiam acceptantes, tanto plenius nobis satisfacere procuretis quanto propensiùs à nobis intenditis exaudiri, satagentes super hoc nobis vestrum infra mensem beneplacitum explicare, ut ex eo certiùs instruamur qualiter circa vos procedere debeamus. Tenor autem oblatæ satisfactionis est talis. NOBILES viri Gottefredus Vicecomes, Opizus Cortevecele, & Vgo de Grotta, nuntij seu mesatici Pisanæ civitatis, promittunt Domino Papæ sub pœna quingentarum librarum Pisanæ monetæ quòd ipsi ita efficient cum Potestate Pisana quòd ipsa Pisana Potestas præcipiet per nuntium vel litteras suas Lamberto civi Pisano ut veniat ad apostolicam sedem per se vel responsalem idoneum, & se absolutè committet mandatis Domini Papæ super eo quòd judicatum Gallurense sine licentia summi Pontificis accepit & tenet, &.. dominam Gallurensem in uxorem accepit, & super damnis, injuriis, & expensis quæ Transmundus Domini Papæ consobrinus propter hoc negotium est perpessus, vel super præmissis coram ipso Domino Papa justitiæ plenitudinem exhibebit. Quòd si neutrum præmissorum infra determinandum tempus dictus Lambertus ammonitus facere vellet, ex tunc prædicta Potestas de universis bonis quæ idem Lambertus nunc habet aut impostetum habebit in civitate Pisana & districtu suo, faciet sine fraude mandatum Domini Papæ. Insuper ita facient cum præfata Potestate quòd ipsa Potestas pro communitate ipsius civitatis cavebit quòd Regem Siciliæ non offendent. Hæc autem promissio fiet Domino Papæ ab ipsis nuntiis hoc tenore, ut postquam sæpedicta Potestas cum consilio civitatis Pisanæ confitebitur ipsi Domino Papæ, per litteras sigillo communitatis signatas vel publica manu scriptas, de ratum habere prædicta, & ad ea implenda quæ ipsi nuntij Summo Pontifici promiserint se ac successores suos legitimè obligabit, iidem

» nuntij à dicta promissione & à pœna præs-
» cripta sint omnino liberi & soluti.] Datum Viterbij IV. Idus Septembris, anno decimo.

DE CIHAN ET MONTISGEROLD. Abbatibus, & Præposito Rhotnacensi Cameracensis diœcesis.

Epist. 118. Vt cum G. laïco & D. muliere uxore in quarto consanguinitatis gradu attingentibus possint dispensare.

SIgnificavit nobis dilectus filius G. laïcus de Aldenarda quòd cùm D. mulierem uxorem suam defunctam, quæ . . in quarto consanguinitatis gradu contigerat, sibi matrimonialiter copulasset, cum ea est tanto tempore pacificè commoratus quòd ex ipsa quinque liberos jam suscepit. Verùm quia ipsum super hoc sua conscientia reprehendit, & quidam nunc malitiosè super matrimonio ipso eundem molestare nituntur, nobis humiliter supplicavit ut cum eo misericorditer agere dignaremur, ne ipsorum liberi in paupertatem veniant & contemptum. quod utique fieret si contingeret inter eos divortium celebrari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, injuncta tam viro quàm mulieri super hoc pœnitentia competenti, super ipso matrimonio dispensando, non permittatis eosdem indebitè ab aliquibus molestari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij XV. Kal. Septembris, anno decimo.

NOBILI MVLIERI IVLIANÆ Dominæ de Pirucis.

Epist. 119. Confirmantur donata sibi per Imperatorem Constantinopolitanum.

SOlet annuere &c. *usque* assensu. Villam de Blaten, quam tibi karissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris liberaliter contulit, sicut eam justè possides & quietè, ad petitionem Imperatoris ejusdem auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij XV. Kal. Octobris, anno decimo.

HENRICO ILLVSTRI CONSTANTInopolitano Imperatori.

Epist. 120. Indulgetur ei ut excommunicari non possit nisi pro excessu enormi.

CVm regendo Imperio Romaniæ gravis & grandis sollicitudinis tibi pondus immineat, à viris ecclesiasticis sublevandus es potiùs quàm gravandus, ne nimia pressus difficultate succumbas si supra vires tuas temporale pariter & spirituale onus incurras. Quantum autem sit Regibus deferendum, maximè fidelibus & devotis, beatus Petrus Apostolus docet in epistola sua dicens: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Ne igitur venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha te possit amodo indebitè aggravare, sicut accepimus te hactenus indebitè aggravasse, in hoc magis sibi providentes quàm tibi, cùm minus sit injuriam perpeti quàm injuriam perpetrare, auctoritate præsentium inhibemus ne in personam vel terram tuam absque manifesta & rationabili causa censuram ecclesiasticam promulgare præsumat, sempérque canonicam ammonitionem præmittat; nisi fortè talis esset excessus qui ordinem judiciarium exigeret non servandum. Si verò te præsenseris aggravari, liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare, ut imminens gravamen evites. Et si post appellationem hujusmodi sententiam præsumpserit jaculari, nos eam decernimus non servandam, tanquam irritam & inanem, præsertim quandiu coram nobis aut Legato vel delegato nostro seu etiam arbitro communiter eligendo paratus fueris juri parere. Nimirum in talibus considerari debent tempus & locus, necessitas & utilitas, causa nihilominus & persona. Tu verò, fili karissime, quanto plus indiges divinæ majestatis auxilio, tanto plus semper obsequio divinæ pietatis insistas, & sponsam ejus sanctam Ecclesiam devotiùs venereris, ut ipsa te suis precibus ad ipsum reddat ampliùs commendatum. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis, concessionis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij II. Idus Septembris, anno decimo.

MAGISTRO DOMORVM MILITIÆ Templi citra mare.

Epist. 121. De interdicto servando & Legato se. ap honorando.

FRatrum & coëpiscoporum nostrorum graves querelæ super gravibus fratrum vestrorum excessibus apostolicis auribus sæpius inculcatæ animum nostrum nequeunt non turbare, cùm in nostrum & generalis Ecclesiæ scandalum & animarum suarum periculum & ordinis vestri dispendium attententur; qui apostatantes à Domino, & à puritate sui ordinis recedentes, in superbia sua usque adeo effrænantur ut in faciem Romanæ Ecclesiæ matris suæ, quæ fratres militiæ Templi suis beneficiis fovere non desinit, maculam impingere non verentes, au-

deant publicè prædicare quòd per apostolicæ sedis indulta cujuscunque civitatis interdictæ vel oppidi omnes Ecclesiæ successivè in eorum jucundo adventu debeant aperiri, & ibidem divina officia celebrari, prout eis nunc in ista, nunc in alia videbitur expedire, non attendentes quòd ex præsumptione hujusmodi contemnitur medicinalis pœnæ medela, imò quasi penitùs enervatur. Et si Ecclesias in locis prædictis habuerint, cùm subjecta fuerint interdicto, non verentur solemniter, pulsatis campanis, maximè interdicto durante, apertis januis, divina in eis officia quotidie celebrare; signúmque dominicæ crucis gestantes in pectore velut discipuli Iesu Christi, sed non curantes ipsius sequi doctrinam, qui prohibet scandalisari pusillum credentem in ipsum, *Qui scandalisaverit*, inquiens, *unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*, non solùm scandalum pusillorum contemnitur, sed etiam Ecclesiæ generalis, & cupiditatis æstibus anhelantes non declinant mendacia, dum utentes doctrinis dæmoniorum, in cujuscunque tructanni pectore Crucifixi signaculum imprimunt, & cum eis ad prædicandum euntes, onusti pondere peccatorum, jam non curant quasi longam restem addere peccata peccatis, asserentes quòd quicunque, duobus vel tribus denariis annuis collatis eisdem, se in eorum fraternitatem contulerint, carere de jure nequeant ecclesiastica sepultura, etiamsi fuerint interdicti; ac per hoc adulteri, usurarij manifesti, & alij criminosi supposiiti ecclesiastico interdicto, ex hujusmodi insolentia in eorum cimiteriis quasi fideles & catholici tumulantur; & ita ipsi à diabolo captivati, fidelium animas captivare non desinunt, cùm eas quas mortuas sciunt, vivificare nituntur. Proh dolor! jam non moderatè utentes mundo velut religiosi homines propter Deum, sed ut suas impleant voluptates, religionis imagine utuntur solummodo propter mundum. Et cùm debuissent aliis esse odor vitæ in vitam, facti sunt odor mortis in mortem. Et licèt per hæc & alia nefanda, quæ idcirco pleniùs exaggerare subsistimus ne cogamur graviùs vindicare, apostolicis privilegiis, quibus tam enormiter abutuntur, essent meritò spoliandi, cùm privilegium mereatur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, quia tamen ad profectum vestri ordinis aspiramus, prudentiam tuam monemus & exhortamur attentè, per apostolica scripta mandantes quatinus, sicut vir honestatis militiæ Templi zelator, hæc quæ tibi mandavimus, subditis tuis omnibus studeas fideliter ac prudenter exponere, ut per nostram & tuam exhortationem correcti, à tam enormi & pestifera fœditate valeant liberari, & quos divini amoris respectus & nostræ commonitionis auctoritas à malo non revocat, tu severitate coërceas ecclesiasticæ disciplinæ. Alioquin si quid mali ex hoc vobis acciderit in futurum, non nobis sed vobis poteritis meritò imputare. Ceterùm præcipias universis ut Legatos nostros studeant honorare, qui de ipsis graviter conqueruntur. Datum Viterbij Idibus Septembris, anno decimo.

IOHANNI REGI ANGLORVM illustri.

Epist. 122. Vt procuratorem mittat ad sedem apostolicam.

SÆpe per nostras litteras te, quem, sicut novit ipse qui scrutatur renes & corda, sincera diligimus in Domino caritate, recolimus monuisse ut tuæ saluti consulens & honori, kariſſimæ in Christo filiæ B. quondam Anglorum Reginæ illustri super dotalitio suo, medietate mobilium inclitæ recordationis Richardi fratris tui, & quibusdam aliis quæ dicta Regina sibi competere asserebat, sic satisfacere procurares quòd ei nulla de te justa remaneat materia conquerendi, & majestatem complacares divinam, quam propter hoc videbaris graviter offendisse. Quoniam preces & monitiones nostræ te ad satisfaciendum eidem minimè induxerunt, sicut ipsius sæpius replicata conquestio declaravit, negotium ipsum venerabilibus fratribus nostris Elienſi & Wigornienſi Episcopis commisimus audiendum & etiam aliis primitus citra mare. Sed nec sic, præ magnitudine regalis potentiæ, septennio jam elapso, suam super iis potuit justitiam obtinere, cùm nullus impertiturus eidem patrocinium audeat in Angliam transfretare. Cùm igitur ex injuncto nobis apostolatus officio viduis & orphanis simus specialiter in justitia debitores, nec velimus deferre homini contra Deum, qui viduam voce prophetica præcipit defensari, magnitudini regiæ per apostolica scripta mandamus quatinus usque ad festum Epiphaniæ Domini proximò venturum per procuratorem idoneum te nostro conspectui repræsentes, exhibiturus prædictæ Reginæ vel

procuratori suo super præmissis & aliis, si qua fortè adversùs te duxerit proponenda, in præsentia nostra quod ordo dictaverit rationis. Alioquin ex tunc, quia ipsi non possumus in suo jure deesse, ne fortè contra nos clamet in cœlum & Dominus exaudiat ejus vocem, quantum de jure poterimus, in ipso negotio divina favente clementia procedemus. Nos enim prædictis Episcopis nostris damus districtè litteris in præceptis ut tibi supradictum terminum assignare peremptorium non postponant. Datum Viterbij III. Nonas Septembris, anno decimo.

ALTEROCCÆ MVLIERI & Montanello nato ejus.

Epist 125. Confirmatur eis sententia lata per Legatum sedis apostolicæ.

Cap. Ranutius, De sent. & re judic.

RAnutius de Clera duas habens filias, te videlicet Alteroccam & Aiectam, matrem insuper Cleram, & uxorem nomine Adelasiam, in extremis positus condidit testamentum, tibi scilicet Alteroccæ filiæ puberi, ultra dotem quam antea dederat, quandam domum & hortum in eodem testamento relinquens, Aiectæ verò impuberi reliquit cetera bona sua, adiciens ut tu Alterocca & soboles quam gestabas in utero, cùm eo tempore prægnans esses, Aiectæ succederetis eidem, si absque liberis moreretur. Tutoribus insuper quos dictæ Aiectæ impuberi filiæ dederat idem testator injunxit ut eandem cum omnibus bonis suis matrimonio copularent. Mortuo testatore, tutores ipsi Aiectam cum omnibus bonis suis eidem relictis à patre jure Lombardo cuidam Petro nomine in conjugem tradiderunt: quæ cùm per quadriennium cohabitasset eidem, & ex eo filium suscepisset, tandem sine liberis est defuncta, cujus bona maritus ejus superstes aliquando tempore possedit in pace. qui cum alia muliere matrimonium contrahens, & filios suscipiens ex eadem, diem clausit extremum. Postmodum autem inter vos ex parte una & filios ejusdem Petri ac Raynerium tutorem eorum ex altera super bonis prædictis ejusdem Aiectæ suscitata materia quæstionis, cœperunt coram Guezio judice Tuscanensi ad invicem litigare; coram quo vos bona quondam Raynutij patris tui, filia Altarocca, tanquam ex causa fidei-commissi vel substitutionis sibi debita petiistis, Raynerio supradicto tutore filiorum prædicti Petri ex adverso dicente quòd obstabat vobis annalis præscriptio, usucapio pro dote, ac longi temporis silentium diuturnum. Allegabat insuper idem tutor quòd de bonis illis tam tertia Cleræ prædicti R. testatoris matris, & tertia Adelasiæ uxoris ejusdem, quàm etiam quarta per Trebellianum nomine ipsius Aiectæ, erant ante omnia deducendæ. Dictus verò judex, utriusque partis allegationibus & rationibus diligenter inspectis, supradictum Raynerium nomine pupillorum in restitutionem bonorum quondam Raynutij condemnavit; tertia Cleræ primò deducta, quam Aiectæ ac viro suo donaverat, de qua in substitutione quam fecit Raynutius non videtur aliquatenus cogitasse; deducta quoque tertia Adelasiæ, quam ipsa Raynerio vendiderat supradicto. Præcepit etiam idem judex de iis rebus illas tertias deducendas de quibus deduci poterant secundùm Tuscanensis consuetudinem civitatis. Deduci quoque quartam per Trebellianum idem judex injunxit, cùm etiam quilibet extraneus restitutione gravatus eam deducere potuisset. Sed utraque pars ab illa sententia provocavit. Postmodum verò dilectus filius .. Præfectus Vrbis, qui eo tempore de appellationum causis in partibus Tusciæ auctoritate sedis apostolicæ cognoscebat, ad petitionem supradicti Raynerij vos ad suam præsentiam evocavit, in festo sancti Andreæ tunc proximo futuro vobis terminum peremptorium, præficiendo, quo vos conspectui præsentaretis ipsius, sententiam recepturi. Cùmque vos coram eo nequaquam comparuissetis termino constituto, bonæ memoriæ Bartholomæus judex Viterbiensis de mandato ipsius Præfecti contra vos, tanquam in contumaces, sententiam promulgavit hoc modo, sententiam Guezij, in eo quòd Raynerium nomine pupillorum absolvit, ratam esse pronuntians; in quibus verò condemnavit eundem, sententiam pronuntiavit injustam, & legitimè provocatum; adiciens ut si tu Altarocca in morte patris minus legitima habuisses, computata dote ac aliis bonis patris, condemnabat in supplementum illius Raynerium nomine pupillorum. à qua sententia fuit postmodum appellatum. Cùm autem propter hoc vos & pars altera ad nostram præsentiam venissetis, dilectum filium nostrum G. sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem vobis & parti adversæ concessimus auditorem. Coram quo cùm pars Raynerij peteret sententiam Bartholomæi judicis confirmari, pars vestra respondit quòd licèt in festo sancti Andreæ, sicut prædictum est,

à Præfecto terminus fuerit constitutus, nihilominus tamen ad vestram instantiam in octavam ejusdem nativitatis idem terminus fuerat prorogatus, sicut per unicum testem vestrum & alterum partis adversæ manifestissimè probatur. propter quod dicebatis illam sententiam nullam esse, utpote dilatione pendente prolatam; maximè cùm ante diem præfixum citatio facta fuerit per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Suanensem, ad quem medio tempore nostræ litteræ super ipso negotio fuerant impetratæ, sicut per depositiones testium videtur esse probatum. Postquam itaque super iis & aliis coram Cardinale prædicto inter vos & partem alteram fuit diutiùs litigatum, ipse, habito consilio peritorum, de mandato nostro sententiam supradicti Bartholomæi judicis propter causas prædictas pronuntiavit penitùs nullam esse, sententiam verò Guezij judicis, in eo quòd dixit tertiam Cleræ ac tertiam Adelasiæ integraliter deducendas, idem Cardinalis pronuntiavit injustam, & ab ipsa legitimè provocatum diffiniens sic illas tertias deducendas, ut legitima portio tibi Alteroccæ debita jure naturæ tibi salva sit in utraque, ad cujus restitutionem dictum Raynerium condemnavit. In eo verò quòd quartam per Trebellianum idem Guezius censuit retinendam, sententiam confirmavit ejusdem, ita videlicet quòd fructus de bonis ipsius à tempore litis contestatæ percepti computentur in ea, qui si suffecerint ad quartam & fructus ejus, eo nomine alia deductio nulla fiat. alioquin juxta quantitatem fructuum perceptorum computationis ratio habeatur. Quia verò pater Aiectæ ipsam in legitima non potuit aggravare, legitimam ipsam, ejus videlicet partis quæ jam dictæ Aiectæ debebatur ab intestato, deducendam censuit & etiam retinendam, ita videlicet quòd deductio fiat tantummodo de iis rebus de quibus secundùm Tuscanensis consuetudinem civitatis fieri consuevit. In eo verò quòd idem Guezius condemnavit Raynerium, nomine pupillorum suorum, ad restitutionem vobis residui faciendam, ipsius sententiam confirmavit. Nos igitur ejusdem Cardinalis sententiam exigente justitia promulgatam ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Viter. II. Idus Septembris, anno decimo.

OTONIENSI EPISCOPO.

Epist. 124. Vt Presbyter qui digitum sinistræ manus amisit, ministrare possit. *Vide Reginonem lib.* 1. *c.* 410.

VEniens ad præsentiam nostram O. Presbyter humili nobis insinuatione monstravit quòd cum ante domum suam quidam homines invicem rixarentur, & ipse casu domum exivisset eandem, unus de rixantibus, nulla ejusdem Presbyteri præcedente culpa, irruens in eundem, diabolo instigante, sinistræ manus digitum amputavit eidem. Vnde nobis humiliter supplicavit ut exequendi suum officium ei licentiam concedere dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, Presbyterum ipsum in ordine suo sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo liberè ministrare permittas. Quædam enim interdum impediunt promovendum quæ non deiciunt jam promotum. Datum Viterbij XIV. Kal. Octobris, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI, & Episcopo Salimbrienſi, & Decano S. Mariæ de Blakerna Constantinopol.

Epist. 125. Vt R. Clericum instituant in Ecclesia de Kuphan.

CVm provisio Clericorum opus in se contineat pietatis, quæ promissionem habet vitæ quæ nunc est pariter & futuræ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus Ecclesiam insulæ de Kuphan, quæ vacare proponitur, dilecto filio R. Clerico karissimi in Christo filij nostri Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris, ecclesiasticum beneficium non habenti, auctoritate apostolica sublato appellationis obstaculo conferatis, & faciatis ipsam ab eo pacificè possideri. contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram canonicam compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij XV. Kal. Octobris, anno decimo.

MORAVIENSI EPISCOPO.

Epist. 126. Committitur ei causa monasterij de Melros.

OLim expositа nobis à dilecto filio.. Abbate & Conventu de Melros Cistercienſis ordinis quæstione quòd nobilis vir P. Comes de Bonbar diocesis sancti Andreæ partem cujusdam pasturæ, quam legitimè fuerant assecuti, per violentiam occupasset, ipsis in aliis injuriosus existens, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis.. sancti Andreæ &.. Laodensi diocesis sancti Andreæ Archidiaconis causam ipsam sub certa forma commisimus terminandam. Citato verò, sicut accepimus, Comite sæpius ab eisdem

judicibus per legitima intervalla, pluribus peremptoriis postmodum inculcatis, nec ultimo peremptorio comparente, licèt in ejus notitiam devenisset, dicti judices ipsum absentem per contumaciam præsumentes, de virorum prudentum consilio, quia mortis periculum vel membrorum vel ad minus sanguinis effusio timebatur si causa rei servandæ missio in possessionem rerum fieret petitarum, pœnam sanctionis legitimæ in formam aliam commutantes, maneria ipsius nobilis supposuerunt ecclesiastico interdicto, excepto parvulorum baptismo & communione ac pœnitentia infirmorum. Ceterùm eo ad judicium veniente, cautionéque judicio sisti ab eo recepta, salvis exemptionibus quæ sibi competere poterant, & interdicti sententia relaxata, in die peremptorio, qui ad omnes exceptiones dilatorias proponendas Comiti fuerat assignatus, ex parte ipsius fuit proposita fori exceptio, utcunque vallata triplici ratione; scilicet obtentu personæ, quia laicus; respectu rei, quia erat laicum tenimentum; juris communis beneficio, eò quòd actor sequi debeat forum rei. Cùm autem iis rationibus obiceretur responsio ex adverso, judices memorati videntes quòd hæc omnia nos non latuerint, cùm de ipsis in nostris litteris fecerimus mentionem, & generalis consuetudo sit in partibus illis hactenus observata ut Clericus laicum in foro possit ecclesiastico convenire, præsertim de rebus in puram eleemosynam piis locis collatis, interlocuti fuerunt exceptionem non esse hujusmodi admittendam. Sanè pars Comitis, opinione sua conspiciens se frustratam, incepit personam dicti Episcopi recusare, proponens quòd cùm quandam Ecclesiam Capellam diceret alterius Ecclesiæ in qua jus patronatus habebat, & ne quis in ea in ejus instituetur præjudicium sedem apostolicam appellasset, idem Episcopus quendam ab alio præsentatum post appellationem ad nos interpositam instituit in eadem; qui super hoc etiam, eò quòd pœnam, etsi fuisset contumax, contra juris formam asseruit commutatam, exhibito tam de jure quàm de facto responso, quia credebat eos velle procedere hujusmodi exceptionibus non admissis, ad nostram audientiam appellavit; per quam appellationem quandam expoliationem in modum exceptionis objecit, ut partem aliam repelleret ab agendo; ad quam probandam uno primo & ad habendam instrumentorum copiam de quibus in nostris litteris mentio habebatur, & ea, si posset fieri, reprobanda pòst alio terminis habitis & receptis, ad utrumque diem monachis venientibus, Comes non comparuit, nec pro se misit aliquem responsalem, peremptorium alium contemnere non formidans. Processu verò temporis quidam præfati Comitis procurator super iis querimoniam nobis exponens, ad dilectos filios Abbatem sanctæ Crucis & Priorem de Insula sanctæ Columbæ & magistrum A. Rectorem Ecclesiæ de Cretton Dukeldensis & sancti Andreæ dioceſum apostolicas litteras impetravit; in quibus mandavimus quòd si ea quæ nobis suggesserat idem Comes, narratione veridica niterentur, scilicet quòd licèt proposuisset coram primis judicibus litteras nostras veritate fuisse tacita impetratas, proposito etiam quòd ipsius judicium poterat declinare pro eo quòd ipse in aliis causis eum contra justitiam aggravarat, & post appellationem ad nos interpositam eidem injurias non modicas irrogare præsumpserat, ac terram suam sine ulla certa vel rationabili causa ecclesiastico suppoſuerat interdicto, & paratus esset probare has causas & alias manifestas ob quas præpedictum Episcopum meritò recusare poterat ut suspectum, nihilominus tamen dictus Episcopus de objectis probationes recusans admittere, interlocutoriam protulerit ut coram eo deberet in ipso negotio respondere, atque ob hoc ex parte Comitis ad nostram extiterit audientiam appellatum, revocato in statum debitum quicquid occasione litterarum ipsarum contra ipsum Comitem invenirent perperam attentatum, audirent causam, & eam appellatione remota fine debito terminarent, & facerent quod decernerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quibus R. monachus ejusdem monasterij in litterarum nostrarum audientia contradicens, suam fecit ipsis litteris narrationem apponi. Verùm coram secundis judicibus super iis quæ nobis fuerant nuntiata litigio aliquantulum ventilato, quia eis judicibus de propositis aliter constare non poterat, ipsi judices testes super priori processu negotij admittentes & examinantes cum diligentia, & attestationibus publicatis, dantes licentiam partibus obiciendi & in dicta testium & personas, post objectiones utrinque propositas in dicta & testes, ad nos totum negotium remiserunt, diem partibus præfigentes

Dominicam

Dominicam qua cantatur. *Quasi modò geniti*, quo sufficienter instructæ vel per se vel per procuratores legitimos nostro se conspectui præsentarent. Parte quidem dictorum Abbatis & Conventus se nobis cum litteris judicum secundorum & attestationibus & objectionibus mutuis eodem termino præsentante, ac eisdem dilecto filio nostro G. sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinale à nobis auditore concesso, cùm pars alia nec venerit nec aliquem pro se miserit diutiùs expectata, nos volentes partium laboribus parcere ac expensis, visis omnibus scriptis & diligentiùs intellectis, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ad ea quæ tam à prioribus quàm secundis judicibus acta sunt non habens respectum, indicans partibus ut infra quindecim dies utraque tibi collegam assignet virum idoneum & honestum, cum quo, appellatione remota, justitia mediante, nec obstante fori exceptione superiùs memorata, in causa procedas, & si utraque vel altera noluerit tibi assignare collegam, tu nihilominus sine utroque vel cum altero tantùm mandatum apostolicum exequaris; idem facturus, si uterque vel alter noluerit interesse. Datum ut in alia.

NOBILI VIRO MAIONI COMITI Insularum Kephaloniæ ac Iacinti.

Epist. 127. Indulgetur ut possit eligere Confessorem.

QVoniam illius locum, licèt immeriti, tenemus in terris qui cùm nolit mortem peccatoris, sed potiùs ut convertatur & vivat, post pœnitentias delinquentiũ peccata dissimulat correctorum, & tanto pœnitentibus & conversis plenioris suæ gratiæ munus impendit quanto majus gaudium est Deo & angelis ejus super uno peccatore pœnitentiam agente quàm supra nonaginta novem justos qui se credunt pœnitentiæ beneficio non egere, exultavimus plurimùm & delectati sumus in iis quę de tua devotione ad nostram notitiam devenerunt. Sicut enim apostolatui nostro per tuas litteras humiliter intimasti, licèt hactenus quasi piraticam vitam ducens, multa commiseris in tuæ salutis dispendium & injuriam creatoris, nunc tamen conditionem tuæ fragilitatis agnoscens, veniam postulas de commissis, & ut tanquam posteriorum oblitus, ad anteriora te sollicitus & devotus extendas, offensas præteritas novæ satagis conversationis studio compensare, ad obsequium Iesu Christi ac subsidium terræ sanctæ totis viribus elaborans. Propter quod altissimo grates referimus quas valemus, qui te tam misericorditer ex alto respexit, ut & de præteritis excessibus doleas, & in operibus meritoriis te studeas exercere, propositum tuum eo ampliùs in Domino commendantes quò sollicitus ad utiliora te erigas, & tam temetipsum quàm terram tuam sedis apostolicæ potestati cum fervore omnimodæ devotionis exponis. Vt igitur desiderij tui votum fine feliciori claudatur, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus alicui discreto sacerdoti universa peccata tua humili confessione reveles; & ab ipso pœnitentiam recipiens salutarem, juxta posse tuum satisfactionem exequi studeas quam tibi duxerit injungendam. Nos enim reddentes te de gratia nostra securum, benedictionis nostræ te clypeo communimus; sperantes quòd si in assumpto devotionis proposito perduraveris, præter cœlestis retributionis commodum quod acquires, etiam in bonis temporalibus non modica suscipies incrementa. Datum Viterbij XVII. Kal. Octobris, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Epist. 128. Scribit ei ut Episcopum Kefaloniæ reducat ad obedientiam sedis apostolicæ.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd in insula Iacinto, quæ ad dilecti filij nobilis viri Maionis Comitis Kephaloniæ pertinet ditionem, quidam Episcopus Græcus non solùm sedi apostolicæ inobediens & rebellis existit, ejus dispositionibus omnino parere contemnens, verùm etiam vitam ducit in multorum scandalum dissolutam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, eundem Episcopum moneas attentiùs & inducas ut sedi apostolicæ omnimodam obedientiam & reverentiam studeat exhibere, vitam & mores suos in melius commutando, prout gravitas officij pontificalis exposcit. Si verò monitis tuis acquiescere fortè contempserit, tu, ipso ab Ecclesiæ suæ cura prorsùs amoto, facias eidem Ecclesiæ de persona idonea sublato appellationis obstaculo canonicè provideri. contradictores vel rebelles per censuram ecclesiasticam monitione præmissa compescens. Datum Viterbij XIV. Kal. Octobris, anno decimo.

EPISCOPO PLACENTINO.

Epist. 129. Vt monasterium de Patramarina cogat

NOstro noveris apostolatui intimatum quòd cùm inter dilectos filios Cardinalem civem Ianuensem & I. filium

ad restitutionem certorum bonorum.

quondam Vassall. Sinor. super bonis matris Cardinalis ipsius & novercæ nihilominus ejusdem I. quæstio emersisset, quia constitit interim quòd mater Cardinalis prædicti monasterio sancti Michaëlis de Petra martina obtulerat se ac sua, idem I. bona prædicta plus quàm centum libras valentes pro triginta libris Ianuensibus ab Abbate monasterij memorati emptionis sibi titulo acquisivit. Cùm igitur sustinere nolimus ut idem monasterium tam enormiter in alienatione prædicta lædatur, per apostolica tibi scripta mandamus ut Abbatem & monachos ejusdem loci moneas attentiùs & efficaciter inducere non postponas ut ad recuperanda bona prædicta prosequantur in tua præsentia rationem. Alioquin cùm æquius sit & magis consonum rationi ut idem Cardinalis potiùs quàm extraneus sæpedicta bona obtineat, quæ matris suæ quondam fuisse noscuntur, volumus & mandamus ut eisdem Abbati & monachis firmiter ex parte nostra præcipias ut omne jus & actiones quas habent ad recuperanda bona prædicta, sæpedicto Cardinali appellatione remota cedere non postponant, ita videlicet quòd monasterium ipsum idem Cardinalis servet indemne, ac pro tanto beneficio vassallus fiat ejusdem monasterij pariter & defensor, quemadmodum coram nobis ipse promisit. Datum Viterbij XVIII. Kal. Octobris, anno decimo.

VNIVERSIS FIDELIBVS NOSTRIS per patrimonium beati Petri Apostoli constitutis.

Epist. 130. Qualiter Paterini & eorum fautores puniantur.

AD eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicunque hæreticus, & maximè Paterenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur & tradatur seculari Curiæ puniendus secundùm legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur; ita ut de ipsis unam partem percipiat qui ceperit illum, alteram Curia quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem murorum illius terræ ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus, funditus destruatur, nec quisquam eam reædificare præsumat; sed fiat sordium receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes præterea & defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur, quæ ad usum reipublicæ deputetur. Quòd si vel hoc modo puniti, rursus in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitùs expellantur, nec unquam revertantur ad illa, nisi de mandato summi Pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minimè audiantur; nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Iudices autem, advocati, & notarij nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuò sint privati. Clerici verò non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarij ac Templarij & quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio. ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Quicunque præterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, nec ad aliquod publicum officium vel commune consilium assumatur. Et qui talem elegerit, tanquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in Capitulari scribatur ad quod annuatim intrant Potestates, Consules, seu Rectores; nec unquam removeatur ex illo, ut semper jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicunque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus à regimine, centum librarum pœnam incurrat solvendam cuicunque Summus Pontifex jusserit assignari. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij IX. Kal. Octobris, anno decimo.

VNIVERSIS TAM CLERICIS QVAM laicis in patrimonio beati Petri Apostoli constitutis.

Epist. 131. Ne quid adversùs leges & canones attentetur.

CVm ex officij nostri debito teneamur tam Clericis quàm laicis paterna sollicitudine providere, ne contingat istos aut illos injuriam perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas contra leges & canones à laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversùs Ecclesias seu viros ecclesiasticos non solùm spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus penitùs & cassamus, sub debito fidelitatis & interminatione anathematis inhibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos

enim quicquid earum occasione contra Ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum decernimus irritum & inane, nonobstante aliquo juramento quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cùm illud, tanquam illicitum, non debeat observari. Iudicibus autem & tabellionibus inhibemus ne secundùm hujusmodi constitutiones damnatas suum præsumant officium exercere, si officij sui cupiunt periculum evitare. Datum ut in alia.

VNIVERSIS FIDELIBVS NOSTRIS per patrimonium beati Petri Apostoli constitutis.

Epist. 132. Hortantur ad pacem & concordiam, & ut nullus alium offendat.

CVm juratum sit à Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus, pacem & justitiam & securitatem strictè ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatinus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque communitas offendat personam, exceptis raptoribus & prædonibus, & exceptis bannitis & diffidatis; ad quos puniendos Rectori apostolici patrimonij, quotiens requisiti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si verò quisquam offenditur, non statim reoffendat, sed moneat priùs ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradictio, nisi per alium sedari posuerit, ad arbitrium Rectoris apostolici patrimonij referatur. Alioquin diffidatus ab eo tanquam hostis publicus impugnetur. Cùm autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel judicium terminetur; sitque judicium penes eum cui competit jurisdictio. salvis semper appellationibus ad nos vel Rectorem apostolici patrimonij legitimè factis aut etiam faciendis. Si verò quisquam infra beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundùm mandatum Rectoris apostolici patrimonij arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit vel accipi fecerit, seu aliquid furatus fuerit vel furari fecerit, prædam & furtum tam ipse, quàm ille qui scienter emerit, cum pœna dupli restituat. Qui verò furtum vel hujusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolutè, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda; sed emptor adversùs venditorem suam habeat actionem. Hæc omnia injungimus sub debito præstiti juramenti Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus observanda; ut & ipsi ea fideliter servent, & per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Datum ut in alia.

NIVERNENSI ET AVRELIANENSI Episcopis & Abbati Curiæ Dei Cisterciensis ordinis Aurelianensis diocesis.

Epist. 133. De Alberico Remensi electo.

ILla venerabiles fratres nostros Parisiensem & Attrebatensem Episcopos & dilectum filium Abbatem de Claromarisco credimus honestate pollere ut super ordinatione Remensis Ecclesiæ, quam eis duximus committendam, bono zelo processerint; præsertim cùm is quem ipsi Ecclesiæ præfecerunt sit vita, scientia, & fama præclarus. Nos autem ad hoc, Deo teste, summo desiderio aspiramus ut in Ecclesia Dei tales ad prælationis officium assumantur qui non sint mercenarij, sed pastores, plebes sibi commissas verbo pariter & exemplo docturi. Porrò dilecti filij Teobaldus de Pertico Archidiaconus & P. de Stampis Canonicus Ecclesiæ memoratæ, inter cetera quæ contra prædictorum Episcoporum & Abbatis processum per suas nobis litteras intimarunt, hoc contra magistrum Albericum in Remensem Archiepiscopum nominatum specialiter expresserunt, quòd erat irregularis, indiscretus, & manumissus. Vnde cùm irregularis non congrueret officio, indiscretus oneri, & manumissus honori, Episcopis qui ad ejus consecrationem convenerant interdicere curaverunt ne talem præsumerent in Episcopum consecrare, cùm dictus P. interrogantibus ipsis Episcopis respondisset quòd coram eis hoc die data probaret. Sed præfatus Parisiensis Episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso judice replicante, duos Presbyteros convocavit, quorum testimonia contra Petrum absentem & ignorantem super infamia clam recepit, & sic admissus non fuit ad tantam irregularitatem probandam, videlicet quòd cum vidua conjugalem copulam contraxisset. Eo igitur in ordinatè repulso, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, fecit illum utcunque in Episcopum consecrari. Ceterùm Episcopi & Abbas prædicti suis nobis litteris intimarunt quòd in ipso negotio juxta formam mandati apostolici procedentes, præfatum Albericum Parisiensem Archi-

diaconum, virum approbati testimonij, & apud Deum & homines vita, moribus, & scientia gratiosum, sub attestatione divini judicij sibi facta, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta præfecerunt Remensi Ecclesiæ in pastorem, & fecerunt eidem, convocatis suffraganeis, munus consecrationis impendi. quorum assertioni Remense Capitulum & suffraganei qui consecrationi ejus interfuerant concordabant, sicut eorum ad nos directæ litteræ protestantur. Quia verò prænominati Archidiaconus & Canonicus apud nos per iteratas litteras institerunt ut super hoc veritatem faceremus inquiri, quantumcunque nobis molestum existat sæpedictam Ecclesiam molestari, nolentes tamen tantum sacramenti defectum clausis oculis pertransire, cùm impedimentum hujusmodi tolerabile non existat, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, si præfatum Petrum inveneritis à tali exceptione probanda præscripto modo fuisse repulsum, eo quòd inordinatè actum est non obstante, denuntietis eidem & Archidiacono memorato ut, si voluerint & valuerint, ambo vel alter regularirer probent sub examine vestro irregularitatem objectam; & si eam infra duos menses probare noluerint aut nequiverint, sive quòd in canonica probatione deficiant, sive quòd à probatione canonicè repellantur, vos dilecto filio R. Subdiacono & familiari nostro, per quem Palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, protinus injungatis ut illud memorato Remensis Ecclesiæ Præsuli secundùm formam sibi datam assignet: qui quamvis non sit nobis incredibilis aut suspectus, si tamen ad declarandam penitùs famam suam se purgare voluerit antè quàm Palleum suscipiat, approbamus. Si verò, quod absit, sufficienter probaverit irregularitatem objectam, vos illum à regimine Remensis Ecclesiæ penitùs amoventes, super ordinatione ipsius. Ecclesiæ procedatis secundùm formam præfixam sæpefatis Episcopis & Abbati. Et cùm per sollicitudinem vestram in ea idoneus Pontifex fuerit ordinatus, faciatis ei præscriptum Palleum assignari, ne propter hoc cogatur ulteriùs laborare. Quòd si, receptis probationibus, aliquid dubium vel difficile apparuerit, quod per vos nequeat expediri, totum ad nos fideliter referatis, significantes nobis plenariè veritatem; ut per vestram relationem instructi, tam circa istum quàm circa illos auctore Domino procedamus sicut de jure fuerit procedendum. Si verò non omnes iis exequendis &c. duo vestrum &c. sublato cujuslibet contradictionis, & appellationis & recusationis obstaculo &c. Datum Viterbij Kal. Octobris, anno decimo.

EISDEM.

Epist. 154. Vt Pallium eidem Alberico tradatur.

CVm sine Palleo Metropolitanus non possit plenitudinem pontificalis officij exercere, gravis quidem, non solùm Ecclesiæ, verùm etiam toti Remensi provinciæ immineret jactura, si circa ejus antistitem donatio Pallei nimiùm differretur. Ne igitur Theobaldus de Pertico Archidiaconus & Petrus de Stampis Canonicus Ecclesiæ memoratæ per excogitatam malitiam procurent diffugium vel latibulum ut infra tempus in aliis litteris designatum negotium vobis commissum fortiri non possit effectum, nos malignis adinventionibus obviare volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus si prædicti Archidiaconus & Canonicus sollicitè perquisiti non poterunt inveniri, vos elapso tempore præfinito faciatis præfato Præsuli Palleum assignari. Salva tamen ad abundantiorem cautelam omni canonica ratione, si qua illis competere poterit contra ipsum; cùm talis exceptio sit objecta quæ non solùm impedit promovendum, sed deicit jam promotum. quamvis super hoc ipse non sit aliquatenus infamatus, nec incredibilis, nec suspectus, ut pote vir multimoda laude præclarus. Datum ut in alia.

EPISCOPO FERNENSI.

Epist. 155. De Clericis ordinatis ab Episcopis non suis.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cùm à tua Ecclesia relegatus Clericis tuæ diœcesis sub pœna excommunicationis duxeris inhibendum ne ad sacros ordines absque certis titulis se facerent promoveri, ipsi, tua prohibitione contempta, catervatim ad alias provincias convolantes, à diversis Episcopis indifferenter se faciunt ordinari. Propter quod humiliter postulasti ut quid de talibus sit agendum, nostris te litteris instruere dignaremur. Nos igitur fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd ordinati & ordinatores eorum, nisi per probabilem ignorantiam excusentur, sunt ab officio suspendendi. Datum Viterbij IV. Nonas Octobris, anno decimo.

TERDONENSI EPISCOPO.

Epist. 136. Dispensatio pro contrahendo matrimonio in secundo & tertio, causa quæ.

SIcut ex tuarum accepimus serie litterarum, inter quosdam Terdonenses cives, propter homicidium quod quidam ex eis dicitur perpetrasse, grave scandalum est exortum. Verùm ne odium prosiliret ad actum, interfecti consangninei quandam ipsius neptem nepoti homicidium perpetrantis nisi sunt matrimonialiter copulare, inter eos contractis jam sponsalibus de præsenti. Sed quia contrahentes præfati secundi generis affinitatis gradu tertio se contingunt, ipsum contrahi matrimonium permittere noluisti. Quacirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus cùm ex hoc bonum non modicum valeat provenire, ipsos, si aliud canonicum non obsistat, inter se contrahere matrimonium ex dispensatione permittas. Datum Viterbij Kal. Octobris, anno decimo.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, & aliis tam Clericis quàm laicis per regnum Vngariæ constitutis.

Epist. 137. V. Legatum sedis apostolicæ honorifice recipiat.

FVndamentum & fundator Ecclesiæ Dominus Iesus Christus, postquam splendore suæ divinitatis inflammavit testam fragilitatis humanæ, ut dragmam perditam reperiret, & pius pastor ad caulas, ubi nonaginta novem reliquerat, errabundam ovem propriis humeris reportaret, usque adeo erga salutem humani generis cotidiana remedia incessanter exhibuit ut si quis à catholica fide non devians hoc velit subtiliter intueri, sicut ipse est totius gratiæ plenitudo, sic ad plures circa nostræ conditionis miserias miserationes ejus exuberant, ut in omnibus ipsius perfectio nostrum suppleat imperfectum. Inter cetera sanè quibus Christiano populo propter varias plagas criminum quasi semivivo relicto per ipsius prudentiam sunt provisa remedia, conveniens antidotum in soliditate sedis apostolicæ renovavit, eam totius Christianitatis caput constituens & magistram, à qua, sicut unguentum in capite quod descendit in barbam & ad oram etiam vestimenti, panis intellectus & vitæ ad alias Ecclesias cum doctrina procedat fidei & aqua sapientiæ salutaris. Verùm ne inter curas continuas & prægrandes pastor ipsius & rector pro defectu imperfectionis humanæ deficeret, si solus consumendus inani labore ad suam omnia sollicitudinem revocaret, attendens quòd messi multæ unus non sufficiat operarius, multos sibi operarios & verbi dominici cooperatores adjungit, ac per eos exequi cogitur quæ per se non potest personaliter adimplere, ejus instructus exemplo qui & duodecim Apostolos & alios septuaginta duos elegit, & binos ante faciem suam ad prædicandum direxit. Cùm igitur necessitas regni Vngariæ illuc exegerit Legatum à nostro latere destinari, nos ad exaltationem & commodum tam Regis quàm regni specialiter & efficaciter intendentes, eum ad partes illas non immeritò duximus transmittendum quem inter fratres nostros sincera diligimus in Domino caritate, dilectum videlicet filium nostrum G. Tituli sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem, virum genere nobilem, litterarum scientia præditum, morum honestate præclarum, discretum & providum, & suis exigentibus meritis nobis & fratribus carum admodum & acceptum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat & destruat, ædificet & plantet quæ in regno illo evellenda & destruenda, ædificanda cognoverit & plantanda. Monemus proinde universitatem vestram attentiùs & exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatinus præfatum Cardinalem tanquam Legatum apostolicę sedis & magnum in Ecclesia Dei locum habentem, imò personam nostram in eo recipientes humiliter & devotè, ipsiúsque salubribus monitis & præceptis pronis mentibus intendentes, quæ inter vos statuenda duxerit, tanquam devotionis filij recipiatis firmiter & servetis; de cujus nimirum circumspectione provida, & providentia circumspecta indubitatam fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, ita regia via curabit incedere quòd non declinans ad dexteram vel sinistram, ipsi Deo, nobis quoque, ac vobis pariter meritò poterit complacere. Ipsi proinde universi ac singuli reverentiam debitam & devotam obedientiam impendere satagatis; ne si, quod absit, à quoquam esset aliter attentatum, præter ipsius Cardinalis offensam, cujus censuram canonicam, si quam in contumaces aut rebelles duceret promulgandam, faceremus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, nostram quoque indignationem incurreret, qui secundùm Apostolum omnem inobedientiam prompti sumus ulcisci. Datum Viterbij Nonis Octobris, anno decimo.

In eundem modum Archiepiscopis,

Episcopis, Abbatibus & aliis tam Clericis quàm laïcis per Dalmatiam constitutis.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, & universis tam Clericis quàm laïcis per Rutheniam constitutis.

Epist. 138. Vt Legatum apostolicæ sedis honorificè pertractent.

LIcèt hactenus elongati fueritis ab uberibus matris vestræ, tanquam filij alieni, nos tamen, qui sumus in officio pastorali à Deo, licèt immeriti, constituti ad dandam scientiam plebi suæ, non possumus affectus paternos exuere, quin vos sanis exhortationibus & doctrinis studeamus tanquam membra vestro capiti conformare, ut Effrahim convertatur ad Iudam, & ad Ierusalem Samaria revertatur. Vtinam intelligere velitis sapere ac noviſſima providere, ut à mentibus vestris omni depulsa caligine, ad viam ab invio redeatis, qui dudum post greges sodalium evagando, vos ejus pertinaciter magisterio subduxistis quem Salvator noster universalis Ecclesiæ caput constituit magistrum, inquiens ad eundem: *Tu vocaberis Cephas.* Et: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Cui cùm Dominus oves suas pascendas tertiò repetito vocabulo commisisset, manifestè dedit intelligi eum à grege dominico alienum qui etiam in suis successoribus ipsum contempserit habere pastorem. Non enim inter has oves & illas distinxit, sed simpliciter inquit: *Pasce oves meas.* ut omnes omnino intelligantur ei esse commissæ. Cùm igitur una sit & indivisa Domini tunica, nec unquam passa sit divortium sponsa Christi, juxta quod sponsus in Canticis attestatur, *Vna est*, inquiens, *columba mea, una est matri suæ electa genitrici suæ, viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt Reginæ, & concubinæ laudaverunt eam*, necesse est ut quicunque ab hujusmodi unitate recesserint, aquis submersi diluvij, partem cum angelo apostata sortiantur. Vt autem ipsius illibata unitas servaretur, unum eidem Dominus, sicut præmisimus, beatum Petrum videlicet, caput constituit & magistrum; ut quasi Noë arcam, extra quam animalia derelicta in diluvio submerguntur, salvatis ceteris infra ipsam contentis, in uno cubito consummaret, pro cujus fide, ne in sua passione deficeret, specialiter exoravit, eidem præcipiens ut fratres suos conversus aliquando confirmaret. Cùm ergo innumeris ferè testimoniis scripturarum, quas vos nec convenit nec expedit ignorare, unitas Ecclesiæ comprobetur, non est mirum, cùm simus, licèt immeriti, successores illius cui jussit Dominus pascere oves suas, si errabundas oves nitimur ad caulas reducere; ut sicut est unus pastor, sic fiat unum ovile; si totis viribus laboramus ne quodammodo difforme fiat corpus Ecclesiæ, si partem aliquam ab eo contingeret separari. Vt autem ad præsens de reliquis taceamus, cùm Græcorum Imperium & Ecclesia penè tota ad devotionem apostolicæ sedis redierit, & ejus humiliter mandata suscipiat & obediat jussioni, nonne absonum esse videtur ut pars toti suo non congruat, & singularitas à suo discrepet universo? Præterea, quis scit an propter suam rebellionem & inobedientiam dati fuerint in direptionem & prædam, ut saltem daret eis vexatio intellectum, & quem in prosperis non cognoverant, recognoscerent in adversis. Quia igitur, kariſſimi fratres & filij, si dignè volumus impositum nobis pastorale officium adimplere, quantum fragilitas humana permittit, vos ad ea debemus inducere per quæ dispendium temporalium & æternorum possitis periculum evitare, dilectum filium nostrum G. Tituli sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem, virum genere nobilem, litterarum scientia præditum, morum honestate præclarum, discretum & providum, & suis exigentibus meritis nobis & fratribus nostris carum admodum & acceptum, ad partes vestras duximus destinandum, ut filiam reducat ad matrem & membrum ad caput, concessa sibi plenaria potestate ut evellat & destruat, ædificet & plantet quæ in partibus vestris evellenda & destruenda, ædificanda cognoverit & plantanda. Monemus proinde &c. *ut suprà usque* obtinemus; quoniam dirigente Domino gressus ejus, inter vos ea curabit statuere per quæ Deo, nobis quoque, ac vobis pariter meritò poterit complacere. Datum ut in alia.

CLERO ET POPVLO VITERBIENSI.

Epist. 139. Vt Viterbiensis Ecclesia sit deinceps cathedralis. *Vide to. 1 Ital. sacr. parte 2. pag. 306.*

EX privilegio felicis memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri cognovimus evidenter quòd ipse fidem & devotionem vestram attendens, de communi fratrum suorum consilio Viterbiense oppidum honorabili civitatis nomine insignivit, & pontificalis cathedræ dignitate donavit,

auctoritate statuens apostolica ut Viterbiensis Ecclesia cum Tuscanensi, Centumcellensi, atque Blendanensi, pontificalem obtineret deinceps dignitatem. Nos autem, qui fidem & devotionem vestram ipsa præsentia corporali certiùs sumus experti, beneficium principale plenius interpretari volentes, illam Viterbiensi sedi erga Centumcellensem & Bledanensem dioceses honorificentiam confirmamus quam circa ipsas Tuscanensis sedes dinoscitur hactenus habuisse, cui Viterbiensis Ecclesia specialiter est unita. Statu tamen illarum sedium, Centumcellensis videlicet & Bledanensis, in suo jure manente. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ interpretationis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij IV. Idus Octobris, anno decimo.

CAPITVLO VTICENSI.

Epist. 140. Ecclesia de Balneolis abutitur Petro Marco.

EX litteris venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & dilectorum filiorum Decani Arelatensis & Vestararij Nemausensis accepimus quòd cùm olim causam quæ inter dilectum filium magistrum Petrum Marcum scriptorem nostrum & vos super Ecclesia sancti Iohannis de Balneolis vertebatur, ipsis duxerimus committendam, iidem partes ad suam præsentiam citaverunt, & auditis utriusque partis allegationibus & plenius intellectis, testes receperunt productos; & quia ipsi causæ finem imponere noluerunt, eandem ad nos remiserunt sufficienter instructam, attestationes receptas suo sigillo signatas nobis fideliter transmittentes. Nos igitur auditis utriusque partis rationibus, & prædictis attestationibus diligenter inspectis, vos ab impetitione ipsius magistri Petri super dicta Ecclesia præsentium auctoritate duximus absolvendos, ipsi super eadem silentium imponentes. Datum Corneti VIII. Kal. Novembris, anno decimo.

VNIVERSIS COMITIBVS ET Baronibus per regnum Siciliæ constitutis.

Epist. 141. Vt Regi Sicilie hic adjungo.

SI nec divinam nec regiam metueritis offensam, si nec noxam infidelitatis nec notam infamiæ timeretis, deberetis saltem aut rerum dispendium aut corporum periculum formidare; ut hoc pavore perculsi karissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ in supremo necessitatis articulo constituto debitum curaretis & necessarium auxilium impertiri. Certè cùm eum alienorum violentia detinebat, qualiscumque vos probabilitas excusabat. Sed cùm ipsum suorum custodiat diligentia, quos ei pia genitrix deputavit, nulla vos potest ratio excusare ne opportunum sibi debeatis obsequium exhibere. Vt quid non improvidi prævidetis quòd si vel per inimicorum incursus vel insidias proditorum aut perdiderit vitam aut regnum amiserit, novissima vestra fient pejora prioribus, cùm illi procul dubio regnum sint invasuri qui nec personis parcent nec rebus, simul in unum omnibus confiscatis; sicut jam estis experti, utinam non obliti. Sera quidem erit & inutilis pœnitentia cùm calamitas irruerit improvisa. Vnde cùm adhuc tempus habetis, provideatis vobis ab ira ventura. Ipse quidem Rex vester per nuntios & apices suos miserabilem nobis querimoniam deposuit, intimando quòd licèt Comitibus, Baronibus, & civibus regni sui sæpe dederit in præceptis ut sibi necessitates multiplices patienti succurrere festinarent, ipsi, more aspidis surdæ obturantis penitùs aures suas ut vocem non exaudiat incantantis, in nullo sibi dignati sunt subvenire, singulis quæ sua sunt procurantibus, & nullum ad ipsum habentibus ex fidelitate vel pietate respectum. Vnde cùm spiritualis & materialis gladius mutuò se debeant adjuvare, juxta quod legitur *Ecce gladij duo hic*, idem Rex nobis humiliter supplicavit ut eos qui terrenam non metuunt potestatem per censuram ecclesiasticam cogeremus ad exhibendum sibi subsidium opportunum. Nos igitur & petitionem & conquestionem ipsius justissimam cognoscentes, devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus eidem Regi, etsi non quantum debetis, quantum tamen potestis, festinatum curetis subsidium exhibere in victualibus, armis, navibus, & personis, aliisque sibi multipliciter necessariis; ut vestro & aliorum fidelium suorum suffultus auxilio, imminentibus cladibus finem imponat, & regnum suum in tranquilla prosperitate gubernet. Alioquin, cùm & commonitionem & comminationem duxerimus præmittendam, in rebelles & contumaces officij nostri debitum exequemur, gravius forsan quàm extiment super eos oppressionis pondus & percussionis gladium inducentes, cùm acutus morbus acuta indigeat medicina. Eos autem qui obedire nobis & Regi subvenire curaverint gra-

ta faciemus remuneratione gaudere. Datum Tuscan. XVIII. Kal. Novembris, anno decimo.

CLERO ET POPVLO TVSCANENSI.

Epist. 142. De privilegiis Episcopi Tuscanensis.

IVstis petentium &c. *usque* inclinati. Privilegium felicis memoriæ Leonis IV. Papæ prædecessoris nostri Virobono quondam Episcopo Tuscanensi concessum, ne vetustate consumptum valeat deperire, præsenti pagina de verbo ad verbum jussimus annotari. cujus tenor est talis. LEO Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Virobono Tuscanensi Episcopo ejúsque successoribus in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione impertire assensum, ut ex hoc divina nobis remuneratio ascribatur. Ideóque quia tua fraternitas humiliter postulavit à nobis quatinus Episcopum sanctæ Tuscanensis Ecclesiæ cum plebibus, Ecclesiis, Capellis, fundis, casalibus, massis, villis, terris, vineis, curtibus, & sylvis, vel omnibus quæ sunt in dominio ejusdem episcopij, tibi tuisque successoribus confirmaremus atque corroboraremus in perpetuum, secundùm jura prædecessorum tuorum, inclinati precibus tuis, per hujus Præcepti seriem præfatum episcopatum Tuscanensem confirmamus atque corroboramus tibi cum omnibus sibi pertinentibus, videlicet in eandem civitatem quæ Tuscana vocatur in giro & in circuitu episcopij, sive per totam ipsam civitatem, curtes cum domibus, plurimísque casalinis, quemadmodum tuæ retines potestati, atque Ecclesiam sancti Quirici cum domibus & cellis in circuitu suo, & à foris eandem civitatem, vineis, terris, fundis, casalibus, molendinis, ubicunque eidem Ecclesiæ competunt vel competere possunt. Confirmamus etiam tibi in eadem civitate Ecclesiam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ olim caput episcopij extitit, & nunc plebs facta est, cum domibus, cellis, vineis, pratis, sylvis, atque mercatum usque in portam ejusdem civitatis, cum omnibus ei pertinentibus, videlicet casis & hortis &cum omni sua convenientia. Montem sancti Hermetis cum domibus & hortis, Ecclesiam sancti Michaëlis Archangeli juxta fluvium Masclam cum fundis & casalibus suis, terris, hortis, & sylvis, cum angaralibus & tributariis suis. Ecclesiam sanctæ Christinæ, cum sylvis, casalibus, pratis, & vineis. fundum qui vocatur Casanovula, cum ponticulo & rivo sancti Pauli. fundum Ancaranulam, vel si quis aliis vocabulis nuncupatur, cum omni eorum pertinentia vel adjacentia pariter & duorum fundorum qui vocantur Octigarium, Algorum, cum omni eorum integritate; seu & fundum qui dicitur Attevile, cum sua convenientia, sicuti transit longè latèque usque ad canam Gundimarij. Ecclesiam sanctæ Christinæ in valle, & Ecclesiam sanctæ Restitutæ, quæ sunt juxta fluvium Martam, cum omnibus eorum pertinentiis. imò & fundum qui vocatur Planum de Mola cum terris cultis & incultis, & cum omnibus ei pertinentibus. In fluvio Masclæ aquimulos sex, & in fluvio Marta tres, cum omni convenientia. In fundo qui vocatur Fontana Guaralda hortos quindecim. Montem qui nuncupatur vinea montana, cum plagis & appenditiis suis. Montascinum, Montemtremitum, Solonianum, Vallem Ingonis, cum vineis, terris, & omnibus eorum pertinentiis, massaritiis, tributariis, sive angaralibus ibidem residentibus. Fundum Petrellæ, fundum Muratula, vallem de Corneto, fundum qui vocatur Doliolum, fundum Marilian, fundum qui dicitur Mola, vallem quæ dicitur de Nasso, montem Supponis, cum terris, pratis, sylvis, vineis, hortis, paludibus, & pantanis, atque perennibus ædificiis parietinis, attiguis, adjunctis, adjacentibúsque eorum, vel cum omnibus eorum pertinentiis. Vallem de Vico, cum vineis & terris. fundum Sarnanum, cum Ecclesia sanctæ Ruffinæ, & fundum Malvanum, paritérque Cavam scameratam, & Cavam caprilem, cum omnibus eorum pertinentiis. Villam quæ vocatur Peturanum, cum Ecclesia sancti Angeli infra se & terris, incensariis quoque ac tributariis ibidem residentibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Item & plebem sancti Martini quæ est supra Sutrium, cum vineis, terris, sylvis, massaritiis & tributariis ibidem commorantibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Fundum qui dicitur Capecelo, fundum Fuscignanum, fundum Landenam, fundum Caiolum, vallem Guidonis longè latèque usque ad ripam, fundum Petella, fundum qui dicitur Cartafago cum vineis, terris, & sylvis, sicut extenditur usque ad fluvium Martam, scilicet usque ad vadum Prandonis. Confirmamus etiam tibi tuísque

successoribus

successoribus plebem sancti Andreæ in foro, & plebem sancti Martini in Columnate, & plebem sancti Herasmi secus littus maris juxta Montem altum, cum domibus, cellis, seu curtibus, fundis & casalibus eorum, quorumcumque vocabulis nuncupantur, famulis & famulabus ibidem residentibus & in tuo servitio & ditione permanentibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. simúlque & plebem sancti Sebastiani in Arenula, cum duobus fundis, videlicet Storatianum & Fabritianum. fundum qui vocatur Cavonis, fundum Ruginorula, fundum Carvaliolum, fundum Corgitellum, fundum Morazzanum, necnon & fundum Formellæ. Omnia verò cum finibus, terminis, limitibúsque eorum, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, vineis, domibus, curtibus, massaritiis, incensariis, tributariis ibidem residentibus, & cum omnibus eis adjacentibus vel pertinentibus. In finibus verò maritimæ, territorio Corgnetanensi, fundum qui vocatur Poppe Lupuli inde inde, cum terris cultis & incultis, qui est secus fluvium Martam, & cum omnibus ejus pertinentiis. Item & fundum qui vocatur Poppe sanctæ Mariæ, cum terris cultis & incultis, plagiis quoque, & appenditiis suis, vel cum omnibus ejus pertinentiis, atque Poppe juxta Waldimandiam, & terras sancti Stephani, cum omni eorum convenientia, fundum qui vocatur Tureranzanula cum integritate sua. Plebem sanctæ Mariæ quæ posita est in Terquinio, cum vineis, terris, pratis, & cum omnibus suis pertinentiis. In Ancarana fundos quatuor, videlicet montem Vulpium, Butten, & Saccali, cum poppis eorum ex utraque parte fluvij Martæ, & cum omnibus eorum convenientiis. Fundum qui vocatur Fultona inde inde, cum suis omnibus pertinentiis. Porrò confirmamus tibi tuóque episcopio, infra civitatem quæ nuncupatur Orcle, videlicet plebem sancti Petri cum duabus Ecclesiis sancti Iohannis & sancti Angeli, cum curtibus, domibus in eadem civitate & aforis civitatem, terris, vineis, hortis, campis, pratis, silvis, rivis, molendinis, aquarúmque decursibus, vel cum omnibus sibi pertinentibus, immo & casalem sancti Petri, & Ecclesiam sancti Sebastiani, cum fundis & casalibus suis & omnibus eorum convenientiis, paritérque Ecclesiam sancti Angeli ad Petram fictam, cum vineis, terris, & omni sua convenientia. Simili modo concedimus & confirmamus tibi, karissime frater Virbone, massam quæ nuncupatur Campi, cum Ecclesia sanctæ Mariæ infra se, & fundum qui vocatur Cavi majore, & alium qui vocatur minore, cum terris, vineis, massaritiis, angarialibus, tributariis, incensariis, & cum omni datione & persolutione quam tuis antecessoribus soliti sunt persolvere, & cum omnibus ejus pertinentiis. Præterea & inde inde medietatem de massa quæ vocatur forum Cassij, cum vineis, terris, silvis, fundis, casalibus, curtibus, domibus, famulis & famulabus & omnibus suis pertinentiis. Pari modo & massam quæ vocatur Mazzanum, inde inde, cum plebe sancti Stephani, cum vineis, terris seu familiis, & cum sua omni convenientia, atque trium unciarum ex altera medietate suprascriptæ massæ foro Cassij, cum famulis & famulabus suis, seu casalibus, silvis, domibus, curtibus, & hortis, videlicet & horum fundorum Massam Lutiam, Ciforanum, Attevile, Sippizzanum, Casale, Pastorinanum, Fraginanum, vallem Petracij, furcule episcopij, Gemulo, Peculiare, Paparanum, Fornillum, Carnarum, Calianum, planum de lupo, & aliud planum, Criptam Moraldi, Cajolum, Restrictum, Vilianellum monachorum, Menorellam, Fonticela, vallem de Puzzu, Montem Maurum, cum omnibus eorum adjacentiis vel pertinentiis atque colonis & colonabus ibi residentibus. Curtem sancti Laurentij, quæ nuncupatur synodochium, Cataassim cum fundis & casalibus suis, vineis quoque, terris, servis, ancillis, massaritiis, tributariis, & cum suis omnibus pertinentiis. Infra castrum quod dicitur Vitterbium plebem sancti Laurentij cum Ecclesia sancti Michaëlis Archangeli, cum domibus, curtibus infra ipsum Castellum & aforis, fundis, casalibus, terris, vineis, ortis, aquimolis, rivis, campis, pratis, silvis & omni eorum pertinentia. Enimverò per prædia ipsius castri Viterbij plebem sancti Petri in vico Palenzano, cum suis Ecclesiis sanctorum Julij & Valentini. Plebem sancti Andreæ in campo cum Ecclesia sancti Abundij Ecclesiam sanctæ Luciæ in solo cocto. Omnes verò cum fundis & casalibus eorum, terris, vineis, pratis, silvis, domibus, curtibus & hortis, famulis & famulabus ibidem residentibus, massaritiis, tributariis, incensariis, angarialibúsque eorum, & cum eorum convenientiis, simúlque decem & novem fundorum, videlicet Quinzanum, Cardoni, Polleianum,

Latrinulam, Maternum, Vallem Folianensem, Antonianum, Lucianum, Silianum, Avenule, Messurianum, Cavoni, Curtem de Folianellis, Cavam de Sonsa, vicum Renai, Occani, Pastrinianum, Stratilianum, vicum Orazanum, cum domibus, curtibus, hortis, fundis, casalibus, vineis, terris, campis, pratis, silvis, attiguis, adjunctis adjacentiisque eorum, cum omnibus eorum convenientiis, tributariis, angarialibus & incensariis suis. Plebem sancti Donati qui vocatur

Heic locus vacuus relictus est in originali.

cum fundis & casalibus suis, videlicet Cortonula, Cardoni, Montem Aversо, Recisam, Novelletam, & vallem Reginā, cum omnibus eorum pertinentiis. Plebem sancti Laurentij in Palmule cum Ecclesia sanctæ Luciæ & sancti Euticij, cum villis, fundis, casalibus, domibus, curtibus, hortis, olivetis, & fundum qui vocatur Alzanum, & Tucinam, cum terris, campis, pratis, pascuis, silvis, famulis famulabus inibi permanentibus, & cum omni jure & ditione eorum. Immo & curtem sancti Salvatoris quæ stat juxta lacum Bulsini in territorio Mantano, cum terris, silvis, vineis, fundis, casalibus, & cum piscatione laci ipsius; quantum residentes ipsius curtis possunt piscari, sicut tui antecessores obtinuerunt. Certissimè igitur corroboramus & modis omnibus confirmamus tibi, dilecte & amabilis frater Virbone Episcope, tuisque posteris Episcopis tuo in episcopio succedentibus plebem sancti Petri in vico Pergulata secus suprascriptum lacum, cum omnibus Ecclesiis, fundis & casalibus suis, videlicet Ecclesiam sanctæ Mariæ in Rumiliano Ecclesiam sanctæ Agnes, Ecclesiam sancti Pancratij in Nucerino, Ecclesiam sancti Andreæ in Campo, Ecclesiam sanctæ Mariæ ubi corpus beati Flaviani martyris requiescit, cum casale & burgo suo in circuitu & giro ejus, una cum omni eorum adjacentia vel pertinentiis, videlicet domibus, curtibus, hortis, terris, vineis, fundis, casalibus, campis, pratis, pascuis, silvis, castanetis, montibus, collibus, plagiis, planitiis, cum incensariis, tributariis, & angarialibus eorum, vel cum omnibus eorum jure pertinentibus. Itemque & fundorum horum, vallem episcopij, Montem Flasconis inde inde, vallem sanctæ Luciæ, vallem Oriani, & Zuzzanum, planum rotundum, cum omnibus eorum adjacentia vel pertinentiis, insuper terris, vineis, quæ rejacere videntur à capite burgi suprascriptæ sanctæ Mariæ usque ad viam Tuscanæ, denique & vicum qui cognominatur Quarantianum inde inde, cum Ecclesiis, curtibus, domibus quoque & criptis, multisque familiis, & cum omnibus suis pertinentiis. Infra lacum nominatum qui vocatur Bulsinus, insulam quæ cognominatur Martana, cum monasterio sancti Stephani, & cum eorum omnibus pertinentiis. Plebem sancti Andreæ secus fluvium Mart. cum suis Ecclesiis sancti Viti, sancti Iohannis, sanctique Laurentij, cum casis, curtibus, hortis, vineis, fundis, casalibus; molendinis, piscariis, cannariis; & medietatem de ipso fluvio ad molendinos rigandos in multis locis, unà cum colonis & colonabus ibidem residentibus, vel omnibus ejus pertinentiis. Simulque & horum fundorum, videlicet Cajolum, Vallicellas, Silvabubla, planum de Fontana, Mergonem, Metatam, Cazzanum, Metianum, planum sancti Viti, Montem sancti Andreæ, & Catillianum, una cum omnibus eorum adjacentiis vel pertinentiis, terris, campis, pratis, vineis, silvis, casis, curtibus, servis, & ancillis, massaritiis, tributariis ibidem commorantibus. Massam

Heic locus vacuus relictus est in originali.

quæ dicitur cum plebe sancti Iohannis infra se, quæ est supra fluvium Mart. cum vineis, terris, fundis, casalibus, atque angarialibus suis, & incensariis, cum suis convenientiis. Massam quæ vocatur vicum Marianum, cum plebe sancti Iohannis, eorúmque fundorum, scilicet Rizzolanum, pratum poppæ Lupuli, Caium flajanum, Finianum, Sclapplanum, pratum longum, & Stonum, cum domibus, curtibus, terris, hortis, vineis, campis, pratis, silvis, massaritiis & tributariis, vel cum omni eorum pertinentia, atque fundum qui vocatur Amitinum, cum casis, curtibus, Ecclesiis, domibus, terris, vineis, casalibus, & cum omni eorum competentia, unà cum famulis & famulabus ibidem residentibus. Fundum qui dicitur Campus de Pinis, cum plebe

Heic locus vacuus relictus est in originali.

sancti juxta lacum, cum terris, vineis, & sua pertinentia. Massam quæ cognominatur Olenzana, cum Ecclesiis sanctæ Mariæ, sancti Iohannis, & sancti Felicis, cum fundis & casalibus eorum, & cum omni eorum pertinentia, necnon & Ecclesiam sancti Cassiani, cum curte sancti Ambrosij, qui positus est in Feruleto, cum fundis & casalibus eorum, terris, campis, pratis, vineis, hortis, silvis, colonis, colonabúsque ibidem residentibus, & cum omnibus ei pertinentibus.

Fundum qui vocatur Septinianum cũ omni ſua pertinentia. In territorio Caſtren. fundorum duorum, ſcilicet Amponianum & Aſtronianum, cum eorum conuenientiis. In Sala trium fundorum, Vicovalle, Paternum, & Tulizanum, cum domibus, curtibus, vineis, terris, campis, pratis, paſcuis, & omnibus eorum pertinentiis, atque plebem ſancti Laurentij quæ nuncupatur Intrintilianum, cum fundis & caſalibus & ſuis omnibus pertinentijs. Maſſam quæ cognominatur Soranum cum fundis & caſalibus ſuis & omni integritate ſua. Confirmamus etiam & corroboramus tibi, amantiſſime frater, tuum epiſcopatum Tuſcanenſem cum terris, omnibus Eccleſiis & monaſteriis quorum infra ſubſcriptos affines eſſe videntur, & in futuro conſtruentur, tam per urbes & caſtella quàm etiam per diverſa oppida, maſſas, burgos, & villas, cum diſtrictione omnium Eccleſiarum & venerabilium locorum, Preſbyterorum & monachorum, quatenus per te tueantur & ſecundùm ſanctorum patrum canones defenſentur & ordinentur. Incipientibus verò à finibus tui epiſcopatus, ſcilicet à mari magno & inde per fluvium Minionem, ſicuti rectè extenditur in cripta S. Pancratij, & ſicuti rectè extenditur in pedem Leuprandij, qui eſt inter territorium Orclanum & Bledanum, & rectè pergit ad Cavam Fardengam, & inde tranſit ad Butten. aquæ ductus quæ eſt in ſtrata beati Petri Apoſtoli, & inde pergit in cacumine montis qui dicitur Foliano, & ſicut vadit via per ipſum montem in Civitellis, & venit in Staphile, qui dividit inter Ortem & comitatum Viterbienſem, & ſicut venit in locum Planculæ & vadit inter territorium Viterbienſe & Polimartienſe, & deinde pergit uſque ad Petram fictam, & inde venit ad rivum ſanguinarium, & pergit ad rivum qui vocatur Arlinus ad Mauſileum, & deinde vadit per lacum ad Mauſileum quod eſt in campo Roſano, & deinde venit per Eccleſiam ſancti Maximi, & deinde venit in ſanctum Bartholomæum, qui poſitus eſt in Marſuano, & deinde venit in Septinianum, & abinde in Muſileum Caninum, & inde pergit in Caneſtraſi, & ſicuti intrat in Tamone, & ipſe Tamo intrat in Armine, & ſic currit in mare. Infra quos fines ſunt plebes ſupraſcriptæ, monaſteria, civitates, caſtella, hereditates, ac territoria diverſa, & ſi quid aliud inter hos fines concluditur quod ad ipſum tuum epiſcopatum aliquo modo poſſit pertinere, à præſenti quinta indictione tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum confirmamus & corroboramus, ſancientes apoſtolica Cenſura ſub divini judicij atteſtatione & anathematis interdictuut nullus umquam præſumat, cujuſcumque ſit dignitatis præditus poteſtate, vel etiam quæcunque magna parváque perſona, ex omnibus quæ ſuperiùs leguntur quoquo modo auferre à tuo epiſcopio aut contrarietatem facere. Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu tentaverit iis quæ à nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti tui epiſcopatus ſtatuta ſunt refragari aut in quoquam tranſgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum & cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis atque Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti æterni incendij ſupplicio concremandum. At verò qui pio intuitu obſervator & in omnibus extiterit cuſtodiens hujus noſtri apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientis, benedictionis gratiam à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Nicolai Notarij atque Regionarij & Scriniarij ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, menſe Februario, Indict. V. Benevalete. Datum v i i i. Kal. Martias per manum Leonis Primicerij ſummæ apoſtolicæ ſedis, anno Deo propitio pontificatus Domini noſtri Leonis Papæ iv. in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli ſexto, menſe & Indict. ſupraſcripta V.] Datum Corneti iv. Kal. Novembris, anno decimo.

CALARITANENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 143. Ut latas contra nonnullos ſententias faciat publicari.

ILlis es meritò comparandus de quibus inquit Propheta, *Canes muti ſunt non valentes latrare*, cùm graves & grandes ſubditorum exceſſus non ſolùm corrigere negligas, ſed etiam corrigere prætermittis, ſicut ex eo colligitur evidenter quòd inceſtuoſam copulam à nobis inhibitam inter filiam Marchionis de Maſſa & Hugonem de Baſſo conniventibus oculis contrahi permiſiſti. Sed & illis potes meritò comparari de quibus veritas ait, *Vulpes foveas habeant & volucres cæli nidos*, cùm doloſitates exerceas ſub ſpecie honeſtatis, ſicut in negotio Gallurenſi comperimus te feciſſe. Putabamus quidem oculum tuum ſimplicem eſſe, nullam tenebrarum partem habentem. Sed, quod dolentes referimus, angelus

Sathanæ transfiguravit se in angelum lucis, & sub ovina pelle lupina rabies se abscondit. Licèt autem sis immemor & ingratus dilectionis & gratiæ quam tibi studuimus exhibere, adhuc tamen experiri volentes utrum in te aliqua devotionis & obedientiæ scintilla remanserit per ap. t. s. dis. præc. m. q. præfatos Marchionem & Hug. de Basso diligenter moneas & inducas ut prælibatam incestuosam copulam omnino dissolvant, ac sententias excommunicationis & interdicti latas auctoritate nostrâ in Dominas & terram Galluris, necnon & Lambertum Pisanum, solemniter innoves & declares, téque usque ad festum resurrectionis dominicæ proximò venturum apostolico conspectui repræsentes. Alioquin ex tunc scias te ab officio pontificali suspensum. Datum Corneti VI. Kal. Novemb. anno decimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS & aliis Ecclesiarum Prælatis & universis Clericis in regno Aragoniæ constitutis.

Epist. 144. De libertate electionum episcopalium. *Vide additionem ad lib. 8. de concordia sacerdotij & imp. cap. 10.*

SOlet annuere &c. *usque* impertiri. In litteris siquidem kar. in C. fil. n. Petri illustris Regis Aragonum sic de verbo ad verbum perspeximus contineri. Petrus Dei gratia Rex Aragonen. Comes Barchinonen. & Dominus Montis pessulani venerabilibus in Christo Terraconen. Archiepiscopo & universis Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiarum Prælatis & eorum conventibus in regno & dominio nostro constitutis, æternam in Domino salutem. Regi Regum, per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & sponsæ ejus, sanctæ videlicet Ecclesiæ, integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem à nobis hactenus observatam, qua electionem Prælatorum sine nostro consilio & assensu procedere non permittebamus, amore Dei & sanctæ Ecclesiæ & pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum relaxamus, vobisque & universis successoribus vestris & conventibus in omni jurisdictione nostra constitutis liberam eligendi facultatem per nos & per omnes successores nostros, assensu regio minimè requisito, in perpetuum indulgemus, hoc solum nobis & successoribus nostris reservantes, ut liberè & canonicè electus in signum regiæ fidelitatis nobis & successoribus nostris debeat præsentari. Nos igitur devotionem regiam in Domino commendantes, & approbantes in hac parte statutum ipsius, illud auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Corneti III. Kal. Novembr. anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI S. Martini de Monte.

Epist. 145. De revocandis alienationibus monasterij.

NE causâ sententiali calculo diffinita in recidivæ contentionis scrupulum relabatur, judicialis diffinitio atramentali debet calamo exarari. Præsentibus ergo litteris innotescat quòd nos auditis & intellectis attestationibus, instrumentis, & allegationibus universis propositis coram nobis in causa quæ vertebatur inter yconomum vestrum ex parte una & Fortiguerram ac Raynucium filium Poli Guiddoti cives Vitterbienses ex altera super accasamentis quondam Tornampart. & terris de Risiare ac salicis cum molendino ubi facta est gualkeria, sententiam Iacobi & Matthæi judicum Vitterbien. contra monasterium iniquè prolatam omnino cassamus, & sententiam à ven. f. n. R. civitatis Castellanensis Episcopo & P. Ysmaëlis tunc Abbate sancti Andreæ contra præfatos cives minùs providè promulgatam corrigimus in hunc modum, videlicet quòd cùm constet monasterium vestrum in venditione prædictarum rerum ultra dimidiam justi pretij fuisse deceptum, præfati cives aut recepto pretio possessiones restituant memoratas, aut suppleant quantum legitimè ostendetur tempore venditionis justo pretio defuisse. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 146. De Clerico per saltum promoto.

PEr tuas nobis litteras intimasti quòd tempore bo. me. prædecessoris tui Clericus quidam consilio cujusdam sacerdotis, quem familiarem habebat, ut ad sacros ordines minis acceleraret inductus, cùm esset Acolytus, subdiaconatus ordine prætermisso, præsumptuosè se fecit in Diaconum promoveri; qui postmodum pœnitentia ductus delictum suum cuidam Presbytero patefecit; à quo fuit eidem injunctum ut in aliquo monasterio sub regulari habitu Domino ministraret; ubi cùm per annos aliquot permansisset, super prædicto excessu quendam duxit Episcopum iterum consulendum, qui nihil eidem injungens delictum hujusmodi tuo judicio reservavit. Tu verò ipsi post-

modum injunxisti ne in diaconatus officio ministraret donec quid super hoc esset agendum nostræ suscepisset beneplacitum voluntatis, ipsúmque iterum in alio monasterio collocans nobis humiliter supplicasti ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem f. t. p. A. sc. m. quatenus si aliàs propria sibi merita suffragantur, ipsum suscipere faciens subdiaconatus ordinem, quem omisit, eidem postmodum auctoritate nostra dispensativè licentiam tribuas. in diaconatus officio ministrandi. Datum Tuscan. XIV. Kal. Novemb. anno decimo.

EIDEM.

Epist. 147. De electione Archiepiscopi Vpsalensis.

TAm per litteras tuas quàm kar. in. C. fil. n. S. Sueth. Regis illustris & ven. f. n. suffraganeorum, & dil. fil. Capituli Ecclesiæ Upsallen. & aliorum multorum accepimus quòd bo. me. Archiepiscopo Upsallen. viam universæ carnis ingresso, dicta Ecclesia, tum propter tuæ peregrinationis absentiam, tum etiam propter insolentiam regionis, diù mansit pastoris officio viduata, sed nunc spiritus sancti gratia inspirante in quendam prædicti Regis Capellanum V. nomine virum utique litteratum & ornatum moribus &, ut credis, virtutibus decoratum, clerus & populus consensu & petitione unanimi convenerunt. Sed quia de legitimo non est matrimonio procreatus, ipsum, sicut vir providus & honestus, in eisdem litteris non electum, sed potiùs ad episcopale vocatum officiũ nominasti, humiliter supplicans, ut quia, quantum humano constare potest judicio, persona satis videtur idonea, & cleri electione, Regis consensu, ac populi petitione vocata, cum eo dispensare misericorditer dignaremur, proponens quòd nisi expediret Ecclesiæ memoratæ, ac Regem & populum credere propter hoc maximè ad favorem Ecclesiæ inducendum, libertatem quoque ipsius per hoc nihilominus conservandam, pro eo nullatenus porrigeres preces tuas, cùm nulla Ecclesia sit in mundi partibus constituta quæ tantum propter insolentiam populi jugo subjaceat servitutis. Nobis autem cum fratribus nostris super hoc habentibus diligentem tractatum, multa incerta & dubia occurrerunt, tum quia ignoramus quantum idem V. defectum in natalibus patiatur, cùm multiplex super hoc considerationis delectus debeat adhiberi tum, quia nobis non constat utrum provincia Upsallen. tantum defectum sustineat in personis quoad archiepiscopale officium assumendum alia persona non possit in ea magis idonea inveniri. Accedit ad hæc quòd cùm in ipsa provincia Presbyteri ex prava consuetudine mulieres sibi non metuant matrimonialiter copulare, si hujusmodi consuetudinem intendis de ipsa, sicut accepimus, extirpare, indecens esset pariter & absurdum ut ad tantum officium talis assumeretur persona qua in exemplum deducta, tuum posset propositum impediri. Nos igitur attendentes quòd in talibus urgens necessitas & evidens utilitas dispensationis gratiam promerentur, honestati ac discretioni tuæ, de quâ plenam fiduciam obtinemus, per ap. sc. m. q. circumstantiis studiosè pensatis, Deum habens præ oculis, auctoritate nostra circa confirmationem postulationis ipsius & postmodum consecrationem procedas sicut ad divini nominis gloriam & christianæ religionis profectum videris procedendum. Ad hæc, propter devtoionem tuã & necessitatem Ecclesiæ Upsallensis necnon & remotionem loci, ne ipsa Ecclesia fatigetur laboribus & expensis, palleum de beati Petri corpore sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officij, tibi transmittimus; ut si fortè ad dispensandum videris procedendum, illud eidem conferas sub forma quam tibi sub Bulla nostra mittimus intercluſam. Alioquin ipsum ad nos remittere non postponas. Datum Corneti VIII. Kal. Novembris anno decimo.

P. ARCHIPRESBYTERO & Canonicis sancti Xisti Vitterbien.

Epist. 148. Confirmatur quædam concordia.

INter vos & ven. f. n. Raynerium Vitterbien. Episcopum suborto scrupulo quæstionis super quarta decimarum, mortuariorum, procurationibus, oblationibus, synodatico & quibusdam aliis juribus episcopalibus, quæ à vestra Ecclesia idem Episcopus tamquam sibi debita requirebat, tandem post publicationem testium & exhibitionem instrumentorum in talem concordiam nobis mediantibus amicabiliter convenistis ut tam vos quàm successores vestri non nisi in quarta decimarum & mortuariorum eidem Episcopo & ejus successoribus teneamini respondere, ab alijs autem præstationibus & servitiis eadem Ecclesia libera sit penitùs

& immunis. salva in omnibus obedientia & reverentia quam ei tamquam Episcopo vestro & successoribus ejus debetis in spiritualibus exhibere. de iis verò quæ vobis oblati vestri de cetero sani donaverint inter vivos, nullam eidem Episcopo vel successoribus suis cogamini tribuere portionem. Nos igitur eandem concordiam approbantes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præ. sc. p. co. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Sutrij XVIII. Kal. Dec. anno decimo.

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Epist. 149. Indulgentiæ concessæ pugnantibus adversùs Albigenses.

INveterata pravitatis hæreticæ corruptela, quæ succrescit assiduè in partibus Tolosanis, fœtus non desinit parere monstruosos, per quos in alios corruptione propriæ vesaniæ derivata, reviviscit instanter & pullulat detestabilis successio damnatorum, qui de suæ vanitatis adinventionibus gloriantes, dogmata rectæ fidei aspernantur, & eò amplius prædicatam sibi veritatem obaudiunt quo dùm abyssus abyssum invocat, & nox nocti indicat scientiam, confictam sui mendacij falsitatem aliis liberiùs suggerentes, sese considerant in suis falsis assertionibus singulares. Hi nimirum habentes juxta verbum Apostoli speciem pietatis, virtutem autem ejus penitùs abnegantes, sub religionis imagine, quam se solos habere fatentur, multos incautos dulcedine verborum illiciunt, & reddunt suis malitiis uniformes. Hos utique in libro sapientiæ mulier illa designat quæ ornatu meretricio præparata proclamat: *Intexui funibus lectum meum, tapetibus picti stravi.* Hæretici siquidem cœlestium verborum contextu & ornatu eloquentiæ picturato salubre auditoribus stratum se parare promittunt, in quo à tumultu vitiorum libero corde quiescant, sed locum potiùs perditioni construunt funibus peccatorum. propter quòd dicitur per Prophetam: *Vaccas Betzhaven coluerunt habitatores Samariæ.* Hæretici namque, qui habitare se in Samaria ideſt in mandatorum Dei custodia mentiuntur, cum legem Dei non intelligant, sed impugnent, lascivas sectas multiplicis novitatis & erroris enutriunt. Sed cùm in præsenti vel in futuro pœnam suæ nequitiæ debitam patientur, lugebit populus super eos. Dominus etenim juxta verbum propheticum tam domum æstivam quàm domum percutiet hyemalem, & domus eburneæ deperibunt, quia tam eos qui æstuantes fervore lasciviæ voluptatibus carnis inserviunt, & qui ut religiosi ab hominibus habeantur, à quibusdam vitiis abstinendo macerant carnem suam, quàm illos etiam qui politis sermonibus ad deceptionem simplicium falsa confingunt, percutiet Dominus & disperget, faciens eorum memoriam cum sonitu deperire. Licèt autem ad corrigendum hoc pessimum genus hominum in tuo regno degentium, qui ad subversionem Christianæ fidei de vanitate conveniunt in idipsum, & ad eorundem multimodæ dolositatis imagines in nihilum redigendas operam dederimus multociens & per multos, ipsi tamen in reprobum sensum dati nec propositas rationes attendunt, nec terrentur comminationibus, nec possunt blanditijs deliniri. Ideoque cùm ferro abscidenda sint vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, & qui correctionem ecclesiasticam vilipendunt brachio, sint secularis potentiæ comprimendi, auxilium tuum, fili karissime, invocandum duximus ad vindicandum iujuriam Jesu Christi & capiendas vulpeculas quæ vineam Domini sabaoth non cessant in simplicibus demoliri, serenitatem regiam monentes attentiùs & exhortantes in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad extirpandos tam degeneres palmites, qui missis radicibus in profundum lambruscos generant & non uvas, ad eliminandam quoque spurcitiam tam nocivam accingaris viriliter & potenter, ut & fidei tuæ puritas, quam tamquam Princeps catholicus servas in mente, strenuis actibus in opere declaretur, & hæreticæ perfidiæ sectatores potentiæ tuæ virtute contriti ad veritatis notitiam saltem inter afflictiones bellicas reducantur. Quãto enim Dominus Deus tuus in regni tui perturbationibus tibi benignus astitit & dedit exitum glorioſum, terram tuam in tranquillitatis quiete ponendo, tanto inimicis ejus & Ecclesiæ suæ te convenit robustiùs obviare. Nos enim, ut securiùs his possis intendere, terram tuam & homines tuos ac eorum bona interim sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & si quis, quod non credimus, te vel tuos nequiter molestare præsumeret, tantam injuriam, quam reputaremus sedi apostolicæ principaliter irrogatam, curaremus per cen. canonicam vindicare. Volumus insuper ut ipsorum hæreticorum bona omnia publicentur, & tam tibi vel in per-

sona propria laboranti, vel necessarium auxilium impendenti, quàm hominibus terræ tuæ, qui contra perfidos arma susceperint expugnandos, illa valeat remissio peccatorum quam his qui laborant pro terræ sanctæ subsidio duximus indulgendam; cujus necessitatis te ac illos volumus esse memores, ne contingat illius impedire succursum. Datum Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Decemb. an. X.

In eundem ferè modum universis Comitibus, Baronibus & Militibus, & universis Christi fidelibus in regno Franciæ constitutis. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Trecen. &.. Viromanden. &.. Elesen. Comitissis. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Comiti Barren. Eadem dat.

In eundem ferè modum .. Duci Burgundiæ & .. Nivernen. &.. Drocen. Comitibus & No. vi. G. de Donpierra. Eadem dat.

VV. EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

Epist. 150. De supplendâ negligentia parrochorum.

IN nostra præsentia tua proposuit fraternitas conquerendo quòd cùm quidam monachi & alij viri religiosi quasdam parrochiales Ecclesias in tua dioceſi teneant ad usus proprios deputatas, & in quibusdam aliis, pro quibus annuum censum accipiunt, jus obtineant patronatus, cùm easdem Ecclesias vacare contingit, Capellanos & alios Clericos instituendos ibidem tibi, prout de jure tenentur, negligunt præsentare. Unde nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc dignaremur utiliter providere. Quocirca fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus si prædicti religiosi viri, vacantibus Ecclesiis quæ prædictis modis ad ipsos pertinere noscuntur, tibi, prout de jure tenentur, Capellanos vel Clericos infra tempus à canonibus diffinitum malitiosè præsentare contempserint, tu eisdem Ecclesiis de personis idoneis providendi liberam auct. nostra suffultus sub. cujuslibet contrad. & app. ob. habeas facultatem, ita tamen ut propter hoc nullum eis præjudicium generetur. Datum Sutrij Id. Novemb. anno decimo.

EPISCOPO PARISIENSI.

Epist. 151. Numerus Magistrorum Theologorum academiæ Parisiensis definitus.

SIcut expedire credimus ut apud civitatem Parisiensem, ad quam pro sacræ paginæ disciplina celebris recursus habetur, Theologorum sit copia Magistrorum, qui parvulis petentibus panem frangant, & esurientes animas reficiant pabulo verbi Dei, sic etiam decens est ut ipsorum numerositas refrenetur, ne forsitan propter onerosam multitudinem, quæ nihil habet honesti, vel vilescat eorũ officium, vel minùs composite impleatur, cùm Deus omnia fecerit in numero, pondere, ac mensura. Hac igitur consideratione prudenter inducti, auct. præs. firmiter inhibemus ut Parisius Magistrorum Theologiæ numerus octonarium non transcendat, nisi fortè multa necessitas vel utilitas hoc exposcat. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Sutrij XVIII. Kal. Decembris anno decimo.

EIDEM.

Epist. 152. Mandata de providendo quomodo in executionem mittenda.

SOlet annuere &c. *usque* impertiri. Cùm igitur examinationem quorundam, qui à te vel præd. tuis ad sacros ordines sunt promoti, quibus provideri mandamus in beneficio competenti, nonnunquam aliquibus committamus, auctoritate præsentium firmiter inhibemus ne nisi te vel responsale tuo præsente ad examinationem hujusmodi procedatur, ut contra examinandos tibi proponere liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, ita quòd per examinationem aliter attentatam nullum tibi præjudicium generetur, nisi forsan evocatus legitimè in elusionem mandati nostri examinationi hujusmodi per te vel responsalem idoneum neglexeris interesse. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

EIDEM.

Epist. 153. Ne monachi singulares sint in monasteriis.

CUm in Lateranen. Concilio sit statutum ne monachi &c. fraternitati tuæ, de qua certam fiduciam gerimus per ap. sc. m. q. si quem monachum in aliqua Ecclesia dioceſana tibi lege subjecta singulariter inveneris habitare, ipsum mo. præ. per cen. ecc. app. re. compellas ut vel ad suum monasterium redeat, vel aliquem honestum fratrem secum habeat commorantem. Dat. ut in alia.

EIDEM.

Epist. 154. Ut monachos & clericos suæ diœcesis corrigat.

AD nostram noveris audientiam perveniſſe quòd tam à monachis & aliis viris religiosis quàm à Clericis secularibus tuæ dioceſis multa gravia committuntur, quæ si non fuerint superioris lima correcta, graviorum exceſſuum ma-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

teriam ministrabunt. Licet autèm ex injuncto tibi præsulatus officio in corrigendis subditorum excessibus jurisdictionem obtineas generalem, ut tamen auctoritate mandati nostri tuæ provisionis officium liberiùs exequaris, fraternitati tuæ, de qua firmam fiduciam gerimus, per ap. sc. m. q. tam circa viros religiosos quàm etiam Clericos seculares tuæ jurisdictioni subjectos corrigas app. re. quæ videris corrigenda, statuens ad reformationem ipsorum quod regulare fuerit & honestum. Dat. ut in alia.

EIDEM.

Epist. 155. Datur illi potestas reformandi monasteria suæ diœcesis.

LIcèt Ecclesiarum omnium cura nobis immineat, pro monasteriorum tamen statu specialiùs nos oportet esse sollicitos, ne forsan in ipsis religionis observantia dissolvatur, quam nostris temporibus Domino disponente plantare cupimus & fovere. Sanè sicut nostro est apostolatui reseratum, in monasteriis & aliis locis religiosis diocesana tibi lege subjectis in victu, vestitu, conversatione, ac multis aliis gravitas negligitur regularis, & multa gravia committuntur ibidem, quæ cedunt non solùm in animarum dispendium, sed etiam scandalum plurimorum. Fratres præterea locorum ipsorum contra suæ professionis propositum retinere propria non formidant. Cùm igitur hæc, si vera sint, relinqui non debeant incorrecta, fraternitati tuæ, de qua certam fiduciam obtinemus, per ap. sc. m. q. super his & aliis inquisita pleniùs veritate corrigas app. re. quæcumque noveris corrigenda, statuens ibidem quod regulare fuerit & honestum. Datum Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Decemb. anno decimo.

EIDEM.

Epist. 156. De unione monasteriorũ Vallis profundæ & de Gyf.

AD aures nostras noveris pervenisse quòd monasterium Vallis profundæ in tua diœcesi constitutum tanta rerum temporalium egestate gravatur ut sorores ejusdem loci nequeant de bonis ipsius monasterij sustentari, propter quod interdum, instigante humani generis inimico, pro necessariis acquirendis quædam minùs licita immo gravia committere non verentur. Quocirca fraternitati tuæ per ap. sc. m. q. si est ita, monasterium ipsum auctoritate nostra suffultus, sublato cujusl. contrad. & app. ob. monasterio de Gif tuæ diœcesis, quod pari necessitate laborat, adjungere studeas & unire. Datum Romæ apud S. Petrum XIIII. Kal. Decemb. anno decimo.

EPISCOPO PICTAVEN.

Epist. 157. Vt I. ad subdiaconatus ordinem promoveat.

EX insinuatione dil. fil. I. scolaris nos noveris accepisse quòd olim mater sua in ipsius partus multis angustis fatigata votum vovit Domino quòd quamcumque prolem susciperet, eam in sortem dominicam deputaret. quæ volens postmodum adimplere promissum, eundem I. fecit imbui litteralibus documentis & artibus liberalibus erudiri. Verùm idem I. à materna non discrepans voluntate, cùm minores ordines fuerit assecutus, à te instanter petijt ut eum in Subdiaconum promoveres. Tu verò, licèt habeat patrimoniũ de quo potest congruè sustentari, & quidam ejus consanguineus ad ordinationem centum solidos annuos sibi fuerit paratus conferre, sicque honorificè valeat vivere de prædictis, oblatis tamen precibus acquiescere recusasti. Nos autem pium ejus propositum attendentes f. t. p. ap. sc. præc. m. q. si est ita, dummodo sit idoneus, promovere ipsum ad subdiaconatus ordinem non postponas. Datum Romæ apud S. Petrum VIIII. Kal. Decemb. anno decimo.

CIVIBVS ET VNIVERSO populo Dertusensi.

Epist. 158. Hortatur eos ut Ecclesiam Dertusensem revereantur.

AD nostram audientiam ven. f. n. G. Dertusen. Episcopo significante pervenit quòd cùm pro eo quòd decimas & primitias ad plenum solvere nolebatis, olim vos excommunicationis sententiæ subjecissetis, in contemptum excommunicationis ipsius in cimiterio Ecclesiæ præsumpsistis ferè centum corpora decedentium sepelire. Postmodum autem super ipsis decimis & primitiis justitia mediante pro eodem Episcopo sententia promulgata, promisistis vos mandato Ecclesiæ parituros interposito juramento. Verùm ab eodem Episcopo postmodum absoluti, sicut mandaverat, sepulta corpora extumulare curastis, volentes contemptum pristinum taliter expiare. Sed procedente tempore aliqui vestrum conversi retrorsum, & devotionem ostensam in odium deducentes, in suarum perniciem animarum, ad suggestionem fratrum hospitalis Hampostæ, apud eosdem, Ecclesiæ memoratæ cimiterio derelicto, præsumpserunt cum interpositione fidei eligere sepulturam; per hoc ipsi Ecclesiæ nitentes læsionem inferre. Tandem quidam ex eis ad

ad conſcientiam reducentes, & pœnitentiam volentes agere de commiſſo, ipſi Epiſcopo ſunt confeſſi hoc ab ipſis fuiſſe pro ſuæ damno Eccleſiæ attentatum; ſed alij pertinaciter in excogitata malitia perſeverant. Quia verò indignum eſſe videtur ut Dertuſenſis Eccleſia mater veſtra, quæ animas veſtras ſpiritualibus reficit alimentis, vos non ſentiat filios, ſed privignos, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatinus nonobſtante hujuſmodi juramento, quod ex odio in damnum Dertuſenſis Eccleſiæ temerè præſtitiſtis, tam in vita quàm morte more ſolito eandem Eccleſiam honorantes, ad ſtatum priſtinum redeatis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Kal. Decembris anno decimo.

VNIVERSIS EPISCOPIS per Angliam & Vvalliam conſtitutis.

Epiſt. 159. Hortatur eos ad libertatem eccleſiaſticam tuendam. Vide Matth. Pariſ. ad an. 1208. & Goſſa. Innoc. III. cap. 151.

QVamquam virtus obedientiæ magna ſit propter bona quę ſequuntur ex ipſa, mala tamen quę de contraria ſibi conſtat inobedientia provenire, quodammodo magnificare videntur eandem; cùm ſicut collatio boni malum deteriùs decolorat, ita plerunque malum bono collatum, aliquid ei laudis adjungat. Inobedientia quippe de paradiſo protoplaſtum ejecit; cui demum Chriſti obedientia, qui uſque ad mortem factus eſt pro nobis obediens, formam ſervi accipiendo, ſubvenit. Denique Chore natos, qui Moyſi mandatis pertinaciter reſtiterunt, aperta tellus vivos abſorſit; filioſque ſacerdotis Heli, qui paterna monita contemnendo errorem ſuum corrigere neglexerunt, Philiſtæorum gladius interemit. Abrahæ verò, *Per memetipſum, inquit Dominus, juravi, quia obediſti voci meæ tuo unigenito non parcendo, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ut ſtellas cœli, & benedicentur in tuo ſemine omnes gentes.* Puella quoque Rebecca, dum in adaquandis camelis humiliter obedivit, receptis inauribus & armillis Iſaac meruit conjugio copulari. Ceterùm ex ſermone quem Propheta loquitur ad populum contumacem oſtenditur quòd poſſit obediendo quiſquam vel non obediendo mereri. *Si volueritis*, inquit, *& audieritis me, terræ optima comedetis. quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocabitis, vos gladius devorabit.* Samuel etiam dixiſſe legitur ad Saulem: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs ut voci obediatur ipſius?* Obedientia enim melior eſt quàm victimæ, & auſcultare magis quam adipem arietum immolare: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ, acquieſcere nolle. Ne igitur in vitium inobedientiæ incidatis, virtutem obedientiæ vos oportet fortiter retinere; qui nedum mandato ad hoc ſpeciali compulſi, ſed pro debito paſtoralis officij voluntarij defendere tenemini eccleſiaſticam libertatem, & murum pro domo Domini vos opponere aſcendentibus ex adverſo; ne ſi verbum Domini in ore veſtro fuerit alligatum, & tamquam canes muti latrare non valueritis, ſeu potiùs nolueritis, ex illis effici videamini de quibus dicitur per Prophetam: *Filij Effrem intendentes arcum & mittentes ſagittas ſuas, converſi ſunt in die belli.* Pro juſtitia quippe pugnare non eſt vobis aliquatenus formidandum; quia beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ. Si qua ergo vobis immineat adverſitas propter ipſam, gaudendum eſt vobis potiùs quàm triſtandũ, Apoſtolorũ exemplo, qui teſte ſcriptura, *gaudentes ibant à conſpectu concilij, quoniam digni ſunt habiti contumeliam pro nomine Jeſu pati;* cùm glorioſum ſit, non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam cuilibet Chriſtiano, ſi propter cauſam non turpem, ſed in Domino commendabilem affligatur, apoſtolo Petro teſtante, qui dicit: *Nemo patiatur ut fur; ſed ſi benefacientes & benedicentes moleſtiam ſuſtinetis, hoc eſt gratia apud Deum.* Ecce pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ juſſio vobis imminet ut veſtra obedientia nota fiat, & perſecutio forſan inſtat, ut patientia veſtra proximis innoteſcat. Si quis itaque timet tranſgreſſor effici, obedientiam ſaltem meticuloſam impendet; qui verò ſperat de ipſa præmium, promeritoriam exhibebit eandem. Perſecutio deinde, ſi qua fuerit, probationem vobis inducet, ut aliis ad exemplum veſtra fortitudo proficiat; & præmium quidem conferet, ut quilibet juxta modum afflictionis menſuram retributionis acquirat. Proinde ſi cauſam Chriſti ex corde agitis, ipſe virtutem & fortitudinem vobis dabit, ut divinum timorem præferentes humano, cœleſtem Regem magis revereamini quàm terrenum, ipſumque cum illis qui ſub ejus cubito manu adulatrice pulvillos conſuunt non palpetis, & non ſolùm in eo per quod auctori-

ritatem Ecclesiæ in vacuum evacuare molitur non acquiescatis eidem, verùm etiam opportunæ sedulitatis instantia ipsum à tali proposito retrahatis, non dubitantes ad tempus ei pro defensione justitiæ displicere, cùm secundùm Apostolum si placeretis omnibus, Christi famuli non essetis; quoniam hoc pietatis opus vobis ad ejus odium non officiet, sed proficiet ad amorem; qui profectò, si quis vestrum in malo foveret eundem, & nunc ipsum exinde viliorem haberet, & cùm ad cor redierit usus consilio saniori, vos quidem pro consilij puritate carissimos, eos autem quorum prava modò suggestione seducitur habebit exosos; & sic demùm medicinali manu sanatus agnoscet quàm dissimilibus studiis morbum suæ mentis consilia malignantium aggravaverint & sollicitudinis apostolicæ medicamenta sanarint. Nobis quoque, qui circa ipsum medici vices agimus, ad gratiarum actiones assurget, & medicinæ, cujus pridem acerbitatem horruerat, tandem laudabit effectum; recognoscensque quòd ipsum sinceriſſima dilexerimus caritate, fatebitur quòd quando castigatur qui diligitur, tunc circa ipsum pietas exercetur. Habet enim amor plagas suas, quæ dulciores sunt cùm amariùs inferuntur. Quia ergo ad nostram audientiam est perlatum quòd aliqui vestrum in facto venerabilis fratris nostri Cantuariensis Archiepiscopi S. R. E. Cardinalis, in quo non solùm Cantuariensis versatur, sed etiam totius Ecclesiæ Anglicanæ libertas, se tepidos exibent & remissos, universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatenus in facto ipso, quolibet mundano timore postposito, vos tales exhibere curetis quòd per constantiam vestram libertas ecclesiastica defendatur, & cùm zelus domus Domini fecerit vos tabescere, caritas ignita per ipsum de persecutoribus ejus vos faciat triumphare; sperantes quod Dominus causæ suæ finem glorioſum imponet; de quo siquidem omnes qui constanter perseveraverint, pariter lætabuntur. Nos enim, qui pro justitia causæ hujus, si expediret, certare usque ad mortem nullatenus vitaremus, si qui forsan, quod non credimus, mandatis nostris contumaci spiritu præsumpserint obviare, sic eorum curabimus præsumptionem corrigere quòd terrore ad posteros derivato, talis non transibit insolentia in exemplum, sed eorum correctio terrere poterit universos. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kal. Decembris, anno decimo.

NOBILIBVS VIRIS VNIVERSIS magnatibus in Anglia constitutis.

Epist. 160. Commendat eis Regem Angliæ, & ut libertatem ecclesiasticam non lædant.

SI carissimo in Christo filio nostro Iohanni Anglorum illustri Regi fidem debitam observatis, quàm Deo, tam nobis noveritis esse gratum. Cùm autem ita vos oporteat terreno Regi fideliter adhærere ut cœlestem nullatenus offendatis, in hoc debet fidelitatis vestræ sinceritas vigilare ut à proposito quod idem Rex contra Deum concepisse videtur, venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum & in eo commissam sibi Ecclesiam persequendo, fideli eum consilio revocetis, nec permittatis ipsum, quantum in vobis fuerit, consilium abicere pietatis & in consilio impiorum abire, quorum in una die omnes cogitationes peribunt, consilio Domini, quod in vacuum evacuare conantur, in æternum manente. Sanè cùm secundùm evangelicam veritatem servire duobus dominis non possitis, procul dubio vobis expedit ut in eo quod præfatus Rex Deo contrarium sese ponit, nequaquam foveatis eundem, sed timorem divinum præponentes humano, ipsum cum illis qui sub ejus cubito manu adulatrice pulvillos consuunt non palpetis, nec dubitetis ad tempus ei pro causa justititiæ displicere, quoniam hoc pietatis opus vobis ad ejus odium non officiet, sed tandem proficiet ad amorem; qui profectò cùm ad cor redierit usus consilio saniori, vos quidem pro consilij puritate carissimos, eos autem &c. *ut in alia usque* amariùs inferuntur. Quocirca nobilitatem vestram monemus attentiùs & propensiùs exhortamur, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum injungentes, quatinus apud eundem Regem fidelibus persuasionibus & salubribus consiliis insistatis, ut per viam Roboam minimè incedendo, consilia maturiora non spernat, sed eos qui caput ejus oleo peccatoris impinguant foventes ipsum in malo tamquam adulatores despiciat, & velut corruptores expellat, ac recolens quòd Oza pro eo quòd in arcam, devotè quidem, sed indignè, manus extenderat, à Domino sit percussus, ad ecclesiastica jura manum mittere non præsumat; ne qui regnum Balthasar judicio manus scribentis *Mane*, *thechel*, *phares* inopinabiliter occupari permisit à Persis, ei propter Ecclesiam suam, quam inaniter humiliare disponit, graviter indignetur; sed potiùs

Vide Matth. Paris. ad an. 1207. & 1208.

recogitet dona Dei, qui eundem in conspectu Regum sua benignitate magnificans, per Ecclesiæ Romanæ favorem nomen & potentiam suam inter ceteros mundi Principes magnificè dilatavit. Vos igitur, quorum fidem atque prudentiam Regis & regni necessitates debent efficaciter experiri, sic in articulo mali hujus intentioni præfati Regis occurratis fideliter ac prudenter ut non patiamini vos & regnum ejus in illam perturbationem induci à qua, quod absit, de facili nequeat expediri. Nos enim, qui pro justitia causæ hujus, si forsitan expediret, certare usque ad mortem nullatenus vitaremus, à defensione libertatis ecclesiasticæ manum apostolicam retrahere non disponimus; quæ profectò abbreviata non est, immo per Dei gratiam sic extenta quòd in quem fuerit ex meritis aggravata spiritualiter & temporaliter, ingens pondus oppressionis inducere valebit in ipsum. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Vvigornienſi Epiſcopis.

Epiſt. 161. Ve ſententiam interdicti ab omnibus faciat obſervari.

NE prætextu libertatis seu etiam privilegij cujuscunque sententiam interdicti quisquam observare recuset, quam pro negotio Cantuarien sis Ecclesiæ per totam Angliam per vestræ sollicitudinis providentiam mandavimus, si necesse fuerit, promulgari, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus si secundùm apostolici mandati tenorem sententiam ipsam videritis promulgandam, sublato cujuslibet contradictionis, appellationis, & excusationis diffugio, omnes pariter secularium & regularium, Hospitalariorum & Templariorum, seu etiam quorumcunque religiosorum Ecclesias eadem sententia concludatis. Et quoniam in prioribus litteris de Ecclesiis in Vvallia constitutis non fecimus mentionem, volumus & mandamus ut similiter in eas auctoritate præsentium sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo procedatis, cùm & ipsæ Cantuarien si metropoli sint subjectæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO Vrbevetano.

Epiſt. 162. Committitur ut cauſa quæ-dam Viterbien-ſis. Vide ſupra epiſt. 145.

CVm causa quæ inter Yconomum monasterij sancti Martini de Monte Viterbien sis ex parte una, F. & R. cives Viterbien ses ex altera, super accusamentis quondam Tornampartis & terris de Rasiare ac Salicis, & molendino ubi facta est galcheria, vertebatur, coram nobis fuisset aliquandiu ventilata, nos intellectis rationibus utriusque partis & attestationibus diligenter inspectis, cùm constitisset nobis monasterium ipsum in prædictarum rerum venditione ultra dimidium justi pretij fuisse deceptum, sententiando decrevimus ut præfati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitimè venditionis tempore justo pretio defuisse. Cùm igitur . . Abbas & fratres ejusdem loci probare per testes intendant quanti pretij venditionis tempore possessiones fuere prædictæ, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus infra trium mensium spatiũ recipientes appellatione remota testes quos alterutra partium duxerit producendos, audiatis causam, & eandem remittentes ad nos sufficienter instructam, præfigatis partibus terminum competentem in quo nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Si verò pars monasterij ad hunc probandum articulum eosdem testes produxerit quos ad alium probandum produxit, vos nihilominus eos recipere procuretis: quoniam aliud est probasse deceptionis excessum, & aliud probare quantitatem valoris. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Decembris anno decimo.

SILVANECTENSI ET Atrebatenſi Epiſcopis, & Abbati Latiniacenſi.

Epiſt. 163. De electione Epiſcopi Meldenſis.

CVm vota Meldensis Ecclesiæ in duas se diviserint partes, quibusdam eligentibus Cantorem Meldensem, aliis autem Abbatem sanctæ Genovefæ postulantibus in pastorem, nos auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, tam electionem Cantoris quàm postulationem Abbatis exigente justitia duximus reprobandam, non propter defectum aut vitium alterutrius personarum, sed propter indiscretum & inordinatum processum contra constitutiones canonicas attentatum. Ne verò Meldensis Ecclesia diutiùs remaneat pastoris solatio destituta, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad ipsam Ecclesiam accedentes, convocatis Canonicis, singulorum scrutemini voluntates, & si vel totum Capitulum vel major & sanior pars ipsius infra octo dies in personam idoneã, præsertim de ipsa Ecclesia, concordaverit, electionem ipsius, sive sit Subdiaconus, sive Diaconus, sive

Presbyter, confirmetis. Alioquin ex tunc auctoritate nostra suffulti assignetis & concedatis ipsis in Præsulem virum litteratum, providum, & honestum; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compescentes. Quòd si non omnes, duo vestrum, sublato appellationis obstaculo &c. Datum ut in alia.

Sequens epistola, ideo quia generalis est, nullum titulum habet in regesto, neque in tertia collectione. Sed quia decretalis quæ istam antecedit in tertia collectione dirigitur Episcopo Mutinensi, Raymundus illi quoque inscripsit istam. Data est autem occasione electionis Episcopi Meldensis, ut colligitur ex epistola 163.

Epist. 164. Vt Subdiaconus eligi possit in Episcopum. Cap. A multis. *ext. de at. & qualit. ordin.* Vide addit. ad lib. 8. de concord. sacerd. & imp. c. 23.

AMultis multotiens an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat hæsitatur. Siquidem Vrbanus primus Papa decrevit ut nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus & religiosè vivens inventus fuerit, eligatur. *Sacros*, inquit, *ordines dicimus diaconatum & presbyteratum. Hos siquidem solos Ecclesia primitiva legitur habuisse. Subdiaconos verò, quia & ipsi ministrant altaribus, opportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ scientiæ ac religionis existant. quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* In quibus verbis innuitur quòd Vrbanus ad statum Ecclesiæ primitivæ se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minimè dicebatur, instituit ut de Subdiacono, nisi causa utilitatis, & tunc etiam de permissione Metropolitani vel Romani Pontificis, non posset electio celebrari. Verùm cùm hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Vrbanus Papa II. sub his verbis expressit, *Erubescant impij & intelligant judicio sancti spiritus eos qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate.* & iterum. *Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere nisi aut virgo aut probatæ castitatis, & qui usque ad subdiaconatum unicam & virginem uxorem habuerit.* & ad similitudinem Diaconi & Presbyteri Subdiaconus continentiam debeat observare, sicut est in sexta synodo constitutum, ut si quis eorum qui ad clerum accedunt nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat, & beatus Gregorius statuisse legatur ut nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi nisi quise castè victurum promiserit, nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus ut Subdiaconus liberè valeat in Episcopum eligi sicut Diaconus vel Sacerdos.

Dist. 32. c. 11. Erubescant.

Dist. ead. c. 12. Nemo.

PARISIENSI EPISCOPO.

Epist. 165. De appellationibus ad sedem apostolicam. Cap. Sollicitudinem. *De appellat.*

SOllicitudinem pastoralis officij prudenter exequeris cùm super dubitationibus juris responso sedis apostolicæ postulas edoceri. Sanè, sicut ex tua insinuatione recepimus, duobus coram suo Episcopo litigantibus, cùm alter eorum ad sedem apostolicam appellasset, Episcopus interpositæ appellationi non deferens, sed appellantem reputans contumacem, ipsum excommunicationis vinculo innodavit; qui coram Metropolitano suo de Episcopo petiit super hoc sibi justitiam exhiberi, asserens quòd post appellationem ad nos legitimè interpositam ipsum excommunicaverat & excommunicatum fecerat publicè nuntiari, & petens se ad eum statum in quo fuerat appellationis tempore à Metropolitano reduci, denuntiari videlicet absolutum, adiciens etiam quòd appellationi non renuntiabat objectæ, sed prosequi volebat eandem. Vnde tua fraternitas requisivit à nobis utrum Metropolitanus de hujusmodi conquestione cognoscere valeas, & si repererit illum legitimè provocasse, an eum denuntiare debeat absolutum, & an si Episcopus coram Archiepiscopo appellaverit, ne is qui excommunicatus ab eo fuerat absolvatur, appellationi sit hujusmodi deferendum. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd sicut Metropolitanus de appellatione ad nos interposita cognoscere omnino non valet, sic nec de his quæ post appellationem ipsam fuerint innovata, dummodo de illis cognosci non possit nisi & de appellatione pariter cognoscatur, vel de iis quæ appellationis causam contingere dinoscuntur. In quo casu si Metropolitanus ad cognoscendum suas partes interponere fortè præsumeret, Episcopus utique posset ad appellationis beneficium convolare. Nam ad officium ejus qui de appellatione cogniturus est pertinet prudenter corrigere quæ contra ipsam invenerit attentata. Si verò notorium forsan existeret quòd mandatum Episcopi indiscretum fuerat vel injustum, cui non tenebatur subditus obedire, ac per consequentiam ei liqueat evidenter subditum legitimè provocasse, potest Archiepiscopus auctoritate metropolitica declarare subditum irrationabiliter extitisse anathematis mucrone percussum. Cùm autem excommunicatus qui appellaverat juxta præscriptam formam coram Archiepiscopo, deponit contra Episcopum quæstionem,

ut videlicet de injuria sibi ab Episcopo irrogata cognoscat, Metropolitanus ipse ad cognoscendum de causa potest interponere partes suas, cùm ille appellationis prosecutioni renuntiare tacitè videatur. Sed si verbo vel facto appellationem se velle prosequi protestetur, sicut in proposito casu superiùs est expressum, non est tamquam adversa petens & sibi contrarius audiendus. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Idus Decembris anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Bertini.

Epist. 166. De confirmatione privilegium.

IVstis petentium &c. *usque* precibus annuentes, concessionem quam bo. me. Balduinus Comes Flandrensis super molendinis sancti Bertini monasterio vestro fecit, sicut sine juris præjudicio alieni facta est, & in ipsius instrumento noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam idem scriptum huic paginæ nostræ de verbo ad verbum duximus inserendum. » Ego Balduinus Flandrensis & Hanoniæ » Comes notum esse volo præsentibus & fu- » turis quòd cùm quorundam consilio infra » castrum sancti Audomari prope monaste- » rium sancti Bertini molendina construere » proposuissem, quæ, sicut mihi suggestum » fuerat, sine alicujus damno vel injuria me » facere posse putabam, accessit ad me » Abbas sancti Bertini, ostendens mihi pri- » vilegium Roberti junioris Flandriæ Comi- » tis, in quo continebatur quòd inter Ar- » chas & Broborc & Lodic nulli nisi Eccle- » siæ sancti Bertini molendina construere li- » ceret; & hoc Dominus Calixtus Papa » privilegio quod mihi ostensum est con- » firmabat, & ne aliquis contra hoc venire » præsumeret sub interminatione anathe- » matis districtè præcipiebat. Quia igitur » pro salute animæ meæ iter Ierosolymitan. » arripueram, & justitiam potiùs omnibus » quàm injuriam alicui facere in proposito » & voluntate habebam, scripto quod su- » per hac re fratres de Claromarisco à me » impetrasse dicebantur, ne aliqua in pos- » terum Ecclesiæ sancti Bertini per hoc in- » juria irrogari possit, per præsens scrip- » tum derogandum esse censeo, & privile- » gium prædicti Roberti prædecessoris mei, » ut fratres Ecclesiæ sancti Bertini pro me » & uxore mea semper orare debeant, præ- » sentium auctoritate reconfirmo. Actum » anno Domini M. CC. II. VIII. Idus Apri- » lis.] Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XII. Kalend. Decemb. anno decimo.

ELECTO MORINENSI, ET Præposito Vvattenensi, & Decano sancti Audomari Morinensis diocesis.

Epist. 167. Confirmatur concordia inita inter monasteria sancti Bertini & de Claromarisco.

EX parte dilectorum filiorum sancti Bertini & Claromarisci Abbatum & conventuum nostro fuit apostolatui supplicatum ut quandam compositionem super quodam marisco & querelis in litteris compromissionis expressis inter eos initam & certa pœna firmatam apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, per censuram ecclesiasticam faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, reducentes in statum debitum quicquid præter formam compromissionis præscriptæ inveneritis illicitè attentatum. Nullis litteris veritati &c. Quòd si non omnes &c. tu, fili electe, cum eorum altero &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Idibus Decembris anno decimo.

PRIORI ET CONVENTVI Dunelmensi.

Epist 168. Conceduntur eis privilegia.

SAcrosancta Romana Ecclesia, quæ omnibus se favorabilem exhibet & benignam, in iis quæ à rationis tramite non discordant illos consuevit suæ defensionis clypeo specialiter communire in quos perversorum calumnia noscitur debachari. Cùm igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, Archiepiscopi & Episcopi in quorum diocesibus possessiones habetis, in vos, Ecclesias, & homines vestros interdum excommunicationis & interdicti sententias proferant pro suæ arbitrio voluntatis, nos tranquillitati vestræ volentes paterna sollicitudine præcavere, auctoritate præsentium inhibemus ne aliquis Archiepiscopus vel Episcopus in vos vel Ecclesias vestras sine manifesta & rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententias promulgare præsumat. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

DECANO BELNENSI.

Epist. 169. Simoniam committit qui bona sua legat

TVa nos duxit discretio consulendos, si quis alicui Ecclesiæ de bonis suis quædam obtulerit petens ut in vita sua

Ecclesiæ ea conditione ut in ea præbendam obtineat. *Cap.* Tua nos. *De simonia.*

sibi liceat eadem bona in ipsa Ecclesia pro præbenda tenere, an bona recipi debeant sic oblata, & idem Clericus assumi valeat in Canonicum ejusdem Ecclesiæ absque vitio simoniæ. Nos igitur devotioni tuæ taliter respondemus, quòd si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona sua, ut illa postmodùm pro præbenda retineat, & ut in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cùm in talibus omnis pactio ac conventio cessare debeant juxta canonicas sanctiones. Si verò purè ac sine pacto & conditione qualibet offerat aliqua bona sua, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur, & ut bona ipsa in vita sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant, hujusmodi receptio proculdubio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licèt autem taliter duxerimus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare, si tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille quàm isti apud districtum judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum III. Non. Decemb. an. x.

EPISCOPO ET DECANO Silvanectensi, & Abbati de Chaslis Silvanectensis diœcesis.

Epist. 170. De jure Abbatis Carrofensis in monasterio Andrense. *Vide to. 9. Spicil. Dacher. pag. 564. 567. 568. 573. & cap.* Cùm dilectus *De consuetud.*

CVm per privilegium felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, quod nobis olim præsentatum inspeximus, dilectis filiis Priori & conventui sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudæ Andrensis monasterij sit concessum ut ejusdem cœnobij obeunte Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres vel eorum pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam duxerint eligendum, ad petitionem eorundem Prioris & conventus ipsis super hoc nostras litteras concedentes, curavimus districtiùs inhibere ne quis super eadem concessione temerè ipsos impetere vel molestare præsumat, sed liceat ipsis & successoribus suis nunc & amodo, cùm Ecclesiam Abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio suo vel aliunde per regularem electionem sibi præficere in pastorem, Karrofensi monasterio humiliter præsentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, & reverentiam ei quam debet impendat. Nuper autem nuntius Karrofensis Ecclesiæ ad præsentiam nostram accedens sua nobis insinuatione monstravit quòd locus in quo Andrensis Ecclesia est fundata, ex quo primò monachos habuit, fuit in eleemosynam concessus Ecclesiæ Karrofensi, & ejus diù extitit prioratus, sed tandem ad petitionem illius qui eleemosynam fecerat sustinuit quòd fieret abbatia & pleno jure subesset eidem & semper Abbatem postularet ac reciperet de monasterio memorato. Quæ utique institutio per plures Romanos Pontifices extitit confirmata. Ceterùm tempore prædicti Alexandri prædecessoris nostri nulla de prædictis omnibus habita mentione, ut personam idoneam regulariter sibi possent præficere in Abbatem, ab eo dictum meruerunt privilegium obtinere, nec tamen sunt hactenus illo usi. Nunc autem ad aliam * Ecclesiam eorum Abbate translato, nisi sunt in fraudem à Karrofensi Ecclesia impetrare ut semel tantùm de suis eligerent & electum Ecclesiæ præsentarent; pro quo non parvam pecuniam tam ipsi Abbati quàm monachis & novos Ecclesiæ redditus offerebant. Sed cùm eorum petitio nullatenus fuisset admissa, & bonæ mem. Morinensis Episcopus sub excommunicationis pœna præcepisset eisdem ut infra certos dies eligerent, sicut consueverant, de monasterio Karrofensi, & Abbas nostram audientiam appellasset, & posuisset terminum, ne quid circa electionem faciendam de antiqua & approbata consuetudine immutarent, iidem tacitis omnibus supradictis prædictam inhibitionem impetrarunt à nobis, & antequam impetrassent eandem, nihilominus elegerunt. Præterea nobili viro Comiti de *Vines, in cujus sunt dominio, concesserunt, eidem super hoc litteras Capituli conferentes, ne de cetero possent eligere sine ipso, & sic bona Ecclesiæ donis & oblationibus distrahunt & attentant plurima quæ vix poterunt revocari. Quia verò super his nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint evocandi, inquiratis super præmissis omnibus diligentiùs veritatem, & si de partium processerit voluntate, causam ipsam appellatione remota

* id est, ad Ecclesiam Hamensem.

* Gines.

fine canonico terminetis. Alioquin quæ inveneritis redigentes in scriptis, eadem nobis sub sigillis vestris inclusa mittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Testes autem &c. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudic. &c. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Decembris anno decimo.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epist. 171. De auctoritate Metropolitanorum, & appellatione. Vide Lect. De jud. ord.

LIcèt in corrigendis excessibus juxta canonicas sanctiones appellationis sit diffugium intercluſum, & ideo venerabilis frater noster Parisiensis Episcopus à nobis acceperit in mandatis ut tam circa monachos & alios viros religiosos quàm etiam Clericos seculares suæ jurisdictioni subjectos, qui multa gravia committere proponuntur quæ cedunt non solùm in animarum dispendium, sed etiam in scandalum plurimorum, inquirat & corrigat appellatione remota quæ viderit corrigenda, statuens ad reformationem eorum quod regulare fuerit & honestum, quia tamen intentionis nostræ nec fuit nec esse debuit jurisdictioni tuæ per mandatum hujusmodi derogare, auctoritate præsentium duximus declarandum quòd si forsitan in inquisitionibus ab eodem Episcopo, non tamquam delegato, sed tamquam ordinario, faciendis aliquis casus emerserit in quo licitum sit ad sedem metropoliticam appellare, prædicti occasione mandati auctoritati tuæ quò minùs ad te tamquam ad Metropolitanum appellari valeat nolumus aliquatenus derogari. Tu tamen nec impedias per te ipsum, nec per alios facias impediri, quò minùs idem Episcopus in corrigendis excessibus subditorum officij sui debitum exequatur; & si forsan in casu concesso ad te fuerit appellatum, in appellationis causa prudenter & justè procedas. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kal. Ianuarij anno decimo.

WIGORNIENSI, HELIENSI & Herefordensi Episcopis.

Epist. 172. De negotio Archiepiscopi Eborac. & Episcopi Dunelmensis. Vide lib. 11. epist. 87.

AD Regalis celsitudinis auditorio non est ita lectio divinorum librorum, sicut credimus, aliena quin Herodem Regem misisse manum suam, ut affligeret quosdam de Ecclesia, Lucam audierit recitare. Cujus utinam detestanda memoria carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Regem Anglorum illustrem commoveat, ut quod religioso judicio damnare debet in illo, maturiori consilio corrigat in seipso. Pervenit siquidem ad nos clamor, & in plurimas mundi partes non absque regiæ famæ detrimento percurrit, quòd pravo seductus consilio manum suam in Ecclesiam extendere non expavit, & venerabilem fratrem nostrum Eboracensem Archiepiscopum multipliciter affligendo, mobilia & immobilia sua bona diripi ac invadi & à suis exactiones gravissimas per apparitores fecit tam impios extorqueri qui & corpora resistentium sibi caperent & bona nihilominus confiscarent, ac tandem eodem Archiepiscopo cum Episcopo Dunelmensi super hoc flexis sibi genibus supplicante, oblitus regiæ mansuetudinis, deprecationem ipsorum immo venerationem creatoris in ipsis despexit. Cùm igitur ejus exemplo nos deceat pro terræ mansuetis arguere qui servis suis nocere hominem non permisit ac Reges corripuit pro eisdem, serenitatem regiam rogandam duximus attentiùs & monendam ut quæ sunt digna Rege recogitans, præfato Archiepiscopo ac suis & Ecclesiæ, immo Deo, tam plenam quàm debitam satisfactionem faciat exhiberi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictum Regem, nostras ei litteras præsentantes, quas super hoc destinamus eidem, prudenter moneatis ad id & efficaciter inducatis. Alioquin, quantumcunque ipsum in Christi visceribus diligamus, regioque velimus honori deferre, quia nos libertati ecclesiasticæ non oportet propter humanum deesse favorem, quam Dominus noster Iesus Christus suo sanguine comparavit, volumus & præcipimus ut nisi ad commonitionem vestram adimpleat quæ præmisimus, totam Eboracensem provinciam supponatis ecclesiastico interdicto, & illud faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; contradictores appellatione postposita per censuram ecclesiasticam compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XV. Kal. Ianuarij, anno decimo.

I. DE LONGOCAMPO Rothomagensi Archidiacono.

Epist. 173. Ei infirmo cõceduntur procuratores.

CVm secundùm Apostolum nos oporteat cum infirmantibus infirmari, sperans in nostra compassione tuæ passionis solatium invenire, nobis humiliter intimasti quòd cùm gravi debilitate corporis

quandoque turbatus tractare res tuas minùs utiliter consueveris, parentes tui te sub simulatione tutelæ occasione infirmitatis hujusmodi tenere aliquotiens præsumpserunt, ut bona tua sibi possent liberiùs vindicare. Vnde cùm per quosdam ex parentibus ipsis alienatio tuorum reddituum fuerit attentata, licèt incolumitate potiaris ad præsens, metuens tamen ne quod nonnunquam accidit, iterum valeat evenire, à nobis suppliciter postulasti ut dilectos filios de Gresten & de Ardenna Abbates & Priorem sanctæ Barbaræ tibi procuratores concedere dignaremur. Nos igitur attendentes quòd infirmioribus membris propensiori nos decet studio pietatis adesse, prædictos tibi procuratores duximus deputandos, auctoritate præsentium districtiùs inhibentes ne quis sine ipsorum assensu tenere te audeat vel bona tua seu redditus tuos quoquo modo damnoso tractare. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Idus Decemb. anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI Karrofensi.

Epist. 174. De confirmatione privilegiorum.

SOlet annuere &c. *usque* assensu. Ius quod in abbatia Hamensi noscimini obtinere, Ecclesiam sanctæ Christinæ de Beureria, Ecclesiam sancti Vedasti de Eka, & Capellam sancti Petri, & jus quod habetis in decima parrochiarum Beureriæ & Ekæ, terras, domos, decimas, homines, redditus, & alia quæ in eisdem parrochiis & apud Gotnay, Vendin, Sevebenghe, Hersin, Hesdinol, Nod, Wandericurt, Werkin, Seins, Belgin, Bruay, Ruth, Pernes, Perti, Tungri, Pinkeneham, Chokes, Rosbeccam, Meternes, Enesim, & Blessy obtinetis, Ecclesiam sancti Leodegarij Aloanniæ, Capellam de Losinghehem, & decimam nutrimentorum prædictarum villarum Aloanniæ ac Losinghehem, & terras, prata, redditus, homines, & totam justitiam præfatæ villæ Aloanniæ. quæ omnia sunt in diocesibus Atrebatensi & Morinensi. In episcopatu Ambianensi villam Bovereces cum Ecclesia, terris, silva, decima, & omni dominio, jus personatus Ecclesiæ, & tertiam partem decimæ totius parrochiæ de Formeries. In archiepiscopatu Remensi villam dominicam cum Ecclesia parrochiali, Capella, decimis, terris, vineis, domibus, hominibus, redditibus, & pratis; Ecclesiam sanctæ Eufrasiæ cum terris, decimis, & aliis justitiis vestris quas in ipsa parrochia possidetis, decimam de Corlandin, & quæ habetis in villa de Besaines, & quicquid dominij & justitiæ, census & redditus in prædictis parrochiis & in pertinentiis earum habetis. In episcopatu Belvacensi villam Fraxineti cum Ecclesia, decima, terris, vineis, hominibus, redditibus, & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam & quartam partem totius villæ ac parrochiæ & communis justitiæ atque dominij & omnium eventuum & forisfactorum de Audencort, omnem terram Renaudi Bugin, & medietatem terrarum campestrium, & omnem decimam omnium terrarum quæ sunt de tenimento Dominorum de Audencort, & medietatem totius terragij tenimenti ejusdem, & quartam partem totius terræ dominij & justitiæ de Bellencurt, sicut ea omnia juste ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostæ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Idus Decemb. anno decimo.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 175. De confirmatione privilegiorum.

IDeo sumus ad universalis Ecclesiæ regimen, licèt insufficientibus meritis, providentia supernæ dispositionis assumpti ut circa universum corpus Ecclesiæ aciem debeamus nostræ considerationis extendere & fratribus & coepiscopis nostris, tam iis qui propè sunt quàm qui longè, apostolicum suffragium exhibere, ne alicui propter remotionem locorum apostolicæ sedis desit providentia vel tutela. Ea propter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam sancti Andreæ, cui auctore Domino præesse dinosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsenti justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In Fifh, Kilrimund, cum tota

tota Shira, Derveisin, Vhtredinunesin, insulam Iohlevenoh cum appendiciis suis, Munemel, Terineth, Morcambus, Methkil, Kilecincath, Muccard, Pethgob, cum terris Ecclesiarum, Strathteihten, Resolpin, Cas, Dulbrudet, Russin, Losse, & juxta Pert Lungportin. In Maret Buhhan, Munemusch, Culsamuel, Elon, cum terris Ecclesiarumsuarum & omnibus pertinentiis suis. In Laodonia Listune, Eggleſmanekin, Keldeleth, Raththen, Lessuade, Wedale, Clerkintun, Thiningan cum appendiciis suis, Broccheſmuthe. Possessiones autem & redditus qui sunt in Can & Cunevet ad mensam Episcopi deputati, sicut eos in præsenti justè ac canonicè possides, tibi & successoribus tuis auctoritate apostolica nihilominus confirmamus. Insuper etiam præsenti pagina tibi duximus indulgendum ut possessiones & bona commissæ tibi Ecclesiæ, si qua illicitè alienata sunt vel distracta, tibi liceat legitimè revocare. Liceat quoque tibi in Ecclesia sancti Andreæ, cùm Priore vacaverit, eum sine contradictione qualibet instituere, sicut hactenus prædecessores tui & tu ipse fecistis, & ipsius excessus, si quando excesserit, dignè corrigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia illibata & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XII. Kal. Ianuarij Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVI. pontificatus verò Domini Innocentij PP. III. anno decimo.

PHILIPPO REGI Francorum illustri.

Epist. 176. De causa divortij.

AB eo credimus processisse in cujus manu cor Regis existit, & quocunque voluerit vertit illud, quòd, sicut per dilectum filium Iohannem Abbatem sanctæ Genovefæ, virum providum & fidelem, ac etiam per litteras tuas nobis intimare curasti, ad Reginam disponis accedere, tentaturus utrum eam cognoscere possis, dummodò per hoc nullum tibi vel causæ tuæ præjudicium generetur, si forsan eam cognoscere non valueris, duos articulos exprimens, quos nunc explicare non expedit, in quibus tibi asseris providendum. Oportet utique, fili carissime, quòd si volueris maleficium contra conjugium intentare, cum timore Domini ad Reginam accedas, & adhuc tentes diligenter ex fide, præmissis orationum, eleemosynarum, & sacrificiorum suffragiis, utrum cum ea carnale commercium valeas exercere, ut cognoscatur ex hoc an ipsum maleficium sit solutum. Nos enim cupientes te, quantum cum Deo possumus, expedire, præsentibus tibi litteris intimamus quòd si forsan illi nequiveris carnaliter commisceri, nullum per hoc tibi vel causæ tuæ volumus præjudicium generari, quamvis in altero illorum duorum articulorum nos utique quoad jus bene tibi providere possimus, in reliquo verò tu tibi melius quoad factum valeas præcavere. Si ergo permissum non fuerit ut cum ipsa Regina possis fieri una caro, & super impedimento maleficij volueris experiri, nos, cùm requisiti fuerimus, ad judicium procedemus, sine quo profectò non prævales ab hoc vinculo liberari. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

COLOCENSI ELECTO.

Epist. 177. Confirmatur electio ejus.

QVoniam juxta canonicas sanctiones multa nonnumquam electionem impediunt quæ postulationem impedire non debent, cùm secundùm rigorem juris procedatur in illa, sed in ista favor gratiæ potiùs requiratur, electionem quam de te dilecti filij Colocenses Canonici fecerant, licèt pro confirmatione ipsius apud nos precibus multiplicatis institerint, propter defectum tamen ætatis, quem eo tempore ampliùs sustinebas, exigente justitia non duximus confirmandam. Quia verò te

nuper à nobis humiliter postularunt propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem quæ de tua speratur promotione futura, te, cui & morum honestas & competens scientia, sicut credimus, suffragatur, Colocensi Ecclesiæ concedendum duximus in pastorem, prædictis Canonicis nostris dantes litteris in præceptis ut postquam dilectus filius Gregorius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus quod est à nobis dispositum ipsis denuntiaverit observandum, tibi tamquam pastori suo à nobis concesso & confirmato tam in spiritualibus quàm temporalibus obedire procurent. Ne verò dispositionem nostram frustrari contingat, devotioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si forsan aliquo casu denuntiari nequiverit quod per prædictum Legatum denuntiari mandamus, tu nihilominus auctoritate præsentium, tamquam concessus & confirmatus à nobis, in Colocensi provincia pastoris officium exequaris. Datum Romæ apud sanctum Petrum 1 x. Kal. Ianuarij, anno decimo.

ABBATI SANCTI HILARII, Plebano sancti Pauli Castellanensis diocesis, & magistro Gallo Canonico Tervisino.

Epist. 178. Committitur eis executio cujusdam sententiæ. *Cap.* Ex literis. *De offic. jud. delegati.*

EX litteris venerabilis fratris nostri Patriarchæ Gradensis accepimus quòd cùm dilectus filius Gradensis Primicerius & Plebanus sanctæ Sophiæ de Venetiis, quibus causa quæ inter Clericos sanctæ Iustinæ ac Presbyterum Albertum, super eo quod idem Presbyter Clericum se ipsius Ecclesiæ asserebat, agitari dinoscitur, à nobis fuerat delegata, mandassent eisdem ut memoratos Clericos, qui per Archipresbyterum Paduanum, ad quem fuerat super eodem negotio quoddam à nobis rescriptum obtentum, in quo, sicut asseritur, de prioribus litteris mentio non fiebat, denuntiati fuerant excommunicationis sententiæ subjacere, nisi dictum Presbyterum in socium reciperent & in fratrem, idem Patriarcha denuntiaret anathematis vinculo non ligatos, ipse volens eisdem judicibus in hac parte parere, qui nostra fungebantur auctoritate, maximè cùm venerabilis frater noster Castellanensis Episcopus ipsis super hoc parendum non duxerit requisitus, Clericis sanctæ Mariæ formosæ mandatum supradictorum judicum per suas litteras nuntiavit, quas dilectus filius Archidiaconus Castellanensis, Plebanus ejusdem Ecclesiæ, legi publicæ coram populo non permisit. Cùmque super hoc paucis diebus elapsis apud sancti Nicolai monasterium ab eodem Patriarcha benignè fuisset idem Archidiaconus requisitus, in iram subitò concitatus, eundem Patriarcham gravibus verborum injuriis multis præsentibus lacessivit. Qui considerans Archidiaconum ipsum per tantum injuriarum excessum non se tantummodo, sed etiam Gradensem Ecclesiam, immo nos ipsos graviter offendisse, tam ipsum Archidiaconum quàm prædictam Ecclesiam ecclesiastico suppositio interdicto, ea præcipuè ratione quoniam ex antiqua consuetudine, sicut dicitur, est obtentum ut litteræ quæ per patriarchatum Gradensem à Patriarchis Gradensibus diriguntur, indifferenter ab omnibus admittantur. Verùm ad instantiam Clericorum & parrochianorum Ecclesiæ supradictæ, quoad ipsam Ecclesiam Patriarcha interdicti sententiam relaxavit, sub excommunicationis pœna Clericis eisdem injungens ne Archidiacono participare præsumerent in divinis. Cùm autem Patriarcha jam dictus cum præfato Episcopo ad monasterium sanctæ crucis pro celebrandis cujusdam exequiis accessisset, & Archidiaconus se vellet divinis officiis immiscere, Patriarcha pro vitando scandalo secessit in partem, propter quod Archidiaconus ipsum cœpit gravibus verborum injuriis aggravare. Idem quoque Archidiaconus, licèt à divinis per unius diei spatium cessaviſſet, postmodum tamen celebrare publicè non erubuit interdictus. Ad hæc, de sæpedicto Episcopo Patriarcha gravem deposuit quæstionem, quòd cùm sibi & Gradensi Ecclesiæ obedientiam teneatur & reverentiam exhibere, quamquam ei mandaverit ut præfatum Archidiaconum pro interdicto & Clericos sanctæ Mariæ pro excommunicatis haberet, & faceret excommunicationis & interdicti sententias ab ipso prolatas per Castellanensem diocesim inviolabiliter observari, idem Episcopus in injuriam Patriarchæ permittens Archidiaconum in Ecclesia Castellanensi liberè ministrare, Clericis suæ diocesis sub fidelitatis pœna præcipiendo mandavit ut per Ecclesias suas Archidiaconum & Clericos supradictos nec interdicti nec excommunicationis sententiæ subjacere publicè nuntiarent. Vnde idem Patriarcha nobis humiliter supplicavit ut tantam injuriam & excessum, necnon in ipsum, sed potiùs contra

sedem apostolicam tam ab Episcopo quàm Archidiacono attentatum castigare taliter curaremus ut resecaretur in aliis materia similia committendi. Dictus verò Episcopus per suas nobis litteras intimavit quòd cùm Patriarcha denuntiasset Clericos sanctæ Iustinæ anathematis vinculo non teneri, quos idem Episcopus priùs excommunicatos denuntiaverat, de mandato Archipresbyteri Paduani à nobis, sicut asseritur, judicis delegati occasione hujusmodi inter Patriarcham & Archidiaconum contentione suborta, Patriarcha ex commotione quadam Archidiaconum interdixit; quo ad appellationis beneficium convolante, Patriarcha in sæpedictam Ecclesiam interdicti sententiam promulgavit, nec satisfactionem oblatam ab Archidiacono super hoc recipere voluit nisi Archidiaconus ut ipsius pareret mandatis interposito juramento firmaret. Adjecit etiam idem Episcopus, quòd ipse timens ne prorumperet ad aliquid Patriarcha quod ad ipsius Episcopi vel Ecclesiæ seu Clericorum suorum præjudicium cederet vel gravamen, ad sedem apostolicam appellavit, nobis sollicitè supplicando ut Patriarcham à sui & Ecclesiæ suæ ac Clericorum & Ecclesiarum suæ diœcesis molestatione indebita compescere curaremus. Cùm igitur super præmissis & aliis inter utriusque partis procuratores fuisset coram dilecto filio Iohanne sanctorum Cosmæ & Damiani Diacono Cardinale, quem auditorem dederamus eisdem, aliquandiu litigatum, & ipse nobis quæ audierat fideliter retulisset, quia nobis constare non potuit an per litteras quæ ad Paduanum Archipresbyterum impetratæ dicuntur, cùm nobis ostensæ non fuerint, revocatæ fuerint litteræ ad prædictos Primicerium & Plebanum obtentæ, causam ipsam vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus inquisita super præmissis plenius veritate, nisi vobis constiterit quòd litteræ quæ secundo loco ad prædictum Archipresbyterum impetratæ dicuntur, de prioribus litteris ad sæpedictos Primicerium & Plebanum obtentis expressam fecerint mentionem, ut per secundas primæ appareant litteræ revocatæ, cùm primos judices auctoritate litterarum nostrarum jurisdictionem non sit dubium habuisse, quam potuerunt postmodum Patriarchæ quoad executionem suæ sententiæ demandare, ex qua coërtionem etiam idem Patriarcha recepit, cùm hujusmodi demandata jurisdictio delusoria videretur si subdelegatus hujusmodi coërtionem aliquam non haberet, interdicti sententiam ab eodem Patriarcha in supradictum Archidiaconum promulgatam, pro eo quòd ipse Patriarchæ prædicti executionem impediens, ejus litteras legi publicè non permisit, tamdiu faciatis sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari donec eidem Patriarchæ de injuriis irrogatis sufficienter fuerit satisfactum. Si verò constiterit primas litteras per secundas legitimè revocatas, cùm appareat primos judices jurisdictionem nullam penitùs habuisse, & ita constet per consequentiam Patriarcham ipsum non recepisse jurisdictionem vel coërtionem aliquam ab eisdem, prædictam interdicti sententiam ab eodem Patriarcha prolatam denuntietis irritam & inanem; nihilominus Archidiaconum supradictum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes ut pro verborum injuriis quas eidem Patriarchæ irrogare præsumpsit, satisfaciat competenter. Testes autem &c. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si non omnes &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XI. Kal. Ianuarij anno decimo.

Rectori & fratribus hospitalis sancti Spiritus in Saxia.

Epist. 179. Dantur eis indulgentiæ & privilegia. Vide Spondan. ad an. 1198. §. 17. *Vide appendicem hujus libri, & lib.* II. *epist.* 69. 104.

AD commemorandas nuptias salutares quæ in conversione peccatoris moraliter celebrantur inter spiritum hominis & gratiam conditoris, ex quibus affectus & actiones tamquam filij ac filiæ generantur, Dominica prima post octavas Epiphaniæ, quando illud legitur evangelium quod Iesus cum discipulis suis in Cana Galileæ, ubi mater ipsius erat, invitatus ad nuptias aquam convertit in vinum, solemnem apud hospitale vestrum instituimus stationem, in quo vos ex institutione nostra divino estis obsequio mancipati, ea potissimùm ratione quòd in illis nuptiis sex hydriæ secundùm purificationem Iudæorum fuisse narrantur. Et quidem in hoc hospitali, tamquam in Cana Galileæ, loco videlicet ubi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positæ sunt sex hydriæ, id est, sex opera misericordiæ instituta, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, & incarceratum adire, ad purificationem utique Iudæorum, ut per illa videlicet confitentes à

vitiis expientur. Istæ verò sex hydriæ usque ad summum implentur quando illa sex opera misericordiæ ad perfectum usque geruntur; & ex aqua fit vinum, cùm ex merito eleemosynæ vis accenditur caritatis. Quia verò Iesus cum discipulis suis ad has nuptias in Cana Galileæ, ubi mater ejus erat, legitur invitatus, idcirco rationabiliter instituimus ut effigies Iesu Christi à beati Petri basilica per ejusdem Canonicos ad dictum hospitale, ubi memoria gloriosissimæ matris ejus recolitur, infra capsam ex auro & argento & lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis qui ad has nuptias celebrandas devotè convenerint desiderabiliter ostendenda. Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum, concedimus, statuimus, & jubemus ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus & trecentis personis intus degentibus decem & septem libræ usualis monetæ, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab Eleemosynario summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur, & Canonicis supradictis, qui præscriptam effigiem salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi & cereus unius libræ qui deferatur accensus, de oblationibus confessionis beati Petri præstentur. Quia verò non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, debet huic stationi Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus interesse, ut & Missarum solemnia ibi celebret, & exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem, neve fidelis populus famelicus ab his nuptiis revertatur, præter materialem & doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de injunctis sibi pœnitentiis indulgendo. Monemus igitur & obsecramus successores nostros per Iesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, ut hanc institutionem, quæ, ipso teste, de pietatis fonte processit, faciant inviolabiliter observari; sub attestatione divini judicij prohibentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, constitutionis, & jussionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum III. Non. Ianuarij, anno decimo.

Ista totidem verbis confirmavit Honorius III. apud Raynald. ad an. 1223. §. 21.

Vide gesta Innoc III. cap. 144.

NIVERNENSI ET AVRELIANENSI Episcopis, & Abbati de Curia Dei Cistercienstis ordinis Aurelianensis diocesis.

Epist. 180. Pœna accusatoris, si in probatione defecerit.

SI consueta temeritas, quæ magis dicenda est corruptela, relinqueretur penitùs impunita, tergiversari volentibus libera præberetur audacia malignandi. Vt ergo justus lavet manus suas in sanguine peccatoris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi Petrus de Stampis Remensis Canonicus infra duos menses post denuntiationem sibi à vobis factam irregularitatem illam probaverit quã contra suum objecit antistitem, vos eum pro tantæ præsumptionis excessu, quem malitiosè commisit, præbenda Remensis Ecclesiæ spolietis, & faciatis eam idoneæ conferri personæ. Theobaldum verò de Pertico Remensem Archidiaconum, qui per eundem Petrum de arcu suo sagittam emisit, nisi percussum dejecerit, ab eligendi potestate quam habet, non solùm in Remensi Ecclesia, verùm etiam ubilibet in Remensi provincia, suspendatis, ut cognoscant in pœna quantum excesserunt in culpa. Datum Viterbij II. Non. Octob. anno decimo.

S. DECANO, ET CAPITVLO Senonensi.

Epist. 181. De confirmatione privilegiorum.

SOlet annuere &c. *usque* assensu. Antiquas & rationabiles consuetudines, immunitates & libertates vestras, seu etiam concessiones, præsertim à bonæ memoriæ Guidone Senonensi Archiepiscopo provide vobis factas, sicut in ipsius scripto authentico continetur, quod de verbo ad verbum inferiùs jussimus annotari, & vos ea justè ac pacificè possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Illo quippe capitulo, videlicet, *si aliquid in ordinem suum egerint, à nobis de pœnitentia tantummodo corrigantur*, de communi assensu tam venerabilis fratris nostri Petri Archiepiscopi vestri quàm tuo, fili Decane, Præcentoris & Cellararij & aliorum quorundam ex Canonicis vestris vobiscum pariter in nostra præsentia existentium sic exposito ut Archiepiscopus in spiritualibus, vos autem in temporalibus jurisdictionem super eosdem Presbyteros habeatis. Est autem tenor ejusdem authentici scripti talis. GVIDO Dei gratia Senonensis Archiepiscopus omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint in Domino salutem. Quoniam quæ in tempore fiunt necesse est

» transire cum tempore, restat ut quæ me-
» moriæ conservare volumus, ne oblivione
» depereant, scripturæ committamus, qua-
» tinus eodem internuntio in futuris tem-
» poribus ad posterorum notitiam possit
» pervenire. Notum sit igitur præsentibus
» & futuris quoniam boni & sancti patres
» Ecclesiarum super filios suos diligenter
» invigilant, & eisdem sustentandis & alen-
» dis necessaria beneficia misericordiæ &
» pietatis obtentu copiosè impendunt. Quod
» profectò non solùm in Ecclesia nostra,
» sed & in aliis per orbem Ecclesiis sancti
» Pontifices attendentes, diversis magnifi-
» centiæ suæ beneficiis erga filios suos col-
» latis piam sui memoriam ad posteros
» transmiserunt. Hujus rei gratia & nos pa-
» terno affectu animoque benigno carissi-
» morum filiorum nostrorum Senonensis
» Ecclesiæ Canonicorum preces suscepi-
» mus, & quamplures Ecclesias quas diver-
» sis temporibus beatæ memoriæ prædeces-
» sores nostri eidem conventui contulerunt,
» & quas tempore nostro ipsis concessimus,
» ut eas in perpetuum habeant, in pace
» possideant, quas videlicet Ecclesias pro-
» priis duximus vocabulis exprimendas,
» Deo auctore concedimus & sigilli nostri
» auctoritate roboramus. Ecclesiam scilicet
» de Amorra, Ecclesiam de Iolna, Eccle-
» siam de Braio, Ecclesiam de Moncellis,
» Ecclesiam de Moïsio, Ecclesiam de Broi-
» sola, Ecclesiam de Valonessa, Ecclesiam
» de Compiniaco cum Capella de Monti-
» niaco, Ecclesiam de Eurio, Ecclesiam de
» Ponte-firiaco cum Ecclesia sancti Ægidij
» de Nemore cum appendiciis suis, salvo
» jure sancti Iohannis Senonensis. Eccle-
» siam de sancto Albino cum Capella de
» Melers, Ecclesiam de Curia Monunculi,
» Ecclesiam de Sociaco, Ecclesiam de san-
» cto Martino, Ecclesiam de Gumerio,
» Ecclesiam de sancto Hilario infra muros
» urbis, Ecclesiam sancti Mauritij inter
» duos pontes, Ecclesiam de Frateio cum
» Capella de Cantugalli, Ecclesiam de
» Amiliaco, Ecclesiam de Daimonte, Ec-
» clesias de Brueria cum Capella sancti
» Victoris, Ecclesiam de Borovilla, Eccle-
» siam de Roëmvillari & de Nangevilla,
» Ecclesiam de Villerario, Ecclesiam de
» Taloan cum Capella sancti Nicolai de
» Villanova super Equanam, Ecclesiam B.
» Mariæ ejusdem Villænovæ, Ecclesiam de
» Dimone, Ecclesiam de Lorriaco, Eccle-
» siam de Allento, Ecclesiam de Bosco
» Regis, Ecclesiam de Chanquolla, Eccle-
» siam de Castellariis cum Capella sanctæ
Getninæ, & cum Capella de Escrevis, «
Ecclesiam de Malleio Vicecomitis. Præ- «
sentationes etiam Presbyterorum in præ- «
fatis Ecclesiis Capitulo concedimus; qui «
medietatem beneficiorum vel quantum «
inter eos rationabiliter compositum fue- «
rit per sacramentum eidem Capitulo per- «
solvent & ab omni exactione, collecta, «
& hospitiis, circadis etiam & synodis, & «
ab omni submonitione & justitia tam Ar- «
chidiaconorum quàm Archipresbytero- «
rum penitùs sint immunes. Porrò si ali- «
quid in ordinem suum egerint, à nobis «
de pœnitentia tantummodo corrigantur. «
Concedimus etiam illis in omnibus præ- «
fatis Ecclesiis, & in illis quæ in posterum «
illis conferentur, succursum, quotiescun- «
que contigerit Ecclesias vacare. Præterea «
concedimus eis plenitudinem potestatis fa- «
ciendi & exercendi justitias in malefacto- «
ribus suis laicis, nisi homines nostri fue- «
rint, & in Presbyteris suis, quantum ad «
ipsos pertinet. Notandum verò quòd «
duas præfatas Ecclesias, Ecclesiam vide- «
licet de Allento, Ecclesiam de Chan- «
quolla, nomine cujusdam præbendæ quam «
in Ecclesia Senonensi constituimus, Ca- «
pitulo concessimus & donavimus, inhi- «
bentes ne fructus prædictarum Ecclesia- «
rum in alios usus quàm illius præbendæ «
expendantur. Ecclesiam verò de Bosco «
Regis illis donavimus. Ipsi verò ad peti- «
tionem nostram associaverunt in minutis «
partitionibus quatuor Canonicos qui de- «
bent esse Presbyteri, quos constituimus «
ad altare beati Petri in Ecclesia Seno- «
nensi, ita quòd duo illorum tantundem «
percipient in minutis partitionibus quæ «
fuerint in Choro quantum unus de majo- «
ribus Canonicis. Ecclesiam verò de Cas- «
tellariis illis donavimus; & ipsi nobis con- «
cesserunt quòd post obitum nostrum cen- «
tum solidos Parisienses in die anniversa- «
rij nostri singulis annis distribuent, ita «
quòd Clerici non Canonici tantundem «
percipient duo quantum unus de majori- «
bus Canonicis. Actum Senonis in Capi- «
tulo publicè, astantibus ejusdem Ecclesiæ «
personis, Salone Decano, Hugone Ar- «
chidiacono, Stephano Thesaurario, Gau- «
frido Præcentore & Vastinensi Archidia- «
cono, Haicio Cellarario & Pruvinensi «
Archidiacono, Simone Meludunensi Ar- «
chidiacono, Hugone Stampensi Archi- «
diacono, Iacquino, Rogerio, Galterio, «
Guidone Presbyteris & Canonicis, Gui- «
done, Odone, Reynaudo, Garnerio «
Diaconis & Canonicis, Ernaudo, Gau- «

» frido, Reinaudo, Anselmo, Nicolao, » Galterio, Nicolao, Girardo, Manasse, » Bartholomæo, Willelmo Subdiaconis & » Canonicis. Præterea cum supranominatis » Ecclesiis Ecclesiam de Varon eis similiter » confirmamus. In cujus rei testimonium » præsentem paginam scribi fecimus & sigilli » nostri auctoritate roborari. Actum anno » verbi incarnati MCLXXXVII. Data per » manus magistri Petri Cancellarij nostri.] Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Non. Ianuarij anno decimo.

TVRONENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 182. Ei committitur causa adversùs Episcopum Petragoricensem.

AD hoc in Ecclesia Dei est, ipso disponente, tua promotio procurata ut opportunus sis nostri ordinis coadjutor, in iis maximè quæ in ea salubrem correctionem exposcunt; circa quod tanto te domus Domini credimus zelo comedi quòd divinum amorem mundano prorsùs præferendo favori, nunquam debeas in iis quæ tuæ providentiæ committuntur à via rectitudinis declinare. Olim siquidem gravis clamor ad aures nostras de Episcopo Petragoricensi pervenit, quòd præter multa gravia & enormia quæ de ipso publicè dicebantur, usque adeo erat negligens & inutilis circa officium pastorale ut non solùm ad instar infœcundæ ficulneæ terram inutiliter occuparet, verùm etiam ex ipsius defectu gregi sibi commisso multiplex periculum immineret. quod ipse fortassis intelligens, per nuntium suum à nobis petiit licentiam resignandi; sed tandem carne spiritum retardante, cedendi sibi facultate concessa, cedere non curavit. Cùm autem eo noviſsima sua pejora prioribus faciente, clamor non deficeret, sed graviùs invalesceret contra ipsum, venerabili fratri nostro Bituricensi Archiepiscopo & dilecto filio Priori Grandimontensi dedimus in præceptis ut eum inducerent ad cedendum; alioquin per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ut infra tres menses post susceptionem litterarum nostrarum apostolico se conspectui præsentaret. Qui, sicut nobis per suas litteras intimarunt, cùm eum ad id diligentiùs monuissent, ac ipse post elapsum spatium trium mensium monitioni non acquievisset eorum, demum ipsum suspensionis sententia perculerunt. At ille post aliquantum temporis intimavit eisdem quòd iter arripuerat ad sedem apostolicam veniendi, sed ita eum in via quartana febris invasit quòd sine periculo corporis cœptum iter non poterat consummare; & sic illicentiatus ab eis ad Petragoricensem Ecclesiam est reversus; ubi, sicut asseritur, post latam sententiam suspensionis in eum beneficia multa dedit, & de bonis ipsius non pauca distraxit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus universas beneficiorum seu quorumcunque bonorum Ecclesiæ concessiones aut distractiones ab eodem Episcopo sic suspenso inveneris esse factas, studeas legitimè revocare, illos qui se temerè duxerint opponendos remoto appellationis obstaculo per ecclesiasticam cohibendo censuram, & inquisita diligentiùs veritate, si constiterit ipsum, quin potiùs, ut ita dixerimus, talem à nobis cedendi licentiam postulasse, ne cum uxore Loth videatur retro respicere in salis statuam convertendus, ad cedendum, si commonitus cedere fortè noluerit, eum sublato appellationis impedimento compellas. Quòd si de hoc tibi constare nequiverit, cùm de insufficientia & inutilitate sua tibi possit plenè liquere, ipsum ab administratione Petragoricensis Ecclesiæ appellatione postposita removere procures, & ei facias per electionem canonicam cum consilio tuo de persona idonea in Episcopum provideri. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles quò minùs mandatum apostolicum impleatur, à sua præsumptione appellatione postposita ecclesiastica districtione compescens. Datum Romæ apud sanctum Petrum VII. Idus Ianuarij, anno decimo.

CANONICIS ECCLESIÆ SANCTI Bartholomæi Mediolanensis.

Epist. 183. Confirmatur concordia.

DIlectis filiis D. monasterij sancti Dionysij Syndico & Iacobo Ecclesiæ vestræ procuratore in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum Benedictum tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem ipsis concessimus auditorem. Coram quo procurator proposuit memoratus quòd cùm in dicta Ecclesia sancti Dionysij per multum temporis spatium Clerici fuerint seculares, bonæ memoriæ Aribertus Mediolanensis Archiepiscopus de ipsa Ecclesia monasterium faciens, Abbatem ibidem instituit & duodenarium numerum monachorum; omni nihilominus jure servato quatuor Canonicis, quos in eadem Ecclesia tunc invenit. Licèt autem diutiùs postmodum in eodem loco tam monachi quàm seculares Canonici ministrarint, iidem tamen

Canonici se ad Ecclesiam vestram, quam fundaverant in quodam prædio quod à G. medico emerant transferentes, electionem fratrum & rerum administrationem liberam in eadem Ecclesia multis temporibus habuerunt, prædicto monasterio nulla prorsùs servitia exhibentes. Verùm emergente postea inter vos ex una parte ac Abbatem memoratum sancti Dionysij super electione Canonicorum Ecclesiæ vestræ & quibusdam aliis articulis scrupulo quæstionis, bonæ memoriæ Philippus Mediolanensis Archiepiscopus super eadem causa contra vos diffinitivam sententiam promulgavit. Propter quod ad sedem apostolicam appellastis. Cùmque fuisset eadem causa G. quondam Parmensi Archidiacono de utriusque partis voluntate commissa, & in eundem tam à partis vestræ procuratore quàm Abbatis & syndici monasterij postea compromissum, idem Archidiaconus causam ipsam per arbitrium terminavit. Verùm quia successor ejusdem Abbatis contra prædictum arbitrium venire præsumpsit, vos ad magistrum Guidottum Decumanorum Canonicum nostras litteras impetrastis: qui de causæ meritis certus effectus, prædictum arbitrium confirmavit, & Abbati sancti Dionysij ex parte nostra præcipiens ne contra ipsum arbitrium venire præsumeret, omnino cassavit quicquid contra illud reperit attentatum. Quam sententiam idem Abbas humiliter approbando, coram eodem magistro promisit se velle firmiter observare universa capitula in eodem arbitrio comprehensa. Idem quoque arbitrium per sententiam dilecti filij Abbatis sancti Abundij & Archipresbyteri de Grabadone, quibus eadem fuit causa commissa, extitit postmodum confirmatum. Vnde procurator prædictus petiit ut sententiam ipsam confirmare auctoritate apostolica dignaremur, & faceremus prædictum arbitrium inviolabiliter observari. Præfatus verò syndicus proposuit ex adverso quòd cùm prædictus Aribertus Archiepiscopus memoratum monasterium sancti Dionysij construxisset, instituit ut inibi ordo monasticus servaretur. Quod O. successor ipsius postea confirmavit. Arnaldus quoque quondam Abbas ejusdem loci sæpedictam Ecclesiam vestram sancti Bartholomæi in ipsius monasterij prædio construendo dinoscitur statuisse ut ipsa Ecclesia subjecta esset in omnibus monasterio memorato, & ejusdem dispositio ac provisio ad idem monasterium plenariè pertineret. Vnde cùm quidam Abbas ipsius loci auctoritate propria quendam Clericum S. nomine in vestra Ecclesia ordinasset, & idem à quibusdam Canonicis Ecclesiæ vestræ tractus fuisset in causam, eò quòd sine ipsorum conniventia fuerat ordinatus, V. quondam Mediolanensis Archidiaconus, qui de causa ex delegatione A. tunc Mediolanensis Archiepiscopi cognoscebat, dictum S. Clericum à vestra impetitione absolvit. Cùm autem inter Abbatem sancti Dionysij & vos super electione Canonicorum Ecclesiæ vestræ & quibusdam aliis capitulis quæstio moveretur, Philippus quondam Archiepiscopus Mediolanensis, qui de ipsa controversia cognoscebat, contra vos sententiam protulit super propositis capitulis universis. Verùm cum in prædictum Parmensem Archidiaconum, cui eadem fuerat causa commissa, fuisset postea minùs legitimè compromissum, idem Archidiaconus contra monasterium iniquum arbitrium promulgavit; quod per dilectos filios Priorem de Foncella & Baldoinum Canonicum de Brivio, qui auctoritate sedis apostolicæ de ipso negotio cognoscebant, fuit postea reprobatum, cùm major pars monachorum monasterij supradicti in ipsorum præsentia præstito juramento firmaverit quòd transactio facta per arbitrium supradictum in læsionem monasterij facta fuit, & quòd nec transactionem nec arbitrium approbarant. Quare dictus syndicus postulavit ut eodem arbitrio reprobato, dignaremur sententiam dicti Prioris & sui conjudicis confirmare. Cùm igitur super iis & aliis fuisset coram Cardinali prædicto aliquandiu litigatum, & ipse nobis quæ audierat fideliter retulisset, nos utriusque partis rationibus intellectis, & inspectis scriptis authenticis quæ ad probandum hinc inde proposita pars utraque duxerat exhibenda, quia nobis constitit supradictum arbitrium per Archidiaconum Parmensem latum, in quem fuerat compromissum à partibus, in præsentia prædicti magistri Guidotti ab utraque parte pariter approbatum, nos ipsum arbitrium approbantes, illud auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut si quid contra tenorem ipsius temerè fuerit attentatum, careat robore firmitatis. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Idus Decemb. anno decimo.

CAPITVLO SIGNINO.

Epist. 184. Confirmatur electio Episcopi.

AD nostram præsentiam accedentes dilecti filij Archipresbyter & ....Canonici Signini ex parte vestra nobis humiliter supplicarunt ut electionem de I. à vobis concorditer celebratam auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Nos igitur electionem ipsam secundùm Ecclesiæ Romanæ consuetudinem examinari diligentiùs facientes, comperimus quòd nec obitus bonæ memoriæ .. Episcopi vestri nobis fuerat intimatus, nec à nobis, prout fieri debuit, eligendi licentia expetita, & quòd etiam adhuc vivente ipso Episcopo quosdam præsumpsistis temerè nominare qui super electione futuri antistitis scrutarentur omnium voluntates contra canonicas sanctiones, spretis nihilominus quibusdam Canonicis vestris apud sedem apostolicam constitutis. Insuper ne ipsorum aliquis posset in eadem Ecclesia promoveri, dictis examinatoribus, quibus potestatem eligendi Episcopum contulistis, callidè fuit mandatum à vobis quòd unum de iis qui tunc erant præsentes ad Ecclesiæ vestræ regimen evocarent. Vnde habito cum fratribus nostris diligenti tractatum, propter rationes prædictas electionẽ ipsam judicavimus irritam & inanem. Verùm quia paternum affectum quem ad Ecclesiam vestram habemus, offensi etiam deponere non valemus, cùm & persona censeatur idonea, & ad eam unanimitas vestri consensus aspiret, ipsum I. vobis, non ex electione vestra, sed auctoritate nostra concessimus in pastorem, mandantes eidem ut assumat Ecclesiæ vestræ curam, consecrationis munus per nos dante Domino recepturus. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO Senonensi.

Epist. 185. Vt finant Decanum manere per triennium in studio Parisiensi.

QVamvis de facili nos flectere non debeat acceptio personarum ad aliqua præter commune debitum concedenda, si tamen meritum alicujus id exigat, tanto faciliùs ei liberalitatis apostolicæ gratiam elargimur quanto de ipsius conversatione honesta & scientia litterarum evidentioribus conjecturis efficimur certiores. Hinc est quòd cùm dilectus filius S. Decanus vester, litteratura & moribus meritò commendandus, disponat per triennium Parisius commorari, ut infra idem spatium scholas in theologica facultate regendo & aliis & sibi proficiat, & nobis humiliter supplicarit quòd ibidem commorandi per tantum temporis sibi licentiam præberemus, ejus preces eò libentiùs duximus admittendas quò specialiùs pro eodem penes nos sua merita intercedunt, cùm ex hoc etiam Ecclesiæ vestræ commoda valeant provenire majora. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram dictum spatium ob hujusmodi causam ad morandum in scholis Parisius ei liberaliter concedatis, ipsum interim sacerdotalem recipere ordinem non cogentes; mandatum nostrum taliter audituri quòd gratum possimus habere pariter & acceptum. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Idus Ianuarij, anno decimo.

PATRIARCHÆ Ierosolymitano A. S. L.

Epist. 186. Super provisione archidiaconatus Antiocheni facienda idoneæ personæ.

DIlecto filio nostro Iohanne sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinale dilectis filiis magistro Iohanni & P. nuntio venerabilis fratris nostri Patriarchæ Antiocheni auditore concesso, idem magister proposuit coram eo quòd cùm olim dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis A. S. L. ad partes Syriæ pervenisset, intelligens archidiaconatum ultra sex menses in Antiochena Ecclesia vacavisse, ac per hoc donationem ipsius ad Romanam Ecclesiam devolutam, archidiaconatum ipsum cum omni jure suo eidem magistro legationis auctoritate concessit, factaque sibi canonica investitura de illo, dicto Patriarchæ mandavit ut ipsum reciperet & benignè tractaret. Qui se asserens eundem archidiaconatum cuidam suo concessisse nepoti, quod idem Legatus mandaverat non implevit; quamquam etiam super hoc personaliter demum apud Antaradum rogavisset eundem. Cùm autem eidem Legato per testes idoneos constitisset quòd donatio sua donationem præcesserat Patriarchæ, quòd etiam nepos ejus multùm ab ætate distabat quæ pro talibus à canone diffinitur, factam illi à Patriarcha concessionem viribus carere decernens, quod ipse de præfato magistro fecerat sententialiter confirmavit, & A. Priore Bellimontis ac magistro Milone sibi ad hoc executoribus deputatis, stallum in choro & locum in Capitulo assignari præcepit eidem, ipsumque in plenam possessionem domorum, casalium, terrarum, & aliorum ad archidiaconatum pertinentium

pertinentium introduci. Sciens insuper multas præbendas & dignitates simili modo in Ecclesia memorata vacasse, donationi suæ reservavit easdem ; è quibus unam Rogerio, aliam verò Bartholomæo Clericis assignavit, eos in prædicta Ecclesia Canonicos statuendo. Cùm autem propter varias contumacias quas idem Patriarcha circa præmissa commiserat, quasdam sententias protulisset in ipsum, tandem venerabiles fratres nostri Tripolitanus & Antaradensis Episcopi ex parte Patriarchæ jam dicti cum litteris de ratihabitione ad ipsius præsentiam accesserunt, dicentes quòd idem Patriarcha volebat ut tam archidiaconatus quàm dignitates & præbendæ à se vel ab ipso collatæ in sua dispositione manerent, ac de ipsis & aliis in præfata Ecclesia secundùm suam disponeret voluntatem. quod quidem in præfatis litteris continebatur expressum. Vnde Legatus idem prædictas sententias relaxavit, & eisdem dixit Episcopis ut Patriarcha de cetero dictum magistrum pro Archidiacono, duos verò Canonicos constitutos ab ipso pro Canonicis Antiochenis haberet, illi quidem archidiaconalia, istis verò canonicalia jura omnia exhibendo. Quod iidem Episcopi Patriarcham respondere facturum, ipsius nomine recipientes ad pacis osculum Marinum Nicociensem Archidiaconum pro magistro & Canonicis antedictis. Præterea supradictus Legatus Antiochenos Canonicos, quos pro eo quòd ordinationi suæ contumaciter restiterunt suspensionis primò & postmodum excommunicationis sententia innodarat, per Valaciensem Episcopum & collegas ipsius recepta juratoria cautione mandavit absolvi, ita quòd & antequam impenderent juramentum exprimeretur eisdem, & post absolutionem, sub debito mandaretur ipsius ut quod de Archidiacono ipso & duobus Canonicis memoratis fuerat statutum ab eo, inviolabiliter observarent ; quam videlicet formam si dictus Episcopus & collegæ ipsius excederent, processum eorum reputaturum se scripsit vacuum & inanem. Vnde petebat idem magister ut archidiaconatum jam dictum confirmare dignaremur eidem & ipsum pacifica faceremus illius possessione gaudere, ac fructus ipsius & possessionum suarum à tempore sibi factæ institutionis subtractos, cum restauratione nihilominus expensarum, restitui mandaremus eidem, præfatos Canonicos, qui contra juramentum suum eundem noluerunt recipere, punientes. Pro altero verò ex duobus antedictis Canonicis, scilicet R. Presbytero, cùm reliquus in fata concesserit, suppliciter postulavit ut canonicatum cum una præbendarum illarum quæ tunc temporis ultra sex menses in Ecclesia prænominata vacarent confirmaremus eidem, & faceremus ab eo pacificè possideri. E contrà verò nuntius Patriarchæ respondit quòd cùm W. quondam Archidiaconus Antiochenus & concanonici ejus duo ita fuissent in mari sublati de medio quòd de ipsis usque ad sequens passagium nulla prorsùs haberi potuit certitudo, noluit præproperè Patriarcha de archidiaconatu disponere, sed donec de illis effici posset certior expectare. Transacto igitur secundo passagio, in quo Legatum asserit applicasse, cùm per publicam famam ei de prædictorum periculo constitisset, archidiaconatum cuidam suo nepoti concessit, quem ad præsentiam nostram statim mittere disponebat ut propter ætatis defectum de archidiaconatu pariter & de ipso dignaremur misericorditer ordinare. Postmodum verò prædictus Legatus per suas ei litteras intimavit quòd archidiaconatum eundem magistro contulerat antedicto. Cui demum ipse rescribens illum se jam antea suo concessisse nepoti, rogavit ut negotio supersedens, eundem nepotem, qui pedes in itinere jam habebat, ad apostolicam sedem accedere sustineret. Sed ille preces non admisit ipsius ; immo tam Patriarcham quàm Capitulum & Ecclesiam duriùs aggravando super facto archidiaconatus, duos nuntios cum præfato magistro destinavit ad ipsos ; qui præsentientes illos in suum accessisse gravamen, ne in quoquam procederent, sedem apostolicam appellarunt. At illi, appellatione contempta, multipliciter cœperunt Capitulum in suspensionibus & aliis aggravare. Patriarcha verò primò per litteras & nuntios speciales, ac postmodum per seipsum non sine magnis laboribus Legatum adivit, devotè supplicans ut ab iis, præsertim post appellationem, desisteret, & causam ad nos sineret devenire. Quòd cùm non posset aliquatenus obtinere, appellationem innovavit eandem ; eoque à sua præsentia recedente, Legatus ipsum ab interdicendi & excommunicandi potestate suspendit, & in prædictum Capitulum excommunicationis fecit sententiam promulgari ; quam etiam singulis diebus dominicis accensis candelis innovari mandavit ; & manum

aggravans super eos, duos in eorum Ecclesia nominavit Canonicos, irrequisitis ipsis, reclamantibus, & invitis. Quia verò Princeps & cives Antiocheni, qui jam antè contra Ecclesiam se erexerant, ex his quæ in injuriam Patriarchæ Capitulique fiebant, occasionem sumpserunt in eos enormiùs debachandi, ita quòd possessionibus Ecclesiæ devastatis, & alio quodam in Patriarcham per favorem ejusdem Principis à Syrianis electo, grave periculum sibi cernebat imminere, per quod Antiochia totius Latinitatis communioni subtrahi videbatur, his duobus malis idem Patriarcha perplexus elegit minus incurrere ut posset gravius evitare, & sic super facto memorati magistri & aliorum duorum in Cardinalis se posuit voluntate; sed præfato magistro postmodum multiplices contumelias & gravamina contra ipsum & Capitulum procurante, quasdam litteras à Tripolitano Episcopo sibi missas idem Patriarcha recepit, in quibus continebatur quòd quamplures viri jurati coram ipso Episcopo perhibuerant testimonium quòd idem magister monachus monasterij sancti Spiritus de Panormo fuisset. Vnde cùm super apostasia hujusmodi & aliis quibusdam excessibus Patriarcha vocasset eum ut in sua præsentia responderet, ille confusus in semetipso appellando recessit. Prædictis verò duobus stallum assignari præcepit, & dixit se in nullo contradicturum eisdem super ordinatione quam de ipsis in Antiochena Ecclesia fecerat Cardinalis. Quare suppliciter postulabat à nobis ut super ipsius Ecclesia circa præfatum magistrum, quem asserit apostasiæ nota respersum, & circa præfatum R. qui, ut asserit, est concubinarius manifestus, illiteratus, & vilis, qui etiam ad expugnationem Christianorum ante quoddam castrum fecisse dicitur lignea instrumenta, providè respicere dignaremur. Verùm idem magister super apostasiæ crimine hoc respondit, quòd cùm esset Medicus Abbatiæ sancti Spiritus de Panormo, & ad eam consuevisset in suis infirmitatibus declinare, quoniam erat vicina mari & flumini domus ejus, juxta consuetudinem suam ad abbatiam eandem in quadam sua infirmitate divertit. Cùmque quadam nocte tanta vi ægritudinis laboraret ut quod circa se fieret non sentiret, quidam monachus compatriota ipsius, qui ad custodiam ejus fuerat derelictus, de convalescentia ejus desperans, & de morte præsumens, suam tunicam eum induit, quid circa eum ageret minimè sentientem. Ceterùm cùm Prior accessisset ad eum, & ne idem magister irasceretur monasterio super eo quod factum fuerat postulasset, ipse regulam sibi petiit exhiberi, ut legendo cognosceret pleniùs si valeret austeritatem Cistercienſis ordinis sustinere. Verùm quoniam perlecta regula insufficientem se ad tantæ austeritatis observantiam intellexit, depositâ tunica, quam se dixit per decem dies, juxta quod recordari poterat, tenuisse, in veste in qua intraverat monasterium est egressus. Contra quod exhibuit quasdam litteras nuntius Patriarchæ nomine Prioris & conventus monasterij memorati nostro apostolatui destinatas, in quibus ipsi testimonium perhibebant quòd idem magister sicut notorium est pluribus hominibus de Panormo, infirmitate detentus ad eorum se contulit monasterium, habitumque devotè suscepit, ac per aliquot dies tenuit, sed ad Capitulum non accessit; qui post paululum convalescens, monasterium est egressus, secutus exinde propriam voluntatem. Nos igitur auditis iis & aliis quæ fuerunt utrinque proposita, quia per confessionem ejusdem magistri cognovimus quòd ipse per decem dies habitum novitij gessit in monasterio memorato, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi sufficienter ostenderit quòd fuerit protestatus se ad priorem statum liberum velle habere regressum, si forsan infra tempus probationis nollet ordinis austeritatem subire, perpetuum ei silentium super ipso archidiaconatu imponere non postponas, cum secundùm canonicas sanctiones ad laxiorem saltem ordinem accedere teneatur. Quòd si de protestatione fecerit tibi fidem, cùm præsumendum sit pro sententia Cardinalis, per quam quod factum fuerat de nepote Patriarchæ cessaret, præsertim cùm ipse Patriarcha quòd nepos suus defectum patereretur ætatis per suas nobis litteras intimarit, reducto eodem magistro in possessionem quam noscitur habuisse, inquiras sollicitè veritatem utrum archidiaconatus collatio ad Patriarcham tantùm pertineat, vel spectet pariter ad Canonicos & ad ipsum. Quòd si communiter pertinet ad utrosque, ipsique infra sex menses postquam eum innotuit vacavisse concedere neglexerunt, quoniam ex tunc donatio ejus ad nos fuerat devoluta, quod per Cardinalem factum est auctoritate nostra decernens inviolabiliter observari,

dicto magistro archidiaconatum adjudices sæpedictum, & facias ab eo possideri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens, auditurus postmodum si Patriarcha vel alius aliquid proponere voluerit contra eum, & appellatione postposita fine canonico decisurus. Idem quoque te facere volumus & mandamus si tantùm ad Patriarcham donatio ejus spectat, & Canonicos donationi ejus vel Cardinalis constiterit consensisse. Alioquin cùm à tempore quo ipsum innotuit vacavisse, post elapsum sex mensium tempus infra quos Patriarcha uti suo jure neglexit, de communi jure non ad nos sed ad Capitulum Antiochenum archidiaconatus collatio fuerit devoluta, si Capitulum postularit, eidem magistro perpetuum silentium imponere non omittas; non obstante quòd ipse quasdam litteras præfati Cardinalis ostendit in quibus fatetur se concessisse archidiaconatum eidem propter multiplices rationes, cùm per alias litteras Cardinalis ejusdem, quæ illas præcedunt, & alias etiam quæ illas sequuntur, ipse Cardinalis hanc suæ concessionis rationem assignet, quòd idem archidiaconatus ultra sex menses vacaverat, unde ad Romanam Ecclesiam ipsius erat donatio devoluta. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Idus Ianuarij anno decimo.

ARCHIDIACONO ET PRIORI sancti Stephani de Ponte Florentin.

Ipsi. 187. Deputantur executores adversùs Episcopum Lucanū.

Accedentibus ad præsentiam nostram dilectis filiis . . monacho monasterij de Ficiculo & . . Lucani Episcopi procuratoribus dilectum filium Rogerium tituli sanctæ Anastasiæ Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo dicti monasterij procurator proposuit quòd cùm olim causam quæ inter dilectos filios Abbatem & conventum monasterij sui ex una parte ac dictum Episcopum ex altera super institutione Plebani in plebe de Ficiculo vertebatur, Abbati sanctæ Mariæ ac Priori sancti Laurentij duxerimus committendam, dictus Episcopus citatus ab eis, ipsorum adire præsentiam recusavit, super eadem causa ad dilectos filios Præpositum sancti Geminiani & Priorem sanctæ Reparatæ quasdam à nobis litteras postmodum obtinens nullam facientes de prioribus mentionem. Quare Abbas prædictus coram eis noluit litigare, asserens litteras illas veritate tacita impetratas, cùm mentionem nullam priorum facerent litterarum. Verùm utriusque partis procuratores ad nostram præsentiam accedentes, causam ipsam dilectis filiis Abbati de Sexto & Priori sancti Fridiani obtinuere committi. Sed eorum altero ante litis ingressum morte prævento, sæpedictus Episcopus traxit eundem Abbatem ad judicem secularem; ad cujus præsentiam pars Abbatis accedens, & allegans commissiones apostolicæ sedis & privilegia ecclesiasticæ libertatis, eidem Episcopo inhibuit appellando ne ipsum coram seculari judice compelleret litigare. At Episcopus, appellatione contempta, ipsum Abbatem per eundem sibi fecit judicem condemnari. Propter quod nos venerabili fratri nostro Fesulanensi Episcopo & dilecto filio Abbati sanctæ Mariæ de Florentia nostris dedimus litteris in mandatis ut juxta prædictæ commissionis tenorem in ipsa causa, appellatione remota, prævia procederent ratione, super eo quòd idem Episcopus ad seculare forum supradictum traxit Abbatem quod esset canonicum statuentes & facientes per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Porrò judices ipsi, quia dictus Episcopus peremptoriè citatus ab eis noluit comparere, receperunt testes Abbatis, & eundem Episcopum in expensis septuaginta librarum, quas Abbas fecerat, condemnarunt. Nos verò attendentes quòd dicti judices ordine judiciario non servato in ipso negotio processerunt, processum illum irritum decernentes, dilecto filio Archipresbytero & magistro Hugoni Canonico Florentinis nostris dedimus litteris in mandatis ut partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, si constaret eisdem quòd sæpedictus Episcopus Abbatem ipsum traxisset ad judicium seculare, eundem à pontificali officio suspendentes, revocarent in irritum quicquid per secularem judicem contra ipsum Abbatem fuerat attentatum, & jamdictum Episcopum ecclesiastica districtione compellerent ad restitutionem librorum quos sibi fecerat per secularem potestatem auferri, & expensarum atque damnorum quæ propter hoc Abbas incurrerat sæpedictus, audituri postmodum causam & appellatione remota fine debito decisuri. Sanè judices ipsi, mandato nostro susceptо, Episcopum ipsum legitimè citaverunt, assignato sibi termino competenti; quem idem præveniens, quendam nuntium ad eorum præsentiam destinavit,

qui quasdam litteras exceptiones frivolas continentes præsentavit eisdem, inhibens ipsis ne in facto procederent appellando. Ipsi verò, cognito quòd non erat appellationi hujusmodi deferendum, eundem iterum citaverunt; sed ipse ad terminum sibi præfixum nec per se nec per responsalem idoneum comparuit coram eis. Verùm quia interim judices ipsi nostrum recepere præceptum ut nonobstantibus frivolis exceptionibus quas idem Episcopus malitiosè dicebatur proponere in dispendium monasterij memorati, in ipso negotio juxta prioris mandati nostri tenorem sublato appellationis obstaculo prævia ratione procederent, eundem Episcopum iterum peremptoriè citaverunt. Sed ipse coram eis nec per se termino constituto comparuit, nec per idoneum responsalem; immo ad præsentiam nostram accedens, & Abbatem nobis asserens suggessisse quòd ipse illum super causa spirituali ad judicium traxerat seculare, quantumcunque institerit ut transmissas ad eos dignaremur litteras revocare, tandem obtinuit istud solum ad Episcopum Florentinum, ut ipse inquisita plenius & cognita veritate, si præfatum Episcopum inveniret eundem Abbatem super institutione plebis vel alia spirituali causa ad forum seculare traxisse, contra eundem Episcopum juxta formam in prioribus litteris comprehensam sublato appellationis obstaculo procedere non tardaret. Cùmque judices supradicti, hujusmodi adhuc commissionis ignari, ut eidem omnem auferrent materiam malignandi, ad instantiã cujusdã LucaniCanonici, qui se ipsius nuntiũ asserebat, viginti septem dierum inducias concessissent, demũ Episcopus Plebanum de Capiano direxit ad eos, sibi litteras nostras, quas dicto Episcopo misimus, demonstravit. Ceterùm cùm articulus ille qui fuerat Episcopo commissus eidem, fuisset in ejus præsentia expeditus, & judices ipsi vellens in negotio ipso procedere, accessit ad eos Plebanus prædictus, non tamen ad prosecutionem causæ sufficienter instructus. Quare ad ipsius malitiam convincendam eidem sex dierum inducias concesserunt. Tunc præfatus Episcopus constituto termino præfatum Plebanum sufficienter instructum ad eorum præsentiam destinavit. Partibus igitur in eorum præsentia constitutis, sæpedictus Abbas asseruit quòd præfatus Episcopus ipsum in causa civili, pro facto tamen plebis prædictæ, traxit ad judicium seculare, occasione videlicet cujusdam arbitrij quod jamdudum inter Episcopum & Abbatem super ipsa plebe fuerat promulgatum, propter quod in quinquaginta libris & ampliùs a seculari judice fuerat condemnatus. Unde memoratum Episcopum juxta mandati nostri tenorem puniri & ad restitutionem damnorum & expensarum quas ob hoc fecerat eundem compelli cum instantia postulavit. Responsatis verò Episcopi quasdam litteras ejusdem porrexit inter cetera continentes quòd ipse coram nobis requisitus responderat quòd memoratũ Abbatẽ super jure civili ad forum traxerat seculare, nec super hoc à nobis fuerat reprehensus. Unde dicebat quòd non tenebatur super hoc respondere Abbati, & judices procedere non debebant. Præterea asseruit litteras nostras illius consuetudinis veritate tacita impetratas qua in civitate Lucana Clerici coram laicis qui treuguani dicuntur in causa civili se consueverunt ad invicem convenire. Asseruit etiam quòd nostræ intentionis non fuerat ut dictus Episcopus puniretur, si super re civili tantùm ad seculare judicium traxisset Abbatem. Ex parte verò Abbatis extitit replicatum quòd hujusmodi consuetudo erat contra jus canonicum & civile, & post appellationem ad nos rationabiliter interpositam, sicut apparet per publica instrumenta & commissiones à nobis obtentas, dictus Episcopus eum in seculari foro præsumpserat convenire. Cùm igitur per publicum instrumentum fæpefatis judicibus constitisset quòd Abbas tractus fuerat ab ipso Episcopo super re civili ad judicium seculare, & Abbas proposuisset quòd licèt consuetudo prædicta alios tangeret Clericos, ipsum tamen tangere non debebat, cùm sit exemptus, sicut apparet per privilegia Pontificum Romanorum, & ipsi parati essent legitimè procedere in negotio supradicto, responsalis Episcopi quasdam frivolas exceptiones proponens ad sedem apostolicam appellavit, & responsionem aliquam non expectans, statim illicentiatus recessit. Iudices verò utriusque mandati tenore diligenter inspecto, & habito prudentum virorum consilio, non duxerunt appellationi hujusmodi aliquatenus deferendum, sed eundem Episcopum pro multiplici contumacia manifesta suspenderunt à celebratione Missarum, ex parte Dei omnipotentis & nostra præcipientes eidem ne de cetero Missam præsumeret celebrare donec per se vel responsalem idoneum ad præsentiam accederet eorun-

dem, exhibiturus Abbati prædicto justitię complementum. Et ne de sua fraude commodum reportaret, recepto ab eodem Abbate corporaliter juramento quòd idem sigillatim & diligenter secundùm ipsorum taxationem expensas quas fecit & damna quæ pertulit occasione ipsius Episcopi declaravit pro ducentis quinquaginta libris, in possessionem omnium reddituum quos dictus Episcopus habet in castello, curte, ac districtu sanctę Marię in monte eundem Abbatem fecerunt induci, Archipresbytero & Capitulo Lucano mandantes ut eundem Episcopum denuntiarent à Missarum celebratione suspensum. Licèt autem Archipresbyter ipse suspensionis sententiam denuntiasset eidem, ipse tamen in festivitate omnium sanctorum, sententia ipsa contempta, publicè ac solemniter celebravit. Vnde petebat procurator prædictus ut processum judicum prædictorum auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Procurator verò Episcopi proposuit ex adverso quòd cùm negotium fuisset Episcopo Florentino commissum, & ipse tandem absolutus ab eo, utpote cui patuit per confessionem Abbatis quòd etiam ipse in spirituali causa non traxerat eum ad judicium seculare, legitimè appellarat ab eis qui volebant ipsum à prædicto Florentino Episcopo absolutum compellere super hoc iterum litigare. Vnde quod factum erat ab ipsis post appellationem ad nos interpositam censeri petebat irritum & inane. Nos igitur iis & aliis quæ coram Cardinale prædicto fuerant proposita per relationem ipsius pleniùs intellectis, Episcopi appellationem illegitimam decernentes, processum approbavimus judicum prædictorum, eundem Episcopum, qui præsumpsit post denuntiationem sibi factam Missarum solemnia celebrare, à sacerdotali & pontificali officio suspendentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus latam à nobis sententiam publicantes, faciatis eandem firmiter observari. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Ianuarij, anno decimo.

ABBATI AVGENSI, & Conrado Decano de Wlde Constantiensis diocesis, & Magistro Conrado scholastico Curiensi.

Epist. 188. De Presbytero diffamato de adulterio & incesta. Cap. Cùm dilecti. De purgat. canon.

CVm dilectis filiis H. Presbytero & G. procuratori O. Clerici constitutis in præsentia nostra dilectum filium T. Subdiaconum & Capellanum nostrum concessissemus auditorem, idem procurator proposuit coram eo quòd cùm dictus Presbyter super incestus crimine fuisset publicè infamatus, bonæ memoriæ Constantiensis Episcopus ordinarius judex eidem purgationem indixit: qui cùm se purgare nequisset, ab eodem Episcopo fuit in plena synodo suis Ecclesiis sententialiter destitutus, quas ipse nihilominus detinuit aliquandiu per violentiam occupatas. Cùmque postmodum idem Presbyter cujusdam consanguinei sui uxorem abductam in domo publicè detineret, ad petitionem H. Plebani de * Herisio & quorundam aliorum Clericorum Constantiensis diocesis dilectis filiis de Scennis & de * Vstrou Decanis ejusdem diocesis nostras dicimur sub hac forma litteras destinasse, ut videlicet si prædictus Presbyter super crimine adulterij & incestus coram ipsis se purgare non posset, ipsum pœna debita castigarent. Qui juxta mandati nostri tenorem in negotio procedentes, cùm constitisset eisdem quòd idem Presbyter, pro eo quòd in purgatione defecerat, ab Episcopo memorato fuerat in synodo condemnatus, ipsum, utpote contumacem, prædictis Ecclesiis per sententiam privaverunt; maximè cùm de incestu & adulterij crimine tamquam de notorio manifestè liqueret eisdem; dilecto filio Abbati sancti Galli, ad quem illarum Ecclesiarum donatio pertinebat, potestatem liberam concedentes Ecclesias ipsas personis aliis conferendi; qui eas postea supradicto Clerico assignavit. Verùm idem Presbyter ad sedem apostolicam veniens, & falsò se asserens prætermisso juris ordine spoliatum, ad Abbatem de domo sancti Petri & suos conjudices alteri parti omnino suspectos nostras litteras reportavit. Qui eidem O. litterarum ipsarum copia denegata, & probationem ipsius super falsitate litterarum admittere recusantes; juris ordine prætermisso post appellationem ad nos legitimè interpositam restitutionis sententiam pro eodem Presbytero protulerunt. quod se loco & tempore probaturum per legitimos testes proponebat. Dictus verò Presbyter ex adverso respondit quòd licèt super præmissis criminibus ab inimicis fuisset æmulis infamatus, & à Constantiensi Capitulo propter hoc eidem indicta purgatio, ipsam tamen nullus recipere voluit, licèt eam paratus fuerit infra præfixum sibi terminum exhibere, adiciens quòd processus judicum prædictorum debebat meritò retractari, cùm lite non contestata, & post appellationem ad nos interpositam, præ-

* *In tert. coll.* Hemiso, Cod. Colbert. *Heviso*, Andegav. *Haneso*.

* *Codex Colbert.* Vvistrori, *Andeg.* Vvestori.

sumpserint procedere contra eum. Præterea dictus Presbyter proposuit conquerendo quòd cùm à prædicto O. & complicibus suis prædictis Ecclesiis fuisset per violentiam spoliatus, & ad supradictum Abbatem de domo sancti Petri ac conjudices suos primò, & secundò ad electum Constantiensem restitutionis litteris impetratis, per utrosque restitutionis meruerit beneficium obtinere, idem O. eum non est veritus sæpius spoliare. Vnde cùm propter hoc ipse cum complicibus suis excommunicationis sententia innodatus in suâ contumacia perduraret, prædicto electo & conjudicibus suis dedimus in præceptis ut auctoritate nostra suffulti districtiùs inhiberent ne in locis in quibus iidem excommunicati præsentes existerent divina officia dicerentur, & eosdem tamdiu appellatione cessante suspenderent à divinis donec sæpedicto Presbytero de damnis & injuriis irrogatis satisfacerent competenter, vel responsuri de tanto contemptu nostro se conspectui præsentarent. Sed ipsi ad appellationis diffugium convolantes, contra prohibitionem ipsorum judicum divina celebrant interdicti, nec ad nostram præsentiam responsalem transmittere curaverunt. Licèt autem idem Presbyter ad abolendam omnem infamiam purgationem indictam sibi ab eodem electo, non tamquam delegato, sed ordinario, curaverit exhibere, sæpedicti tamen æmuli eum non desinunt infamare. Vnde nobis humiliter supplicavit ut ab illorum impetitionibus absolutum faceremus ipsum prædictarum Ecclesiarum pacifica possessione gaudere, illos legitimè punientes qui excommunicati & interdicti divina præsumpserunt officia celebrare. Ad hæc procurator adjecit quòd dicta purgatio fuit ab electo recepta absente parte altera & penitùs ignorante. quod etiam se asseruit probaturum. His igitur & aliis quæ fuere coram Capellano prædicto proposita pleniùs intellectis, licèt litteræ illæ, quæ ad prædictos de Scennis & Vstrou Decanos impetratæ dicuntur, vel ipsarum transcriptum ostensum non fuerit coram nobis, quia tamen ex tenore relationis ipsorum, quam dictus procurator exhibuit, si etiam litteræ ipsæ ostensæ fuissent, nobis constitit evidenter judices ipsos prætermisso juris ordine processisse, tam processum eorum quàm concessionem Ecclesiarum à prædicto Abbate de mandato ipsorum factam auctoritate apostolica retractamus, præsertim cùm relationis ipsius series repugnantia contineat & adversa. Dicitur etenim quòd crimen ejusdem Presbyteri usque adeo publicum fuerat & notorium quòd nullus inficiationis locus penitùs existebat, utpote cujus universus viciniæ populus testis erat. Et tamen ibidem præmittitur quòd eidem Presbytero terminum peremptorium præfixerunt, in quo, si posset, super infamia prædictorum criminum canonicè se purgaret; cùm nimirum si crimen notorium existebat, non erat utique illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda. Restitutionis quoque sententiam pro eodem Presbytero à diversis judicibus latam duximus approbandam, præsentium vobis auctoritate mandantes quatenus eundem Presbyterum in corporalem possessionem prædictarum Ecclesiarum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo inducatis & defendatis inductum; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes, & facientes eidem Presbytero tam de fructibus medio tempore perceptis ex Ecclesiis memoratis quàm de damnis & injuriis irrogatis satisfieri competenter. Facta verò restitutione plenaria, si legitimus apparuerit contradictor, qui possit & velit legitimè comprobare quòd idem Presbyter, pro eo quòd in legitimè indicta sibi purgatione defecit, condemnatus fuit à prædicto Episcopo & sæpedictis Ecclesiis spoliatus, vos eidem super Ecclesiis ipsis perpetuum silentium imponatis, facientes eisdem per eos ad quos pertinet de personis idoneis canonicè provideri. Si verò nullus apparuerit legitimus accusator, & ipsum inveneritis apud bonos & graves super prædictis criminibus vel ipsorum altero infamatum, purgationem ei canonicam indicatis, non obstante quòd coram prædicto electo dicitur se purgasse, cùm pendente coram delegatis judicio non debuerit ordinarius purgationem indicere infamato; in qua purgatione si fortè defecerit, juxta præmissam formam ipso ab Ecclesiis prorsùs amoto, provideri eisdem canonicè faciatis. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si non omnes &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus Ianuarij anno decimo.

EPISCOPO ET CANTORI ET Magistro N. Archidiacono Trecensibus.

Epist. 189. De controversia inter Decanum & Episcopum Altisiodorensem. Vide historiam Episcoporum Altisiod. pag. 414.

DIlectis filiis Decano Altisiodorensis Ecclesiæ ac magistro B. venerabilis fratris nostri Altisiodorensis Episcopi procuratore in nostra præsentia constitutis, idem magister proposuit coram nobis quòd cùm dictus Episcopus R. Presbyterum domus Dei de Monte atrito, in qua provisionem & dispositionem plenariam idem Episcopus obtinere dinoscitur, detineri faceret vinculis mancipatum pro eo quòd bona quædam ejusdem domus, quæ furtivè subtraxerat, restituere detrectabat, propter quod etiam ab eodem Episcopo fuerat excommunicationis sententia innodatus, & supradictus Decanus Episcopum monuisset ut eidem restitueret vel saltem recrederet Presbyterum memoratum, quem ad jurisdictionem suam spectare firmiter asserebat, idem Episcopus multiplicem rationem allegans quare se ad hoc nullatenus teneri dicebat, eundem Presbyterum restituere vel recredere penitùs recusavit, proponens quòd super hoc eidem Decano paratus erat in propria curia, cùm Decanus ejus vassallus existeret, vel coram arbitris communiter eligendis, seu etiam coram Metropolitano justitiam exhibere. Decanus autem hæc omnino recusans cœpit graviter comminari quòd tale aliquid faceret quod Episcopo displiceret. Propter quod Episcopus metuens ne Decanus aliquid in suum præjudicium attentaret, se ac suos, statum Ecclesiæ ac civitatis suæ protectioni Metropolitani supponens, ad metropolitanæ sedis audientiam provocavit, festum sanctæ Mariæ Magdalenæ proximò præteritum terminum appellationi præfigens. Verùm Decanus post modicum Canonicis Altisiodorensibus convocatis, interdictum hujusmodi eis contradicentibus promulgavit, ut Episcopo in civitate præsente à divinis in Altisiodorensi Ecclesia cessaretur. Postmodum verò cùm die appellationi præfixo comparuissent partes coram Officiali Curiæ Senonensis, Decanus allegans quòd appellationi ab Episcopo interpositæ ideo non duxerit deferendum quoniam Presbyter supradictus adhuc in vinculis tenebatur, vocem ad nos appellationis emisit. Officialis autem irritum judicans interdictum à Decano post appellationem Episcopi ad sedem metropoliticam interpositam promulgatum, Capitulo Ecclesiæ Altisiodorensis injunxit ut interdictum illud nullatenus observaret. Cùmque postmodum Episcopo præsente Decanus firmiter inhiberet ne in Ecclesia cantaretur, & G. Capellanum Episcopi cantantem ibidem post appellationem ad nos interpositam vinculo excommunicationis astringens, divinum officium in Ecclesia impediret, nec monitus per Episcopum sæpius officium perturbare desisteret, Episcopus demum ipsum, tamquam contumacem & incorrigibilem, excommunicationis mucrone percussit; quem postea venerabilis frater noster Senonensis Archiepiscopus devitandum publicè nuntiavit. Vnde procurator ipse postulavit à nobis ut supradictam interdicti sententiam irritam judicantes, excommunicationis ab Episcopo latam sententiam faceremus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Decanus autem proposuit ex adverso quòd cùm Episcopus R. Presbyterum pertinentem ad jurisdictionem suam faceret in vinculis detineri, & ipse tam à Clericis quàm laicis civitatis fuisset graviter increpatus, tamquam negligeret jus ad se pertinens defensare, qui ad servandas Ecclesiæ consuetudines juramento super hoc præstito tenebatur, per se ipsum Episcopum monuit ut Presbyterum ipsum restitueret libertati, paratus sufficienter ostendere quòd ad jurisdictionem suam idem Presbyter pertinebat, eundem Episcopum demum faciens per plures alios commoneri ut Presbyterum sibi redderet vel recrederet, vel saltem poneret in sequestro. Cùmque nequisset Episcopus ad istorum aliquod inclinari, Capitulo convocato Decanus, de conniventia ejus, hujusmodi posuit in Ecclesia interdictum, ut Episcopo in civitate præsente cessaretur in Ecclesia penitùs à divinis, executionem nihilominus sententiæ suspendendo donec super hoc haberet cum Archiepiscopo, qui proximò venturus erat in civitate, tractatum; per quem sperabat posse concordiam reformari. Ceterùm licèt postea præsente Archiepiscopo Episcopum monuisset ut aliquem supradictorum modorum ad liberationem Presbyteri acceptaret, in nullo tamen proficere potuit apud eum; quinimmo ad metropolitanæ sedis audientiam Episcopus appellavit, appellationi suæ præfigens terminum supradictum. Vnde Decanus in Capitulum rediens Canonicis universis injunxit ut interdictum, sicut ab eo positum fuerat, observarent. Die verò appellationi præfixo co-

ram Senonensi Officiali Decanus cum Episcopi procuratore comparens, & gravamen sibi metuens imminere, ad sedem apostolicam appellavit, *Lætare Ierusalem* appellationi suæ termino constituto, & se ac statum suum & Altisiodorensis Ecclesiæ protectioni sedis apostolicæ supponendo. Cùm autem Episcopo præsente post hæc Decanus G. clericum ejusdem Episcopi, pro eo quòd duos clericos violenter ceperat, excommunicatum publicè nuntiasset, & mandasset clericis ut à se latam interdicti sententiam observarent, Episcopus in ipsum Decanum excommunicationis sententiam promulgavit, excommunicatum eum sæpedicto Archiepiscopo & Capitulo Senonensi nuntiando. Propter quod ipsum Archiepiscopus de quorundam consilio nuntiavit publicè devitandum; licèt quidam Canonici Senonenses saniori ducti consilio, non vitaverint communionem ipsius. Ex iis igitur & aliis quæ utrinque fuere proposita coram nobis intelleximus evidenter quòd etsi Episcopus prudenter & utiliter providisset ut * Decanus recredidisset Presbyterum sæpedictum ad omnem prorsùs scandali materiam amputandam, quia tamen idem Episcopus, sicut præmissum est, diversos modos expressit secundùm quos Decano paratus fuit super captione Presbyteri justitiæ plenitudinem exhibere, ad metropolitanam sedem appellans, Decanus post hæc non potuit ferre sententiam interdicti. Et ideo de consilio fratrum nostrorum sententiam ipsam ab eo post appellationem legitimam promulgatam irritam decernimus & inanem; illo nequaquam obstante quòd Decanus ad excusationem suam quasi variando proposuit coram nobis, quoniam priùs quàm Episcopus appellasset, ipse sententiam tulerat, cujus tamen effectum ad tempus duxerat suspendendum, cùm interim appellatione interposita procedere non debuerit ad sententiam exequendam; Officialis tamen processum, qui post appellationem ad sedem apostolicam interpositam hujusmodi sententiam interdicti decrevit irritam & inanem, & mandavit penitùs non servari, temerarium judicantes, cùm appellatione ad nos interposita nihil debuerit innovare. Præterea licèt excommunicationis sententia per Episcopum promulgata rite lata prima facie videretur, quoniam cùm per jamdictum Officialem mandatum esset ne servaretur in Ecclesia interdictum, & idem Decanus ne celebraretur in Ecclesia prohibendo, divinum videretur officium perturbare, quia tamen post appellationem ad nos interpositam ex parte Decani, cui etiam Officialis duxerat deferendum apostolos concedendo, non solùm principale negotium, sed accessoria etiam ad nostrum referebantur examen, sententiam ipsam, ut post appellationem ad nos legitimè interpositam promulgatam, decernimus viribus caruisse, ac ipsum Decanum ea non fuisse ligatum. Verùm licèt Archiepiscopus, quorundam consilio circumventus, post appellationem ad nos emissam, de qua sibi per Officialis sui litteras innotuerat, Decanum denuntiaverit evitandum, Senonenses tamen Canonicos, qui saniori ducti consilio communicarunt eidem, ut appellationi ad nos interpositæ magis quàm denuntiationi ab Archiepiscopo factæ deferrent, inculpabiles judicamus. Quia verò an ad Episcopum vel Decanum jurisdictio pertineat Presbyteri sæpedicti nobis ad plenum constare non potuit, causam ipsam vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus vocatis qui fuerint evocandi, audiatis quæcunque duxerint proponenda, & causam ipsam appellatione remota fine canonico terminetis, facientes &c. Testes autem &c. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus Ianuarij anno decimo.

* Decano

NOBILI VIRO COMITI Nivernensi.

Epist. 190. Adversùs Iudæos.

VT esset Cain vagus & profugus super terram, nec interficeretur à quoquam, tremorem capitis signum Dominus imposuit super eum: * Quia Iudæi, contra quos clamat vox sanguinis Iesu Christi, etsi occidi non debeant, ne divinæ legis obliviscatur populus Christianus, dispergi tamen debent super terram ut vagi, quatinus facies ipsorum ignominia repleatur, & quærant nomen Domini Iesu Christi. Blasphematores enim nominis Christiani non debent à Christianis Principibus in oppressionem servorum Domini confoveri, sed potiùs comprimi servitute, qua se dignos meritò reddiderunt cùm in illum manus injecere sacrilegas qui veram eis conferre venerat libertatem, super eos & filios suos esse ipsius sanguinem conclamantes. Verùm, sicut nostris est auribus intimatum, quidam Principes seculares ad Deum, cui nuda sunt omnia & aperta, oculum non habentes

* Quare

habentes, cùm turpe sit ipsis usuras exigere, Iudæos recipiunt in villis & oppidis suis, ut eos sibi ministros ad exactionem constituant usurarum qui Ecclesias Dei & Christi pauperes affligere non verentur. Cùm autem Christiani, qui à Iudæis mutuum acceperunt, sortem & ampliùs ipsis solvunt, præpositi & servientes ipsorum potentum sæpe captis pignoribus, & interdum eisdem Christianis carceri mancipatis, ipsos compellunt ad solutionem gravissimam usurarum. Quare viduæ & pupilli suis hereditatibus spoliantur, & defraudantur Ecclesiæ decimis ac aliis obventionibus consuetis, cùm Iudæi castella & villas detineant occupata, qui Ecclesiarum Prælatis de parrochiali jure contemnunt penitùs respondere. Scandalum quoque per eos in Ecclesia Christi non modicum generatur, quòd cùm ipsi carnibus animalium, quæ mactant fideles, vesci abhorreant ut immundis, istud obtinent Principum ex favore quòd mactanda carnifices animalia tradunt illis, qui ea ritu Iudaico laniantes, ex ipsis accipiunt quantum volunt, relicto residuo Christianis; iis similia Iudæis mulierculis facientibus de lacte quod publicè venditur pro parvulis nutriendis. Aliud quoque præsumunt non minùs istis detestabile Christianis, quòd vindemiarum tempore uvas calcat Iudæus lineis caligis calciatus, & puriori mero juxta ritum Iudæorum extracto, pro beneplacito suo retinent ex eodem, residuum, quasi fædatum ab ipsis, relinquentes fidelibus Christianis: ex quo interdum sanguinis Christi conficitur sacramentum. Insuper testes Christianos, quantumlibet bonos & omni exceptione majores, tuti favore potentum, contra se penitùs non admittunt. Sanè venerabilis frater noster Altisiodorensis Episcopus, ut de sua diocesi abominationes hujusmodi removeret, habito prudentum virorum consilio hæc in eadem fieri sub anathematis vinculo interdixit, in solemni synodo injungens circumastantibus sacerdotibus quatinus in Ecclesiis suis sub excommunicationis pœna talia fieri prohiberent. Cui plerique fideles devotè parentes elegerunt à præmissis abominationibus abstinere. Verùm quidam nobiles ac potentes ac eorum ministri attendentes ad munera Iudæorum, quæ ipsorum corda subvertunt, quosdam fidelium, qui propter bonum obedientiæ ac metum sententiæ promulgatæ abstinere à talibus decreverunt, terrere minis & contumeliis afficere præsumpserunt, quosdam etiam captos, ut se redimerent, compellentes, ac nolentes dimittere nisi ad beneplacitum Iudæorum; qui ne per excommunicationis sententiam in personas & interdictum in terras ab hujusmodi compescantur, se tueri nituntur per appellationis obstaculum ad sedem apostolicam interpositum, in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Porrò Iudæi, si propter hoc in Christianos aliquando excommunicationis vel interdicti promulgetur sententia, gloriantur pro eo quòd occasione ipsorum in salicibus Babylonis ecclesiastica organa suspenduntur, & defraudantur nihilominus suis proventibus sacerdotes. Tu verò, sicut accepimus, qui tamquam vir catholicus & servus Iesu Christi ob ipsius reverentiam deberes Iudaicis superstitionibus obviare, ne inimici crucis exaltarentur in semetipsis contra famulos crucifixi, principaliter faves eis, & ipsi te in prænominatis excessibus habent præcipuum defensorem. Nonne contra tibi subjectum accenderetur graviter zelus tuus si tuo pręberet auxilium inimico? Quanto magis ergo divinam formidare potes offensam, quòd favorem præstare non metuis qui unigenitum Dei filium cruci affigere præsumpserunt, & adhuc à blasphemiis non quiescunt? Volentes igitur subortum ex hoc in populo scandalum de medio removeri & aboleri tantæ præsumptionis excessum quem in Christum & ejus Ecclesiam diceris commisisse, nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus prædicta taliter corrigas per te ipsum, à similibus de cetero conquiescens, quòd zelum orthodoxæ fidei videaris habere, ac nos ad correctionem ipsorum non cogamur apponere manus nostras, qui secundùm Apostolum in promptu habemus omnem inobedientiam vindicare, cùm ad hoc simus à Domino constituti ut evellamus quæ fuerint evellenda & quæ fuerint plantanda plantemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum XV I. Kal. Februarij, anno decimo.

Vide lib. 1. epist. 230. & lib. 2. epist. 13.

Vide chronolog. Roberti Altisiodor. fol. 101.

EPISCOPO PICTAVENSI.

Epist. 191. Absolvitur ab objectis contra eum.

SIcut experimento in te habito didicisti, quod caminus auro vel flagellum grano, id facit persecutio viro justo. Cùm enim Brucardus Canonicus Pictavensis dudum contra te nobis multa gravia retulisset, nos demum ad denuntiationem ipsius venerabili fratri nostro Nannetensi Episcopo & dilecto filio Cantori beatæ Ra-

degundis Pictavensis commisimus inquisitionem eorum. Qui secundùm mandatum nostrum in negotio procedentes, tam super his quæ fuerunt in nostris litteris comprehensa quàm aliis testes quos ille adversùm te, vel quos tu in tuam defensionem curasti producere, receperunt, & inquisitionem factam sub sigillis suis nobis fideliter remisere; quam per dilectos filios nostros Gualam sanctæ Mariæ in Porticu & Iohannem sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconos Cardinales examinari fecimus diligenter, tam tibi quàm eidem Brucardo indulta copia disputandi legitimè super ea. Cùmque singulà nobis per eosdem Cardinales fuissent relata, comperimus nihil omnino contra te fuisse probatum, immo per testes adversæ partis te de aliquibus objectorum innocentem ostensum, & ideo sapientia Dei eum qui te maculaverat ostendente mendacem, tamquam aurum quod transit per ignem, post persecutionem hujusmodi clariùs refulsisti. Vnde nos, qui nequaquam ad ruinam fratrum & coepiscoporum nostrorum intendimus, sed de ipsorum potiùs innocentia congaudemus, de communi fratrum nostrorum consilio te absolvimus ab objectis, seu veriùs declaravimus absolutum & clarificatum per ipsa. Quia verò priusquam idem Brucardus nobis talia suggessisset, super eorum aliquibus contra te jam ascenderat frequens clamor, potuissemus utique tibi de iis purgationem indicere secundùm canonicas sanctiones. Sed quoniam per hoc quòd cùm ventum est ad judicium nihil contra te penitùs est inventum, tuam præteritam quoque famam clarificasse videris, temperantia duximus hac utendum, ut si secundùm eam quam tibi dedimus disciplinam famam tuam laude vitæ cautioris adjuveris, etiam à purgatione præstanda te in posterum absolvamus, alioquin tibi secundùm instituta canonica indicamus eandem. Suspensionis quoque sententiam quam Helias quondam Burdegalensis Archiepiscopus in te tulit pro eo quòd consecrationi venerabilis fratris nostri Engolismensis Episcopi tuam non adhibuisti præsentiam ab ipso vocatus, quia constitit nobis per testes idoneos, quos super hoc apud sedem apostolicam produxisti, quòd eadem sententia post appellationem ad nos rationabiliter interpositam extitit promulgata, decernimus irritam & inanem, teque tali sententia non fuisse ligatum. Datum Romæ apud sanctum Petrum x v. Kal. Febr. anno decimo.

MARGARITÆ ABBATISSÆ monasterij sanctæ Mariæ de sancta Columba de Blendeka, ejusque sororibus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 192. De confirmatione privilegiorum.

REligiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium &c. *usque* annuimus, & præfatum monasterium sanctæ Mariæ de sancta Columba de Blendeka, in quo divino estis mancipatæ obsequio, sub beati Petri & nostra &c. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti justè & canonicè possidet &c. *usque* permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; personatum & altare Ecclesiæ sanctæ Columbæ de Blendeka, cum obventionibus, decimatione, & aliis pertinentiis suis; Capellam de Soieka ad eundem personatum spectantem, cum decimatione, obventionibus, & aliis pertinentiis suis; de Witeka & de Oudinghesela altaria, cum decimatione & aliis pertinentiis suis, quæ idem monasterium, antequam Cistercienſium fratrum instituta susciperet, possidebat; mansuram de Sarto Riccarij, cum loco & aliis pertinentiis suis; duas partes decimæ de Streties juxta montem Kaurel, & decimam lini ejusdem loci, cum mansura & aliis pertinentiis suis; tertiam partem decimæ de Rinc, duas garbas decimæ de Mortiers terræ tam cultæ quàm incultæ, cum duabus mansuris terræ, & duas garbas de Lefolie, partem quoque decimæ de Wivnegeval, cum duabus garbis unius campi terræ tam cultæ quàm incultæ, & tribus mansuris terræ. Donationes præterea cum possessionibus & rebus aliis à bonæ memoriæ * Desiderio Morinensi Episcopo vobis & monasterio vestro concessas. Decimas quas tenuerunt W. de Casteller & Henricus de Lefolie in parrochia de Altaribus, cum terris & pertinentiis suis. Quicquid in parrochiis de Altaribus, de Bosinghere, & de Curs in decimis, terris, & aliis rebus habetis. Decimas de Curs, quas Petrus & Gunfridus de Sarto Riccarij vobis in eleemosynam contule-

* Ejus litteræ editæ sunt to. x i. Spicilegij Dacher. pag. 530.

runt. Partem decimæ de Kernemaresc, decimas de Rech, de Timbrona, & de Lingiacho in eleemosynam vobis conceſſas. Duas partes decimæ de Lidringhere, cum dominio, terris, & aliis appendiciis ſuis. Tertiam partem decimæ de Odinghetum, quam Godefridus laicus in eleemoſynam Eccleſiæ veſtræ conceſſit. Molendinum quoque & terram adjacentem atrio ſanctæ Columbæ, cum duodecim denariis annuis & pertinentiis ſuis. Terram etiam eidem atrio adjacentem quæ fuerat Euſtachij clerici & particípum ejus, cum pertinentiis ſuis. Molendinum quod fuerat Marthæi Militis, cum pertinentiis ſuis. Duas raſerias tritici, quatuor capones, unam manſuram terræ adjacentem molendino de Bruai, & quinque ſolidos annuos vobis à Bergenſi Caſtellano collatos, quindecim manſuras terræ quæ fuerant Simonis Militis de Roden. Comitatum de Witeka, & quicquid ex dono Caſtellani ejuſdem in terris tam cultis quàm incultis, pratis, manſis, aquis, molendinis, & rebus aliis poſſidetis. Comitatum quem habetis in parrochia de Blendeka, cum pertinentiis ſuis, per munus Philippi quondam Flandrenſis Comitis Eccleſiæ veſtræ conceſſum. Triginta duas manſuras terræ quas habetis in parrochia de ſancti Audomari Eccleſia. Viginti quinque manſuras & dimidiam, & decimam partem unius manſuræ nemoris, quas habetis in Reihout. Decem manſuras paludis quas Rainaldus Comes Bolonienſis & Ida uxor ipſius vobis caritativè donarunt. Medietatem quoque vallis, cum totius jure dominij, quam Boidinus de Haveskerka vobis donavit, cum pertinentiis ſuis. Decem raſerias bladi Arienſes, quas habetis in molendino de Witeka. Quartam partem totius villæ de Wenningheval, excepto nemore quod dicitur le Fai. Poſſeſſiones quas habetis in parrochia de Altaribus, cum decimis, terris, & rebus aliis monaſterio veſtro collatis. Vnam carrucam terræ, & terras quas poſſidetis in parrochiis de Boſinghere, de Sperleke, & de Guminelinghere, & de Farkenberga. Quadraginta duas manſuras nemoris apud Kercamp. Terram quam habetis apud Haſſinghere. Redditus quos in Arienſi parrochia poſſidetis. Septem quarterios avenæ quos ex conceſſione Huberti de ſancto Audomaro habetis. Quicquid in parrochiis de Blendeka, de Soieka, de Werdrika, & Rakinghere in terris tam cultis quàm incultis, pratis, manſis, & rebus aliis poſſidetis. Quicquid etiam in burgo ſancti Audomari & extra in terris, manſis, pratis, paludibus, aquis, vivariis, & aliis rebus habetis. Terram arabilem adjacentem atrio ſancti Michaëlis. Terras arabiles & prata in Werdrika. Quicquid poſſidetis in parrochiis de Rakinghere & de Soieka. Octo manſuras terræ quas vobis Simon Preſbyter de Haſebroc intuitu divino conceſſit. Vnam piſam butyri, & terras quas habetis in parrochia de Brokerka. Quinque ſolidos annuos apud Rubroc. Triginta ſex hodos avenæ in parrochia de Sudinghe-ſela. Sanè laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, tam de terris cultis quàm incultis &c. Liceat quoque vobis mulieres liberas & abſolutas è ſeculo fugientes &c. Prohibemus inſuper ut nulli ſororum veſtrarum poſt factam in monaſterio veſtro profeſſionem fas ſit &c. Diſcedentem verò &c. Illud diſtrictiùs inhibentes ne terras ſeu quodlibet beneficium Eccleſiæ veſtræ collatum liceat alicui perſonaliter dare ſive alio modo alienare abſque conſenſu totius Capituli vel majoris aut ſanioris partis ipſius. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter quàm dictum eſt factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. Pro conſecrationibus verò altarium vel Eccleſiarum, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet alio eccleſiaſtico ſacramento, nullus à vobis ſub obtentu conſuetudinis vel alio quolibet modo quicquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus dioceſanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antiſtitem gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis quod poſtulatur impendat. Præterea cùm commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in monaſterio veſtro, excluſis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere ſeu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ordini veſtro conceſſas, necnon & libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vo-

bis indultas auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & in prædicta Capella diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. Amen. Amen. Amen. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XI. Kal. Februarij, Indict. XI. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

ARCHIEPISCOPO ET ABBATI Majoris monasterij Turonensis.

Epist. 193. Confirmatur sententia lata pro Abbatissa sanctæ Mariæ Andegavensis.

CVm dilecti filij fratres Hospitalis Ierosolymitani suam ad nos olim querimoniam destinassent quòd dilecta in Christo filia Abbatissa sanctæ Mariæ Andegavensis eos domo eleemosynaria quam per donationem illustris memoriæ Richardi Regis Anglorum fuerant assecuti, & aliquandiu possederant in quiete, post appellationem ad nos interpositam spoliare fecisset per potentiam laicalem, & detineret eandem contra justitiam occupatam, Cancellario, Archidiacono, & Præposito de Armeliaco Carnoten. commisimus causam ipsam; quorum processum postmodum, quia post appellationem ad nos rationabiliter interpositam & lite non contestata processerant, irritantes, eandem causam de communi assensu partium dilectis filiis Abbati monasterij novi, Priori sanctæ Radegundis, & Magistro G. Canonico Pictavensi duximus committendam; qui causam ipsam diligenter examinantes, eandem ad nos remiserunt sufficienter instructam. Memorata itaque Abbatissa & Hospitalis procuratore propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, idem proposuit procurator quòd per depositiones testium coram jamdictis judicibus productorum multa constabat esse probata, per quæ de violentia ipsis illata manifestè liquebat. propter quod restitutionis beneficium postulabat. Asserebat siquidem manifestè probatum quòd Abbatissa prædicta, collecta multitudine laicorum, ad domum memoratam accessit, petens instanter ut claves ejusdem domus assignarentur eidem. Et licèt fratres Hospitalis commorantes ibidem vocem ad nos appellationis emiserint, ne quid in ipsorum injuriam fieret, protectioni se apostolicæ supponentes, dicta nihilominus Abbatissa secum Andegavensem Præpositum ad domum ipsam adduxit: qui cùm firmiter præcepisset eisdem ut Abbatissæ claves domus restituerent universas, ipsi juxta mandatum ejus, quem non modicum verebantur, eas protinus reddiderunt. Abbatissa verò clavibus receptis ab ipsis, unam partem earum Canonicis & partem aliam suis servientibus assignavit, eisdem injungens ut fratribus Hospitalis victualia nullatenus exhiberent nec ab aliis permitterent exhiberi. Qui cùm per triduum famis inedia graviter afflicti fuissent, ab eodem loco recedere sunt coacti. Ideoque cùm per multitudinem hominum quam Abbatissa secum adduxerat eisdem fratribus, sicut procurator asseruit, fuerit timor incussus, & post appellationem ad nos interpositam ipsis injuria videatur illata, qui per impressionem domini secularis claves ipsius domus restituere ac per subtractionem victualium ab eodem loco recedere sunt compulsi, ad domum ipsam procurator jamdictus restitui postulabat. Pars autem Abbatissæ proposuit in hunc modum, quòd cùm bonæ memoriæ S. Senescallus claræ memoriæ Henrici Regis Anglorum sæpedictam domum cum oratorio in fundo prædicti monasterij sanctæ Mariæ de bonis propriis fundavisset, ac de consensu diocesani Episcopi ordo Canonicorum regularium secundùm beati Augustini regulam fuisset postmodum institutus ibidem, Canonici regulares, quibus fuit domus ipsa concessa, eam longo tempore pacificè possederunt. Ceterùm sæpedictus Richardus Rex de Ierosolymitanis partibus rediens, dum in custodia teneretur, domum ipsam Hospitalariis contulit supradictis; quibus postea venientibus ad eandem ut apprehenderent possessionem ipsius, Abbatissa cum suis sororibus contradixit. Verùm ipsi tam contradictionem earum quàm appellationem ad nos propter hoc interpositam contempnentes, domum ipsam nihilominus intraverunt, & per violentiam ejecerunt Clericos ministrantes ibidem. Cùmque prædictus Rex processu temporis didicisset quòd bona ipsius domus usibuspauperum deputata iidem Hospitalarij dissiparent, Rex idem injunxit ut Hospitalariis ipsis exclusis, Canonici, qui fuerant exinde violenter ejecti, domus ipsius administrationem plenariam obtine-

rent, quam iidem Canonici usque ad hæc tempora continuè tenuerunt. Cùm igitur videretur ex iis constare quòd falsò se asseruerant iidem Hospitalarij spoliatos, ipsis erat meritò juxta ipsius partis assertionem restitutio deneganda. Ad ea verò quæ prædictus procurator objecit in hunc modum eadem pars Abbatissæ respondit, quòd etsi probatum esset quòd ad domum ipsam cum multitudine hominum Abbatissa venisset, nullatenus tamen ostensum est quòd vel per ipsam vel per eos qui cum ea venerant aliqua fuerit ipsis fratribus violentia irrogata, vel etiam quòd Præpositus, qui ad domum accessit, aliquam vim intulerit vel Hospitalariis comminatoriè sit locutus. Sed nec contra appellationem ab ipsis objectam aliquid dinoscitur attentatum, licèt eadem Abbatissa claves domus ab ipsis acceperit resignatas. Quamquam enim Abbatissa mandaverit ut tratribus Hospitalis, qui auctoritate propria remanere volebant ibidem, victualia non darentur, idem reputare non poterant nec debebant ex hoc injuriam sibi factam, cùm Abbatissa minimè teneretur eisdem fratribus, nisi vellet, in victualibus providere. Insuper eadem pars adjecit quòd adversùs Abbatissam prædictam ipsius domus ineptè restitutio petebatur. Quamvis etenim Abbatissa quædam jura sibi vendicet in eadem, pro eo quòd in ea jus obtinet patronatus, ipsam tamen non ipsa sed Canonici possident supradicti. Vnde cùm ipsa non possideat, nec dolo desierit possidere, adversùs ipsam rite non poterat interdictum restitutorium intentari. Nos igitur iis & aliis quæ tam coram judicibus supradictis quàm etiam coram nobis partes proponere curaverunt plenius intellectis, de consilio fratrum nostrorum Abbatissam prædictam ab impetitione prædictorum procuratoris & Hospitalariorum quoad possessorium, de quo tantummodo actum esse dinoscitur, sententialiter duximus absolvendam. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kal. Februarij anno decimo.

VIENNENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Gebennensi, & Abbati de Cassania Cistercien sis ordinis Lugdunensis dioceſis.

Epist. 194. De Archiepiscopo Lugdunensi variis accusationibus impetito.

IN tantum clamor qui jamdudum ascendit contra Lugdunensem Archiepiscopum invaluescit quòd dissimulare ipsum ulteriùs sine periculo non valemus. Præter alia quippe gravia quæ frequenter & à multis sunt relata de ipso, nuper nostris est auribus intimatum quòd monasterium Saviniacense destruxit, & cœnobium de Lirin incendio devastavit, castra quoque Montis Trotarij & de Monte Bloi contra proprium juramentum invasit, & exilio tradidit ipsorum accolas universos. Lugdunum verò non solùm promissa pace, sed & fide quam præstiterat non servata, pro majori parte demolitus est, tum incendio, tum ruinis; ubi plures in ore gladij, & nonnulli aquarum submersionibus perierunt; quamvis cives ejusdem se ac sua protectioni apostolicæ supponentes, nostram audientiam appellassent; in quos demum idem Archiepiscopus, appellatione contempta, excommunicationis & interdicti sententias non erubuit jaculari. Qui etiam stratam publicam violare ac nova mercatoribus imponere pedagia non desistit. Quia igitur hæc, si vera sunt, conniventibus non debemus oculis pertransire, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si super iis vel aliis contra ipsum legitimus apparuerit accusator, indulta copia defensionis eidem, audiatis quæ contra ipsum proposita fuerint ac pro ipso, & habito præ oculis solo Deo, via regia incedentes, quod canonicum fuerit statuatis, facientes quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Quòd si nullus accusator prodierit contra ipsum, cùm eum super iis fama nobis accuset infamis, veritatem nihilominus sublato appellationis obstaculo diligentissimè inquiratis, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis destinare curetis, præfigentes eidem Archiepiscopo terminum competentem quo per seipsum vel responsalem idoneum nostro se conspectui repræsentet; ut tam ipso quàm illis qui processerint contra eum in præsentia nostra præsentibus, & suas, si voluerint, exponentibus plenius rationes, justum auctore Deo judicium proferamus. Dictas autem excommunicationis & interdicti sententias, si post appellationem ad nos legitimè interpositam inveneritis esse

latas, denuntietis auctoritate apostolica nullas esse. Alioquin eis juxta formam Ecclesiæ relaxatis, audiatis si quid fuerit quæstionis, & appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis districtione qua convenit firmiter observari. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IX. Kal. Februarij, anno decimo.

EPISCOPO ET DECANO ET Capitulo Altisiodorensi.

Epist. 195. De regalia Autissiodorensi. Vide lib. 13. epist. 180. lib. 14. epist. 52. lib. 15. epist. 39. 40.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* complere. Cùm igitur carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris quicquid juris habebat in regalibus Ecclesiæ vestræ sede vacante, ipsi Ecclesiæ, divinæ intuitu pietatis concesserit, ita quòd omnes proventus eorundem regalium & præbendæ quas interim vacare contigerit, per vos, filij Decane ac capitulum, futuro Episcopo reserventur, nos vestris precibus benignum præbentes assensum, concessionem ipsam, sicut pietatis studio facta est, & in ejusdem Regis authentico plenius continetur, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam authenticum ipsum huic nostræ paginæ de verbo ad verbum duximus inserendum. IN NOMINE sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quòd nos intuitu pietatis & ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum damus & concedimus in perpetuum Ecclesiæ Altisiodorensi quicquid juris habebamus in regalibus Altisiodorensibus vacante sede, ita quòd Decanus & Capitulum ejusdem Ecclesiæ custodient regalia sede vacante, & omnes proventus qui exinde procedent, & præbendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus futuri Episcopi, salvo servitio nostro equitationis, exercitus, & submonitionis, sicut Episcopi Altisiodorenses nobis fecerunt. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate & regij nominis charactere inferiùs annotato præsentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno Domini MCCVI. regni verò nostri anno vicesimo septimo. Astantibus in palatio nostro quorum nomina suppositа sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis Buticularij. S. Matthæi Camerarij. S. Droconis Constabularij. Data vacante cancellaria per manum fratris Guarini. Nulli ergo omnino hominum &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XV. Kal. Februarij anno decimo.

ALTISIODORENSI EPISCOPO.

Epist. 196. De lectoria & scholastria Ecclesiæ Autissiodorensis. Vide gesta Episcoporum Autissiodor. p. 487.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cùm Archidiaconus tuus duo officia, lectoriam videlicet & scholastriam, in Ecclesia tua potestatem habeat conferendi, quia non reperiuntur qui eadem velint recipere, cùm redditus non habeant competentes, idem collationem ipsorum ad jus episcopale devenire consentit, pro eo quòd tu Ecclesiæ utilitatem attendens proposuisti prædictis officiis congruos redditus assignare. Verùm quia id sine auctoritate sedis apostolicæ robur obtinere non putas, nobis humiliter supplicasti ut collationem prædictorum officiorum tibi & successoribus tuis concedere dignaremur. Nos igitur benignè tuis precibus annuentes, tibi & successoribus tuis auctoritate præsentium indulgemus ut si Archidiaconi tui consensus accesserit, prædicta officia personis idoneis liberè conferatis, postquam curaveris ad eadem competentes redditus deputare. Nulli ergo omnino hominum &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum X. Kal Februarij, anno decimo.

MAGISTRO P. DECANO Bertorij.

Epist. 197. Confirmatur divisio decanatuũ Thoarcensis & Bertorij.

CVm olim dilectus filius Thoarcensis Decanus noster apostolatui referarit decanatum suum contra Lateranense Concilium divisum fuisse, cujus partem te asseruit possidere, ac super hoc à dilecto filio Abbate de Tenallia, Cantore ac magistro C. Natali Canonico Xanctonensi examinari mandaverimus veritatem, & iidem nobis causam ipsam remiserint sufficienter instructam, eam dilecto filio Andreæ Subdiacono & Rainaldo Acolytho Capellanis nostris commisimus audiendum. Coram quibus proposuit pars adversa quòd eodem decanatu vacante, venerabilis frater noster Iohannes quondam Lugdunensis Archiepiscopus, tunc Episcopus Pictavensis, assensu sedis apostolicæ minimè requisito, nulla exigente utilitate vel necessitate urgente, cùm in reddendis procurationibus per hoc magis gravetur Ecclesia Thoarcensis, & per unum utrique decanatui posset satis commodè

provideri in singulis Ecclesiis populo tam in morte quàm vita & parvulis exhibentibus sacerdotibus ecclesiastica sacramenta, non dubitavit ipsius facere sectionem. Ex parte verò tua fuit propositum coram nobis quòd cùm decanatus prædictus, sicut & alij diocesis Pictaviensis, quando vacant, noscatur in Pictavensis Episcopi residere potestate & ad eum ipsius donatio pertinere, dictus Episcopus causam utilitatis & necessitatis attendens, sicut per suas nobis litteras intimavit, & ejus amplitudine considerata, & cognoscens quantum populis & Ecclesiarum sacerdotibus, si uni more solito committeretur personæ, periculum exinde proveniret, cum suo Capitulo deliberato consilio, præsertim cum ... ejusdem loci Archidiacono, aliisque viris prudentibus & discretis illum ex æquo censuit dividendum, & quòd Thoarcensi decanatu in parte redacto, tuo subiceretur decanatui pars subtracta in castro Bertorij ab eodem Episcopo constituto. Volens igitur quod providè proposuerat cum cautela debita perducere ad effectum, publicavit suum propositum in synodo generali; & cùm dispositio tam salubris, quæ multis in pluribus operabatur salutem, fuisset ab omnibus in ea residentibus commendata, nec alicui præjudicium vel injuriam generaret, personarum & rerum acceptione remota, in ipsam actualiter divisionem procedens, Decanos singulos in castris instituit memoratis, viros, quantum ad humanum spectabat examen, providos & honestos: qui hujusmodi partibus sibi taliter assignatis contenti, nullam inter se contentionem, sed omnimodam concordiam usque ad suum obitum habuerunt. Idem insuper Episcopus, qui legationis officio in Burdegalensi provincia tunc temporis fungebatur, divisionem tam solemniter celebratam publicè confirmavit. Sicque usque ad hæc tempora sine reclamatione aliqua res permansit, facto ipso à suis successoribus approbato. Ceterùm auditores præfati à partibus iis & aliis intellectis, de mandato nostro peritorum in jure consilia requirentes, & intelligentes per eorum responsa quòd debebat talis divisio confirmari, tum quia facta fuerat cum approbatione totius Capituli & synodi generalis, & præcipuè loci Archidiaconi, ad quem decanatus ipsius erat specialiter jurisdictio devoluta, tum quia tot erant Ecclesiæ sub decanatu antiquo quòd eas unus commodè non poterat gubernare, tum etiam quia longo tempore duraverat in quiete, sicut per testes quamplures & per ipsius Episcopi litteras probabatur, qui auctoritate legationis apostolicæ ipsam etiam confirmarat, hæc omnia nobis fideliter retulerunt. Nos igitur sæpedicti Episcopi, de cujus vita & fide plenam fiduciam obtinemus, testimonio inhærentes, divisionem eandem, quæ causa facta dinoscitur utilitatis & necessitatis inspecta, duximus auctoritate apostolica confirmandam, te super hoc ab impetitione adversarij absolventes. Nulli ergo omnino hominum &c. nostræ confirmationis & diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Kal. Februarij, anno decimo.

Dunkeldensi & Brechinensi Episcopis, & Abbati de Kelchou diocesis sancti Andreæ.

Epist. 198. De confirmatione electionis Episcopi Aberdenensis.

ACcedentes ad præsentiam nostram dilecti filij Decanus & Archidiaconus Aberdenenses cum Capituli sui litteris nobis exponere curaverunt quòd cùm Ecclesia sua proprio esset viduata pastore, dilectum filium Adam Clericum, virum utique providum & honestum, unanimiter in suum Episcopum elegerunt, nescientes eum non esse in sacris ordinibus constitutum. Quo interim ad ordinem subdiaconatus promoto, ipsi perseverantes in priori consensu, eum iterum elegerunt, petentes ut electionem ipsius confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Cùm igitur ejusdem electi persona multipliciter commendetur, & cum multo favore populi Princeps terræ consentiat in eandem, utpote quæ speratur Ecclesiæ in administratione spiritualium & temporalium profutura, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus examinata electione pariter & electo, si dictus Adam se administrationi episcopalium non ingessit, nec se fecit, ut obtineret episcopatum, in Subdiaconum promoveri, dummodo aliud canonicum non obsistat, electionem de ipso factam auctoritate apostolica confirmetis, & faciatis eidem reverentiam & obedientiam debitam exhiberi, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Nullis litteris veritati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Februarij, anno decimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DECANO ET CAPITVLO beati Macutt de Barro Lingonensis diocesis.

Epist. 199. De Canonico non residente.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quòd R. concanonicus vester à longis retroactis temporibus abiit in Vngariam, & ibidem per viginti annos & ampliùs commoratus, adeptus est ecclesiasticos redditus abundantes. Vnde cùm illum non æstimetis ad Ecclesiam vestram de cetero reversurum, per sedem postulastis apostolicam edoceri utrum tibi, fili Decane, ad quem spectat donatio prebendarum, liceat prebendam illius alicui personæ idoneæ assignare, qui Ecclesiæ vestræ valeat deservire. Nos igitur rigorem canonum temperantes, istud vobis duximus concedendum, quatenus ad prebendam illius aliquam personam idoneam in vicarium ordinetis, qui fructus ejus percipiat, & Ecclesiæ vestræ impendat debitum famulatum, donec idem redeat requisitus; & si redire noluerit, vel antequam possit requiri decesserit, ei qui Vicarius fuerat institutus, si se dignum reddiderit per conversationem honestam, eadem canonicè conferatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Februarij, anno decimo.

DECANO ET CAPITVLO Nivernensi.

Epist. 200. De fructibus persolvendis Canonico stanti in studio.

CVm, sicut per vestras nobis litteras intimastis, antiqua consuetudo in Ecclesia vestra servata sit hactenus & à singulis Canonicis interpositione fidei roborata, ut pueri Canonici citra sacros ordines constituti minores partitiones percipiant, & medietate majorum proventuum in blado consistentium ac denariis non fraudentur, mandatum nostrum libenter effectui mandassetis quod fecimus ut dilecto filio P. concanonico vestro, nepoti venerabilis fratris nostri Turritani Episcopi, fructus prebendæ suæ sine diminutione solveretis in scholis, nisi dubitassetis præfatæ consuetudini contraire; præsertim cùm magister P. de Vico procurator ejusdem pueri, prout dicitur, in anima jurarit ipsius quòd eam inviolabiliter observaret. Vnde responsum apostolicum postulastis quid faciendum sit vobis è duobus hujusmodi coartatis. Licèt igitur talia contra nos non debeant allegari, cùm in hoc vel exprimi vel subintelligi debuisset ut salva semper esset apostolicæ sedis auctoritas quæ, disponente Domino super universas Ecclesias & tam res quàm personas ecclesiasticas obtinet plenitudinem potestatis, alioquin illud debeat tamquam temerarium reprobari, erimus tamen ad removendum omne dubietatis scrupulum hoc contenti, si tantum prædicto P. præsertim in scholis de communibus proventibus persolveritis quantum perciperet de præbenda. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Kal. Februarij, anno decimo.

EPISCOPO GEBENNENSI & Abbati Bonævallis Viennensis diocesis.

CVm virtus mutuò sese diligat & aspernari contraria dinoscatur, si meritum virtutis & gratiæ quo dilectus filius magister Oliverius noscitur præminere, venerabilis frater noster Gratianopolitanus Episcopus diligentiùs notavisset, profectò dilexisset illud in eo quod in ipso quemadmodum in Episcopo decet esse, nec compulisset eum ob illud ad nostram præsentiam laborare quod contulisse sibi virtus quidem esse videtur, vitium abstulisse; præsertim cùm temperanter extra paupertatem & citra divitias volens esse, apud ipsum pro sua maluerit caritate necessario, quod sibi dederat, beneficio manere contentus quàm alibi pro virtutibus suis, quæ minimè sustinerent eundem sustinere defectum, amplioribus abundare. Qualiter autem eum super Ecclesia Aspernadi dudum sibi ab eodem concessa, post receptionem litterarum nostrarum, quas eidem magistro de ipsius confirmatione concessimus, aggravaverit, non nos latet; qui verecundiæ suæ parcentes, exaggerare nolumus quod est gestum, ne quod justum est justè agere compellamur. Vnde nos eidem Episcopo per scripta nostra districtè præcipiendo mandavimus ut dictam Ecclesiam cum fructibus inde perceptis memorato magistro sine dilatione resignans, permittat eum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, suæque probitatis obtentu, ipsam pacificè possidere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si præfatus Episcopus quod mandamus neglexerit adimplere, vos eum ad id, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, qua convenit districtione cogatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum 111. Kal. Februarij, anno decimo.

Epist. 201. Scribit in gratiam magistri Oliverij. Vide num is sit cujus habemus epistolam in collectione Bongarsij pag. 1185. Ad eum scribit Innoc. 3. lib. 16. epist. 23.

CONSEN-

CVSENTINO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 202. Consolatoria ad.

LEgisse te credimus & per experientiam didicisse quòd avis ad volatum & homo nascitur ad laborem. Militia enim est vita hominis super terram. Quod cùm habeat ex conditione naturæ, nihilominus imminet illud ei ex præcepto dicentis: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Reddet namque Dominus sanctis suis mercedem, non solùm fructuum, sed laborum. Cujus expers non fuit Apostolus qui dicebat, *Plus ceteris laboravi*; non dicens, *plus ceteris fructum feci.* Quia igitur ostendere Dominus tibi cœpit quanta te oporteat pro nomine suo pati, & hostis tuus congredientem te secum terribilibus oculis est intuitus, ita ut colluctatio tibi adversùs carnem & sanguinem non sit tantùm sed adversùs spiritualia nequitiæ in cœlestibus, ad fortia te decet mittere manum tuam, & cunctis diebus quibus nunc militas donec veniat immutatio tua, fiducialiter expectare; ne, quod absit, dicentibus tibi tentatoribus tuis, *Incurvare ut transeamus*, à statu tuæ rectitudinis inclineris, & cadere incipias ante illos. De quibus oportet te dicere cum effectu: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & donec deficiant non convertar.* Proinde fraternitatem tuam monemus attentiùs & exhortamur in eo qui est in se sperantium fortitudo quatinus in pugna quam contra te per ministros suos universæ terræ malleus incitavit, non deficias, sed proficias, & adversùs principes & potestates harum tenebrarum invicta mente resistas. Deus enim fluctuationem in æternum justo non dabit, nec tentari te patietur ultra quàm valeas sustinere. Propter quod, si consistant adversùs te castra, non timeas; immo, sicut de viro constante legitur, si fractus orbis collapsus fuerit, impavidum te ruinis perferendum esse confidas; ut tandem cùm in hujusmodi bello fortis inventus fueris, & pugnam superaveris serpentis antiqui, is qui calcandi super serpentes & scorpiones tibi contulit potestatem, cum illis quibus dicturus est, *Venite ad me qui laborastis & onerati estis*, vincenti tibi de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei tui, det edere, teque faciat pro laboribus transitoriis requie sempiterna gaudere. Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Kal. Februarij, anno decimo.

Epist. 203. Decidituir causa monaste-

IN nomine Domini. Amen. Cùm causa quę vertitur inter monasterium Fossæ novæ ex una parte & commune Pipern ex altera super silva Morgazani fuisset commissa Domino Hugolino Episcopo Hostiensi à summo Pontifice terminanda, convocatis partibus ante præsentiam suam, libellum monasterij recepit compositum in hunc modum. Ego L. Yconomus monasterij Fossæ novæ pro parte & vice monasterij peto à sanctitate vestra ut ex officio vestro juxta mandatum apostolicum inhibeatis Pipernensibus ut non molestent dictum monasterium super silva Morgazani, neque turbent possessionem nostram. Item peto quòd de damnis & injuriis illatis monasterio satisfieri faciatis.] Cui libello in hunc modum à Pipernensibus est responsum. Ego B. procurator Pipernensium dico silvam Morgazani in possessione nostra, videlicet avorum, patrum, & nostra semper fuisse; & dico ipsam silvam fuisse confirmatam nobis per præceptum Domini Honorij Papæ & Alexandri & Calixti. Vnde si Pipernenses aliquid operati sunt in ea, incidendo, vel pascendo, vel venando, pro suo jure rationabiliter posse-derunt. Vnde dico quia non teneor de injuria vel de aliquo damno, si illatum est.] Itaque cùm Dominus Hostiensis aliquandiu de causa cognovisset eadem, commisit vices suas Archipresbytero Pipernensi & Iudici Sitinensi: qui receptis testibus utriusque partis, instrumentis & rationibus diligenter inspectis, causam ad Dominum Papam remiserunt sufficienter instructam. Dominus autem Papa licèt Consules & populum Pipernensem ad se sæpius evocaret, neque per se neque per sufficientem responsalem coram eo voluerunt aliquatenus comparere. Quia tamen causa ipsa inspectionem locorum & finium exposcebat, mihi * Petro de Sasso Dei gratia sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris Presbytero Cardinali, qui tunc in ipsis partibus commorabar, commisit ipsam controversiam dirimendam, dans mihi per litteras in mandatis ut Pipernenses ipsos ex abundanti ad meam præsentiam evocarem, ac locis ipsis, de quibus erat quæstio, rationibus, attestationibus, & instrumentis utriusque partibus, quæ sub sigillo Domini Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani mihi transmittebantur inclusa, diligenter inspectis, non differrent causam ipsam calculo diffinitivæ sententiæ terminare. Ego igitur juxta mandatum apostolicum accedens ad locum, fines, & loca de quibus quæstio vertebatur, rationes, attestationes, & instrumenta utriusij Fossæ novæ cum communi Piperni.

* Vide Chronicon Fossæ novæ. pa. 481.

que partis ibidem diligenter inspexi; & cùm pro penuria jurisperitorum non possem commodè illuc sententiam ferre, nec ipsos possem ad concordiam aliquatenus revocare, parti utrique, quòd se summo Pontifici præsentarent, octavam Nativitatis duxi pro termino præfigendam. Venientibus autem Domino Abbate & quibusdam monachis de Fossanova termino constituto, Pipernenses venire modis omnibus contempserunt. Et sic ad instantiam Abbatis & monachorum iterum Dominus Papa mihi associare curavit Dominum Guidonem de Capite porci & socium ejus & Dominum G. de Tocco; coram quibus Abbas Fossænovæ proposuit se silvam Morgazani non vi, non clam, non precario possidere; & suam intentionem fundatam esse per plures testes asserebat, qui dicunt quòd terram in qua modò est silva Morgazani monasterium colonis dederit ad laborandum, & quòd partem frugum & quasdam operas de ipsa terra receperit ab eisdem, & quòd monachi Fossænovæ silvam in Morgazano postea levaverunt. Item quòd per triginta annos usque ad hunc annum pro suo custodierint & defenderint Morgazenum. Item quòd à quadraginta annis & etiam quinquaginta quietè & pacificè silvam monasterium possedit eandem. Ad elidendum autem monasterij intentionem fuit propositum ex adverso, non monasterium, sed Pipernenses prædictam silvam pacificè possidere. Ad quod probandum quoddam rescriptum bonæ memoriæ Calixti Papæ, renovatum per Dominum Alexandrum, facere videbatur: in quo continebatur quòd Crescentius de Sonnino terram Morgazani & de Mortecto & omnes alias terras Pipernensium refutavit de quibus Pipernenses in possessione fuerunt, sicut expressim hoc elicitur ex rescripto; & sic per hæc verba possessionem probare nitebantur. Testes præterea inducti fuerunt ad probandam possessionem quòd Pipernenses silvam monachis commendarunt; & sic monachis, non sibi, sed Pipernensibus possederunt. Nam is possidet cujus nomine possidetur. Item quòd lignis, pascuis & herbis, atque mappalibus usi fuerunt homines de Piperno. Ad hæc omnia præfatum monasterium replicabat dicens prædictas allegationes sibi in aliquo non obstare. Inprimis rescripto Papæ Calixti taliter respondebat, quòd quæstio super qua emanavit rescriptum, non inter monasterium & Pipernenses, sed inter Pipernenses & Crescentium de Sonnino tunc temporis vertebatur. Ergo res inter alios acta aliis nec prodesse poterit nec obesse. Item posito quòd inter monasterium & Pipernenses fuisset illa quæstio ventilata, non probatur per hoc possessio. Nam illa clausula quæ in præfato continetur rescripto (*de quibus in possessione fuerunt &c.*) ad proximè dicta est tantummodo referenda, si rescriptum subtiliter sit inspectum. Recommendationi autem taliter respondebat, quòd per eam possessio non probatur. Nec enim probatur per testes quòd silvam recommendaverit universitas Pipernensis, sed simpliciter Pipernenses. Sed posito quòd probaretur, non posset aliquatenus hoc obesse; quia, sicut dicunt testes, facta fuit monachis, non conventui vel collegio Fossænovæ. Ergo posito quòd talem recommendationem monachi recepissent, non poterit per eos præjudicium monasterio generari, ne damno Ecclesiam atterat culpa temeritatis alienæ. Item ad id quod dicunt, quòd fuerunt usi pascuis, lignis &c. taliter monasterium replicabat, quòd per usum lignorum &c. possessio non probatur, cùm nedum usuarius, immo & fructuarius, vix à jure civili obtinere potuit ut naturaliter possideret; quia non dicit lex quòd naturaliter possideat, sed quòd videtur naturaliter possidere. Sed posito quòd usus possessionem induceret, non probatur quòd esset usa universitas Pipernensis, sicut & superiùs fuit in recommendatione plenius allegatum; maximè cùm alij vicini silva utantur eadem, nec possint dici ideo possidere. Item allegabat pro se monasterium Fossænovæ quòd, sicut cautum est in jure civili, illa ratione potissimùm debeat obtinere quòd tempore litis contestatæ non vi, non clam, non precario possidebat. Auditis igitur iis & aliis rationibus & plenius intellectis, auctoritate Domini Papæ & prædictorum jurisperitorum consilio adjudicamus jam dictam silvam Morgazani monasterio Fossænovæ pacificè possidendam & Pipernenses ab omni molestia super eadem silva cessare, sententialiter diffinimus, quæstione proprietatis sine utriusque partis præjudicio reservata. Hanc verò sententiam ad majorem cautelam scriptam per manus B. dilecti nostri Capellani nostro sigillo fecimus communiri. Anno dominicæ incarnationis MCCVIII. mense Ianuarij, x. Kal Februarij, anno decimo pontificatus Domini Innocentij III. Papæ.] Nulli

ergo omnino hominum &c. noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum III. kal. Februarij, anno decimo.

ALTISSIODORENSI EPISCOPO.

Epiſt. 204. Adversùs uſuarios burgi de Caritate. Vide ſuprà epiſt. 61.

AA audientiam noſtram te ſignificante pervenit quòd quidam burgenſes de Caritate, licèt in ea per totum ferè annum vel pro majori parte morentur & contractus exerceant uſurarum, in tribus tamen feſtivitatibus annualibus ſe ad villas Regis vel aliorum Principum extra tuam dioceſim transferunt jura parochialia exercentes ibidem, ut ſic ſe parrochianos alterius mentientes, tuam juriſdictionem eludant, coram te juri parere penitùs contemnendo. Quia igitur fraus & dolus nemini debet patrocinium impertiri, ut uſurarios ſupradictos, ſi res ita ſe habet, ad exhibendum tibi tamquam patri & paſtori ſuo reverentiam & obedientiam debitam, recipiendo tua ſalubria monita & præcepta, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam nonobſtante fruſtratoriæ appellationis objectu compellas, liberam tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum I v. Idus Ianuarij, anno decimo.

PETRO ABBATI MONASTERII ſancti Martini de Monte, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 205. De confirmatione privilegiorum. Vide poſtea lib. XIII. cap. 116.

LIcèt monaſterium veſtrum pauperculum fuerit ab initio, in tantam tamen proceſſu temporis paupertatem devenit ut vix in eo tres monachi remanſiſſent, poſſeſſionibus ejus vel omnino diſtractis vel graviter obligatis. Vnde in generali Ciſtercienſi Capitulo extitit diffinitum ut à Ciſtercienſi ordine ſeparari deberet, cùm in eo non poſſet Ciſtercienſis ordo ſervari. Nos autem, qui religionem intendimus fovere plantatam, nolentes ab ipſo monaſterio religionem penitùs extirpari, mille libras tribuimus ad poſſeſſiones ejuſdem monaſterij retinendas, mandantes dilectis filiis Abbati & fratribus Pontiniacenſis cœnobij, quod per Dei gratiam & in ſpiritualibus & in temporalibus valde floret, ut Eccleſiam veſtram de noſtra conceſſione in ſpecialem filiam adoptantes, Abbatem & conventum ad illam dirigerent reformandam. Quod ipſi grato proſequentes affectu, vos cum quibuſdam converſis ad ipſum monaſterium tranſmiſerunt. Verùm quia nec ſic monaſterium ipſum ſufficere poterat ad conventum ſuſtentandum honeſtum, Eccleſiam ſancti Salvatoris poſitam juxta Orclem cum omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis vobis & per vos monaſterio veſtro in perpetuum duximus concedendam, impenſuri vobis auctore Domino in aliis neceſſitatibus veſtris auxilium opportunum cùm laudabiliter vos proficere cognoverimus, prout cupimus & ſperamus. Ipſum itaque monaſterium, prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis Eugenij, Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus, qui ſecundùm Deum & beati Benedicti regulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur &c. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſenti juſtè & canonicè poſſidet &c. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Eraſmi ad portam Salciccle, Eccleſiam ſancti Iohannis de Petra, Eccleſiam ſancti Petri, Eccleſiam ſancti Viti, Eccleſiam ſancti Peregrini, Eccleſiam ſancti Thomæ, Eccleſiam ſanctæ Luciæ de caſtro Viterbij, Eccleſiam ſancti Clementis, Eccleſiam ſancti Iohannis de Valle, Eccleſiam Leonardi cum hoſpitali de Reſcietis. In Petrognano Eccleſiam ſancti Andreæ, Eccleſiam ſanctæ Mariæ, Eccleſiam ſancti Zenonis, cum earum pertinentiis, Eccleſiam ſancti Clementis cum pertinentiis ſuis. In Vetralla Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caiano. Domos quas habetis infra caſtrum ſupradicti Petrognani; terras, vineas, hortos, oliveta, quæ habetis in territorio ejuſdem caſtri. Terras quas habetis apud ſanctum Alexandrum, & ipſam Eccleſiam ſancti Alexandri. Campum de Larteſo cum valle de Viniola, vineas, terras, ſilvas, & caſtaneta quæ circa monaſterium veſtrum habetis. Vineas de Lugnano, cum olivete. Terras quas habetis apud Montem Monaſterulum. In caſtro ſancti Victoris Eccleſiam ſanctæ Luciæ cum omnibus pertinentiis ſuis. Prædictam quoque Eccleſiam ſancti Salvatoris poſitam juxta Orclem, cum omnibus poſſeſſionibus &

pertinentiis suis. Terras cum arboribus & domos quas habetis apud Casam malam. Terras quas habetis apud castrum Canapium. Silvam quam habetis in Valle alta, & quartam partem castri de Salice cum pertinentiis suis. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quàm incultis &c. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes &c. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit &c. Discedentem verò &c. Quòd si quis retinere fortè præsumpserit &c. Ad exemplar etiam privilegij prædicti Lucij prædecessoris nostri, quod ipsi nobis præsentatum inspeximus, inhibemus ut infra parrochias Ecclesiarum vestrarum nullus novam Ecclesiam vel Capellam ad damnum veterum Ecclesiarum construere vel ædificare præsumat. Salvis tamen privilegiis Pontificum Romanorum. Illud districtiùs inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare sive alio modo alienari absque consensu totius Capituli &c. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter quàm dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis monachus sive conversus sub professione vestræ domus astrictus sine consensu & licentia Abbatis & majoris partis vestri Capituli pro aliquo fidejubeat vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat ultra pretium Capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur conventus pro iis aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant quæstionem, fratrum vestrorum testimoniis uti &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus Episcopus vel alia quælibet persona ad synodos vel conventus forenses vos ire vel judicio seculari de propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ac domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire præsumat, nec regularem Abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cistercienſis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus verò altarium vel Ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus à vobis &c. Alioquin liceat vobis quemcunque malveritis catholicum adire antistitem gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem &c. Quòd si sedes diocesani Episcopi fortè vacaverit, ecclesiastica sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè & absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum præjudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ sedis, ut diximus, communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum & vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate apostolicæ sedis recipere valeatis. Porrò si Episcopi vel alij Ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quòd decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quòd aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus in quibus vos laboratis & alij feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra sedis apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam; nec litteræ ullæ firmitatem habeant quas tacito nomine Cistercienſis ordinis & contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Præterea cùm commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam &c. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, necnon & libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principi-

bus vel aliis fidelibus &c. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare &. Salva sedis apostolicæ auctoritate & in prædictis Ecclesiis diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Kalendis Februarij, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVI. pontificatus verò Domni Innocentij PP. III. anno decimo.

ALTISSIODORENSI ET Trecensi Episcopis.

Epist. 206. Super inquisitione contra novellos hæreticos. Vide supra lib. 1. epist. 63. 99. & Raynald. ad an. 1233. §. 59.

EX tenore litterarum tuarum, frater Altisiodorensis, accepimus quòd licèt bonæ memoriæ prædecessor tuus, tamquam pastor providus & discretus, super gregem suum noctis vigilias vigilans, à burgo qui Caritas appellatur eliminare laboraverit hæreticam pravitatem cura & solicitudine diligenti, nondum tamen Babylon illa plenè potuit ab hujusmodi languore curari; sed quamplures utriusque sexus, qui coram præfato prædecessore tuo quamlibet hæresim abjurarunt, quasi canes ad vomitum redierunt; quibus non sufficit quòd dederunt perditioni seipsos, sed ad perditionem secum trahere alios moliuntur, quosdam hæresiarchas, quos * Consolatores appellant, in vaccas populorum introducentes latenter, qui necent veneno doctrinæ pestiferæ oves tuas. Herveus enim de Lorriaco & Hugo Rapterius & quidam alij, sicut accepisti pro vero, qui tempore prædecessoris tui, cùm essent hæretici, à villa fugere prædicta, sub mercationis obtentu cum consanguineis suis nunc adeunt loca suspecta, & per tres aut quatuor menses commorantes ibidem, cùm redeunt, sicut dicitur, secum adducunt sani dogmatis perversores. Thomas quoque Morandus, quem propter confessam hæresim tuus excommunicaverat anteccessor, postquam ab Archidiacono Parisiensi beneficium absolutionis obtinuit per quasdam litteras nostras veritate tacita impetratas, infamiam jam contractam non studuit exhibitione bonorum operum abolere. Vnde cùm illum, tamquam Æthiopem, mutasse non æstimes pellem suam, in pristinam sententiam postulasti reduci donec constiterit quòd se reddiderit absolutionis beneficio non indignum. Præterea Gaufridus & W. de Monneto, Stephanus Pasturelli, &.. relicta W. Senneveri, cum tempore dicti prædecessoris tui fuissent super hæresi accusati, ab Altisiodorensi diocesi recesserunt: qui cùm modò redierint, & tu de fide ipsorum velis, prout ad officium tuum pertinet, certus fieri, in subterfugium malignandi, licèt in tua diocesi suas habeant mansiones, nunc Nivernensis, nunc Bituricensis diocesis se fatentur. Quare ad prædictos pestiferos & alios de hæretica pravitate suspectos, ne ipsorum arbusta operiant cedros Dei, apostolicæ sedis falcem apponi suppliciter postulasti. Cùm igitur prædecessor tuus, tamquam bonus agricola, ad captionem vulpecularum illarum, quæ moliebantur commissam sibi vineam demoliri, sollicitè institerit ac prudenter; tu super gregem tuum debes sollicitè vigilare, ne lupi rapaces oves tuas rapiant & dispergant, sciens quòd quemadmodum in honore, ita eidem & in onere successisti. Nos quoque postulationibus tuis benignum præbentes assensum, fraternitati vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus quatenus contra præfatas beluas, juxta quod vobis desuper fuerit inspiratum, sublato appellationis obstaculo auctoritate apostolica procedatis, superseminatam zizaniam de agro dominico evellentes, & plantantes orthodoxæ fidei puritatem. Contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Idus Ianuarij, anno decimo.

* Vide Concilibul. Caramens an. 1167. & Reiner cap. 4. contra Valdenses.

GREGORIO CAPELLANO Ecclesiæ de Othcapella.

Epist. 207. Adjudicatur sibi ipsa Ecclesia.

CVm dilectus filius Arnoldus Abbas monasterij de Mildeburg super Ecclesia de Othcapella, quam canonicè obtinebas, te intenderet molestare, tu appellationem ad sedem apostolicam interponens ad nostram præsentiam accessisti, & apostolicas litteras ad dilectos filios majoris Ecclesiæ & sanctæ Mariæ ac sancti Petri Præpositos Trajecten. super eadem controversia reportasti: qui examinantes negotium diligenter, & testes recipientes utrinque productos, ad nos sufficienter instructum idem negotium remiserunt. Te verò ac prædicti procuratore Abbatis in nostra præsentia constitutis, causam ipsam dilecto filio Andreæ Subdiacono & Capellano nostro commisimus audiendam. Coram quo asserere curavisti quòd cùm

olim ad eandem Ecclesiam à parrochianis ipsius, qui quasi possessionem juris patronatus habebant in ea, Giliberto quondam Abbati præfati monasterij fueris præsentatus, & sine contradictione cujuslibet institutus, postmodum eodem viam universæ carnis ingresso, successor ejusdem tibi super Ecclesia memorata movere quæstionem incepit; sed ab ejus impetitione sententialiter absolutus per Episcopum Trajectensem, ad majorem cautelam per eundem tuum adversarium in prædictæ possessionem Ecclesiæ corporaliter es inductus. Vnde postulabas à nobis ut super ea ipsi tuo adversario silentium imponere dignaremur, quam à suis prædecessoribus legitimè fueras assecutus. Verùm cùm præfatus auditor hæc & alia quæ coram eo partes proponere voluerunt nobis fideliter retulisset, & quæ utrinque probata fuerant intimasset, nos tibi adjudicare curavimus Ecclesiam sæpedictam, super ea perpetuum silentium tuo adversario imponentes. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IV. Idus Februarij, anno decimo.

EPISCOPO, T. ARCHIDIACONO, & Scholastico Tornacensi.

Epist. 208. Quòd inquirant contra Episcopum Trajectensem.

LIcèt Trajectensis Episcopus coram venerabili fratre nostro Hostiensi Episcopo & dilecto filio Leone tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinale apostolicæ sedis Legatis & magnatibus pluribus, quòd non pervenerat ad eundem excommunicationis sententia qua ipsum fecimus innodari, nec contra sedem apostolicam cum quibusdam Clericis conjurationem inierat, se nisus fuerit multipliciter excusare, frustra tamen juxta Salomonis sententiam jacitur rete ante oculos pennatorum. Verùm quia idem nobis humiliter supplicavit ut ipsi beneficium absolutionis faceremus impendi, quod humiliter postulanti non debet aliquatenus denegari, discretioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus ab eo in publicum juratoria cautione recepta quòd sine conditione aliqua & tenore parebit apostolicæ sedis mandatis, ipsi absolutionis beneficium impendere procuretis, post hæc monentes eundem attentiùs & efficaciter inducentes ut Parent. & P. de Cicc. civibus Romanis, Alex. & Accat. mercatoribus Senensibus, vel ipsorum nuntiis, de pecunia quam eisdem tenetur exolvere, sicut continetur in authenticis instrumentis, satisfacere studeat usuris cessantibus vel componere cum eisdem; & si necesse fuerit, ipsum ad hoc tam per vim juramenti quàm per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Vos autem utrum ad eundem Episcopum venerit notitia excommunicationis prolatæ in ipsum, vel quòd pervenerit fama publica protestetur, seu etiam celebraverit postquam pervenit ad eum quòd vinculo erat excommunicationis astrictus, aut contra sedem apostolicam cum aliquibus conjurarit, per juramenta dilectorum filiorum N. sancti Pauli, Corr. de Staur. & N. de Ostbruoc Abbatum, & R. sanctæ Mariæ, W. S. Petri, & Otc. sancti Bonifacij Præpositorum, & aliorum, inquiratis diligentissimè veritatem, & quæ super iis inveneritis, fideliter redacta in scriptis sub sigillis vestris ad nostram præsentiam transmittatis. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Laterani VII. Idus Februarij, anno decimo.

ILLVSTRI REGINÆ MARIÆ.

Epist. 209. Adversùs Episcopum Slevvicensem. *Vide infrà epist. 215. lib. 12. epist. 63. lib. 13. epist. 158. lib. 15. epist. 3. & Arnold. Lubec. lib. 7. c. 12. 13.*

QVanto ferventiùs viri tui profectum diligis & honorem, tanto propensiùs ad ea semper agenda debes ipsum inducere quę Deo ac nobis debeant complacere, ab illis penitùs abstinendo quæ divinam & nostram meritò provocarent offensam. Ipse verò, sicut catholicus Princeps, quasdam nobis nuperrimè litteras devotione plenas & discretione non vacuas destinavit, implorans ut postulationem de Waldemaro Episcopo Slevvicensi à Bremensi Capitulo factam admittere dignaremur, ipsumque ad Bremensem metropolim promovere. Nobis igitur super hoc deliberare volentibus.. nuntius dilectorum filiorum Præpositi, Decani, & Capituli Hammeburgensis adveniens, eorundem nobis litteras præsentavit, per quas nostro apostolatui nuntiarunt quòd cùm olim Hammeburgensis Ecclesia metropolitica, Bremensis autem episcopali dignitate gauderet, eædem fuerunt Ecclesiæ auctoritate sedis apostolicæ counitæ, ac extunc usque ad hæc tempora Ecclesiæ utriusque Canonici Bremensem Archiepiscopum pariter elegerunt. Vnde quia nuper Præpositus, Decanus, & Capitulum Bremense tam ipsis quàm quibusdam religiosis viris, qui electioni debuerant interesse, penitùs inconsultis, memoratum Episcopum in Archiepiscopum postularant, à nobis sollicitè petierunt ut quod circa postulationem eandem ab illis fuerat in eorum præjudicium attentatum, in statum debitum re-

ducere curaremus. Præterea cùm fuisset idem Episcopus de mandato nostro à * carcerali custodia liberatus, & contra ipsum in nostra demum præsentia constitutum nuntij.. Danorum Regis illustris quædam gravia objecissent super quibus ille se inculpabilem ostendere nitebatur, eidem Regi, sciente ac volente præfato Episcopo, per scripta nostra mandavimus ut, ne causa remaneret diutiùs in suspenso, aliquos viros providos & fideles usque ad festum natalis Domini proximò præteritum ad sedem apostolicam destinaret, eisdem potestate concessa ut per eos & cum eis, si desuper datum esset, concordiam super ipso negotio tractaremus. Alioquin auditis & intellectis quæ per eos adversùs Episcopum ipsum idem Rex duceret proponenda, & illis quæ in sui defensionem Episcopus allegaret, de vultu nostro procederet judicium æquitatis. Cùmque postmodum propter hoc dilectus filius * .. Præpositus Regis ipsius nuntius, dum tractatus super postulationis articulo haberetur, nostro se conspectui præsentasset, memoratus Episcopus ipso præsente restitutionis beneficium postulavit à nobis, asserens se per Regem tam episcopalibus bonis quàm etiam patrimonialibus destitutum. Cui dictus Præpositus ex adverso respondit quòd non rite poterat restitutionis auxilium implorare, cùm ipse se duxerit spoliandum, dum clericalem habitum derelinquens, * regium sibi titulum usurpavit. Insuper læsæ majestatis, apostasiæ, adulterij, perjurij, dilapidationis, & conspirationis crimina eidem obiciens, proponebat non solùm ei fore restitutionis beneficium denegandum, sed etiam postulationem de ipso factam penitùs respuendam; præsertim cùm irregularis existat, utpote de duplici adulterio procreatus, ejusque dispensatio fuerit olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quòd esset spurius, & expresso quòd existeret naturalis, cùm & paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. Nos autem ad ea quæ pacis sunt intendentes, petitionem ipsius super restitutione tam episcopatus quàm patrimonij sibi plenariè facienda in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus admittendam, concedentes eidem ut si fortè nollet se credere dicto Regi, per procuratorem idoneum restitutionem acciperet corporalem, & ipse interim in quo mallet loco maneret eidem Regi meritò non suspecto. Qui cùm respondisset se velle per procuratorem idoneum restitutionis beneficium obtinere, ac de loco in quo mansurus esset interim deliberatorias inducias accepisset, ingratus gratiæ sibi factæ, fraudulenter & contumaciter à nobis * illicentiatus aufugit, haud dubium quin, si possit, ut præconceptam malitiam exequatur. Vnde nos ex parte omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra excommunicamus & anathematisamus eundem, postulationem de ipso factam, qua omnino reddidit se indignum, penitùs reprobantes. Quocirca serenitatem tuam exhortandam duximus & rogandam, consulentes & suggerentes fideliter ac prudenter, quatinus virum tuum diligenter moneas & inducas ut præfato Episcopo nullum præstet auxilium vel favorem, sed eum tamquam excommunicatum vitet, neque per ipsum aut propter ipsum permittat in Ecclesia Dei scandalum suboriri, per quod etiam contra se posset non leve scandalum generari, cùm nos tantæ malignitatis audaciam in eodem nolimus Episcopo sub dissimulatione transire. Datum Laterani.

* Vide Raynald. ad an. 1206 §. 19. 22.

* Petrus Præpositus Roschildensis, infrà lib. 11. epist. 10.

* Vide Arnold. Lubec. lib. 6. c. 18.

* Arnold. Lubec. lib. 7. c. 12.

HERBIPOLENSI ELECTO.

Epist. 210. Vt Slevvicensem Episcopũ excommunicatum denuntiet. *Vide epist. super.*

Dilecti filij Præpositus, Decanus, & Capitulum Bremense per suas nobis litteras intimarunt quod .. quondam Archiepiscopo suo viam universæ carnis ingresso, ipsi convenientes in unum, & de pastoris substitutione tractantes, in Waldemarum Episcopum Slevvicensem vota sua unanimiter contulerunt, humiliter implorantes ut postulationem de ipso factam admittere dignaremur. Nobis igitur &c. *in eundem ferè modum ut suprà usque.* Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus personaliter accedens ad Principem, diligenter eum ex parte nostra moneas & inducas ut præfato Episcopo nullum præstet &c. *sicut suprà usque* transire. Discretioni tuæ districtiùs injungentes quatenus prænominatum Episcopum excommunicatum manifestè denunties, & postulationem ipsius penitùs reprobatam; mandatum apostolicum taliter impleturus quòd devotionem & discretionem tuam debeamus meritò commendare.

VTERINÆ VALLIS ET Garnisvvikæ Abbatibus, Spirensis & Metensis dioceſum.

Epiſt. 211. Vt ſententiam latam pro Præpoſito S. Paulini Argentin. faciant obſervari.

CAuſam ſuper Eccleſia de Walzelinhem inter dilectos filios A. Præpoſitum ſancti Paulini & H. Canonicum de Aſela Argentinenſis dioceſis dudum motam dilecto filio E. Cantori Metenſi & conjudicibus ejus commiſimus terminandam: qui, ſicut per ſuas nobis litteras intimarunt, legitimè procedentes in ipſa, cognito quòd idem Præpoſitus à vero patrono, Abbate videlicet de Horembach, præſentatus fuerat canonicè ad Eccleſiam memoratam, præſentationem ipſius ſententialiter approbare curarunt. Et quia dioceſanus Epiſcopus & Archidiaconus loci, ad quos inſtitutio pertinebat, malitioſè adverſabantur eidem, animarum ei curam in ipſa Eccleſia qua fungebantur auctoritate dedere. Cùm autem dilectus filius Fredericus procurator antedicti Præpoſiti ſententiam judicum præfatorum in præſentia dilecti filij noſtri Iohannis ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconi Cardinalis, quem ei conceſſimus auditorem, à nobis peteret confirmari, memoratus Canonicus eam dixit viribus carere cenſendam, tum quoniam examen eorum à quibus prolata fuerat rationabiliter declinaverat, tum etiam quia ne procederent ad ſententiam, audientiam noſtram legitimè appellarat. Nos autem auditis iis & aliis quæ propoſita hinc inde fuerunt, quoniam intelleximus contra ſententiam ipſam nihil oſtenſum quod valeret ad reprobationem ipſius, eam exigente juſtitia duximus approbandam. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus illam auctoritate apoſtolica faciatis inviolabiliter obſervari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Datum Laterani IV. Idus Februarij, anno decimo.

VBERTO BOBIENSI EPISCOPO.

Epiſt. 212. De ſubjectione monaſterij S. Columbani Vide to. 4. tal. fac. pag. 1187. & ſeqq.

TEmpore felicis recordationis Eugenij Papæ prædeceſſoris noſtri inter bonæ memoriæ O. Bobienſem Epiſcopum & Abbatem & monachos ſancti Columbani ſuper ſubjectione ipſius monaſterij ac multis aliis quæſtione ſuborta, dictus prædeceſſor noſter utriuſque partis rationibus & allegationibus diligenter auditis & plenius intellectis, communicato fratrum ſuorum conſilio, monaſterium ſancti Columbani ſuadente juſtitia dicto prædeceſſori tuo adjudicare curavit, confirmationem Abbatis, benedictionem quoque ac correctionem monaſterij regularem, altarium etiam, Eccleſiarum ſeu baſilicarum conſecrationem, monachorum & clericorum promotionem, tam in capite quàm in membris ad ipſum Epiſcopum & ſucceſſores ejuſdem pertinere decernens, oleum etiam & candelas, juxta quod à ſuis teſtibus fuerat comprobatum, eidem Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus ſolvi præcepit, videlicet tantum olei quod in tribus quadrageſimis curiæ ſuæ honeſtè ſufficeret, ac per duas partes anni diebus ſingulis unum brachium candelarum. Proceſſu verò temporis cùm Abbas & monachi monaſterij antedicti latæ contra eos ſententiæ pertinaciter contrairent, venerabilis frater noſter Patriarcha Ieroſolymitanus, tunc Bobienſis electus, in præſentia felicis memoriæ Lucij Papæ ſuam de ipſis propoſuit quæſtionem; ac tandem in regeſto Eugenij Papæ reperta ſententia memorata, idem Papa Lucius Abbatem ſancti Columbani & monachos ac ſucceſſores eorum ad obediendum ipſi electo & ſucceſſoribus ejus, ſicut propriis Epiſcopis, de communi fratrum conſilio condemnavit, auctoritate apoſtolica ſententiam antedictam confirmans, ſicut in ejus authentico manifeſtè perſpeximus contineri. Præterea quoniam privilegia felicis memoriæ Anaſtaſij & Adriani Pontificum Romanorum Eccleſiæ Bobienſi collata, partim malitioſè abraſa fuerant in ipſius Eccleſiæ detrimentum, idem Papa Lucius volens indemnitati ejus in poſterum providere, decrevit ut per illas raſuras nullo unquam tempore dicta privilegia reprobentur. quæ omnia poſtmodum per piæ memoriæ Vrbanum Papam prædeceſſorem noſtrum auctoritate fuerunt apoſtolica confirmata, prout in ejus privilegio pleniùs continetur. Cùm autem in noſtræ promotionis primordio ad noſtram audientiam perveniſſet quòd præfatum ſancti Columbani monaſterium ad Romanam Eccleſiam nullo mediante ſpectaverat, ac licèt contra ipſum fuerit ſententia promulgata, nullum tamen apoſtolicæ ſedi debuerit præjudicum generari, cùm res inter alios acta alij præjudicare non poſſit, venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Ianuenſi, tunc Bobienſi Epiſcopo, dedimus in mandatis ut ſi haberet aliquod munimentum per quod dictum monaſterium ex conceſſione ſedis apoſtolicæ ſuo doce-

Vide tom. 4. Ital. fac. pag. 1195.

Vide lib. 1. epiſt. 214.

retur

retur episcopio fuisse subjectum, illud ad certum terminum nobis per proprium nuntium mittere non differret. Ac cùm propter hoc ipse ad nostram præsentiam personaliter accessisset, coram nobis & fratribus nostris suas curavit proponere rationes, & quæcunque super ipso negotio habebat ostendere munimenta. Nos igitur attendentes devotionem ipsius & paupertatem etiam Ecclesiæ Bobiensis, quæ licèt sit pontificali prædita dignitate, in redditibus tamen esse proponitur modica & exilis, à prosecutione quæstionis illius quam super præfato monasterio movebamus tunc duximus desistendum, præcipientes ut idem monasterium juxta tenorem sententiæ Eugenij Papæ exhibere sibi reverentiam & obedientiam procuraret; ita tamen quòd ex gratia sibi facta à prosecutione quæstionis præmissæ illo tempore desistendo, nullum posset sedi apostolicæ præjudicium generari quò minùs, cùm vellet, suam posset prosequi rationem. Procedente verò tempore C. & B. monachi ejusdem cœnobij ad nostram præsentiam accedentes, nobis ex parte Abbatis & conventus humiliter supplicarunt ut cùm dictus Episcopus, cui gratiam illam personaliter duximus faciendam, esset ad Ecclesiam Ianuensem translatus, & tu eos multipliciter aggravares, jus sedis apostolicæ super ipso negotio prosequi dignaremur, cùm sententia prælibata in nullo debuerit sedi apostolicæ præjudicium generare; præsertim cùm eum qui promulgavit eandem ex officij debito & juris necessitate super quæstione de qua cognoverat oportuerit judicare, nec res judicata illis obesse poterat inter quos non extitit judicatum. Cùm igitur sedes apostolica habita custodire & invasa recuperare specialiter teneatur, venerabili fratri nostro * Episcopo & dilecto filio * Abbati omnium sanctorum Cremon. dedimus in mandatis ut si constaret eisdem te ipsum monasterium indebitè aggravare, aliquem super eodem negotio procuratorem idoneum apostolicæ sedi statuerent, & partibus convocatis & auditis hinc inde propositis, usque ad diffinitivæ sententiæ calculum appellatione postposita procedentes, causam sufficienter instructam ad præsentiam nostram remitterent, præfixo termino partibus comperenti quo se nostro conspectui præsentarent sententiam, dante Domino, recepturæ. Memorati ergo Episcopus & collega, sicut per suas nobis * litteras intimarunt evidentiùs cognoscentes dictum à te cœnobium super multis indebitè aggravari, cùm in negotio juxta mandati nostri tenorem vellent procedere, tu, ne procederent, sedem apostolicam appellasti. Sed ipsi appellatione contempta in negotio procedentes, quendam monachum cum privilegiis & scriptis aliis quæ ad causam facere videbantur ad nostram præsentiam transmiserunt. Cùmque propter hoc esses apud sedem apostolicam constitutus, ac postulares instanter processum dictorum Cremonensis Episcopi & collegæ, utpote lite minimè contestata & post appellationem ad nos legitimè interpositam attentatum, censeri prorsùs irritum & inanem, nos utriusque partis parcere volentes laboribus & expensis, & ne hujusmodi quæstio in recidivæ contentionis scrupulum relabatur, provida cupientes sollicitudine præcavere, dilecto filio O. Acolyto & Capellano nostro procuratore Romanæ Ecclesiæ constituto, ac coram nobis & fratribus nostris lite solemniter contestata, procurator ipse quoddam privilegium sub bulla felicis memoriæ Formosi Papæ produxit in medium, quod tanta fuerat vetustate consumptum ut in eo de monasterio sancti Columbarni nec mentio fieret nec etiam vestigium appareret; ac cùm per illud suam vellet intentionem fundare, cùm fundamentum illud penitùs nullum esset, totum quod superædificatum fuerat irritum apparuit & inane. Vnde nos utriusque partis rationibus & allegationibus plenius intellectis, privilegiis etiam & sententiis prædecessorum nostrorum diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio, te & Ecclesiam Bobiensem ab impetitione procuratoris jamdicti sententialiter duximus absolvendum, ac sententiam Eugenij Papæ pro Bobiensi Ecclesia contra ipsum monasterium promulgatam auctoritate apostolica confirmantes, præcipimus & sancimus ut Abbates & monachi qui pro tempore in ipso monasterio fuerint, tibi ac successoribus tuis diocesana sint lege subjecti, & tam in spiritualibus quàm temporalibus Bobiensi Episcopo tamquam diocesano suo debeant respondere. Ac ut omnis in posterum auferatur materia jurgiorum, super quæstione ista cuilibet tibi adversari volenti perpetuum silentium imponentes, statuimus ut si qua deinceps reperta fuerint instrumenta quæ pro monasterio & contra Episcopum facere videantur, omnino viribus careant, & inutilia reputen-

* Sicardo * Johanni

* Extant to. 4. Bul. fac. pag. 1196.

tur. Decernimus ergo ut nulli &c. hanc paginam nostræ diffinitionis, confirmationis, & constitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IX. kal. Martij, anno decimo.

ABBATI ET MONACHIS Sancti Columbani.

Epist. 213. De eadem causa.

MOtæ jamdudum inter vos & Bobiensem Episcopum scrupulum quæstionis taliter cupientes dirimere ne alterutra partium illum valeat ulteriùs suscitare, dilecto filio O. Acolytho & Capellano nostro procuratore Romanæ Ecclesiæ constituto, ac coram nobis & fratribus nostris inter procuratorem ipsum & venerabilem fratrem nostrum Bobiensem Episcopum lite solemniter contestata, & utriusque partis rationibus & allegationibus pleniùs intellectis, privilegiis etiam & sententiis prædecessorum nostrorum diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio, Episcopum ipsum seu Ecclesiam Bobiensem ab impetitione procuratoris ipsius sententialiter duximus absolvendum, ac sententiam felicis recordationis Eugenij Papæ prædecessoris nostri pro Bobiensi Ecclesia contra vestrum monasterium promulgatam auctoritate apostolica confirmantes, sanciendo præcipimus ut Abbas & monachi qui pro tempore in vestro monasterio fuerint, sibi ac successoribus suis diocesana sint lege subjecti, & tam in temporalibus quàm spiritualibus Bobiensi Episcopo tamquam diocesano suo debeant respondere; ac ut omnis in posterum auferatur materia jurgiorum, super quæstione ista cuilibet sibi adversari volenti perpetuum silentium imponentes statuimus ut si qua deinceps reperta fuerint instrumenta quæ pro monasterio vestro & contra Episcopum vel Ecclesiam Bobiensem facere videantur, omnino viribus careant & inutilia reputentur. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum recipiatis humiliter & inviolabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam dictus Episcopus in vos propter hoc canonicè duxerit promulgandam, ratam habebimus & faciemus auctore Domino firmiter observari. Datum Laterani X. kal. Martij, anno decimo.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 214. Ei committitur causa adversus Comitem Tripolitanum.

QVod provocata peccatis nostris cœlestis indignatio majestatis terram sanctam & locum tabernaculi gloriæ suæ inimicis crucis exposuit, non est sub admiratione ducendum, cùm tot impietatum scelera scelerumque impietates per abusionum flagitia & flagitiorum abusus committantur ibidem ab iis qui nomine sunt non opere Christiani ut etiam illæ paucæ reliquiæ quæ ibi remansisse videntur, misericordias Dei multas quòd consumptæ non sunt cum Propheta valeant admirari, nisi forsan hoc ipsum non minùs de judicio quàm de misericordia divina procedat quòd fortè sceleratiùs ab aliquibus falsis fidelibus idem adhuc locus incolitur quàm à veris infidelibus occupetur. O miseram insolentiam & miseriam insolentem infelicium accolarum! qui quasi non sufficiat quòd ab hostibus incessanter animæ quæruntur eorum, deteriùs hostibus in se sæviunt, & de domesticis simultatibus exterorum tyrannidi vires jungunt, sanctificata loca contaminant, &, sicut de talibus veritas ipsa dixit, invicem tradunt se, invicem habent odio, & invicem scandalisant, ante oculos quasi Iesu pendentis in cruce perpetrant turpia, & ubi de terra veritas misericorditer orta est, ibi miserabiliter agunt falsa, viciniam dominici diversorij ab immundis pollui patiuntur ac etiam ipsi polluunt, & se proh dolor! metu tantæ irreverentiæ non confundunt. Non timent ne suis provocatus injuriis de vicino præsepio infans vagiat, & de spurcitiis eorundem propè sedens puerpera virgo pudescat. Licèt autem hostilis impietas invadendo funiculum hereditatis suæ Christum graviter persequatur, aliqui tamen horum, suos persequendo ministros, ipsum graviùs persequuntur; qui nimirum, ut inimici hominis domestici ejus fiant, pejus Ecclesiam intus tribulant quàm exteriùs affligatur. Specialiter autem nobilis vir Comes Tripolitanus, sicut ex quamplurium litteris & relatione multorum accepimus, in Christum Domini venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum Dominum suum, cujus est * homo juratus, compater, & filiolus, sacrilegas manus misit, & ipsum, immo Christum in eo, cum duobus ejus nepotibus in gravi non metuit custodia detinere. De dissensionibus autem inter eundem Comitem ac Templarios & carissimum in

Vide infrà lib. 11. epist. 9. 110.

* Vide Rayn. ad ann. 1205. § 37.

Christo filium nostrum Leonem illustrem Regem Armeniæ tam pro ipso quàm ipsius nepote subortis, necnon & æmulationibus aliis quibus invicem in partibus illis Christianorum aliqui provocantur, multa sunt apostolatui nostro relata pro quibus ingemiscendo dicentes *Væ à scandalis terræ sanctæ*, tibi ea prout audivimus sigillatim non duximus referenda; non quòd lacrymis indulgere nolimus quas ipsorum memoria detorqueret, sed quia non credimus expedire de iis quæ præsentiora sunt tibi peregrinos referre rumores. Quia igitur nos, qui statui seu potiùs casui terræ sanctæ hactenus vigilanter studuimus, sed nequivimus efficaciter subvenire, multifariè multisque modis reliquiis ejus servandi mutuò sibi pacem impendendo consilium & hostibus resistendi procurando succursum, quantumcunque de nostris meritis diffidamus, adhuc tamen de Dei virtute confidimus, existimantes quòd ex præmissis salus ejusdem terræ non ex modica parte dependeat, super iis quæ sequuntur vices nostras tibi duximus committendas. Quocirca fraternitatem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes quatenus diligenter pensatis omnibus circumstantiis, plenariè intendens ad liberationem præfati Patriarchæ ac nepotum suorum, super satisfactione præstanda tam ipsi quàm Ecclesiæ, immo Deo, & absolutione prædicti Comitis, seu etiam observatione ac relaxatione sententiarum quæ latæ sunt ob hujusmodi sacrilegium vel ferendæ, ac deinde super justitia mutuò impendenda inter eundem Regem ipsiusque nepotem & Comitem memoratum atque Templarios, ac ceteris quæ præmissa contingunt, statuas auctoritate nostra suffultus quod saluti & justitiæ singulorum ac statui terræ sanctæ noveris expedire, & facias quod statueris per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram eandem cessante appellatione compescens. Datum Laterani Idibus Februarij, anno decimo.

DOMINO PAPÆ.

Pag. 215. Philippus Rex Romanorum scribit pro Episcopo Slevvicensi.

REverendo in Christo patri suo sanctissimo Domino Innocentio sacrosanctę Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus salutem & filialis dilectionis affectum. Cùm plenè cuilibet constare possit quòd ab illo fonte in quo totius spiritalis juris & ecclesiastici plenitudo consistit nihil aliud procedere possit vel abinde derivari nisi quod sanctum sit & quod contineat æquitatem, semper hoc inde sperandum est per quod unicuique consulatur, conservata tamen huic fonti totius suæ auctoritatis integritate. Cùm igitur apud sanctitatem vestram divina ordinatione totius ecclesiastici juris plenitudo consistat, est denique apud prudentiam vestram potestas plena, inspecta secundùm varietatem variorum negotiorum necessitate, rigorem districti juris temperare, & quandoque, cùm & hæc oportuerit, severitatem disciplinæ secundùm ipsius juris ordinem incommutabiliter observare. Ceterùm, Pater sanctissime, quamvis nos vehementissimè credamus quòd ad aures vestras jam devenerit quòd Dominus Hartvvicus Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Deo ipsum vocante de medio, jam debita carnis exolverit, idipsum tamen & nos vobis duximus significandum. Mortuo itaque jamdicto Archiepiscopo, ne ipsa Bremensis Ecclesia suo pastore orbata, diù sic vidua ta consisteret, clerus ipsius Ecclesiæ cum omnibus iis qui electioni futuri Episcopi interesse debuerant ad electionem consederunt; considerata quoque jamdictæ Ecclesiæ necessitate, unanimiter vota sua in Dominum Waldemarum Slevvicensem Episcopum transtulerunt. Cùm igitur mutatio Episcoporum sine speciali licentia hujus sanctæ sedis fieri non debeat, & cùm aliquis Episcopus ab una Ecclesia ad aliam transire non possit sine vestra concessione, sanctitatem vestram omni ea qua possumus affectione rogamus ut vos principaliter propter Deum & si quid apud vos potest majestatis nostræ petitio, concedatis præfato Slevvicensi Episcopo ut ipse ad Bremensem Ecclesiam, ad quam postulatus est, de gratia vestra possit transire & concessione, & ipsum à vobis confirmatum & expeditum de iis omnibus quæ ad vestram pertinent sanctitatem, ipsi Bremensi Ecclesiæ remittatis, temperata circa eum misericorditer supradictæ constitutionis disciplina. Ad hæc, ad discretionem paternitatis vestrę deferre volumus quòd jam dicta Bremensis Ecclesia jamdiu multis pressuris & miseriis miserabiliter subjacuit, & cùm ipsa quandoque fuisset una de nobilioribus Ecclesiis in imperio constitutis, multis de causis, quas enumerare modò necesse non est, multùm ei in rebus & honore deperiit, præcipuè tamen ex illius Archiepiscopi negligentia qui nunc mortuus est, & *Vide supra epist. 209.*

ex multo defectu ipsius, qui in ipso convenerat, multùm sub eo Bremensis Ecclesia viluit, ita quòd eo etiam adhuc vivente jamdicta Ecclesia justè posset dici viduata. Moveant hæc igitur vestram sanctitatem, & miseriis ipsius Bremensis Ecclesiæ in hoc paternè consulatis ut vos ei transmittatis Dominum Waldemarum Slevvicensem Episcopum, qui à sanctitate vestra postulatur. Scire etiam vos volumus quòd quantum ad nos & ad jus spectat imperij, & quantum in nobis erit, ad hoc adhibere volumus piam operam & efficacem ut ipsa Bremensis Ecclesia in pristinum statum secundùm dignitatem & honorem quem quandoque consuevit habere possit reformari.

HERVEO TRECENSI EPISCOPO.

Epist. 216. Confirmantur privilegia Ecclesiæ Trec. concessa per Regem Francorum.

SOlet annuere &c. Ex litteris siquidem fraternitatis tuæ intelleximus evidenter quòd licèt inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem occasione quorundam archidiaconatuum & præbendarum, quas quibusdam clericis idem Rex Ecclesia tua vacante concesserat, emerserit scrupulus quæstionis, eodem Rege firmiter asserente donationes præbendarum ad se, ipsa Ecclesia vacante, spectare, idem tamen Rex postmodum jus tuum & libertatem Ecclesiæ recognoscens, regia benignitate concessit ut archidiaconatus, præbendæ, ac alia beneficia quæ ibidem vacare contigerit Ecclesia ipsa pastoris officio destituta, donationi substituendi Pontificis de cetero reserventur, statuens nihilominus ut de beneficiis quæ nuper sede vacante concesserat, tuam faceres voluntatem, liberè profitendo se in ipsis nihil juris penitùs habuisse. Possessiones insuper & quædam alia tam tibi quàm tuis successoribus idem Rex auctoritate regia confirmavit; sicut hæc omnia in privilegio præfati Regis pleniùs perspeximus contineri, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris duximus inserendum. IN NOMINE sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quòd carissimus quondam genitor noster Ludovicus Matthæo tunc temporis Trecensi Episcopo ejusque successoribus quæ subter annexa sunt in perpetuum concessit & confirmavit, videlicet villam quæ dicitur sanctus Leo cum appendiciis suis, & quicquid juris idem Episcopus habebat in villa quæ dicitur Avenz, quicquid juris habebat in villa quæ dicitur Lanes, quicquid juris habebat in villa quæ dicitur Angularia, & insulam quæ juxta eam sita est in flumine Alba, villam quæ dicitur Aquis cum appendiciis suis, in ea libertate quæ ipsi Trecensi Episcopo à Dominis de villa Mauri concessa est, videlicet ut cùm Trecensem Ecclesiam suo antistite vacare contigerit, Domini villæ Mauri vel ministri eorum de rebus Episcopi vel suorum hominum jurisdictionis ejusdem villæ nihil accipient, sed usibus & dispositioni ejus qui illic fuerit subrogandus antistes in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam idem Episcopus habebat in villa quæ dicitur Gumerium, & in villa nuncupata Summus fons, cum jure & libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessores sui. Præterea libertatem sibi & Ecclesiæ suæ à bonæ memoriæ Comite Hugone concessam, scilicet ut qui ab eodem Episcopo servientes aliquod publicum officium obtinuerint, ab omni justitia & exactione Comitum Trecensium ac suorum ministerialium, quandiu officium ipsum habuerint, liberi sint & immunes. Adjecit etiam bonæ memoriæ supradictus genitor noster ut domus episcopales & curtes cum omnibus in eis contentis in obitu Episcoporum illam libertatem obtineant quam Comes Henricus ei concessisse & confirmasse dinoscitur. Ad hæc, unum modium frumenti quem idem Comes Henricus ei de molendinis quæ sub turre sita sunt pro hominibus apud curtes insulæ habitantibus dedit in vigilia omnium sanctorum annuatim persolvendum, & unum sextarium frumenti in novis molendinis juxta Ecclesiam sancti Quintini pro censu quem debet Paganus de *Tuso. Furnum quoque in burgo Episcopi in ea integritate libertatis quam ei memoratus Comes Henricus concessit & scripto suo roboravit. Centum etiam solidos quos idem Comes Henricus dedit matricularii Ecclesiæ sancti Petri in theloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Grangiam quoque villæ Cestini cum appendiciis suis, quæ acquisivit & acquirere posset. Præterea honorem de Meriaco cum casamentis, terris cultis & incultis, fluviis, aquis, aquarumve decursibus, pratis, pascuis, & nemoribus, servis & ancillis, sicut antecessores ejus ab ipso genitore nostro & suis antecessoribus habuerunt. Casamenta etiam quæ Domini de Triagnello, castrum

*Apud Cæsar. Tullo.

videlicet de Venesiaco, cum aliis quæ ab Ecclesia Trecensi habent. Casamenta etiam quæ Guido de* Domnipetra & Hugo de Planceo hactenus ab Ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam quæ .. Vicecomes Senonensis & Dominus de Chasceneio apud molendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Avelleio ab Ecclesia Trecensi tenet. Nihilominus etiam casamentum quod Vicecomes sancti Florentini ab Ecclesia Trecensi habet, cum aliis omnibus quæ hactenus Ecclesia Trecensis habuisse dinoscitur. Nos igitur prædicta omnia sicut in privilegio patris nostri continentur confirmamus. Præterea de donatione præbendarum quæ vacarunt in Ecclesia beati Petri Trecensis vacante sede illa, quia non inveniebamus aliquem qui vidisset quòd nos eas dedissemus aut quòd genitor noster piæ recordationis Rex Ludovicus ipsas tempore vacantis sedis vacantes dedisset, & quia etiam ex assertione plurium audivimus quòd præbendæ, archidiaconatus, & alia beneficia tempore illo vacantia futuro reservarentur Episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro Herveo Trecensi Episcopo ut ea conferat & donationem illorum habeat tam ipse quàm successores ejus Episcopi Trecenses. Concedimus autem eidem Episcopo ut de donationibus quas super iis fecimus suam faciat voluntatem, utpote qui nihil juris in hujusmodi donationibus habebamus. Vt autem prædicta omnia perpetuum robur obtineant, sigilli nostri auctoritate & regij nominis charactere inferiùs annotato præsentem paginam confirmamus. Actum apud sanctum Germanum in Loia anno incarnationis Domini MCCVII. * astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. S. Guidonis Buticularij. S. Matthæi Camerarij. S. Droconis Constabularij. Datum vacante cancellaria.] Nos igitur devotionem regiam propter hoc in Domino commendantes, & tam concessionem quàm constitutionem & confirmationem approbantes ipsius, easdem auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VII. Idus Februarij, anno decimo.

* Comuzat. Dampetra, & Planceyo

* Apud Camuzat. regni verò nostri an. 28.

EIDEM.

Epist. 217. Super eodem.

IVstis petentium &c. *usque* complere. Cùm igitur carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris statuerit ut de beneficiis quæ nuper sede vacante concesserat tuam faceres voluntatem, liberè profitendo se in illis nihil juris penitùs habuisse, ac tu postmodum ipsa personis idoneis assignaris, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonicè facta est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis &c. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Kal. Februarij, anno decimo.

STEPHANI BALVZII ADMONITIO

De sequentibus epistolis.

QVod, in superioribus libris factum est, in isto quoque fieri necesse fuit, quia nonnullas epistolas anni decimi reperimus quæ in regesto non habebantur. Quinque igitur omnino sunt epistolæ istius appendicis, quarum duas priores accepimus ex historia Matthæi Parisij, tertiam ex chartulario monasterij Fossatensis, quartam ex tomo duodecimo Spicilegij Dacherlani, postremam ex historia Placentina Petri Mariæ Campi. Addidimus præterea epistolam ejusdem Innocentij III. qua præbendam Ecclesiæ Carnotensis confirmat Hospitali sanctæ Mariæ in Saxia; quæ licèt data sit anno quarto pontificatus ejus, heic tamen refertur, quia alibi opportunior locus non fuit. In epistola enim CLXXIX hujus libri decimi agitur de hospitali sancti spiritus in Saxia. Hanc porrò epistolam nobis exhibuit vetus chartularium insignis Ecclesiæ Carnotensis.

IOHANNI REGI Anglorum.

INter opes terrenas quas mortalis oculus concupiscit & quasi cariora desiderat, aurum obryzum & lapides pretiosos principatum credimus obtinere. Licèt autem his & aliis divitiis vestra regalis abundet excellentia, in signum tamen dilectionis & gratiæ quatuor anulos aureos cum diversis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus; in quibus te volumus specialiter intelligere formam, numerum, materiam, & colorem, ut mysterium potiùs quàm donum attendas. Rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret & fine. Habet ergo regalis discretio quod in forma requirat, ut de terrenis transeat ad cælestia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus est quadratus, constantiam mentis significat; quæ nec deprimi debet in adversis, nec in prosperis elevari. Quod tunc laudabiliter adimplebis cùm quatuor virtutibus principalibus fuerit ordinata, videlicet justitia, fortitudine, prudentia,

Epist. 218. Ei mittit munera.

temperantia. Intelligas ergo in primo justitiam, quam exerceas in judiciis, in secundo fortitudinem, quam exhibeas in adversis, in tertio prudentiam, quam observes in dubiis, in quarto temperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum verò sapientia designatur: quia sicut aurum præminet metallis universis, sic sapientia donis omnibus antecellit, Prophetа testante: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ &c.* Nihil est autem quod Regem magis oportet habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon solam à Domino sapientiam postulavit, ut populum sibi commissum providè sciret gubernare. Porrò smaragdi viriditas fidem, saphiri serenitas spem, granati rubicunditas caritatem, topatij claritas operationem bonam significat, de qua Dominus: *Luceat lux vestra.* Habes igitur in smaragdo quod credas, in saphiro quod speres, in granato quod diligas, in topatio quod exerceas, ut de virtute in virtutem ascendas, donec Deum deorum videas in Sion.

EIDEM.

Epist. 219. De negotio Archiepiscopi Cantuariensis. Vide gesta Innoc. III. c. 131.

CVm super negotio Cantuariensis Ecclesiæ nos tibi scripserimus humiliter, diligenter, benignè, exhortando ac rogando, tu nobis, ut salva pace tua loquar, rescripsisti quasi comminando & exprobrando, contumaciter & protervè. Et cùm nos tibi supra jus deferre curemus, tu nobis secundùm jus deferre non curas, minùs quàm decet attendens quòd si tua nobis devotio plurimùm est necessaria, nostra tamen tibi non parum est opportuna; cùmque nos in tali casu tantum honorem nulli Principum detulerimus quantum tibi, tu nostro tantum derogare attendis honori quantum in simili casu nullus Princeps derogare præsumpsit, quasdam frivolas occasiones prætendens quibus asseris quòd electioni de dilecto filio magistro Stephano tituli sancti Chrysogoni Presbytero Cardinali à monachis Cantuariensibus celebratæ non potes præstare consensum; quia videlicet inter tuos est conversatus inimicos, & persona ejus est tibi prorsùs ignota. Porrò, juxta proverbium Salomonis, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, cùm intelligamus illud ei non esse imputandum ad culpam, sed ad gloriam potiùs adscribendum, quòd Parisius diù vacans liberalibus studiis in tantum profecit ut meruerit esse Doctor, non solùm in liberalibus facultatibus, verùm & in theologicis disciplinis; ac sic per hoc, cùm vita concordaret doctrinæ, dignus est habitus præbendam obtinere Parisiensem. Vnde mirabile gerimus si vir tanti nominis, de tuo regno ducens originem, tibi potuit esse saltem quoad famam ignotus; præsertim cùm ter scripsisses illi, postquam à nobis extitit in Cardinalem promotus, quòd licèt disposueris eum ad tuæ familiaritatis obsequium evocare, gaudebas tamen quòd ad majus erat officium sublimatus. Sed illud potiùs te attendere decuisset, quòd in terra tua natus est, de parentibus tibi fidelibus ac devotis, quòdque in Ecclesia Eboracensi fuerat præbendatus, quæ longè major & dignior quàm Parisiensis existit. Vnde non solùm ratione carnis & sanguinis, verùm etiam obtentu ecclesiastici beneficij & officij, te ac regnum tuum affectu sincero diligere comprobatur. Nuntij verò tui causam nobis aliam expresserunt quare non præstitisti ejus electioni consensum, quia videlicet nunquam fuerat requisitus ab illis qui eum à te debuerant postulare, asserentes quòd litteræ illæ quibus mandavimus ut super hoc negotio procurarores ad nos idoneos destinares, ad te minimè pervenerunt, & monachi Cantuarienses, quamvis pro aliis negotiis ad tuam præsentiam accessissent, pro postulando tamen consensu nec litteras nec nuntios direxerunt. Vnde iidem nuntij cum multa instantia nobis supplicarunt quatenus ex quo nobis complacuit hanc tibi honorificentiam reservare ut monachi Cantuarienses regium postularent assensum, quoniam hoc factum non erat, dilationem congruam concedere dignaremur infra quam posset id fieri, ne juri tuo contingeret derogari; contra personam electi quiddam ad ultimum proponentes quod cùm manifestè falsum sit, ostium oris claudere debuissent; præsertim cùm si verum esset, promotionem ejus jam impedire non posset. Licèt autem super electionibus apud sedem apostolicam celebratis non consueverit assensus Principum expectari, duo tamen monachi fuerunt specialiter deputati ut ad te pro requirendo assensu venirent; qui apud * Ydivoriam fuerunt retenti, ut injunctum sibi mandatum exequi non valerent, & præfatæ litteræ de procuratoribus ad nostram præsentiam destinandis tuis fuerunt nuntiis assignatæ, ut eas tibi fideliter præsentarent. Nos quoque, qui super eandem Ecclesiam Cantuariensem plenitudinem potestatis habe-

* Devoriam

mus, regium super hoc dignati sumus implorare favorem ; & cursor noster qui apostolicas tibi litteras præsentavit, litteras quoque Prioris ac monachorum, qui ex mandato totius Capituli Cantuariensis celebraverant electionem memoratam, super assensu petendo regiæ sublimitati porrexit. Ideoque non vidimus oportere denuo post hæc omnia regium postulare consensum, sed illud dispositimus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, quod sanctorum patrum canonicæ sanctiones statuunt faciendum, ut videlicet nihil moræ vel difficultatis rectis dispositionibus afferatur, ne gregi dominico diù desit cura pastoralis. Quocirca nil discretioni tuæ vel regali prudentiæ suggeratur à quoquam quo aliquatenus valeat à consummatione hujus officij revocari : quoniam cùm absque vi & dolo canonica sit electio de persona idonea concorditer celebrata, sine damno famæ & periculo conscientiæ differre non possemus. Tu ergo, fili carissime, cujus honori supra jus deferre curavimus, secundùm jus nostro studeas honori deferre, ut gratiam divinam & nostram uberiùs mereari ; ne fortè, si secùs egeris, in eam te difficultatem inducas de qua non facilè valeas expediri, cùm tandem oporteat eum vincere cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, cujus nos vices in terris, licèt immeriti, exercemus. Ne igitur eorum consiliis adquiescas qui tuam semper turbationem desiderant ut meliùs possint in aqua turbida piscari, sed nostro beneplacito te committas. quod utique tibi cedet ad laudem, gloriam, & honorem. Quia non esset tibi tutum in hac causa Deo & Ecclesiæ repugnare pro qua beatus martyr & Pontifex gloriosus Thomas sanguinem suum recenter effudit, præsertim ex quo pater & frater tuus claræ memoriæ tunc Reges Anglorum in manibus Legatorum apostolicæ sedis illam pravam consuetudinem abjurarunt. Nos autem, si nobis humiliter acquieveris, sufficienter tibi & tuis providere curabimus, ne super hoc valeat vobis aliquod præjudicium generari. Datum Laterani ..... pontificatus nostri anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI Fossatensi.

Epist. 220. Confirmatur quædam concessio.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, redditus quos bonæ memoriæ Ysembardus Abbas de assensu vestro, fili conventus, ad augmentum luminarium sacristiæ monasterij vestri apud Longumvillare concessit, sicut eadem ipsos justè possidet & quietè, ipsi auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Ianuarij, anno decimo.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO, & Præposito Atrebatensi.

Epist. 221. De minuendo feminarum numero in domo Canonicorum.

DIlecti filij Abbas & conventus de Cisonio nostris auribus intimarunt quòd quædam domus eorum, quæ dicitur *Bel-Repaire*, præter Canonicos & fratres tanta est onerata multitudine feminarum, quas recipere ad instantias & importunitates Principum compelluntur, ut ad necessariam sustentationem earum nequaquam domus ejusdem sufficiant facultates. Propter quod indulgeri sibi suppliciter petierunt quòd de cetero non recipiant ibi aliquam mulierem ; ne, quod absit, suadente humani generis inimico, per ipsas detur occasio delinquendi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita diligentiùs & cognita veritate statuatis inde quod utilitati Ecclesiæ ac saluti servientium in eadem noveritis expedire, contradictores &c. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Februarij, anno decimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO Placentino.

Epist. 222. Confirmuntur mandata facta placentinis.

NE super mandato quod pro vobis olim fecimus Placentinis aliqua possit in posterum dubietas exoriri, illud de verbo ad verbum vobis duximus subscribendum. CONSVLIBVS & civibus Placentinis. Hoc est præceptum quod vobis injungimus sub debito præstiti juramenti. Vt de cetero contra tenorem Lateranensis Concilij non gravetis Episcopum vel clerum Placentinum exactionibus vel collectis, & restituatis omnes fructus extantes quos eis abstuliſtis vel feciſtis auferri. Super aliis autem rebus ablatis condescendimus vobis hoc modo, si tamen hanc gratiam velitis gratam habere, ut ad præsens tria millia librarum illis reddatis, & pro residuo, sicut offertis, communia obligetis eisdem, ita ut vos nomine ipsorum

» faciatis proventus eorum fideliter colligi » & eis integrè assignari donec ipsis plenè » fuerit satisfactum. Si verò modum istum » acceptare non vultis, quia non dimittitur » peccatum nisi restituatur ablatum, cùm » dubium non existat quin possitis, si velitis, » sive mutuò sive alio modo pecuniam inve- » nire, sub eadem districtione præcipimus » ut summam pecuniæ pro rebus ablatis se- » cundùm extimationem factam infra sex » menses integrè persolvatis; possessiones » verò quas habebant Ecclesiæ Placentinæ » in eum statum reducere procuretis in quo » fuerunt tempore violentiæ irrogatæ; ne- » que contra istud præceptum vi vel dolo » aliquid aliquando attentetis. Alioquin præ- » ter notam & noxam perjurij vos in priorem » sententiam reducamini, & procedatur in » vos secundùm formam posterioris manda- » ti ad visitatores directi, cujus continentia » fuit talis. TACTI sumus dolore cordis » intrinsecus & usque ad animam ipsius do- » loris gladius pertransivit pro eo quòd cùm » civitas Placentina consueverit esse aposto- » licæ sedi valde devota, nunc mutatus est » color optimus, & aurum in scoriam est » conversum: quoniam adeo exhibet se in- » gratam ut nulla in ea videatur devotionis » aut gratitudinis remansisse scint illa, dum » ejus monitis & mandatis omnino contemp- » tis, matrem suam Placentinam Ecclesiam, » honorabile membrum ipsius, hæreticorum » seducta fallaciis nititur ancillare, volens » eam quasi vile mancipium redigere sub » tributo, ut ceteras civitates suo exemplo » corrumpens una provocet universas con- » tra universalis Ecclesiæ libertatem; ut di- » cere valeamus cum Propheta: *Filios enu- » trivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* » A cujus utique culpæ flagitio si nec publicę » honestatis justitia, nec ecclesiasticæ disci- » plinæ severitas, nec fidei Christianæ reli- » gio, nec formido tremendi judicij vos po- » tuit hactenus revocare, utinam exemplum » gentilis mansuetudinis vos induceret, ne » sæviorem persecutionem à vobis quàm pas- » sa fuerit à famosæ credulitatis tyranno, » Ecclesia nostro tempore sustineret. Cùm » enim Pharao Rex Ægypti, ceteris servi- » tuti subactis, sacerdotes suos & possessio- » nes eorum non solùm in pristina libertate » servaverit, sed etiam alimoniam eis de pu- » blico ministrarit, & Rex Persidæ Arta- » xerxes universis sacerdotibus & Levitis ac » domus Dei ministris vetuerit vectigal, tri- » butum, & annonam imponi, vos quidem » metuere propter Deum vel saltem propter » homines erubescere deberetis in Dei famu- los immanitatem illius tyrannidis exercere « quam non exercuerunt in ipsos illi qui non- « dum habebant notitiam veritatis. Heu! « qui vos, ô cives, tam miserabiliter fasci- « navit ut ancillata matre servos efficeret & « perversitatis exemplum ceteris exhiberet, « ac apostolicæ gratiæ redderet prorsùs ni- « gratos, quæ civitatem vestram à jugo Ra- « vennatis Ecclesiæ gratuitò liberavit, adop- « tans illam in filiam specialem? Certè etsi « possetis hujusmodi facinus impune perfice- « re, non deberetis tam perversum exem- « plum aliis exhibere: quoniam etsi grave « sit facinus, gravius est exemplum. Quòd « si gratiæ vobis factæ beneficium asperne- « mini, & degenerantibus vobis ex filiis in « privignos, apostolicæ sedis gratiam, quæ « multis bonis hactenus vos replevit, prop- « ter vestram ingratitudinem improperare « cogamur prophetico verbo dicantes: Pin- « gues facti sunt & incrassati, & recalcitra- « vere dilecti. Numquid remanebit gratia « cùm ingratis, aut mater filios alienos, qui « mentiti sunt ei, sibique mala pro bonis & « odium pro dilectione retribuunt, ultrà po- « terit in adoptionis filios retinere, quin po- « tiùs abutentes ingenua, redigantur in con- « ditionem servilem, ut gratiam quam non « cognoverunt habendo, saltem amittendo « cognoscant, tantoque demum illam se do- « leant amisisse quanto habere ipsam, cùm « voluerint seriò, non poterunt, pro eo quòd « eam servare, dum potuere, minimè vo- « luerunt, & sic tandem dantibus vobis alie- « nis honorem vestrum & annos vestros cru- « deli, cùm impleti fuerint extranei viribus « vestris, ac vos labores vestros in aliena « domo videntes in novissimis gemueritis, « nos quidem, juxta proverbium Salomonis, « in interitu vestro ridebimus, & subsan- « nantes, cùm vobis quod timebatis adve- « nerit, redire fortasse volentes recipere vos « nollemus, quos jam pridem diutiùs voca- « vimus renuentes, cum sapiente dicturi: « *Vocavi, & renuistis. Extendi manum meam, « & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne « consilium meum, & increpationes meas peni- « tùs neglexistis.* Redite ergo prævaricato- « res ad cor, & nolite vos reddere prorsùs « indignos propriæ dignitatis: quia cùm ex- « pectaverimus per triennium, si fortè in- « fatuata ficulnea fota stercoribus non pro- « tulerit ex se fructum, profectò non restat « nisi securim ponere ad radicem, ne ramis « infructuosis extensis terra circumjacens « inutiliter occupetur. Cùm enim nihil sit « justius quàm ut in quo quis peccavit, in eo « etiam puniatur, & per hoc quod in Deum «

&

» & Ecclesiam commisistis, non solùm episcopalia jura temerè invadentes, verùm etiam facientes Episcopum vestrum & clericos miserabiliter exulare, sedis episcopalis reddideritis vos indignos, nolentes vos tanti sceleris diutiùs impunitate gaudere, immo illud tali castigatione compescere quòd quibuscunque culpa vestra fuit in scandalum, pœna sit in exemplum, deliberavimus cum fratribus nostris & hoc communi consilio duximus statuendum ut nisi ad mandatum Ecclesiæ infra mensem post susceptionem præsentium revertamini, super his pro quibus censuram ecclesiam incurristis satisfactionem debitam impensuri, civitas vestra episcopali dignitate privetur, & diocesis ejus inter vicinos Episcopos dividatur, proviso congruè tam Episcopo quàm clericis civitatis, si tamen civitas dicenda sit postquam episcopalem amiserit dignitatem, ac per hoc temporalem quoque merebitur amittere comitatum. Ecce tensus est arcus. Fugiatis igitur à sagitta quæ non consuevit abire retrorsum: quia sera est pœnitentia post ruinam, sicut vicina vos possunt exempla docere. Non ergo vos resipiscere pudeat ab errore, quoniam in hac pugna longè magis est vinci quàm vincere glorioſum: quia sicut qui vincit vitium, vincitur à virtute, sic profectò qui virtutem captivat, à vitio captivatur. Et est quidem majoris virtutis seipsum quàm extraneum superare, maximè si crudelitas à pietate vincatur, Salomone testante: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Mittimus igitur ad vos venerabilem fratrem nostrum Vercellensem Episcopum & dilectos filios Abbatem de Tilieto & Albertum Presbyterum Mantuanum, qui monitis & exhortationibus vos inducant, si desuper datum fuerit, ad semitam veritatis, alioquin convocatis Episcopis Lombardiæ, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, præscriptum statutum solenniter exequantur. De cetero paterna dilectione vos monemus, deposcimus, & rogamus ut hoc nobis gratuita saltem liberalitate donetis, sub spe non solùm mercedis æternæ vobis à Domino conferendæ, verùm etiam præmij temporalis à sede apostolica concedendi, scituri pro certo quòd non sine multa tristitia & magno dolore processimus ad præscriptam sententiam proferendam, tamquam qui necessariò compellimur, si permiseritis vos in hanc necessitatem induci, quandam honorabilem partem à nostro corpore separare ut illius pareamus jussioni qui præcipit quòd si noster oculus nos scandalizat, eruamus illum, & proiciamus à nobis. Datum Laterani Nonis Octobris, pontificatus nostri anno nono.] Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ceteris occupationibus prætermissis, cùm hanc inter omnia negotia Lombardiæ modò præcipuam reputemus, ad civitatem Placentinam pariter accedentes, cives ipsius, quos, sicut novit ille qui nihil ignorat, non intendimus contra justitiam aggravare, modis quibus poteritis prudenter & efficaciter inducatis ut mandatis apostolicis obediant humiliter & devotè, ne præscriptam pœnam incurrant ignominiosam pariter & damnosam. Alioquin, quia ferro abscindenda sunt vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, convocatis Episcopis Lombardiæ, ad executionem præscripti statuti cum ea maturitate ac diligentia procedatis ut vestra sollicitudine mediante debitum sortiatur effectum; scientes vobis plenam potestatem sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo à nobis esse concessam super omnibus quæ necessaria fuerint ad idem negotium exequendum. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum apud Montemflasconem v. Kal. Augusti, anno decimo.

DECANO ET CAPITVLO Carnotensi.

Epist. 223. De præbenda Hospitalis sanctæ Mariæ in Saxia. *Vide supra ad epist.* 179.

IN nostra præsentia constitutus venerabilis frater noster Episcopus Carnotensis pro animabus tam sua quàm prædecessorum suorum & successorum suorum Hospitali sanctæ Mariæ in Saxia de voluntate nostra præbendam in Ecclesia Carnotensi ad opus infirmorum & pauperum pia liberalitate concessit, & nos concessionem ipsius nomine Hospitalis ejusdem recepimus & auctoritate curavimus apostolica roborare, decernentes irritum & inane si quid de præbenda vel nunc vacante vel in proximo vacatura contra hoc, quod non credimus, fuerit attentatum. Ne autem ex hoc Ecclesia vestra solito servitio defraudetur, pastorali volentes sollicitudine providere, volumus & præsentium auctoritate concedimus ut juxta dispositionem ipsius Episcopi aliquis statuatur qui pro ea deserviat & in ea Ecclesiæ Carnotensis tertiam partem proventuum ejusdem præbendæ in integrum percepturus, duabus

reliquis Hospitali supradicto annis singulis in integrum persolvendis. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & præcipimus quatinus quod ab eodem Episcopo factum est intuitu pietatis & à nobis auctoritate apostolica confirmatum gratum habeatis & ratum & inviolabiliter observetis, vestrumque consensum per patentes nobis curetis litteras intimare. Alioquin noveritis nos eidem & venerabili fratri nostro Aurelianensi Episcopis & dilecto filio Abbati Vindocinensi mandasse ut vos ad ea monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Anagniæ III. Idus Novembris, anno quarto.

FINIS LIBRI DECIMI.

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER VNDECIMVS.

NOBILI VIRO LIVBVLDO DVCI AVSTRIÆ.

Epist. 1. De succursu terræ sanctæ.

EXPERIMENTO didicimus quòd verborum non fueris oblivioſus auditor quæ volentibus ire poſt Dominum in evangelio proponuntur, cùm religioſa mente recogitans quid retribuas Domino pro omnibus quæ retribuit ipſe tibi, Chriſtum, qui eſt uſque ad mortem, mortem autem crucis, obediens pro te factus, humiliter imitari diſponis, & pro ejus amore caram conjugem, dulcem prolem, delectabilem patriam, amabilem parentelam, divitias copioſas, ac mundanos relicturus honores, ut demum te ipſum cum carnalibus deſideriis abnegando, liberiùs ſequaris eundem, deſideras, ut accepimus, tollere crucem tuam, & illuc ubi tua ſalus in cruce pependit ardenti ſuccingeris deſiderio feſtinare, ut in crucis victorioſæ vexillo te contra perfidorum conatus opponas, qui de crucis hereditate in parte jam expuliſſe videntur & in toto nituntur expellere crucifixum. Verè pium eſt hoc propoſitum & tibi cœlitus inſpiratum. Intendis enim ſuſcipiendo crucem reddere vicem Chriſto, qui tuos languores in ipſa pertulit, doloreſque portavit. Verùm licèt ſit devotio ſatis magna, multùm eſt tamen viciſſitudo diſſimilis: quia præter gratiæ differentiam quæ videtur conſiſtere in alterutro, ſi quod Dominus redemptor pro ſervo redempto pertulit, demum ſervus redemptus perferat pro Domino redemptore, inter crucis Chriſti patibulum & crucis tuæ ſignaculum valde refert; cùm etſi crucis una ſit gloria, diſpar tamen ſit in te ac Domino ejus pœna. Tu enim crucem mollem ſuſcipies & ſuavem, ille aſperam ſubivit & duram: tu eam in veſtis deferes ſuperficie, ille in carnis pertulit veritate; tu ipſam aſſues tibi lineis filis aut ſericis, ille in ea confixus eſt ferreis clavis & duris. Licèt igitur, quantumcunque magnis & duris ob ſpem æternæ retributionis exponere te diſponas, ad futuram gloriam quæ revelabitur in te condignæ non ſint hujuſmodi paſſiones, conſiderata tamen ſinceritate tuæ devotionis, & urgentiſſima terræ ſanctæ neceſſitate perſpecta, tuum propoſitum in Domino commenda-

mus, nobilitatem tuam in ipso Domino Iesu Christo rogantes & exhortantes attentiùs quatenus secundùm spiritum suum bonum, quem ipse tibi noscitur infudisse, procedens ad ejusdem tetræ succursum, in divinum obsequium, quid crastina paritura sit dies ignorans, te celeriter & prudenter accingas, & taliter, ipso coadjuvante, Dei servitium prosequaris, defensioni terræ prædictæ studiosiùs intendendo, quæ tuo & aliorum fidelium adjutorio, quasi posita in necessitate suprema, valde noscitur indigere, quòd nec Deus tibi hoc propositum videatur in vacuum inspirare, nec tu pro eo mundi gloriam quasi omnem, qua præstabilis esse noscéris, reliquisse videaris in vanum, sed secundùm affectum hujusmodi pietatis consequatur in te plenæ perfectionis effectus. Nos enim juxta petitionem tuam vivificæ crucis signum per dilectum filium Nicolaum Priorem sancti Iohannis Cartusiensis ordinis tibi mittimus imponendum, indulgentiam quam petisti cum conservatoriis quoque litteris nihilominus destinantes. Datum Laterani VI. Kal. Martij, anno undecimo.

EIDEM.

Epist. 2. Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.

QVòd non immemor dominicæ passionis & tuæ redemptionis effectus vexillum salutiferæ crucis assúmere ac illi disponis pro defensione Ierosolymitanæ provinciæ militare qui reddidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in suavitatis odorem, devotionem tuam in Domino commendamus. Vt igitur te in pio proposito foveamus, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo statuimus ut tam persona quàm omnia bona tua pariter & familia, ex quo crucem acceperis, sub apostolicæ sedis & nostra necnon Archiepiscoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei, in quorum diocesibus ipsa permanent, protectione consistant, & donec de tuo reditu vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI *Præmonstratensi.*

Epist. 3. Abbates tenentur congregationum suarum negotia procurare. *Cap.* Edoceri. *De rescriptis.*

EDoceri à nobis per vestras litteras postulastis utrum per litteras ad Abbates vestri ordinis, nulla mentione habita de suis conventibus, impetratas, teneantur Abbates ipsi super causis quæ ad conventus pertinent & eosdem de ipsis querelantibus respondere, ac licèt appellatio sit inhibita, per appellationis objectum possint, ne respondeant, se tueri. Super quo vobis duximus respondendum quòd iidem Abbates, nisi alia causa rationabilis suffragetur, per appellationem se tueri non possunt quò minùs debeant auctoritate litterarum hujusmodi legitimè respondere, cùm ex officio suo teneantur Abbates congregationum suarum negotia procurare, nisi forte Abbatis & conventus negotia essent omnino discreta. Datum Laterani I v. Kal. Martij, anno undecimo.

ILLVSTRI REGI ARAGONVM.

Epist. 4. Vt sororem suam Regi Siciliæ in uxorem mittat. *Vide Surium ad an.* 1208.

EX speciali dilectionis affectu quo personam tuam & regnum Aragonense diligimus provocamur ut non solùm ad ea quæ tibi utilia sunt & illi tuam magnificentiam exhortemur, verùm etiam arguamus eandem, si circa ipsa sollicitudinem non adhibet quam oportet, cùm tibi pater simus in illo qui filium quem diligit corrigit & castigat. Tua quidem regalis serenitas non ignorat qualiter super negotio matrimonij inter tuam sororem & carissimum in Christo filium nostrum Fredericum illustrem Regem Siciliæ consummandi, de quo jamdudum à sua fuerat habitus genitrice tractatus, aliquando tecum fuerimus viva voce locuti, ac sæpe per nostras te litteras exhortati. Sed licèt in succursum ipsius duas galeas noviter destinaris, de quo regalem prudentiam plurimùm in Domino commendamus, confirmationem tamen ejusdem facti, ex parte præfati Regis non sine studio nostræ sollicitudinis acceptati, quantum à te dependet, plusquam oportuerit & decuerit distulisti. In quo profectò, cùm pridem illud non modicùm visus fueris appetisse, moram ingerere non deberes, cùm præter id quòd ex tali dilatione prægrandis utilitatis compendium impeditur, de te posset insultando referri: *Ecce homo qui cœpit, & non potuit consummare.* Ceterum ut cum tuo pariter & pro tuo loquamur honore, quæ pigritia jam te detinet, quæ segnities perfectionem tibi negotij tam pertutilis dissuadet, ut passim opportunitatis hodiernæ rem crastines, & processum copulæ tam felicis usque futures? Porrò non est pro quo nuptiis tam magnificis ulteriùs tuam deceat supersedere sororem. Præcelsus enim est sponsus ejus, & titulum Regis habens ex utero matris suæ. Non claudicat generis sui nobilitas, sed utroque pede firmiter subnixa procedens,

descendentem à progenie in progeniem sui sanguinis magnitudinem per virtutum amplificat majestatem, filius quidem & nepos Imperatorum, patris non solummodo, sed & avi; de matre proditus est augusta, quæ nimirum & ipsa Regina Siciliæ, Regis aliquando soror fuit, Regis amita, Regis nata, & p æterea neptis ejus qui gloriosiùs opere Rex quàm nomine, de duobus diversis & adversis Augustis ac Venetis aliisque gentibus una die refertur in diversis mundi partibus mari & arida magnificè triumphasse. Horum quidem natalium tuæ germanæ sponsus claritate conspicuus, (sicut de sibi paribus scriptum est: *Cæsaribus virtus contigit ante diem*) de janua pubertatis passu velociori annos discretionis ingreditur, & ætatem anticipando virtutibus feliciter regnandi primitias mirabiliter exorditur. Denique regnum suum alves & nobile inter cetera regna mundi umbilicus & portus est aliorum; de quo & per quod tanto tibi majora poterunt commoda provenire quanto magis tuo regno contiguitate maris est proximum, & à nobis, utpote peculiare beati Petri, speciali prærogativa dilectum. Cùm igitur venerabilis frater noster Mazarienſis Episcopus, vir utique providus ac fidelis, & pensatis singulis qualitatibus ad negotium hoc idoneus, ad suggestionem nuntiorum tuorum ac tuam pro jamdicta tua sorore transducenda mittatur, celsitudinem regiam monemus attentiùs & propensiùs exhortamur quatenus eam cum apparatu decenti & honorifico comitatu, quo & ipsa, prout convenit tantæ sponsæ, circumornata procedat, & sponsus ejus solatium opportunæ subventionis accipiat, mittere non postponas, expensas quas negotium tanti profectus & honoris exposcit, aliquo modo non evitans, cùm Deo, sicut confidimus, prosperante tibi possint in decuplum restaurari. Datum Laterani.

Epist. 5. *IN eundem ferè modum illustri Reginæ Aragonum usque in finem.* Quocirca serenitatem tuam monemus attentiùs & propentiùs exhortamur quatenus dictum Regem ad id prudenter & diligenter inducas, attendens quòd si personaliter accederes cum eadem, præter id quòd affectu materno de tam felici generi filiæque lætareris amplexu, utiliter valde posses & Regem & regnum per tuam prudentiam moderari. Datum Laterani.

ABBATI ET CONVENTUI sancti Iohannis Morinensis.

Epist. 6. Ut liceat eis habere molendinum.

PRæsentium vobis auctoritate concedimus quatinus secundùm ordinis vestri regulam vobis liceat infra fines vestros molendinum habere, nonobstante quòd Episcopus & Canonici Morinenses, ut dicitur, causa questus in suis molere molendinis compellere vos nituntur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Kal. Martij, anno undecimo.

NOBILI VIRO DEMETRIO Arbanensi Principi.

Epist. 7. Ei Archidiaconus Duracij commendatur.

DEvotionem & reverentiam quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam habere dinosceris in Domino commendantes, gratias referimus bonorum omnium largitori quòd tibi & tuis inter Græcos minùs catholicè sentientes degentibus fidem rectam misericorditer inspiravit, ut recognoscens beato Petro à Domino esse dictum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlo*, & iterum circa passionem ipsius, *Simon, ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua, & tu aliquando convertus confirma fratres tuos*, rursumque post resurrectionem suam trino repetito vocabulo eidem dixisse, *Si diligis me, pasce oves meas*, per litteras tuas, quas benignitate paterna suscepimus, postulares ut à latere nostro Legatum, qui te ac tuos eruditat in fidei puritate, mittere dignaremur. Nos ergo proponimus ut ad partes illas Legatum qui pascat, confirmet, & corrigat quæ corrigenda invenerit, transmittamus, dilectum filium Nicolaum Archidiaconum Latinorum Durachij, per nostras dantes litteras in mandatis ut ipse interim ad Arbanam accedat, & te ac tuos unà cum venerabili fratre nostro Paulo Arbanensi Episcopo instruat & confirmet in iis quæ viderit expedire; ut cùm Legatus advenerit, vos ex parte inveniat eruditos. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus prædictum Archidiaconum suscipiens honorificè ac honestè pertractans, ejus salubria monita & præcepta devotè recipias & observes; ut ex hoc cumulus tibi æternæ retri-

butionis accrescat, & nos devotionem tuam possimus meritò commendare. Datum Laterani III. Kal. Martij, anno undecimo.

VNIVERSIS CLERICIS Abbatiæ Farfensis in Sabinensi dioecesi constitutis.

Epist. 8. De libertate monasterij Farfensis.

CVm inter venerabilem fratrem nostrum Iohannem Sabinensem Episcopum & dilectos filios Abbatem & conventum Farfensem controversia verteretur, eodem Episcopo jus episcopale petente tam in monasterio Farfensi quàm in ejus Ecclesiis in sua dioecesi constitutis, sex duntaxat exceptis, in quibus idem Abbas & monachi ei jus episcopale minimè denegabant, ipsis è contrario respondentibus quòd ipsorum monasterium tam in capite quàm in aliis ejus membris erat prorsùs exemptum & nulli nisi apostolicæ sedi subjectum, nos visis, auditis, & intellectis attestationibus, instrumentis, & allegationibus utrinque productis, de consilio fratrum nostrorum eos & successores ipsorum absolvimus in perpetuum ab impetitione quam contra ipsos idem Episcopus super sui monasterij subjectione movebat, decernentes ipsum monasterium à cujuslibet præterquam Romani Pontificis jurisdictione liberum esse penitùs & exemptum, & super hoc eidem Episcopo perpetuum silentium duximus imponendum. Super Ecclesiis autem eorum, sex illis exceptis, in Sabinensi dioecesi constitutis hoc exigente justitia sententialiter diffinivimus ut in præstatione decimarum, oblationum & mortuariorum, necnon ordinatione clericorum, & dedicatione basilicarum, Sabinensi Episcopo nullatenus teneantur; quoniam super iis cognovimus eas per privilegia prædecessorum nostrorum penitùs absolutas. Vnde super iis ei silentium imponentes, eos ab ipsius impetitione decrevimus absolvendos. In ceteris autem quæ ad jus episcopale pertinere noscuntur ipsas Ecclesias ei & successoribus ejus decrevimus in perpetuum esse subjectas, & super iis eidem Episcopo dictum Abbatem & monachos sententialiter condemnamus; hoc ad majorem cautelam expresso, ut ipsi in eisdem Ecclesiis liberam eligendi sacerdotes & alios clericos habeant potestatem. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad locum ad quem idem Episcopus vos duxerit evocandos sine difficultate qualibet accedatis, audituri & recepturi mandatum ipsius juxta tenorem sententiæ promulgatæ. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc in vos rationabiliter duxerit promulgandam, firmiter observetis. Datum Laterani v. Non. Martij, anno XI.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 9. Ne Græcos in eorum rebellione manuteneat.

AD nostram noveris audientiam perveniſſe quòd de assensu & voluntate nobilis viri Comitis Tripolitani & quorundam civium Antiochenorum populus & quædam pars cleri Græcorum, Dei timore postposito, in Antiochena provincia Patriarcham Græcum intrudere præsumpserunt, cui clerici Græci, qui venerabili fratri nostro Antiocheno Patriarchæ fidelitatis exhibuerant juramenta dignitatibus & beneficiis de manu ejus receptis, contra proprium juramentum temerè adhærentes, Patriarchæ præfati observare renuunt interdictum, & Latinos excommunicationi & interdicto suppositos recipiunt ad divina. Quia igitur tantæ præsumptionis audaciam transire conniventibus oculis nec possumus nec debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si res ita se habet, memoratum intrusum omnino deponas, & à tota provincia facias removeri, & contradictores per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compescens, eidem Comiti necnon Majori & Consulibus Antiochenis sub pœna excommunicationis inhibeas ne dictum intrusum aut clericos Græcos in tali rebellione temerè manutenere præsumant. Datum Laterani IV. Non. Martij, anno undecimo.

Vide lib. 10. epist. 114.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

Epist. 10. De electione Archiepiscopi Bremensis.

SI Deus scientiarum dominus præscientiæ nobis spiritum infudisset, ab homine iniquo & doloso providentiùs nobis caviſſemus & tibi; qui licèt forsan de lacu calamitatis in quem conciderat apostolico liberari præsidio minimè meruisset, consilio tamen Dei sapienter omnia disponentis per sollicitudinem nostram erutus est ab ipso, ut eo demum ingrato gratiæ sibi factæ, quod facilè contra eum non poterat exerceri pro dubiis, liberius fieret pro flagitiis manifestis. Nuper quidem Bremensis & Hammeburgensis Ecclesiarum procuratoribus, super eo quòd Waldemarus Episcopus à Bremensi Capitulo Canonicis Hammeburgensibus inconsultis in

Vide lib. 10. epist. 209.

suum fuerat Archiepiscopum postulatus, ad nostram præsentiam destinatis, dilectus filius Petrus Præpositus Roskildensis, vir utique providus ac fidelis, à regia supervenit serenitate transmissus. Qui Episcopo ipso in nostra præsentia proponente quòd per te bonis tam episcopalibus quàm etiam patrimonialibus fuerat destitutus, de quibus restitui postulabat à nobis, prudenter ex adverso rsspondit quòd non rite poterat restitutionis auxilium implorare, cùm ipse se duxerit spoliandum habitum clericalem derelinquens, regium sibi titulum usurpavit. Insuper læsæ majestatis, apostasiæ, adulterij, perjurij, dilapidationis, & conspirationis crimina eidem obiciens, proponebat, non solùm ei fore restitutionis beneficium denegandum, sed etiam postulationem de ipso factam penitùs respuendam; præsertim cùm irregularis existat, utpote de duplici adulterio procreatus, ejusque dispensatio fuerit olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quòd esset spurius, & expresso quòd existeret naturalis; cùm & paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. Nos igitur iis & aliis diligenter auditis quæ in auditorio nostro fuere solemniter allegata, licèt supplicationibus nobis factis super postulatione prædicta inclinassemus forsan benigniùs aures nostras, si cum apostolicæ sedis honore, salute animæ nostræ, utilitate Bremensis Ecclesiæ, necnon absque tuo tuique regni dispendio fieri potuisset, maximè cùm per hoc à multis nos crederemus inquietationibus expediri, postulationem tamen ipsam de consilio fratrum nostrorum, rebus sic se habentibus, non duximus admittendam, cùm & Episcopi petitio, per quam sibi episcopatum restitui cupiebat, postulationi de ipso factæ ut ad aliam transferretur Ecclesiam contraria videretur. Nuntiis autem Bremensibus sic duximus respondendum, ut quoniam hujus negotij pendebat eventus, & ignorabatur an in brevi posset idem negotium expediri, suæ curarent Ecclesiæ providere. Verùm ad ea quæ pacis sunt intendentes, petitionem ipsius super restitutione tam episcopatus quàm patrimonij sibi plenariè facienda in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus admittendam, concedentes eidem ut si fortè se nollet regiæ sublimitati committere, per procuratorem idoneum restitutionem acciperet corporalem, & ipse interim in quo mallet loco maneret tibi meritò non suspecto. Qui cùm respondisset se velle per procuratorem idoneum restitutionis beneficium obtinere, ac de loco in quo mansurus esset interim deliberatorias inducias accepisset, ingratus demum gratiæ sibi factæ, fraudulenter & contumaciter à nobis illicentiatus aufugit. Vnde nos ex parte omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, auctoritrte quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, excommunicamus & anathematizamus eundem, postulationem de ipso factam, qua omnino reddidit se indignum, penitùs reprobantes. Quam profectò sententiam per quamplures Archiepiscopos & Episcopos, prout tam nos quàm idem nuntius tuus expedire cognovit, mandavimus solemniter publicari. Principem * quoque de cujus favore forsitan idem Waldemarus frustra confidit auctoritate litterarum nostrarum moneri fecimus & induci ut ei nullum præstet auxilium vel favorem, sed ipsum tamquam excommunicatum evitet, neque per ipsum aut propter ipsum permittat in Ecclesia Dei scandalum suboriri, per quod etiam contra se posset non leve scandalum generari, cùm nos tantæ malignitatis audaciam in eodem nolimus Episcopo sub dissimulatione transire. Bremensi verò Capitulo dedimus in præceptis ut convocatis in unum qui ad electionem fuerint advocandi, post commonitionem venerabilis fratris nostri Magdeburgensis Archiepiscopi eis factam, cui super hoc dirigimus scripta nostra, personam idoneam infra mensem præficiant sibi per electionem canonicam in pastorem. Alioquin Archiepiscopo ipsi mandavimus ut auctoritate nostra suffultus, cum consilio religiosorum & prudentum virorum, talem eis ex tunc in Pontificem personam assignet quæ tanto congruat oneri & honori; si qui forsan, quod non credimus, de clero seu populo præsumpserint se opponere aut dicto Waldemaro favere, temeritatem eorum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Præterea tantæ nequitiæ magnitudinem odio persequendo perfecto, regiæque volendo plenius providere quieti, cogitavimus infra nos, & cum fratribus nostris demum tractatum habuimus diligentem, si foret ad depositionem ejusdem Episcopi procedendum. Super quo tandem consilio maturiore providimus quòd ipsius calcaneum observantes, adhuc aliquantulum præstolemur; ut si fortè quip-

Vide Arnold Lubec. lib. 7. c. 11.

* id est, Philippum Ducem Sueviæ, ut patet ex epist. 215. lib. 10.

piam contra te vel etiam regnum tuum, immo contra nos, seu veriùs contra se in eorum alterutro tentaverit machinari, licèt conatus ipsius divino præsidio nostraque sollicitudine ac tuo studio resistentibus in nullo valeat prævalere, per quod utique non solùm ista sed majori se redderet pœna dignum, ad confusionem ipsius eò liberiùs quò justiùs procedamus; quamquam & hoc providerimus ad cautelam, ne in barathrum desperationis submersus liberiùs & efficaciùs in principio malignetur, qui si fuerit in primo conatu delusus, velut anguis conciso capite suæ malignitatis virus ulteriùs effundere non valebit. Quocirca regalem magnificentiam monemus attentiùs & propensiùs exhortamur quatenus divinæ congratulando justitiæ, quæ te quodam modo justificasse videtur ab illo, ea quæ hactenus facta sunt debita prosequens gratitudine, sic futurorum eventum longanimi patientia præstoleris ut tamen prudenti conamine diligenter occurras incursibus malignorum; ne quid deficiat ad cautelam, regium nobis interim beneplacitum rescripturus, ut eo demum plenius intellecto, sicut procedendum fuerit procedamus. Nos enim tam in iis quàm in aliis, quantum cum Deo & nostra possumus honestate, quæ ad pacem tuam proveniant & honorem intendimus efficaciter promovere. Super quo jamdictus Præpositus nostram tibi referre valebit expressiùs voluntatem. Qui siquidem in prudentia illa & fide nostra tibi referre poterit qua tua nobis ipse portavit; propter quod non immeritò ipsum duximus tuæ celsitudini commendandum. Datum Laterani.

ARCHIEPISCOPO TVRONENSI, & Parisiensi & Nivernensi Episcopis.

Epist. 11. Ne debita aut usuræ per biennium exigantur à crucesignatis.

INter cetera quæ proficiant ad abolendam de Provinciæ partibus hæreticam pravitatem relatum est nobis hoc specialiter expedire, ut debitores qui alieno ære tenentur, à creditoribus suis cessantibus interim expectentur usuris quandiu ibi pro negotio fidei laborabunt, & Clericis pro eodem volentibus laborare negotio concedatur suos redditus per biennium obligare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra suffulti super hujusmodi statutis & faciatis firmiter observari quod secundùm Deum in tanta necessitate noveritis Ecclesiæ suæ negotio expedire. Datum Laterani.

HENRICO ILLVSTRI Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 12. Vt non impediat legata facta Ecclesiis.

CVm à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum, sicut legales edocent sanctiones, ut quilibet Ecclesiis & piis locis legare liberè valeat bona sua, serenitatem tuam rogamus attentius & monemus & exhortamur in Domino quatenus si Milites vel alij possessiones suas Ecclesiis legare voluerint, nullatenus impedias, vel te ipsum opponas, sed ea saltim cum onere suo ipsis legari permittas liberè ac quietè. Quòd si forsan aliquis de possessionibus quæ fuerunt Ecclesiarum ipsis legarit Ecclesiis positus in extremis, quia idem non sua dimittere sed potiùs restituere videtur ablata, auctoritate præsentium districtius inhibemus ne id præsumas per te vel alios impedire. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Varisiensi & EpiscopoPanidensi nostris domus litteris in præceptis ut contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis impedimento compescant. Datum Laterani IV. Idus Martij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI & Episcopo Panidensi.

Epist. 13. Executoriales per eodem.

CVm à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum &c. *in eundem ferè modum usque* impedire. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quoslibet qui apostolicæ sedis inhibitione contempta id impedire præsumpserint, per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo à præsumptione hujusmodi compescatis. Datum ut in alia.

POTESTATI ET POPVLO Venetorum Constantinopolim commorantibus.

Epist. 14. De eadem re.

CVm à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum &c. *usque* impedire. Alioquin dilectis filiis Decano, Cantori, & Thesaurario sanctæ Sophiæ Canstantinopolitanis nostris damus litteris in præceptis ut contradictores quoslibet &c. *ut in alia. In eundem modum eisdem.*

NOBILIBVS VIRIS BARONIBVS apud Constantinopolim commorantibus.

Epist. 15. De eadem re.

CVm à catholicis Imperatoribus &c. *ut suprà usque* impedire. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Varisiensi Archiepiscopo & Salombreæ & Kallipolis Episcopis

Episcopis nostris damus litteris in præceptis ut contradictores &c. *ut in alia.*

In eundem modum eisdem ut suprà. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum ut suprà.

VARISIENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Kallipolienſi.

Epist. 16. Committitur ei causa inter Patriarcham & Imp. Const.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha quòd claræ memoriæ Balduinus Constantinopolitanus Imperator triginta præposituras infra urbem Constantinopolitanam in melioribus Ecclesiis quæ contigerant in sortem Francorum suæ donationi retinuit, instituens in eis Præpositos & Decanos; cui carissimus in Christo filius noster Henricus succedens, easdem in animæ suæ periculum ordinare præsumit. Vnde nobis humiliter supplicavit ut easdem suæ faceremus ordinationi dimitti liberas & quietas, maximè cùm dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, ex ipsis triginta viginti tres adjudicaverit sibi, septem nec adjudicatis nec cassatis in nostræ relictis arbitrio potestatis, & nos tempore ordinationis ejusdem nullam Ecclesiam excepserimus, immo sibi curam Constantinopolitanæ Ecclesiæ commiserimus generalem, nec ipse deliquit in aliquo quare Ecclesia sibi commissa privari debeat jure suo. Verùm quia Imperator prædictus præpositurarum ipsarum collationem confirmari sibi per sedem apostolicam postulavit, cùm se fateatur habere non minùs juris in illis quàm multi Reges in quibusdam præpositurarum regnorum suorum ex approbata consuetudine habere noscuntur, & ipsorum petitiones sunt ad invicem repugnantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus audiatis hinc inde proposita, & usque ad calculum diffinitivæ sententiæ sublato appellationis obstaculo procedentes, causam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, assignantes partibus terminum competentem quo per procuratores idoneos se nostro conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Datum ut in alia.

KALLIPOLIENSI ET PANIDENSI Episcopis, & Decano sanctæ Sophiæ Constantinopolim.

Epist. 17. Eis committitur causa Patriarcharum

EX conquestione venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani nostris fuit auribus intimatum quòd cùm eidem duxerimus concedendum ut Venetos habitatores regiæ civitatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelleret ad solvendum decimas personis & Ecclesiis quibus de jure debentur, nonobstante consuetudine Venetorum, qui tantùm in morte decimant bona sua, Vicarius venerabilis fratris nostri Patriarchæ Gradensis burgenses Venetos habitatores civitatis ejusdem, sive maneant in quinque parrochiis ejusdem Patriarchæ Gradensis, sive se transferant ad parrochias sibi subjectas, seu ad parrochias Pisanorum, necnon etiam ad parrochias illorum qui Constantinopolitano non sunt subditi Patriarchæ, ecclesiastica districtione compellit ut decimas sibi solvant, non permittens eisdem alibi nubentium benedictiones recipere quàm in Ecclesiis Patriarchæ Gradensis, licèt in illarum Ecclesiarum parrochiis non morentur; in quos etiam excommunicationis præsumit interdum propter hoc sententiam promulgare. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, audiatis causam, & appellatione remota fine canonico terminetis, facientes &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum ut in alia. Constant. & Gradensis.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI & Episcopo Panidensi.

Epist. 18. Vt sententias Patriarchæ Constantinop. faciant observari.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha quòd Prælati Ecclesiarum eidem non subjectarum commorantes in parrochiis sibi subjectis excommunicatos ab ipso & interdicto suppositos nominatim interdum recipiunt ad divina; propter quod dissolvitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Vnde ipsis dedimus in præceptis ut parrochianos Ecclesiarum quæ ipsi subjectæ sunt Patriarchæ, cùm ab eo excommunicati fuerint vel interdicto suppositi, nullatenus recipere ad divina, vel eis sacramenta ecclesiastica exhibere præsumant. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si Prælati prædictarum Ecclesiarum de cetero id præsumpserint attentare, vos eos à præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Datum ut in alia.

PRÆLATIS ECCLESIARVM Patriarchæ non subjectarum Constantinopolim.

Epist. 19. De eadem rc.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha quòd vos interdum commorantes in parrochiis sibi subjectis excommunicatos ab ipso & interdicto suppositos nominatim recipitis ad divina; propter quod dissolvitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus parrochianos Ecclesiarum quæ ipsi subjectę sunt Patriarchæ, cùm ab eo excommunicati. fuerint vel interdicto suppositi, recipere ad divina vel eis sacramenta ecclesiastica exhibere nullatenus præsumatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Varisienſi & Episcopo Panidensi nostris damus litteris in mandatis ut vos à præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Datum ut in alia.

VNIVERSO CLERO ECCLESIARVM à patriarchali jurisdictione non exemptarum in Constantinopolitana dioceſi commoranti.

Epist. 20. De eadem rc.

DIvinæ ordinationi videtur resistere qui potestati resistit, cùm potestas quælibet sit à Deo, à quo sunt omnia ordinata. Non ergo debet aliquis erubescere prælato sibi à Deo humiliter obedire, cùm Dei filius Iesus Christus, ut patri fieret obediens, in altitudinem venerit hujus maris, & se ab ipsius permiserit tempestate demergi; ne si secus præsumpserit, in illius transferatur imaginem qui solium suum ab aquilone voluit collocare. Cùm igitur venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha vobis disponente Domino sit prælatus, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ei tamquam patri & Episcopo animarum vestrarum humiliter intendentes, impendatis sibi canonicam obedientiam & honorem, scituri quòd si secùs præsumpseritis attentare, nos id clausis non poterimus oculis pertranſire. Datum Laterani Nonis Martij, an. undecimo.

CARISSIMO IN CHRISTO filio illustri Constantinopolitano Imperatori, & nobilibus viris ..... nibus Venetis & universo populo Constantinopolim commorantibus.

Epist. 21. Vt consilium & auxilium

CVm vestræ utilitati expediat & honori ut Græci tam clerici quàm laici ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani obedientiam redeant eumque patrem habeant & pastorem, universitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus super hoc Patriarchæ prædicto consilium & auxilium impendatis, sententiam quam in Græcos rebelles propter hoc rationabiliter tulerit firmiter observantes; ut devotio vestra clàreat in affectu, & oberrantes oviculæ redeant ad pastorem. Datum ut in alia. Patriarchæ Constantinop. impendant.

PRIORI PISANORVM.

Epist. 22. Ei interdicitur chrismatio puerorum.

AD audientiam nostram venerabili fratre nostro Patriarcha Constantinopolitano significante pervenit quòd eo & aliis Episcopis præsentibus pueros præsumis unctione sacri chrismatis confirmare; quod etsi dicas aliquando tibi fuisse ab apostolica sede concessum, nos tamen tibi ne illud faceres curavimus inhibere. Cùm igitur hujusmodi confirmatio puerorum ad Episcopos tantùm pertinere noscatur, auctoritate tibi præsentium districtiùs inhibemus ne de cetero pueros aliquatenus confirmare præsumas. Alioquin sententiam quam in te propter hoc Patriarcha prædictus rationabiliter promulgarit ratam habebimus, & faciemus eandem auctore Domino firmiter observari. Datum ut in alia.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

Epist. 23. De consecratione Episcoporum Græcorum. *Vide cap. Ex parte. De temporil. ordin. in vet. collect.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam Episcopi Græci ad tuam obedientiam redeuntes, fidelitatis præstiterunt tibi corporaliter juramentum, nobisque obedientiam promiserunt, sed inungi renuunt juxta consuetudinem Latinorum. Vnde quid super iis agere debeas postulasti per sedem apostolicam edoceri. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si ij qui jam consecrati sunt induci nequeunt ut recipiant unctionem, id in hac novitate sub dissimulatione poteris pertranſire. Consecrandos verò nullatenus consecres, nisi more Latino voluerint consecrari, cùm nos ipsi Græcos nonnisi juxta nostram consuetudinem consecremus. Datum Laterani VIII. Idus Martij, anno undecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPISCOPO KALLIPOLIENSI, & Decano sanctæ Sophiæ, & Præposito sanctorum Apostolorum Constantinopolim.

Epist. 24. De decimis solvendis.

SVa nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha insinuatione monstravit quòd Pisani, Lombardi, Longobardi, Amalfitani, Dani, Anglici, & quædam aliæ nationes apud Constantinopolim commorantes in parrochiis sibi subjectis, ipsi & Ecclesiis à quibus ecclesiastica percipiunt sacramenta decimas solvere contradicunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratos Pisanos & alios manentes in parrochiis eidem Patriarchæ subjectis, ut ipsi & Ecclesiis à quibus percipiunt spiritualia decimas cum debita integritate persolvant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum ut in alia.

PATRIARCHÆ GRADENSI & Suffraganeis ejus.

Epist. 25. De excommunicatis vitandis.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Patriarcha Constantinopolitanus quòd cùm ipse quosdam Venetorum Constantinopolim commorantes interdum pro excessibus suis, & interdum quia sibi contumaces & rebelles existunt, vinculo excommunicationis innodet, quosdamque subiciat interdicto, ipsi Venetias remeantes se pro excommunicatis vel interdictis non gerunt, nec illos curant aliqui evitare, sed passim recipiunt ad divina. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eos quos idem Patriarcha rationabiliter excommunicat vel interdicto supponit, cùm id vobis per litteras ipsius constiterit, tamquam excommunicatos arctiùs evitetis, & faciatis à vestris subditis evitari, & interdictis negari ecclesiastica sacramenta. Datum ut in alia.

NARBONENSI, ARELATENSI, Ebredunensi, Aquensi, & Viennensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis.

Epist. 26. De unde Petri de Castronovo

NE nos ejus tangeret increpatio qui per hominis pigri agrum & vineam viri stulti pertransiens, quòd totam urticæ repleverint exprobravit, primò quasi mane nostræ promotionis, ac deinde per ordinem evangelicæ vicis eximus, ut in dominicam vineam nostræ culturæ commissam operarios mitteremus. Attendentes ergo jamdudum quòd in Provincia nimis creverant plantaria vitiorum, ne spuria vitulamina radices mitterent altiores, viros illuc idoneos destinavimus, qui de vinea Domini sabaoth avellerent mutilia & utilia propagarent, capientes vulpeculas quæ moliuntur ipsam vineam demoliri. Ipsi verò profecti repererunt ibi, secundùm Apostoli verbum, homines pestilentes, qui doctrinam sanam minimè sustinebant, sed ad sua potiùs desideria magistros coacervabant erroris. Propter quod nuntios veritatis suis esse contrarios operibus arbitrati, usque adeo sævierunt in illos ut ipsos procul dubio videatur prænuntia salvatoris conquestio tetigisse dicentis: *Ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex eis occidetis &c.* Sanè rem audivimus detestabilem & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, quòd cùm sanctæ memoriæ frater Petrus de Castronovo monachus & sacerdos, vir inter viros utique virtuosos vita, scientia, & fama præclarus, ad evangelizandum pacem & astruendam fidem in eandem provinciam à nobis cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset & proficere non cessaret, quippe qui plenè in schola Christi didicerat quod doceret, & eum qui secundùm doctrinam est fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina & contradicentes revincere, paratus semper omni poscenti reddere rationem, utpote vir in fide catholicus, in lege peritus, & in sermone facundus, concitavit adversùs eum diabolus ministrum suum Comitem Tolosanum, qui cùm pro multis & magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat & in Deum, sæpe censuram Ecclesiam incurrisset, & sæpe, sicut homo versipellis & callidus, lubricus & inconstans, pœnitudine simulata fuerit absolutus, tandem odium continere non prævalens quod conceperat contra ipsum ex eo quòd non erat in ejus ore verbum Domini alligatum ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ac eo fortiùs in eodem quò magis pro majoribus erat ipse facinoribus increpandus, tam eum quam collegam ipsius apostolicæ sedis Legatos ad villam sancti Ægidij convocavit, promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere. Cùm autem convenientibus illis in villa prædicta præfatus Comes salutaria monita sibi facta modò velut verax & facilis promitteret se facturum, & modò velut fallax & durus ea prorsùs efficere

Vide historiã Albigensium cap. 8.

recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publicè comminatus, dicens quòd quocunque vel per terram diverterent vel per aquam, vigilanter eorum observaret egressum; & confestim * factis dicta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinavit. Cùmque nec ad preces dilecti filij Abbatis sancti Ægidij nec instantiam Consulum & burgensium furoris sui mitigari vesania potuisset, ipsi eos invito Comite nimiùmque dolente cum armatæ manus præsidio prope ripam Rhodani deduxerunt; ubi nocte quieverunt instante, quibusdam ejusdem Comitis satellitibus ipsis prorsùs ignotis hospitantibus cum eisdem, qui, sicut apparuit in effectu, sanguinem inquirebant ipsorum. In crastinum itaque mane facto, & Missa celebrata de more, cùm innocui Christi milites ad transitum fluminis se pararent, unus de prædictis sathanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum, inter costas posteriùs vulneravit; qui pius in impium respiciens percussorem, & Christi magistri sui cum beato Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum, *Deus tibi dimittat, quia ego dimitto*, pietatis & patientiæ tantæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe cælestium est oblitus, & in instanti suæ pretiosæ mortis articulo cum ministerij sui sociis quæ fidem promoverent & pacem non desinens ordinare, post multas demum orationes in Christo feliciter obdormivit. Qui profectò cùm ob fidem & pacem, quibus nulla prorsùs est causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, claris jam, ut credimus, miraculis coruscasset nisi hoc illorum incredulitas impediret de quorum similibus in evangelio legitur quòd Iesus non faciebat ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum: quia quamquam * linguæ non fidelibus sed infidelibus sint in signum, salvator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gavisus est viso ipso, pro eo quòd signum aliquod videre fieri ab illo sperabat, & facere dedignatus est signum & reddere interroganti responsum, sciens quòd in operatione signorum non credulitatis inductio sed vanitatis illum admiratio delectabat. Licèt autem illa prava & perversa generatio non sit digna ut tam citò, sicut forsitan ipsa quærit, de suo sibi martyre detur signum, expediisse tamen credimus ei ut unus iste pro ipsa, ne tota pereat, moreretur, quæ contagio hæreticæ pravitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem à suo melius revocetur errore quàm vivus eam potuerit revocare. Hoc est enim vetus artificium Iesu Christi, hoc miraculosum ingenium salvatoris, ut cùm in suis victus esse putatur, tunc vincat fortiùs in eisdem, & ea virtute qua ipse mortem moriendo destruxit, à superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; cùm autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert. Sperantes igitur quòd de morte hujus fœcundissimi grani multus sit fructus in Christi Ecclesia proventurus, cùm profectò sit durè culpabilis & culpabiliter durus cujus animam ipsius gladius non pertransiit, neque unquam penitùs desperantes quin utilitas tanta debeat in sanguine suo esse quòd suæ sanctæ prædicationis initiis circa memoratam provinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa, fraternitatem vestram monemus attentiùs & propensiùs exhortamur, per spiritum sanctum in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandantes quatenus verbum pacis & fidei seminatum ab eo vestræ prædicationis irriguis coalescere facientes, & ad expugnandam hæreticam pravitatem ac fidem catholicam confirmandam, extirpando vitia & seminando virtutes, indefessæ studio sedulitatis instantes, jamdictum Dei famuli occisorem & universos quorum ope vel opera, consilio vel favore tantum facinus perpetravit, receptatores quoque vel defensores ipsius ex parte omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac nostra excommunicatos & anathematizatos per universas vestras dioceses nuntietis, & omnia loca prorsùs ad quæ ipsi vel aliquis eorum devenerint, præsentibus eis interdicto faciatis ecclesiastico subjacere singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, donec ad sedem apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolvi, sententiam hujusmodi solemniter innovantes. Illis autem qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem justum, qui de terra clamare non cessat ad cœlum, donec ad confundendum subversos & subversores de cœlo descendat ad terram Dominus ultionum, viriliter se accinxerint adversùs

* *Historia Albigens.* dictis facta

* *Raynaldus reposuit* miracula. *Sed in regesto & in historia Albig. legitur* linguæ, *etiam in vet. cod. MS. bibliotheca Colbertina. Legendum ergo,* signa.

hujusmodi pestilentes, qui simul in unum & pacem & veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum à Deo ejusque vicario securè promittatis indultam, ut eis labor hujusmodi ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis pro quibus cordis contritionem & oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Hujusmodi siquidem pestilentes non tantùm jam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur; nec solùm ad perimendum animas linguas acuunt, verùm etiam ad perdendum corpora manus extendunt, perversores animarum effecti & corporum peremptores. Licèt autem præfatus Comes pro multis & magnis flagitiis quæ longum esset per singula enarrare jam dudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indiciis mortis sancti viri præsumitur esse reus, non solùm ex eo quòd publicè comminatus est ei mortem & insidias paravit eidem, verùm etiam ex eo quòd, sicut asseritur, occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit & magnis donis remuneravit eundem, ut de ceteris præsumptionibus taceamus quæ nobis plenius innotescunt, ob hanc quoque causam anathematizatum eum publicè nuntietis. Et cùm juxta sanctorum patrum canonicas sanctiones ei qui Deo fidem non servat fides servanda non sit, à communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est potiùs quàm fovendus, omnes qui dicto Comiti fidelitatis seu societatis aut fœderis hujusmodi juramento tenentur astricti, auctoritate apostolica denuntietis ab eo interim absolutos & cuilibet catholico viro licere, salvo jure domini principalis, non solùm persequi personam ejusdem, verùm etiam occupare ac detinere terram ipsius, illo præsertim obtentu quòd ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, qua per illius nequitiam fuit hactenus turpiter maculata; quia dignum est ut manus omnium contra ipsum insurgant cujus manus extitit contra omnes. Quòd si nec sic vexatio sibi dederit intellectum, manus nostras in eum curabimus fortiùs aggravare. Si quando verò satisfactionem promiserit exhibere, procul dubio ipsum hæc pœnitudinis suæ signa præmittere oportebit, ut de toto penitùs posse suo depellat pravitatis hæreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ, cùm principaliter propter culpam quam in utroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura; quamquam si suas Dominus iniquitates voluerit observare, vix possit congruè satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro alia multitudine quam in laqueum damnationis induxit. Quia verò secundùm sententiam veritatis timendi non sunt qui corpus occidunt, sed qui potest corpus & animam mittere in gehennam, confidimus & speramus in eo qui ut à fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus die tertia resurrexit, quòd præfati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Conseranensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cistercienſi apostolicæ sedis Legatis aliisque orthodoxę fidei sectatoribus non solùm timorem non incutiet, sed accendet amorem; ut ejus exemplo qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Vnde consulimus & monemus, preces præceptis & præcepta precibus inculcantes, quatinus Legatorum ipsorum salubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes, tamquam strenui commilitones assistatis eisdem in omnibus quæ propter hoc vobis duxerint injungenda; scientes quòd sententiam quam ipsi, non solùm in rebelles, sed etiam in desides, promulgaverint, nos ratam haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Laterani.

Vide infrà epist. 32.

IN eundem ferè modum Archiepiscopo Lugdunensi & suffraganeis ejus, usque præcepta precibus inculcantes, quatinus ad tantum Dei servitium prosequendum consilium impendatis & auxilium opportunum, quæ præmissa sunt subditis vestris tam Clericis quàm laicis prudenter & efficaciter exponendo, exhortantes eos & in remissionem suorum sibi peccaminum injungentes ut & ipsi suum impendant in tam sancto negotio dignum Domino famulatum. Datum Laterani.

Epist. 27. De eadem re.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

SI tua regalis serenitas cunctos mundi Principes circumspiciat, inveniet se à Deo specialiter inter ceteros exaltatam, qui ex gratia sua & ex meritis quæ tamtu quàm tui progenitores in ipsius conspectu feciſtis, multipliciter nomen tuum est magnificare dignatus, augens tibi gratiam in præsenti & gloriam præparans in futuro, pro eo maximè quòd unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam confitendo, odisti semper & repulisti sectas hæreticæ pravitatis. Nuper quidem

Epist. 28. De eadem re.

audivimus rem crudelem & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam &c. *usque in finem sicut in illa quæ mittitur Narbonensi Archiepiscopo & aliis.* Eia igitur Miles Christi, eia Christianissime Princeps, moveat religiosissimum pectus tuum universalis Ecclesiæ sanctæ gemitus, succendat te ad tantam Dei tui vindicandam injuriam pius zelus. Clamantem ad te justi sanguinis vocem audias, & contra tyrannum hostemque fidei scutum pro Ecclesia protectionis assumas; ut qui pro mundo hactenus laudabiliter militasti, laudabiliùs milites nunc pro Christo, qui à nequissimis servis graviter impugnatur. Accipe tempus instans faciendi justitiam, & aures à querela Ecclesiæ non avertas dicentis tibi: *Exurge, & judica causam meam.* Felix quidem tibi & necessaria esse potest tanta perversorum offensa, quæ fecit ut qui creavit te, tuo nunc obsequio velit uti. Quapropter, dilectissime fili, gladium quem ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum à Domino accepisti, gladio nostro junge, ut simul de tam scelestis & inhumanis malefactoribus ulciscamur. Attende per Moysem & Petrum, patres videlicet utriusque testamenti, signatam inter regnum & sacerdotium unitatem, cùm alter regnum sacerdotale prædixit, & reliquus regale sacerdotium appellavit; ad quod signandum Rex Regum & Dominus dominantium Iesus Christus secundùm ordinem Melchisedech sacerdotis & Regis de utraque voluit stirpe nasci, sacerdotali videlicet & regali. Et princeps Apostolorum, *Ecce gladij duo hic*, id est simul, dicente demum Domino *satis est*, legitur respondisse, ut materiali & spirituali gladiis sibi invicem assistentibus, alter per alterum adjuvetur. Cùm igitur post interfectionem præfati justi Ecclesia quæ in partibus illis est absque consolatore in tristitia & mœrore sedente fides evanuisse, perisse pax, hæretica pestis & hostilis rabies invaluisse dicantur, ac nisi potenter in hujus novitate procellæ succurratur eidem, penè penitùs videatur ibidem navis Ecclesiæ naufragari, regalis mansuetudinis pietatem monemus attentiùs & propensiùs exhortamur, ac in tanto necessitatis articulo in virtute Christi confidentes injungimus, & in remissionem peccaminum indulgemus, quatinus tantis malis occurrere non postponas, & attendens quod usque adeo regium sit officium in regno suo pacis negotium promovere quòd Regum sapientissimus Salomon in figura Regis æterni fuit pacificus appellatus, ad pacificandum gentes illas in eo qui est Deus pacis & dilectionis intendas, & quibuscunque modis revelaverit tibi Deus, hæreticam tamen studeas perfidiam abolere, sectatores ipsius eò quam Sarracenos securiùs quò pejores sunt illis, in manu forti & extento brachio impugnando. Prænominatum etiam Comitem, qui quasi fœdus percussisset cum ea, de morte propria non recogitat, si fortè vexatio sibi tribuat intellectum, & impleta ipsius facie ignominia, incipiat requirere nomen Dei, ad satisfaciendum nobis & Ecclesiæ, immo Deo, pondere non desinas inducte super eum regalis oppressionis urgere, ipsum & fautores ejusdem de castris Domini depellendo, & auferendo terras eorum; in quibus, relegatis hereticis, catholicos habitatores instituas, qui secundùm orthodoxæ tuæ fidei disciplinam in sanctitate & justitia sub tuo felici regimine serviant coram Deo. Datum Laterani.

NOBILIBVS VIRIS COMITIBVS, Baronibus, & universis populis per regnum Franciæ constitutis.

Epist. 29. Super eodem.

REm crudelem audivimus & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam &c. *sicut in illa quæ mittitur Regi usque.* Extat in hist. Albigensi. cap. 8. Eia igitur Christi milites, eia strenui militiæ Christianæ tyrones. Moveat vos generalis Ecclesiæ sanctæ gemitus, succendat vos ad tantam Dei vestri vindicandam injuriam pius zelus. Mementote quòd creator vester vobis non indiguit cum vos fecit; qui quamquam vestro servitio non indigeat, ut quasi per illud minùs in agendo quod voluerit fatigetur, & sua omnipotentia minor sit obsequio vestro carens, occasionem tamen in hoc articulo vobis tribuit sibi acceptabiliter serviendi. Cùm igitur post interfectionem &c. *sicut suprà usque*, tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas &c. *usque* inductæ super eum oppressionis urgere &c. *usque* relegatis hæreticis habitatores catholici subrogentur, qui secundum orthodoxæ vestræ fidei disciplinam in sanctitate & justitia serviant coram Deo. Datum Laterani [* VI. Idus Martij, pontificatus nostri anno undecimo.] * Hæc addita sunt ex historia Albigens.

PERSENNIÆ ET DE PINV Abbatibus Ciſtercienſis ordinis.

Epiſt. 30. De indeciis tenendis inter Reges Franciæ & Angliæ. Vide epiſt. 31. 33.

QVàm ſit neceſſarium Eccleſiæ ſanctæ Dei & cuncto populo Chriſtiano qui in regno Franciæ Angliæque conſiſtit ut utriuſque Reges pacem & concordiam ſecum habeant, nec eorum nec veſtram credimus prudentiam ignorare, cùm præter damna rerum & pericula perſonarum quæ de mutuis eveniunt ſimultatibus, animarum ſalus graviter offendatur, & in pleriſque locis, ſpecialiter in Provincia, peſtis ex hoc hæretica fortiùs invaleſcat, quandoquidem illi ad invicem bella gerunt per quorum unitatem peſtis eadem & deberet & poſſet efficaciùs aboleri. Cùm ergo poſt interfectionem ſanctæ memoriæ fratris Petri de Caſtronovo in eadem Provincia ita cœperit deteſtabilis hæreſis & hoſtilis rabies ampliari ut poſt divinæ virtutis potentiam nonniſi per eorundem concordiam reprimenda credatur, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus quatenus dictos Reges perſonaliter adeuntes, ipſos tam auctoritate noſtra quàm veſtra ſollicitudine prudenter & efficaciter inducatis ad treugas per biennium ſaltem invicem ineundas firmiter & ſervandas; mandatum noſtrum taliter impleturi quòd ſollicitudo veſtra clareat in effectu, & vos gaudere poſſitis tot animarum profeciſſe ſaluti. Quòd ſi non ambo &c. alter veſtrum &c.

Epiſt. 31.

IN eundem ferè modum Turonenſi Archiepiſcopo uſque in finem. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi treugarum ipſarum fœdus Deo conciliante fuerit reformatum, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo ad obſervationem ipſius utramque partem poſtpoſito quolibet humano favore compellas. Datum Laterani.

ABBATI CISTERCIENSI apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 32. De cæde Petri de Caſtronovo. Vide ſuprà epiſt. 26. & ſeqq.

REcepimus litteras benignitate paterna quas tua nobis devotio deſtinavit, & intellecto per eas quòd ad opus Dei ſtrenuè te accingis in Provinciam profecturus, ut conſoleris Eccleſiam quæ diri vulneris novitate percuſſa mortem ſanctæ memoriæ fratri Petri de Caſtronovo multiplicatis doloribus lamentatur, tuam prudentem conſtantiam & conſtantem prudentiam in Domino commendamus, attendentes quòd cùm ſecundùm ſententiam veritatis timendi non ſint qui corpus occidunt, ſed qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam, præfati hominis Dei mors non ſolùm tibi ad divinum ſervitium exequendum non incuſſit timorem, ſed amorem accendit, ut ejuſdem exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter eſt mercatus, animam tuam in tam glorioſo certamine, ſi neceſſe fuerit, pro ipſo ponere non formides. Monemus ergo devotionem tuam & exhortamur attentiùs, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus ad eandem provinciam proficiſcens unà cum venerabili fratre noſtro Conſeranenſi Epiſcopo, tuo videlicet conlegato, negotium generalis Eccleſiæ, prout poſſe miniſtraverit vobis Deus, prudenter & conſtanter ſatagas promovere. Nos enim in præſenti ſecundùm conſilium tuum litteras tibi mittimus quas credidimus neceſſarias, & in poſterum auxilium opportunum circa quælibet hoc negotium contingentia cum illius adjutorio impendemus qui cùm ſecundùm ſuum promiſſum fideles ſuos non ſit uſque ad conſummationem ſeculi relicturus, neque nos neque vos ſperantes in ſe ſuper tanto ſui ſervitio derelinquet. Datum Laterani.

TVRONENSI ARCHIEPISCOPO & Pariſienſi & Nivernenſi Epiſcopis.

Epiſt. 33. Vt Regem & magnates accendant adversùs hæreticos. Vide epiſt. 30.

QVaLiter poſt interfectionem ſanctæ memoriæ fratris Petri de Caſtronovo, quam communi luctu cum univerſalis Eccleſiæ filiis deploramus, hæretica peſtis in Provinciæ partibus invaluerit, & turbatio pacis ibidem fuerit ampliata, veſtram non credimus prudentiam ignorare. Cùm ergo ſancta mater Eccleſia contra laniatores ſuos præſidio filiorum ſuorum potiſſimùm ibi nunc indigere noſcatur, fraternitatem veſtram monemus attentiùs & hortamur, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenus tam cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum illuſtrem Regem Francorum quàm univerſos regni ſui nobiles & magnates ad conciliandam pacem in Chriſto & hæreticos expugnandos in provincia ſupradicta auctoritate noſtra ſuffulti prudenter & efficaciter inducatis, injungentes hoc eis ex parte noſtra in ſuorum indulgentiam peccatorum, ſecundùm formam quam tu, frater Pariſienſis Epiſcope, impetraſti; Eccleſiarum prælatos nihilominus exhortando ut ad opus tam ſanctum & neceſſarium ſubſidium opportunum impendant. Taliter autem mandatum apoſtolicum

impleatis quòd promptos vos ostendatis orthodoxæ fidei zelatores, & nos diligentiæ vestræ studium possimus meritò commendare. Datum Laterani.

CONSVLIBVS SOCIETATIS beati Eusebij Vercellensis.

Epist. 34. Commendantur de devotione erga Romanam Eccles.

Dilectum filium nobilem virum Ambrosium concivem vestrum ad nostram præsentiam accedentem cum gratia speciali recepimus & favore, ac iis quæ tam ipse proposuit viva voce quàm etiam præsentatæ nobis per eum vestræ litteræ continebant perspicuè intellectis, prudentiam vestram duximus in Domino multipliciter commendandam super devotionis affectu quem erga nos & Romanam Ecclesiam gerere vos ostenditis & zelo nihilominus caritatis quem ad generalem profectum fraternæ universitatis habetis. Monemus ergo devotionem vestram & exhortamur attentiùs, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus in bono proposito persistentes, ad honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ, salutem animarum vestrarum, & communem uniuscujusque profectum vos taliter habeatis quòd ille qui bonorum est omnium retributor, piis vestris operibus provocatus, gratiam vobis augeat in præsenti & gloriam in futuro, nos quoque, qui quantum cum Deo & nostra possumus honestate vos intendimus honorare, ad dilectionem & profectum vestrum fortiùs accendamur. Datum Laterani.

ARCHIEPISCOPO VERISIENSI, & Episcopo Salembrienſi, & Præposito ſanctæ Sophiæ Constantinopolim.

Epist. 35. De Hospitali S. Georgij.

Porrecta nobis dilectorum filiorum Præpositi & Decani sancti Georgij Constantinopolitani querimonia patefecit quòd fratres Hospitalis Ierosolymitani, Dominus de Lamro, & quidam alij Constantinopolitani super Hospitali sancti Georgij, quibusdam redditibus, & rebus aliis mobilibus & immobilibus injuriantur eisdem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, audiatis causam & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno undecimo.

DECANO, CANTORI, & Thesaurario ſanctæ Sophiæ Constantinopolitani.

Epist. 36. Committitur eis quædã causa adversùs Templarios.

Causam quam dilectus filius magister W. Clericus adversùs fratres militiæ templi Constantinopolitani super Ecclesia sanctæ Yomeniæ se habere proponit vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

SANCTI PAVLI, SANCTI Michaëlis de Bucca leonis & ſanctæ Anaſtaſis Decanis Conſtantinopolitani.

Epist. 37. Scribitur eis pro M. Vv. Cocart.

Missus ad præsentiam nostram dilectus filius magister W. Cocart Sacerdos ab imperiali magnificentia & universitate cleri Constantinopolim commorantis nobis humiliter supplicavit ut si fortè medio tempore in Ecclesia sua sanctæ Trinitatis & aliis redditibus suis fuerit molestatus à quoquam, indemnitati suæ consulere dignaremur. Volentes igitur in justitia sibi, prout tenemur, adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si quos in Constantinopolitana dioceſi constitutos quicquam interim subtraxisse vel detinere de suis proventibus inveneritis, ad restituendum illud monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota compellatis eosdem. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, anno undecimo.

CARISSIMO IN CHRISTO filio Imperatori Conſtantinopolitano illuſtri.

Epist. 38. De juramento fidelitatis quod Prælati debent Imperatori.

Illo caritatis affectu imperialem celsitudinem amplexamur ut preces ipsius, quantum cum Deo & nostra possumus honestate, libenti exaudire animo cupiamus. Ea propter, carissime in Christo fili, tuis postulationibus inclinati, serenitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut ab Archiepiscopis & Episcopis terræ tuæ necnon & ab aliis in imperio constitutis, à quibus sine scandalo recipere ipsam possis, fidelitatem recipere tibi liceat pro regalibus quæ à te habere noscuntur; dummodo talia illa sint pro qualibus ab hujusmodi consuevit aliis Principibus secularibus fidelitas exhiberi. Nulli ergo &c. nostræ

concessionis

concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VII. Kal. Aprilis, anno undecimo.

EIDEM.

Epist. 39. Ecclesia S. Mariæ de Blakerna & S. Michaëlis de Bucca leonis committitur à pontifice cognoscenda. *Vide infrà epist. 42.*

ILlo caritatis affectu &c. *ut in alia.* Sanè per tuos nobis nuntios supplicasti ut sanctæ Mariæ ac sancti Michaëlis Ecclesias, quarum altera in imperiali palatio quod appellatur Blakerna, reliqua verò in eo quod dicitur Bucca leonis est sita, sub speciali beati Petri & nostra protectione suscipere & à jurisdictione cujuslibet præterquam Romani Pontificis eximere dignaremur. Nos igitur supplicationibus tuis grato concurrentes assensu, prænominatas Ecclesias sub apostolicæ sedis & nostra speciali protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Intelligentes quoque per quædam scripta quæ nobis inter petitiones venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani à procuratoribus suis præsentata fuerunt quòd idem hoc debeat æquanimiter sustinere, præsentium auctoritate statuimus ut Ecclesiæ ipsæ nulli alij teneantur in spiritualibus quàm sedi apostolicæ respondere. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani V. Idus Martij, anno undecimo.

CAPITVLO CRACOVIENSI.

Epist. 40. Ecclesiam commendat Vincentio ipsiusque Episcopum.

DIversis litteris à diversis collegij vestri partibus nobis missis in nostra dudum audientia recitatis, intelleximus tam per eas quàm per assertionem illorum qui partem fovebant utramque quòd bonæ memoriæ F. Episcopo vestro rebus humanis exempto, cùm cœpissetis de successoris electione tractare, quidam vestrum in venerabilem fratrem nostrum G. Placensem Episcopum convenerunt à sede apostolica postulandum, sperantes per industriam & religionem ipsius Ecclesiæ suæ commoda multiplicia proventura. Quidam verò dilectum filium magistrum Vincentium Sudomirienſis Ecclesiæ diocesis Cracovienſis Præpositum, virum utique multimoda laude præclarum, unanimiter elegerunt. Auditis igitur diligenter & cognitis quæ super ipsa diversitate fuerunt utrinque proposita coram nobis, licèt utraque persona idonea censeretur, quia tamen etsi plures in postulatione prædicta visi sint ab initio consensisse, multi demum ex ipsis in electione dicti Præpositi consenserunt si forsan ipsam postulationem contingeret non admitti, & ad jus etiam ordinarium plus accedit ut Ecclesiæ de diocesi propria in pastorem vir provideatur idoneus quàm Episcopus alij Ecclesiæ alligatus, postulationem præfatam non duximus admittendam, & sic intelligentes electionem prædictam à pluribus de persona idonea canonicè celebratam, ipsam de consilio fratrum nostrorum curavimus confirmare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem electo in spiritualibus & temporalibus tamquam pastori vestro de cetero respondentes, debitam & devotam obedientiam ac reverentiam sibi exhibere curetis. Datum Laterani V. Kal. Aprilis, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO VERISIENSI, & Salembrienſi Episcopo, & electo Nicomedienſi.

Epist. 41. De Ecclesiis imperialibus Constantinop.

CArissimus in Christo filius noster Constantinopolitanus Imperator illustris nostro apostolatui supplicavit ut Ecclesias in imperio suo sitas, quæ imperiales dicuntur, & nonnisi duntaxat Imperatoribus consueverant Græcorum temporibus respondere, in hac mandaremus consistere libertate ut Imperatori de temporalibus, *Vide supra epist. 39.* nobis autem respondere de spiritualibus teneantur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, veritatem sollicitè inquiratis, & eas de prælibatis Ecclesiis quas vel à sui fundatione liberas extitisse, vel per privilegium apostolicæ sedis exemptas, aut tutas præscriptione legitima inveneritis, in præscripta facientes libertate manere, super aliis quas in statu repereritis libertatis, audiatis quæ rationabiliter proposita fuerint à quocunque, ac nobis sub sigillis vestris fideliter remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo se cum eis nostro conspectui repræsentent. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, anno undecimo.

ABBATI ET FRATRIBVS monasterij Fossenovæ.

Epist. 42. De confirmatione privilegiorum.

SOlet annuere &c. *usque* assensu, ad exemplar felicis recendationis Lucij Papæ prædecessoris nostri præsentium auctoritate statuimus ut per territorium Pipernense usuaria pascuarum & sylvæ habeatis libera & quieta sicut à quadraginta retro annis inconcussè noscimini habuisse, ac ea quæ largitione fidelium vel commutatione aut etiam emptione ab hominibus Pipernensibus tam de peculiaribus rebus

suis quàm de publicæ silvæ novalibus, quæ ad jus & dominium beati Petri noscitur pertinere, monasterium vestrum in præsenti legitimè possidet aut in futurum justis modis poterit adipisci, vobis & eidem monasterio confirmamus; nihilominus sancientes ut ea quæ de prædictis rebus justè vobis in posterum conferentur, tamquam habitatores territorij memorati tam jure habitationis quàm ex apostolicæ sedis concessione liberè possitis recipere ac sine qualibet contradictione tenere. Insuper auctoritate vobis apostolica indulgemus ut silvam vestram de Laureto excolere vobis liceat & dare aliis excolendam secundùm terminos quibus in authentico scripto monasterij vestri determinata est & distincta. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis, confirmationis, & concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno undecimo.

ABBATI SANCTI VICTORIS, & Decano Parisiensi, & Magistro Roberto de Corzon Noviomensi Canonico Parisius commoranti.

Epist. 43. De electione Episcopi Morinensis Cap. Cùm dilecti. *De elect.* Vide infrà epist 225.

CVm dilecti filij Henricus Archidiaconus Morinensis & magister H. Atrebatensis Canonicus Morinensis electi procuratores & Bernardus Morinensis Canonicus ad sedem apostolicam accessissent, procuratores ipsi proponere in nostra præsentia curaverunt quòd Ecclesia Morinensi Episcopi solatio destituta, Canonici ejusdem Ecclesiæ de pastoris substitutione tractantes, in dilectum filium Adam Presbyterum, Goscelinum Diaconum, Theobaldum Subdiaconum Canonicos Morinenses potestatem eligendi Episcopum unanimiter contulerunt, juramento interposito promittentes quòd illum reciperent in pastorem quem de gremio ipsius Ecclesiæ ducerent in Episcopum eligendum. Qui postmodum examinatis voluntatibus singulorum, Iohannem Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, virum litteratum, providum, & discretum, in Episcopum elegerunt, & eadem electione à Capitulo communiter approbata, à Metropolitano suo pariter petierunt ut electionem confirmaret eandem. Qui tam electionem ac electi personam diligenter examinans quàm etiam super ipsius ætate, de cujus defectu fuerat ab aliquibus dubitatum, inquirens sollicitè veritatem, per sententiam declarando electum ipsum minimè sustinere in ætate defectum, electionem de ipso factam, utpote canonicè celebratam, solemniter confirmavit. Qui postea regalibus receptis à Rege, ad petitionem ejusdem Capituli à venerabili fratre nostro Atrebatensi Episcopo de mandato Metropolitani prædicti fuit in Presbyterum ordinatus, & aliquandiu nullo contradicente liberam & pacificam tam in spiritualibus quàm in temporalibus administrationem obtinuit in Ecclesia Morinensi. Vnde procuratores ipsi à nobis humiliter petierunt ut his qui post hæc omnia invidiæ stimulis agitati, contra factum proprium temerè veniendo, adversùs electum ipsum materiam discordiæ suscitare præsumunt, silentium imponentes, & memoratam electionem tam concorditer celebratam & confirmatam solemniter approbantes, eidem faceremus electo munus consecrationis impendi, multorum super hoc non solùm Abbatum & Capitulorum civitatis & diocesis Morinensis sed etiam aliorum Presbyterorum nobis litteris præsentatis, qui super præmissis omnibus testimonium perhibentes, electum ipsum de litteratura, discretione, ac honestate morum reddiderunt apud nos multipliciter commendatum, quinimmo & electorum ipsorum super hoc nobis litteras obtulerunt, quibus erat illarum litterarum de verbo ad verbum, sicut iidem asserunt electores, tenor insertus, quæ de potestate ipsis tradita juxta præmissam formam confectæ in Capitulo fuerant & sigillo Capituli sigillatæ. Verùm suprudictus B. qui contra electum venerat memoratum, proposuit ex adverso quòd cùm in supradictos tres sub hac forma juramento præstito fuerit eligendi concessa potestas ut Capitulum eum recipere teneretur quem illi tres ab omnibus vel à majori & saniori parte de gremio ipsius Ecclesiæ nominatum eligerent in pastorem, electores ipsi terminos potestatis sibi traditæ non servantes, prædictum Archidiaconum eligere præsumpserunt, quem pauci de Capitulo nominarant. Vnde Canonici Morinenses postmodum admirantes qualiter Archidiaconus electus fuerat memoratus, cùm plures essent in Ecclesia digniores, super electionis processu invicem colloquendo cœperunt ferè omnes publicè profiteri quòd nullatenus Archidiaconum nominaverant supradictum, & reputantes se in hac parte delusos, quod super hoc factum fuerat, per eundem B. cui suas testimoniales litteras assignarunt, nostro curaverunt apostolatui referare. Qui coram nobis sollicitè postulavit ut eadem electione cassata, faceremus ipsi

Ecclesiæ de persona idonea canonicè provideri, cùm ferè omnes Canonici Morinenses sint parati, sicut asseruit, præstito juramento firmare quòd præfatum Archidiaconum nunquam in Episcopum nominarant, & legitimè possit ostendi quòd juxta præmissam formam supradictis tribus collata fuerit auctoritas eligendi, ut videlicet de gremio Ecclesiæ illum eligerent in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentirent, asserens idem B. se nihilominus probaturum quòd sæpedictus electus patitur in ætate defectum. Nos igitur his & aliis quæ fuerunt hinc inde proposita coram nobis diligenter auditis, quia res pernicioſa esset exemplo si per subreptionis astutiam quis ascenderet ad apicem dignitatis, de consilio fratrum nostrorum ita duximus providendum ut præstito à contradictoribus juramento quòd ipsi contra præfatum electum malitiosè non moveant hujusmodi quæstionem, prædicti tres electores juramenti vinculo astringantur dicere veritatem quot ex Canonicis examinationis tempore in præfatum Archidiaconum convenerunt, & si tres simul aut duo saltem ex ipsis jurati dixerint majorem Canonicorum partem in ipsum Archidiaconum convenisse, vos contradictoribus silentium imponatis, cùm contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eò quòd singuli essent in suis testimoniis singulares. Si verò per eorum depositiones constiterit sæpedictum Archidiaconum extitisse à paucioribus nominatum, tunc demum sollicitè audiatis quicquid utraque pars proposuerit ad probandum formam secundùm quam eligendi potestas præfatis tribus electoribus asseritur fuisse concessa, & si fuerit sufficienter ostensum quòd illum de gremio Ecclesiæ secundùm formam sibi datam debebant eligere in quem omnes vel major & sanior pars Capituli convenirent, vos electionem ipsius Archidiaconi omnino cassetis, & faciatis Ecclesiæ Morinensi per electionem canonicam de persona idonea in Pontificem provideri. Alioquin quod de ipso factum est ratum habentes, contradictores ab ejus impetitione per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis, præfatum B. præbenda Morinensis Ecclesiæ spoliantes, qui se ad hanc pœnam, si forsan in probatione deficeret, obligavit; non obstante quòd super ætatis defectu objectum est contra illum, cùm idem Canonicus huic objectioni non multùm institerit, & super hoc à Metropolitano fuerit judicatum; cujus sententia in rem transiit judicatam, cùm infra decendium non fuerit legitima provocatione suspensa. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Nonis Aprilis, anno undecimo.

ABBATISSÆ ET CAPITVLO de Edera.

Epist. 44. De certo monialium numero confirmando.

IVstis petentium, *usque* inclinati, octogenarium numerum monialium seu etiam conversarum, quem propter suadentem utilitatem & necessitatem urgentem de consilio & assensu carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris & venerabilis fratris nostri Parisiensis Episcopi diocesani vestri providè in monasterio vestro statuistis, auctoritate apostolica confirmantes, ipsum præcipimus observari, nisi Domino largiente in tantum ejus excrescerent facultates ut secundùm earum augmentum, sororum quoque numerus posset augeri. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani Kal. Aprilis, anno undecimo.

HVGONI CANONICO SANCTI Georgij de Faya.

Epist. 45. Ei confirmatur præbenda de Faya.

DIlectis filiis B. Canonico sancti Petri Pictavensis & D. procuratoribus G. de Marnaio, & tibi tam pro te quàm dilectorum filiorum W. Præpositi & aliorum concanonicorum tuorum nomine respondenti pariter & agenti, super præbenda de Faya, quæ fuit olim R. de Poento Canonici ejusdem Ecclesiæ, volentibus litigare, dilectum filium Andream Subdiaconum & Capellanum nostrum concessimus auditorem. In ejus igitur præsentia proponere curavisti quòd ex consuetudine usuque longævo juramento interposito roboratis in Ecclesia sancti Georgij de Faya ultra duodecimum numerum Canonici non debent instituì, nec fieri promissio vel concessio de præbenda aliqua non vacante. Nullus insuper Canonicus Fayensis præbendam & aliquam de Ecclesiis ad Capituli donationem spectantibus potest insimul possidere, sed vacantes aliis chori servitoribus à Capitulo conferuntur. Et si quando Ecclesiarum talium aliquis Capellanus in Canonicum assumatur, capellaniam vel canonicam compellitur resignare, cùm sese ad invicem de consuetudine minimè patiantur, & singuli qui capellanias recipiunt, corporaliter præstito juramento promittant se

in ipsis personaliter servituros. Quibusdam verò in jamdicta Ecclesia de Faya Capicerio & Canonicis ordinatis absente prædicto B. qui licèt sit ibidem Canonicus, in ipsa tamen nequaquam residentiam faciebat, & ob hoc ab eo Canonicis tractis in causam coram dilectis filiis Abbate sancti Iovini de Marnes & Decano Thoarcensi Pictavensis diœcesis & magistro P. Barrilier quondam Canonico beatæ Radegundis Pictavensis judicibus à sede apostolica delegatis, cùm iidem Canonici salvis Ecclesiæ suæ consuetudinibus juramento firmatis & pars alia unius ex ipsis judicibus & R. de Poento & O. de Maulaio & R. Iuret Militum arbitrium elegissent, ipsi contra consuetudines Ecclesiæ memoratæ ac etiam jus commune præfato G. de Marnaio detinenti unam ex Ecclesiis supradictis, nec eam resignare curanti, minùs providè contulerunt, primam in illa Ecclesia vacaturam sibi quoddam annuum assignantes, & Villelmo de Grandicampo puero secundò vacantem nihilominus concedentes. Processu temporis auctoritate bonæ memoriæ Octaviani Episcopi Hostiensis, qui tunc in illis partibus legationis officio fungebatur, per venerabilem fratrem nostrum Pictaven. Episcopum prædicti G. de Marnaio penitùs concessione cassata, ipse G. de præmisso arbitrio ac cassatione hujusmodi non habita mentione, ac in plurimis veritate suppressa, nostras litteras ad sanctæ Radegundis, de Cella, & sancti Pauli Priores Pictaven. à nobis obtinuit destinari ut dictos Canonicos sibi præbendam suam integrè reddere ac satisfacere de subtractis vel exhibere coram se justitiæ complementum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coarctarent; sed nominatus G. dolo vel negligentia litteras easdem supprimens, eis ferè per triennium non est usus. Ceterùm R. Canonico Fayensi viam universæ carnis ingresso, & tunc nostris litteris judicibus præsentatis, & auctoritate litterarum illarum eodem G. vacantem præbendam sibi tribui postulante, licèt Canonici à judicibus prædictis citati termino constituto in eorum præsentia comparerent, & eos ex causis legitimis recusarent, contra litteras exceptiones legitimas allegantes, utpote per falsi suggestionem & in multis tacita veritate à sede apostolica impetratas, iidem tamen obaudientes hæc omnia, post appellationem ad nos legitimè interpositam in Canonicos excommunicationis sententiam protulerunt, & illam præbendam quæ rescripti obtenti tempore non vacabat jamdicto G. non sunt veriti assignare, fines apostolicæ jussionis in omnibus excedentes. Cùmque dilectis filiis sancti Iuliani & de Fontanis Abbatibus & Subdecano beati Martini Turonensis dederimus in mandatis quòd si dictam excommunicationis sententiam invenirent post appellationem ad nos legitimè interpositam fuisse prolatam, ipsam denuntiarent penitùs non tenere, alioquin ab eis recepta juratoria cautione super iis pro quibus excommunicationis sententiæ subjacebant, absolutionis ipsis beneficium impendendo, ac injuncto quod injungi deberet de jure, audirent & debito fine deciderent si quid emergeret quæstionis, coram Abbate de Fontanis & Subdecano beati Martini Turonensis partibus comparentibus termino præfinito, collega tertio se non posse interesse negotio per certum nuntium excusante, iidem juxta nostrarum litterarum tenorem ea sententia qua dicebantur ligati Canonicos absolverunt, sed cùm pars alia provocaret & varias proponeret rationes quare Canonicos absolvere non deberent, & super revocatione litterarum priorum, Abbate sancti Iuliani & eodem Subdecano pro tribunali sedentibus, inter partes fuerit aliquandiu litigatum, ipsi duo sine alio conjudice, qui causæ tractatui adesse nolebat, sicut eis per suas litteras intimarat, ad nos scriptum sigillis propriis roboratum & processum totius negotij continens destinarunt. Pro te insuper asserere studuisti quòd post R. præfati decessum ad apostolicam sedem accedens, nostro apostolatui reseraſti quòd cùm de mandato nostro & ejusdem Hostiensis Episcopi sedis apostolicæ tunc Legati in ea Ecclesia, in qua deservieras ab ætate primeva, sex sextaria bladi perciperes annuatim donec competens ecclesiasticum beneficium in præbenda vel alibi per ipsius Canonicos obtineres, licèt inibi eadem vacaret præbenda, quam ferè omnes Canonici Ecclesiæ memoratæ tibi desiderabant conferre, illam tamen paucis impedientibus assequi non valebas. Vnde dilectis filiis A. Cancellario, R. Archipresbyterò, & Magistro P. Parvo Canonico Bituricensi per nostras litteras duximus injungendum ut nisi à paucioribus & inferioribus rationabiliter esset objectum aliquid vel ostensum propter quod majoris & dignioris partis consensus prævalere non posset, tibi præbendam ipsam auctoritate

apostolica appellatione remota conferrent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Dicti verò judices per quasdam litteras Fayensis Capituli perpendentes expressim in te omnium concurrere consensum & vota, Capitulo mandaverunt ut facientes de necessitate virtutem, tibi liberaliter præbendam concederent nominatam & stallum in Choro ac locum in Capitulo assignarent, & si qui receptioni tuæ se ducerent opponendos, coram eis statuto ad hoc termino comparerent mandatum apostolicum audituri. Die quidem præfixa tam te quam G. de Marnaio tuo adversario in eorum præsentia constitutis, & omnibus ferè Canonicis petentibus ab eisdem ut auctoritate apostolica per se ipsos tuum votum efficaciter adimplerent, & perpenso pleniùs per quasdam litteras Capituli nostro apostolatui destinatas Canonicos in consensu pristino de te inter se habito perdurare, quamvis ex parte illa in alio termino cum edicto peremptorio partibus assignato quædam ipsis judicibus litteræ monstrarentur, quarum continentia testabatur sæpedictam præbendam ipsi G. de Marnaio primitus fuisse concessam quàm tu iter arripuisses ad sedem apostolicam veniendi, quia tamen receptionem de G. factam per præfatum Episcopum Pictavensem de mandato Episcopi Hostiensis invenerant irritatam, nec aliquid rationabile contra te fuit oppositum vel in factum objectum, te de memorata præbenda curarunt sententialiter investire, in rebelles, si qui existerent, excommunicationis sententiam proferentes, & per dilectum filium Abbatem de Stella Cisterciensis ordinis suam sententiam executioni mandantes, nec appellationi à parte altera interpositæ curantes deferre, quam, cùm non sit ab executoribus appellandum nisi modum executionis excedant, decreverunt irritam & inanem. Verùm à Capitulo in omni plenitudine canonicatus receptus ad nostram præsentiam accessisti, super appellatione hujusmodi tuo adversario responsurus. Sed cùm eam infra annum ipse non fuerit prosecutus, & post annum elapsum .. ejus nepos procurator effectus apud sedem apostolicam moraretur, nec contra te aliquid impetraret, jamdictum Subdiaconum & Capellanum nostrum tibi auditorem tribui postulasti. Qui procurator quasdam litteras sine sui conscientia impetrans auditoris, eas postquam illis contradixeras de bulla præsumpsit extrahere fraudulenter; quas viribus carere decrevimus per quasdam litteras subsequentes. Fuit autem propositum ex adverso quòd cùm litteras sub forma expressa superiùs Prioribus transmiserimus memoratis, & iidem convocatis partibus, tam ex confessione Capicerij & Canonicorum dictorum quàm ex quibusdam publicis cognoscerent instrumentis præfatum G. quædam annua in Ecclesia de Faya percipere donec integram assequeretur præbendam, & pendente judicio præbenda de qua est controversia vacavisset, eam ipsi, ante quàm tu ad nos accederes, Capicerius & major & sanior pars Capituli liberaliter contulerunt, nullo tunc temporis reclamante, & cùm quidam eum postmodum admittere noluissent, in eos ipsi judices monitione præmissa excommunicationis sententiam promulgarunt; qui ad nos post latam sententiam appellantes, super hoc litteras obtinuerunt transmitti ad judices Turonenses, qui prout à te narratum fuerat in ipso negotio processerunt. Nos verò per relationem auditoris præfati super utrinque propositis sufficienter instructi, factum judicum Pictavensium, cùm fines excessissent mandati, irritum judicantes, & Turonensium approbantes processum, qui Fayenses Canonicos absolverant ab ipsis Pictavensibus excõmunicationis sententia denodatos, & adjudicationem præbendæ, quam tibi judices Bituricenses fecerunt, ratam habentes & firmam, tam Capitulum Fayensis Ecclesiæ quàm te ab impetitione sæpefati G. de Marnaio ex toto duximus absolvendum, ipsi G. super iis perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, anno undecimo.

BISVNTINO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 46. Respondet ad ejus consulta. *Cap.* Tuis quæstionibus. *De præbendis.*

TVis quæstionibus respondemus quòd clericos in minoribus ordinibus constitutos de patrimonialibus bonis habentes unde possint congruè sustentari, etsi nondum fuerint ecclesiasticum beneficium assecuti, dummodo aliud canonicum non obsistat, ad superiores poteris ordines promovere. Monachi verò de suis fratribus ac conversis testes in causis propriis producere absque juramenti exhibitione non possunt, nisi forsan à parte remittatur adversa. Religiosi quoque de terris debentibus decimas, quas emptione vel aliis justis modis acquirunt, non possunt eas, nisi privilegiati super hoc fuerint, retinere. Iudicium autem aquæ ferventis

Cap. eod. de testib.

non solùm in matrimonialibus, verùm etiam aliis ecclesiasticis causis recipi canonicis est sanctionibus interdictum. Datum Laterani XI. Kal. April. anno undecimo.

NOBILI VIRO THEODORO Lascaro.

Epist. 47. Inducitur ad pacem ineundam cum Imperatore Constantinopolitano.

VT litterarum tuarum prolixitas ad compendium reducatur, eam sub certis capitulis duximus restringendam. In primis siquidem Latinos apud Constantinopolim commorantes de apostasiæ crimine reprehendis: quia cùm dominicæ crucis assumpto signaculo, ad terræ sanctæ succursum simulaverint properare contra barbaras nationes, iidem conversi retrorsum in Christianos suos gladios converterunt, Constantinopolitanam urbem & Constantinopolitanum imperium impugnantes; proditionem & sacrilegium eisdem impingens, pro eo quòd regia urbe capta sacrosanctis Ecclesiis minimè pepercerunt, Christicolis interfectis, defloratis virginibus, & pollutis etiam conjugatis. Perjurij quoque reos ipsos multipliciter asseveras, cùm treugas quas tecum inierant pluries præsumpserint violare, qui relicta excellentiori via quam docet Apostolus, videlicet caritate, tecum concordiam & amicitiam nolunt inire perpetuam, sed treugas ad terminum iterum inierunt, licèt Dominus non ad tempus sed perpetuò haberi præcipiat caritatem. Vnde nobis humiliter supplicasti ut eos tecum perpetuæ pacis fœdera faceremus inire, cùm imperante Domino dilectio semper debeat inter Christianos vigere, Legatum à nostro latere destinantes qui inter te ac ipsos pacem stabiliat & componat, ut nec tu nec ipsi terminum quem Deus inter te ac ipsos disposuit, mare videlicet, transire præsumant, sed hujusmodi termino sint contenti, promittens te unà cum eis contra Ismahelitas viriliter pugnaturum; alioquin cum alienigenis & paganis, quamvis invitus, pactum tamen inies contra eos, & associaberis Blachis, cùm pacem quæsieris & illam non valeas invenire. Nos autem memoratos non excusamus Latinos, quos super excessibus suis multotiens redarguimus, sed excusationes eorum præsenti tibi pagina duximus declarandas. Dicunt enim quòd illius adolescentis susceptio ducatu qui fatebatur Constantinopolitanum imperium sibi de jure deberi, necessitas eos compulit importuna ut in Romaniam ad acquirenda victualia declinarent, & facientes de necessitate virtutem, intenderunt in ipsa principaliter procurare quatinus apostolicæ sedi gratum præstarent obsequium & expectatum succursum nihilominus terræ sanctæ; quod ad plenum consummasse putarunt, cùm sine sanguinis effusione regia urbe capta, & accubatore imperij effugato, restitutisque in ipsa patre simul ac filio, Isachio videlicet & Alexio, ad fastigium imperatoriæ dignitatis, fecerunt ipsos non coactos sacrosanctæ apostolicæ sedi tactis evangeliis obedientiam repromittere, imperiali nobis scripto transmisso ad majorem fidei firmitatem, ut quod ore promiserant opere adimplerent. Cùmque se ad navigandum in Syriam totis viribus præpararent, innata ipsorum malitia juramentis & pactis penitùs violatis, igne, dolo, & toxico iter eorum non semel tantùm sed sæpe nequiter impedivit, & ad occupationem urbis regiæ ipsos in eorum * pernitionem renitentes & invitos attraxit. qua sola Dei virtute mirabiliter triumphata, quicquid ex tunc quocunque modo vel loco fecerint voluntarij vel inviti, semper habuerunt in votis ut inobedientiæ filios redurerent ad obedientiam matris suæ tam debitam quàm devotam, & per imperium Romaniæ opportuniùs & faciliùs succurrerent terræ sanctæ. Licèt autem ipsi omnino inculpabiles non existant, per eos tamen Græcos justo Dei judicio credimus fuisse punitos, qui tunicam inconsutilem Iesu Christi scindere sunt moliti. Cùm enim judicia Dei adeo sint occulta quòd abyssus multa prophetica voce dicuntur, sæpe contingit ut ipsius occulto judicio, semper tamen justissimo, mali malorum ministerio puniantur, juxta quod ait ipse Dominus per Prophetam: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse in manu eorum. Indignatio mea.* Vnde ad Nabuchodonosor dixit: *Quia servisti mihi in Tyro, dabo tibi Ægyptum.* Iustè siquidem in diluvio perierunt qui esse cum Noë noluerunt in arca, & famis inediam sunt perpessi qui beatum Petrum Apostolorum principem, cui pascendas commisit Dominus oves suas, noluerunt recipere in pastorem, post greges sodalium evagando, nolentes ad unitatem redire sæpius à prædecessoribus nostris & nobis etiam commoniti diligenter, nec voluerunt unquam terræ sanctæ subsidium impertiri, cui tum vicinitate locorum, tum abundantia divitiarum, plenius & perfectius

Vide gesta Innoc. III. cap. 95. pag. 59. col. 1.

* proditionem, *alias* pernitiem

succurrere potuerunt. Vnde non immeritò per eos qui ad utrumque pariter intendebant locum perdiderunt & gentem; ut perditis malè malis, ipsa terra talibus locaretur agricolis qui fructum reddant tempore opportuno. Ceterùm quia, quemadmodum legitur in Daniele Propheta, est Deus in cœlo qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud, Constantinopolitanum imperium transtulit ad eosdem, nobilitati tuæ consulimus ut in conspectu carissimi in Christo filij nostri Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris humilies temetipsum, eique servias honorem debitum impendendo, Ieremiæ sequentes exemplum, quem Israëlitico populo legimus consilium tribuisse ut Nabuchodonosor Regi servirent & viverent sub eodem. Si enim Propheta consuluit ut fidelis populus infideli Regi serviret, quanto magis consulendum est tibi ut servias Imperatori præfato, cui altissimus dedit imperium, cùm catholicus Princeps & fidelis existat, ut sub ejus vivens imperio pacem obtineas exoptatam. Super eo verò quòd illos caritatem asseris non habere, pro eo quòd tecum treugas ad terminum inierunt, nolentes easdem in perpetuum stabilire, cùm dilectio termino non claudatur, tibi breviter respondemus quòd caritas & potest & debet etiam sine treugis haberi, cùm non solùm ad amicos sed etiam ad inimicos sit ipsa caritas extendenda, dicente Domino: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis;* quæ profectò per treugas non tollitur, sed fovetur, & ad perfectionem ipsius via facilior præparatur. Tu verò dispositioni divinæ consentiens, qua idem est Imperator ad imperium sublimatus, ei debitum impendas obsequium & honorem, & nobis, qui, licèt indigni, locum beati Petri tenemus, devotionem & reverentiam cum omnibus qui sunt tecum satagas exhibere; quia nos per Legatum quem ad partes illas intendimus destinare, Imperatorem eundem faciemus sollicitè commoneri ut tecum in spiritu ambulet lenitatis. Cùm autem ipsum Legatum ad partes illas noveris pervenisse, tuos ad eum nuntios destinabis, ut idem inter te ac Imperatorem prædictum ea quæ pacis sunt & salutis ordinare procuret. Datum Laterani XVI. Kal. April. anno undecimo.

ALVFO CANONICO sanctæ Anastasis.

Epist. 48. Ei confirmatur præbenda.

SOlet annuere, &c. *usque* assensum, præbendam quam in Ecclesia sanctæ Anastasis te proponis legitimè assecutum, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti &c. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Laterani V. Idus April. ando undecimo.

DECANO SANCTÆ MARIÆ de Blacherna, & Cantori sanctorum quadraginta, & magistro G. Canonico sancti Pauli Constantinopolitanis.

Epist. 49. Scribitur pro eodem Alufo.

GRavem nobis dilectus filius Alufus Canonicus sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ obtulit quæstionem, quòd D. concanonicus suus & quidam alij Constantinopolitani manus injecerunt in eum, Dei timore postposito, temerè violentas. Quia igitur hujusmodi violentarum manuum injectores non est dubium incidisse in canonem sententiæ promulgatæ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, præsumptores eosdem tamdiu &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani II. Idus Aprilis, anno undecimo.

CANTORI SANCTORVM quadraginta, & magistro G sancti Pauli, & Arn. sanctæ Mariæ de Cintura Canonicis Constantinopolitanis.

Epist. 50. Pro eodem.

VEniens ad apostolicam sedem dilectus filius Alufus sanctæ Anastasis Canonicus sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm Decanus sanctæ Mariæ de Blaquerna & Canonici sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ, pro quibus ad sedem apostolicam laboravit, ei præbendæ suæ fructus & alia de jure ad ipsum spectantia in sui absentia promiserint exhibere, ipsa detinent & reddere contradicunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Decanum & Canonicos ut fructus illos & alia eidem exhibeant, ut tenentur, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani Idibus Aprilis, anno undecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO de Blaquerna.

Epist. 51. Pro Arnulfo Canonico de Blaquerna.

COnstitutus in præsentia nostra dilectus filius Arnulfus Ecclesiæ vestræ

Canonicus nobis humiliter supplicavit ut ei, qui ad sedem apostolicam veniendo, pro negotiis vestris & totius cleri Constantinopolitani expediendis plurimùm laboravit, pro proventibus ejusdem Ecclesiæ perceptis à vobis, quos ipse, si præsens fuisset in vestra Ecclesia, percepisset, satisfieri faceremus eidem. Cùm igitur idem A. inde dispendium pati non debeat unde præmium dinoscitur meruisse, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eidem Canonico de proventibus sibi subtractis, donec pro communibus negotiis absens fuit, taliter providere curetis quòd ipse propter hoc vobis & Ecclesiæ vestræ magis obnoxius teneatur, & nos debeamus devotionem vestram exinde non immeritò commendare. Datum ut in alia.

CARISSIMO IN CHRISTO filio Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 52. Inducitur ut bona Ecclesiæ S. Anastasis ablata restituat.

AD audientiam nostram dilecto filio nostro Alufo Canonico Ecclesiæ sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ significante pervenit quòd eadem Ecclesia, quæ antequam Constantinopolitana civitas caperetur post majorem Ecclesiam locum præcipuum obtinebat, gravatur maxima paupertate, bonis ipsius distractis multipliciter & consumptis. Insuper inclitæ recordationis Baduinus Imperator germanus tuus, cujus successor existis, casalia cum pertinentiis suis, possessiones, & res alias quæ ad Ecclesiam pertinebant prædictam contra justitiam occupavit & detinuit occupata, quæ in animæ tuæ periculum reddere contradicis. Quia verò quanto magis gressus tui à Domino prosperantur, tanto minùs esse debes Ecclesiis onerosus, serenitatem tuam rogamus & monemus attentiùs quatenus si est ita, bona eandem Ecclesiæ ipsi ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram restituens, ab ejus super hoc molestatione indebita conquiescas. Datum Laterani XVI. Kal. Maij, anno undecimo.

CANTORI DE BLAKERNA, Præposito sancti Sepulchri, & magistro P. Canonico sancti Pauli Constantinopolitani.

Epist. 53. Eis committitur causa T. Capellani de Bucca leonis.

INsinuantibus T. Capellano Ecclesiæ de Buca Leonis & quibusdam aliis Clericis Constantinopolitanis nos noveritis accepisse quòd H. de Atrebato & quidam alij Clerici Constantinopolitani proventus quarundam rerum quæ in sortem Clericorum ipsorum cessisse noscuntur percipiunt & dividunt pro suæ arbitrio voluntatis, illis qui super hoc deberent de jure requiri penitùs inconsultis, & eisdem, licèt sæpiùs requisiti, debitam nolunt reddere portionem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerunt evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani XV. Kal. Maij, anno undecimo.

ELECTO NICODEMIENSI, & Præposito sancti Sepulchri & Priori Pisanorum Constantinopolitanis.

Epist. 54. Committitur eis causa super quadam mula.

INnotuit nobis, conquerentibus dilectis filiis A. & D. clericis apud Constantinopolim constitutis, quòd Decanus sanctæ Sophiæ ac quidam alij Constantinopolitani quandam mulam & res alias pertinentes ad ipsos contra justitiam detinent & reddere contradicunt, super blado & rebus aliis injuriantes eisdem. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum ut in alia.

SANCTÆ SOPHIÆ ET SANCTÆ Anastasis Decanis, & Cantori de Blakerna.

Epist. 55. Eis committitur causa Arnulfi Canonici de Blakerna.

COnquesti sunt nobis dilecti filij Ernulfus Canonicus de Blakerna & alij clerici apud Constantinopolim constituti quòd venerabilis frater noster Salimbrienſis eis super quibusdam terris, vineis, pratis & rebus aliis damna gravia & injurias inferre non cessat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. Datum ut in alia.

DILECTO FILIO MELDENSI Electo.

Epist. 56. Vt impendat benedictionem A. Abbatissæ Iotrensi. Vide appendicem hujus libri.

DIlectæ in Christo filiæ moniales Iotrensis monasterij humili nobis insinuatione monstrarunt quòd idem cœnobium propter dilationem benedictionis electæ ipsius tam in spiritualibus quàm temporalibus non modica sustinuit detrimenta.

menta. Volentes igitur eidem paterna sollicitudine providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus infra quindecim dies postquam fueris consecratus, salvo tenore sententiæ quæ dudum inter bonæ memoriæ prædecessorem tuum & A. quondam Abbatissam Iotrensem à nobis lata est & nondum executioni mandata, & omni quod utrique competit parti jure, ipsi electæ munus benedictionis impendere non omittas. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Trecensi Episcopo in mandatis dedisse ut ex tunc, salvis prædictis omnibus, auctoritate nostra eandem appellatione remota sine dilatione benedicere non postponat. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, anno undecimo.

Epist. 57.

IN eundem modum Trecensi Episcopo usque non omittat. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus electus mandatum nostrum infra prædictum terminum non implerit, tu ex tunc, salvis prædictis omnibus, auctoritate nostra eandem electam appellatione remota sine dilatione benedicere non postponas. Datum ut in alia.

DECANO ET CANTORI de Blacherna, & Magistro P. de Montiniaco Canonico sancti Pauli Constantinop.

Epist. 58. Committitur ea quædam cauta Capit.

SIcut dilectus filius Ernulfus Canonicus sanctæ Mariæ de Cinctura Constantinopoli sua nobis conquestione monstravit, Cantor ipsius Ecclesiæ ac quidam alij concanonici sui portas ejusdem Ecclesiæ & res alias per violentiam rapere præsumpserunt in ejusdem Canonici & Ecclesiæ præjudicium ac scandalum plurimorum. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani XVII. Kal. Maij, anno undecimo.

CANTORI SANCTÆ MARIÆ de Blakerna & Magistro G. Sancti Pauli & T. Sancti Georgij Constantinopolitanis Canonicis.

Epist. 59. Super causa subscripta.

DIlecti filij Decanus & Capitulum Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Cinctura transmissa nobis conquestione monstrarunt quòd Brino Balistarius & quidam alij Constantinopolitani super quadam domo Ecclesiæ supradictæ in eleemosyna sibi concessa & rebus aliis graves eis & injuriosi existunt. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit &c. facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum ut in alia.

SANCTI ANASTASII, ET sancti Pauli Decanis & magistro G. Canonico sancti Pauli Constantinopol.

Epist. 60. Committitur eis quædam cauta Capituli de Blakerna.

QVerelam dilectorum filiorum Decani & Capituli de Blakerna recepimus continentem quòd fratres hospitalis * de Bolonia & quidam alij Constantinopolitanæ diocesis super quodam molendino, quadam summa pecuniæ, & rebus aliis injuriantur eisdem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit usuris cessantibus &c. facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum ut in alia.

** Hic locus vacuus relictus est in originali.*

EVDONI PRIORI ET Canonicis domus eleemosynariæ sancti Iohannis Andegavensis tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 61. De confirmatione privilegiorum.

LIcèt locis religiosis diligentiam teneamur paternam impendere, ea tamen loca debemus habere specialiùs commendata in quibus hospitalitatis & alia pietatis opera studiosiùs exercentur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam hospitalem domum sancti Iohannis Andegavensis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem domus in præsenti justè & canonicè possidet &c. *usque* illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata domus sita est cum omnibus pertinentiis suis, Capellam sancti Stephani de domo pauperum,

& Capellam sancti Iacobi de Thesón cum ponte & omnibus pertinentiis suis. exclusam Andegavensem cum molendinis, piscaturis, & omnibus pertinentiis suis, nemus de Deserta cum pertinentiis suis, domos vestras quæ sunt supra pontem Andegavensem & de utraque folia cum augmentatione nundinarum, & medietatem dicti pontis Andegavensis cum pertinentiis suis, justitiam & tenimenta quæ habetis in feudo Regis & aliis dominicis feudis. Tenimenta quæ habetis in Verreriis, in Chesneia, in feudo de Sance, in Pyreio, in Iuncheriis, Iurleta, Morino, Corrourio, Telleia, in feudis de Fougere, de Rameforti, & Oliverij Andefrei, & Agnetis de Chastellione. Redditus quos habetis in Chantoceio, Segreio, Salmurio, Castronovo, & ea quæ habetis in Agrifame, in feudo Falconiorum, & in Loicaneria. Villam quæ dicitur Fontanas Borrel, cum omnibus pertinentiis suis. Curaturam molendini vestri de fontibus per terram Boccardi de Marolio. Massuram integram de Cuelcio cum hominibus & aliis pertinentiis suis. Redditum triginta solidorum apud Syrenas. Villam de Rochetis, cum hominibus & aliis pertinentiis suis. Tenimenta quæ habetis in feudis de Foldonio & de Brein. Calefagium vestrum de Valeia, & pasnagia de Mounes, & ea quæ habetis in Avalo & in Floreio. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Constituimus etiam ut Episcopus vel officiales ipsius à præscripta domo nil requirat præter ea quę de jure sibi episcopali debentur, nec ministri aut fratres ipsius absque manifesta & rationabili causa excommunicationi vel suspensioni ab aliquo supponantur. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam domum temerè perturbare aut ejus possessiones auferre &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XVIII. Kal. Maij, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno * MCCVI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo. * MCCVIII.

EPISCOPO ATREBATENSI.

Epist. 61. Eum instruit quomodo se gerere debeat erga usurarios & Presbyteros in hæresim relapsum.

CVm juxta canonicas sanctiones ubi multorum strages est, severitati sit aliquid subtrahendum, in usurarios, qui tantum in civitate ac diocesi tua excrevisse dicuntur quòd si censura in Lateranensi Concilio prodita contra tales proferretur in omnes, omnino claudi Ecclesias præ multitudine oporteret, cum ea poteris cautela procedere ut universos insimul non involvas, sed tuum incipias ab aliquibus officium exercere, illius instructus exemplo contra quem cùm accipientes denarium murmurarent, non omnibus sed uni eorum dixisse refertur: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum?* &c. Presbyterum verò in custodia sibi facias deputata manere qui quondam, ut asseris, de Canonico regulari monachus Cisterciensis effectus, ac deinde ad ordinem nigrum rediens, & demum ad secularia devolutus, propter hæresim quam publicè prædicabat à tuo fuit prædecessore per septem annos in custodia carcerali detentus, à qua tandem te sibi compatiente retractus, retrusus est postmodum in eandem, quoniam sicut priùs hæreses seminabat. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Calixti Cisoniensis.

Epist. 62. Vt eis liceat decimas & terras pignori obligare.

CVm, sicut asseritis, quidam laici quasdam habeant monasterij vestri decimas & terras in feudum, præsentium vobis auctoritate concedimus ut ipsas terras & decimas liceat vobis in pignus accipere ac in sortem quod de fructibus percipietis earum minimè computare, dummodo super obsequio quod ratione feudi tenentur impendere non graventur. Datum Laterani XII. Kal. Maij, anno undecimo.

R. TROSELLI CANONICO sancti Vrsini Bituricensis.

Epist. 64. Dispensat ab cum ut beneficium teneat, quamvis forte judex duelli.

SOlet annuere &c. Licèt autem à majori & saniori parte Capituli sancti Vrsini Bituricensis electus fueris in Priorem, quia tamen dilectus filius Cantor Bituricensis Ecclesiæ, qui electus fuerat à quibusdam, in judicio tibi obiciens quòd unus de judicantibus quoddam duellum extiteras de quo sanguinis effusio fuerat subsecuta, id per duos testes sufficienter probavit,

non tam propter culpæ tuæ vitium quàm ut deinceps ab aliis evitetur. pernitiosum exemplum, quod circa electionem hujusmodi de te factum fuisse dinoscitur de fratrum nostrorum consilio duximus irritandum. Verùm quoniam hujusmodi duellorum judicia juxta pravam quarundam consuetudinem regionum non solùm à laicis seu Clericis in minoribus ordinibus constitutis, sed etiam à majoribus Ecclesiarum Prælatis consueverunt, prout multorum assertione didicimus, exerceri, attendentes quòd prædictum duelli judicium non in accusationis forma sed in modum tantùm tibi fuit exceptionis objectum, tuis supplicationibus inclinati auctoritate præsentium tibi duximus indulgendum ut hoc penitùs non obstante ad quamlibet eligi valeas dignitatem, dummodo aliud canonicum non obsistat, maximè cùm ex illo duello non sit mutilatio vel occisio subsecuta. Datum.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 65. Vt domum ædificare possit Parisius pro futurum officialium servitio.

EX litteris regiæ serenitatis accepimus quòd volens tuis servientibus, qui in regio servitio senuerunt, misericorditer providere, domum quandam Parisius de bonis tuis & servientum ipsorum ædificare disponis, in qua ipsis vitæ necessaria ministrentur, nobis humiliter supplicans & devotè ut ipsam in jus & proprietatem beati Petri recipere dignaremur, eandem ab episcopali jure penitùs eximendo. Cùm igitur magis conveniat ut ipsa domus à sui fundatione sit libera quàm post fundationem ab episcopali debito eximatur, venerabili fratri nostro episcopo & dilecto filio Archidiacono Noviomensi nostris damus litteris in mandatis ut fundum in quo domum ipsam intendis construere oblatum beato Petro recipiant vice nostra, ut sic in fundo Romanæ Ecclesiæ domus ipsa cum capella & cimiterio ad opus duntaxat hujusmodi servientum de licentia nostra libera construatur; ita tamen ut nec diocesani Episcopi nec vicinarum Ecclesiarum per hoc justitia minuatur; quia sic intendimus tibi facere gratiam ut illis injuriam minimè inferamus. Datum ut in alia.

CIVIBVS SORANIS.

Epist. 66. Confirmantur eis rationabiles eorum consuetudines.

AD ubera sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ tamquam devoti filij recurrentes, ipsius vos decet dulci lacte nutriri; ut qui hactenus, novercante fortuna, onus portastis indebitæ servitutis, nunc opitulante gratia novamen inveniatis solitæ libertatis. Eapropter, dilecti in domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, rationabiles libertates, bonos usus, & consuetudines approbatas, quas à tempore illustris Regis Rogerij usque ad obitum Vuillelmi Regum Siciliæ habuistis, vobis paterna benignitate concedimus & auctoritate apostolica confirmamus, ut illis licenter utamini fidem nobis integram observando. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani.

IN eundem modum Clericis, Militibus, & universis hominibus Roccæ Arcis. Datum Laterani.

IN eundem modum universis hominibus de Pesclo solido. Datum Laterani.

CONSVLIBVS ET VNIVERSIS Militibus & hominibus tam civitatis quam burgi Arelatensis, & nobilibus viris V. de Baucio & aliis Dominis burgi Arelatensis.

Epist. 67. Vt consueta servitia impendant Ecclesiæ Arelatensi.

SI quàm suave sit jugum & leve onus Ecclesiæ nosceretis, non quæreretis utique vos ab ejus ingenua subjectione subtrahere ac jugo servitutis extraneæ libera colla dare. Accepimus siquidem, venerabili fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo intimante, quòd cùm Arelatensi Ecclesiæ singulariter fidelitate ac hominio essetis astricti, occasione juramenti quod nobili viro Comiti Provinciæ præstitistis, graviter læsistis eandem, Salvariam, Vermellariam, & quædam alia in Arelatensi civitate concedentes eidem in non modicum ejus præjudicium & gravamen, & aliàs ad certa vos ei servitia obligantes quæ sine jactura juris ipsius Ecclesiæ, quæ vestra est domina principalis, illi exolvere non potestis. Cùm igitur juramentum non sit ad vinculum iniquitatis inventum, universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus juramento hujusmodi non obstante, quod in quantum per illud ecclesiastica libertas offenditur non est ut illicitum observandum, quicquid super iis in damnum Arelatensis Ecclesiæ fuerit attentatum inutile reputantes, præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ suæ debita & consueta servitia impendatis, jura quæ in vobis & civitate vestra obtinet ad alium injustè

transferre nullatenus præsumentes. Datum Laterani VI. Non. Maij, anno undecimo.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 68. Confirmatur ei privilegiũ de non solvendis procurationibus Legatorum.

LIcèt per apostolicum privilegium sit indultum ut nulli prorsùs Legato, nisi ei tantùm qui de Romani Pontificis latere fuerit destinatus, Arelatensis provincia sit subjecta, quia tamen ad eliminandam hæreticam pravitatem & rabiem sedandam hostilem ad partes illas Legatos necessariò destinavimus, quibus te volumus prudenter assistere ac liberaliter providere, auctoritate tibi præsentium præcavemus ut per obsequia propter necessitatem hujusmodi prædictis Legatis impensa nullum tibi vel Ecclesiæ tuæ præjudicium generetur. Data eadem.

ABBATI SANCTI MICHAELIS *Cisterciensis ordinis.*

Epist. 69. De hospitali S. Spiritus in dioceſi Halberstadensi.

IN nostra præsentia constitutus dilectus filius nobilis vir Comes de Blanckeburgo devota nobis insinuatione monstravit quòd ferventi voluntate desiderat ut juxta monasterium tuum de bonis suis in honore sancti spiritus construatur ad opus infirmorum & pauperum hospitale, decem & octo mansos optimæ terræ in Elikestorp, decimam insuper ejusdem loci, quam ibidem à venerabili fratre nostro Halberstadensi Episcopo tenere dinoscitur, si fieri potest, cum Episcopi ejusdem assensu vel extimatione pro ipsa, & centum marchas argenti ad structuram hospitalis ipsius nobis humiliter offerendo, postulans nihilominus ut hospitale ipsum non suo sed nostro nomine construi faceremus. Nos igitur ejus pium propositum in Domino commendantes, ad jus & potestatem Romanæ Ecclesiæ ac utilitatem sancti spiritus in Saxia, cui duæ marcæ puri argenti nomine census, quem Comes constituit memoratus; annis singulis persolventur, recepimus donum ejus. Vt autem Comitis ejusdem intentio per tuam sollicitudinem debitum consequatur effectum, in hac parte committendas tibi duximus vices nostras, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandantes quatinus prædictorum omnium nostro nomine possessionem apprehendere studeas corporalem, & in prædicto loco ad opus tantummodo infirmorum & pauperum construi facias hospitale. Cùm autem constructum fuerit & congruè ordinatum, universa nobis per tuas litteras fideliter intimare procures; ut de loco ipso prout expedire viderimus disponentes, eundem nostris privilegis muniamus. Datum Laterani II. Kal. Maij, anno undecimo.

Vide lib. 10. epist. 179.

ARCHIEPISCOPO TVRONENSI.

Epist. 70. Committitur ei accusatio adulterij. Cap. Intelleximus. De adulter.

INtelleximus tam per litteras venerabilis fratris nostri Pictavensis Episcopi quàm per ea quæ coram dilecto filio Andrea Subdiacono & Capellano nostro super hoc auditore concessio proposita pro partibus extiterunt quòd cùm S. laicus Helizabeth uxorem suam à maritali consortio sine causa rationabili depulisset, idem Episcopus diocesanus eorum, audiens mulierem eandem cum quodam adultero fornicari, eam & illum vinculo excommunicationis astrinxit. Quæ tandem eum qui dicebatur ejus adulter abjurans, absolutione recepta coram Episcopo memorato, prædictum virum sibi restitui postulavit. At ille hujusmodi ei obiciens adulterium, de quo prolem genuisse dicebat eandem, & quòd ab ipso non expulsa sed spontanea recessisset, restitutionem sui proposuit ei esse minimè faciendam. quod mulier memorata prorsùs inficians, replicabat in ipsum quòd fuerat fornicatus, & de fornicatione sobolem procrearat. propter quod tali exceptione uti non poterat contra ipsam. Cùm autem utrique parti probandi hæc facultate concessa, præfata mulier per quosdam testes ejusdem viri adulterium probavisset, quos vir ipse dicebat tamquam minùs idoneos reprobandos, tandem ab eo fuit ad nostram audientiam appellatum. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi constiterit vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quòd taliter adulterata fuisset, adulterij etiam quod vir dicitur commisisse probatione cessante, ipsum recipere compellas eandem. Quòd si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit, nisi testes per quos viri adulterium est probatum fuerint legitimè reprobati, cùm matrimonij jus in utroque consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur, nihilominus eum cogas ut eam recipiat & maritali affectione pertractet. Alioquin mulieri prædictæ silentium imponere non postponas. Datum Laterani VI. Kal. Maij anno undecimo.

CANONICIS ALTARIS beatorum Apostolorum Petri & Pauli Senonensis.

Epist. 71. Confirmatur collatio eis facta cujusdam Ecclesiæ.

ANnuere consuevit &c. *usque* impertiri. Cùm igitur ad divini cultus augmentum bonæ memoriæ * G. Archiepiscopus Senonensis redditus certos altari cujus estis obsequio deputati ad sustentationem ministrorum ejusdem in quibusdam Ecclesiis assignarit, & Capitulum Senonense sibi concesserit ut in partitionibus ipsis participarent de cetero quemadmodum Canonici servientes altari beati Stephani facere dinoscuntur, & idem Archiepiscopus in recompensatione partitionum illarum Ecclesiam de Bosco Regis dicto Capitulo donarit perpetuò possidendam, nos vestris justis precibus inclinati prædictos redditus & partem quam habetis in partitionibus memoratis, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, & in ejusdem Archiepiscopi litteris pleniùs continetur, vobis & per vos altari prædicto auctoritate apostolica concedimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Non. Maij, anno undecimo.

* Guillelmus

CANTORI ET CAPITVLO beatæ Mariæ Meduntensis.

Epist. 72. De confirmatione privilegiorum.

CVm à nobis petitur &c. *usque* assensum, Ecclesiam vestram & personas inibi Domino servientes, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, auctoritate apostolica inhibentes ne diocesanus Episcopus, Archidiaconus vel alius à vobis procurationem indebitam & insolitam extorquere præsumat, nec in aliquem vestrum sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel suspensionis sententiam promulgare. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

CONVENTVI CORBEIENSIS monasterij.

Epist. 73. Ratificantur quæ facta sunt per Legatos S. A.

Cap. Cùm venerabilis. De consuetudine.

CVm venerabilis frater noster Episcopus Hostiensis & dilectus filius Leo tituli sanctæ crucis Presbyter Cardinalis olim in partibus Alemanniæ legationis officio fungerentur, invenerunt dilectum filium Abbatem de monasterio Hervvordeldensi, quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante noscitur pertinere, ad monasterium Corbeiense, quod etiam est Romanæ Ecclesiæ speciale, propria temeritate migrasse, licentia illud deserendi vel confirmatione à nobis vel ab ipsis etiam, qui vices nostras in illis partibus tunc gerebant, nec habita nec petita. Cùmque Northusium advenisset regalia recepturus, * iidem existentes ibidem, ut contemptus ejus manifestior appareret, ad eos accedere non curavit, se mandatorum ipsorum exhibens modis omnibus contemptorem. Propter quod dicti Legati venerabili fratri nostro Padeburnensi Episcopo dederunt firmiter in mandatis ut eundem ad suam præsentiam evocaret, & prædictis omnibus diligentiùs expositis coram eo, ipsum ab omni officio & beneficio suspendere non differret donec nostro vel illorum se conspectui præsentaret, de contemptu veniam petiturus. Ceterùm cùm suum nuntium ad eorundem præsentiam * destinaret, se super prædictis omnibus per eundem excusans illius terræ allegavit consuetudinem generalem, asserens quòd pro electionis confirmatione vel obtinenda etiam benedictione vel licentia de uno ad aliud monasterium transeundi summus Pontifex vel ejus Legati non erant aliquatenus requirendi, cùm in illis partibus consuetudo talis hactenus sit servata. Iidem verò Legati precibus multorum inducti tam ecclesiasticorum quàm secularium Principum, qui eosdem pro ipso instantissimè rogaverunt, prædictam sententiam relaxarunt, præfato Episcopo Padeburnensi mandantes ut memorato Abbati injungere non differret ut usque ac Dominicam qua cantatur *Lætare Ierusalem* proximò præteritam nuntios suos ad sedem apostolicam destinaret, mandatum nostrum tam super hoc quàm aliis eisdem mediantibus nuntiis recepturus; quod si facere fortè negligeret, ex tunc ipsum in pristinam sententiam reducere non differret, & eam faceret firmiter observari. Postmodum autem cùm suos ad sedem apostolicam nuntios destinasset, iidem volentes eum multipliciter excusare, ad defensionem ipsius prædictam consuetudinem allegarunt. Cùm igitur hæc non tam consuetudo quàm corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est canonibus inimica, ipsam de cetero servari nolentes, eisdem Legatis dedimus in mandatis ut à prædictis nuntiis, Her. videlicet Præposito & C. Canonico Ecclesiæ novæ, qui plenam

* *Legendum*, iisdem existentibus. *Verùm mendum extat in regesto & in authentico Corbeiensi.*

* *In authentico*, direxisset

tam Abbatis quàm Corbeiensis conventus procurationem habebant, sicut nobis constitit per publicum instrumentum, vice nostra obedientiam reciperent manualem, facta renuntiatione consuetudinis antedictæ. Qui tam in consuetudinis ipsius renuntiatione quàm in obedientia exhibenda nostrum adimplentes mandatum, litteras super hoc suis signatas sigillis apud nos dimittere procurarunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod factum est per nuntios antedictos ratum habentes, de cetero hujusmodi pravam consuetudinem nullatenus observetis. Datum Laterani v. Nonas Maij, anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Corbeiensi.

Epist. 74. Conceduntur eis quædam privilegia.

QVanto Corbeiensem Ecclesiam nobis & Ecclesiæ Romanæ devotiorem sumus experti, tanto rationabiles petitiones pertinentes ad ipsam inducimur specialiùs exaudire. Cùm ergo monasterium vestrum ab omni jurisdictione cujuslibet Episcopi præterquam summi Pontificis sit exemptum, præsentium vobis auctoritate concedimus ut ordines monachorum vestrorum & consecrationes altarium seu basilicarum quæ fuerint infra ejusdem monasterij ambitum constituta, necnon chrisma & oleum sanctum, ac cetera Ecclesiæ sacramenta recipere vobis liceat à quocunque catholico Episcopo malueritis gratiam apostolicæ sedis habente. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani 11. Kal. Maij, anno undecimo.

CORBEIENSI ABBATI.

Epist. 75. De eadem re.

QVanto Corbiensem Ecclesiam &c. *ut in alia usque* exaudire. Quapropter devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus ut officiales monasterij tui, qui fratrum præbendam contra justitiam detinuerint, canonica tibi liceat districtione compellere ad justitiam, sicut debent, super hoc sub tuo examine faciendam, districtiùs inhibentes ne prædicti officiales per laicalis sententiæ injustitiam in usus suos stipendia monachis deputata convertere quavis temeritate præsumant. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

Epist. 76. Redarguitur de multis excessibus.

COntra pessimam pestem adversùs universalem Ecclesiam Constantinopoli nuper exortam tantò severiùs nos oportet apostolicam exercere censuram quantò pernicioſiùs inveterata corrumperet & altiùs cresceret radicata. Non igitur in tui derogationem honoris, quem, quantum cum Deo possumus, illæsum cupimus conservare, sed in destructionem pestis ipsius, quam diligenti studio intendimus abolere, ad ea quæ subscripta sunt nos cum debita noveris processisse cautela. Sanè cùm olim tua nobis fuisset electio præsentata, nos sollicitè attendentes quòd ab iis attentata fuerat qui jus non habuerant eligendi, utpote quia nulli tunc temporis in Canonicos sanctæ Sophiæ canonicè fuerant instituti, eam de consilio fratrum nostrorum in publico consistorio publicè duximus irritandam, immo veriùs irritam denuntiavimus extitisse. Postmodum verò de gremio sedis apostolicæ Constantinopolitanæ volentes Ecclesiæ providere, cùm Subdiaconus noster esses, nec peccasses in electione priori, tamquam qui fueras insçius & absens electus, si tamen talis nominatio electio possit dici, te ad eandem Ecclesiam eligentes, cujus provisio tunc ad nos tantummodo pertinebat, in Diaconum primò, ac postmodum in Presbyterum ordinare curavimus, & tandem ministerio nostro in Episcopum consecratum honore pallei decorare. Licèt autem sic ordinatus, consecratus, & palleatus à nobis Constantinopolim accessisses super toto processu negotij nostras litteras tecum ferens, per quas mandabatur universo clero apud Constantinopolim constituto ut exhiberent tibi obedientiam tam debitam quàm devotam, clerici tamen de parte peregrinorum id facere recusarunt, firmiter asserentes quòd à nobis hæc omnia per suppressionem extorseras veritatis. Cùmque tam per te quàm per dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem tunc apostolicæ sedis Legatum ipsos ad exhibendum tibi obedientiam monuisses, ipsi, ne ad id aliquatenus cogerentur, ad sedem apostolicam appellarunt; quorum appellationi etsi prædictus detulerit Cardinalis, non tam propter formam canonicam quàm quia primò interponebatur in Ecclesia Constantinopolitana, quæ nuper fuerat ad de-

Vide gesta Innoc. III. cap. 96. & 98.

votionem Ecclesiæ Romanæ reversa, tu tamen eidem non deferens, in clericos ipsos, ut asserunt, excommunicationis sententiam protulisti, & cùm Legatus communicaret eisdem, velut post appellationem cui ipse detulerat non ligatis, tu eos arctiùs evitabas. Ceterùm cùm dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legatus Constantinopolim advenisset ut pacem inter vos, ad quam evangelizandam missus fuerat, reformaret, pro concordia interposuit partes suas, & sic apud partes efficaciter laboravit quòd in eum fuit ab eis pariter compromissum, te sub causæ periculo promittente, illis autem juramento firmantibus quòd quicquid inter vos per concordiam, arbitrium, vel judicium ordinaret, inviolabiliter servaretis. Volens igitur Cardinalis more boni judicis lites minuere, non augere, tibi præhabita deliberatione præcepit ut clericos ipsos in Ecclesiis in quibus erant, pro institutis haberes; & ipsis injunxit ut tibi tamquam Patriarchæ suo reverentiam & obedientiam debitam exhiberent, ordinatione sanctæ Sophiæ, super qua in eum similiter fuerat compromissum, sicut clerici asserebant, ad tempus ex necessaria causa dilata; super qua tamen hoc tunc tibi sub periculo causæ mandavit, ut quod ipse postmodum statueret super ea, humiliter reciperes & servares. Et licèt iidem clerici, tamquam obedientiæ filij, mandatum Cardinalis sine dilatione qualibet fuerint executi, tu tamen tuæ promissionis oblitus, cùm Legatus quosdam instituisset Canonicos in Ecclesia sanctæ Sophiæ, tibique districtiùs præcepisset ut tam eos quàm illos quos prædictus Cardinalis sancti Marcelli instituerat in eadem sine contradictione reciperes & præbendas pacificè faceres possidere, id efficere noluisti. propter quod ipsi tibi, qui per inobedientiæ vitium causæ tuæ incurreras detrimentum, obedientiam subtrahentes, ad sedem apostolicam appellarunt, festum nativitatis dominicæ proximò præteritum appellationi suæ terminum præfigentes, ad quem tu etiam postmodum appellasti. Procuratoribus igitur utriusque partis in nostra præsentia constitutis, & in publico consistorio audientia eisdem indulta, ex parte clericorum ipsorum fuit propositum coram nobis quòd post appellationem ipsorum & Ecclesiam sanctæ Sophiæ thesauro usque ad summam centum milium marcharum & eorum Ecclesias bonis pluribus spoliaras; quæ universa restitui cum instantia postulabant. Præterea cùm prædictus Cardinalis sanctæ Susannæ de communibus proventibus debuerit procurari, & in procurationes ipsius per manum Imperatoris, qui vobis communiter tenebatur, mille & ducenta hyperpera fuerint erogata, de quibus ad te trecenta ratione quartæ spectabant, tu ab Imperatore & ab aliis recepisti non solùmodo integrè partè tuam, sed de parte ipsorum alia trecenta hyperpera extorsisti; sicque à procuratoribus tuis sexcenta hyperpera repetebant. Addebant etiam quòd non tantùm super ordinatione sanctæ Sophiæ inobediens fueras prædictis Cardinalibus & Legatis, immo verius nobis ipsis, in tantum quòd ne obedias aut valeas obedire juramento te in perpetuum obligaras. Sanè ante occupationem regiæ civitatis Veneti cum Francis & Ecclesiarum spolia & possessiones ecclesiasticas dividere conjurarunt, jurantes hoc etiam quòd si Franci haberent imperium, patriarchatum Veneti obtinerent, & si patriarchatus forsan deveniret ad Francos, imperium in partem cederet Venetorum. Vnde Veneti ad servandæ hujus iniquitatis vinculum in posterum sibi providere volentes & hereditate sanctuarium Domini possidere, à te, cùm à præsentia nostra recederes, exegerunt & receperunt hujusmodi juramentum, ne videlicet in Canonicum sanctæ Sophiæ quemquam admitteres qui non esset Venetus natione vel apud Venetias per decennium commoratus, omnesque Canonicos in receptione sua jurare compelleres quòd in Canonicum nullum reciperent qui non præstaret simile juramentum & quòd non eligerent nisi de Venetis Patriarcham. Hoc quoque te bona fide promisisse dicebant, quòd studium & operam diligentem impenderes & quantum in te foret efficaciter laborares ut in tota Romania nec Episcopus nec Archiepiscopus nisi Venetus crearetur. Licèt autem id in partibus Constantinopolitanis sit notum & Venetiis notissimum, ut dicebant, & apud nos jampridem fama vulgatum infami, denuntiando tamen hoc se dixerunt congruo tempore probaturos. Quantum autem in hoc peccaveris, si est ita, si diligenter attenderis, evidenter advertes. Cùm enim tamquam sponsus de thalamo matris egrediens ad prædignissimæ filiæ suæ festinares amplexus, non debueras sterilitatis ei procurare venena, sed fœcunditatis potiùs quærere medicinam.

Vide gesta Innoc. III. cap. 92. & 97.

Ibid. c. 99.

Sanè ut pater multarum gentium fieres, à patre patrum tam viva voce quàm litteris datum tibi fuerat in mandatis ut de omni populo & natione sponsæ tuæ filios susciteres, nec acquiescerès tantùm carni & sanguini, sed id faceres quod ejus tibi Vicarius revelarat cui de omni gente qui facit justitiam est acceptus. Hoc fuerat quasi primum mandatum illius qui te creaverat Patriarcham; & quia in hoc quasi primo tuam voluit obedientiam experiri, præcipuè fuerat observandum. Tu verò non solum modo non servasti mandatum, sed, si dicis veritas suffragatur, ut illud servare de cetero non valeres, juramentum ad iniquitatis vinculum præstitisti. Ecce quales fructus ex nova planta colligimus. Ecce quod exemplum ex facto tuo in divinæ majestatis offensam, injuriam apostolicæ sedis, ecclesiasticæ libertatis dispendium, & opprobrium Ecclesiæ generalis ad Reges & populos derivatur. Conjurent ergo Romani, si hoc sub dissimulatione transimus, ne quis ad summi pontificatus officium vel consortium Cardinalium, nisi Romanus fuerit, assumatur, nosque pollicerì compellant ut per totum orbem nonnisi Romanos Patriarchas, Metropolitanos, & Episcopos statuamus. Verùm dices forsitan te ad id violenter attractum. Sed non fuit tanta violentia quòd cadere debuerit in constantem. Et quidem in tali casu potiùs erat mortem incurrere quàm tanto malo tantum virum in totius Ecclesiæ scandalum consentire, potiùs animam ponere quàm alligare fasciculos totam Ecclesiam deprimentes. Ceterùm à procuratoribus tuis fuit propositum ex adverso quòd mandatum prætati Legati super ordinatione sanctæ Sophiæ non potuerat aut debueras executioni mandare, cùm super hoc Canonici ejusdem Ecclesiæ ad sedem apostolicam appellassent, nec id posset sine multo Venetorum scandalo adimpleri. Præterea cùm mandatum eidem Legato fuisset ut si Ecclesiam supradictam ordinare negligeres vel differres, ipse procederet ad ordinationem ipsius, & tu jam in ea juxta proprias facultates competentem Canonicorum numerum statuisses, auctoritate mandati nostri nullos instituere potuerat in eadem. Super thesauro autem sanctæ Sophiæ dicebant quòd pro communi tam Ecclesiæ quàm terræ necessitate manum extenderas ad eundem; de quo tria milia marcharum Imperatori, duo milia Venetis concessèras mutuò, & de quatuor milibus possessiones ad usus Ecclesiæ compararas, idem facturus de reliquo cum obtulerit se facultas. Et licèt procuratores ipsi quod de juramento propositum fuerat penitùs denegarent, nos tamen audivimus à quibusdam quòd cùm Veneti te ad præstandum illud vehementer arctarent, & negato tibi passagio, civitatis etiam prohiberent egressum, nec vitare posses instantiam creditorum, quibus juramento præstito tenebaris, nonnisi cum adjectione hujus clausulæ juravisti, *salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia, & honore.* quod Veneti tamen in instrumento super hoc confecto non permiserunt apponi. Quia ergo, sicut nobis à Domino dicitur per Prophetam, solvere debemus colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, omnes pactiones, constitutiones, & conjurationes de rebus ecclesiasticis in Ecclesiarum dispendium à prædictis laicis attentatas vel in posterum attentandas omnino cassamus, & sub interminatione anathematis præcipimus non servari. Ad hæc præsentium tibi auctoritate mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus si sponaneus recognoveris te juramentum hujusmodi præstitisse, infra duos menses post susceptionem præsentium tam clero Constantinopolitano quàm Archiepiscopis & Episcopis, quos præsentes habere poteris, convocatis, publicè juramentum illud abjures, & quòd ipsum non serves in posterum præstes similiter publicè juramentum, Canonicos sanctæ Sophiæ ad abjurandum hujuscemodi juramentum quod fecisse dicuntur, & jurandum quòd illud de cetero non observent, per suspensionem officij & beneficij appellatione remota compellens, Canonicos quoque in Ecclesia sanctæ Sophiæ à prædictis Cardinalibus canonicè institutos usque ad eundem terminum recipias in eadem, & canonias suas facias pacificè possidere, Clericos & laicos resistentes tam nostra quàm tua fretus auctoritate per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si forsan in aliquo prædictorum, quod tamen non credimus, negligens fueris vel remissus, ex tunc ab officio & beneficio noveris te suspensum, nosque venerabilibus fratribus nostris Vericensi Archiepiscopo & Episcopo Panidensi & dilecto filio Cantori sancti Pauli Constantinopolitani districtiùs mandavisse ut suspensionem tuam non differant publicare, ac in ceteris mandatum apostolicum exequantur. Ceterùm si negaveris te præstitisse hujusmodi juramentum,

quia

quia quod de ipso propositum est non possumus sub dissimulâtione transire, Legato quem Constantinopolim in proximo destinare proponimus dabimus in mandatis ut utriusque partis rationes & probationes audiat diligenter, & causam plenè instructam ad nos remittere non postponat, quòd si clerici memorati in probatione defecerint, & tu nihil volueris confiteri, quia super hoc non modicùm infamaris, canonicam tibi purgationem indicat, & sive in purgatione defeceris, sive potueris te purgare, hæc nobis per litteras suas fideliter exponere non omittat; ut super omnibus post ejus relationem instructi, prout procedendum fuerit procedamus. Super sexcentis autem hyperperis venerabili fratri nostro Episcopo Salimbrienſi & dilecto filio electo Haracliensi & Cantori sanctæ Sophiæ causam committimus sub hac forma, ut te ad refundenda hyperpera quæ vel de procuratione Cardinalium te subtraxisse vel de parte clericorum occupasse constiterit, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento justitia mediante compellant. Ceterùm licèt ex eo quòd sub periculo causæ tuæ cum clericis ipsis compromiseras in Legatum, & mandatum ejus postmodum non servasti, per tuam inobedientiam eorum tibi videaris obedientiam subtraxisse, cùm super obedientia quæstio verteretur, volentes tamen tibi gratiam exhibere, clericis ipsis injunximus ut usque ad prædictum terminum obedientiam tibi exhibeant debitam & devotam, eam tibi, si obedientiæ filius fueris, extunc etiam impensuri, & subtracturi eandem, si forsan inobediens fueris & rebellis, utpote ab officio & beneficio apostolicæ sedis auctoritate suspenso. Ab impetitione verò clericorum sanctæ Anastasis super columnis marmoreis quas de ipsorum Ecclesia ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ transtuliſſe diceris ad ornatum altaris, te reddimus absolutum. Super eo verò quòd Ecclesiam sanctæ Sophiæ multis milibus marcharum diceris spoliasse, si res ita se habet, taliter per te ipsum corrigas quod feciſti quòd justa de te non remaneat materia conquerendi, provisurus attentiùs ne de cetero manus ad hujusmodi thesaurum extendas, nisi fortè tanta tibi necessitas immineret ut deficientibus necessariis aliunde, aliquid inde, moderatè tamen, te accipere oporteret; quia quàm detestabile ac damnabile in Prælatis Ecclesiarum crimen dilapidationis existat, tuam non credimus prudentiam ignorare. Datum Laterani VIII. Kal. Maij, anno undecimo.

EPISCOPO VERICENSI & Episcopo Panidensi, & Cantori sancti Pauli Constantinopolitani.

Epist. 77. De eodem argumento.

PRocuratoribus venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani & dilectorum filiorum clericorum de parte peregrinorum Constantinopoli commorantium in nostra præsentia constitutis, & in publico consistorio audientia eisdem indulta, ex parte clericorum ipsorum fuit propositum coram nobis quòd ante occupationem regiæ civitatis Veneti cum Francis Ecclesiarum spolia & possessiones ecclesiasticas dividere conjurarunt, jurantes hoc etiam quòd si Franci haberent imperium, patriarchatum Veneti obtinerent, & si patriarchatus forsan deveniret ad Francos, imperium in partem cederet Venetorum. Vnde Veneti ad servandum hujus unitatis vinculum in posterum sibi providere volentes & hereditate sanctuarium Domini possidere, à Patriarcha, cùm à præsentia nostra recederet, exegerunt & receperunt hujusmodi juramentum, ne videlicet in Canonicum sanctæ Sophiæ quemquam admitteret qui non esset Venetus natione vel apud Venetias per decennium commoratus, omnesque Canonicos in receptione sua jurare compelleret quòd in Canonicum nullum reciperent qui non præstaret simile juramentum, & quòd non eligerent nisi de Venetis Patriarcham. Hoc quoque ipsum bona fide promisisse dicebant, quòd studium & operam diligentem impenderet & quantum in se foret efficaciter laboraret ut in tota Romania nec Episcopus nec Archiepiscopus nisi Venetus crearetur. Licèt autem id in partibus Constantinopolitanis sit notum & Venetiis notissimum, ut dicebant, & apud nos jampridem fama vulgatum infami, denuntiando tamen hoc se dixerunt congruo tempore probaturos. Præterea cùm dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis; tunc apostolicæ sedis Legatus, Constantinopolim adveniſſet ut pacem inter ipsos, ad quam evangelizandam missus fuerat, reformaret, pro concordia interposuit partes suas, & sic apud partes efficaciter laboravit quòd in eum fuit ab eis pariter compromissum, dicto Patriarcha sub causæ periculo promittente, illis autem juramento firmantibus quòd quic-

quid inter ipsos per concordiam, arbitrium, vel judicium ordinaret, inviolabiliter observarent. Volens igitur Cardinalis more boni judicis lites minuere, non augere, ipsi Patriarchæ præhabita deliberatione præcepit ut clericos ipsos in Ecclesiis in quibus erant pro institutis haberet, & ipsis injunxit ut ei tamquam Patriarchæ suo reverentiam & obedientiam debitam exhiberent, ordinatione sanctæ Sophiæ, super qua, sicut Clerici asserebant, in eum similiter fuerat compromissum, ad tempus ex necessaria causa dilata, super qua tamen hoc tunc Patriarchæ sub periculo causæ mandavit, ut quod ipse postmodum statueret super ea humiliter reciperet & servaret. Et licèt iidem clerici, tamquam obedientiæ filij, mandatum Cardinalis sine dilatione qualibet fuerint executi, Patriarcha tamen suæ promissionis oblitus, cùm Legatus quosdam instituisset Canonicos in Ecclesia sanctæ Sophiæ, eique districtiùs præcepisset ut tam eos quàm illos quos dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, instituerat in eadem, sine contradictione reciperet & præbendas pacificè faceret possidere, id efficere non curavit, propter quod ei, qui per inobedientiæ vitium causæ suæ incurrerat detrimentum, obedientiam subtrahentes, ad sedem apostolicam appellarunt, festum nativitatis dominicæ proximò præteritum appellationi suæ terminum præfigentes; ad quem Patriarcha etiam postmodum appellavit. Ceterùm à procuratoribus Patriarchæ fuit propositum ex adverso quòd mandatum præfati Legati super ordinatione sanctæ Sophiæ non potuerat aut debuerat executioni mandari, cùm super hoc Canonici ejusdem Ecclesiæ ad sedem apostolicam appellassent, nec id posset sine multo Venetorum scandalo adimpleri. Præterea cùm mandatum eidem Legato fuisset ut si Patriarcha Ecclesiam supradictam ordinare negligeret vel differret, ipse procederet ad ordinationem ipsius, & Patriarcha jam in ea juxta proprias facultates competentem Canonicorum numerum statuisset, auctoritate mandati nostri nullos instituere poterat in eadem. Licèt autem procuratores ipsi quod de juramento propositum fuerat penitùs denegarent, nos tamen audivimus à quibusdam quòd cùm Veneti Patriarcham ad præstandum illud vehementer arctarent, & negato sibi passagio, civitatis etiam prohiberent egressum, nec vitare posset instantiam creditorum, quibus juramento præstito tenebatur, non nisi cum hujus clausulæ adjectione juravit, *salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia & honore.* quod Veneti tamen in instrumento super hoc confecto non permiserunt apponi. Quia ergo, sicut nobis à Domino dicitur per Prophetam, solvere debemus colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, omnes pactiones, constitutiones, & conjurationes de rebus ecclesiasticis in Ecclesiarum dispendium à prædictis laicis attentatas vel in posterum attentandas omnino cassamus, & sub interminatione anathematis præcipimus non servari. Ad hæc eidem Patriarchæ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus ut si spontaneus recognoverit se juramentum hujusmodi præstitisse, infra duos menses post susceptionem litterarum tam clero Constantinopolitano quàm Archiepiscopis & Episcopis quos præsentes habere poterit convocatis, publicè juramentum illud abjuret, & quòd ipsum non servet in posterum præstet similiter publicè juramentum, Canonicos sanctæ Sophiæ ad abjurandum hujuscemodi juramentum quod fecisse dicuntur, & jurandum quòd illud de cetero non observent, per suspensionem officij & beneficij appellatione remota compellens, Canonicos quoque in Ecclesia sanctæ Sophiæ à prædictis Cardinalibus canonicè institutos usque ad eundem terminum recipiat in eadem & canonicas suas faciat pacificè possidere, Clericos & laicos resistentes tam nostra quàm sua fretus auctoritate per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; quòd si forsan in aliquo prædictorum, quod tamen non credimus, negligens fuerit vel remissus, ex tunc ab officio & beneficio noverit se suspensum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eo in executione mandati nostri cessante, suspensionem ipsius publicare ac in ceteris exequi mandatum apostolicum procuretis, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam coercentes. Quòd si non omnes &c. duo &c. Datum ut in alia.

Vide gesta Innoc. III. cap. 99. & lib. 11. epist. 119. 166.

EPISCOPO SALIMBRIENSI, & electo Heraclienſi, & Cantori ſanctæ Sophiæ Conſtantinopolitanæ.

Epiſt. 78. Vt Patriarcha compellatur ad refundenda hyperpera.

DIlectus filius W. Præpoſitus ſanctæ Trinitatis, Drogo Cantor ſanctorum quadraginta, & Arnulfus Canonicus ſanctæ Mariæ de Zona procuratores Clericorum de parte peregrinorum apud Conſtantinopolim commorantium in noſtra propoſuerunt præſentia conſtituti quòd cùm dilectus filius noſter Benedictus tituli ſanctę Suſannæ Preſbyter Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus, de communibus proventibus debuerit procurari & in procurationes ipſius per manum cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris, qui eiſdem Clericis & venerabili fratri noſtro Patriarchæ Conſtantinopolitano communiter tenebatur, mille & ducenta hyperpera fuerint erogata, de quibus ad Patriarcham trecenta ratione quartæ ſpectabant, Patriarcha prædictus ab Imperatore & ab aliis recepit, non ſolummodò integrè partem ſuam, ſed de parte ipſorum præſumpſit alia trecenta hyperpera extorquere; ſicque à procuratoribus ſuis ſexcenta hyperpera dicti Clerici repetebant. de quibus omnibus procuratores dicebant ſe penitùs nihil ſcire. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus dictum Patriarcham ad refundenda hyperpera quæ vel de procuratione Cardinalis eum ſubtraxiſſe vel de parte Clericorum occupaſſe conſtiterit per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo mediante juſtitia compellatis. Quòd ſi non omnes &c. duo &c. Datum Laterani x v. Kal. Maij, anno undecimo.

CLERICIS DE PARTE peregrinorum apud Conſtantinopolim commorantibus.

Epiſt. 79. De obedientia præſtanda Patriarchæ.

LIcèt venerabilis frater noſter Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex eo quòd ſub periculo cauſæ in dilectum filium noſtrum Benedictum tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyterum Cardinalem, tunc apoſtolicæ ſedis Legatum, compromiſit vobiſcum & mandatum ejus poſtmodum non ſervavit, per ſuam inobedientiam veſtram ſibi videatur obedientiam ſubtraxiſſe, cùm ſuper obedientia quæſtio verteretur, volentes tamen ei gratiam exhibere, præſentium vobis auctoritate injungimus quòd uſque ad duos menſes, quod utique ſpatium ſibi ad exequendum mandatum noſtrum duximus concedendum, obedientiam eidem exhibeatis debitam & devotam, eam, ſi obedientiæ filius fuerit, ſibi ex tunc etiam impenſuri, & ſubtracturi eandem ſi forſan inobediens fuerit & rebellis, utpote ab officio & beneficio auctoritate ſedis apoſtolicæ ſuſpenſo. Datum Laterani v i i i. Kal. Maij, anno undecimo.

POTESTATI, CONSILIARIIS & populo Piſanis.

Epiſt. 80. Vt ceſſent ab omni læſione regni Siciliæ.

NEc mater filiorum ſui uteri obliviſci, nec pater offenſus etiam non diligere filios ſuos poteſt. Licèt igitur in facto Sardiniæ ac Siciliæ nos graviter offenderitis, quia tamen paterna viſcera circa vos exuere non valemus, & dilecti filij Comes Tedicus, Hug. Sigerij, Bandinus & Hug. Grotti nuntij veſtri, viri utique providi & fideles, in eo quod ad vos pertinet, ſuper facto Sardiniæ nobis ſatisfacere promiſerunt, ſicut in confecto exinde inſtrumento publico continetur, de facto regni Siciliæ nihilominus pollicentes quòd noſtrum beneplacitum impleatis, devotionem veſtram plurimùm acceptantes, de noſtra gratia reddimus vos ſecuros, & ad gratiæ plenioris indicium, dignitates, immunitates, & libertates quas Piſana Eccleſia temporibus prædeceſſorum venerabilis fratris noſtri Lotharij Archiepiſcopi veſtri noſcitur habuiſſe duximus innovandas, & ut idem Archiepiſcopus, qui eis ſucceſſit in ipſius regimine, poſſit liberiùs illis uti, privilegia, confirmationes, & indulgentias univerſas eidem Eccleſiæ ſeu prædeceſſoribus dicti Archiepiſcopi à prædeceſſoribus noſtris vel à nobis ipſis conceſſas ipſi & eidem Eccleſiæ auctoritate apoſtolica confirmamus, dantes in mandatis eidem ut L. concivem veſtrum à vinculo excommunicationis abſolvat, ita quòd uxor & ſocrus ejus ac terra nihilominus earundem in ea qua manent ſententia perſeverent donec ab eis nobis fuerit ſatisfactum. Monemus igitur univerſitatem veſtram attentiùs & hortamur quatenus in devotione apoſtolicæ ſedis & noſtra taliter perſiſtatis quòd diligendi vos & promptiùs honorandi animum nobis augere poſſitis, ac interim ab omni prorſùs regni Siciliæ læſione ceſſantes, viros ad nos idoneos deſtinetis qui ſuper indemnitate ipſius regni congruam nobis cautionem impendant, ita quòd nec per commune nec per ſpeciale in poſterum offendatur à vobis, & ſatisfactionem exhibeant ſuper facto Sardiniæ repromiſſam. Nos enim plenam juſtitiam exhibebimus,

si quis vestrum adversùs regnum ipsum quicquam habuerit quæstionis. Datum Laterani v. Idus Maij, anno undecimo.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 81. De confirmatione privilegiorum.

GRata civitatis Ecclesiæque Pisanæ servitia jamdudum apostolicæ sedi exhibita meruerunt quòd eas privilegiis multis & magnis studuit decorare. Nos ergo, qui devotis eidem sedi beneficia minuere non intendimus, sed augere, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, dignitates, immunitates, & libertates quas Ecclesia tua temporibus prædecessorum tuorum noscitur habuisse, duximus innovandas, & ut tu, qui eis in ipsius regimine successisti, possis liberiùs illis uti, privilegia, confirmationes, & indulgentias universas eidem Ecclesiæ seu prædecessoribus tuis à prædecessoribus nostris vel à nobis ipsis concessas tibi ac per se ipsi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

PRÆPOSITO, DECANO, Cantori & Capitulo majoris Ecclesiæ ac universo clero Maguntino.

Epist. 82. Vt mandata sedis apostolicæ humiliter recipiant.

EX litteris vestris accepimus quòd etsi ad tempus excommunicatis communicandum duxeritis, ad id faciendum non studij vestri voluntas, sed vera & non simulata necessitas vos induxit; quia tantæ hostilitatis furor in vestris partibus inolevit quòd, ut de aliis taceretis, civitatis vestræ muros salvis personis exire nullatenus poteratis, nec nuntios qui apud nos excusationem vestram proponerent destinare. Ac licèt super innocentia vestra validas & sufficientes possetis inducere rationes, benignitati tamen nostræ quàm disputationi potiùs innitentes, de mandato venerabilis fratris nostri Hogulini Hostiensis Episcopi & dilecti filij Leonis tituli sanctæ crucis Presbyteri Cardinalis sedis apostolicæ Legatorum à dilecto filio Abbate de Eberboch absolutionis beneficium recepistis; qui juxta mandatum ipsorum sub debito juramenti quod præstiteratis eidem vobis dedit firmiter in mandatis ut duos ex vobis, & tales quibus fidem possemus meritò adhibere, infra Dominicam qua cantatur *Lætare Ierusalem* ad sedem apostolicam mitteretis mandatum apostolicum recepturos. Cùmque dilectus filius Fredericus scholasticus sancti Victoris & Cunemannus Canonicus Ecclesiæ sancti Stephani nuntij vestri ad nos ex parte vestra cum ipsis litteris accessissent, nobis humiliter supplicarunt ut vobiscum misericorditer agere dignaremur. Nos igitur committentes vos Legatis eisdem, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus mandatum quod ab ipsis Legatis vel à nobis per litteras nostras fuerit vobis injunctum recipiatis humiliter & servetis. Datum Laterani Idus Maij, anno undecimo.

DILECTO FILIO IOHANNI sanctæ Mariæ in Cosmidin Diacono Cardinali, S. R. E. Cancellario.

Epist. 83. De quadam vvalkeria.

CVm quandam vvalkeriam in fundo sanctæ Mariæ in Cosmidin ad Cardinalem ipsius Ecclesiæ pertinentem sumptibus tuis construxeris, nobis humiliter supplicasti ut de ipsa vvalkeria taliter disponere dignaremur, videlicet quòd postquam ex ejusdem proventibus debitum Ecclesiæ fuerit persolutum, medietas proventuum provenientium ex eadem ad Ecclesiam devolvatur, de reliqua medietate fiant duæ partes, quarum unam habeat Cardinalis qui pro tempore fuerit, & reliquam hospitale per ipsius Cardinalis providentiam & consilium dispensandam. Nos igitur tuis precibus inclinati, sicut præmissum est statuimus & præcipimus inviolabiliter observari. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis & præceptionis &c. Si quis autem &c. Datum &c.

ABBATISSÆ ET CONVENTVI sanctorum Anastasij & Innocentij in Gandersem.

Epist. 84. De confirmatione libertatis ejusdem monasterij. *Vide cap.* Cùm dilecta. *De confirm. ut val. inutil.*

CVpientes olim monasterij vestri privilegia renovari, nobis humiliter supplicastis ut personis aliquibus scribere dignaremur, quæ privilegia Ecclesiæ vestræ, quæ propter viarum discrimina tutè non poterant ad nostram destinari præsentiam, inspicerent diligenter & conscriberent fideliter tenorem ipsorum sub sigillis propriis consignatum nostro conspectui præsentandum. Vnde nos vestris supplicationibus inclinati, quatuor Episcopis & totidem Abbatibus hoc injunximus exequendum. Qui mandato nostro parentes, felicis recordationis Agapiti & Iohannis prædecessorum nostrorum privilegiis præsentatis sibi diligenter inspectis, eorundem tenorem ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Præterea bonæ memoriæ Guillelmus Remensis Archiepisco-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pus, tunc Episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis Legatus, tenorem privilegiorum ipsorum sub sigillo suo ad nostram præsentiam destinavit. Et siquidem, licèt tam Legato quàm inquisitoribus supradictis in hac parte fides debuerit non immeritò adhiberi, nec tunc aliquid appareret propter quod eadem non deberent privilegia renovari, quia tamen C. majoris Ecclesiæ ac I. sanctæ crucis Hildemensis Canonici in nostra constituti præsentia proponebant Hildesemensem Ecclesiam in quasi possessione subjectionis ejusdem monasterij per centum annos & ampliùs extitisse, privilegia ipsa tunc non duximus innovanda; sed ut tam monasterio quàm Ecclesiæ memoratæ suam justitiam servaremus, dilectis filiis Pigavensi, Corbeiensi, & de Lapide sancti Michaëlis Abbatibus dedimus in mandatis ut ad locum idoneum pariter accedentes, partibus convocatis inquirerent super præmissis omnibus diligentiùs veritatem, & usque ad diffinitivam sententiam in eodem negotio procedentes, gesta omnia conscripta fideliter sub suarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam destinarent, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Qui etsi mandatum nostrum exequi cupientes, partibus in ipsorum præsentia constitutis, festinarent in causa procedere, quia tamen cujusdam occasione interlocutoriæ quam tulerunt, pars Hildesemensis Ecclesiæ vocem ad nos appellationis emisit, prædicta causa processum habere non potuit coram eis. Partibus itaque propter hoc postea comparentibus coram nobis, tu, filia Abbatissa, humiliter petivisti ut præfata deberemus privilegia renovare, præsertim cùm in præsentia prædictorum judicum Hildesemensis Ecclesia nihil ostenderet vel probaret quod monasterio vel ipsius privilegiis in aliquo derogaret. Ex adverso verò petebatur instanter ut eandem causam discretis viris committere dignaremur, per quos testes reciperentur quos contra privilegia monasterij, ad probandam videlicet præscriptionem legitimam, Hildemensis Ecclesia producere intendebat. Nos autem diligentiùs attendentes quòd jure civili sit provida deliberatione statutum ut quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, & probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non contestata testes valetudinarij & alij de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittuntur, ejusdem æquitatis similitudine provocati, prædicta privilegia jam quasi nimia vetustate consumpta, cùm fuerint non in pargameno sed papyro conscripta, duximus innovanda, ita quòd ex innovatione hujusmodi novum jus minimè acquireretur monasterio memorato, sed antiquum jus, si quod habebat, conservaretur tutiùs per privilegium innovatum. Ceterùm quia dictum monasterium ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ spectare per prædecessorum nostrorum privilegia monstrabatur, ne jus apostolicæ sedis permaneret forsitan indefensum, te, filia Abbatissa, procuratricem ipsius duximus statuendam; ut cùm adversùs Ecclesiæ Romanæ possessiones & jura nonnisi centenaria currat præscriptio, ipsa coram de Hermarhusino & de Herfethusen Abbatibus & Decano Palburnensi, quibus causam tunc commisimus, procuraret super hoc & aliis vice nostra quæ coram ipsis essent in judicio procuranda. Ne verò contingeret de ipsius statu diutiùs dubitari vel remanere prædictam causam ulteriùs indecisam, eisdem judicibus dedimus in præceptis ut locum tutum & commodum eligentes, infra sex menses post litterarum nostrarum susceptionem testes reciperent quos ad præscriptionem probandam Hildesemensis Ecclesia, vel ad interruptionem etiam ostendendam pars vestra duceret producendos, & si præscriptionem legitimam Hildesemẽsis Ecclesia comprobaret, nisi probata esset interruptio ex adverso, subjectionem ipsius monasterij adjudicarent eidem, cùm constaret ipsum in sua dioceси constitutum, privilegium quod ipsi monasterio innovari fecimus corrumpentes; alioquin eidem super hoc perpetuum silentium imponentes, monasterium vestrum pronuntiarent perpetua libertate gaudere, nostro sibi privilegio resignato. Eisdem quoque judicibus per alias nostras litteras duximus declarandum quòd postquam contra monasterium sæpedictum & libertatem ejus asserebatur præscriptio inchoata, tria schismata adversùs Romanam Ecclesiam intervenisse noscuntur. Vnde licèt tam legali quàm canonica sit diffinitione statutum ut contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, non nisi * centum annorum præscriptio locum sibi valeat vendicare, tempora tamen intercedentium schismatum, quæ secundùm juris ordinem cursum præscriptionis impediunt, nolebamus aliqua-

Vide cap. *Cùm vobis.* De præscriptionibus.

* Vide Novell. 131. Iustin. & cap. 13. 14. 15. De præscript.

tenus computari, sed diligenti consideratione adhibita, de temporum consideratione subduci. Coram quibus judicibus pars Hildeshemensis Ecclesiæ authentica privilegia vestri monasterij exhiberi in judicio & eorum copiam sibi fieri postulavit, ut per inspectionem eorum arguerent quod contra ipsa posset rationabiliter allegari. Ad quod tu, filia Abbatissa, taliter respondisti, quòd hoc supervacuò petebatur, nec super hoc pars adversa debebat audiri. Nam cùm tu, Abbatissa, intentionem tuam fundasses olim per eadem privilegia coram nobis, pars adversa nihil penitùs obiciens contra ea, ad elidendam intentionem tuam præscriptionem solummodo allegavit, ad eandem probandam postulatis induciis & obtentis. Contra quod pars Hildesementis Ecclesiæ replicavit quòd ad hoc saltem erant meritò privilegia exhibenda ut si forsan tu contrariam sententiam reportares, cum innovato à nobis privilegio à te Abbatissa judicibus ipsis exhibito, quod juxta mandatum nostrum in prænominato casu corrumpi debebat, etiam antiqua privilegia scinderentur. Cùmque coram ipsis judicibus, qui testibus utriusque partis receptis, & eorum depositionibus solemniter publicatis, de causæ meritis certiores effecti super controversiæ decisione tractabant, tu & pars adversa super privilegiorum exhibitione non desineretis adinvicem litigare, causam ipsam cum attestationibus & allegationibus ad nos remisere sufficienter instructam. Partibus itaque propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, licèt coram judicibus supradictis renuntiatum fuerit allegationibus & conclusum, ex abundanti tamen audivimus quæcunque fuerunt ex utraque parte proposita. Et licèt super privilegiorum exhibitione ac quibusdam aliis litigatum fuisset aliquandiu coram nobis, quia tamen liquidò constitit quòd nos dudum eadem privilegia præsentata nobis in judicio diligenter inspicientes & examinantes prudenter, sententialiter approbavimus utraque parte præsente, petitionem magistri Hugonis Canonici & procuratoris ejusdem Ecclesiæ decrevimus reprobandam. Investigantibus autem nobis sollicitè an præscriptio legitima, scilicet centenaria, probata esset, procurator ipse fuit de plano confessus quòd aliter probata non erat nisi per testes quosdam qui dixerant testimonium de auditu, adiciens nihilominus in hoc casu testimonium de auditu meritò admittendum, cùm vix posset aliquis inveniri qui haberet memoriam temporis tam longævi. Sed & illud deprehendimus manifestè, quòd non sufficeret Hildesemensem Ecclesiam præscriptionem centenariam probavisse, quia cùm secundùm juris ordinem & formam mandati nostri debuerint schismatum tempora de computatione subduci, & constet insuper quòd in Romana Ecclesia schismata ferè per sexaginta quatuor annos diversis vicibus infra centum annorum limitem duraverunt, non solummodo de præscriptione centum annorum, sed etiam centum sexaginta quatuor constare debuit, ut intelligeretur præscriptio centenaria consummata. Nos igitur allegationem prędictam, ut scilicet testimonium de auditu in hoc casu admitti deberet, frivolam reputantes, cùm in hujusmodi casu hoc minimè permittatur à jure, maximè cùm illud inconveniens sequeretur, ut duo possent contradictoriè opposita comprobari, quia nobis constitit evidenter monasterium vestrum, sicut præmissum est, ad Romanam Ecclesiam pertinere, ac Hildesemensem Ecclesiam centum annorum præscriptionem, quam objecerant, non probasse, de consilio fratrum nostrorum te, filia Abbatissa, nomine Romanæ Ecclesiæ, cujus fueras procuratrix, ab impetitione Ecclesiæ Hildesemensis absolvimus, statuentes ut monasterium vestrum ea de cetero gaudeat libertate quæ in innovato à nobis privilegio invenitur expressa. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Idus Maij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis Ecclesiarum in regno Franciæ constitutis.

Epist. 87. Commendat eis Gualam Cardinalem & Legatum.

TEtendisse Dominus arcum suum in internicionem populi sui quemadmodum inimicus & quasi hostis dexteram suam firmavisse videtur ut plaga inimici percuteret terram sanctam, cujus contritio magna est sicut mare, nec invenitur qui medeatur eidem. Bibit enim calicem iræ Dei profundum & latum, & amaritudine vehementi repleta, non habet ex omnibus caris suis qui sibi consolationem impendat. Clamat autem ad Dominum, nec exaudit; vociferatur ad eum vim patiens, & non salvat: quia destruxit eam & non pepercit, inimicum super ipsa lætificans, & cornu hostium suorum exaltans. Quis jam ergo Christi sanguine pretioso redemptori existere non videatur ingratus si

locum suæ redemptionis tanta videns calamitate contritum, toto sibi non compatiatur affectu? Cujus inquam saxo viscera duriora miseratione tantæ miseriæ non frangantur? Quis in tanta contumelia crucifixi tanto zelo debeat non succendi ut ad ejus injuriam repellendam ibi se pretiosæ morti, si oporteat, non evitet exponere ubi dignatus est ille pro ipso crucem ignominiosam subire; quandoquidem loca Christi nativitate sanctificata pollui conspicit spurcitiis paganorum, & ante oculos quasi Iesu pendentis in cruce blasphemantes perfidos insultare, *Si filius Dei es, nunc de cruce descendas, & salva teipsum*, quem in tuis iterum crucifigimus & in tuo, viciniam dominici diversorij minimè reverentes, nec trepidantes ne suis injuriis lacessitus de vicino præsepio infans vagiat, ac de putridis immunditiis eorundem propè sedens puerpera virgo pudescat. Hujus itaque nos doloris immensitate percussi, hujus indignitate prægrandis injuriæ provocati, multifariè multisque modis, diligenter quidem, quamquam non efficaciter, hactenus ad liberationem sanctæ Christi hereditatis intendimus, & quantum nobis altissimus ministraverit intendere non cessantes, cùm ex apostolicæ provisionis officio nobis ad præsens incumbat Legatum in regnum Franciæ de nostro latere destinare, inter cetera quæ suo ministerio sunt gerenda, negotium crucis specialiter ei commisimus promovendum. Cùm igitur idem regnum inter alia regna mundi fuerit semper & sit nobis & apostolicæ sedi devotum ac speciali prærogativa dilectum, ut affectum sinceræ dilectionis quem gerimus circa ipsum in persona Legati evidentiùs monstraremus, talem de consilio fratrum nostrorum illuc duximus delegandum quem inter ceteros fratres nostros speciali caritate diligimus & familiari benevolentia suis exigentibus meritis amplexamur, dilectum videlicet filium nostrum Gualam sanctæ Mariæ in Portico Diaconum Cardinalem, virum utique vita, fama, scientiaque præclarum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat & destruat, ædificet & plantet quæ in Ecclesia Dei evellenda & destruenda, ædificanda cognoverit & plantanda. Proinde universitatem vestram monemus attentè & exhortamur in Domino per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus præfatum Cardinalem tamquam Legatum apostolicæ sedis & magnum in Ecclesia Dei locum habentem, immo personam nostram in eo recipientes humiliter & devotè, ipsiusque salutaribus monitis & præceptis tam super orientalis Ecclesiæ subventione quàm super aliis quæ vice nostra duxerit disponenda pronis mentibus intendentes, mandata pariter & statuta ipsius tamquam devotionis filij recipiatis firmiter & servetis; de cujus nimirum circumspectione provida & providentia circumspecta indubitanter fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, ita regia via curabit incedere quòd, sicut ei viva voce dedimus in mandatis, non declinabit ad dexteram vel sinistram. Ipsi proinde universi & singuli reverentiam debitam & devotam obedientiam impendere satagatis; ne si, quod absit, à quoquam esset aliter attentatum, præter ipsius Cardinalis offensam, cujus sententiam, si quam in contumaces aut rebelles exigentibus meritis duceret promulgandam, faceremus usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari, nostram quoque indignationem incurreret, qui secundùm Apostolum omnem inobedientiam parati sumus ulcisci. Datum Anagniæ 1 v. Kal. Iunij, anno undecimo.

GVALÆ SANCTÆ MARIÆ IN Portico Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 86. Committitur ei causa divortij Philippi Regis.

PLenam gerentes de tua discretione fiduciam, causam quæ vertitur inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem & carissimam in Christo filiam nostram Ingeburgem Reginam Francorum illustres super maleficio quo idem Rex asseritur impeditus, tuæ duximus experientiæ committendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus provisa eidem Reginæ plenaria libertate, causam ipsam appellatione remota diligenter examines, & si de partium processerit voluntate, canonico fine decidas; alioquin ipsam sufficienter instructam ad nostrum remittas examen, præfigens partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam per idoneos responsales nostro se conspectui repræsentent. Datum ut in alia.

LONDONIENSI ET ROFFENSI Episcopis, & Decano Lincolniensi.

Epist. 87. De interdicto provinciæ Eboracensis servando.

INter ceteras angustias & pressuras quibus peccatis exigentibus Ecclesia subjacet Anglicana, gravem venerabilis fratris nostri Eboracensis Archiepiscopi nuper accepimus quæstionem, quòd cùm

carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Anglorum illustris ab Ecclesiis & eleemosynis Eboracensis provinciæ tertiam decimam dispositionem recipere, idem Archiepiscopus hoc præsentiens, pro tuenda ecclesiastica libertate sedem apostolicam appellavit, se ac sua & universos ejusdem provinciæ clericos sedis apostolicæ protectioni supponens. Verùm Rex ipse à proposito quod præconceperat non recedens, non solùm de dominio ipsius & ab ipso tenentibus, sed etiam à religiosis & plerisque clericis Eboracensis provinciæ tertiam decimam suorum proventuum contra ecclesiasticam libertatem recepit. Ad hæc, cùm idem Archiepiscopus, hujusmodi mala ferre non prævalens, de Anglicanis partibus recessisset ad nostram præsentiam accessurus, idem Rex ipsum ac suos temporalibus mobilibus & immobilibus spoliavit, ac jurisdictionem ejusdem circa spiritualia multipliciter juxta suæ beneplacitum voluntatis impediens, possessiones ejus & nemora in grave præjudicium Eboracensis Ecclesiæ fecit distrahi, in pluribus aliis sibi & suis injuriosus existens admodum & molestus. Quia igitur tantam Dei & Ecclesiæ suæ injuriam, non tantum propter dispendium temporalium quantum propter periculum animarum, nequaquam nos convenit conniventibus occilis pertransire, licèt super hoc venerabilibus fratribus nostris Elienſi, Wigornienſi, & Herefordenſi Episcopis apostolicas litteras duxerimus destinandas, nihilominus tamen vobis præcipiendo mandamus quatenus omni mundano timore postposito dictum Regem monere attentiùs & inducere quantocius studeatis ut suæ saluti consulens & honori, tam ipsi Archiepiscopo quàm Ecclesiis & aliis ad eum spectantibus infra trium mensium spatium postquam fuerit à vobis commonitus ablata restituat universa, & de damnis & injuriis satisfaciat competenter. Alioquin, cùm Deo magis oporteat nos deferre quàm homini, præfatum Regem ad hoc per interdictum totius Eboracensis provinciæ sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellatis, non permittentes in ipsa aliquod divinum officium præter parvulorum baptisma & pœnitentias morientium celebrari, & facientes illud usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra inviolabiliter observari. Si verò Rex ipse contra eundem Archiepiscopum aliqua duxerit proponenda, restitutione plenaria priùs facta, audiatis hinc inde proposita; & si mota quæstio ecclesiasticum forum exposcat, eam diligenter examinare curetis, ac instructam pleniùs ad nostram præsentiam remittentes, præfigatis partibus terminum competentem quo per idoneos responsales nostro se conspectui repræsentent, per nos dante Domino justitiam recepturæ. Verùm si quæstio talis fuerit quòd merè ad forum pertineat seculare, idem Archiepiscopus eam sub suo judice tractari sustineat & decidi. Provideatis autem attentiùs & appellatione remota sub pœna consimili districtiùs inhibere curetis ut quandiu quæstio mota duraverit, nihil in ipsius Archiepiscopi & suorum præjudicium innovetur, sed redeundi in Angliam & morandi plenam & liberam habeant facultatem. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Anagniæ VI. Kal. Iunij, anno undecimo.

Vide suprà lib. 10. epist. 172.

MAIORIS ECCLESIÆ & sancti Gereonis Decanis, & Præposito sanctorum Apostolorum Colonien.

Epist. 88. Committitur eis quædam causa Archiepiscopi Colonienſis. *Vide Raynald. ad ann. 1206. §. 11.*

POstquam Adulphus quondam Colonienſis Archiepiscopus in præsentia Legatorum nostrorum juravit nostris parere mandatis super iis pro quibus fuerat excommunicatione notatus, ad præsentiam nostram absolutus accessit, & gravem querelam exposuit coram nobis quòd venerabiles fratres nostri Archiepiscopus Maguntinus & Cameracensis Episcopus ac dilectus filius magister Henricus scholasticus sancti Gereonis iniquè processerant ad depositionem ipsius, tum quia mandati nostri fines excesserant, tum quia juris ordinem non servarant, adiciens eos sibi fuisse manifestè suspectos, & litteras quarum occasione processerant per expressionem falsitatis & veritatis suppressionem obtentas. Vnde petebat ut dignaremur eorum revocare processum ipsumque in eum statum reducere in quo fuerat antequam esset in eum hujusmodi sententia promulgata, offerens se præscripta omnia probaturum. Ipsi verò in nostra præsentia constituti processum suum multipliciter excusantes, asseruerunt hæc omnia penitùs esse falsa. Venerabilis autem frater noster Bruno Colonienſis Archiepiscopus, contra

contra quem ipsius Adulphi petitio dirigi videbatur, non contestando litem, nec ingrediendo judicium, elidens petitionem ipsius, quodam oppido quod dicitur Nuxia se per eum asseruit spoliatum, quod per violentiam detinebat. Vnde cùm spoliatus spoliatori non debeat secundùm canonicas sanctiones in judicio respondere, dicebat eundem Adulphum audiendum non esse nisi prædictum sibi esset oppidum restitutum. Nos igitur auditis iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis, de communi fratrum nostrorum consilio ita duximus providendum, ut quoniam æstatis imminente fervore propter aëris intemperiem neutri securum erat in urbe moram protrahere longiorem, ne interim propter hoc pacis negotium, quod tractatur circa imperium, turbaretur, adventum Domini proximò futurum peremptorium terminũ utrique præfiximus, in quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, ut tam super spoliatione quàm aliis super quibus curaverint prosequi causam tuam, auctore Domino procedamus sicut fuerit procedendum, prædictus autem Bruno Archiepiscopus jurisdictionem archiepiscopalem in omnibus exequatur, & universi tam Clerici quam cives, ministeriales, Barones, & nobiles, seu quilibet ordinis cujuscunque in Colonienſi provincia constituti ei respondeant super cunctis in quibus teneri Archiepiscopo dinoscuntur. Memoratum verò Adulphum castris illis non providimus interim spoliandum quæ ante Archiepiscopi sæpedicti captivitatem noscitur tenuisse, inhibentes eidem ne præfatum Brunonem Archiepiscopum, Ecclesias, vel civitatem Colonienſem vel ministeriales beati Petri per se vel per alium molestare præsumat, sed & temporalia universa quæ idem Archiepiscopus obtinet, sibi & suis in pace dimittat. Vniversa verò quæ de beneficiis ecclesiasticis ab excommunicationis suæ tempore attentavit in irritum revocamus, hoc pronuntiantes nihilominus ad cautelam, quòd etsi delegati prædicti ad depositionem ipsius minùs legitimè processissent, quod ipsi tamen inordinatè fecissent nos possemus facere ordinatè. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod à nobis taliter est provisum faciatis auctoritate nostra sine refragatione qualibet firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Idus Maij, anno undecimo.

IOHANNI REGI
Anglorum illustri.

Epist. 89. De negotio Cantuariensi. Vide suprà lib. 10. epist. 219.

SI diligenter attendas quòd is qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, profectò non injuriosum sed gloriosum potiùs reputabis coram suo sibi humiliari Vicario qui est Rex Regum & Dominus dominantium, per quem etiam Reges regnant & Principes principantur, cui servire nihil est aliud quàm regnare. Hoc utique tantum tui redemptoris exemplum regium debet animum inclinare ut in quo te pro Dei reverentia coram nobis humiliare cœpisti, aliud non retineas quod humilitatis hujusmodi plenum posset meritum impedire, nec ad humiliandum te sub potentissima manu Dei contrariis affectibus capiaris, sed Regis more prudentis animo dominatus, totam ad illud inflectas arbitrij libertatem, sententiam Salomonis Regum sapientissimi considerando dicentis: *Melior est patiens viro forti, & expugnatore urbium qui animo dominatur.* Ingredere igitur, fili dilectissime, ad cor tuum, & urbem hostium in ipso contra te aggredere communitam. Admove circa ipsam divini timoris arietem, salutifero cujus impulsu adversùs te in teipso consistentia castra confringas; ut remotis hostilium machinarum obstaculis, contrariam tibi arcem prorsùs expugnes, ac demum in hac interiori pugna idem ipse victus & victor, tyranno penitùs inde fugato, mentis tuæ pacifices civitatem, in qua residens & præsidens sicut Rex, circa negotium de quo agimus affectum carnis sub dominio redigas rationis. Gaudemus autem in Domino & in potentia virtutis ipsius quòd hoc salutiferæ pugnæ modo vim tibi tecum confligendo feciſſe videris, & circa negotium Cantuarienſis Ecclesiæ, in quo fortè plus debito tuo duximus deferendum honori, non quidem ut consuetudinem approbaremur iniquam, sed ne juri tuo videremur aliquatenus derogare, majori jam ex parte ab inconsulto proposito & improvido consilio recessisti, per dilectum filium Abbatem Belliloci, per quem apostolatui nostro scripsisti ut ea quæ nobis ex tua parte proponeret crederemus, liberaliter offerendo quòd licèt in ipso negotio te repures multipliciter aggrauatũ, ob devotionẽ tamen

Vide lib. 11. epist. 220.

Vide epist. seq. & gesta Innoc. III. cap. 132.

& reverentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asseris te habere, paratus es venerabilem fratrem nostrum Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum S. R. E. Cardinalem sicut Archiepiscopum Cantuariensem recipere & tractare, præstita securitate tam sibi quàm suis quæ ad hoc visa fuerit opportuna; & restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter & Ecclesiis faciendam. Monachos quoque Cantuariensis permittes ad Ecclesiam suam redire ac manere securos, quamquam hoc tibi grave plurimùm videatur ex eo quòd in ipso negotio contra te credis eosdem proditoriè machinatos. Regalia verò per eundem Abbatem in nostris manibus posuisti, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Qui nimirum interrogatus cur non eadem ipse conferres, sed potiùs nobis traderes conferenda, respondit quòd nondum animus tuus potuerat inclinari ut familiarem eidem Archiepiscopo gratiam exhiberes. Nos igitur iis auditis, de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut & reciperemus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici quàm regalis, & Archiepiscopo memorato tribui mandaremus, si forsan ad hoc induci nequiveris ut ea sibi conferas per teipsum, ita quòd ipse tibi pro ipsis quemadmodum sui prædecessores tuis progenitoribus teneatur, venerabilibus fratribus nostris Londonienſi, Elienſi, & Wigornienſi Episcopis per nostras dantes litteras in mandatis ut nisi requisitus ab ipsis ea sibi volueris ipse conferre, ipsi, proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, dictoque Archiepiscopo conferant vice nostra, & iis quæ superiùs sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo præfatum Archiepiscopum, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci; quem profectò monemus & per nostras litteras exhortamur ut suam ponens principaliter spem in Domino, circa te talem se satagat exhibere quòd ad profectum Ecclesiæ sibi commissæ meliùs promovendum familiaritatis & gratiæ tuæ possit sibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor Regis existit, & quocunque voluerit vertet illud, quòd sicut in hoc negotio consilium tuum in parte dirigere jam incepit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu; ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exequendam ei non solùm impedimentum non inferas, sed adjumentum impendas. Licèt igitur in præmissis tuam devotionem plurimùm acceptemus, attendentes tamen non tam nobis quàm tibi existere honorificum ut per te ipsa regalia conferantur, serenitatem regiam rogamus attentiùs & propensiùs exhortamur, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus hoc nobis liberaliter concedas in donum ut per te ipsum memorato Archiepiscopo præfata regalia largiendo, debitam ab eo fidelitatem recipias, nostris in hoc potissimùm consiliis acquiescens magnificentiæ tuæ absque dubio profuturis. Iam ergo de mansuetudine regali securi, & de ipsius Archiepiscopi providentia non incerti, ipsum & Cantuariensem Ecclesiam summo Deo & in ipso tibi fiducialiter commendamus, sperantes & pro certo tenentes quòd erga te se talem exhibere curabit quòd tuam sibi ex merito comparabit gratiam & favorem, ac in rerum experimento cognosces quàm fideliter & veraciter apud te institerimus pro eodem. Datum Anagniæ VI. Kal. Iunij, anno undecimo.

CANTVARIENSI *Archiepiscopo S. R. E. Cardinali.*

Epist. 90. De eodem argumento. *Vide epist. 85. & gesta Innoc. III. cap. 131.*

CArissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Anglorum illustris nuper nobis per dilectum filium Abbatem Belliloci litteras hujusmodi destinavit, ut quæ nobis ex parte sua proponeret crederemus. Ipse verò proposuit quòd licèt se in negotio Cantuariensis Ecclesiæ reputaret multipliciter aggravatum, ob devotionem tamen & reverentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asseerit se habere, paratus est sicut Cantuariensem Archiepiscopum te recipere ac tractare, præstita securitate tam tibi quàm tuis quæ ad hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter & Ecclesiis faciendam; monachos quoque Cantuariensis permittet ad Ecclesiam suam redire ac manere securos, quamquam hoc sibi grave plurimùm videatur ex eo quòd in ipso negotio contra se credit eosdem proditoriè machinatos. Regalia verò in manu nostra posuit per eundem Abbatem, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Interrogatus autem cur non idem ipsa conferret, sed potiùs nobis traderet conferenda, respondit quòd

nondum animus ejus potuerat inclinari ut familiarem tibi gratiam exhiberet. Nos igitur iis auditis, dè consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut & reciperemus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici quàm regalis, & tibi etiam tribui mandaremus, ita quòd sibi pro ipsis quemadmodum tui prædecessores suis progenitoribus tenearis. Vnde venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi, & Wigorniensi Episcopis per nostras damus litteras in mandatis ut, proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, tibique conferant vice nostra, si forsan idem Rex, cui super hoc affectuosissimè scribimus, induci nequiverit ut ipse conferat ea tibi, & his quæ superiùs sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo te, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Monemus ergo fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus tuam ponens principaliter spem in Domino, circa præfatum Regem talem te satagas exhibere quòd ad profectum Ecclesiæ tibi commissæ meliùs promovendum familiaritatis & gratiæ suæ possis tibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor Regis existit, & quocunque voluerit vertet illud, quòd sicut in hoc negotio consilium ejus in parte dirigere jam incepit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu, ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exequendam tibi non solùm impedimentum non inferat, sed adjumentum impendat. Datum ut in alia.

Epist. 90. eodem argumento.
Epist. 83. Festa Innoc. cap. 132.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Wigorniensi Episcopis.

Epist. 91. De eodem argumento.

FRaternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus mandatum quod super negotio Cantuariensis Ecclesiæ per alias litteras nunc ultimò vobis facimus diligenter per omnia observantes, cùm universa quæ continentur sub ipso fuerint rite peracta, si fortè super aliquo quicquam quæstionis emerserit, à carissimo in Christo filio nostro Iohanne Rege Anglorum illustri idonea cautione recepta quòd nostro consilio & mandato pareat super eo, interdicti sententiam nihilominus relaxetis. Datum ut in alia.

NICOLAO ABBATI monasterij sanctæ crucis quod dicitur de Saxovivo.

Epist. 92. De confirmatione privilegiorum.
Vide lib. 13. epist. 107.

IN privilegio felicis memoriæ Paschalis Papæ secundi de verbo ad verbum sic perspeximus contineri. PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Alberto Abbati monasterij sanctæ crucis quod dicitur de Saxovivo ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Divinis præceptis & apostolicis monitis informamur ut pro Ecclesiarum omnium statu impigro vigilemus effectu. Eapropter Ecclesiam sancti Apolenaris juxta Sambrum fluvium tuæ tuorùmque successorum sollicitudini regendam disponendamque committimus. Quam videlicet Ecclesiam Mevanius judex in juris proprij fundo constituens, beato Petro sanctæque ejus Romanæ Ecclesiæ obtulisse memoratur; ubi etiam seipsum secularibus curis exutum ordini monastico mancipavit. in quo nimirum loco jamdudum disciplinæ dissolutio contigit. Ad reformandam igitur ordinis monastici disciplinam, supradictam beati Apolenaris Ecclesiam tibi tuisque successoribus committentes, monasterio vestro, quod per Dei gratiam disciplina dicitur ac religione pollere, tamquam membrum capiti in perpetuum counimus, statuentes ut universa ad supradictam Ecclesiam pertinentia in vestra semper dispositione permaneant, nec nulli deinceps personæ liceat aut ipsam Ecclesiam aut prædia vel bona quælibet ad eam pertinentia quibuslibet in locis sita à monasterij vestri possessione subtrahere; sed sic in perpetuum conservetur sicut in præsentis decreti pagina officij nostri sancit auctoritas. Si quis autem, quod absit, ausu temerario huic nostro decreto contraire tentaverit, honoris & officij sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Sanè pro eadem Ecclesia censum denariorum quatuor quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij XVI. Kal. Aprilis, Indict. IX. incarnationis dominicæ anno MCXVI. pontificatus autem Domini Paschalis II. Papæ anno septimo decimo.] Nos igitur ipsius prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, ut ejus constitutio debitum consequatur effectum, eandem constitutionem præsenti pagina

innovamus, statuentes ut nulli omnino hominum &c. nostræ confirmationis & innovationis &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ III. Kal. Iunij, anno undecimo.

NOBILIBVS VIRIS RINGRAVIO & Vberto de Sunnemburch.

Epist. 93. Temporalia archiepiscopatus Maguntinensis eis committuntur.

QVanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum sinceriori diligimus in Domino caritate, tanto circa suas justitias conservandas abundantiorem ei favorem nos convenit impertiri. Cùm igitur ipse de fide ac prudentia vestra confidens, negotia sua vobis commiserit procuranda, nobilitatem vestram monemus attentiùs & hortamur quatenus universa jura temporalia Maguntinensi Archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quæ ad regalia pertinere noscuntur, ad opus & mandatum ipsius taliter procuretis quòd de fideli & prudente possitis sollicitudine commendari. Nos enim Principibus, Comitibus, Baronibus, ministerialibus, & aliis in Maguntinensi dioceſi constitutis, apud quos idem Archiepiscopus hujusmodi habet jura, direximus scripta nostra ut super ipsis vobis, prout tenentur, respondeant vice sua. Datum Anagniæ III. Non. Iunij, anno undecimo.

ABBATIBVS, PRÆPOSITIS, ET universo clero & populo Maguntinensi.

Epist. 94. De eodem argumento.

QVanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum &c. *usque* impertiri. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura tam spiritualia quàm temporalia Maguntinensi Archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quæ ad regalia pertinere noscuntur, procuranda commiserit vice sua, curetis, prout tenemini, respondere de ipsis. Alioquin venerabili fratri nostro Archiepiscopo Treverensi & dilectis filiis Abbati de Remestorf Treverensis dioceſis & Archidiacono Treverensi dedimus in mandatis ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum ut in alia.

ABBATIBVS, PRÆPOSITIS, & universo clero, Comitibus, Baronibus, ministerialibus, & aliis in Maguntinensi dioceſi constitutis.

Epist. 95. Super eadem materia.

QVanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum &c. *usque* impertiri. Monemus ergo universitatem vestram & exhortamur attentiùs, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura &c. *usque* de ipsis. Alioquin venerabili fratri nostro Archiepiscopo Treverensi &c. *ut suprà usque ad finem.* Dat. eadem.

PRÆPOSITO, DECANO, & Capitulo Sueſſionensi.

Epist. 96. Vt Robertus Vaisliaci permittatur gaudere præbenda Sueſſionensi.

OLim bonæ memoriæ Sueſſionensi Episcopo in partibus Constantinopolitanis agente, officiales ipsius per litteras nostras rogandos duximus & monendos, nihilominus ipsis præcipiendo mandantes ut dilecto filio Roberto Vaisliaci Diacono ecclesiasticum beneficium non habenti præbendam in Sueſſionensi Ecclesia, si qua vacaret ibidem, pro reverentia beati Petri & nostra sine qualibet difficultate conferrent; alioquin primò vacaturam donationi nostræ præcepimus reservari personæ idoneæ conferendam, vobis dantes etiam in præceptis ut ad præbendam, si qua in vestra Ecclesia tum vacaret, vel quam primò vacare contingeret, nullum recipere præsumeretis in Canonicum nisi cui nos conferendam provideremus eandem. Cùm autem postmodum quædam in Ecclesia ipsa vacasset præbenda, præfatus Episcopus interim de sua peregrinatione reversus, ipsam, apostolico præcepto contempto, nepoti suo de facto, cùm de jure nequiverit, pro sua voluntate conceſſit. Deinde verò, licèt vos nobis scripseritis contra clericum antedictum, quòd nequaquam idoneitatis meritis juvaretur ad hujusmodi beneficium obtinendum, dictusque nepos Episcopi processu temporis à nobis postularit instanter ut præbendam ipsam confirmare ipsi auctoritate apostolica dignaremur, nos tamen reputantes indignum mandatum apostolicum sic eludi, petitionem ejus in hac parte nullatenus voluimus exaudire. Verùm præfatus clericus apud sedem apostolicam longo tempore moram trahens sedulus expectavit si forsan aliquis compareret qui vellet in personam ejus aliquid obicere ac probare propter quod ei de jure beneficium ecclesiasticum ne-

garetur. sed tandem nullo sibi super hujusmodi adversario comparente, nobis humiliter supplicavit ut dignaremur eidem misericorditer providere. Nos igitur ejus petitionibus inclinati, dilectis filiis Abbati sancti Auberti, Decano, & magistro R. de Bekerel Canonico Cameracensi districtè dedimus in præceptis ut sine dilatione qualibet post susceptionem mandati nostri prædicto Episcopo & vobis spatio trium mensium assignato, nisi infra idem spatium aliquod canonicum coram eis ostensum foret pariter & probatum propter quod erga ipsum gratia non deberet apostolicæ provisionis impleri, ex tunc iidem sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ipsum Episcopum vel qui gereret vicem ejus, si forsan ipsum abesse contingeret, & vos etiam ut eundem R. recipientes in Canonicum & in fratrem, ei prænominatam præbendam curaretis conferre vel in æquivalenti sibi aut majori sine difficultate qualibet providere, per censuram ecclesiasticam compellere non differrent, facientes ei sufficienter ab ipsis in victus & vestitus necessariis provideri donec provisum esset eidem in altero præmissorum, contradictores & rebelles districtione simili appellatione postposita compescendo. Ceterùm executores prædicti, sicut ex litteris ipsorum accepimus, partes ad suam præsentiam evocarunt, & cùm vobis nostræ litteræ fuissent exhibitæ, nihil objecistis in personam prædicti R. infra spatium nostris litteris denotatum, propter quod ipsum ab impetitione vestra denuntiaverunt penitùs absolutum. Sed Thesaurarius ejusdem Ecclesiæ, qui tunc vices agebat Episcopi memorati, aliqua in personam ipsius objecit, & testes produxit ad ea quæ objecerat confirmanda. Sed postquam ipsos diligenter examinare curarunt, nil sufficiens in eorum testimonio invenerunt per quod idem indignus apostolicæ provisionis gratia videretur. Id ergo in publicum per sententiam proferentes, Thesaurario prædicto auctoritate nostra dederunt firmiter in mandatis ut eidem R. in præbenda Suessionensi vel æquivalenti aut majori juxta mandati nostri continentiam provideret; qui ad hoc se paratum proponens, præbendam in Roiensi Ecclesia ipsi obtulit coram eis; quam cùm dictus Clericus refutaret, asserens quòd Suessionensi præbendæ dignitate non erat nec valentia æquipollens, adjecit quòd de primo vacatura in Ecclesia Roiensi alius clericus auctoritate nostra canonicari debebat. Sed ad utrumque Thesaurarius respondit se legitimè probaturum præbendæ Suessionensi æquipollere in valentia Roiensem præbendam, & si in probatione deficeret, æquivalentem vel majorem ei in Suessionensi Ecclesia vel alibi assignaret, & si præbendam Roiensem acciperet, eum faceret pacifica ipsius possessione gaudere. Cùmque idem R. postularet instanter ut de receptione ipsius ad Suessionensem præbendam nobis scribere procurarent, noluerunt facere quod petebat, eò quòd Thesaurarius ad nostri executionem mandati se paratum firmiter asserebat. Sed altercationibus inter eos exortis de valentia præbendarum, præfatus R. se ac sui processum negotij ad sedem apostolicam postulavit remitti. Quod cùm parti alteri placuisset, negotium ad nostram præsentiam remiserunt. Partibus itaque in nostra præsentia constitutis, & volentibus ad invicem litigare, dilectum filium nostrum Gualam sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem eis concessimus auditorem; in cujus præsentia cùm aliquandiu litigassent, idem Cardinalis nobis fideliter retulit quæ fuerunt proposita coram eo. Nos igitur attendentes dictam præbendam, quam donationi nostræ mandavimus reservari, in elusionem mandati apostolici dicto clerico assignatam fuisse, quicquid de ea factum est auctoritate apostolica irritantes, eandem præbendam adjudicavimus R. Diacono memorato, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eundem R. recipientes in Canonicum & in fratrem, præbendam eandem permittatis ipsum pacificè possidere. Nos enim dilectis filiis Decano, Succentori, & Miloni de Lagereio Canonico Remensi nostris damus litteris firmiter in præceptis ut contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Datum Laterani VIII. Idus Maij, anno undecimo.

Epist. 97. De eadem re.

IN eundem ferè modum scriptum est electo *usque* eidem Capitulo per scripta nostra districtè præcipiendo mandantes ut eundem R. recipiens in Canonicum & in fratrem, præbendam ipsam permittat eum pacificè possidere. Nos enim dilectis filiis Decano, Succentori, & Miloni de Lagereio Canonico Rem. &c. *ut in alia.* Dat.

Epist. 58. De eadem re.

IN eundem ferè modum scriptum est eisdem usque districtè præcipiendo mandantes ut eundem R. recipientes in Canonicum & in fratrem, præbendam ipsam, quam per dilectum filium Suessionensem electum ei præcipimus assignari, permittant eundem R. pacificè possidere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus quatenus contradictores & rebelles, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VII. Idus Maij, anno undecimo.

DECANO ET CANONICIS Gurcensibus.

Epist. 59. De electione Episcopi Gurcensis.

TVrbulentissimam quæstionem & plurimùm intricatam super electione Pontificis in vestra ecclesia facienda inter vos & Salzburgensem Ecclesiam temporibus bonæ memoriæ *Alexandri & Lucij prædecessorum nostrorum non sine magnis expensis & gravibus laboribus agitatam nostris quoque temporibus contigit suscitari, parte vestra firmiter asserente quòd libertas eligendi vobis Pontificem ad vos tam de jure communi quàm antiqua consuetudine ac speciali privilegio competebat. Vnde procurator vester postulavit à nobis ut faceremus vos pacifica libertatis ipsius possessione gaudere, partem alteram compellendo à vestra super hoc indebita molestatione cessare. Cui cùm ex altera parte quædam obiceretur sententia quæ super hoc pro Salzburgensi dicebatur Ecclesia promulgata, idem procurator asseruit nullam penitùs super hoc sententiam fuisse prolatam. Verùm exhibitis nobis quibusdam litteris bonæ memoriæ Friginsensis Episcopi & Abbatis sanctæ crucis, quæ videbantur latam ab ipsis dictam sententiam continere, idem proposuit subsequenter quòd cùm dicti Episcopus & Abbas non fuerint ordinarij judices, nec constaret quòd fuerint arbitri communiter electi à partibus, vel judices à sede apostolica delegati, quod statuerant robur habere non poterat firmitatis, contendens vos hactenus liberè vobis Pontificem elegisse, quem usum sufficienter se asseruit probaturum. Cùmque fuisset ei ex adverso responsum prædictos judices ex delegatione jamdicti Alexandri Papæ tertij prædecessoris nostri habuisse auctoritatem negotium terminandi, super eligendi usu & commissione ipsa venerabi-

*Vide Aventin. lib. 7. sub initium.

libus fratribus nostris Brixinensi, Frisingensi, & Tergestino Episcopis receptionem testium quos alterutra partium vellet producere duximus committendam. Partibus autem postea in nostra præsentia constitutis & attestationes super illis duobus articulis offerentibus nobis clausas, procurator vester fuit in judicio protestatus quòd non credebat super hoc sententiam latam fuisse, & si fortè fuisset lata, per metum utique fuerat contra vestram Ecclesiam judicatum; quem ad nos secretò vocavimus, & de metus inquisivimus qualitate. Sed cùm nobis metum hujusmodi expressisset qui sufficienter probatus minimè videbatur auferre adminiculum parti vestræ, ac se nolle probare alium fateretur, postulans inducias ad metum quem expresserat comprobandum, nos ad concordiam intendentes tam sibi quàm procuratori partis alterius consuluimus ut adventum venerabilis fratris nostri Salzburgensis Archiepiscopi expectarent, qui venturus tunc temporis ad sedem apostolicam sperabatur. Qui, cùm nequaquam venisset diutiùs expectatus, & quidam ex vobis interim ad vestram Ecclesiam accessissent, secum quosdam testes redeuntes duxerunt per quos alium metum, scilicet quòd per Comitem Palatinum & germanos Salzburgensis Archiepiscopi qui tunc erat compulsi fuerant contra se Gurcenses Canonici confiteri, prædictus probare voluit procurator, tunc demum confitens sententiam latam fuisse, proponens quòd cùm in jure civili habeatur expressum quia quod vi metusve causa gestum est Prætor nullo tempore ratum habeat, nec illo tempore rata debebat haberi sententia quæ occasione metus lata fuerat à judicibus memoratis, ad hoc idem probandum quasdam alias rationes inducens. Idem præterea procurator obtulit juramentum quòd de novo in suam notitiam devenerat talis metus. Quare audiri debebat illa consimili ratione, quòd si quisquam tempore contracti matrimonij præsens fuit, nec tunc aliquid proposuit contra ipsum, & illud velit processu temporis accusare, ac consanguinitatem inter contrahentes existere juraverit se postea didicisse, auditur accusans. Item ex variatione hujusmodi proponebat vestram Ecclesiam non debere periculum sustinere; quia nonnunquam Prætor variantem admittit, nec mutantis consilium aspernatur. Ad hæc proposuit pars adversa quòd

Cap. A nobis. Qui matrim. acc. poss.

bonæ memoriæ * G. Salzburgensis Archiepiscopus de conniventia & consensu tam apostolicæ sedis quàm imperatoriæ celsitudinis in quadam parte suæ dioceſis Gurcensem episcopatum creavit, constituens ut * Gurcensis Episcopus tam in spiritualibus quàm etiam temporalibus Salzburgensis Archiepiscopi perpetuus foret Vicarius. Vnde cùm electio Vicarij, sicut & Vicedomini, ad eum solummodo de jure pertineat cujus Vicarius efficitur aut etiam Vicedominus, profectò Gurcensem Episcopum asserebat ratione patronatus & vicariæ à Salzburgensi fore Archiepiscopo eligendum, adiciens quòd procurator ipse audiri aliquatenus non debebat multiplici ratione, tum quia confessus fuerat quòd metum alium proponere non volebat, tum quia cùm à principio latam sententiam negavisset, per fraudem postmodum contrarium est confessus, tum etiam quia confessus fuerat vos Salzburgensi Archiepiscopo in talibus obedientiam præstitisse post sententiam memoratam; per quæ præsumebatur vos eandem sententiam approbare. Proposuit insuper quòd postquam vos præfato Lucio III. prædecessori nostro de ipsa sententia querimoniam obtulistis, ab eo fuit eadem sententia confirmata, quòdque vos sponte per multos annos sententiæ paruistis eidem. Quas rationes pars vestra responsionibus diversis elidens adjunxit quòd post translationem Archiepiscopi memorati ad Ecclesiam Maguntinam Ecclesia vestra supradicto prædecessori nostro Lucio Papæ, quando potuit reclamare, super violentia exposuit quæstionem; sed ipse, sicut in privilegio quod super electione, institutione, ac consecratione Gurcensis Episcopi felicis recordationis Alexander Papa II. dicebatur Salzburgensi Ecclesiæ concessisse, ita & in sententia circumventus, asserens se diligenter examinasse, ac verum illud privilegium invenisse quod nos falsum vel falsatum reperimus manifestè, eam vobis absentibus confirmavit. Nos autem iis & aliis intellectis quæ coram nobis partes multipliciter allegarunt, interloquendo concessimus ut procurator vester probandi metum illum facultatem haberet, præstito juramento se illum postea didicisse; sicque testes produxit quos per dilectos filios nostros Leonem tituli sanctæ crucis Presbyterum & Gualam sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinales examinari mandavimus, & eorum depositiones conscribi. Ceterùm quia prædicti Archiepiscopi procurator tam super hoc quàm super eo quòd vos asseruit spontanea voluntate sententiæ paruisse, necnon etiam quòd tam metu quàm aliis coram sæpedicto Lucio Papa in judicio allegatis idem prædecessor noster per privilegij paginam præfatam sententiam confirmavit, testes in vestris partibus producere intendebat, præfato Episcopo Brixinensi & Aquilegensi Præposito & Scholastico Augustensi dedimus in mandatis ut testes quos utralibet pars super præmissis articulis & super transactione quæ post tempus sententiæ dicebatur facta fuisse aut in personas testium duceret producendos recipere procurarent, & attestationes redactas in scriptis nobis similiter transmittentes, præfigerent tam vobis quàm parti adversæ terminum competentem quo vos nostro repræsentaretis conspectui sententiam recepturi, nisi forsan interim ad amicabilem concordiam venire possetis, quam utrique parti credebamus plurimùm expedire. Qui juxta mandati nostri tenorem recipientes testes utrinque productos, cùm inclinare vos ad compositionem amicabilem nequivissent, procuratores vestros & partis adversæ cum attestationibus & scriptis authenticis sub sigillis propriis fideliter consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Quibus postmodum in nostra præsentia constitutis, nos universis attestationibus publicatis, & tam eis quàm scriptis authenticis utriusque partis diligenter inspectis, & intellectis attentè quæcunque procuratores ipsi proponere curaverunt, apud eosdem pro amicabili concordia, ad quam ab ipso litis exordio vos & partem alteram induxisse dinoscimur, institimus diligenter. Quibus nostris acquiescentibus monitis, Præpositus Ecclesiæ vestræ ac magister G. vestras exhibuerunt litteras coram nobis; per quas constabat eosdem à vobis recepisse mandatum, non solùm agendi & respondendi, sed etiam componendi. Magister quoque Marcualdus & R. Salzburgensis Archiepiscopi procuratores, etsi litteras Archiepiscopi non exhibuerint per quas probarent se supra concordia facienda recepisse mandatum, in consistorio tamen publicè juraverunt quòd super hoc mandatum ab Archiepiscopo memorato receperant juxta formam sibi ab Archiepiscopo eodem expressam nobisque insinuatam ab ipsis, & quòd præfatus Archiepiscopus mandatum ipsum, eis scientibus,

* Gebehardus. Vide tit. 1. Metrop. Salisburg. pag. 78.

* Vide gesta Innoc. III. cap. 130.

ab eis nullatenus revocarat, quòdque ipsi darent fideliter operam efficacem ut compositionem faciendam à nobis idem Archiepiscopus observaret. Nos igitur postmodum deliberato cum fratribus nostris consilio, attendentes tam vobis quàm adversæ parti multipliciter expedire controversiam ipsam concordia potiùs quàm judicio terminari, compositionem hujusmodi de partium conniventia inter vos duximus faciendam, ut Episcopo vestro defuncto, Salzburgensis Archiepiscopus vocatus à vobis ad Ecclesiam Gurcensem accedat, & tres personas, unam videlicet de gremio ejusdem Ecclesiæ, quam utiliorem bona fide crediderit tam ad regimen præsulatus quàm etiam officium vicariæ, ac duas extraneas, vobis denominare procuret, vos verò seorsum super denominatis vobis personis diligenti deliberatione tractetis, & vobis tandem ac eodem Archiepiscopo in Capitulo residentibus, is ex denominatis personis ab Archiepiscopo primùm in Episcopum & Vicarium & consequenter à vobis in Episcopum eligatur in quem omnes vel saltem major pars vestrum penitùs consensissent, ac postmodum electione ipsa per Decanum vel Præpositum seu quemlibet alium Ecclesiæ vestræ Canonicum ad hoc à Capitulo deputatum solemniter publicata, electum ipsum Salzburgensi Archiepiscopo, utpote Metropolitano vestro, præsentare curetis, ab eodem confirmationis beneficium recepturum, cui Metropolitanus ipse sine difficultate qualibet tam confirmationis quàm consecrationis munus grataner impendat. Ne verò cujusquam machinationis astutia circa hoc aliquid in Ecclesiæ vestræ dispendium attentetur, auctoritate omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, ex parte quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, excommunicationis sententiam interponimus, quam Salzburgensis Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, incurrat si quando de gremio Ecclesiæ vestræ quemquam denominare præsumpserit nisi quem ad præsulatus regimen & officium vicariæ utiliorem æstimaverit bona fide. Quam compositionem procuratores ipsi pariter approbantes, eandem humiliter receperunt. Nos etiam ad postulationem eorum compositionem eandem juxta præscriptam formam factam à nobis, & ab ipsis procuratoribus, sicut præmissum est, approbatam, auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut nec sententia nec privilegium aut quodlibet aliud instrumentum huic compositioni unquam obsistat, quin etiam quantum ad hoc penitùs sint invalida, ut ipsa compositio sine quovis obstaculo robur obtineat perpetuæ firmitatis. Nulli ergo &c. nostræ compositionis, confirmationis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ Nonis Iunij, anno undecimo.

IN eundem modum scriptum est Salzburgensi Archiepiscopo.

EPISCOPO AMBIANENSI.

Epist. 100. De suppleenda negligentia patronorum.

OBlatæ nobis tuæ fraternitatis litteræ continebant quòd cùm interdum quidam qui jus patronatus in quibusdam Ecclesiis tuæ diœcesis obtinent, auctoritate nostra mereantur excommunicationis vinculo innodari, easdem Ecclesias multo tempore vacare contingit, patronis ipsis propter excommunicationis impedimentum potestatem non habentibus præsentandi. Vnde quæsivisti à nobis an post sex menses in tali casu tibi liceat easdem Ecclesias personis idoneis assignare. Quocirca fraternitati tuæ præsentium insinuatione mandamus quatenus patronos ipsos moneas efficaciter & inducas ut pro iis satisfacere studeant pro quibus dinoscuntur excommunicatione notati, ut sic beneficio absolutionis obtento, personas idoneas ad prædictas Ecclesias valeant præsentare. Si verò tuis monitis obedire contempserint, post sex menses à tempore vacationis appellatione remota personis idoneis Ecclesias memoratas assignes, ita quòd ex hoc patronis ipsis nullum in posterum præjudicium generetur. Datum Anagniæ Idibus Iunij, anno undecimo.

EIDEM.

Epist. 101. Non debet separari matrimonium quando ambo conjuges sunt adulteri. Cap. Tua fraternitas. De adulteris.

TVa fraternitas requisivit à nobis utrum aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium manifestè, an uxore agente pœnitentiam de commisso & veniam humiliter postulante, vir cogi debeat ut eandem maritali affectione pertractet. Super quo tibi taliter respondemus, quòd cùm paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare. Datum ut in alia.

NIVER-

NIVERNENSI ET AVRELIANENSI Episcopis, & Abbati Curiæ Dei Cisterciensis ordinis.

Epist. 102. Vt palleum diligenter Archiepiscopo Remensi.

CIrca venerabilem fratrem nostrum Albericum Remensem Archiepiscopum videmus & gaudemus impletum quod legimus & recolimus in psalmo prædictum: *Considerat peccator justum & quærit perdere eum; Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit ipsum cùm judicabitur illi.* Sanè cùm olim venerabiles fratres nostri Parisiensis & Atrebatensis Episcopi ac dilectus filius Abbas de Clarimarisco eundem Albericum, tunc Parisiensem Archidiaconum, virum utique vita, fama, scientiaque præclarum, secundùm formam mandati quod à nobis acceperant præfecissent Remensi Ecclesiæ in pastorem, Theobaldus de Pertico Archidiaconus & Petrus de Stampis Canonicus Ecclesiæ memoratæ se ipsis temerè opponentes, inter cetera quæ nobis per suas litteras contra ipsorum intimavere processum, hæc adversùs præfatum Archiepiscopum specialiter expressérunt, quòd videlicet esset irregularis, indiscretus, & manumissus. Quapropter Episcopis interdixerant qui convenerant ad consecrationem ipsius ne talem in Episcopum consecrarent, cùm idem Petrus probaturum hoc die data se promitteret coram eis. Sed præfatus Parisiensis Episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso eodem judice replicante, duos Presbyteros convocavit, quorum testimonia contra ipsum absentem & ignorantem super infamia clam recepit, & sic admissus non fuit ad irregularitatem probandam, videlicet quòd cum vidua conjugalem copulam contraxisset, eoque taliter à probatione repulso, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam illum utcunque fecit in Episcopum consecrari. Vnde nos tantum sacramenti defectum clausis nolentes oculis pertransire, maximè quia præfati Archidiaconus & Canonicus super hoc apud nos per iteratas litteras institerunt, vobis dedimus in præceptis ut inquisita & cognita veritate, si memoratum Petrum inveniretis à tali exceptione probanda præscripto modo fuisse repulsum, nonobstante quod actum inordinatè fuisset, denuntiaretis eidem Petro & Archidiacono supradicto ut si vellent & possent, ambo vel alter irregularitatem objectam regulariter sub examine vestro probarent, & si probare infra duos menses nollent aut nequirent eandem, sive quòd in canonica probatione deficerent, seu etiam quòd contingeret ipsos canonicè à probatione repelli, dilecto filio Raynerio Subdiacono & familiari nostro protinus injungere curaretis ut palleum secundùm formam sibi datam memorato Archiepiscopo consignaret, quòd si sufficienter probarent irregularitatem objectam, à regimine Remensis Ecclesiæ penitùs amoveretis eundem. Cùmque die ad hoc statuta partes in vestra præsentia convenissent, & post altercationes non modicas inter eos super modo procedendi subortas, tandem nostro acceptato rescripto secundùm formam ipsius petissent in negotio memorato procedi, vos ad inquisitionem super modo repulsionis prædicti Canonici legitimè procedentes, receptis testibus hinc inde productis, & attestationibus publicatis, ac disputato sufficienter à partibus super eis, quia sola sententia jam testante perpendistis ad relationem nostro apostolatui faciendam partium animos inclinatos, causam ipsam instructam cum depositionibus testium & testimonialibus quoque litteris nobis remittere procurastis. Nos autem negotio ipso diligenter examinato comperimus nequaquam esse probatum quòd dictus Petrus præscripto modo fuisset ab irregularitatis probatione repulsus, immo per testes omni exceptione majores ostensum quòd cùm die quo præfatus Albercius in Remensem Archiepiscopum extitit nominatus, memorati Theobaldus & Petrus insufficientiam contra ipsum, & in crastinum idem Petrus adversùs eundem irregularitatem & insufficientiam objecisset, ac utrobique se promisisset eas in continenti probare, delegatis volentibus admittere probationes oblatas, ipse se usquequaque tergiversando subtraxit. Vnde illi (jus versutiam attendentes, diem ad impendendam consecrationem Archiepiscopo memorato ferme post hebdomadas tres futuram publicè præfixerunt. Et cùm interim dictus Petrus super hoc eos minimè requisisset, demum processum eorum attentata quasi fraude præservans, sabbato diem dominicam præcedente qua erat idem Archiepiscopus consecrandus se ipsorum conspectui præsentavit, & postulavit instanter, appellationem ad nos nihilominus interponens, ne ad consecrationem procederent, sed super irregularitate prædicta probationes reciperent quas di-

cebat se in continenti exhibere paratum. Vnde judices de re ipsa maturiore consilio deliberare volentes præceperunt eidem ut in crastinum summo mane in eorum præsentia compareret. Quod tandem efficiens, irregularitatem objectam simili modo sicut & antè promisit se in continenti probare. Cui cùm dicti judices probandi hæc, sicut petebat, copiam indulsissent, ille variavit protinus verbum suum, postulans ad testes inveniendos inducias sibi dari. Deinde præfatus Archidiaconus requisitus si vellet testes super irregularitate producere, respondit quòd ipse de irregularitate nihil proponere volebat omnino; super insufficientia verò probationes aliquas non exhibuit, nec exhibiturum se dixit. Vnde patet quòd cùm idem Theobaldus & Petrus omnia hæc suppresserint, & super repulsione id expresserint tantùm nobis, quòd videlicet ipse Petrus eo modo qui superiùs est expressus inordinatè fuerat ab objectorum probatione repulsus, de quo nihil penitùs probaverunt, rescriptum apostolicum per suppressionem veritatis & falsitatis expressionem extitit impetratum, cùm sit etiam sufficienter ostensum quòd Presbyteri ad infamiam præfati Petri probandam, non duo tantùm, sed quatuor, nec ab Episcopo Parisiensi, sed à Milone de Nantolio, fuere producti, nec ob hanc causam, id est, propter infamiam, sed ob aliam, id est, propter tergiversationem, eum non solus Parisiensis, sed & conjudices repulerunt; quem etsi propter hanc causam minùs canonicè repulissent, non tamen jam admitti deberet ad irregularitatem probandam, cùm aliam repulsionis causam se promiserit probaturum, in cujus probatione omnino defecit. Cùm igitur juxta formam nostri mandati, quam pars acceptavit utraque, ac secundùm ipsam postulavit in causa procedi, debuisset probari quòd præfatus Parisiensis Episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso eodem judice replicante, duos Presbyteros convocarit, quorum testimonia contra ipsum absentem & ignorantem super infamia clam recepit, & sic admissus non fuerit ad irregularitatem probandam, videlicet quòd cum vidua conjugalem copulam contraxisset, ut tandem hoc probato valeret ad irregularitatem probandam admitti, quoniam aliis quæ sunt præscripta probatis, de hoc nihil penitùs est ostensum, de consilio fratrum nostrorum, ab impetitione prædictorum Archidiaconi & Canonici sententialiter absolvimus Archiepiscopum memoratum; maximè cùm idem Canonicus multipliciter vacillaverit & variaverit coram nobis, quin etiam ex sua confessione sit de calumnia manifestè convictus ex eo quòd coram nobis confessus est se irregularitatem quam objecerat à principio postmodum didicisse, sicque quod nesciebat objecisse adversùs Archiepiscopum sæpedictum. Ne verò temeraria ejus præsumptio & præsumptuosa temeritas remaneat impunita qui præsumpsit ponere os in cælum, cùm lingua ejus transeat super terram, ut juxta quod legitur, justus lavet manus suas in sanguine peccatoris, sæpedictum Petrum ab omni officio & beneficio clericali suspendimus donec apud vos & eundem Archiepiscopum reatus sui veniam consequatur. Ipsum autem de infamia non notamus, in cujus probatione dinoscitur minùs ordinatè processum; cùm etiamsi legitimè probata fuisset, non directè fuerit contra eum, sed in modum exceptionis, objecta. Licèt autem Archidiaconum sæpedictum sincera diligamus in Domino caritate, quia tamen pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus moneatis eundem ut apud ipsum Archiepiscopum infra mensem indulgentiam flagitet humiliter & devotè super eo quòd de arcu suo per alienam manum in ipsum sagittam emisit. Alioquin interdicatis ei per totam Remensem provinciam contradicendi vocem in electionibus Prælatorum, donec humiliaverit semetipsum ad indulgentiam postulandam. Ceterùm licèt dictus Archiepiscopus nobis nequaquam sit incredibilis vel suspectus, & sicut per Regis ac suffraganeorum omnium testimonia necnon Abbatum & Capitulorum Remensis provinciæ aliorumque multorum accepimus, propter illius irregularitatis objectum non in minimo ejus sit opinio aggravata, quia tamen ipse purgationem spontaneam ad clarificandum propriam innocentiam obtulit per seipsum, si eam voluerit exhibere, cum quota manu Episcoporum vel Abbatum seu etiam Sacerdotum ipse maluerit, eam infra mensem ad ipsam recipiendam publicè designatum recipere procuretis, ad Remensem Ecclesiam, ubi compugnatores commodiùs habebuntur, gratia reci-

piendæ purgationis personaliter accedentes. Præfato autem Subdiacono nostro nihilominus injungatis ut palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, dicto Archiepiscopo secundùm formam sibi à nobis expressam assignet. Quòd si non omnes &c. duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ea nihilominus exequantur. Datum Anagniæ III. Nonas Iunij, anno undecimo.

ELIENSI ET LONDONIENSI Episcopis.

Epist. 102. Consolatoria. Vide ipsa Innoc. III. ep. 132.

LIcèt ex litteris quas vobis super negotio Cantuariensis Ecclesiæ per dilectum filium Abbatem Belliloci & magistrum Simonem nuperrime destinavimus fraternitati vestræ jam innotuisse credamus quid sit oblatum à Rege, quidve mandatum à nobis, ad majorem tamen cautelam transcriptum illarum quas ipsi Regi direximus mittimus vobis præsentibus intercluſum, monentes & obsecrantes in Domino quatinus sicut fuistis in ligando prudentes, ita sitis in absolvendo discreti, sub ea temperantia post vinum oleum infundentes ut plaga livens & tumens debeat perfectè curari. Cùm autem super contumelia & injuria quas propter obedientiam & justitiam sustinetis, illorum vos imitari credamus exemplum qui, juxta quod legitur, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, præ oculis semper habentes quòd obedientia melior est quàm victimæ, majusque sit ascultare quàm adipem arietum offerre, ac beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se, vos quidem non consolatione, quæ noscitur esse mœrentibus necessaria, sed exhortatione, quæ solet esse pugnantibus opportuna, credimus indigere; quamquam hoc ipsum & ad consolationem & ad exhortationem vobis sufficiat colligentibus multa de paucis, illis meritò comparandis qui pleni erant oculis intus & foris. Ad perseverantiam ergo vos potiùs exhortantes, quæ, cùm ceteræ virtutes currant in stadio, sola tandem accipit bravium, Domino protestante quòd qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, scientes quòd infirmitas ista non est ad mortem, sed ut Ecclesia Dei glorificetur per illam. Vestris denique consultationibus respondemus, quòd cùm occasione interdicti novum chrisma in cœna Domini nequiverit consecrari, veteri est utendum in baptismate parvulorum, & si necessitas postulaverit, ipsi chrismati, ne deficiat, est oleum commiscendum per manum Pontificis aut etiam sacerdotis. Quamvis autem viaticum pertinere videatur ad pœnitentias morientium, si tamen haberi non possit, illud in hoc casu quod legitur credimus obtinere, *Crede, & manducasti*; cùm sacramentum non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludat, ipsaque necessitas speretur in proximo defutura. Si tamen viris religiosis ab initio licuisset juxta suorum privilegiorum tenorem, exclusis excommunicatis & interdictis, clausis januis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare, nec nobis fuisset molestum, nec absonum extitisset; possetque per illud tam in hoc quàm in aliis congruum remedium adhiberi, præsertim ut per oblationem hostiæ salutaris divina placaretur in hac necessitate majestas. Datum Anagniæ XVIII. Kal. Iulij, anno XI.

Vide cap. 19. de sent. excom. in 6.

Vide infrà epist. 258.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO Legionensi.

Epist 103. De Presbytero cui virilia abcisa fuerant per vim.

DIlectus filius G. Presbyter in nostra proposuit præsentia constitutus quòd cùm olim ipsum adhuc Diaconum M. Miles Legionensis diocesis, dolum & fraudem sub liberalitatis specie pallians, ad suum convivium invitasset, ex eo quòd falsò quandam ipsius Militis concubinam dicebatur carnaliter cognovisse, Miles ipse quod gerebat in pectore detegens simultatem, eidem Diacono abscidere virilia non expavit. Cùm autem id ad Principis terræ audientiam perveniſſet, ac dictus Diaconus ferè mortuus putaretur, idem Princeps zelo vindictæ accensus, Militem & concubinam ipsius fecit incendio concremari. Postmodum verò præfatus Diaconus de vulnere convalescens, hoc tacito procuravit se in Presbyterum promoveri; qui ad apostolicam sedem accedens, nobis humiliter studuit supplicare ut secum super hoc misericorditer agere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit Presbyterum sæpedictum ab impositio sibi crimine fornicationis immunem & in illa quam exercuit Princeps vindicta inculpabilem penitùs extitisse, in suscepto ministrare ordine permittentes eundem, ipsi super hoc eo prætextu nullam

injuriam irrogetis, indicentes ipsi purgationem canonicam, si fortè super iis fuerit infamatus. Datum Anagniæ VIII. Idus Iunij, anno undecimo.

FRATRIBVS HOSPITALIVM sancti spiritus apud urbem & Montempessulanum Domino famulantibus.

Epist. 104. Vt caput ordinis S. Spiritus sit in urbe Roma. *Vide infrà epist.* 169.

DEfuncto Romæ felicis memoriæ Guidone, qui vestrorum hospitalium primus extitit institutor & rector, cùm quidam ex fratribus vestris à Montepessulano directi, & alij venientes ab urbe pro substitutione rectoris, in nostra essent præsentia constituti, de ipsorum consilio & assensu, quia videbatur plurimùm expedire, statuimus ut caput & magisterium ordinis vestri perpetuò perseveret in urbe apud hospitale sancti spiritus in Saxia, ita quòd rector ipsius præsit universis fratribus ordinis vestri tam præsentibus quàm futuris, omnesque sibi teneantur impendere obedientiam & reverentiam regularem, cùm autem hospitalis quod est apud Montempessulanum rector fuerit eligendus, de consilio & assensu rectoris hospitalis quod est apud urbem regulariter eligatur. Vnde nos secundùm formam constitutionis hujusmodi eligi fecimus dilectum filium fratrem P. de Granerio in summum rectorem hospitalis sancti spiritus in Saxia, firmiter injungentes ut de ipsius consilio & assensu in hospitali sancti spiritus apud Montempessulanum rector idoneus eligatur. Quocirca universitatem vestram per apostolica scripta monemus quatenus quod à nobis est salubriter institutum, à vobis & successoribus vestris & nunc & semper inviolabiliter observetur, ceteris in suo robore permanentibus quæ in privilegio utrique hospitali à nobis indulto continentur expressa. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis & jussionis &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ VI. Idus Iunij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO RAGVSINO & Archidiacono Tragurienſi.

Epist. 105. Irritatur sententia lata contra Templarios. * Croatia

SIgnificarunt nobis fratres militiæ Templi de *Vratia quòd cùm ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tinnienſem contra Nonenſem Episcopum nostras litteras impetrassent, idem Nonensis Episcopus amicabiliter super iis de quibus inter ipsos quæstio vertebatur composuit cum eisdem, sed præfatus Tinniensis Episcopus ex litteris nostris occasione susceptæ præfatum Nonensem Episcopum, contra quem rancorem conceperat, eisdem fratribus nescientibus, excommunicationis vinculo innodavit, ductus arbitrio propriæ voluntatis, non judicio rationis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si rem inveneritis ita esse, præfatam excommunicationem denuntietis irritam & inanem. Nullis litteris &c. Datum Anagniæ III. Idus Iunij, anno undecimo.

TPORIENSI EPISCOPO.

Epist. 106. Vt consentiat translationi suæ ad Ecclesiam Thessalonicensem. *Factus est postea Patriarcha Antiochenus. Vide infrà lib.* 11. *epist.* 8. & 33.

CVm Thessalonicensis metropolis, quæ in regno Græcorum quasi præcipua post Constantinopolitanam sedem habetur, pastoris sit regimine destituta, nos ei volentes paterna sollicitudine providere, personam tuam, quam multiplici dote virtutum reputamus idoneam, ejus regimini duximus deputandam, terræ potestatis accedente consensu, quin etiam desiderio concurrente. Credentes igitur, immo pro certo tenentes quòd tuum jactans in Domino cogitatum, à quo gressus hominis diriguntur, illud debeas respondere, *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, in remissionem peccaminum injungendo, quatinus divinæ vocationi consentiens, onus istud pro Deo reverenter assumas, & novellæ plantationi, quæ si tuo fuerit exculta labore, fructum speratur multimodum productura, manum irrigationis apponas, ut ille tribuat incrementum qui tuum ministerium in hac parte requirit. Dispositis itaque quæ ad hoc cognoveris necessaria, nostro te conspectui repræsentes, recepturus à nobis consilium & auxilium opportunum. Datum apud sanctum Germanum v. Kal. Iulij, anno undecimo.

CAPITVLO GERVNTINENSI.

Epist. 107. De electione Episcopi. *Cap.* Dilectus. *De consuet. prebenda.*

DIlectus filius magister Guillelmus concanonicus vester olim apostolatui nostro suggessit quòd bonæ memoriæ Episcopo vestro viam universæ carnis ingresso, major & sanior pars vestri convenerat in eundem & ipsum eligere in Episcopum proponebat, sed impediente nobili viro Comite Cutronensi non fuit electio celebrata. Postmodum autem idem Comes de ipso episcopatu Madium Capellanum suum investiens, vobis injunxit ut vel à terra recederetis ipsius, vel eli-

geretis eundem Madium in pastorem. Quod cùm venerabilis frater noster Archiepiscopus sanctæ Severinæ tunc electus audisset, prædictum Guillelmum ad suam præsentiam accersivit, & asserens quòd propter negligentiam vestram ad ipsum erat eligendi auctoritas devoluta, ipsum induxit ut electioni de se faciendæ præberet assensum. Qui suis monitis acquiescens, electus extitit ab eodem, suffraganeorum ejus interveniente conniventia & consensu. Verùm postquam hoc innotuit Comiti supradicto, vos ad suam præsentiam convocatos tamdiu fecit in custodia detineri donec præfatum Madium communiter elegistis. Qui accedens ad præsentiam dilecti filij nostri Gerardi sancti Adriani Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati, beneficium obtinuit confirmationis ab ipso. Sed memoratus Guillelmus postmodum ad eundem Cardinalem profectus, ne illum faceret consecrari nostram audientiam appellavit, & tandem in nostra proposuit præsentia constitutus quòd idem Madius prodiderat quoddam castrum, & mediante pecunia investituram episcopatus de manu receperat laicali, ac etiam ante confirmationem obtentam multa bona Ecclesiæ dilapidando vastarat. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cusentino & Bisinianensi & Geneocastrensi Episcopis dedimus in mandatis ut vos & alios quos contingeret nominari compellerent super iis omnibus dicere veritatem, & si de prædicto Madio invenirent electionem irregulariter celebratam, denuntiarent eam irritam & inanem, ipsum ad restitutionem rerum Ecclesiæ mediante justitia compellentes, ac postmodum inquisita circa electionem præfati Guillelmi sollicitè veritate, quod justum esset statuerent appellatione remota. Qui, sicut in eorum litteris perspeximus contineri, cùm semel ac secundo & tertio peremptorio tam prænominatum Madium quàm & vos necnon etiam Abbates Ecclesiæ Geruntinæ ad suam præsentiam citavissent, dictus Madius per menses quatuor expectatus nec accessit ad ipsos, nec vos permisit accedere vel Abbates. Cùm autem propter suspicionem dilapidationis ab episcopalium administratione suspendissent eundem, & ipse nihilominus administrare præsumeret, excommunicationis in eum sententiam protulerunt; qua ille contumaciter vilipensa, non destitit celebrare. Vnde cùm eis per dicta juratorum testium constitisset quòd idem Madius investituram episcopatus de manu susceperat laicali, & perjurium incurrerat, ac proditionem & homicidia necnon etiam simoniam multipliciter perpetrarat, quòd etiam electio ejus extorta fuerat, & consecratio, non solùm post appellationem, verùm etiam aliàs contra canones attentata, demum habito prudentum consilio quod factum de ipso fuerat sententialiter cassaverunt. Nos igitur iis & aliis quæ super ipso negotio nobis fuerunt exposita diligenter auditis, attendentes quòd canon Lateranensis Concilij contra negligentes editus ad archiepiscopatus vel episcopatus non solet extendi, sed ad personatus *alios & minora ecclesiastica beneficia coartari, electionem præfati Guillelmi qui ab Archiepiscopo & suffraganeis ejus fuit, ad quos electio non spectabat, electus, non reatu personæ, sed justitia cassavimus exigente. Dictum quoque Madium, qui per inquisitionem à præfatis delegatis de ipso factam inventus est multis criminibus præpeditus, & latam in se suspensionis & excommunicationis sententiam non servavit, immo administravit suspensus, & excommunicatus non erubuit celebrare, sicut ex relatione judicum plenè constitit, à Geruntinensi prorsus Ecclesia censuimus removendum. Nolentes igitur quòd dominico gregi diutiùs desit cura pastoris, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus infra mensem post susceptionem præsentium curetis Ecclesiæ vestræ de persona idonea per electionem canonicam in Episcopum providere. Alioquin præfatis Archiepiscopo & Episcopis nos dedisse noveritis in mandatis ut ex tunc auctoritate nostra suffultis idoneum vobis pastorem assignent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum apud sanctum Germanum VI. Idus Iulij, anno undecimo.

* *Cod. Andega.* aliaque minora.

IN eundem ferè modum scriptum est Gregorio sancti Theodori Diacono Cardinali. Initium epistolæ: Ex litteris bonæ memoriæ. *Ita nos docet vetus exemplar Andegavense tertiæ collectionis decretalium.*

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 108. Ei legatio prorogatur in quadriennium.

CVm exitus quadriennij videatur instare per quod tibi commisimus in Ierosolymitana provincia legationis officium exercendum, & neque circa te nos-

tra gratia neque circa nos tua devotio refriguerit, quin immo necessitas terræ sanctæ, propter quam hujusmodi tibi fuit indulta legatio, non cessarit, legationem ipsam tibi duximus in aliud quadriennium committendam, fraternitatem tuam rogantes attentiùs & monentes ac per apostolica tibi scripta mandantes quatenus auctoritate præsentium commissæ tibi sollicitudinis ministerium per præfinitum tempus exerceas laudabiliter & prudenter. Datum apud sanctum Germanum VII. Idus Iulij, anno undecimo.

EIDEM ET DILECTIS filiis militiæ Templi & Hospitalis Ierosolymitani Magistris.

Epist. 109. Monentur ut invigileat custodiæ terræ sanctæ.

SVper miseria terræ sanctæ per diem ac noctem quasi torrentem lacrymas deducentes, subventionem ipsius quomodocunque ac etiam undecumque possumus, nec destitimus hactenus nec etiam adhuc desistimus procurare, ita quòd ad nostræ sedulitatis hortatum plurimus Christianorum exercitus in Alamannia cum nobili viro Duce Austriæ ac in Francia cum Comite Augi aliisque magnatibus ad ejusdem auxilium præparatur, & in Theutonia generalis fit pro sua subventione collecta de universali assensu Principum constituta & nostræ auctoritatis munimine roborata. Quia igitur pro ipsius terræ defensione pecuniam vobis esse credimus necessariam, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus eleemosynam Cistercienſis Ordinis & quadragesimam de mandato nostro à venerabili fratre nostro Parisiensi Episcopo destinatam, depositam apud Templum, accipere ac tam ipsam quàm mille libras * Provenienses, quas nuper in subsidium terræ sanctæ de beati Petri eleemosyna destinavimus, expendere procuretis prout terræ sanctæ necessitati & utilitati noveritis expedire. Apud nos autem sunt quædam aliæ fidelium eleemosynæ, quas vobis opportunitate mittemus inventa, circa subventionem ejusdem terræ sine intermissione qualibet diligentem & utinam efficacem operam impensuri. Rogamus autem discretionem vestram propensiùs & hortamur quatenus ad gubernandum hereditatis Christi reliquias prudenter & constanter per eos & alios quos habetis auxiliarios intendatis, non solùm in finibus vestris, verùm etiam in Antiochia & in Tripoli, donec præduce Deo præparata jam & in proximo præparanda militia vobis Christiana succurrat. Nos autem propter hoc specialiter intendimus incessanter ad pacem, non solùm in imperio, verùm etiam & in regnis, ubicunque desuper datum fuerit, reformandam, ut tanto copiosiùs exinde terræ sanctæ subsidium procuretur quanto cessantibus domesticis simultatibus, ad id intendere poterunt efficaciùs ij quos tangit injuria crucifixi. Datum apud sanctum Germanum VI. Idus Iulij, anno undecimo.

* *Vide infrà lib. 12. epist. 28.*

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 110. De electione Patriarchæ Antiochen. *Vide supra lib. 10. epist. 214.*

QVasi non suffecissent Antiochenæ provinciæ impietatum scelera scelerumque impietates quibus graviter iram Domini provocavit, apposuit Tripolitanus Comes mittere manum suam in Christum Domini, piæ memoriæ Patriarcham Antiochenum patrem ac dominum suum carceri mancipando, in quo tandem miserabiliter expiravit. O nobilis Antiochia, urbs perfectæ decoris, & terræ quasi gaudium universæ, quàm graviter esse cerneris per tam grave ignobilitata flagitium, quàm turpiter per tam turpe facinus offuscata? Cui comparabimus te, vel cui tuam possumus miseriam adæquare? Omnis enim calumnia in medio tui est; quæ sicut cisterna facit frigidam aquam suam, ita malitiam tuam frigidam reddidisti. Præterea cùm comparatione prævaricationis tua sororum tuarum justificasse animas videaris, velut inimicus tetendit Dominus arcum suum, suamque firmavit dexteram quasi hostis; ut nisi per pœnitentiæ dignos fructus à facie arcus fugias, plaga inimici te feriat & percutiat castigatione crudeli, fiatque sicut mare contritio tua magna, & egrediatur ut ignis super te indignatio Domini ac succendat, tuque demum * qui possit extinguere non invenias, profundum & latum bibas calicem iræ Dei. Super quibus omnibus, post illud quod speramus è cœlo, ad cujus nos auxilium convertemus nisi, dilectissime ac desiderantissime frater, ad tuum; qui etsi pari nobiscum affectu super tanta calamitate complores, fortasse tamen merito potiori occurrere sibi potes? Quia igitur propter varias circumstantias per præsentiam tuam meliùs posse credimus Antiochenæ Ecclesiæ subveniri quàm à nobis absentibus valeat designari, committendas tibi duximus super hoc plenariè vices nostras, fraternitati tuæ per apostolica scripta

* dum

Vide lib. 11. epist. 8.

mandantes quatinus Canonicis ejusdem Ecclesiæ, si quos excommunicatos inveneris, juxta formam Ecclesiæ absolutis, commoneas & inducas illos ad quos Patriarchæ Antiocheni spectat electio ut infra tempus quod eis duxeris præfigendum personam idoneam de provincia ipsa vel alia citra mare vel ultra per electionem canonicam cum consilio tuo sibi præficiant in pastorem. Alioquin ex tunc habito præ oculis solo Deo, talem eis undecunque in pastorem assignes qui tanto congruat oneri & honori, obedientiam & reverentiam debitam ei faciens exhiberi, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compescendo. Circa Decanum autem Ecclesiæ memoratæ, qui multipliciter dicitur malignatus in eam, licèt à multis contrarium asseratur, inquisita super eis & cognita veritate, statuas appellatione remota quod secundùm Deum & utilitatem ipsius Ecclesiæ videris statuendum. Præfatum verò Comitem qui tantum sacrilegium perpetravit, tamquam excommunicatum, anathematisatum, & maledictum, tamdiu facias arctiùs evitari donec per satisfactionem condignam, si tamen ei de tanto scelere satisfacere dignè detur, absolutionis beneficium mereatur. Denique, ne quid de contingentibus omittamus, tam super iis quàm etiam super omnibus quæ negotium hoc contingunt plenam tibi conferimus potestatem, ut vice nostra de universis statuas & de singulis appellatione postposita quod videris expedire. Datum apud sanctum Germanum 1 v. Idus Iulij, anno undecimo.

RICHARDO ABBATI & conventui sanctæ Mariæ de Bolonia supra mare tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Ppff. 111. De confirmatione privilegiorum.

Plæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ Bolonienſis super mare, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Honorij prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum &c. *usque* illibata permaneant. in quibus hæc propriis &c. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, terris, vineis, pratis, pascuis, & pasturis, silvis, aquis, molendinis, piscationibus, Ecclesiis, villis, domibus, hospitibus, comitatibus, familiis, advocationibus, cunctisque suis mobilibus vel immobilibus, cultis vel incultis. Totam parrochiam civitatis Boloniæ, ac parrochialia jura, & quæ continentur in subditis. Infra muros ejusdem civitatis Ecclesiam sancti Iohannis Baptistæ. Extra muros Ecclesiam sancti Martini cum decimis & appendiciis suis. Et in eadem parrochia capellam leprosorum, capellam sancti Petri de Nienburc, capellam sancti Nicolai de Nienburc extra muros, & capellam hospitalis sanctæ Catherinæ infra muros in usus vobis proprios deputatam. Infra muros ejusdem civitatis duas mansuras Carleti, mansuram Ardulfi Panetarij, mansuram Petri de Rua, mansuram unam Eustachij de Pernes, mansuram Alelmi, mansuram Willelmi Camerarij, tres mansuras Ingelranni Decani, mansuras parvulas, mansuram Lamberti Sicci, mansuram Rogeri Lipardi, mansuram Ermesendis, mansuram Bernardi Clerici, mansuram Ostonis, mansuram Balduini filij Azonis, mansuram Balduini Mundolfi, mansuram Clarembaldi de Indreham, mansuram Godeberti, mansuram Guarini de Felnes, mansuram Leivardis, quatuor mansuras Gozelini de Odra, mansuram Flamerici, mansuram Otberti, mansuram Olrici, mansuram Gumburgis, mansuram Guarneri, mansuram Frodonis, mansuram Otberti sacerdotis. In vico Fori mansuram Martini. Ad posternam quatuor mansuras. In Nienburc omnes mansuras quæ sunt in sabulo quod dicitur sanctæ Mariæ. In Arkesten terram Radulfi Bevarag. & mansuram Elemberti & mansuram Rayneri, mansuram Erembergæ, mansuram Alulfi, mansuram Soimanni, mansuram Soimeri, mansuram Theobaldi, & mansuram Erkenfridi. Altare de Hissingehen, altare de Condeta, altare

de Badingetuna, altare de Gestingehem cum decimis suis, altare de Curs, altare de Belebrone, altare de Alingetuna, altare de Wilra cum decimis & appendiciis suis, altare de Hesding, altare de Nieles, altare de Nameringehem, Capellam de Colesbere, altare de Ingehem cum tota decima & duabus carrucis terræ in eadem villa, & Capellam de Halkeca, & curtem de Avions cum decimis & appendiciis suis, hospites & redditus in castello de Lens, decimam de Telingetun, decimam Guastinæ, decimam Capellæ, decimam de Godingetuna, decimam de Aquingehem, decimam de Timbron. In decima de Altafontaina quinque polkinos avenæ. In decima de Isslingehem septem pulkinos frumenti quos dedit Ecclesiæ vestræ quondam Girardus de Buxin, & decimam de Huppen. In Licernes & in Frenc hospites & terram. In Cormonte hospites & terram. In Camier hospites & terram cum parte molendini. In Dalnis terram, in Nieles terram, in Flemis terram, in novo castello terras & redditus, in Vacaria terram, in Froingehem terram & hospites, in Meningehem terram, in Icingehem hospites & terram, in Letingehem hospites & terram, in Walbingehem & Tegata terras, in Hermarenges & Isica terras & pratum, in Cahem & in Helkeninges terras & redditus, in Hockingehem & Isingehem terras & redditus, in Badingetuna terram, in Tornes terram, in Makingehem & in Celles hospites & terram, in Bellomonte terram & hospites, in Bovembere terram & hospites, in Deningehem & Vvicardenges terram & hospites, in Odra & Telingetuna terram & hospites, in Faingehem terram, in Ouringehem & Poteria terram & hospites, in Westrehoua terram & hospites, in Ostrehen terram & redditus, in Blokendale terram, in Stalis & Odresselе terras & hospites, in Squifein & Hungrevelt terras & redditus, in Tudingetuna terras & redditus, in Wadingetuna terras, in Hodingehem terras & redditus, in Goningesele terram & redditus, in Seiles terram & redditus, in Lokingehem terram, in Raventun terras & redditus, in Ambletue redditus, in Basingehem terras & redditus, in Ostova redditus, in Wincela redditus, in Pernes redditus, in Yvvesło terram, in Helingetuna terram, in Bukerdes partem decimæ, in Felnis terram, in Hardentuna terram, in Markisa terram & redditus, in Wisifra terram & redditus, in Holesfort terras & redditus, in Hesdin terras & redditus, in Hecolt pratum, in Wakingehem octo polkinos frumenti ad mensuram de Gisnes, in Pitesfelt terras & redditus, in Fogenhove terras & redditus, & in Maningehem terras & redditus, in Honingetuna terras & redditus, in Wimulge terras & redditus, in Lisingehem terras & redditus, & in Humeris terram & nemus. Terras etiam & mansuras ex dono Comitis Eustachij Ecclesiæ vestræ collatas, & medietatem tertiæ partis decimæ de Hissingehem, & sextam partem ejusdem remanentis, & in Telingetuna quatuordecim polkinos avenæ & duos solidos & duos denarios, & in Fogenhove quatuor solidos & duodecim denarios quos habetis ab Ecclesia Andernenensi, & subterias quas habetis in navibus piscantium, vobis & Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus etiam ut in parrochiis vestris nullus Capellam refragante voluntate vestra ædificare præsumat. Salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Nullusque Presbyter sive Clericus in Ecclesiis vel Capellis vestris sine vestro assensu & libera voluntate per se vel per vim alterius licentiam habeat permanendi aut aliquod sibi officium assumendi. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus &c. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes &c. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis &c. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati &c. Salva tamen canonica justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi &c. In parrochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Statuimus etiam ut nemini liceat Ecclesiæ vestræ novas & indebitas exactiones imponere, aut in vos vel Ecclesiam vestram seu Clericos vestros sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Libertates quoque & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ

concessas

concessas & hactenus obſervatas ratas habemus & eas perpetuis temporibus illibatas permanere ſancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre &c. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona &c. *uſque* ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque in finem.* Amen. Datum apud ſanctum Germanum per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VI. Idus Iulij Indict. XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Athenienſi.

Epiſt. 112. De confirmatione privilegiorum.

SOlet annuere &c. *uſque* conſenſu, perſonas & Eccleſias veſtras, cum omnibus bonis quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis dante Domino poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & ea vobis ac per vos Eccleſiis veſtris, ſicut ipſa juſtè ac pacificè poſſidetis, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud ſanctum Germanum VI. Idus Iulij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Athenienſi.

Epiſt. 113. Vt Eccleſia Athenienſis ordinetur ſecundùm conſuetudines Eccleſiæ Pariſienſis.

SAcroſancta Romana Eccleſia, cui diſponente Domino præſidemus, eò efficaciùs exaudire ſuos ſubditos conſuevit quò devotiùs ſuffragium ab ipſa requirunt. Quia igitur à nobis cum reverentia debita poſtulaſtis ut veſtram Eccleſiam dignaremur ſecundùm inſtitutiones Pariſienſis Eccleſiæ ordinare, ac ejus conſuetudines faceremus in ipſa firmiter obſervari, vobis portiones legitimas poſſeſſionum ſuarum, reddituum, & proventuum aſſignantes, certo Canonicorum numero, quem dilectus filius noſter Benedictus tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyter Cardinalis tunc apoſtolicæ ſedis Legatus ibidem inſtituit, in ſuo robore remanente, nos poſtulationi veſtræ grato concurrentes aſſenſu, univerſitati veſtræ concedimus quatinus, ſi fieri poteſt abſque detrimento ipſius Eccleſiæ ac juſto ſcandalo cleri & populi ac terræ illius Principis, eam ſecundùm conſuetudinem Pariſienſis Eccleſiæ liberè ordinetis. Datum apud ſanctum Germanum II. Idus Iulij, anno XI.

DIMICENSI EPISCOPO.

Epiſt. 114. Epiſcopatus Calidonienſis ei commendatur.

EX eo te ſedi apoſtolicæ reverentiam debitam perpendimus exhibere quòd præter ipſius conſilium & mandatum tibi juriſdictionem indebitam non uſurpas, ſed in his potiùs requiris gratiam ab eadem ad quæ quadam neceſſitate induceris requirenda. Sanè in noſtra propoſuiſti præſentia conſtitutus quòd cùm ad Dimicenſis Eccleſiæ regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per venerabilem fratrem noſtrum Lariſſenum Archiepiſcopum poſtmodum confirmata, non poſſis de ipſius redditibus ſuſtentari, nobilis vir A. Comeſtabulus regni Theſſalonicenſis Princeps illius terræ tuæ compatiens paupertati, epiſcopatum Calidonienſem tuo contiguum tibi voluit aſſignare; cujus conceſſioni acquieſcere minimè voluiſti niſi de noſtra licentia ſpeciali, ſed noſtram ſuper eo miſericordiam poſtulaſti. Nos autem cum fratribus noſtris deliberato conſilio tibi duximus concedendum quatinus Dimicenſem epiſcopatum tamquam tuum poſſidens, ſi fieri poteſt, abſque detrimento Eccleſiæ utriuſque ac ſine juſto ſcandalo cleri & populi & terræ illius Principis, tamdiu epiſcopatum Calidonienſem teneas & habeas commendatum donec per apoſtolicam ſedem aut ejus Legatum aliud contigerit ordinari; ſic tamen ut ejus curam utiliter adminiſtres. Datum ut in alia.

CITRIENSI ELECTO.

Epiſt. 115. Epiſcopatus Platamonenſis ei commendatur.

EX eo te ſedi apoſtolicæ reverentiam &c. *ut in alia uſque* conſtitutus, quòd cùm ad Eccleſiæ Citrienſis regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per dilectum filium noſtrum Benedictum tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyterum Cardinalem tunc apoſtolicæ ſedis Legatum poſtmodum confirmata, non poſſis de ipſius redditibus ſuſtentari, nobilis vir Rolandus Piſcius Princeps illius terræ tuæ compatiens paupertati, epiſcopatum Platamonenſem contiguum tuo tibi voluit aſſignare, cujus conceſſioni &c. *ut in alia uſque in finem. Eadem data.*

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS Thebarum.

Epiſt. 116. Vt perſolvant decimas Eccleſiæ Thebanæ.

NObilitatem veſtram rogandam duximus & monendam per apoſtolica

vobis scripta mandantes quatenus ab Ecclesia Thebana & Clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, ab indebitis eorum exactionibus de cetero taliter desistatis quòd nullam de vobis justam habeant materiam conquerendi, vobis nihilominus injungentes ut decimas quas quilibet Christianus tenetur de jure solvere, cùm Dominus ipse præceperit in horrea sua decimationes inferri, persolvatis Ecclesiæ memoratæ, ac ei, prout tenemini, faciatis persolvi tam à Græcis vobis subditis quàm Latinis. Datum ut in alia.

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS Nigripontis.

Epist. 117. De eadem re. NObilitatem vestram &c. *ut in alia usque* mandantes quatenus ab Abinonensi Ecclesia & Clericis episcopatus ejusdem non præsumentes &c. *usque in finem.* Datum.

NOBILIBVS VIRIS DOMINIS Fermopilensibus & Dominis Thebarum.

Epist. 118. De eadem re. NObilitatem vestram &c. *ut in aliis usque* mandantes quatenus decimas ab Ecclesia Fermopilensi & Clericis episcopatus ejusdem non præsumentes &c. *ut in aliis usque in finem.* Datum ut suprà.

NOBILI VIRO ROLANDO Pisse.

Epist. 119. De eadem re. NObilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus ab Ecclesia Platamonensi & Clericis episcopatus ejusdem non præsumens &c. Datum ut suprà.

NOBILI VIRO COMESTABVLO Thessalonicensi.

Epist. 120. Vt dignitates & possessiones Ecclesiæ Dimicensi restituat. NObilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus papates & possessiones ecclesiasticas tam à te quàm illis qui tuæ sunt jurisdictioni subjecti detentas cum fructibus inde perceptis restituens & restitui faciens, sicut justum fuerit, Ecclesiæ Dimicensi, ab ipsa Ecclesia & venerabili fratre nostro Episcopo & Clericis episcopatus ejusdem non præsumas crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, sed ab indebitis ejus exactionibus sic desistas quòd nullam de te justam habeant materiam conquerendi, tibi nihilominus injungentes ut decimas &c. *ut suprà usque in finem. Data eadem.*

NOBILI VIRO O. DE ROCCA Duci Athenarum.

Epist. 121. De solutione decimarum. NObilitatem tuam &c. *usque* mandantes quatenus ab Athenensi Ecclesia & Clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes &c. *ut in superioribus. Data eadem.*

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 122. De confirmatione privilegiorum. SOlet annuere &c. *usque* assensu, possessiones quas Ecclesia tua olim possedit & adhuc justè possidet & quietè, tibi & per te ipsi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud sanctum Germanum VI. Idus Iulij, anno undecimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Hospitalis sancti Sansonis Constantinopolitani.

Epist. 123. De confirmatione privilegiorum. CVm à nobis petitur &c. *usque* assensu, personas vestras & hospitale sancti Sansonis, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum Deo propitio justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Institutiones quoque quas dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legatus ibidem fecisse dinoscitur, sicut rationabiliter factæ sunt & in ejusdem authentico pleniùs continentur, ratas habentes, ipsas præcipimus firmiter observari. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & jussionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI Fossæ novæ.

Epist. 124. De dedicatione altaris. SI olim in veteri testamento altaris consecratio celebris habebatur, quanto magis nunc in novo debet solemnis haberi, cùm non minùs inter illud & istud quàm inter lucem & umbram distet altare. In illo sanè carnales & irrationales hostiæ mactabantur, in isto verò illud unicum & vivificum holocaustum semper offertur quod pro redemptione humani generis semel in ara crucis extitit victimatum, videlicet unigenitus Dei filius Iesus Christus, idem ipse sacrificium & sacerdos, qui & pretium se dedit in cruce, ut moriens fideles suos à morte redimeret, &

cibum se tribuit in altari, ut vivens fideles suos alat ad vitam, incorporans sibi ejus edentes, ut per hoc quod accepit ipse de nostro, & accipimus ipsi de suo, in unum corpus caput & membra insolubiliter uniamur, ipso rogante ut omnes in ipso sicut ipse in patre ac pater in ipso sint unum. Cùm ergo magnum & arduum sit sacramentum altaris, utique longè majus quàm nos possimus ordiri, ad consecrandum in monasterio vestro novum altare quod in nova basilica erexistis à vobis cum multa supplicationis instantia multotiens invitati, ad monasterium ipsum descendimus, immo veriùs ascendimus ad montem Bethel, in quo degunt filij Prophetarum, utinam illo igne cælitus inflammati qui secundùm præceptum dominicum semper in altari debet ardere, ipsumque sacrosanctum altare cum honorabili cœtu Episcoporum & Cardinalium, assistente fidelium multitudine capiosa, quarto decimo Kal. Iulij solemniter propriis manibus consecravimus, hanc expetentes & expectantes à Christo mercedem, ut quotiens super illud in mysterio salutari mortis ejus memoria frequentabitur, ipse sit nostri memor in bonum; ut per suæ mortis virtutem & à morte culpæ nos liberet in præsenti & à morte gehennæ nos eripiat in futuro, illorum piis precibus exoratus qui pro salute vivorum ac defunctorum super ipsum altare holocaustum ei offerent medullatum. Vt igitur ipsius altaris consecratio veneranda singulis annis devotiùs celebretur, universis qui ad celebritatem consecrationis ipsius infra quindecim dies devotè convenerint, de injunctis sibi pœnitentiis pro peccatis indulgentiam unius anni concedimus, de illius pietate confisi qui est remissio peccatorum. Licèt autem monasterium vestrum juris & proprietatis sit sedis apostolicæ speciale, quia tamen ex hoc juris & proprietatis ipsius quasi specialius est effectum, nos illud sub speciali cura & principali tutela beati Petri suscipimus cum omnibus rebus quas in præsentiarum justo titulo possidet aut in futurum justis modis poterit adipisci, ut secundùm privilegia prædecessorum nostrorum ac nostra semper eas sine contradictione possideat, gaudens ubique privilegiis & indulgentiis universis tam generalibus quàm etiam specialibus à sede apostolica impetratis. Cunctos igitur ipsius jura servantes apostolica benedictio prosequatur, eosque divina majestas & justificet in præsenti & glorificet in futuro. Turbatores autem ipsius, nisi commoniti resipuerint, reos se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscant & munere apostolicæ benedictionis immunes, scientes quòd ideo sub altare reliquiæ martyrum reconduntur ut ibi contra persecutores ipsius loci vindicta justi sanguinis postuletur ubi sanguis justus commemoratur effusus, juxta quod legitur: *Vidi sub altare Dei animas occisorum propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant, & clamabant dicentes: Vsquequo, Domine sanctus & verus, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant super terram.* Omnibus autem eidem loco sua jura servantibus consolatio sancti spiritus tribuatur hic & in ævum. Amen. Datum apud monasterium Casinense XII. Kal. Augusti, anno undecimo.

Chron. Fossæ-nov. ad ann. 1108. Feria quarta clarente die D. Papa dedicavit altare majus Ecclesiæ suæ.

RAYNALDO CAPVANO Archiepiscopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 125. De confirmatione privilegiorum.

CVm ex injuncto nobis à Deo apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus ex superni dispositione arbitrij præminemus, singulorum paci & tranquillitati debeamus intendere, præsertim pro illorum quiete oportet nos esse solliciros qui pastorali dignitate sunt præditi & ad officium pontificale promoti. Nisi enim nos eorum utilitatibus intendentes, ipsorum dignitates & jura, in quantum Deo permittente possumus, integra conservemus, & auctoritate apostolica eos ab iniquorum hominum incursibus defendamus, de illorum salute non poterunt esse solliciti qui sibi ad regendum Domino sunt disponente commissi. Hujus itaque rei consideratione, venerabilis in Christo frater Archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet &c. *usque* permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Episcopatum Aquinatem, episcopatum Venafranum, episcopatum Yfernien-sem, episcopatum Theanensem, episcopatum Sueſſanum, episcopatum Calinen-sem, episcopatum Calvensem, episcopatum Cajatiensem, & episcopatum Casertanum. In Capua abbatiam sanctæ Mariæ

Vide to vt. Ital. sac. pag. 400.

majoris, Ecclesiam Domini salvatoris, Ecclesiam sancti Iohannis ad Curtem, Ecclesiam sancti Michaëlis, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Arcu, Ecclesiam sanctorum Apostolorum, Ecclesiam sancti Iacobi in Castello. In dioceſi Ecclesiæ Theanensis Ecclesiam sancti Erasmi, Ecclesiam sanctæ Mariæ, Ecclesiam sanctæ Helenæ & Ecclesiam sancti Nicolai quæ sunt in territorio Scarpati. In loco Bairan, Ecclesiam sancti Heliæ, & Ecclesiam sancti Martini. In Fontana de Corrigiis Ecclesiam sanctæ Mariæ. In dioceſi Ecclesiæ Suessanæ Ecclesiam sanctæ Luciæ de loco Sorbelli. In dioceſi Ecclesiæ Calinensis, in Rocca Montis-Draconis, Ecclesiam sancti Ruffini, & Ecclesiam sancti Marci. In territorio Calinensi Ecclesiam sancti Pancratij. In dioceſi Ecclesiæ Calvensis Ecclesiam sancti Andreæ ad Cementa, Ecclesiam sancti Germani ad Palera, Ecclesiam sancti Tamari de Monte, Ecclesiam sancti Pauli de Cormello, Ecclesiam sancti Petri de Borleiano, Ecclesiam sancti Simachi, Ecclesiam sancti Erasmi de Moscardino, Ecclesiam omnium sanctorum de loco Sanguinari. Ad Sclavos Ecclesiam sancti Michaëlis, Ecclesiam sancti Petri, Ecclesiam sanctæ Mariæ, Ecclesiam sancti Nazarij, Ecclesiam sancti Angeli de Iano, & Ecclesiam sanctæ Mariæ. In loco Camillani Ecclesiam sancti Angeli, Ecclesiam sanctæ Mariæ, & Ecclesiam sancti Nicolai. In dioceſi Caiatiensi Ecclesiam sancti Angeli de Melanico, & Ecclesiam sancti Petri à li Bagnatori. In dioceſi Ecclesiæ Casertanensis Ecclesiam sancti Viti de Hercule, Ecclesiam sancti Nazarij in campo Buzariensi, Ecclesiam sancti Petri ad Boffoli, Ecclesiam sancti Secundini, & Ecclesiam sancti Felicis. In territorio Mutronensi Ecclesiam sanctæ Mariæ, Ecclesiam sancti Felicis, Ecclesiam sancti Petri, & Ecclesiam sancti Stephani. Iuxta ipsam dioceſim, Ecclesiam sanctæ Eufemiæ, Ecclesiam sancti Iohannis ad Gaianum, Ecclesiam sanctæ Mariæ ad Lupinum, Ecclesiam sancti Felicis, Ecclesiam sancti Prisci. In loco Casapulli, Ecclesiam sancti Nicolai, Ecclesiam sancti Arpij, Ecclesiam sancti Petri de Sarsana. In loco Marzanesi Ecclesiam sancti Angeli & Ecclesiam sancti Martini. In loco Campurcipi Ecclesiam sancti Cæsarij, Ecclesiam sancti Præcopij, & Ecclesiam sanctæ Beneræ. In loco Airolis, Ecclesiam sanctæ Iulianæ & Ecclesiam sancti Nicolai ad Rovulas. In territorio Castelli ad mare, Ecclesiam sancti Adjutoris, Ecclesiam sancti Marcelli, & Ecclesiam sancti Blasij, Ecclesiam sancti Stephani, & aliam Ecclesiam sancti Blasij, Ecclesiam sancti Iohannis, Ecclesiam sancti Nicolai, Ecclesiam sanctæ Catherinæ, Ecclesiam sanctæ crucis. In loco Cancelli Ecclesiam sancti Angeli, & Ecclesiam omnium sanctorum, Ecclesiam sancti Iohannis, & Ecclesiam sancti Apollinaris de Patresano, Ecclesiam sancti Georgij, Ecclesiam sancti Iohannis de Turre, Ecclesiam sancti Viti, Ecclesiam sancti Petri, Ecclesiam sancti Nicolai, Ecclesiam sancti Marci, Ecclesiam sancti Castrensis, Ecclesiam sancti Martini de Rosellis, Ecclesiam sancti Flaviani, Ecclesiam sanctæ Barbaræ, Ecclesiam sanctæ Iulianes, Ecclesiam sancti Andreæ. In loco Arnonæ Ecclesiam sanctæ Mariæ, & Ecclesiam sancti Blasij, Ecclesiam sancti Pauli, Ecclesiam sancti Erasmi de Cazolis. In loco Grazanesi Ecclesiam sancti Iohannis, Ecclesiam sanctæ Mariæ, & Ecclesiam sancti Maximillani, & Ecclesiam sancti Nicolai. Præterea Iudecam decimam & redditum ducentarum librarum ceræ de bajulatione regali. Proventum Castelli ad mare, feudum Pandulfi Compalatij, alveum fluminis à molendino Ricardi de Citro & Roberti de Rocca usque ad pontem, sicut ea omnia justè ac pacificè possides, tibi & per te Ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Diffinitivam quoque* sententiam ab eodem prædecessore nostro super causa quæ inter bonæ memoriæ Alfanum prædecessorem tuum & Abbatissam monasterij sanctæ Mariæ Capuanensis super subjectione ac libertate ipsius monasterij vertebatur exigente justitia promulgatam, sicut in ejus authentico plenius continetur, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Palleum quoque, videlicet plenitudinem pontificalis officij, tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate largimur; quo utique infra tuam Ecclesiam uti memineris iis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, epiphania, ypapanti, Dominica in ramis palmarum, cæna Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecosten, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natale sancti Iohannis Baptistæ, solemnitate omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum,

* Extat in epist. seq.

Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus Episcoporum, & ordinationibus Clericorum, & anniversario tuæ consecrationis die. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre &c. *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Amen. Datum apud sanctum Germanum per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij x. Kal. Augusti, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

RAYNALDO CAPVANO Archiepiscopo.

Epist. 116. Confirmatur sententia lata per Alexandrū III.

SOlet annuere sedes apostolica &c. *usque* inclinati, diffinitivam sententiam à felicis recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro super causa quæ inter bonæ memoriæ prædecessorem tuum & Abbatissam monasterij sanctæ Mariæ Capuanensis super subjectione ac libertate ipsius monasterij vertebatur exigente justitia promulgavit, sicut in ejus authentico plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus; cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris fecimus annotari. ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Alfano Capuano Archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Officij nostri debito & auctoritate compellimur ut controversias quæ ad apostolicæ sedis perferuntur examen exacta diligentia & studio debeamus audire; & quæ apud eam decisa fuerint & fine congruo terminata, ne in scrupulum recidivæ contentionis valeant devenire, apostolicis scriptis convenit adnotari. Ad hoc enim Ecclesiarum omnium matrem atque magistram sacrosanctam Romanam Ecclesiam providentia divina constituit ut implicitas & graves quæstiones explicare debeat, & quæ dubietate aliqua detinentur, judicij sui examine servato rigore justitiæ diffinire. Cùm tu siquidem & dilecta in Christo filia nostra Math. Abbatissa sanctæ Mariæ Capuanensis pro causa quæ inter te & eam vertebatur super subjectione quam in eodem monasterio requirebas, & libertate pariter in qua eadem Abbatissa proclamabat, in nostra essetis præsentia constituti, jamdicta Abbatissa privilegia Principum & trium prædecessorum nostrorum, Zachariæ videlicet, Leonis, & Adriani Romanorum Pontificum coram nobis in medium protulit. Tu verò è contrà proposuisti quòd cùm infra fines tuæ diocesis, immo juxta muros tuæ civitatis idem sit monasterium fundatum, jure communi ad Ecclesiam tuam debeat pertinere, & super hoc multorum te canonum auctoritate fretum dixisti quibus expressè monstratur quòd monasteria & Ecclesiæ ad Episcopos pertinent in quorum territorio fundata noscuntur. Allegasti etiam quòd à sexaginta annis retro Ecclesia tua & ij qui te in archiepiscopatus dignitate præcesserunt possessionem ejusdem monasterij, benedictiones Abbatissarum & monialium, & celebrationes Missarum publicarum, obedientiam & fidelitatem, ac suspensionem Clericorum ejusdem monasterij habuissent. Quatuor quoque testes nihilominus produxisti, tres quorum juramenti depositum fuerunt quòd Atta Abbatissa, cùm vacante Ecclesia Capuana à Roberto quondam Suessano Episcopo ejusdem Ecclesiæ suffraganeo benedicta fuisset, ad suggestionem Canonicorum Capuanæ Ecclesiæ ab eodem Episcopo requisita de obedientia & fidelitate ipsi Ecclesiæ exhibenda, tam Ecclesiæ quàm Archiepiscopo, cùm foret substitutus, obedientiam & fidelitatem juravit. Adjecisti insuper quòd quandam monialem, quam ejecerat, ad tuam commonitionem & mandatum recepit, & ei in quadam monasterij sui cella de Teano providit. Præterea ipsius monasterij Clerici à te & prædecessore tuo de fidelitate requisiti, eam vobis exhibuerunt. Sanè cùm super iis fuisset hinc inde diutiùs litigatum, privilegiis Principum, quantum ad libertatis donationem & monasterij exemptionem, quia nec illi nec alij laici hujusmodi possunt Ecclesiis libertatem donare, nullatenus, sicut dignum est, innitentes, privilegium Zachariæ propter stilum dictaminis & corruptionem grammaticæ artis & propter simoniacum contractum quem continebat, videlicet quòd Ecclesiam venditam, quod de tam sancto viro nefas est credere, confirmasset, & propter pargamenum etiam, quod vix centum videbatur esse annorum, cùm quadringentorum annorum, prout in chronicis habetur, spatium decurrerit quòd idem Zacharias decessit, privilegium autem Leonis

» propter vitium & corruptionem grammaticæ artis, de quo tam litterato & prudenti viro absurdum est extimare quòd tam idiotas scriptores habuerit, & propter bullam, quæ à bullis ejusdem Leonis, quæ coram nobis productæ fuerunt, omnino comparebat dissimilis & diversa, cùm illæ inter se comparerent per omnia similes, suspecta & fide non digna judicavimus. Porrò privilegium bonæ memoriæ Adriani Papæ nullam prælibato monasterio absolutè libertatem conferebat, sed cum conditione, sicut habuerat antiquitus, confirmabat. Ceterùm licèt multitudo testium qui ex parte Abbatissæ producti fuerant constanter asseverarent præscriptum monasterium semper fuisse liberum & nulli nisi Ecclesiæ Romanæ & Principi Capuano subjectum, interrogati tamen si certa signa subjectionis Romanæ Ecclesiæ scirent, se id nescire asseruerunt. Testati sunt quoque se non vidisse quòd Abbatissæ obedientiam prædecessoribus tuis promiserint aut fidelitatem juraverint. Profitebantur tamen quòd eas viderint ab eisdem tuis prædecessoribus benedici. Nos igitur cognoscentes tam ex iis quæ ex parte tua allegata sunt quàm ex attestatione partium alterius partis quòd antecessores tui Abbatissas & moniales sæpedicti monasterij benedixerint, Missas ibi publicas celebraverint, & prædictæ Attæ obedientiam & fidelitatem receperint, & quomodo etiam Clerici illius monasterij eis obedientiam exhibuerint & fidelitatem juraverint, attendentes quoque cautum esse canonibus quòd omnis Ecclesia Episcopo in cujus episcopatu consurgit subesse debeat, te à petitione memoratæ Abbatissæ super libertate quam sibi adversùs te vendicare nitebatur de communi fratrum nostrorum consilio absolvimus, & tam tibi quàm Ecclesiæ tuæ idem monasterium adjudicavimus & perpetuò subesse decrevimus. Vt autem hæc nostræ diffinitionis sententia rata & firma permaneat, & perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, eam auctoritate apostolica roboramus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem &c.] Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum apud sanctum Germanum XII. Kal. Augusti, anno undecimo.

PRIORI ET CLERICIS sanctorum Iohannis & Pauli Tudertinensis.

Epist. 117. Ecclesia S. Hilarij ei adjudicatur.

CVm inter vos ex parte una & dilectum filium Abbatem sancti Petri de Monte Spoletanæ diœcesis ex altera coram venerabili fratre nostro Episcopo Tudertino & dilectis filiis Priore & I. Canonico sancti Gregorij Spoletanensis à nobis judicibus delegatis super Ecclesia sancti Hilarij Tudertinensis quæstio verteretur, ex parte tua, fili Prior, fuit propositum coram eis tertiam partem ipsius Ecclesiæ sancti Hilarij tam in possessionibus & oblationibus quàm in cellis etiam de jure ad suam Ecclesiam pertinere. Ceterùm ex parte ipsius Abbatis fuit propositum ex adverso ipsam Ecclesiam sancti Hilarij pertinere ad ipsum cum possessionibus & omnibus quæ habebat. Super quibus cùm testes ex utraque parte producti, recepti, & examinati fuissent, iidem tandem judices attestationes ipsorum cum propriis sigillis signatas cum quibusdam aliis authenticis scriptis nobis mittere curaverunt, præfigentes partibus terminum competentem, in quo cum ipsis nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Cùmque partes essent in nostra præsentia constitutæ, dilectum filium A. Subdiaconum & Capellanum nostrum eis concessimus auditorem; coram quo attestationibus, sicut decuit, publicatis, fuit super ipsis aliquandiu disputatum. qui nobis retulit diligenter quæ proposita fuerant coram eo. Sanè cùm pars tua, fili Prior, per suos testes niteretur probare in prænominata Ecclesia sancti Hilarij jus patronatus habere ac ipsam Ecclesiam pro tertia parte à quadraginta annis & ampliùs in oblarionibus & mortuariis aliisque proventibus pacificè tenuisse, necnon ad se pertinere pro præfata terra Clericos ordinare in Ecclesia memorata, hoc solùm invenimus sufficienter esse probatum, quòd à quadraginta annis & ampliùs tertiam partem oblationum Ecclesiæ sancti Hilarij Ecclesia sanctorum Iohannis & Pauli recepit, & ipsam Clericis institutis per Abbatem de Monte ac Clericis sanctorum Iohannis & Pauli commisit aliquando colligendam. Nos igitur quæ proposita sunt diligentiùs attendentes, Ecclesiæ sanctorum Iohannis & Pauli tertiam partem oblationum in Ecclesia sancti Hilarij adjudicare curavimus, auctoritate præsentium decernentes ut sibi

liceat, sive institutis in eadem Ecclesia per Abbatem, sive sanctorum Iohannis & Pauli Clericis, sicut probatum est & hactenus consuetum partem ipsam committere colligendam, super aliis perpetuum tibi silentium imponentes. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

STEPHANO NEPOTI NOSTRO.

Epist. 128. Et adjudicatur prædicta Baiocensis.

DIlectis filiis P. Clerico nuntio tuo & R. Iohannis de Waureio Clerici procuratore in nostra præsentia constitutis, idem nuntius graviter est conquestus quòd cùm in Baiocensi Ecclesia sibi fuerit præbenda collata quam venerabilis frater noster Baiocensis Episcopus ante promotionem suam obtinuisse dinoscitur, ejusdem præbendæ liberam dispositionem habere non poteras nec Ecclesias & res alias pertinentes ad ipsam pacificè possidere, dicto I. falsò asserente se in ipsa præbenda Vicarium perpetuum constitutum, & te hujusmodi occasionis obtentu multipliciter molestante. Vnde petiit supradictum I. à sui molestatione compesci. Procurator verò prædictus ex adverso proponens eundem I. olim in eadem præbenda perpetuum Vicarium institutum, nec pro ea nisi ad annuam pensionem triginta quatuor librarum Turonensis monetæ teneri, nobis humiliter supplicavit ut liberam ejusdem præbendæ provisionem ac rerum pertinentium ad eandem dictum I. faceremus habere, sicut hactenus consuevit, non permittentes eundem ab aliquibus super hoc indebitè molestari. Ad fundandam autem intentionem suam & defensionem ejusdem I. transcripta quarundem litterarum exhibuit, quibus tantummodo se asseruit uti velle, quarum authentica penes dictum I. esse dicebat. Porrò in uno transcriptorum ipsorum perspeximus contineri bonæ memoriæ Constantiensem Episcopum ad præsentationem H. quondam Canonici Baiocensis eidem I. Ecclesiam de Waureio cum pertinentiis suis in perpetuam eleemosynam concessisse, ita videlicet quòd idem I. duodecim libras Andegavenses prædicto H. solveret annuatim. Ad quod tua pars ita respondit, quòd etsi transcriptis hujusmodi fides nequaquam esset habenda, per illud tamen transcriptum idem I. prædictæ præbendæ Vicarius nullatenus esse probatur, sed potiùs quandam Ecclesiam sub annuo censu in eleemosynam recepisse. Verùm ejusdem eleemosynæ liberalitas ab ipso Episcopo ad præsentationem ejusdem H. sibi factæ ultra tempus vitæ ipsius H. in præjudicium substituendi Canonici non potuit prorogari, maximè cùm consensus Episcopi & Capituli Baiocensis, ad quos ea res principaliter pertinebat, accessisse nullatenus allegetur. In transcripto verò litterarum felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri, quod idem obtulit procurator, continebatur expressè quòd ad petitionem ejusdem I. qui se in jamdicta Ecclesia proposuit perpetuum Vicarium institutum ac pensionem ejusdem longè magis adauctam quàm fuisset tempore Lateranensis Concilij celebrati, dictus prædecessor noster memorato Episcopo Constantiensi mandavit ut pensionem ipsam ad eum statum appellatione remota reduceret quo tempore celebrati Concilij fuisse constaret. Qui ejusdem auctoritate mandati pensionem ipsius Ecclesiæ, tamquam adauctam, ad quatuor libras & decem solidos Andegavensis monetæ sententialiter reducere procuravit, sicut ex transcripto litterarum ipsius argui poterat evidenter, cujus sententiam, sicut rationabiliter erat lata, memoratus prædecessor noster asseritur confirmasse. Ad quod probandum quoddam rescriptum dictus exhibuit procurator. Ad hæc autem fuit à tua parte responsum quòd cùm in prænotato transcripto Constantiensis Episcopi tantummodo exprimeretur eundem I. dictam Ecclesiam in eleemosynam recepisse, non utique Vicarium constitutum, manifestè constare dicebat supradictas litteras prædecessoris nostri, in quibus asseruit se perpetuum Vicarium constitutum & ejusdem Ecclesiæ pensionem adauctam, per falsitatis suggestionem obtentas, unde nec ex ipsis nec ex sententia Constantiensis Episcopi, qui earum auctoritate processit, nec etiam ex confirmatione apostolica subsecuta debebat idem I. aliquod commodum reportare, præsertim cùm tam beneficio litterarum illarum quàm sententiæ prædicti Episcopi renuntiasse penitùs videretur cùm eandem Ecclesiam postmodum ad firmam recepit sub longè majori annua pensione, sicut apertè colligitur ex transcripto inferiùs annotato. Transcriptum enim litterarum bonæ recordationis Episcopi, Decani, & Capituli Baiocensis præsentavit, per quod causam suam idem procurator potissimùm defendere nitebatur; in quo continetur expressè quòd magister R. de Ablegiis, tunc Canonicus, nunc Episcopus Baio- Vide cap. *Auditis.* De elect.

censis de ipsorum consensu præbendam suam de Wareio cum pertinentiis suis, tam Ecclesiis quam hominibus, & dominicis Ecclesiarum, & aliis, sub annua firma triginta quatuor librarum Andegavensium eidem I. concesserat perpetuò retinendam; quam concessionem post promotionem suam idem Episcopus innovavit, & eandem Constantiensis Episcopus dinoscitur approbasse, sicut per transcripta litterarum ipsorum videbatur liquidò comprobari. Verùm ad hoc pars tua respondit quòd per transcriptum præmissum Episcopi & Capituli Baiocensis dictus I. non Vicarius sed firmarius potiùs seu pensionarius probabatur. Vnde cùm hujusmodi firma de jure vel consuetudine diutiùs durare nequiverit nisi donec is qui dedit ad firmam jus habuerit in præbenda, constare dicebat quòd postquam idem magister R. assumptus extitit in Episcopum ipsa fuit utique firma finita: quia licèt idem magister, cùm præbendam dedit ad firmam, eam concesserit perpetuò possidendam, intelligendum tamen est quòd tamdiu esset eadem concessio duratura donec ipse in præbenda jus aliquod obtineret, ut illud secundùm sanum intellectum ad suum perpetuum referatur. Sed nec per consensum Episcopi & Capituli idem I. jus aliquod retinere potuit in præbenda postquam ipsam habere desiit qui eam dedit ad firmam: quia cùm consensus ipse accederet facto Canonici, dictus I. non potuit diutiùs commodum ex ipso consensu percipere quam concessio à Canonico facta duraret; præcipuè cùm Episcopus & Capitulum nequiverint in tam enormem substituendi Canonici læsionem suum accommodare consensum, nec sub annua firma triginta quatuor librarum idem I. præbendam ipsam perpetuò retinere, quæ centum viginti libras valere proponitur annuatim; cùm & hoc, non solùm in damnum, sed etiam opprobrium redundaret Ecclesiæ, ut Canonicus modica pensione præbendæ suæ contentus existeret, & idem I. de ipsius proventibus abundaret; qui, quantum ad regularitatem & vitam, qualis perhibeatur existere subticemus. Proposuit pars tua insuper concessionem factam ab eodem Baiocensi Episcopo nullam esse, cùm eo tempore facta fuerit quando ad eum minimè pertinebat. Vnde per consequentiam approbatio Constantiensis Episcopi nullum tibi potuit præjudicium generare. Nos igitur iis & aliis quæ nuntius & procurator prædicti proponere curaverunt pleniùs intellectis, habito consilio cum fratribus nostris, eundem I. ad restitutionem Ecclesiarum sanctæ Trinitatis de Waureio, sanctæ Mariæ de Ver, & S. Petri de Mainilhamant cum pertinentiis earundem & aliarum rerum ad præbendam de Waureio spectantium duximus condemnandum, tam super vicaria quàm super firma, quæ jam procul dubio noscitur esse finita, ei perpetuum silentium imponentes, decernendo ut tu tam de ipsis Ecclesiis quàm de aliis ad tuam præbendam spectantibus liberè de cetero absque cujuslibet contradictione disponas. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum apud sanctum Germanum Nonis Iulij, anno undecimo.

DILECTIS FILIIS MAIORI & Willelmo Archidiaconis, & Priori sancti Victoris Parisiensis.

Epist. 119. De præbenda S. Martini Turon. adjudicata M. Willelmo.

INducti dudum laudabili testimonio quod dilecto filio magistro Willelmo latori præsentium de moribus & scientia redebatur, suæque necessitati paterno condescendentes affectu, cùm ecclesiasticum beneficium, quo utique dignus erat, ad inopis vitæ solatium non haberet, Capitulo beati Martini Turonensis dedimus in mandatis ut eum reciperent in Canonicum & in fratrem. Cùmque dilectus filius Windocinensis Abbas & commonitores ipsius eos ad id sollicitè monuissent, sicut ipsi per suas nobis litteras retulerunt, respondere quidem distulerunt, in primis occasionem absentiæ Decani sui & Thesaurarij prætendentes; quibus demum in ipsius receptione magistri assensum suum per suas litteras impendentibus, illi finaliter responderunt quòd licèt personam ejus notam haberent, utpote qui diù fuerat apud eos laudabiliter conversatus, eisque, sicut vir discretus & prudens, esse poterat necessarius, quia tamen quosdam alios ex promissione recipere tenebantur, & Ecclesiæ suæ facultates minimè suppetebant, commodè tunc non poterant mandatum apostolicum adimplere. Vnde nos iteratis humilitatis suæ supplicationibus inclinati, dilectis filiis Abbati sanctæ Genovefæ ac coëxecutoribus ejus per scripta nostra præcepimus ut præfatum Capitulum, nisi rationabilem causam obiceret & probaret propter quam non deberet hoc vel non posset impleri, præsertim cùm idem magister de morum ac litteraturæ sufficientia commendaretur ab eo, sublato cujuslibet

libet contradictionis & appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam coërcerent, quòd ipsum in fratrem reciperet & Canonicum, & stallum in choro & locum in Capitulo assignaret eidem. Qui, sicut per suas nobis litteras intimarunt, rite in ipso negotio procedentes, licèt pars Capituli nonnullas exceptiones frivolas prætendisset, & quidam pro parte ipsa coram uno prædictorum executorum frustratoriè ad nostram audientiam appellaverint ante diem quæ partibus extiterat assignata, quia demum nihil fuit contra præfatum magistrum ostensum propter quod mandatum deberet apostolicum impediri, & tam per confessionem partium quàm depositiones testium plenè constitit plures Canonicos illius Ecclesiæ, postquam ordinata ultimò fuerat, discessisse, in quorum locis nondum erant aliqui substituti, ad audiendum sententiam sententiam peremptorium terminum partibus præfixerunt. Quia veerò prædictum Capitulum peremptoriè sæpe citatum contumaciter se subtraxit, duo executorum ipsorum, tertio legitimè excusato, sententialiter decreverunt ut non obstantibus illis quæ objecta fuerant à Capitulo, dictus magister in fratrem reciperetur & Canonicum Ecclesiæ memoratæ atque stallum in choro & in Capitulo locus assignaretur eidem, Capitulo ipsi firmiter injungentes ut hoc effectui demandaret. Quod quia contumaciter adimplere contempsit, suspensionis primùm, ac demum, quia post suspensionem nihilominus celebravit, excommunicationis in ipsum sententiam protulerunt; & sic tandem quidam de Capitulo ipso redeuntes ad cor, præfatum magistrum juxta præscriptam sententiam receperunt, aliis in sua non metuentibus contumacia perdurare. Nuper autem cùm idem magister in nostra præsentia constitutus processum executorum suorum peteret confirmari, tam ipsum quàm dilectum filium A. Canonicum Ecclesiæ supradictæ, qui pro negotiis ejus ad apostolicam sedem procurator accesserat, mandavimus per dilectum filium Tullium Subdiaconum & Capellanum nostrum audiri. In cujus præsentia cùm Canonicus ipse penitùs recusasset aliquid proponere vel agere contra eum, demum ipsum ad pacis osculum in fratrem & Canonicum de mandato nostro recepit. Cùm igitur quædam litteræ contra præfatorum executorum processum per quendam nuntium Ecclesiæ memoratæ, cujus petitionem pluries super hoc dicimur repulisse, nomine ipsius Capituli veritate suppressa dicantur à nobis & expressa falsitate subreptæ, videlicet in hunc modum, quòd cùm inter ipsos ex parte una & præfatum magistrum ex altera coram dicto Abbate ac conjudicibus suis super receptione ipsius in eorum Ecclesia quæstio verteretur, iidem judices in negotio ipso perperam procedentes, post appellationem ad nos legitimè interpositam iniquam tulerunt sententiam contra ipsos, volentes ejusdem magistri laboribus & expensis finem imponere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, revocato in statum debitum si quid per hujusmodi litteras inveneritis immutatum, dictas sententias, diffinitivam videlicet, ut est justa, & suspensionis & excommunicationis, sicut rationabiliter sunt prolatæ, faciatis usque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, sollicitè provisuri ne per defectum vestrum multiplicetur memorato magistro necessitas ulteriùs propter hoc ad sedem apostolicam laborandi; qui occasione laboris hujusmodi attenuatus est graviter, non solùm in rebus, verùm etiam in persona. Nullis litteris veritati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Soræ VIII. Idus Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

COMITIBVS, BARONIBVS, civibus & ceteris regni fidelibus in Apulia constitutis.

Epist. 130. Super adjutorio præstando Regi Siciliæ. *Vide gesta Innoc. III. cap.* 40.

AFfectum dilectionis & gratiæ quem habemus ad Regem & regnum Siciliæ licèt in multis multotiens ostenderimus, nunc tamen evidentiùs & expressiùs per effectum operis demonstramus, cùm propter necessitatem urgentem in regnum personaliter descenderimus, ceteris mundi negotiis ex magna parte postpositis propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem & justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam initium assecuti, progressum intendimus facere meliorem, ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus sicut divinam & apostolicam ac regiam gratiam caram habetis, ordinationem quam fecimus super Regis adjutorio &

succursu, defensione ac pace regni, ad exemplar aliorum Comitum & Baronum ac etiam civitatum recipiatis hilariter & efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in capitulari continetur expressa bulla nostra munito, magistris Capitaneis humiliter intendentes qui ad executionem ipsius de mandato nostro fuerint constituti; ne si fortè, quod absit, quisquam præsumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, & nos manus nostras in eum spiritualiter ac temporaliter aggravemus. Quia verò propter fervorem æstatis ad præsens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vices nostras super iis committimus exequendas dilecto filio nostro Gregorio sancti Theodori Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato, cui dilectum filium O. Acolythum nostrum à latere nostro transmissum duximus adjungendum.

GREGORIO SANCTI THEODORI Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato, & O. Acolytho nostro.

Epist. 131. De eadem re.

QVia propter fervorem æstatis non possumus ad præsens descendere in Apuliam, vices nostras vobis duximus committendas, ut ordinationem quam fecimus super succursu & adjutorio Regis & defensione ac pace regni proponatis Comitibus, Baronibus, atque civibus per Apuliam constitutis, & inducatis eosdem ut ad exemplar eorum qui ordinationem ipsam apud sanctum Germanum in nostra præsentia juraverunt, jurent & ipsi se fideliter servaturos, duos ex ipsis, quos magis idoneos provideritis, magistros Capitaneos statuentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus id prudenter & efficaciter exequi procuretis.

In nomine Domini. Amen. Ordinationem quam Dominus Innocentius Papa fecerit super succursu & adjutorio Domini Regis & super pace ac defensione regni ego .. bona fide servabo, & pro posse meo faciam alios observare. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

Epist. 132. *Vide gesta Innoc. III. cap. 40.*

HÆc est ordinatio quam facimus super succursu & adjutorio Regis & super pace ac defensione regni Siciliæ. Videlicet ut nobiles viri P. Celanensis & R. Fundanus Comites sint magistri Capitanei, quibus super iis in Apulia omnes intendant. Quicunque ordinationem istam receperint, ad invicem sibi pacem observent. Etsi quisquam ab alio fuerit offensus, non statim reoffendat eundem; sed apud prædictos Comites querelam deponat, qui eam secundùm rationem & consuetudinem regni faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerit aut servare, tamquam hostis publicus habeatur, & à ceteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum & adjutorium Regis usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum in expensis eorum à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundùm extimatorum arbitrium quos ad hoc specialiter deputabimus, pensatis debitis servitiis & propriis facultatibus Comitum & Baronum ac etiam civitatum; proviso etiam ut ad opus eorum victualia dirigantur. Civitates autem, Comites, & Barones assignent in propriis expensis certum numerùm bellatorum ad mandatum Comitum prædictorum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem reservamus nobis plenariam potestatem addendi & minuendi, mutandi & declarandi, prout viderimus expedire.

COMITIBVS, BARONIBVS, civibus, ceterisque regni fidelibus à Salerno usque Ceperanum de mari constitutis ad mare.

Epist. 133. De eadem re.

VNiversitati vestræ præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus quatinus nobilibus viris P. Celanensi & R. Fundano Comitibus, quos super succursu & adjutorio Regis & pace ac defensione regni magistros Capitaneos constituimus, per omnia intendatis, ut ordinatio nostra per eos ad salutem & quietem Regis ac regni debitum consequatur effectum, statutis & mandatis ipsorum Comitum sine qualibet contradictione parentes, tam de militibus ad succursum Regis in Siciliam destinandis, quàm etiam de militibus exhibendis contra illos qui præsumerent infringere pacem regni, secundùm extimationem illorum qui de concessione nostra milites ipsos distribuent ad mandatum Comitum prædictorum. Latorem verò præsentium dilectum filium W. scriptorem nostrum specialiter destinamus, ut ad exemplar eorum qui super ordinatione servanda juramentum in nostra præsentia præstiterunt, simile ab aliis recipiat juramentum.

ILLVSTRI REGI ARAGONVM.

Epist. 114. De matrimonio Friderici Regis Siciliæ. Vide supra epist. 4.

VT cariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus Siciliæ Rex illuſtris cariſſimam in Chriſto filiam noſtram Conſtantiam ſororem tuam, quondam Reginam Hungariæ, ducat in conjugem, apoſtolicum impertimur aſſenſum, & quod ſtatutum eſt & conceſſum de duobus dodariis, donationibus videlicet propter nuptias, approbamus. De tertio verò, quod eſt arbitrio noſtro commiſſum, hoc tuæ ſerenitati mandamus, quòd media via duximus incedendum, ita videlicet ut ſecundùm tenorem conventionum ceteris adimpletis, illud ſuper hoc expectetur implendum quod noſtra decreverit providentia, ipſi profectò negotio ſine majoris expreſſionis indicio profutura. Quocirca tuam regalem prudentiam fideliter exhortamur ſollicitè commonentes quatinus moras ulteriùs non innectens, ad conſummationem hujus negotij ſtudiosè procedas; quia longè majus quàm hactenus tibi oſtium eſt apertum. Datum Soræ VI. Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno undecimo.

NOBILIBVS VIRIS RECTORIBVS, Conſulibus, Caſtellanis, civibus, aliiſque fidelibus noſtris per Campaniam conſtitutis.

Epist. 135. De moneta recipienda per totam Campaniam.

CVm ex paucitate denariorum de Flore ac ponderatione ipſorum multa impedimenta proveniant, communi ſuper hoc utilitati providere volentes, univerſitati veſtræ præſentium auctoritate mandamus atque præcipimus quatinus paſſim de cetero tam in magnis commerciis quàm in parvis noſtram recipiatis monetam, quæ vulgò dicitur de ſenatu, & per totam Campaniam recipi faciatis, inhibentes diſtrictiùs ut denarij de Flore amodo non ponderentur ab aliquo, nec pro mercimoniis exigantur. Si quis autem eos exigere vel ponderare præſumpſerit, quadraginta ſolidos curiæ noſtræ pro pœna perſolvat. Quicunque verò debet denarios cenſuales, pro duodecim de Flore reddat ſedecim de ſenatu. Datum Soræ Nonis Auguſti, pontificatus noſtri anno undecimo.

EPISCOPO AVERSANO.

Epist. 136. Mandatum de prima præbenda vacatura.

CVm in Eccleſia tua beneficium non vacaret ad præſens quod dilecto filio S. Acolytho noſtro poſſes conferre, pollicitus es eidem quòd primum in eadem Eccleſia vacans beneficium aſſignare volebas; quod cùm ad noſtram notitiam perveniſſet, fecimus tibi proponi ut præbendale beneficium primum in tua Eccleſia vacaturum reſervares donationi noſtræ, perſonæ idoneæ conferendum, quod tu liberaliter acceptaſti. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus primum præbendale beneficium quod in tua vacabit Eccleſia donationi noſtræ ſtudeas reſervare. Datum apud ſanctum Germanum VIII. Kalend. Auguſti, pontificatus noſtri anno undecimo.

ABBATI ET CLERICIS ſanctæ Mariæ de Flumine de Ceccano.

Ep. ist. 137. De confirmatione privilegiorum. Vide to. 1. Ital. ſac. pag. 725. & in append. pag. 483.

IVſtis petentium deſideriis &c. *uſque* inclinati, perſonas veſtras & Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Flumine, in qua divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis tam eccleſiaſticis quàm muridanis quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis &c. *uſque* ſuſcipimus. Specialiter autem ſancti Stephani & ſancti Quirici Eccleſias cum omnibus tenimentis & pertinentiis ſuis, foreſtam juxta Eccleſiam ſancti Stephani, & de capite pontis de Prato & de Gineis, molendina, vineas juxta Eccleſiam ipſam, & aliam quam emiſtis in loco qui appellatur Marana, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos, & poſſeſſiones alias ad veſtram Eccleſiam pertinentes, ſicut eas juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos eidem Eccleſiæ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Libertates quoque & immunitates necnon & exemptiones ſecularium exactionum à dilecto filio nobili viro Iohanne de Ceccano tam piè quam providè vobis & Eccleſiæ veſtræ conceſſas, ſicut in ejuſdem nobilis authentico perſpeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere. Cujus tenorem de verbo ad verbum præſenti paginæ duximus inſerendum. IN NOMINE DOMINI. Anno dominicæ incarnationis M. C. nonageſimo ſexto, pontificatus Domini Cæleſtini tertij Papæ anno ſexto, Indictione XIV. menſe Iulij, die vigeſimo quarto. Hac die ego Iohannes de Ceccano in præſentia Domini Iordani Cardinalis ſanctæ Pudentianæ cariſſimi patrui mei & venerabilium Epiſcoporum Berardi Ferentinatis, & Petri Signini, & Iohannis Anagnini, & Taddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, & Thedelegarij Terracinenſis, & multorum hominum totius Campaniæ & Ma-

» ritinæ tàm Clericorum quàm etiam laicorum, inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum præteritorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Flumine & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ & universæ familiæ ejus, tam Clericis quàm etiam laicis præsentibus & futuris plenam & perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ, malo usui, & omnibus exactionibus. Et si quis pro quocunque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego nec successores mei per me vel per ministros meos ei, dum ibidem fuerit, violentiam aliquam nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum heredum, vel in proditionem castrorum meorum, vel in combustionem ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus aut laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquando offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam. Salvo jure patronatus. De consilio igitur communi Domini Iordani Cardinalis & omnium Episcoporum & consensu Domini Iohannis de Ceccano institum est ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Dathan & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri.] Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Soræ XIV. Kal. Septembris, pontificatus nostri an. undecimo.

TRECENSI EPISCOPO.

[a] Epist. 138. Scribitur adversùs Canonicos S. Martini Trec.

DIligenter auditis & perspicaciter intellectis depositionibus testium qui de mandato nostro in causa quæ inter dilectum filium P. electum ex parte una & V. Ia. Io. & A. Canonicos Ecclesiæ sancti Martini Trecensis ex altera vertebatur fuere recepti, de fratrum nostrorum consilio eundem electum ab impetitione ipsorum duximus absolvendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus electo præfato ut super labe simoniacæ pravitatis, quæ illi objecta extiterat, cum tertia manu sui ordinis se canonicè purget, indicas, & eidem purgato facias à Canonicis omnibus obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Canonicos verò præfatos, quos fuisse constat contra eundem electum multipliciter malignatos, sicut etiam quidam eorum sponte confessi sunt coram nobis, ab invicem dividas, & ad agendum pœnitentiam in aliis monasteriis ponas eos, singulos in singulis collocando; ut Ecclesia memorata, quæ per insolentiam eorundem graviter est afflicta, valeat respirare. Datum Soræ XVII. Kal. Septembris pontificatus nostri anno undecimo.

IOHANNI DE CARBONE ac Benedicto fratribus.

Epist. 139. Confirmatur permutatio facta inter eos à monasterium Casinense.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, permutationem inter dilectos filios Roffridum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem Abbatem & conventum Casinensem ex parte una & vos ex altera super quibusdam hominibus quos carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris tibi, fili Iohannes, & heredibus tuis in castro Plumbarolæ concesserat, pro quibus in territorio dicti castri præfati Abbas & monachi vobis quandam startiam concesserunt, rationabiliter factam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in instrumento exinde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam instrumentum ipsum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum. IN NOMINE DOMINI nostri Iesu Christi. Anno incarnationis ejus millesimo ducentesimo octavo, & undecime anno regni Domini nostri Frederici gloriosissimi Regis, mense Iulij, octavo decimo die ejusdem mensis, Indictione XI. Profitemur nos Roffridus Dei gratia Cardinalis & Casinensis Abbas recepisse in mandatis à supradicto Domino nostro Frederico Dei gratia illustrissimo Rege ut homines & redditus quos regia curia olim tenuerat in castro nostro Plumbarolæ, quos videlicet ex concessione ejusdem curiæ Iohannes de Ariano aliquando tenuit, casatam scilicet Diaconi Iohannis Guinisi cum familia sua, casatam Iohannis Petri Guinisi, casatam Leonardi Guinisi, casatam Roffridi Iohannis Boni, casatam Riccardi Iohannis

„ Senſi, caſatam Benedicti de Taddæo, ca-
„ ſatam Iohannis de Litto, caſatam Vigo-
„ ritæ de Roffrido, aſſignaremus tibi Iohan-
„ ni de Carbone filio Riccardi Benedicti de
„ Falco. Verùm quia nobis durum videba-
„ tur eos tibi aſſignare, eò quòd totum ca-
„ ſtrum Plumbarolæ in demanium noſtrum
„ tenebamus, & ad jacturam monaſterij
„ noſtri redundare videbatur ſi aliquos ex
„ ipſis hominibus alicui concederemus, tu
„ litteras ſupradicti domini noſtri Regis de-
„ precatorias Domino noſtro Papæ Inno-
„ centio detuliſti ut idem Dominus Papa
„ nobis injungeret quatinus ipſum manda-
„ tum regium nos faceret adimplere. Nos
„ ergo de mandato ſupradicti Domini Pa-
„ pæ & Domini Regis, de conſenſu fratrum
„ noſtrorum nobiſcum habendo magiſtrum
„ Berengerium judicem & Advocatum Ca-
„ ſinenſem de voluntate tua qui ſuprà Io-
„ hannes ex cauſa permutationis per hanc
„ cartam libellariam concedimus vobis Io-
„ hanni & Benedicto fratribus, filiis videli-
„ cet ſupradicti Riccardi, ſtartiam noſtram
„ quam habemus in territorio ſupradicti
„ caſtri Plumbarolæ; & habet hos fines. A
„ prima parte viam publicam, à ſecunda
„ parte terram heredum Guttefridi, & ter-
„ ram Petri de Ruben, & terram Petri de
„ Iuliano, & terram heredum Donati. A
„ tertir parte viam publicam. A quarta par-
„ te terram Petri filij ſupradicti magiſtri Be-
„ rengerij. His finibus iſtam ſtartiam cum
„ omnibus ibi habitis inferiùs & ſuperiùs &
„ cum via ſua intrandi & exeundi vobis Io-
„ hanni & Benedicto ex cauſa permutatio-
„ nis libellario jure concedimus ad poteſta-
„ tem veſtram & heredum veſtrorum, ad
„ habendum & poſſidendum & faciendum
„ inde omnia quæ vobis placuerint uſque in
„ annos viginti & novem; ita ut omni anno
„ in feſto ſancti Benedicti reddatis inde mo-
„ naſterio Caſinenſi nomine cenſus tarenos
„ Amalfiæ octo. Completis verò annis vi-
„ ginti & novem nos vel noſtri ſucceſſores
„ aut pars noſtri monaſterij vobis vel here-
„ dibus veſtris renovare debeamus hunc li-
„ bellum pro uncia auri una. Et ex hac per-
„ mutatione recepimus à te qui ſuprà Io-
„ hannes omnes ſupradictos homines & red-
„ ditus à ſupradicta regia curia tibi conceſ-
„ ſos, quos longè utiliores monaſterio no-
„ ſtro eſſe cognoſcimus quàm ſupradicta
„ ſtartia quam vobis conceſſimus. Vnde
„ obligamus nos & poſteros noſtros & par-
„ tem noſtri monaſterij vobis & heredibus
„ veſtris ſupradictam ſtartiam defendere &
„ anteſtare amodo & uſque ad ſupradictum
tempus ab omnibus hominibus omnibuſ-
que partibus. Si autem non defenderimus
vobis & non compleverimus omnia ſupra-
dicta, vel ſi hanc permutationem quo-
cunque ingenio infringere vel hanc char-
tam in quavis parte refutare tentaverи-
mus, pœnam dupli quantum ſupradicti
homines & redditus quos à te qui ſuprà
Iohannes recepimus valent, nos & poſte-
ros noſtros & partem noſtri monaſterij
vobis veſtriſque heredibus componere ob-
ligamus, & inſuper hoc ſcriptum firmum
permaneat uſque ad ſupradictum tempus.
Et taliter nos Roffridus Dei gratia Car-
dinalis & Caſinenſis Abbas de conſenſu
fratrum noſtrorum nobiſcum habendo ſu-
pradictum judicem & Advocatum Caſi-
nenſem qualiter nobis congruum fuit fe-
cimus, & tibi Nicolao noſtro & civitatis
ſancti Germani publico Notario hanc
chartam ſcribere juſſimus. Actum in ſu-
pradicto monaſterio Caſinenſi. Ego qui
ſuprà Roffridus Dei gratia Cardinalis &
Caſinenſis Abbas. Ego frater Petrus Co-
mes Caſinenſis Decanus. Ego frater Vi-
talis ſacerdos & monachus. Ego frater Se-
nioretus ſacerdos & monachus. Ego fra-
ter Petrus ſacerdos & monachus. Ego fra-
ter Philippus Soræ ſacerdos & monachus.
Ego frater Lando Caſinenſis Hoſpitala-
rius. Ego frater Iohannes Caſinenſis Ve-
ſtararius. Ego frater Maurus ſacerdos &
monachus. Ego frater Roggerus ſacerdos
& monachus. Ego frater Thomas ſacer-
dos & monachus. Ego frater Clemens ſa-
cerdos & monachus. Ego frater Girardus
ſacerdos & monachus. Ego frater Iohan-
nes P. ſacerdos & monachus. Ego frater
Adenulfus Diaconus & monachus. Ego
frater Lando Diaconus & monachus. Ego
frater Otto Diaconus & monachus. Ego
frater Iohannes Diaconus & monachus.
Ego frater Alexander Diaconus & mona-
chus. Ego frater Roffridus Diaconus &
monachus. Ego frater Robertus Diaco-
nus & monachus. Ego frater Iohannes
Diaconus & monachus. Ego frater Iere-
mias Diaconus & monachus. Ego frater
Philippus Diaconus & monachus. Ego
frater Simon Subdiaconus & monachus.]
Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c.
Si quis autem hoc attentare præſumpſe-
rit &c. Datum Soræ 11. Idus Auguſti,
pontificatus noſtri anno undecimo.

MAGISTRO MILITIÆ sancti Iacobi.

Epist. 140. Respondet ad ejus consulta.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam miles, ut idem asserit, infirmitate detentus apud fratres Grandimontenses professionem fecit tantummodo, sed habitum non recepit; quem cùm restitutus postmodum sanitati humiliter postulasset, fratres præfati, nisi pretium hereditatis suæ secum afferret, sibi concedere noluerunt, nec etiam dare licentiam ad religionem aliam transeundi. Porrò miles prædictus ad quandam domum militiæ sancti Iacobi veniens, ibidem facta professione suscepit habitum regularem, fratribus domus ejusdem ignaris penitùs præmissorum. Vnde postulabas per sedem apostolicam edoceri utrum ipsius militis assertioni simplici sit credendum ut à præfata domo recedat, vel in eadem debeat remanere, in qua ipsum non est dubium facta professione habitum suscepisse. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm Grandimontensis ordinis regula longè arctior sit quàm vestra, ei ad illam maximè redire volenti non est difficultas aliquatenus ingerenda. Tua nos præterea devotio requisivit, cùm plures fratres militiæ sancti Iacobi à prædecessoribus tuis accepta licentia, quæ secundùm institutionem ordinis non debet petentibus denegari, in expensis domus tibi commissæ extra ipsam vitam elegerint arctiorem, utrum eos, cùm eidem domui videris expedire, ad collegium valeas revocare, ita quòd inter fratres vitam quam elegerant arctiorem agant, ad melioris conversationis exemplum. Ad hoc tibi breviter respondemus, quòd cùm nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro aptus sit regno Dei, non est quisquam talium reducendus ad locum quem propter regnum Dei provida deliberatione reliquit, nisi causa necessitatis urgentis aut evidentis utilitatis alicui specialiter ex dispensatione sedis apostolicæ concedatur. Datum Soræ Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Vvigornienſi Episcopis.

Epist. 141. De causa Ecclesiæ Cantuarien sis. *Vide gesta Innoc. III. cap.* 131. 132.

ABsit à nobis ut illis meritò comparemur quibus improperat Psalmista dicendo, *Filij Effrem intendentes arcum & mittentes sagittas in die prælij sunt conversi*; ne fortè, quod summus pastor avertat, etiam mercenario comparemur, qui secundùm parabolam evangelicam videt lupum venientem & dimittit oves & fugit; cùm potiùs parati simus pro domo Domini nos murum opponere ascendentibus ex adverso & animam nostram dare pro ovibus nostris, si necessitas postularet. Licèt igitur affectemus inter regnum & sacerdotium pacem plenissimam in Anglia reformari, quantum in nobis est pacem cum omnibus hominibus habere volentes, frustra tamen quivis hominum machinatur vel alienis suggerere vel propriis persuadere commentis quòd nos occasione quacunque contra libertatem ecclesiasticam declinare velimus ad dexteram vel sinistram, cùm hujus causa certaminis hunc absque dubio tendat ad finem ut Ecclesia Dei, quæ ancillata jacebat, liberata resurgat. Quocirca fraternitatis vestræ prudentiam insinuatione præsentium reddimus circumspectam, ut à vanis suggestionibus penitùs avertentes auditum, quæ profectò immissiones sunt per angelos malos, secundùm tenorem & formam mandatorum nostrorum, omni sinistra interpretatione cessante, fideliter procedatis, ita videlicet ut sententiam interdicti nec priùs nec aliter relaxetis quàm carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Anglorum illustris venerabilem fratrem nostrum Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum S. R. E. Cardinalem tamquam Archiepiscopum Cantuariensem recipiat & pertractet, præstita securitate tam sibi quàm suis quæ ad hoc secundùm vestræ discretionis arbitrium visa fuerit opportuna, & restitutionem plenariam exhibeat ablatorum tam eidem Archiepiscopo quàm monachis Cantuariensis Ecclesiæ necnon aliis Ecclesiis & personis, ipsosque monachos ad Ecclesiam suam redire permittat ac manere securos, & regalia vniversa vel per se ipsum eidem Archiepiscopo conferat & assignet, vel, si maluerit, vos vice nostra illa conferatis & assignetis eidem; ita quòd ipse sibi pro illis quemadmodum ejus prædecessores suis progenitoribus teneatur, proviso prudenter ne quid deceptionis ex hoc super articulis quibuscunque contra ecclesiasticam interveniat libertatem; iisque rite peractis, relaxetis sententiam interdicti, faciendo præfatum Archiepiscopum, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Si verò circa horum aliquid, de quo meritò valeat dubitari, quicquam emerserit quæstionis, vos recepta priùs ab

ipso Rege idonea cautione quòd nostro consilio & mandato pareat super eo, interdicti sententiam nihilominus relaxetis. Testes qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint quominus testimonium perhibeant veritati, ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes; quatinus inquisita & cognita veritate, si quid super ablatorum restitutione, recompensatione damnorum, & satisfactione injuriarum propter quæstionem subortam remanserit imperfectum, per consilium & mandatum apostolicum compleatur. Hic est tenor mandatorum nostrorum juxta prudentem & simplicem intellectum, quem & in litteris nostris evidenter expressimus, & dilecto filio Abbati Belliloci præfati Regis nuntio exposuimus diligenter. Vnde non solùm indignum, sed & impium reputamus, si quis ausu sacrilego dixerit aut crediderit quòd nos intentionem nostram uno modo uni & altero modo alteri exposuimus, seductoriè variando, cùm apostolica sedes per Dei gratiam & serpentinam prudentiam & simplicitatem habeat columbinam. Ceterùm nostris noveritis auribus intimatum quòd cùm omnes monachi ordinis Cistercienſis in Anglia cœpissent pariter observare sententiam interdicti, paucis diebus elapsis quidam auctoritate propria celebrarunt, alij longo pòst tempore ad mandatum. Cistercienſis Abbatis celebrare cœperunt, nonnulli verò adhuc interdictum observant. Porrò si, quemadmodum vobis per alias litteras meminimus respondisse, viris religiosis ab initio licuisset juxta suorum privilegiorum tenorem, exclusis excommunicatis & interdictis, clausis januis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, nec nobis fuisset molestum, nec absonum extitisset. Veruntamen si ex hoc debilitatur sententia vel negotium enervatur, quacunque occasione quidam ad celebrandum processerint, sive propter illud capitulum quod est eis ab apostolica sede concessum, ut videlicet nullæ litteræ habeant firmitatem quæ tacito nomine Cistercienſis ordinis contra tenorem apostolicorum privilegiorum fuerint impetratæ, sive propter præmissum responsum, quod forsan ad eos aliquo revelante pervenit, vos auctoritate nostra suffulti fiducialiter statuatis quod ipsi negotio videritis expedire, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Ad hæc, præfatum Regem moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut ea quæ per dictum Abbatem Belliloci ex parte sua promissa sunt & oblata, sicut superiùs sunt expressa, sine mora & difficultate qualibet exequatur; quia procul dubio suæ convenit utilitati pariter & saluti ut reputetur ab omnibus favorem & gratiam apostolicæ sedis pleniùs obtinere; neque nos dissimulare possemus quin manus nostras aggravaremus in illum, si fortè cor ejus persisteret induratum ut Deo & Ecclesiæ satisfacere non curaret. Datum Soræ XI. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Vide infrà epist. 213. 258. 259.

MELDENSI EPISCOPO, & Archidiacono Parisiensi.

Epist. 142. Vt infames & criminosi non habeant præbendas in Ecclesia Carnotensi.

Dilecti filij P. Præpositus, S. G. & H. ac quidam alij Canonici Carnotenses olim nobis denuntiando monstrarunt quòd antiqua & approbata consuetudo in Ecclesia obtinuit Carnotensi, ad cujus observationem Episcopus loci juramento tenetur, ut vacante præbenda ipse personam idoneam eligat ad eandem, & Decano, Cantori, Subdecano & Succentori præsentet electam, ad quos pertinere non ambigitur præsentatam vel approbare pro merito vel etiam reprobare; quam utique approbatam Decanus Capituli nomine in Capitulo repræsentat Episcopo, ut ipse illam investiat de præbenda. Cùm igitur venerabilis frater noster Episcopus Carnotensis nuper quendam Camerarium suum, R. videlicet de Salneriis, elegisset ad Ecclesiæ memoratę præbendam, & ipsum dilectis filiis Decano, Cantori, Subdecano, & Succentori ejusdem Ecclesiæ secundùm prælibatam consuetudinem præsentasset, idem Decanus habens pro certo illum multiplici fore respersum infamia, utpote reum furti, sacrilegij, & usuræ, ac testamentorum ruptorum quæ in ultima voluntate à decedentibus condebantur, ut legata in pias causas suis & aliis usibus applicaret, ipsum recipere recusavit, excipiens contra eum & apostolicam sedem appellans, & se offerens legitimè probaturum dictum Camerarium publica super iis infamia laborare. Super quo denuntiatores prædicti inquisitionem fieri petiere. Nos autem dilectis filiis Abbati de Sarnaio & Priori sancti Victoris & Decano sancti Germani Antissiodorensis Parisiensis nostris dedimus litteris in mandatis ut inquisita super iis diligentiùs & cognita ve-

ritate, quod canonicum esset appellatione remota statuerent, & facerent quod super iis ducerent statuendum per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Qui, sicut ex litteris eorum accepimus, juxta mandatum nostrum in negotio procedentes, Carnotum ad diem præfixum partibus accesserunt; ubi facta inquisitione juxta mandatum apostolicum diligenti, dictum Camerarium non solùm publica laborantem infamia, verùm etiam irretitum prænominatis criminibus invenerunt; & reversi Parisius, præhabito ibidem bonorum & prudentum virorum consilio, silentium imposuerunt eidem super præbenda Carnotensis Ecclesię quam petebat, ipsum ab omni officio & beneficio ecclesiastico suspendentes, & ad restitutionem eorum * quos variis, rapinis videlicet, usuris, venditione matrimoniorum, ruptione testamentorum nequiter spoliarat, in manibus nostris beneficia ejusdem ecclesiastica retinentes. Licèt autem dictus Camerarius ad nostram præsentiam accessisset, & postulasset à nobis sibi super sententia dictorum judicum provideri, quia tamen nondum ad nos pervenerat relatio judicum eorundem, à nobis nihil potuit obtinere. Cùm itaque tam per litteras judicum eorundem quàm per attestationes receptas ab ipsis, quas nobis suis sigillis signatas mittere studuerunt, constiterit evidenter dictum Camerarium præscriptis esse criminibus irretitum, quod per eosdem factum est approbamus, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus nonobstantibus aliis litteris quas falsò se asserit super eodem negotio impetrasse, cùm eædem litteræ minimè se contingant, nec super eodem sint negotio impetratæ, cùm in illis de quibusdam criminibus in modum exceptionis, in istis autem in modum inquisitionis super criminibus agi mandetur, sicut ex disputatione coram nobis habita diligenti constitit manifestè, quod factum est per judices memoratos faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Vt autem ceteri qui audierint addiscant à similibus cautiùs abstinere, Carnotensi Episcopo ex parte nostra firmiter injungatis ut de cetero personas hujusmodi à sua penitùs familiaritate repellat; quia cùm talia ipsi possint ascribi, verendum erit ei pariter & timendum ne, cùm divina & nostra patientia sit abusus, pœna sibi gravior infligatur. Datum Sorę XVII. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

* condemnantes

EPISCOPO ET CLERICIS *Narnienſibus.*

Epist. 141. Vt observent interdictum latum in civitatem. Vide gesta Innoc. III. cap. 16.

CVm Narnienses ita sint in reprobum sensum dati ut in profundum vitiorum jam prolapsi contemnant, nos, qui ex injuncto nobis officio singulorum tenemur errata corrigere, insolentiam eorum non valentes ulteriùs sustinere, civitatem ipsorum districtissimo subicimus interdicto, ita quòd nullum ibi divinum officium, nullum penitùs celebretur ecclesiasticum sacramentum, præter, duntaxat in extremis articulis, pœnitentias morientium & baptismata parvulorum. Sepulturam verò penitùs interdicimus, ita quòd si quis aliquem eorum apud Ecclesiam in Christiano præsumpserit cimiterio tumulare, vinculo se sciat excommunicationis astrictum. Mercimonia quoque cum ipsis fieri à quocunque vetamus; & qui contra prohibitionem apostolicam in iis eis communicare tentaverit, excommunicationis se noverit laqueo innodandum, aliàs temporaliter puniendus à nobis, si quis hujusmodi temporalis nostræ jurisdictionis existit. Ne igitur vos eorum consortio maculemini, cùm is qui tetigerit picem inquinetur ab ea, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus sceleratorum civitatem pariter exeuntes, per circumposita loca, ubi commodiùs & honestiùs potueritis, maneatis, denuntiantes eisdem quòd nisi à sua contumacia resipuerint, cùm se ac civitatem suam episcopalis reddiderint dignitatis indignos, si tamen civitas dici poterit quæ peccato suo civitatis honore privabitur, pontificalem eis cathedram auferemus, parrochiam ejus per vicinas dioceses divisuri; sic tamen quòd tibi, frater Episcope, quem obedientem novimus & devotum, recompensationem congruam impendemus; aliàs, dante Domino, cervicositatem eorum spiritualiter & temporaliter adeo compressuri quòd per ingens pondus oppressionis in ipsos inductum agnoscent quàm gravis sit manus Ecclesiæ super eos qui Deum & ipsam indurato corde contemnunt. Quocirca devotioni vestræ præcipimus quatenus quæ præmissa sunt inviolabiliter observetis, & faciatis ab aliis observari; ne, si secùs egeritis, quod non credimus, in pœnam vestram eorum culpa redundet; denuntiantes illos diffidatos

diffidatos à nobis, & universis nostris fidelibus injungentes ut eos tamquam diffidatos impugnent. Datum Soræ, pontificatus nostri anno undecimo.

WINDOCINENSI CARNOTENSIS dioecesis & sancti Iuliani Turonensis Abbatibus, & Priori Majoris monasterij Turonensis.

Epist. 144. Super correctione Burgulensis monasterij.

TEnorem litterarum quæ vobis ex parte nostra dicuntur super correctione Burgulienſis monaſterij præſentatæ in litteris citatoriis inſpeximus comprehenſum quas dilectis filiis Lucæ Abbati & conventui ejuſdem monaſterij direxiſtis. Verùm ſi quem vos habere deceret diſcretionis ſpiritum haberetis, ex eo ſaltem credere potuiſtis eaſdem litteras de conſcientia noſtra minimè proceſſiſſe quòd nos tam inconſtantes & mobiles reputare nullatenus debuiſtis ut qui paulò antè non ſine ſollicitudine diligenti per delegatos à nobis monaſterium ipſum ſalubriter corrigi feceramus, recenter voluerimus quæ fuerant bene acta pervertere ac redivivam in eo religionis monaſticæ diſciplinam recidivæ correctionis occaſione vexare. Sed & illud vobis intelligentiam dare potuit quòd præfatæ litteræ nequaquam de noſtra conſcientia manaverunt, quia cùm monaſterium ipſum, non ſolùm publico ſui nomine, verùm etiam per ſui negotia multiplicia, quæ nos frequenter in inſtantia noſtræ ſollicitudinis occuparunt, notiſſimum nobis exiſtat, veriſimile non apparet quòd ejus monachos de Burguol, ſicut in eiſdem litteris continetur, Gallico idiomate ſcripſiſſemus, quos ſermone Latino Burgulienſes conſuevimus appellare. In quo procul dubio deprehenditur quòd ſi litteræ ipſæ quomodocunque à noſtro auditorio proceſſerunt, fraudulenter fuit, ut inſuetum, Gallicum nomen poſitum, ne per Latinum, ut aſſuetum, monaſterium ipſum fuiſſet redditum nobis notum. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ſi nondum per illas litteras proceſſiſtis, procedere per eas nullatenus præſumatis, & ſi quid occaſione ipſarum forſitan attentaſtis, illud ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo penitùs revocetis, ſollicitè proviſuri ut conſideratis omnibus quæ circa litteras ipſas conſideranda videritis, ſi falſitatem ipſarum per vos ipſos potueritis deprehendere, tam impetratores ipſarum quàm eos qui ſcienter fuerint uſi eis ſecundùm pœnam contra falſarios editam appellatione poſtpoſita puniatis. Quòd ſi per vos earum nequiveritis deprehendere falſitatem, ipſas nobis veſtris litteris interclusas dirigere non tardetis; proviſo quòd mandatum noſtrum taliter executioni mandetis ne per alium illud oporteat adimpleri. Alioquin de Claromonte, de Chaloceio, & de Buxeria Abbatibus Ciſtercienſis ordinis Cenomannenſis & Andegavenſis dioceſum dedimus in præceptis ut vobis in ejuſdem executione mandati ceſſantibus, ipſi appellatione remota illud poſt menſem exequi non poſtponant. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Soræ XII. Kal. Octobris, pontificatus noſtri anno undecimo.

LVCÆ ABBATI MONASTERII Burgulienſis ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Vide ſuprà lib. 10. epiſt. 14.

Epiſt. 145. De confirmatione privilegiorum. Vide to. 4. Gall. Chriſt. p. 206.

REligioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſancti Petri Burgalienſis, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis recordationis * Silveſtri Papæ prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus qui ſecundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus &c. Præterea quaſcunque poſſeſſiones &c. idem monaſterium in præſentiarum juſtè ac rationabiliter poſſidet &c. *uſque* permaneant. in quibus hæc propriis &c. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis. Curtim Burgulienſem cum Eccleſia ſancti Germani & Eccleſia ſancti Nicolai ac omnibus utilitatibus ad ipſam curtim & Eccleſias pertinentibus. Eccleſiam quoque Chociacum ſuper fluvium Ligeris cum portu & quicquid ad ipſam pertinet. In pago autem Turonico quartas tres ex beneficio Corbonis Militis. Item ex ſupradicto Milite quartas quatuor de curti Suliacinſe. Item medietatem curtis de Caſſanias, cum medietate Eccleſiæ ſanctæ Mariæ omnibuſque utilitatibus ad medie-

* Vide ibid. pag. 202.

tatem pertinentibus. Item Ecclesiam sancti Hilarij, cum medietate curtis de Vosalia omnibusque utilitatibus suis. Item emptiones quasdam, id est, villam de Cruolio cum iis quæ ad ipsam pertinent. Item Ecclesiam sancti Dionysij in curti Galnaica, & quicquid ad ipsam Ecclesiam vel altare pertinet. Item villas iis nominibus nuncupatas, hoc est, Boorias, Canavas, Laliacum, & quidquid ad ipsas aspicit. Ecclesiam quoque in honore sancti Hilarij, cum curti Fusciacensi & iis quæ ad ipsam pertinent. Item Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ in Bellomonte constitutam, cum decimis & utilitatibus sui. Vineas etiam, prata, & domos, ubicunque adjacent, in circuitu castri Fontaneti, quas scilicet monasterio sancti Petri Burguliensis bonæ memoriæ * Emma Comitissa Pictavensis fundatrix ejusdem pia liberalitate donavit. Item Ecclesiam in honore sancti Stephani cum villa tota quæ dicitur Lotias. Villam quoque Cassaniam integerrimè. Ecclesiam quoque sancti Christofori cum tota villa ac feria, cum vicaria & theloneo integerrimè, absque alicujus personæ dominatione. Villam quoque vocatam ad Brolium Aldefredi. Ecclesiam etiam de Oziaco cum tota villa. Item has villas, videlicet Podium Caninum, vel Regia Lemovicinaria, Podium Letardi de Donnavineda, Mansum Ledramni & Aloda, & juxta Cassanum villam supradictam. Ecclesiam in honore sancti Martini cum tota villa quæ vocatur Villaris. Item villas duas, videlicet Drogiacum & Turtum. Item quartas quatuor in villa de Odriniaco. In Alniasi pago duas Ecclesias, unam in honore sancti Petri, & alteram sancti Nazarij, sitas ad Ingolinas supra littus maris. Item præbendam sancti Martini ex regali abbatia quemadmodum accipiunt qui intus serviunt. Præbendam quoque sancti Martini Condatensis vici, cum Ecclesiis, domibus, & pratis ad ipsam pertinentibus. In pago autem Ebroicensi curtim quę vocatur Coldra, & villam quę dicitur Francavilla, cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis, & tertiam partem de Longavilla super fluvium Secanæ. Prioratum sancti Christofori de Castroforti, cum Ecclesiis parrochialibus & aliis pertinentiis suis. Prioratum sancti Saturnini de Cabrosia cum parrochialibus Ecclesiis & aliis pertinentiis suis. Prioratum sancti Martini de Palatiolo, prioratum sancti Petri de Limos, prioratum sanctæ Mariæ de Plaisiaco, & prioratum sancti Andreæ de Nielfa, cum Ecclesiis parrochialibus & aliis pertinentiis suis. Prioratus etiam de Consannivilla, de Espelteriolis, de Bancort, de Turtiniaco, de Niolio, de sancto Leodegario, de sancto Andrea de castro Mirebelli, de sancto Porcario infra civitatem Pictavensem, de sancto Hilario, de Gorgeio, de Raiatia, de Faya, sanctæ Mariæ de Perusia, sanctæ Mariæ de Belloloco in civitate Engolismensi, de Gratiaco, de Trau, de Coz, de Someraco, sancti Melanij de castro Cainonis, de sancto Michaële, de Ingrandia, de Derevalle, de Essartis, de Escol, de Bremio, & de insula Vlgerij, cum Ecclesiis parrochialibus & aliis pertinentiis suis. Parrochialem Ecclesiam sanctæ crucis Turonensis, parrochialem Ecclesiam de Varennis, parrochialem Ecclesiam de Secundiaco, & parrochialem Ecclesiam de Oleta, cùm redditibus quos debetis percipere ab eisdem. Curtim de Plessiaco, curtim de Callonia, curtim de Millevrello, curtim de Brollia, curtim de Roca-Monachi, & curtim de Buccello cum parrochiali Ecclesia & aliis pertinentiis suis. Auctoritate quoque præsentium inhibemus ne cujusquam civitatis Episcopus Concilium in eodem monasterio absque consensu & voluntate Abbatis ac monachorum ejusdem loci celebrare præsumat, quemadmodum est de consensu Raynaldi tunc Andegavensis Episcopi ab eodem nostro prædecessore statutum. Ecclesiæ verò monasterij vestri, in quibuscunque territoriis sitæ fuerint, absque alicujus Episcopi seu Archidiaconi necnon & alterius personæ inquietudine, excepto synodali vel quæ vulgò circada vel parata dicitur, redditione consistant. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. *usque* beati Benedicti regulam providerint eligendum. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. *usque* celebrare. Paci quoque ac tranquillitati vestræ &c. *usque* audeat exercere. Præterea præsentium auctoritate vetamus ut de novalibus vestris, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat etiam vobis Clericos vel laicos liberos &c. *usque* retinere. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis &c. *usque* quod postulatur impendat. Ad hæc, novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusque personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque &c. *usque* cor-

* Vide to. 4. Gall. Christ. pag. 201.

pora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Soræ per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XI. Kal. Octobr. Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

RECTORIBVS ROMANÆ fraternitatis.

Epist. 146. Respondetur ad eorum consulta.

DE homine qui ab adolescentia sua bellica castra secutus, mulierem, quæ successivè fuerat concubina duorum, sibi matrimonio copulavit, susceptaque prole de ipsa, defuncta demum eadem habitum religionis assumpsit, hoc vobis duximus respondendum, quòd, sicut vos ignorare non decet, nequaquam debet ad sacros ordines promoveri; qui si fuerit fortè promotus, in suscepto sic ordine sustineri non debet; maximè si sibi suoque ordinatori super irregularitate hujusmodi denunciatio facta fuerit, eaque contempta, extiterit ordinatus. Is autem qui de magis arcta religione transit ad minùs arctam, non est sustinendus in illa, nisi fortè propter debilitatem aut infirmitatem seu aliam causam rationabilem ab eo dispensatum cum ipso fuerit qui potuit dispensare. Ceterùm hujusmodi quæstiunculas leves reputavimus, immo nullas, & de quibus nec consulere patres urbis nec patrem orbis consuli opus erat, cùm à Canone diffinitæ difficultatem aliquam continere minimè dinoscantur. Sed facilibus difficilem addidistis, incipientes à minimis, & ad maximam pertingentes; quas profectò cùm diligenter evolvimus, quasi de rota quæ ad fingendum urceum volveretur exiret amphora, quæstionem vestram aggravatam sentimus. Quæsivistis enim à nobis quid de incauto Presbytero videatur, qui se sciens in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, pro sui facinoris conscientia dubitat celebrare, arctatusque graviter è duobus, dum divinum exequi * ministerium metuit, ne populum illud expectantem offendat, & corpus Christi conficere perhorrescit, ne sumens ipsum indignè, judicium sibi manducet & bibat, peractis ceteris circunstantiis Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis quibus conficitur corpus Christi, panem & vinum tantummodo purum sumit, ita credens per id quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc quod intendit Deum non debeat provocare. Cùm ergo falsa sint abicienda remedia quæ sunt veris periculis graviora, licèt is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, ab hujusmodi sacramento reverenter debeat abstinere, ac ideo peccet graviter si se ingerit irreverenter ad illud, quamvis tamen proculdubio videtur offendere qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cùm ille culpam vitando dum facit, in solius misericordis Domini manum incidat, iste verò culpam faciendo dum vitat, non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed & populo quem decipit, se astringat. Datum Soræ X. Kal. Octobr. pontificatus nostri anno undecimo.

Cap. De homine. De celebr. Miss.

* In tertia collect. mysterium

RECTORI ET FRATRIBVS hospitalis sancti Bartholomæi in Silice Lucanensi.

Epist. 147. Definitur quæstio de electione rectoris ejusdem hospitalis.

Cap. Cùm olim. De arbitris.

CVm olim super eligendis in hospitali vestro rectore ac fratribus inter vos & dilectum filium Priorem Ecclesiæ sancti Bartholomæi Lucani coram Priore sancti Fridiani & Primicerio sancti Martini Lucanensis à sede apostolica judicibus delegatis quæstio verteretur, & utraque pars in eosdem judices compromittens, ipsorum arbitrium se promiserit servaturum, ac ipsi judices certum duxerint arbitrium proferendum, super prolato arbitrio utrinque dubitatio est exorta, quam petiistis per sedem apostolicam declarari. Nos igitur, publico instrumento arbitrium continente diligenter inspecto, cognovimus quòd secundùm formam arbitrij Prior sancti Bartholomæi Lucani tenetur habere consilium cum familia hospitalis ejusdem & tractare cum ea de inveniendo rectore, sed sive concordet sive discordet familia cum ipso Priore, idem Prior eligere debet in utroque casu rectorem. Propter quod dicimus quòd nisi Prior super inveniendo rectore tractaverit cum familia hospitalis & ipsius consilium requisierit, non habet potestatem eligendi rectorem, & si alio modo rectorem elegerit, ejus electio haberi debet irrita & inanis. * Verùm habita cum familia consilio & tractatu de inveniendo rectore, ipse Prior

* In tert. collect. Vnde. At vv. cc. habent Verùm, ut hic.

liberè potest rectorem eligere, duntaxat idoneum, sive concordet sive discordet cum ipso familia super inventione rectoris. Ne verò familia concordante in personam idoneam, Prior ab ipsa malitiosè discordet, sub obtestatione divini judicij districtè præcipimus ut Prior malitiosè non respuat personam idoneam in quam familia concordaverit, sed eam cum ipsius consilio & tractatu eligat in rectorem; ita quòd si contra hoc districtum præceptum ausu processerit temerario, postquam id apud superiorem fuerit sufficienter ostensum, & ejus cassetur electio, & ipse canonicè puniatur. Licèt autem secundùm formam arbitrij fratres qui recipiendi sunt in hoc hospitali recipi debeant per manus prædicti Prioris, ei obedientiam promittendo, ne tamen idem Prior malitiosè recuset recipere fratres, ut defunctis præsentibus & in locum eorum nullis aliis substitutis ipsum hospitale liberiùs pro sua ordinet voluntate, sub præmissa districtione jubemus ne defectum fratrum Prior malitiosè procuret, sed cum consensu rectoris & familiæ hospitalis fratres sine difficultate recipiat, quandocunque necessitas postulaverit; ita quòd si hanc contempserit jussionem, postquam de tali fuerit præsumptione convictus, præter pœnam canonicam quam sibi meretur infligi, per rectorem & familiam ea vice fratres in hospitali qui necessarij fuerint ordinentur ipso penitùs inconsulto. Datum Soræ IV. Non. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI de Coldriz Præmonstratensis ordinis.

Epist. 148. De confirmatione privilegiorum.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* effectum. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis Deo propitio poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem locum de Neubon cum Capella, Ecclesiam de Acastre, partem proventuum Ecclesiæ de Cuventona, pasturam Destvvissel, & terram & pasturam de Chautim, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. Si quis autem hoc &c. *usque* incursurum. Datum Soræ VII. Kal. Septembris &c. ut in alia.

CAPITVLO TVRONENSI.

DIligenter auditis & perspicaciter intellectis omnibus quæ coram nobis à partibus proposita & allegata fuerunt super duabus electionibus in vestra Ecclesia celebratis, quia per ea nobis constitit evidenter quod pars illa quæ dilectum filium * Cantorem Parisiensem elegit erat tam auctoritate quàm numero longè minor, & eum extra Capitulum pluribus ex fratribus inconsultis legitima provocatione contempta eligere non expavit, nos exigente justitia electionem de ipso factam duximus irritandam. Quia verò pars altera, quæ dilectum filium * Decanum vestrum elegit, auctoritate longè major erat & numero, quamvis eum post quatuor appellationes elegerit, quia tamen ex eis duæ non fuerunt legitimæ, unde illis non fuerat deferendum, & contra reliquas duas nihil extitit attentatum, cùm ejus persona multorum testimonio nobis fuerit multipliciter commendata, & contra eam nihil omnino fuerit ab adversa parte probatum, nos de communi fratrum nostrorum consilio electionem de ipso factam auctoritate curavimus apostolica confirmare. Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ei de cetero tamquam pastori vestro curetis obedientiam & reverentiam exhibere tam debitam quàm devotam. Datum Ferentini I V. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

* Robertum de Vitreio

* Johannem de Faya

Vide to. 1. Gall. Christ. pag. 774.

SEQVENS EPISTOLA caret inscriptione in veteri codice.

Epist. 150. De electione Abbatissæ de Mantignano.

PEr originales litteras nostras, quas dilectis filiis Abbati de Plana de Septimo & Priori Camaldulensi super facto electionis monialium sanctæ Mariæ de Mantignano Florentinæ diœcesis miseramus, nobis constitit evidenter quòd ultima earum clausula nequiter rasa fuit, & eædem litteræ ipsis judicibus tales fuerunt exhibitæ, sicut ex litteris eorundem, in quibus tenor continebatur ipsarum cognovimus manifestè; quarum occasione dicti judices procedere præsumpserunt. Quia verò id non est à nobis clausis oculis transeundum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus quicquid factum est occasione

litterarum illarum penitùs * irritantes, & quem falsasse noveritis litteras supradictas, tamquam falsarium sublato appellationis obstaculo puniatis. Ceterùm quia per privilegium felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, quod nos ipsi perspeximus, libertas ipsius monasterij declaratur, volumus & mandamus quatinus, nisi venerabilis frater noster Episcopus Florentinus infra duos menses in præsentia vestra ostenderit & probarit quare dictum monasterium eadem uti non valeat libertate, perpetuum ei super hoc silentium imponatis, examinantes postmodum electionem ipsarum monialium & electam, & si eam inveneritis de persona idonea canonicè celebratam, ipsam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis. Datum Soræ pontificatus nostri undecimo.

* irritetis

BARTHOLOMEO CARDICENSI Episcopo.

Epist. 131. Recipitur sub protectione apostolicæ sedis. Vide lib. 16. epist. 125.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis & venerabilis fratris nostri Lariſſienſis Archiepiſcopi ſuper hoc apoſtolatui noſtro porrectis precibus inclinati, auctoritate præſentium inhibemus ne quis ſuper beneficio Cardicenſi & Valeſtino, quod idem Archiepiſcopus provida tibi liberalitate conceſſit, temerè te moleſtare præſumat. Nulli ergo omnino hominum &c. paginam noſtræ inhibitionis infringere &c. *usque* contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. *usque* incurſurum. Datum Ferentini III. Nonas Octobris, pontificatus noſtri anno undecimo.

PATRACIENSI ET THEBANO Archiepiſcopis, & Epiſcopo Fermopilenſi.

Epist. 132. Vt Dominam Theſſalonicæ admoneant ſui officij.

QVanto dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem relictam Marchionis Montisferrati Dominam Theſſalonicæ ſinceriori diligimus in Domino caritate, tanto eam propenſiori ſtudio ducimus admonendam ut hoc modicum corruptibilis vitæ tempus cum ea ſatagat innocentiæ puritate decurrere quòd ad æternæ beatitudinis mereatur gaudium pervenire. Proinde, licèt eam deceat eſſe circa quęque opera pietatis intentam, ſpecialiter erga Eccleſias & viros eccleſiaſticos eandem convenit religioſam devotionem habere, ut eos immo illum revereatur in ipſis qui ſe vult in ſuis honorari miniſtris, & ſine cujus offenſa nequaquam illi poſſunt offendi. Ad noſtram ſiquidem audientiam noveritis perveniſſe quòd prædicta nobilis venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Lariſſienſi & ſuffraganeis ejus moleſta in pluribus, non ſolùm Abbates & abbatias necnon & Preſbyteros de Lariſſa pariter & Larimorond pertinentes ad ipſos in præjudicium eorum detinet, verùm etiam Græcis Epiſcopis contra ipſos, (quod, ſi verum eſt, grave gerimus & indignum), ne nobis obediant, favorem ſuum impendere non formidat. Cùm igitur hæc nec ab ipſa nobili ſine animæ detrimento præſumi, nec à nobis ſine diſpendio poſſint libertatis eccleſiaſticæ tolerari, eidem relictæ per ſcripta noſtra dedimus in præceptis ut Abbates cum abbatiis & Preſbyteros ſupradictos memorato Archiepiſcopo & ſuffraganeis ſuis liberè reſtituere non poſtponat nec attentet eos moleſtare de cetero ſuper ipſis, ab injuria quam ei ſuper præfatis Epiſcopis immo nobis dicitur intuliſſe taliter deſiſtendo quòd ſuper hoc manum noſtram apponere non cogamur. Alioquin, quantumcunque ipſi deferre velimus, quia tamen contra Deum non eſt homini deferendum, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus præfatam nobilem moneatis prudenter & inducere procuretis ut mandatum noſtrum adimplere procuret. Alioquin ipſam ad id per cenſuram eccleſiaſticam, ſicut juſtum fuerit, appellatione remota cogatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Ferentini IV. Non. Octobris, pontificatus noſtri anno undecimo.

Scriptum eſt eidem nobili ſuper hoc.

LARISSIENSI ET ATHENIENSI Archiepiſcopis, & Epiſcopo Sithonienſi.

Epist. 133. De decimis & primitiis Eccleſiæ Thebanæ.

EXpoſita nobis venerabilis fratris noſtri Thebani Archiepiſcopi conqueſtio patefecit quòd Hoſpitalarij in ſua provincia conſiſtentes tam dominos Thebanos quàm populum undique conſtitutum pravis ſuggeſtionibus dehortantur quò minùs decimas & primitias Eccleſiæ Thebanæ ac aliis quibus debent exolvant, ipſi eas contra juſtitiam uſurpare nitentes, cùmque Thebana Eccleſia non habeat in redditibus niſi nongentos duntaxat hyperperos, prædicti Thebani domini ſeptingentos de ipſis exactionis nomine quæ croſtica dicitur annuatim extorquent. Vnde fit quòd nonniſi ducenti tantùm hyperperi reſtant Archiepiſcopo memorato pro ſe ac ſuis Clericis totius anni ſpatio

sustentandis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Hospitalarios & Thebanos ut ab ipsius Archiepiscopi super iis indebito gravamine conquiescant moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Alioquin ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota mediante justitia compellere procuretis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Ferentini VI. Idus Octobr. &c. ut suprà.

ATHENIENSI ET THEBANO Archiepiscopis, & Episcopo Castorienſi.

Epist. 154. Scribitur pro clero de Larse.

CVm dilectus filius nobilis vir Guillelmus de Larse diocesis Larissienſis regulam evangelicam excedere sine animæ detrimento non possit, quæ Cæsari quæ sunt Cæsaris & quæ Dei sunt præcipit Deo reddi, eidem nobili per scripta nostra dedimus in mandatis ut Abbates & abbatias, Presbyteros etiam & viros ecclesiasticos de Larse molestare de cetero, sicut fecisse dicitur hactenus, non præsumat, sed debito sibi censu contentus, quem reddidisse dicuntur, in plena permittat eos quiete ac libertate manere. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatus nobilis mandatum apostolicum non curaverit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Ferentini IV. Non. Octobr. pontificatus nostri anno undecimo.

Scriptum est eidem nobili super hoc.

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 155. Vt ritum Latinorum observet in consecrationibus.

SVper Episcoporum consecrationibus & Abbatum ac monialium Græcorum benedictionibus, de quibus à nobis certificari petisti, hoc tuæ fraternitati duximus respondendum, ut quos consecratos vel benedictos inveneris, in suo statu dimittas, eis autem qui consecrandi vel benedicendi fuerint consecrationis & benedictionis munus secundùm ritum Latinorum impendas, monachabus & monachis normam vitæ secundùm regulam approbatam quam professi fuerint injungendo. Datum Ferentini IV. Non. Octobr. &c. ut suprà.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per regnum Franciæ constitutis.

Epist. 156. Crucesignati suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.

CVm pro Ecclesiæ libertate pugnantes Ecclesiæ deceant patrocinio confoveri, auctoritate apostolica constituimus ut dilecti filij ad obsequium Christi signati contra Provinciales hæreticos vel signandi, ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum ipsos hæreticos secundùm ordinationem Legatorum nostrorum in pectoribus suis susceperint, tam cum personis quàm terris, possessionibus & hominibus, necnon & ceteris bonis suis sub apostolicæ sedis & nostra protectione consistant, & donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, ea omnia in suo statu libera permaneant & quieta. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si quis vestrarum diocesum prædicta bona ipsorum interim perturbare tentaverit, cùm à procuratoribus, officialibus, vel nuntiis eorum fueritis requisiti, injuriatores seu perturbatores eorum per censuram canonicam appellatione postposita compescatis. Datum Ferentini V. Idus Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

VNIVERSIS CLERICIS AD obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis.

Epist. 157. De eadem re.

CVm orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, præsentium vobis auctoritate concedimus quatinus redditus vestros pro pietatis hujus opere adimplendo liceat vobis pignori per biennium obligare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. *usque* contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Ferentini VIII. Idus Octobr. pontificatus nostri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS & dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prælatis in regno Franciæ constitutis.

Epist. 158. De eadem re.

VT contra crudelissimos hostes suos Ecclesia sancta Dei terribilis quasi castrorum acies ordinata procedat ad exterminandum pravitatis hæreticæ sectatores, quæ serpens ut cancer Provinciam penè totam infecit, præsidia militiæ Christianæ de circumpositis regionibus duxi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mus convocanda, venerabilibus fratribus noſtris Conſoranenſi & Regenſi Epiſcopis necnon & dilecto filio Ciſtercienſi Abbate apoſtolicæ ſedis Legatis deputatis ipſis in duces ut defenſuri ſanctæ trinitatis honorem, ſub trino triumphent regimine magiſtrorum. Quapropter unverſitatem veſtram rogandam duximus & monendam, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenus apud ſubditos veſtros ſtudio ſedulæ prædicationis & exhortationis inſtetis ut ad opus tam ſanctum tam per ſe quàm per ſua obſequium Deo devotum & auxilium Eccleſiæ opportunum impendant, ſcientes remiſſionem peccaminum à Deo ejuſque Vicario univerſis indultam qui orthodoxæ fidei zelo ſuccenſi ad opus ſe accinxerint hujuſmodi pietatis, ut eis labor tam ſanctus ad operis ſatisfactionem ſufficiat ſuper illis offenſis pro quibus cordis contritionem & oris confeſſionem veram obtulerint vero Deo. Cùm autem pro fraterna defenſione pugnantes à fraternis deceat injuriis expediri, volumus & mandamus ut ſi qui nobilium Clericorum ſeu etiam laicorum contra peſtilentes hujuſmodi procedentium ad præſtandas uſuras juramento tenentur aſtricti, creditores eorum in veſtris dioceſibus conſtitutos, cùm ab ipſis fueritis requiſiti, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis ut eos à juramento penitùs abſolventes, ab uſuratum ulteriùs exactione deſiſtant. Quòd ſi quiſquam creditorum ipſos ad ſolutionem coegerit uſurarum, ipſum ad reſtituendum eaſdem, poſtquam fuerint perſolutæ, ſimili cenſura ſublato appellationis obſtaculo coarctetis, creditores talium diligentiùs quàm poteritis inducentes quatinus terminos ad ſolutionem debitorum præfixos, donec illi labori vacaverint hujuſmodi pietatis, elongent; ut ſic demum retributionis eorum gaudeant participio quorum certamen tali promovent adjumento. Præterea cùm non videatur abſurdum ut qui publicam cauſam gerunt, publicis ſtipendiis ſuſtententur, univerſos tam Clericos quàm laicos in terra nobilium virorum Ducis Burgundiæ & Nivernenſis & ſancti Pauli Comitum necnon etiam aliorum qui ad tam glorioſum certamen ſignati fuerint conſtitutos moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut quemadmodum venerabiles fratres noſtri Archiepiſcopus Senonenſis & ſuffraganei ejus feciſſe noſcuntur, de cunctis proventibus ſuis unius anni ad tam ſanctum & ſumptuoſum opus implendum portionem eis decimam largiantur, deputatis aliquibus viris providis ac fidelibus ad eleemoſynam hujuſmodi colligendam, qui collectam aſſignent ſicut prædicti Legati duxerint diſponendum. Datum Ferentini VII. Idus Octob. pontificatus noſtri anno undecimo.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

Epiſt. 159. Vt Iudæi remittant uſuras Crucefignatis.

VT contra crudeliſſimos hoſtes ſuos Eccleſia ſancta Dei &c. *ut in alia uſque*. Quapropter ſerenitatem regiam rogandam duximus & monendam, in remiſſionem ſibi peccaminum injungentes quatinus cùm à prædictis Legatis fueris requiſitus, conſilium eis ad hoc & auxilium opportunum impendas, populos tibi ſubditos inducendo ut ad opus tam ſanctum tam per ſe quàm per ſua obſequium Deo devotum & ſubſidium Eccleſiæ neceſſarium exhibere procurent, ſcientes remiſſionem peccaminum &c. *uſque* obtulerint vero Deo. Quia igitur apud eos diſtrictib fortè poterit proficere temporalis à quibus ſuper hoc ſpiritualis inductio non admittitur, tuam regalem manſuetudinem in Domino deprecamur quatinus Iudæos ſub tuo dominio conſtitutos inducas regiaque poteſtate compellas ut debitoribus ſuis in hujuſmodi Dei obſequium profecturis omnino relaxent uſuras, & terminos ad exolvendum ſortem præfixos, ſi fieri poteſt, prorogent competenter; ut præter ſubventiones alias quas Eccleſiæ in tam ſancto negotio miniſtraveris, ex hoc quoque merces tibi æternæ retributionis accreſcat. Datum Ferentini VII. Idus Octob. pontificatus noſtri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO.

Epiſt. 160. Datur ſibi licentia reſidendi apud Ferchikam.

SVpplicaviſti nobis ut cùm in ſede tua propter hoſtium circumſtantiam ſine damno rerum & propriæ timoré perſonæ reſidere non poſſis, reſidendi apud Ferchikam largiri tibi licentiam dignaremur, qui videlicet locus dioceſana ſibi eſt lege ſubjectus, & in eo dudum ſedes archiepiſcopalis noſcitur extitiſſe; maximè cùm loci Comeſtabulus, ſi hoc fiat, locum ipſum intendat beneficiis ampliare. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ob neceſſitatem hujuſmodi reſidentiam tuam in loco facias memorato, ita tamen ut per hoc priori loco archiepiſcopalis dignitas minimè auferatur. Datum Ferentini III. Idus Oc-

tobr. pontificatus nostri anno undecimo.

MAGISTRO AIMERO
Canonico sancti Andreæ Pictavensis.

Epist. 161. Respondetur ad ejus consulta.

SVper litteris quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia, tacita veritate vel falsitate suggesta impetrantur à nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos debere prorsùs carere omni commodo litterarum, cùm mendax precator carere debeat impetratis, aliis verò dicentibus quòd etsi forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus tamen juxta rigorem juris sit à delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos qui per fraudem vel malitiam & illos qui per simplicitatem vel ignorantiam à nobis litteras impetrant hujusmodi credimus discretionem habendam, ut ij qui priori modo falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex litteris commodum consequantur, ita videlicet quòd delegatus, postquam sibi super hoc fuerit facta fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem qui posteriori modo litteras impetrant dicimus distinguendum quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas vel veritas occultata quæ, quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi litteras dedissemus, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam secundùm ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem vel suppressionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ qua tacita vel expressa nos nullas prorsùs litteras dedissemus, à delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus ut partibus ad suam præsentiam evocatis, de precum qualitate cognoscat; ut sic in utropue casu eadem ratio quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum, & ubi delegans suas litteras denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat. Datum Ferentini XV. Kal. Novembr. pontificatus nostri anno undecimo.

WILLELMO DOIARD
Canonico Thebano.

Epist. 162. Confirmatur sibi præbenda Thebana.

SOlet annuere sedes apostolica &c. *usque* impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis postulationibus grato concurrentes assensu, præbendam quam in Ecclesia Thebana es canonicè assecutus, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem hoc &c. *usque* noverit incursurum. Datum Ferentini XIII. kal. Nouembris, pontificatus nostri anno undecimo.

GVALTERIO CATHANIENSI
Episcopo, regni Siciliæ Cancellario.

Epist. 163. Vt Archiepiscopo Montis regalis impendat reverentiam & honorem.

HVmilitatem tuam & venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Montis regalis commendamus in Domino caritatem, per quam videlicet non quæ sua sed quæ Iesu Christi sunt quærens, non est exaltatum cor suum ex eo quòd humiliari te non refugis coram eo, obedientiam sibi & reverentiam, sicut per suas litteras intelleximus, offerendo, quæ Montano Archiepiscopo Cathanensis Ecclesiæ ratione debetur. Cùm igitur regiis negotiis ac servitiis familiaritate necessaria & familiari necessitudine sis implexus, ac ideo sit necesse ab omni tibi suspicione caveri, eidem Archiepiscopo per nostras dedimus litteras in mandatis ut tuæ regiæque commoditati ac nostris precibus condescendens, tibi super juramento sibi debito impendendo necessitate deferat exigente. Quocirca fraternitatem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus gratiæ quam tibi fecerit non ingratus, ipsum habeas in ea reverentia & honore in qua eum fores juramento præstito habiturus, exhibitis ei, si voluerit, ad majorem cautelam litteris tuis, in quibus spondeas & promittas quòd & ad mandatum nostrum tempore opportuno, si necesse fuerit, fidelitatem sibi debitam exhibebis, & interim ei obedientiam & reverentiam, ac si fidelitatem præstitisses, impendes; sollicitè providendo ut de gratiæ nostræ favore securus talem erga nos & Romanam Ecclesiam satagas te habere quòd qui tecum in veritate procedimus, eò quòd & te ambulare jam scimus in veritate nobiscum, ad honorem & incrementum tuum, ad quod ferventer intendimus, ferventiùs accendi possimus, cùm illius in hac parte noverimus vestigia imitari qui dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Datum Ferentini XIII. kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Scriptum est super hoc Archiepiscopo Montis regalis.

BARTHO-

BARTHOLOMÆO DE CEPERANO.

Epist. 164. Confirmatur quædam sententia lata pro ipso.

CVm dilectus filius Orandinus de Pontecurvo Miles coram dilecto filio Jacobo Subdiacono & Capellano nostro, quem tibi & ei dedimus auditorem, proposuisset te suum esse vassallum, teque ratione quorundam molendinorum, domorum, vinearum, & quarundam aliarum possessionum ad se spectantium, ut dicebat, quæ apud Ceperanum habere dinosceris, teneri sibi cum unico equo servire, te quę præmisimus omnino negante, post præstitum ab utraque parte calumniæ juramentum ad præmissa probandum, idem Orandinus quosdam testes produxit, quibus postmodum publicatis, cùm Subdiaconus memoratus tam dicta testium quàm ea quæ utrinque fuere proposita coram eo nobis fideliter intimasset, nos eidem injunximus ut de consilio dilecti filij Pelagij sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconi Cardinalis sententiam promulgaret. Qui cognoscens prædictum Orandinum intentionem suam minimè fundavisse, cùm auctore non probante reus, etsi nihil præstiterit, debeat obtinere juxta legitimas sanctiones, ab impetitione ipsius de consilio Cardinalis ejusdem sententialiter te absolvit, super præmissis omnibus ei perpetuum silentium imponendo. Nos igitur ejus sententiam ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Ferentini x. kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. Cardinali.

Epist. 165. De feudis alienatis vel non. Cap. Ex parte. De feudis.

EX parte tua nostro est apostolatui reseratum quòd sæpius dubitasti utrum cùm contingit tuum vassallum decedere & ad te feudum ipsius redire, feudum ejus alij liceat tibi dare, cùm juramento tenearis astrictus non infeudare de novo, Romano Pontifice inconsulto. Ad hæc, si vassallum tuum feudum alienare contingat, an ipsius filium vel consanguineum consortem ejusdem feudi de ipso valeas investire. Alia quoque tua dubitatio continebat utrum cùm feudum alienatum repereris quod per te facilè recuperare non potes, possis alicui laico in feudum illud concedere, qui & illud recuperet & in feudum per Ecclesiam recognoscat. Nos igitur super iis de mente tua scrupulum volentes dubitationis auferre, præsentium tibi significatione mandamus quatinus si quando præfati casus emerserint, in primo feudum decedentis liberè, si videris expedire, concedas, ac in secundo filium vel consanguineum alienantis investiens, in tertio feudum alienatum ei poteris licenter concedere per quem ipsum Ecclesia valeat rehabere. Datum Ferentini x. kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Vincentij.

Epist. 166. Eis decimæ adjudicantur.

CVm inter vos & venerabilem fratrem nostrum Ricc. Episcopum Treventinum coram dilecto filio nostro Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinale, cui vos commisimus audiendos, controversia verteretur, ipso Episcopo proponente quòd decimæ possessionum quæ sunt circa Rivum obscurum ac Sangrum versùs monasterium vestrum, ac per habitatores castrorum Rivi obscuri & Alfedenæ coluntur, ad ipsum de jure spectabant, & quòd in castris ipsis, utpote in sua dioceſi constitutis, per vos schrisma minimè conferri debebat, vobis autem è contrario respondentibus quòd etsi præfatæ decimæ ad eundem Episcopum nequaquam alio jure spectarent, tuti tamen præscriptione quadragenaria, quam obligastis vos probaturos, eratis, nos auditis & intellectis rationibus & attestationibus utriusque partis coram præfato Cardinali productis & nobis relatis fideliter per eundem, ab impetitione ipsius Episcopi super decimis prælibatis justitia vos absolvimus exigente, imponentes ei silentium super ipsis, collationem vero chrismatis in prædictis castris adjudicavimus Episcopo memorato. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Ferentini XII. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

LVCANO EPISCOPO.

Epist. 167. Confirmatur privilegia monasterij de Fichecho. Cap. Cùm olim. *De præscript.*

DVm olim, frater Episcope, cum dilectis filiis Abbate ac monachis sancti Salvatoris de Fichecho super plebe de Salamazano & adjacentibus Capellis ipsius in nostra præsentia litigando, institutionem Clericorum in eis & alia ad jus episcopale spectantia vendicares, ad fundandam intentionem tuam jus commune principaliter allegabas, cujus auctoritate dicebas

universa spiritualia in prædictis locis, quæ sunt in tua dioceſi conſtituta, ad te tamquam ad dioceſanum Epiſcopum pertinere. Arbitrium præterea ſuper hoc promulgatum à bonæ memoriæ Piſtorienſi Epiſcopo & Archipreſbytero ac Primicerio Lucanis à partibus electis allegans, quod ab utraque parte fuerat communiter approbatum, in quo continetur expreſsè ut poſtquam in eadem plebe converſus quiſquam in Plebanum electus fuerit ab Abbate, Lucano Epiſcopo præſentetur, ab ipſo confirmationis gratiam recepturus, & promiſſurus eidem cum ſuis Preſbyteris ſub hac forma obedientiam manualem ut ad ſynodum, Capitulum, & etiam letanias ad Eccleſiam ſancti Martini cum populo ſuo vadat, & Epiſcopo in annua procuratione ac de quarta reſpondeat decimarum, & cùm neceſſe fuerit, ei ſubminiſtret auxilium, & ſervet ejus ſententiam interdicti latam in populum Fichecleníem, & ſi Plebanus vel Preſbyteri ſui Lucanam Eccleſiam forſan offenderent in iis quæ in arbitrio continentur, & Abbas ſemel & bis requiſitus infra viginti dies offenſam non faceret emendari, liceret Lucano Epiſcopo pro illa culpa eos tamquam ſuos Preſbyteros judicare. Ad elidendam autem intentionem tuam Abbas prædictus felicis recordationis Gregorij ſeptimi Papæ prædeceſſoris noſtri privilegium exhibebat, quod prædictum arbitrium multo videbatur tempore præceſſiſſe, per quod tam Fichecleníe monaſterium quàm plebs & Capellæ prædictæ videbantur libertate donatæ. In ipſo ſiquidem continetur quòd jam dictus prædeceſſor noſter Eccleſia de Salamazano cum Capellis adjacentibus monaſterio memorato conceſſis inſtituit ne quis Archiepiſcopus vel Epiſcopus locum ipſum ſeu plebem & Capellas prædictas moleſtare audeat, vel Preſbyteros ab Abbate qui pro tempore fuerit inibi conſtitutos excommunicare vel etiam judicare, ſed ſub tutela & immunitate ac judicio Romani Pontificis conſiſtentes omnipotenti Deo ſecurè deſervire procurent. Aliorum quoque Romanorum Pontificum, Vrbani ſcilicet, Paſchalis, Calixti, Eugenij, Anaſtaſij, Adriani, Alexandri, & Lucij dictus Abbas privilegiis utebatur poſt arbitrium promulgatum obtentis, qui libertatis ſibi privilegia concedere videbantur. Sic enim in ſingulorum privilegiis inter cetera reperitur. *Sancimus etiam ut nec Epiſcopo nec Archiepiſcopo cuiquam aut eorum miniſtris liceat locum ipſum*, ſcilicet monaſterium Fichecleníe, *vel ejus monachos aut adjacentes Eccleſias de Salamazano cum Capellis ſuis vel Preſbyteros ab Abbate conſtitutos ibidem præter Romani Pontificis conſcientiam excommunicare aut ſupponere interdicto.* Propoſuit præterea dictus Abbas quòd etſi prædicta ad ſe de communi jure ſpectarent, ſuper iis tamen tam ipſum quàm monaſterium ſuum legitima conſtabat præſcriptione munitum. Per teſtes quoque ſuos & partis tuæ, qui coram dilecto filio Priore ſancti Fridiani Lucani de mandato noſtro fuerant utrinque producti, dicebat eſſe probatum quòd ſuper præmiſſis omnibus monaſterium ſuum per quadraginta annos & ampliùs pacifica fuerat poſſeſſione gaviſum, allegans inſuper per arbitrium ſæpedictum nullum potuiſſe monaſterio præjudicium generarari, tum quia major & ſanior pars Capituli ejuſdem loci nullatenus compromiſſioni memoratæ conſenſerat, tum etiam quia Romanæ ſedis auctoritas, ad quam monaſterium & Eccleſiæ pertinebant, acceſſiſſe minimè probabatur. Ad hæc autem ex parte tua extitit ſic reſponſum, quòd privilegio Gregorij Papæ, utpote manifeſtè ſuſpecto, fides adhibenda non erat. Nam in ea ſui parte inveniebatur abraſum in qua vis quæſtionis exiſtit, ubi videlicet fit mentio de Capellis. Sed nec per alia privilegia proponebas eundem Abbatem aliquod debere commodum reportare, cùm illa viderentur per ſubreptionem obtenta, cùm de prædicto arbitrio à partibus approbato, quod in rei judicatæ auctoritatem tranſierat, nullam faciat mentionem. Adiciens inſuper te non poſſe præſcriptionis objectu ab adverſa parte repelli; quia licèt quidam teſtes deponant ſe à quadraginta annorum tempore recordari, & adiciant ſe vidiſſe monaſterium ſuper iis quæ ad jus epiſcopale ſpectant in prædictis locis libertate gaviſum, per depoſitiones tamen hujuſmodi de quadraginta annorum poſſeſſione continua non fit fides; cùm hæc duo concurrere ſatis poſſint, ut & teſtes à quadraginta annorum tempore recordentur, & à decennio citra duntaxat monaſterium ipſum in poſſeſſione viderint prædictorum. Sed hoc frivolum pars altera reputando reſpondit quòd etſi teſtes aliqui verbis dubiis ſic utantur, plures tamen teſtes ſunt qui apertè teſtantur ſe à quadraginta annis & ultrà monaſterium memoratum in continua prædictorum omnium poſſeſſione vidiſſe. Contra quod pars tua

proposuit replicando quia licèt de quadraginta annorum præscriptione constaret, tempus tamen * schismatis quod in Lucana Ecclesia interveniſſe per testes erat ostensum debebat meritò de computatione subduci. E contrà parte altera respondente quòd licèt de schismate quod intercesserat fuerit facta fides cùm quanto tempore duraverit minimè sit ostensum, & potuerit modico tempore duraviſſe, propter hoc tamen præscriptionis objectio non poterat efficaciter impediri; præcipuè cùm per plures testes quadraginta quinque annorum præscriptio sit probata. Nos igitur iis & aliis quæ coram nobis utrinque fuere proposita perspicaciter intellectis, quia prædictus Abbas sufficienter ostendit monasterium suum super institutionibus, destitutionibus, & ordinationibus Plebani & Clericorum, baptismo, pœnitentia in levioribus culpis, sepultura, decimarum perceptione, ac divinis officiis celebrandis tam in plebe quàm Capellis etiam supradictis, in excommunicando quoque, interdicendo, & etiam absolvendo, legitima præscriptione munitum, Abbatem ipsum ab impetitione tua super jamdictis articulis de consilio fratrum nostrorum duximus absolvendum, super illis tibi perpetuum silentium imponendo, super aliis omnibus quæ ad jus episcopale spectare noscuntur juxta tenorem arbitrij eundem Abbatem quoad plebem & Capellas prædictas sententialiter condemnantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Ferentini 11. Kal. Novem. pontificatus nostri anno undecimo.

* Vide suprà epist. 84.

ABBATI ET MONACHIS sancti Salvatoris de Ficheco.

Epist. 168. De eadem re.

CVm venerabilis frater noster Lucanus Episcopus super plebe de Salamazano & adjacentibus Capellis ipsius vobiscum in nostra dudum præsentia litigando institutionem Clericorum in eis & alia ad jus episcopale spectantia sibi intenderet vendicare, ad fundandam intentionem suam jus commune principaliter allegabat &c. *in eundem ferè modum usque.* Ad elidendam autem intentionem Episcopi sic fundatam, tu fili Abbas &c. *in eundem ferè modum ut suprà usque in finem.* Datum Ferentini &c. ut in alia.

GERARDO FVNDATORI Capellæ in suburbio Wiennæ ad honorem sancti spiritus & beati Antonij constitutæ.

Epist. 169. Suscipitur ista protectione apostolicæ sedis.

DIlectus filius nobilis vir Dux Austriæ per suas nobis litteras intimavit quòd cùm de suo consilio & consensu Capellam in suburbio Wiennæ ad honorem sancti spiritus ac beati Antonij construxisses, & ad opus pauperum cum decem & novem areis tuis ibidem adjacentibus eam pio dotavisses amore, sentiens odoris fragrantiam quæ per Dei gratiam de religione hospitalis nostri sancti spiritus * in Saxia procedit, illam ei committere decrevisti, censum unius marcæ argenti sibi annualiter reddituram. Nos igitur tuis & ejusdem Ducis precibus inclinati, Capellam ipsam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum dante Domino justis modis poterit adipisci, necnon etiam & personas consistentes in ipsa sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, eamque sub prætaxato censu hospitali prædicto sancti spiritus applicamus, præsentium auctoritate mandantes quatinus, sicut hactenus, sub tua interim gubernatione consistat donec magister hospitalis jamdicti per se vel suum nuntium eam visitans, secundùm Deum & suam regulam de ipsius utilitate disponat. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis &c. *usque* incursurum. Datum Ferentini 11. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

* Vide gesta Innoc. III. cap. 144.

ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO.

Epist. 170. De donatione cujusdam Ecclesiæ.

BOnæ memoriæ &c. *usque* investire. Ceterùm licèt transmissæ nobis tuæ litteræ continerent quòd Ecclesia memorata ad donationem Ecclesiæ Beneventanæ pertineat, quamvis per felicis memoriæ Alexandrum Papam prædecessorem nostrum prædicto collata fuerit Cardinali, quia tamen à nonnullis accepimus quòd ipsius collatio specialiter spectat ad Romanum Pontificem, ac Romanam Ecclesiam in hac possessione reperimus, eandem Ecclesiam de manu nostra duximus conferendam, nolentes ex donatione hujusmodi ullum Ecclesiæ Beneventanæ præjudicium generari si volueris vel potueris forsan ostendere quòd eadem ad donationem tuam debeat pertinere. Datum Ferentini.

LARISSENO ET THEBANO Archiepiscopis.

Epist. 171. Vt inquirant de postulato ad Ecclesiam Thessalonicensem. *Vide lib. 13. epist. 13.*

DIlecti filij Canonici sanctæ Sophiæ Thessalonicensis suas nobis litteras direxerunt, per quas unà cum dilecta in Christo filia nobili muliere relicta Marchionis Montisferrati, necnon & dilectis filiis nobilibus viris Comite de Blanderada Bajulo & aliis Thessalonicensis regni Baronibus, qui super hoc ipso sua nobis scripta misere, multiplices Ecclesiæ Thessalonicensis ac regni necessitates & angustias exponentes, nostro humiliter apostolatui supplicarunt ut postulationem quam iidem Canonici, prædictorum accedente favore, de venerabili fratre nostro Archiepiscopo Verissienſi fecerunt admittere dignaremur, cùm per ipsius circumspectam prudentiam & circumspectionem prudentem singulariter quasi sperent, non solùm Ecclesiæ, sed & regni posse necessitatibus provideri. Quia igitur nobis plenè non potuit de ipsa postulatione constare, cùm juxta morem Ecclesiæ Romanæ canonibus concordantem postulationes hujusmodi, sicut electiones, regularem examinationem deposcant, eò quòd in postulationibus plura sunt quàm in electionibus attendenda, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus inquisita diligenter & cognita veritate, si postulationem ipsam ab iis qui eam celebrare possunt & debent inveneritis canonicè celebratam, & præfatum Archiepiscopum, sicut à quibusdam nobis fuerat intimatum, administrationi Thessalonicensis Ecclesiæ se minimè ingessisse, propter multam necessitatem vice nostra postulationem admittatis eandem, & absolventes eum à vinculo quo Verissienſi Ecclesiæ tenebatur, injungatis eidem ut palleum quod sub nomine ipsius Ecclesiæ Verissienſis accepit nobis remittere non postponat, aliud, dante Domino, prout convenit, ad nomen Thessalonicensis Ecclesiæ recepturus. Quòd si vel postulationem minùs canonicè celebratam vel illum administrationi se constiterit ingessisse, auctoritate nostra districtè inhibere sibi curetis ne prioris Ecclesiæ mediocritate despecta, Thessalonicensi tamquam celebriori quoquo modo ingerere se præsumat, sed in ea vocatione qua vocatus est permanens Ecclesiam quæ priùs ei commissa fuerat studeat gubernare, considerans quòd in hoc multam gratiam sibi facimus, maximè si sic præfatæ administrationi repertus fuerit irrepsisse, cùm secundùm canonicas sanctiones is qui supra mensuram sui juris affectans augeri, priori cathedra derelicta sine conniventia Romani Pontificis, cui soli est auctoritas reservata translationes Præsulum concedendi, ad aliam se transtulerit, & prima carere debeat, quam per superbiam sprevit, & à secunda repelli, quam per avaritiam concupivit. Ne verò prædicta Thessalonicensis Ecclesia diutiùs maneat pastorali regimine destituta, illos ad quos pertinet ipsius electio moneatis ut absque mora personam idoneam per electionem canonicam sibi præficiant in pastorem. Si autem propter personarum defectum, quo non solùm ipsam Ecclesiam sed & totam provinciam credimus laborare, personam idoneam non potuerint ad ejus regimen invenire, vos id nobis per vestras litteras intimetis. Qui, si Canonici memorati cum favore præfatæ nobilis & aliorum quos suprà nominavimus desiderio per litteras quas nobis duxerint destinandas expressò poposcerint, eis auctore Domino dignum Pontificem de nostris manibus consecratum & decoratum palleo, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, curabimus destinare, qui & sciet & poterit cum sapientiæ divinæ potentia commissam sibi Ecclesiam spiritualiter & temporaliter gubernare. Datum Ferentini Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Leo I. epist. 84. & apud Gratian. 7. q. 1. c. 32. Si quis Episcopus.

DILECTO IN CHRISTO filio Pontio Abbati monasterij sancti Ægidij ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Epist. 172. De confirmatione privilegiorum.

QVamvis Ecclesiarum omnium cura nobis & sollicitudo immineat, illis tamen locis atque personis quæ beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialiùs adhærere & in ejus fidelitate atque obedientia devotiùs permanere noscuntur attentiori cura providere nos convenit. Vt autem pro beati Ægidij monasterio, cui Deo auctore præesse dinosceris, diligenti sollicitudine vigilemus tanto amplior nobis necessitas est injuncta quanto idem locus ab exordio suæ fundationis ad jus & dominium ejusdem Apostolorum principis specialiter dinoscitur pertinere. Tuis itaque, dilecte in Domino fili Ponti Abbas, justis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis Innocentij, Eugenij, & Adriani quarti Romano-

rum Pontificum, omnem libertatem seu immunitatem vobis ac vestro cœnobio per antecessorum nostrorum privilegia contributam præsentis privilegij pagina roboramus, statuentes ut nulli omnino Archiepiscopo vel Episcopo liceat super idem cœnobium vel Abbatem sive monachos ibidem Domino servientes manum excommunicationis aut interdictionis extendere, sed tam vos quàm monasterium cum villa quieti semper ac liberi ab omni episcopali exactione vel gravamine per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Monachos verò & Presbyteros seu Clericos qui in vestris obedientiis commorantur, pro delictis suis à quibuslibet laicis capi, verberari, aut ad redemptionem cogi penitùs prohibemus. Præterea statuimus ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Abbatias videlicet sancti Ægidij * de Vngaria & sancti Eusebij de Provincia, Ecclesias sancti Ægidij de Aceio, Ecclesiam sancti Ægidij de Duno, Ecclesiam sancti Ægidij de Supervia cum villa, Ecclesiam sancti Eusebij de Longobardia, Ecclesiam sancti Baudilij de Hispania, Ecclesiam sanctæ Eulaliæ de Barbasta, Ecclesiam de Revinas cum sua villa, Ecclesiam de Boccona cum villa, Ecclesiam sancti Andræ de Lucapello, Ecclesiam sancti Ægidij de Tolmone, Ecclesiam sancti Ægidij de Creissaco, Ecclesiam sancti Hippolyti de Melseo cum villa, Ecclesiam sancti Lupi, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Fraixeneto, Ecclesiam sancti Iohannis de Gardonenca cum villa, Ecclesiam sanctæ crucis de Molazano, Ecclesiam sancti Martini de Cerbario cum sua Capella, Ecclesiam sancti Stephani de Corconna, Ecclesiam sancti Amantij cum villa, Ecclesiam sancti Martini de Orianegues, Ecclesiam sancti Martini de Cinciano, Ecclesiam sancti Andreæ de Berniz cum Capella sua, Ecclesiam sancti Saturnini de Seura cum ipsa villa, villam de Bionz, Ecclesiam sanctæ Ceciliæ de Stagello cum ipsa villa, Ecclesiam sancti Felicis de Aspirano cum ipsa villa, Ecclesiam sanctæ Columbæ cum media villa, Ecclesiam sancti Andreæ de campo Mariniano, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Saturanicis, Ecclesiam sancti Ægidij de Missiniaco, Ecclesiam sancti Stephani de Castlar cum Capella, Ecclesiam sancti Petri de Prevencheriis cum villa & Ecclesiis suis, Ecclesiam sancti Andeoli de Robiaco cum Capella & villa, Ecclesiam sancti Victorini, Ecclesiam sancti Andreæ, Ecclesiam sancti Petri de Vannis cum ipsa villa, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Monte alto cum Capella & villa, Ecclesiam sancti Baudilij de Somerio cum Capella, Ecclesiam sancti Servij ultra Rhodanum cum villa, Ecclesiam sancti Petri & sancti Michaëlis juxta castrum Rossilianis, Ecclesiam sancti Privati cum villa, Ecclesiam sancti Stephani de Menerba cum Capellis & villa, Ecclesiam sancti Christofori de Vacheriis cum Capella & villa, Ecclesiam sancti Iohannis de Albenatis cum villa & parrochiali Ecclesia sanctæ Mariæ, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Redosc cum villa, Ecclesiam sanctæ Columbæ de Capingo, Ecclesiam sancti Ægidij de Padernis, Ecclesiam sancti Maximi de Medenis, Ecclesiam sancti Petri de Inter-montes cum ipsa villa, Ecclesiam sancti Petri de Trincatallis, Ecclesiam sancti Iohannis de Meiano, Ecclesiam sancti Sebastiani de Montepesato, Ecclesiam sancti Petri de Launiaco, Ecclesiam sancti Salvatoris de Caisanigis, Ecclesiam sancti Eugenij de Orbesat cum Capella, Ecclesiam sancti Genesij de Mediogozez, Ecclesiam de Acione, Ecclesiam de Malbosc cum sua Capella, Ecclesiam de Rocca, Ecclesiam de Camponaz, Ecclesiam de Lardario, cum Ecclesiis & omnibus earum pertinentiis, castrum de Montfort, Castrum de Lennatio, & quinque modiatas terræ ac quatuor candelas cotidianas quæ quondam R. de Berjaco monasterio sancti Ægidij testamento reliquit. Transactiones præterea quæ inter vos & Iohannem Nemausensem atque Raimundum Vzeticensem Episcopos de Ecclesiarum quartonibus factæ sunt, & authentico scripto firmatæ, vobis nihilominus confirmamus. Illud autem auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus Abbas vel monachus thesaurum, honores, vel possessiones præfati monasterij seu cellarum ad ipsum pertinentium, quæ aut modò habentur, aut in futurum largiente Domino acquirentur, alienare, distrahere, impignorare, vel in feudum, censum, seu beneficium alicui Militi dare præsumat, nisi fortè pro redemptione videlicet captivorum, pro communi & graviori famis inopia, & pro emptione seu pro

* Vide lib. 2. Miscellaneor. nostror. pag. 183.

redemptione possessionum. Id ipsum autem si contigerit, totius fiat communi deliberatione Capituli; ut nihil dolo vel subreptione aliqua, sed prædictarum necessitatum instantia committatur. Abbas verò vel monachus qui hoc attentaverit, Abbas siquidem abbatiæ regimine careat & excommunicationis sententia percellatur; monachus autem à monasterio penitùs & ab ejus honoribus excludatur & ejusdem excommunicationis sententia teneatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Prohibemus etiam ut infra villam sancti Ægidij & circa eandem villam usque ad unam leugam nulli Hospitalariorum seu militum Templi vel cuilibet alij personæ absque Abbatis & Capituli consensu liceat religiosam domum, Ecclesiam, oratorium, seu munitionem construere, cimiterium habere, divina officia populo celebrare cùm villa ipsa cessaverit, signa pulsare, oblationes à populo in Missarum celebratione suscipere, baptizare, & parrochianos vestros ad officia divina suscipere. Obeunte verò ejusdem vestri loci Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres ipsius monasterij communi assensu vel pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Sanè illam Tolosani Comitis nobilis memoriæ Raimundi abdicationem auctoritate sedis apostolicæ confirmamus. Siquidem Comes ipse honores omnes ad beatum Ægidium pertinentes tam in valle Flaviana quàm in extrinsecis, quicquid justè vel injustè videbatur tenere, omnes rectas sive pravas consuetudines quas ipsius antecessores aut ipse habuerant, ob honorem Dei & beati Ægidij reverentiam apud * Nemausense Concilium, in manu prædecessoris nostri beatæ memoriæ Vrbani Papæ jurans, Odiloni Abbati & ejus fratribus noscitur reliquisse, & se atque universos successores suos, si fortè hoc donum irritum facere pertentarent, quod ad se erat, damnatione ac maledictione mulctavit, atque à præfato antecessore nostro excommunicationis inde sententiam in Concilio dari fecit. Quia verò præfatus Adrianus Papa prædecessor noster devotioni præfati Comitis annuens apostolica auctoritate constituit neminem successorum ejus aliquid de iis quæ à prædicto Comite Raimundo præfato monasterio sancti Ægidij relicta sunt ulla posse temporis longævitate præscribere, ut maledictionem & damnationem evadat à præfato Comite constitutam, quod ab eo providè factum est auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc adicientes pro ampliori beati Ægidij veneratione statuimus ut infra terminos à nostris prædecessoribus constitutos nemo prorsùs aut super ipsam beati Ægidij villam deprædationem vel assultum facere aut graviorem personæ cuilibet inferre audeat læsionem. Nulli ergo omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesanorum Episcoporum in supradictis Capellis canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij II. Idus Novemb. Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

* Vide to. 10. Concilio. pag. 610.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist 173. De electione Episcopi Sivvicensis. Vide infrà lib. 13. epist. 173.

CVm diabolus misisset in cor Episcopo Waldemaro ut pedem in vestigio Iudæ ponens à præsentia nostra fraudulenter abscederet, & nos, qui eum de durissimo carcere liberatum in apostolicæ sedis gremio, verè ut serpentem in sinu, familiaris gratiæ dulcedine foveramus, in amaritudinem induceret vehementem, ob enormes & multiplices ejus excessus processimus contra ipsum, non solùm in eum,

sed & in fautores ejusdem ecclesiasticam promulgando censuram; quemadmodum venerabili fratri nostro Magdeburgensi Archiepiscopo per nostras meminimus litteras intimasse. Ipse verò in reprobum sensum datus, proverbium Salomonis implendo dicentis, *Si quasi ptisanas stultum in pila pilo desuper feriente contuderis, stultitia ejus non auferetur ab ipso*, renuit accipere disciplinam; quin potiùs iniquitatem super iniquitatem apponens, dolo pariter & perjurio, quæ commiserat fugiendo latenter à nobis, contemptum clavium & canonum transgressorem adjunxit, administrationi Bremensis Ecclesiæ se nequiter ingerendo, nesciens, vel si scivit, modicùm hoc appretians, quòd secundùm canonicas sanctiones nullus Episcopus de una sede transire possit ad aliam sine Romani Pontificis licentia speciali, cui soli est auctoritas reservata translationes hujusmodi concedendi. Propter quod, si ceteræ quoque culpæ cessarent, hac sola non tantùm Bremensi, verùm etiam Slevvicensi Ecclesia se reddidisset indignum; cùm secundùm instituta canonica is qui priori cathedra derelicta sine Romani Pontificis conniventia præsumpserit ad aliam se transferre, & prima carere debeat, quam per superbiam sprevit, & repelli nihilominus à secunda, quam per avaritiam concupivit. Quia igitur in tot abusionum enormitatibus & enormitatum abusionibus virum apostatam & inutilem, rebellem & contumacem, diutiùs non debemus nec possumus sustinere, dicto Archiepiscopo & venerabilibus fratribus suis ac Bremensis Ecclesiæ suffraganeis, necnon & Osnaberiensi & Monasterienſi Episcopis districtè præcepimus ut præfato Waldemaro firmiter ex parte nostra injungant ut omni excusatione ac dilatione cessante infra mensem post commoni ionem eorum iter arripiat ad sedem apostolicam accedendi, super excessibus suis veniam humiliter petiturus; alioquin ex tunc sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo depositum & degradatum auctoritate nostra ab omni ecclesiastico beneficio & officio denuntiare procurent eundem, & faciant ab omnibus tamquam anathematizatum usque ad satisfactionem condignam arctiùs evitari, si tamen de tot & tantis perversitatibus dignè satisfacere sibi detur; inhibentes nihilominus universis ne quis ei communicare vel favere præsumat, ita quòd si qui venire tentaverint in contrarium, laicos hujscemodi excommunicationi subjectos & à Bremensi Ecclesia beneficium obtinentes, eo in perpetuum spoliatos, Clericos autem omni ecclesiastico beneficio & officiò destitutos auctoritate nostra denuntiare procurent; civitatem verò seu castrum aut hominum quodcunque commune, si contra inhibitionem hujusmodi dicto Waldemaro præsumpserit adhærere, districtissimè interdicto supponant, ita quòd præter pœnitentias morientium & baptismata parvulorum nullum ibi divinum officium nullumque celebretur ecclesiasticum sacramentum; quod si quis Clericus ausus fuerit violare, ab omni ecclesiastico beneficio & officio deponant eundem; si qui verò super re tam illicita juramentum ei aliquod præstiterunt, denuntietur ab illis ad observationem illius penitùs non teneri. Quia verò in memorata Bremensi Ecclesia electionem accepimus in discordia esse factam, dictis Archiepiscopo & Episcopis dedimus in mandatis ut tam his qui pro electione ipsa quàm illis qui fuerint contra eam apostolica auctoritate injungant quatinus infra mensem post commonitionem eorum per se vel idoneos responsales vicem & potestatem aliorum habentes iter arripiant ad nostram præsentiam veniendi; ut præmissa examinatione canonica, si prædicta electio confirmanda fuerit, ejus confirmationem obtineant; sin autem, cum consilio nostro Ecclesiæ suæ de persona idonea provideant in pastorem. Quòd si forsan ij qui se contra præfatam electionem opponunt vel ad nos accedere, sicut prædiximus, non curaverint infra mensem, vel jamdicto Waldemaro favere tentaverint, denuntient eos ex tunc in electionis negotio partes aliquas non habere, sollicitè provisuri ut hæc omnia tam promptè quàm efficaciter exequantur quæ in virtute spiritus sancti sub obedientiæ debito illis injungimus exequenda, districtè præcipientes ut si forsan, quod non credimus, quivis eorum mandatum apostolicum non perfecerit, responsales idoneos infra mensem alium ad præsentiam nostram dirigat, satisfacturus de contemptu per ipsos; qui & si hoc duxerit negligendum, rebellionem & contumaciam suam digna curabimus dante Deo castigatione punire. Hoc autem mandatum ita præcepimus ipsos universos implere ut illud sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo non solùm simul omnes, sed etiam per se singuli exequantur. Quocirca fra-

Vide supra epist. 171.

ternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cùm ab ipsis vel eorum aliquibus tibi fuerit intimatum, Slevvicensi Ecclesiæ sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per electionem canonicam provideri facias in pastorem. Datum Ferentini 11. Non. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

WASTINANO, LINCOPENSI, & Scarensi Episcopis.

Epist. 174. Vt Ericum invasorem regni Sueciæ compescant.

AD nostram noveritis audientiam perveniſſe qualiter prædeceſſores Erici, qui in regnum Sueciæ ſe violenter intruſit, illuſtris recordationis S. Sueciæ Regis morte per quendam ipſius Camerarium procurata, filium ejus poſtmodum de unanimis populi voluntate promotum non modicùm de ipſis, quos ſuorum oblitus ſcelerum miſericorditer receperat, confidentem, violatis fide ac juramento quibus ei obligati fuerant, occiderunt. Tandem verò poſt interitum patris dicti Erici, qui præfatis Regibus taliter interemptis regni gubernacula per violentiam occuparat, cariſſimus in Chriſto filius noſter S. Sueciæ Rex illuſtris, qui ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Danorum illuſtrem contingentem eundem proxima conſanguinitatis linea ſe contulerat, ad regni regimen eſt aſſumptus; qui ſuper ipſius invaſoris regni ſui filiis, quos videbat puberes & omni auxilio deſtitutos, miſericordi compaſſione commotus, ſibi eos in filios injuriarum ſuarum immemor adoptavit, tanto eos fovens affectu quòd, in multa familiaritate delectatus eorum, à præſentia ſua non ſuſtineret abſentes. Tanto itaque operi pietatis invidens humani generis inimicus, ſeminatis inter ipſos & Regem zizaniis per quoſdam ſuæ nequitiæ ſectatores, eos ad machinandum in mortem regiam concitavit; quorum tandem tribus poſt detectum ſcelus eorum in prælio quod adverſùs Regem moverant interemptis, dictus Ericus, qui congregata poſt tempora multitudine regni fines violenter intrarat, occurrens ſibi cum ſuis, eodem Rege fugato, regnum obtinuit, ſe Rege præfato ad dictum Regem Daciæ, comite venerabili fratre noſtro Vpſalenſi Archiepiſcopo, conferente. Cùm igitur tum propter Eccleſiarum deſtructionem & oppreſſionem etiam viduarum, tum quia dictus Rex ſub Eccleſiæ Romanæ ac noſtra protectione conſiſtens, regno ſuo aſſeritur contra juſtitiam deſtitutus, hæc non ſint à nobis clauſis oculis omittenda, præſertim cùm alium non inveniat ad quem pro juſtitia obtinenda recurrat, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus dictum Ericum ut cum præfato Rege componat, & regnum ipſum eidem, prout ad ipſum pertinet, dimittat in pace, monere diligentiùs & inducere procuretis. Alioquin eum adhoc per cenſuram eccleſiaſticam, ſicut juſtum fuerit, appellatione remota cogatis; illud ſpecialiter procurantes, ut præfato Archiepiſcopo ſatisfiat. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI S. R. E. Cardinali, & Tporiensi Episcopo, & dilecto filio Abbati de Tilieto.

Epist. 175. Adversùs civitatem Placentinam. *Vide lib. 11. epist. 111.*

INter multiplices anguſtias & preſſuras quibus in hoc mundi veſpere ſancta mater Eccleſia vehementer affligitur & vexatur, illud vehementiùs nos affligit & & vexat quòd ij qui, tamquam filij, uberibus conſolationis ejus replentur, ei non ſolùm in anguſtiis non ſubveniunt, ſed dolorem vulneribus ejus addunt, & ab illis contempta quos materno nutrit affectu, vix jam invenit qui miſereatur ipſius ex omnibus caris ejus; ſed amici ejus ſpreverunt eam, & ei facti ſunt inimici; ſicut, quod dolentes recolimus, in Epiſcopo Placentino & clero ſuo recenti & familiari docemur exemplo. Cùm enim olim Conſules & Conſiliarij Placentini cum concivibus ſuis, malignis ſeducti fallaciis, ſpretis quoque apoſtolicæ ſedis monitis & mandatis, molirentur matrem ſuam Placentinam Eccleſiam ancillare ſicque ſeipſos in ſervitutem redigere, cùm ſequantur filij conditionem maternam juxta legitimas ſanctiones, nec metuerent propter Deum nec propter homines erubeſcerent immanitatem illius tyrannidis exercere quam non exercuerunt in ſacerdotes & Levitas illius temporis etiam Pharao Rex Ægypti & Rex Perſidæ Artaxerſes, qui non ſolùm eis non impoſuerunt onera, ſed fecerunt alimenta de publico miniſtrari, præfati Epiſcopus & clerus ipſius eligentes potiùs exulare quàm videre mala ſua pariter & ſanctorum, exeuntes de civitate, pulverem de pedibus ſuis in teſtimonium excuſſerunt, & per totam provinciam miſerabiliter ſunt diſperſi. Sed laici ſuas indurantes facies ſupra petram, & non ſolùm ad eorum mobilia

mobilia manus extendentes sacrilegas, sed per iniquitatis ministros universos proventus ecclesiasticos colligentes, pauperum substantias in usus illicitos converterunt. Quare in Consules, Consiliarios, & alios principales hujus iniquitatis actores excommunicationis sententiam promulgavimus, & civitatem totam subjecimus ecclesiastico interdicto. Illorum verò camitatibus & pressuris paterno compatientes affectu, & Episcopo de nostris proventibus congruos fecimus redditus assignari, & ab universis Clericis Lombardiæ tam ei quàm Clericis Placentinis honestissimè provideri, ita ut plerisque melius esset in alienis domibus quàm in suis, & exilium possent quasi pro patria reputare. Cùmque memorati cives in sua tamdiu duritia perdurassent quòd nos communicato fratrum nostrorum consilio decreverimus statuendum ut nisi ad mandatum Ecclesiæ infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum redirent super iis pro quibus ecclesiasticam censuram incurrerant satisfactionem debitam impensuri, episcopali dignitate ipsorum civitas privaretur, ac diœcesis ejus inter vicinos divideretur Episcopos, & bona mercatorum suorum, ubicunque inveniri possent, præceperimus detineri, tandem quia vel dedit eis vexatio intellectum, vel eorum corda splendor divinæ gratiæ illustravit, in manibus delegatorum nostrorum præstiterunt parendi nobis super iis omnibus corporaliter juramentum, & sic ab excommunicationis & interdicti sententia meruerunt absolvi. Qui tandem dilectos filios nobiles viros Vb. Vicecomitem & ... ad sedem apostolicam destinarunt; per quos gratanter & humiliter obtulerunt Episcopo & quibusdam Clericis Placentinis in nostra præsentia constitutis se obligaturos eisdem universa civitatis communia tamdiu detinenda donec de ipsorum proventibus recompensationem reciperent oblatorum, cùm pecuniam non haberent quam pro ipsa possent recompensatione præstare. Sed Episcopo & Clericis hoc minimè acceptantibus, dictis Consulibus & civibus sub debito præstiti juramenti præcepimus ut de cetero contra tenorem Lateranensis Concilij non gravarent Episcopum vel clerum Placentinum exactionibus vel collectis; ac restituerent omnes fructus extantes quos eis abstulerant vel fecerant à quoquam auferri. Super aliis autem rebus ablatis condescendentes eisdem, præcepimus ut tunc tria milia librarum illis redderent, & pro residuo, sicut obtulerant, eis communia obligarent donec ipsis esset plenariè satisfactum. Si verò modum istum minimè acceptarent, eis sub eadem districtione præcepimus ut summam pecuniæ pro rebus ablatis secundùm æstimationem factam infra sex menses cum integritate persolverent, & possessiones quas habebant Ecclesiæ Placentinæ in eum statum reducere procurarent in quo fuerant tempore violentiæ irrogatæ, neque contra præceptum hujusmodi vi vel dolo aliquid aliquando attentarent. Alioquin, præter notam & noxam perjurij, eos statuimus in priorem reduci sententiam, & in ipsos juxta prælibatam formam procedi. Restitutione igitur novem milium librarum tum in pecunia tum in aliis mobilibus à civibus plenè facta, Episcopus cum clero suo motu proprio, vel forsan alieno suasu, tamquam prodigus dispensator, suis civibus restituit vel potiùs largitus est universa, eis existens nimiùm liberalis qui contra eum valde fuerant insolentes. In quo, præter alias circumstantias, in hoc eum constat graviter excessisse, quia cùm à te, frater Yporiensis Episcope, consilium habuisset ut ante restitutionem hujusmodi apostolicam sedem consuleret, ac responderit ipse tibi quòd id à nobis sibi prohiberi credebat, in gravem apostolicæ sedis contemptum thesaurum ecclesiasticum in casu à canonibus non concesso ipse cum clero suo distraxit vel potiùs dissipavit enormiter, illi villico meritò comparandus qui cùm dissipasset domini sui bona, & non posset de ipsis reddere rationem, à sua extitit villicatione remotus. Enormiter quoque totam scandalizavit provinciam, & exemplum pernicioſum transmisit ad posteros, ac simul in unum & ipse perdidit & ab aliis perdi fecit operam & impensam. Cùm igitur relatione multorum ad aures nostras hæc iniquitas pervenisset, volentes scire utrum Episcopus cum clero suo clamorem qui ad nos venerat opere complevisset, vobis, fratres Archiepiscope & Episcope Yporiensis, & venerabili fratri nostro Papiensi Episcopo dedimus in mandatis ut super iis inquireretis pleniùs veritatem, & eam nobis rescribere fideliter curaretis. Vobis igitur cum eodem Episcopo apud Placentiam constitutis, per juramentum Episcopi & multorum aliorum certissimè cognovistis quòd inter clerum & laicos nullum prorsùs colludium intercessit, licèt Episcopus cum suis fautoribus prædicta, sicut præmisi-

mus, reſtituerit vel donaverit univerſa. Quamvis ergo ſecundùm juris rigorem potuiſſemus præfatum Epiſcopum ab omni officio eccleſiaſtico in perpetuum degradare, ut quibuſcunque culpa fuit in ſcandalum, pœna fieret in exemplum; memores tamen verbi quod in litteris noſtris civibus expreſſimus Placentinis, monendo & obſecrando, ut quod petebatur ab eis, nobis gratuita liberalitate donarent, ſub ſpe non ſolùm mercedis æternæ ipſis à Domino conferendæ, verùm etiam præmij temporalis à ſede apoſtolica concedendi, de quo, ſicut accepimus, ipſi ſpem & fiduciam non modicam conceperunt, rigorem ita duximus temperandum, ut Epiſcopus & alij Eccleſiarum Prælati hujus iniquitatis auctores ſuſpenſi ſint ab omni officio prælaturæ, & tam ipſius Epiſcopi quàm aliorum beneficia clericorum, qui pecuniam vel pignora reddiderunt, in duas partes dividantur æquales; quarum una ſibi pro ſuſtentatione retenta, illis altera tribuatur à quibus exilij tempore ſubſidia receperunt; ut cùm perſecutoribus ſuis liberales extiterint, benefactoribus ſuis ſint munifici vel inviti. Fredentium verò ſancti Antonini Canonicum & præfati Epiſcopi Capellanum, quem ſuper iis apud ipſum Epiſcopum didicimus multipliciter exceſſiſſe, ab officio eccleſiaſtico præcepimus manere ſuſpenſum. Præfatos autem cives, quos conſtat non ſolùm per juramentum quod unus præſtitit in animas aliorum, verùm etiam per juramenta tam Epiſcopi quàm aliorum Clericorum qui ſuper hoc depoſuere jurati, nullum adhibuiſſe dolum vel fraudem, immo nec promiſſionem nec ſpem ſibi datam fuiſſe de reſtitutione pecuniæ vel pignorum facienda, ſuper ablatorum reſtitutione, quam injunximus eis ut Clericis & Eccleſiis exhiberent, credimus liberatos; ſalvo jure, ſi quod Eccleſiis competit, ad repetendum theſaurum malè diſtractum; eoque ſimiliter ſalvo, ut niſi Epiſcopus & clerus humiliter portent impoſitam ſibi pro meritis diſciplinam, aut ſi forſan ipſi cives minùs gratam haberent gratiam ſibi factam, vel ſcandalum non ceſſaret, nervum rigoris, quem non diſſolvimus, ſed infleximus, extendere valeamus. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus quæ à nobis ſunt ſuper iis provida deliberatione ſtatuta faciatis ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari, Epiſcopum & clerum, ſi neceſſe fuerit, compellentes ut interpoſito juramento medietatem ſuorum proventuum ob cauſam prædictam juxta providentiam veſtram diſtribuendam aſſignent. Vos autem auctoritate noſtra ſuffulti defectum eorum ſuper iis à quibus ſuſpenſi ſunt ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo ſuppleatis. Quòd ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani x. Kal. Decembr. pontificatus noſtri anno undecimo.

EPISCOPO BAIOCENSI.

Epiſt. 176. Reſpondetur ad ejus conſulta.

CVm in jure peritus exiſtas, & copiam habeas peritorum, non poſſumus non mirari quòd ſuper quibuſdam juris articulis nos conſulere voluiſti qui nihil aut modicum dubitationis continere noſcuntur. Primus ſiquidem tuæ conſultationis articulus continebat quòd cujuſdam Eccleſiæ Decano defuncto, ejuſdem loci Capitulum ſub hac forma in ſeptem ex ipſis Canonicis compromiſit, ut illum quem ex ſe vel ex aliis de gremio ipſius Eccleſiæ omnes pariter vel major eorum pars duceret nominandum, idem Capitulum reciperet in Decanum. Vnde cùm unus ex illis ſeptem à tribus ipſorum, & alius, qui non erat de numero eorundem, * in Decanum fuerint nominati, à nobis tua fraternitas requiſivit uter eorum aſſumi debeat à Capitulo in Decanum. Super quo tibi taliter reſpondemus, quòd is qui de numero ſeptem à tribus eorum dinoſcitur nominatus, juxta compromiſſi tenorem debet in Decanum aſſumi, dummodo electioni de ſe factæ conſentiat & aliquid Canonicum non obſiſtat. Præterea quæſiviſti, cùm tibi ab aliquo ſub hac forma mandatur, *Auctoritate qua fungor injungo ut talem denunties excommunicationis ſententiæ ſubjacere*, ac tibi ſuper mandato apoſtolico hæſitanti ab aliquo non fit fides, an mandatum hujuſmodi exequi tenearis. Super quo hujuſmodi tibi damus reſponſum, quòd niſi de mandato ſedis apoſtolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur. Contigit inſuper quòd cùm quidam poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam fuerit excommunicatione notatus, & ſuper abſolutione ſua per nuntium ad certos judices noſtras litteras impetravit, poſtquam litteræ fuerunt obtentæ, ſed priuſquam fuiſſent judicibus præſentatæ, pro alia cauſa fuit vin-

Cap. Cùm in jure. De def.

** In tert. collect. additur, à tribus aliis, etiam in codicibus MSS. Colleriano & Andegavenſi.*

Cap. Cùm in jure. De off. jud. deleg.

culo excommunicationis astrictus. Vnde responso nostro postulas edoceri an iidem judices cognoscere valeant de anathematis sententia secundo loco prolata. Super quo fraternitati tuæ duximus respondendum quòd jurisdictio judicum eorundem ad cognoscendum de prædicta sententia extendi non debet, cùm eo tempore quo ad eos litteræ nostræ obtentæ fuerunt eadem sententia minimè lata fuerit, nec de ipsa etiam cogitatum. Datum Laterani x. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

FLORENTINO EPISCOPO, & Abbati Saxivivi, & Priori Camaldulensi.

Epist. 177. Ex commissa visitatio monasteriorũ Tusciæ.

CVm ex apostolicæ servitutis officio in vinea Domini sabaoth, cujus custodia disponente Domino nobis dinoscitur esse commissa, extirpare nociva & plantare utilia teneamur, nec hoc possimus implere ubilibet per nos ipsos, ad hujus solicitudinis ministerium illos advocamus interdum quos ad hoc idoneos reputamus. Cùm igitur inter ceteros Prælatos Tusciæ geramus de vobis fiduciam pleniorem, super omnibus monasteriis tam in Tuscia usque Viterbium & Reate quàm etiam in Marchia constitutis committendas vobis duximus vices nostras. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus omnes pariter vel duo saltem ex vobis, si quando quisquam vestrum nequiverit interesse, cum sociorum & vectionum numero moderato eadem monasteria visitantes, corrigatis appellatione remota quæ fuerint corrigenda, statuentes in eis quæ saluti & honestati videritis expedire. Illam autem maturitatem & temperantiam in exequendo visitationis officium observetis ut ij ad quos vos declinare contigerit non minùs in vestro recessu gaudeant quàm accessu. Datum Laterani VII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

TERRACONENSI, BRACARENSI, & Compostellano Archiepiscopis.

Epist. 178. Non licere fratribus S. Iohannis Hierosolym. transire ad Cisterciens. Cap. Licèt. De regularib.

LIcèt quibusdam monachis & Canonicis necnon Hospitalariis & Templariis à sede apostolica sit indultum ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis arctioris etiam religionis obtentu transire, ut unusquisque secundùm Apostolum in ea vocatione permaneat in qua dinoscitur esse vocatus, quia tamen ubi spiritus Dei est, ibi libertas, & qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex posita non est justo, ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum ne quis ex temeritate vel levitate in jacturam & in ruinam sui ordinis sub prætextu majoris religionis ad alium ordinem transvolaret, sicut frequenter à multis constat esse præsumptum, non quidem ut ei transeundi licentia denegetur qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, quatinus non fictè, sed verè, ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo postquam à prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, nonobstante proterva indiscreti contradictione prælati, qui privilegium meretur amittere cùm concessa sibi abutitur potestate; cùm & Romanus Pontifex, qui supremam obtinet in Ecclesia potestatem, Archiepiscopis & Episcopis cedendi licentiam ex justa causa petentibus sine difficultate concedat. Quocirca noverint universi quibus hujusmodi privilegium est concessum se ad concedendum transeundi licentiam taliter postulantibus de jure teneri: quia sicut subditus à prælato cum humilitate ac puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, sic profectò prælatus subdito sine difficultate ac pravitate * debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si verò probabiliter dubitetur utrum quis velit ad ordinem arctiorem an laxiorem ex caritate an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum, ne fortè angelus sathanæ in lucis angelum se transformet; illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere præsulatum: quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur; & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti. Ad quod utique designandum unigenitus Dei filius Iesus Christus non de Rachele secundùm carnem natus est, sed de Lia; nec legitur eum in domum suam Maria excepisse, sed Martha, unde quandiu potest Episcopus præesse pariter & prodesse, non debet cedendi postulare licentiam aut etiam obtinere. Sanè dilecti filij fratres Hospitalis Ierosolymitani in partibus Hispaniæ con-

* *In tert. coll. additur, quàlibet. Sed hæc vox non extat in cod. Andegav.*

stituti gravi nobis conquestione monstrarunt quòd quidam fratres eorum, qui administrationem & magistratum habuerant in domibus Hospitalis, & alij ejusdem ordinis, cùm mandatum aliquod recipiunt à magistris quod sibi non placeat aut durum etiam videatur, se ad ordinem Cistercienſem transferunt, & sic domus Hospitalis bonis suis multotiens spoliatur. Quia verò eorundem fratrum gravamen clausis non possumus oculis pertransire, dilectis filiis universis Abbatibus Cistercienſis ordinis in Hispania constitutis nostris litteris dedimus in præceptis ut quæ præmissa sunt diligenti meditatione pensantes, procurent eadem firmiter observare, provisuri attentiùs ut quod sibi fieri nolunt, minimè faciant fratribus antedictis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si dicti Abbates mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos memoratos fratres contra præmissorum tenorem non permittatis aliquatenus molestari, quin immo tam recedentes fratres quàm illos qui eosdem contra præmissam formam recipere fortè præsumpserint, ut ab hujusmodi præsumptione desistant per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VI. Kal. Decembris, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Episcopo Davaliensi, & Abbati sancti Lucæ Nigripontensis diocesis.

Epist. 179. Scribitur pro Theodoro Episcopo Nigripontensi.

SVa nobis venerabilis frater noster Theodorus Episcopus Nigripontis fecit conquestione monstrari quòd licèt coram dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinale tunc apostolicæ sedis Legato sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ canonicam obedientiam promiserit exhibere præstito juramento, & idem Legatus episcopatum ipsum auctoritate qua fungebatur confirmarit eidem, Archiepiscopus tamen Athenienſis Metropolitanus ipsius, occasione assumpta ex eo quòd idem inungi nolebat juxta consuetudinem Latinorum, præsertim cùm idem Archiepiscopus mandatum super hoc non haberet apostolicum speciale, ipsum pro suæ voluntatis arbitrio præsumpsit destituere juris ordine prætermisso, & alium in Episcopum loci ejusdem eligi fecit in ejus præjudicium & gravamen. Cùm igitur dictus Episcopus tam nobis quàm ipsi Archiepiscopo paratus sit, sicut asserit, canonicam obedientiam exhibere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, ipsum ad episcopatum prædictum mediante justitia sublato cujuslibet appellationis obstaculo restitui faciatis, nec permittatis eundem super eo indebitè molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VI. Idus Decembr. pontificatus nostri anno undecimo.

Vide gesta Innoc. III. cap. 75.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS Francorum ad Dominum Papam.

Epist. 180. De causa divortij.

SAnctissimo Patri & Domino carissimo Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem & tam debitam quàm devotam in omnibus reverentiam. Paternitati vestræ, de qua plenè confidimus, preces affectuosas ex toto cordis affectu porrigimus quatinus viro venerabili Domino Gualæ Legato vestro, qui est in terra nostra, detis potestatem separandi matrimonium nostrum appellatione remota, sive per affinitatem, sive per maleficium, sive intrando religionem, sive alio quocunque modo rationabili per quem solet separari matrimonium tempore vestro & temporibus antecessorum vestrorum, & leviorem dispensationem quam poteritis erga nos, si placet, faciatis. Super iis autem & super aliis fideli & familiari Clerico nostro Guidoni de Atheiis latori præsentium ex parte nostra indubitanter credatis.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO Philippo illustri Regi Francorum.

Epist. 181. Responsiva epistolæ superioris.

SVper causa conjugij alias tibi litteras satis prolixas dirigimus, quæ pro majori parte utriusque partis continent rationes, hac præsertim ex causa, ut illis inspectis deliberes cum viris prudentibus, qui non minùs respiciant ad justitiam quàm personam, utrum expediat tibi super ipsa causa subire judicium, quod exerceri quidem oportet sine omni acceptione personæ. Nos autem, qui & tuam secundùm animam desideramus salutem, & tuum secundùm corpus zelamur honorem, hoc tuæ regali prudentiæ recta fide consulimus & suggerimus intentione sincera, quatinus non solùm inclines animum, sed etiam cogas ipsum tamquam Rex fortis & prudens, qui tuo quoque debes animo dominari, ad exhibendum ca-

rissimæ in Christo filiæ nostræ Ingeburgi Reginæ Francorum uxori tuæ conjugalem affectum. quod quidem si feceris, nos apud Deum tibi volumus esse sponsores quoniam & in præsenti & in futuro ipse tibi mercedem retribuet supra merita inſperatam. Datum Laterani VII. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

EIDEM.

Epiſt. 181. Super eadem materia. Habes infrà lib. 11. epiſt. 104. inf.

VEniens ad apostolicam sedem dilectus filius Guido nuntius tuus regias nobis litteras præsentavit, petens ex parte tua suppliciter viva voce ut carissima in Christo filia Ingeburgi Regina Francorum uxore tua sponte ad religionis propositum transeunte ac publicè confitente in loco securo, sicut Legatus noster statuerit, teque jurante quòd eam carnaliter non cognoveris, liceat tibi aliam ducere in uxorem; quia, sicut felicis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster respondit, licèt in evangelio Dominus dixerit non licere viro uxorem suam nisi ob causam fornicationis dimittere, intelligendum est tamen secundùm sacri expositionem eloquij de iis quorum matrimonium est carnali copula consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest; & ideo si non est à viro suo cognita mulier, licitum Cap. Ex publi. ei est ad religionem transire, sicut idem alibi dicitur, quòd post legitimum de præsenti consensum licitum est alteri conjugum eligere monasterium, etiam altero repugnante, quemadmodum quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non fuerit subsecuta, & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum esse videtur ut ad secunda possit vota transire; quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest transire unus ad Deum & alter in seculo remanere. Cùm igitur hanc solam causam assignet, quòd si mulier per commixtionem carnalem non est effecta una caro cum viro, eo etiam repugnante ad religionem valeat transmigrare, nullam aliam circumstantiam allegando, patet profectò quòd existente causa, subsequi potest effectus, præsertim cùm sicut commixtio sexuum designat unionem inter verbum & humanam naturam, quia verbum caro factum est & habitavit in nobis, sic animorum consensus significet caritatem inter Deum & justam animam; quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo; & ideo sicut vinculum unionis inter verbum & humanam naturam separari non potest, sic vinculum conjugale inter virum & uxorem eis viventibus non potest dissolvi postquam per commixtionem sexuum effecti sunt una caro; sed sicut glutinum caritatis inter Deum & animam sæpe dissolvitur, ita conjugalis potest connexio separari quando solus inter conjuges consensus extitit animorum, propter illud quod inquit Apostolus protoplausti verbum exponens dicentis: *Erunt duo in carne una. Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia.* Porrò cùm veritas ipsa, quæ Deus est, non per Apostolum vel Prophetam, sed per se ipsam in evangelio suo dicat, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, & *Vir non dimittat nisi propter causam fornicationis uxorem*, non est à nobis extendenda licentia ut causa religionis vir ab uxore vel uxor à viro discedat, nisi quantum exempla sanctorum & patrum statuta declarant, ne humana præsumptio constitutionem divinam transgredi videatur. Profectò legimus quosdam sanctos ex ipsis nuptiis ad eremi solitudinem & peregrinationis pauperiem evolasse; quorum exemplo fortè commoniti quidam prædecessores nostri dixerunt quòd *desponsatam puellam non licet pa-* 27. q. 2. c. 27. 28. *rentibus alij viro tradere, monasterium tamen eligere sibi licet*, & *decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo censuerunt damno multari.* quamvis exempla paucorum communem legem non faciant, præsertim illorum qui creduntur ab inspiratione divina fecisse, cùm de nuptiis vocati legantur; quoniam, ut inquit Apostolus, *Vbi spiritus Dei est, ibi libertas, & qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege.* Præfata verò decreta non de conjugibus sed de sponsis quidam intelligi voluerunt, sicut ipsorum verba demonstrant, quæ non conjugatam sed desponsatam appellant. Sed nec ex prædictis decretis vel exemplis colligitur quòd alterutris conjugum, si tales etiam conjuges reputentur, ad religionis propositum transeuntibus, reliqui ad copulam transierint conjugalem, nisi quòd præfatus Alexander Papa legi- Cap. *Ex publico. De conv.* tur cuidam Episcopo de quadam muliere *conjug.* mandasse quòd si vir ejus eam carnaliter non cognoverat, & ipsa vellet ad religionem transire, sufficientem ab ea cautionem reciperet, ut vel ad religionem transiret, vel ad virum suum infra duorum mensium spatium accedere procuraret. Verùm utrum intentio tua, fili carissime,

infra hos limites concludatur quos exempla sanctorum vel patrum decreta præfigunt, diligenter oportet adverti; ne si fuerit in hoc casu, quod Deus avertat, erratum, nobis ac tibi grande periculum & grave scandalum oriatur. Manifestum est enim quòd ad prædictam Reginam conjugem tuam aliquotiens accessisti ut carnaliter eam cognosceres, diligentem ad hoc operam impendendo; cui licèt te asseras non potuisse carnaliter commisceri, fortasse tamen in ipso tali commercio aliquid circa eam extraordinariè peregisti. Nunc autem etsi necessaria sibi facias congruè ministrari, quantum ad victum pertinet & vestitum, ipsam tamen in arcta facis custodia detineri, ut de suis neminem secum habeat marem aut feminam, nec etiam ipsa palatium in quo tenetur possit exire, neque quisquam ad eam sine tuo speciali mandato infra ipsum palatium possit intrare; quam hoc modo detentam multifariam induci fecisti per inductores utique multiformes, multis & magnis promissis muneribus, ne dicamus comminationibus intentatis, ut habitum religionis assumat & se dicat à te cognitam non fuisse, ut sic aliam tibi copulare possis uxorem; quamvis ipsa Legatis nostris confessa fuerit in judicio quòd tu eam carnaliter per commixtionem sexuum cognovisti, & hoc ipsum nobis multotiens intimaverit, quasdam nobis ante triennium patentes litteras suo sigillo munitas in testimonium destinando, in quibus constantissimè profitetur quòd tu eam carnaliter cognovisti, & si fortè contrarium confiteretur aliquando, nunquam contrariæ confessioni credamus, quia confessionem hujusmodi extorqueret ab ea vel metus pœnæ vel studium evadendi, sicut in simili casu Teberga Regina legitur contra Lotharium Regem olim sanctæ memoriæ Nicolao Papæ prædecessori nostro scripsisse. Ex præmissis verò decretis vel exemplis propositis haberi non potest quòd ij qui causa religionis suas deseruerunt uxores, ad illas intraverint. Tu autem ad prædictam conjugem tuam non solùm intrasti, sed ut carnaliter ipsam cognosceres diligentem operam impendisti. Nullus illorum uxorem induxit ut ad religionem transiret, quatinus ipse ad aliud conjugium transvolaret. Tu verò non solùm ad hoc præfatam induxisti Reginam, verùm etiam multis promissionibus provocasti; quin immo juramentum ab illa ut hoc ageret accepisti, mille libras annui redditus polliccendo. Nullus illorum vel modico tempore in custodia coarctavit uxorem. Tu autem per octo jam annos præfatam Reginam in arcta fecisti custodia detineri. Quin immo cùm illi legantur transisse de nuptiis, vel alij transire voluerint antequam ad nuptias pervenissent, hæc post sextum decimum annum à contracto conjugio transire monetur, utinam non cogatur. A nullo illorum uxor conjugale debitum postulavit. A te verò memorata Regina frequenter exegit, sed illud ei reddere denegasti. Nullius illorum uxor se cognitam dixit ab ipso. Sæpefata verò Regina constanter asseruit, etiam in judicio, quòd tu eam carnaliter cognovisti. Vnde si nunc contrarium fateretur, non esset ejus simplici verbo credendum, cùm & de his qui causa frigiditatis affirmant se non potuisse ad invicem commisceri beatus Gregorius Papa statuerit ut eorum uterque septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis dicat jurejurando quòd nunquam permixtione carnis conjuncti una caro effecti fuissent. Quanto magis ergo illa præstare debet simile juramentum quæ nimio tædio videtur affecta, ut non dicamus, correpta timore, seducta consiliis, vel illecta promissis. Vides ergo, fili carissime, quòd circa præfatam Reginam longè ampliùs processisti quàm secundùm exempla proposita vel præmissa decreta fuerit processum ab aliquo qui causa religionis suam deseruerit uxorem, vel cujus uxor ob causam eandem reliquerit suum virum. Nec putes quòd ista dicamus quasi circa te nimium velimus exercere rigorem, cùm ex comparatione similis facti possis advertere nos erga te magnæ benignitatis gratiam impendisse. Tempore quippe præfati prædecessoris nostri Nicolai Papæ memoratus Lotharius Rex, non minimus, sed maximus inter Reges, Thebergam uxorem suam propria temeritate dimisit, & superduxit Gualdradam, faciens illam in arcta custodia detineri & istam regali honore tractari. Cùmque præfato prædecessori nostro suam illa querelam deponeret, inter cetera libellum appellatorium destinavit, in quo non quidem adhuc confessam, sed cogi se ut contra se falsum diceret crimen innotuit, subjungens quòd si ampliùs foret compulsa, sciretur quòd non veritate, sed timore mortis, & evadendi studio, quia non posset aliter, diceret quod Rex vellet. Ex iis potes & debes advertere quantum tuæ magnificentiæ curaverimus

Vide cap. Laudabilem. De frigid. & maleficio.

& in verbis & in factis deferre. Prædictus enim prædeceſſor ſuperinductam Gualdradam pellicem Lotharij appellabat ; nos autem ſuperinductam à te nunquam appellavimus tuam pellicem, ſed nobilem mulierem. Ille præfatum Lotharium non appellabat ſimpliciter Regem, ſed ſi Rex veraciter dici poſſet qui nullo ſalubri regimine appetitus corporis refrænabat. Nos autem te non ſolùm Regem ſimpliciter appellavimus, ſed catholiciſſimum Principem & Chriſtianiſſimum Regem. Ille duos Archiepiſcopos, Colonienſem videlicet & Trevirenſem, depoſuit pro eo quòd injuſtam ſententiam in cauſa conjugij protulerunt. Nos autem nec unum Archiepiſcopum depoſuimus, Remenſem videlicet, avunculum tuum, qui ſententiam divortij ſeu potiùs ludibrij fabulam promulgavit. Ille Lotharium Regem & ſuperinductam Gualdradam excommunicationis mucrone percuſſit. Nos autem, etſi protulerimus ſententiam interdicti, non quidem in totum regnum, ſed in partem aliquam regni tui, non tamen te vel ſuperinductam excommunicationi ſubjecimus, ſed nec illi vel tibi officia divina ſubtraximus vel eccleſiaſtica ſubduximus ſacramenta. Licèt etiam te ſæpiſſime monuerimus ut præfatam conjugem tuam debitæ reſtitueres libertati & regali faceres honorificentia pertractari, nondum tamen ad hoc apoſtolica te compulimus poteſtate ; ſed nec ad reddendum ei debitum conjugale ſæpiſſime poſtulanti adhuc eccleſiaſtica cenſura compulimus, multotiens commonitum diligenter. Putaſne, magnifice Rex, quòd etſi præfatus prædeceſſor noſter præſtantior nobis fuerit merito & ſcientia, nos eo ſimus officio & poteſtate minores, ut quod ille juſtitiæ zelo ſuccenſus erga tantum Regem egiſſe dinoſcitur, nos erga te pari zelo ſuccenſi agere non poſſimus, vel amodo minùs juſtè agere valeamus quod hactenus fortè plus juſto diſtulimus exercere? Vt autem cognoſcas affectum dilectionis & gratiæ quam erga te gerimus, ecce temperato rigore mandamus dilecto filio Gualæ ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali apoſtolicæ ſedis Legato quatinus, quemadmodum per regias litteras poſtulaſti, ut tuis verbis utamur, appellatione remota procedat ſuper negotio matrimonij, ſive de affinitate, ſive de maleficio, ſive de religionis propoſito, ſive alio quocunque modo rationabili per quem ſolent matrimonia ſeparari, cauſa fuerit propoſita coram eo ; ita videlicet ut licèt hujuſmodi variatio ſit ſuſpecta, modò de affinitate, modò de maleficio, modò de religione proponere, ſeu quolibet alio indiſtinctè ad conjugium dirimendum, ſi amen ad quæſtionem affinitatis volueris habere recurſum, formam obſervet quam ſuper eodem articulo aliis Legatis duximus præfigendam ; ſi verò cauſam volueris proſequi maleficij, formam ſequatur ſibi præfixam. Quòd ſi de propoſito fuerit religionis agendum, idem Legatus & præſcripta prudenter attendat & proponenda conſideret diligenter ; ac demum ſi de partium proceſſerit voluntate, cauſam in quolibet caſu canonico fine decidat, vel ipſam ſufficienter inſtructam ad noſtrum remittat examen, præfigens partibus terminum competentem quo per reſponſales idoneos noſtro ſe conſpectui repræſentent juſtam auctore Deo ſententiam recepturæ. Illo ſemper in omnibus obſervato, ut præfatæ Reginæ omnimoda provideatur libertas, quemadmodum in ſimili caſu jamdictus prædeceſſor noſter Nicolaus conſtituit ita dicens: *Sive de conjugij fœdere, ſive de adulterij crimine ſit judicium agitandum, nulla patitur ratio Tebergam cum Lothario inire poſſe certamen, niſi priùs ad tempus ſuæ reddita fuerit poteſtati, & conſanguineis priùs liberè ſociata. Inter quæ locus eſt etiam providendus in quo nulla vis multitudinis formidetur, ne ſit difficile teſtes producere vel ceteras perſonas quæ tam à ſanctis canonibus quàm à venerandis Romanis legibus in hujuſmodi controverſiis requiruntur.* Ecce, fili cariſſime, non de corde noſtro nova verba confingimus, ſed de jure canonico authentica producimus inſtituta, ſicut viri prudentes te poterunt pleniùs edocere. Quocirca regalem prudentiam rogamus attentiùs & monemus quatenus & quid liceat & quid deceat & quid etiam expediat in hoc agi negotio ſollerter attendas, ab illis avertens auditum qui caput tuum oleo peccatoris impinguant : quoniam, ut divinis verbis utamur, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, illud tibi ſub obtentu divini judicij pro tuorum remedio peccatorum in virtute ſpiritus ſancti mandantes, quatinus præfatam Reginam in nullo permittas offendi vel ad aliquid invitam compelli, ſed eam & debita facias libertate potiri & regali honorificentia pertractari ; ne, ſi ſecùs feceris, quod non credimus, indignationem divinam & apoſtolicam mereariſ, & præter grandem offenſam, gravem quoque pœnam incur-

33. q. 2. cap. *Sive.*

Vide ſuprà epiſt. 180.

ras, tuaque noviſſima primis & mediis hujus peccati merito non concordent. Datum Laterani v. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

DILECTO FILIO GVALÆ ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali, apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 183. Super eodem.

SVper cauſa conjugij cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Regi Francorum illuſtri ſcribimus in hunc modum. *Veniens ad apoſtolicam ſedem dilectus filius Guido nuntius tuus &c. ut in alia uſque in finem.* Ideoque diſcretioni tuæ, fili Legate, per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ſecundùm formam præſcriptam prævia ratione procedas. Datum Laterani &c.

MAGVNTINO ET MAGDEBVRGENSI Archiepiſcopis.

Epiſt. 184. De matrimonio Regis Boemiæ.

OLim per litteras à venerabili fratre noſtro Avelbergenſi Epiſcopo & dilecto filio Abbate in Sichem nobis deſtinatas accepimus quòd cùm * O. illuſtrem Regem Boëmiæ ſuper cauſa matrimonij quæ vertitur inter ipſum & nobilem mulierem A. ſororem Marchionis Miſnenſis auctoritate tam noſtra quàm Legatorum noſtrorum peremptoriè citaviſſent, parte mulieris ipſius in eorum præſentia comparente, idem Rex contumaciter ſe ſubtraxit. Cùm autem ab ejuſdem mulieris fuiſſet parte propoſitum quòd memoratus Rex B. Preſbyterum, quem præfati judices cum litteris citatoriis miſerant ad eundem, capi fecerat & arctæ cuſtodiæ mancipari, ac iidem judicis poſt peremptoriam diem biduo expectaſſent ſi forſan aliquis pro præfato Rege in eorum præſentia compareret, quia demum jam die tertia probato per teſtes idoneos quòd pervenerant litteræ citationis ad ipſum, ſuam manifeſtè contumaciam cognoverunt, excommunicationis in eum ſententiam protulere. Cùm igitur dictus Rex diceretur recuſaſſe prædictos judices ut ſuſpectos, venerabili fratri noſtro Hoſtienſi Epiſcopo & dilecto filio Leoni tituli ſanctæ crucis Preſbytero Cardinali, quibus tunc fuerat pro cauſis Imperij ac Eccleſiæ ad partes illas officium legationis injunctum, dedimus in mandatis quatinus juratoria cautione ab ipſo Rege recepta quòd juri pareret, beneficium impenderent abſolutionis eidem, & inquirerent, ſit tamen poſſent ad hoc intendere, per ſeipſos, vel facerent per aliquos idoneos viros inquiri utrum prædicti judices ab ipſo poſſent rationabiliter recuſari; quòd ſi forent rationabiliter recuſati, audirent cauſam vel facerent audiri appellatione remota, ita quòd cùm eſſet uſque ad ſententiam in ipſa proceſſum, nobis remitteretur inſtructa, præfixo partibus termino competente quo ſe per procuratores idoneos noſtro conſpectui præſentarent juſtam auctore Deo ſententiam recepturæ; alioquin partes ad priorum judicum remitterentur examen. Verùm quoniam ipſi Legati, propter miſerabilem illum eventum qui rerum ſtatum inopinata morte Principis immutavit, de arrepto legationis itinere recedentes, iis intendere nequiverunt, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus abſoluto præfato Rege ſecundùm formam præſcriptam, inquiratis ſollicitè per vos ipſos utrum judices antedicti poſſint ab eo rationabiliter recuſari, & in ceteris mandatum apoſtolicum, quod prædictis fuit Legatis injunctum, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo exequi procuretis. Datum Laterani III. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

* Orthoxarū. *Vide ſupra lib. 2. epiſt. 188. & cap. Conſtitutis. De teſtib.*

VNIVERSIS CHRISTI fidelibus per Lombardiam & Marchiam conſtitutis.

Epiſt. 185. De ſuccurſu terræ ſanctæ.

VTinam Dominus & nobis efficacem ſermonem & vobis ac aliis perfectum largiretur auditum; ut quod de cœleſtis Regis obſequio ſuademus, ſaltem per parabolam inducanimi Regis temporalis implere, qui cùm ſervorum ſuorum culpa regnum proprium amiſiſſet, ad recuperationem ipſius auxilium ſæpe flagitavit eorum; quibus ei non ſolùm illud impendere contumaciter recuſantibus, quin immo manus ſuas convertentibus hoſtiliter in ſe ipſos, ipſe demum propria recuperavit potentia regnum ſuum. Num igitur quis ex vobis tam miſericors eſt vel demens qui ſi vice Regis hujuſmodi fungeretur, accepto tempore juſtitiam judicandi ſervos tales, tamquam regios proditores & perfidos infideles, exilio vel incendio, ſuſpendio, ſive forſan alio duriori ſupplicio non puniret, ut malis malè perditis, in eorum bona fideles alios ſubrogaret? Porrò ſi ſic Rex faceret temporalis, qui ſolùm in corpore poteſtatem haberet, quanto magis Dominus Ieſus Chriſtus Rex Regum & Dominus dominantium, qui & corpus & animam nobis contulit, & utrumque potens eſt mittere in gehennam, de ingratitudinis

ingratitudinis vitio & velut infidelitatis crimine suos servos poterit condemnare, si ei de terra quam pretio sui sanguinis comparavit, ob culpam profectò non suam, sed ipsorum, ejecto, ad illam recuperandam neglexerint subvenire. Ecce ipse de sua hereditate pro nostris iniquitatibus pulsus exulat, ecce ad suam subventionem auxilium nostrum quasi exheredatus implorat, nec est qui vel foveat exulem vel adjuvet implorantem. Expansis in cruce brachiis iteratam quasi crucifigentium se nobis insinuat contumeliam, & penè penitùs nullus est qui ad ejus debita moveatur devotione vindictam. Transfigitur lancea latus ejus, manus & pedes clavis crudelibus configuntur, & neminis ferè pectus compassio crudelitatis tantæ transverberat ut mortem sibi retributurus, quam tribuit ille pro ipso, in adjutorium ejus exurgat. Aggravata sunt etenim corda omnium, & eo jam ferè spiritum emittente voce magna, qua clamat, nequeunt excitari. O quàm omnes sine pietate sunt facti & in crudeles universi mutati, quandoquidem puerpera virgo de paupere præsepij diversorio cum puero vagiente depellitur, & à nullo sibi debito humanitatis studio subvenitur! Væ genti peccatrici, væ populo pleno peccatis. Verè animi duri es, & ærea tua frons, ac nervus ferreus cervix tua. Dominus qui te fecit, & non solùm tibi tribuit id quod habes, sed etiam & quod es, cæditur & conspuitur, blasphematur & flagellatur, quin potiùs jam cunctis ludibriis & suppliciis, quæ sustinuit corporaliter, spiritualiter innovatis, non solùm ad crucem usque deducitur, immo ipsa sibi etiam crux aufertur, in hoc rabie modernorum crucifixorum veterum tyrannidem excedente quòd cùm illi nihil in cruce dimisissent eidem, isti nec crucem; & tu tantam tui dissimulas ignominiam creatoris. Heu servos ingratos! heu famulos indevotos, qui cùm cœli ac terræ dominus ad recuperandum proprium patrimonium, non suis, sed eorum culpis amissum, adjutorium implorat ipsorum, non solùm illud impendere damnabiliter sibi renuunt, verùm etiam in seipsos hostiliter arma convertunt! Proh dolor! quis furor est, & quæ licentia tanta ferri domesticorum cruorem per civilia bella condere, ac perfidas & perferas nationes de Christi sinere patrimonio triumphare! Numquid abbreviata & parvula facta est manus ejus, ut non possit redimere, aut non est virtus ad liberandum in ipso? Nonne ipse, qui malefaceret in sua increpatione desertum, indueret cœlos tenebris, & saccum poneret operimentum eorum, funiculum hereditatis suæ in solo posset oris sui verbo salvare? Deus siquidem sempiternus Dominus, qui terminos terræ creavit, qui dat lapso virtutem, & iis qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat, non deficiet nec etiam laborabit quin orientalem provinciam quando voluerit & sicut voluerit de manibus eruat impiorum; sed in occupatione ac detentione ipsius peccata nostra sic forsitan punienda prævidit ut pœna ipsa impœnitentibus majorem verteretur in culpam & pœnitentibus proficeret ad coronam; ut unde contumacium aggravaret excessus, inde remitteret humiliantium se reatus. Sciens etenim quòd diligentibus se omnia cooperantur in bonum, non ut scientiam sibi per experientiam compararet, cùm universa noverit & prævideritab æterno, sed ut nos de virtute vel infirmitate nostra redderet certiores, & daret intelligi plenius qui sunt ejus, salutiferæ crucis signum, in quo ipse salus nostra pependit, & terram nativitatis suæ, quam proprio sanguine consecravit, capi ab inimicis fidei Christianæ permisit, si quem forsan tangeret ejus injuria, si quem zelus divinæ legis accenderet, & ad vindicandam crucis injuriam excitaret. Dormiebant etenim somnum suum omnes viri divitiarum, dormiebant, & in suis voluntatibus ac voluptatibus dormitabant, cùm factus est repentè de cœlo sonus de inopinato Christi hereditatis excidio, non solùm excitans dormientes, sed universos Christianorum fines concutiens; ut quia nullus de Dei potentia dubitabat, id singuli suis criminibus imputarent, & sic saltem reverterentur ad Dominum, & de suis pœniterent excessibus qui priùs in cordibus suis dixerant: *Non est Deus*. Cùm igitur Dominus in hoc forsan occasionem nobis voluerit præstare salutis, immo salvationis causam præbere, universitatem vestram monemus attentiùs & exhortamur in Domino, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus ante oculos cordis habentes exilium crucifixi, qui potentes sunt prælium Domini præliari, & crucem & arma capessant; qui verò non sunt habiles ad pugnandum, in expensis suis secundùm proprias facultates aliquos dirigant bellatores, nec sit qui se ab hujusmodi obsequio subventionis excuset quin aliquid saltem modicum

vel unum nummum imperialem propter hoc devotè ac libenter impendat, cùm ad mercandum regnum cœlorum interdum calix sufficiat aquæ frigidæ, ac pauper mulier in gazophylacium duo minuta mittendo laudetur plus ceteris obtulisse. Proinde, carissimi filij, dum communis instat necessitas, simultates domesticas deponatis, & operam quam essetis bellis aut guerris mutuis impensuri, in terræ sanctæ vos juvet auxilium exercere, quæ pro peccatis nostris viris & viribus, operatoribus & opibus destituta in tanta necessitate consistit in quanta prorsùs ab initio suæ visitationis nequaquam noscitur extitisse. Vt autem de vestra jam quasi retributione securi laborem tam sanctum confidentiùs assumatis, de Dei omnipotentis misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in propriis personis subierint & expensis plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta qualitatem & facultatem suam viros idoneos destinarint illuc per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis, assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei consistere defensione jubemus, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores eorum per Ecclesiarum Prælatos, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quòd si quisquam creditorum ad solutionem eos coëgerit usurarum, ipsum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Concedimus etiam venerabilibus fratribus nostris Cremonensi & Yporiensi Episcopis & dilecto filio Abbate de Tilieto, quibus specialiter auctoritatem tradidimus inducendi vos ad opus hujusmodi pietatis, necnon aliis Archiepiscopis & Episcopis in quorum diocesibus permanetis, ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum quantitate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possint in opus eleemosynæ faciendæ. Datum Laterani IV. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis per Lombardiam & Marchiam constitutis.

Epist. 186. De eadem re.

VTinam Dominus & nobis efficacem sermonem &c. *in eundem ferè modum usque in finem.* Quocirca universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus apud populos vobis subditos studio sedulæ prædicationis & exhortationis instetis ut juxta nostram & prædictorum Episcoporum & Abbatis exhortationem memoratæ terræ sanctæ succurrant, constitutionem & mandatum nostrum in ceteris quæ superiùs sunt expressa sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo efficaciter exequentes, quadragesimam quoque partem ecclesiasticorum reddituum proventuumque vestrorum & aliorum nihilominus Clericorum, necnon & alias fidelium eleemosynas, quas dudum ad subventionem ipsius terræ mandavimus congregari, siquidem collectæ sunt, assignari prædictis Episcopis & Abbati quantotius faciatis, in ejusdem terræ subsidium juxta suæ discretionis arbitrium transmittendas. Alioquin eas colligi diligenter, & ipsis faciatis fideliter assignari. Datum ut in alia.

EPISCOPO YPORIENSI & Abbati de Tilieto visitatoribus Lombardiæ.

Epist. 187. De Episcopo Albiganensi removendo.

EX litteris vestris accepimus quòd cùm ad Albiganensem Ecclesiam una cum venerabili fratre nostro Pisano Archiepiscopo, tunc Episcopo Vercellensi,

Cap. Ex litteris. De excess. prælator. Vide infrà lib. 3. epist. 134.

acceſſiſſetis, viſitationis officium impleturi, Albiganenſis Epiſcopus inter cetera quæ propoſita fuerant contra ipſum, hoc vobis ore proprio eſt confeſſus quòd cùm quidam in villa quadam ad ipſius juriſdictionem ſpectante infamaretur de furto, & idem illud inficiaretur omnino, offerens quòd candentis ferri judicio ſe purgaret, adiciendo ut ſuſpendio puniretur ſi deficeret in eodem, dictus Epiſcopus à judice requiſivit quid ſuper hoc videretur eidem, & cum judex reſpondiſſet ut fieret ſicut fur ipſemet dixerat, ferrum candens in ipſius Epiſcopi præſentia eſt allatum; quod cùm accepiſſet fur ille, combuſtus eſt. Vnde judex expavefactus, quid ſibi ſuper hoc videretur conſuluit Epiſcopum memoratum; qui reſpondit quòd ſi fur idem ſic evaderet, malum eſſet; quamquam per litteras quas idem Epiſcopus nobis modò direxit affirmet ſe talibus verbis uſum fuiſſe: *Auditis quantus eſt clamor populi, omnes dicunt quòd malum eſt ſi evaſerit impunitus.* & ſic Epiſcopus & judex villam ipſam cum multitudine ſunt egreſſi; in quorum præſentia fur prædictus auctoritate ipſius Epiſcopi eſt ſuſpenſus. propter quod ipſum cum litteris veſtris ad ſedem apoſtolicam deſtinaſtis. Sed idem in noſtra præſentia conſtitutus nihil unquam ſuper iis propoſuit coram nobis; nec litteras veſtras vidimus, licèt idem ſe nobis illas aſſerat præſentaſſe, quin immo ſtatim cùm dictus Archiepiſcopus ad apoſtolicam ſedem acceſſit, qui nobis hujus rei ſeriem plenariè indicavit, idem Epiſcopus à noſtra diſceſſit præſentia, & perquiſitus non potuit inveniri. Nos autem ſuper iis cum fratribus noſtris deliberavimus diligenter; & quia idem Epiſcopus, non ſolùm in judicio candentis ferri, verùm etiam in furis ſuſpendio graviter noſcitur deliquiſſe, cùm his non tantùm auctoritatem præſtiterit, verùm etiam præſentiam exhibuerit corporalem, ipſum indignum altaris miniſterio reputamus. Cùm igitur pontificale officium ſine altaris miniſterio non valeat adimpleri, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ut epiſcopatui cedat moneatis eundem. Alioquin ipſum auctoritate apoſtolica ab Albiganenſi Eccleſia ſublato appellationis obſtaculo amoventes, faciatis eidem per electionem canonicam de perſona idonea provideri, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Datum Laterani Idib. Decemb. pontificatus noſtri anno XI.

PRIORI OSENSI ET SVBPRIORI ſanctæ Fredeſvvidæ.

Epiſt. 188. Scribitur pro Abbate de Bello. Cap. Ex tenore. De conceſſ. prab.

EX tenore litterarum veſtrarum intelleximus evidenter quòd cùm cauſam quæ inter I. Clericum ex parte una & Abbatem & conventum de Bello ex altera ſuper redditu decem marcharum vel quindecim quas idem exigebat ab ipſis, eò videlicet quòd eidem, quàm citò ſe facultas offerret, in tantum ſe promiſerant proviſuros, nec promiſſionem ſuam curaverant adimplere, noſcitur agitari, vobis duxerimus committendam, dictus Clericus poſt litis conteſtationem chartam quandam monachorum ipſorum continentem exprẽſsè quòd ei primam Eccleſiam ad ſuam donationem ſpectantem valentem decem marchas vel quindecim aſſignare promiſerant exhibuit coram vobis, nihilominus per idoneos teſtes probans ipſos poſt promiſſionem hujuſmodi, licèt potuerint, nolle ſibi, quamquam ſuper hoc admoniti fuerint, providiſſe. quare dictos Abbatem & monachos ad aſſignandum ſibi redditum decem marcharum ad minus cogi cum inſtantia poſtulabat. Ad hæc autem fuit ex adverſo reſponſum quòd ratione promiſſionis hujuſmodi, utpote factæ contra Concilij Lateranenſis ſtatuta, quæ probari per chartam exhibitam videbatur, eos non poterat convenire, præſertim cùm non de aliqua Eccleſia, ſed de promiſſione tantùm, in litteris noſtris mentio haberetur. Cùm igitur aliis ipſos poſſe conveniri aſſerentibus, aliis verò in contrarium ſentientibus, ſuper hoc fuiſſet hinc inde coram vobis diutiùs diſputatum, vos quid juris ſit in hoc articulo dubitantes, in negotio ipſo ulteriùs procedere noluiſtis donec ſuper hoc reciperetis noſtræ beneplacitum voluntatis, nobis humiliter ſupplicantes ut quid ſit in hac parte agendum vos dignaremur per noſtras litteras reddere certiores. Nos igitur attendentes quòd promiſſio prædicta non tenet, utpote contra ſtatuta præfati Concilij attentata diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus memorato Clerico ſuper hoc ſilentium imponentes, ab impetitione ipſius dictos Abbatem & monachos abſolvatis. Datum Laterani II. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

NEOPATRENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Davalienſi, & dilecto filio electo Nazorescenſi.

Epiſt. 189. De obedientia quam Epiſcopi debent ſuis Metropolitanis.

VEnerabilis frater noſter Lariſſienſis Archiepiſcopus ſua nobis conqueſtione monſtravit quòd venerabilis frater noſter Dimitriacenſis Epiſcopus ſuffraganeus Lariſſienſis Eccleſiæ, fultus potentia laicali, eidem denegat obedientiam & reverentiam debitam exhibere. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus præfatum Epiſcopum ut debitam obedientiam & honorem exhibeat Archiepiſcopo memorato monere diligentiùs & inducere procuretis, eum ad hoc, ſi neceſſe fuerit, diſtrictione qua convenit appellatione remota cogentes. Nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus &c. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani VI. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

ELECTO NAZORESCENSI.

Epiſt. 190. Suſcipitur ſub protectione apoſtolicæ ſedis.

CVm à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum &c. *uſque* effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Nazoreſcenſem Eccleſiam cum omnibus quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet &c. *uſque* communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis infringere vel ei &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani V. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo.

EPISCOPO DAVALIENSI.

Epiſt. 191. De eodem argumento.

CVm à nobis petitur &c. *uſque* effectum. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater &c. *uſque* aſſenſu, Davalienſem Eccleſiam cum omnibus quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet &c. *uſque* communimus. Decernimus ergo &c. hanc paginam noſtræ protectionis infringere &c. *uſque* incurſurum. Datum ut in alia per totum.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO Cremonenſibus.

Epiſt. 192. De electione Abbatis de Cornu.

CVm venerabilis frater noſter Yporienſis Epiſcopus & dilectus filius Albertus Preſbyter Mantuanus ad monaſterium ſancti Stephani de Cornu ob viſitationis & correctionis officium acceſſiſſent, ſtatutis in eo plurimis quæ regulari congruunt honeſtati, quia P. tunc Abbas ejuſdem monaſterij ſuper lapſu carnis, crimine ſimoniæ, ac multis aliis graviter fuerat infamatus, cùm ipſi juxta officij ſui debitum ſuper iis vellent inquirere veritatem, idem Abbas eis humiliter ſupplicavit ut ſecundùm formam juris procederent circa ipſum, cùm notoria res non eſſet, nec vexaret eum fama publica vel privata, nec etiam contra eum accuſator aliquis appareret. Cùmque ipſi ſupplicationes vel potiùs exceptiones hujuſmodi tamquam frivolas non admitterent, dictus Abbas ſedem apoſtolicam appellavit. Sed iidem appellatione hujuſmodi, velut fruſtratoria, non admiſſa, à Priore ac multis monachis ipſius cœnobij, qui ſuper hoc depoſuere jurati, de præmiſſis inquiſierunt pleniùs veritatem. Interim autem cùm de prædictis viſitatoribus Abbas ipſe in auditorio noſtro gravem feciſſet conqueſtionem deponi, venerabili fratri noſtro Vberto Mediolanenſi Archiepiſcopo S. R. E. Cardinali dedimus in mandatis ut inquireret ab Epiſcopo & Preſbytero memoratis qua de cauſa inducti fuerint ad inquiſitionem hujuſmodi faciendam, & niſi aliam rationabilem cauſam oſtenderent, ne procederent ad inquiſitionem prædictam auctoritate ipſis apoſtolica prohiberet, in ſtatum debitum revocato ſi quid poſt appellationem ad nos rationabiliter interpoſitam in ipſius Abbatis præjudicium attentaſſent; alioquin canonicum haberent in eadem inquiſitione proceſſum. Cùm igitur de ipſorum proceſſu tam per litteras eorundem quàm per relationem Epiſcopi memorati nobis pleniùs conſtitiſſet, dictum Abbatem ab eadem abbatia exigente juſtitia duximus removendum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandantes quatenus & quod à nobis eſt ſuper hoc provida deliberatione ſtatutum faciatis per cenſuram eccleſiaſticam ſublato contradictionis & appellationis obſtaculo firmiter obſervari, ac Priori & fratribus ipſius monaſterij auctoritate apoſtolica injungatis ut perſonam idoneam per electionem canonicam ſibi præficiant in Abbatem. Ipſum quoque depoſitum ad reſtituendum privilegia monaſterij & alia quæ ſuæ fuerant commiſſa cuſtodiæ per cenſuram eandem ſublato appellationis obſtaculo compellatis; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles diſtrictione ſimili compeſcentes. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

SIGIBALDO ABBATI monaſterij ſanctæ Mariæ de Roſevelde, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 193. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens illud à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſanctæ Mariæ de Roſevelde, in quo divino mancipati eſtis obſequio, quod ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere dinoſcitur, ad exemplar felicis memorię prædeceſſorum noſtrorum Adriani & Alexandri Romanorum Pontificum ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt cum pertinentiis ſuis, decimam de Lu, quam bonæ memoriæ Albero Hamburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ex conniventia totius cleri & populi eidem monaſterio veſtro in concambium dedit, decimam de Roſevelde, quæ item in concambium pro ſilva quæ dicitur Frankenholt vobis data eſt, curiam quæ dicitur Coningohof cum omnibus pertinentiis ſuis, officium Elikeri cum omnibus attinentiis ſuis, vetus officium cum pertinentiis ſuis, duodecim manſos juxta Albiam cum pertinentiis ſuis, in Sclavia villam quæ Lanchua dicitur, & poſſeſſiones quæ jacent juxta Lu, bona quæ bonæ memoriæ Ermengardis Marchioniſſa Eccleſiæ veſtræ contulit in Tumariſco, curiam ſcilicet Crimpeſtede cum omnibus ſuis pertinentiis, curiam Fragiſtede cum pertinentiis ſuis, totam terram quæ dicitur Buſin cum pertinentiis ſuis, officium Oddonis cum pertinentiis ſuis, officium Hermanni & Wilberni cum omnibus pertinentiis ſuis, officium Siberni cum pertinentiis ſuis, officium Heſingi cum pertinentiis ſuis. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. *uſque* celebrare. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes monachorum qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, à dioceſano ſuſcipietis Epiſcopo &c. *uſque* voluerit exhibere. Alioquin ad quemcunque malueritis antiſtitem recurratis, qui apoſtolica fultus auctoritate quæ poſtulantur indulgeat. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate &c. *uſque* ſecundùm Deũ & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Quòd ſi fortè, quod abſit, in ſuo collegio invenire nequiverint qui huic regimini idoneus habeatur, liceat eiſdem de quocunque maluerint loco ſui ordinis & ſuæ profeſſionis aſſumere. Prohibemus inſuper ut nullus Abbatum Roſeveldenſis monaſterij bona infeudare, vel vendere, ſeu alio quolibet titulo alienare ſine aſſenſu majoris & ſanioris partis Capituli veſtri præſumat. Præterea decernimus, ſicut prædicti anteceſſores noſtri Adrianus & Alexander Romani Pontifices decreviſſe noſcuntur, ne alicui Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſeu alij eccleſiaſticæ ſecularique perſonæ aliqua diſponere vel ordinare aut exactiones vel paratas recipere ſine conſenſu & voluntate fratrum ibi Deo ſervientium liceat, ſed tantùm Romano Pontifici ad obediendum vel ſerviendum teneatur. Ad hæc ſtatuentes ſancimus ut nullus unquam monaſterij veſtri Advocatus eſſe præſumat niſi quem fratres communi conſenſu prævideriut eligendum. Sepulturam quoque ipſius loci &c. *uſque* nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas ſit præfatum monaſterium &c. *uſque* profutura. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Ad indicium autem perceptæ hujus à Romana Eccleſia libertatis, ſecundùm quòd Vdo Marchio cum fratre ſuo Rodulfo & matre Odda, in quorum patrimonio monaſterium ipſum ſitum eſt, inſtituiſſe dinoſcitur, per annos ſingulos bizantium unum nobis noſtriſque ſucceſſoribus perſolvetis. Si qua igitur in futurum &c. *uſque* ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij v. Idus Decembris, indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Vedasti Atrebatensis.

Epist. 194. De libertate ejusdem monasterij.

EX privilegio felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri, quod monasterio vestro concessit, & nos ad exemplar ipsius duximus innovandum, evidenter apparet monasterium ipsum nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinere. Licèt autem dilectus filius .. Atrebatensis Canonicus nuntius venerabilis fratris nostri Atrebatensis Episcopi nuper in nostra præsentia constitutus firmiter asseruerit quòd tempore bonæ memoriæ Vrbani Papæ prædecessoris nostri super hoc inter ipsius Episcopi & tuum, fili Abbas, prædeceſſores extitit litigatum, quia tamen privilegium libertatis apparet, & de ipsius Episcopi jure non constat, eidem Episcopo per nostras litteras duximus inhibendum ne contra tenorem ipsius privilegij vos tam in personis quàm rebus ad ipsum monasterium pertinentibus molestare præsumat; sed si idem Episcopus de jure confidit, causam suam ordine judiciario prosequatur. Alioquin sententiam, si sententia dici debet, quam in vos Episcopus ipse proferret, decernimus non servandam, tamquam à non suo judice promulgatam. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS Andrensibus.

Epist. 195. Vt rehabere valeant possessiones pignori obligatas. *Vide to. 9. Spicilegij Dacherianipag. 582.*

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quòd nonnulla ad feudum vestri monasterij pertinentia obligata potentibus ab infeodatis in pignus, facta sunt, non quidem de jure, sed tantùm de facto, ab eodem monasterio usuris excrescentibus aliena. Vnde nobis humiliter supplicastis ut terras, redditus, & alia quæ prædicto modo ad monasterium vestrum spectant, vobis, ne omnino alienari contingant, in pignus recipere de nostra permissione liceret, ita videlicet quòd recepti fructus vobis computari non debeant pro usuris. Volentes autem monasterij vestri indemnitatibus paterna sollicitudine præcavere, annuimus postulatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque in finem.* Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAganeis Terraconensis Ecclesiæ.

Epist. 196. De negotio Durandi de Osca & sociorum ejus. Vide lib. 11. epist. 17. & seqq. lib. 13. epist. 77. 78.

EIus exemplo qui non est Deus dissensionis, sed pacis, volens omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, venientes ad apostolicam sedem dilectos filios Durandum de Osca & socios ejus paterna benignitate suscepimus, & ea quæ nobis tam pro se quàm pro fratribus suis exponere curaverunt pleno concepimus intellectu. Ex iis ergo quæ nobis de articulis fidei & sacramentis Ecclesiæ diligenter examinati dixerunt cognovimus eos fidem sapere orthodoxam & catholicam astruere veritatem. Ad majorem tamen expressionem appositis evangeliis, & scripto confessionis eorum impositò super illa, recepimus ab eis hujusmodi juramentum. *Ego*, inquit, *Durandus de Osca inter manus tuas consecratas, summe Pontifex Domine Innocenti, Deum invoco testem in animam meam quòd ita simpliciter & veraciter credo sicut in hoc scripto per omnia continetur, & contrarium nunquam credam, sed contrarium credentibus pro posse resistam. Tibi verò tamquam beati Petri Apostoli successori & Archiepiscopis & Episcopis aliisque Prælatis in quorum diocesibus vel parrochiis commorabor obedientiam & reverentiam exhibebo tam debitam quàm devotam.* Scriptum autem confessionis est tale. PATEAT OMNIBVS fidelibus quòd ego Durandus de Osca & I. & E. & B. & omnes fratres nostri corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, & simplicibus verbis affirmamus patrem & filium & spiritum sanctum tres personas esse, unum Deum, totamque trinitatem coëssentialem & consubstantialem & coæternalem & omnipotentem, & singulas quasque in trinitate personas plenum Deum; sicut in *Credo in Deum*, & in *Credo in unum Deum*, & in *Quicunque vult* continetur. Patrem quoque & filium & spiritum sanctum unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem, & dispositorem omnium corporalium & spiritualium, visibilium & invisibilium, corde credimus & ore confitemur. Novi & veteris testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum, qui in trinitate, ut dictum est, permanens de nihilo cuncta creavit, Iohannemque Baptistam ab ipso missum esse sanctum & justum & in utero matris suæ spiritu sancto repletum. Incarnationem divinitatis non in patre nec in spiritu sancto factam, sed in filio tantùm,

corde credimus & ore confitemur; ut qui erat in divinitate Dei patris filius, Deus verus ex patre, esset in humanitate hominis filius, homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris & animam humanam rationabilem, simul utriusque naturæ, id est, Deus & homo, una persona, unus filius, unus Christus, unus Deus cum patre & spiritu sancto, omnium auctor & rector, natus ex virgine Maria vera carnis nativitate, manducavit & bibit, dormivit, & fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suæ passione, mortuus vera corporis sui morte, & resurrexit vera carnis suæ resurrectione & vera animæ ad corpus resumptione; in qua postquam manducavit & bibit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, & in eadem venturus est judicare vivos & mortuos. Corde credimus & ore confitemur unam Ecclesiam, non hæreticorum, sed sanctam Romanam catholicam & apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque quæ in ea celebrantur inæstimabili atque invisibili virtute spiritus sancti cooperante, licèt à peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benivolo animo tamquam à justissimo amplectimur; quia non nocet malitia Episcopi vel Presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam consecrandam, nec ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium; qui si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos salvari & credimus; & in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quàm illa quæ voluntariè commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum, sanctam & venerandè accipiendam esse censemus. * Sacrificium, idest, panem & vinum, post consecrationem esse verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi firmiter & indubitanter corde puro credimus & simpliciter verbis fidelibus affirmamus; in quo nihil à bono majus, nec à malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris & in virtute spiritus sancti. Vnde firmiter credimus & confitemur quòd quatumcunque quilibet honestus religiosus sanctus & prudens sit, non potest nec debet eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere nisi sit Presbyter à visibili & tangibili Episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria, scilicet certa persona, idem Presbyter ab Episcopo, ut prædiximus, ad illud propriè officium constitutus, & illa solemnia verba quæ à sanctis patribus in canone sunt expressa, & fidelis intentio proferentis. Ideo firmiter credimus & fatemur quòd quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, ut prædiximus, credit & contendit se posse sacrificium eucharistiæ facere, hæreticus est & perditionis Chore & suorum complicum est particeps atque consors & ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus verè pœnitentibus veniam concedi à Deo credimus, & eis libentissimè communicamus. Vnctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Conjugia carnalia esse contrahenda secundùm Apostolum non negamus, ordinariè verò contracta disjungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua conjuge salvari credimus & fatemur; nec etiam secunda vel ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minimè culpamus. Non condemnamus juramentum, immo credimus puro corde quòd cum veritate & judicio & justitia licitum sit jurare. [* De potestate seculari asserimus quòd sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed judicio, non incautè sed consultè procedat.] Prædicationem necessariam valde & laudabilem esse credimus; tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel Prelatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus verò locis ubi manifesti hæretici manent, & Deum & fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ abdicant & blasphemant, credimus quòd disputando & exhortando modis omnibus secundùm Deum debeamus illos confundere & eis verbo dominico, veluti Christi & Ecclesiæ adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines verò ecclesiasticos & omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur humiliter collaudamus & fideliter veneramur. Diabolum, non per conditionem, sed per arbitrium, malum esse factum credimus. Corde credimus & ore confitemur hujus carnis quam gestamus & non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per

* In lib. 13. epist. 78. scriptum est. In sacrificio eucharistiæ, quæ ante consecrationem erant panis & vinum, post nos.

* Hæc addita sunt ex libro 13.

„ Iesum Christum esse futurum, & singulos „ pro iis quæ in hac carne gesserunt receptu- „ ros vel pœnas vel præmia firmiter credimus „ & affirmamus. Eleemosynas, sacrificium, „ ceteraque beneficia fidelibus posse prodes- „ se defunctis credimus. Remanentes in secu- „ lo & sua possidentes eleemosynas & cetera „ ex rebus suis agentes, præcepta Domini „ servantes salvari fatemur & credimus. De- „ cimas, primitias & oblationes ex præcep- „ to Domini credimus Clericis persolven- „ das.] Quia verò non solùm fides recta, „ sed bona etiam operatio exigitur ad salu- „ tem, quoniam sicut sine fide impossibile „ est placere Deo, ita fides sine operibus „ mortua est, propositum quoque conver- „ sationis eorum præsenti paginæ duximus „ annotandum; cujus tenor est talis. AD „ HONOREM Dei & ejus Ecclesiæ catho- „ licæ, & ad salutem animarum nostrarum, „ fidem catholicam per omnia & in omnibus „ integram & inviolatam corde credere & „ ore proposuimus confiteri sub magisterio „ & regimine Romani Pontificis permanen- „ do. Seculo abrenuntiavimus, & quæ ha- „ bebamus, velut à Domino consultum est, „ pauperibus erogavimus, & pauperes esse „ decrevimus; ita quòd de crastino sollici- „ ti esse non curamus, nec aurum nec ar- „ gentum vel aliquod tale præter victum „ & vestitum cotidianum à quoquam ac- „ cepturi sumus. Consilia evangelica velut „ præcepta servare proposuimus, orationi „ juxta horas canonicas septies insistentes, „ dicendo quindecies *Pater noster*, insuper „ *Credo in Deum*, & *Miserere mei Deus*, & „ orationes alias. Cùm autem ex magna par- „ te Clerici simus & penè omnes litterati, „ lectioni, exhortationi, doctrinæ, & dispu- „ tationi contra omnes errorum sectas de- „ crevimus desudare. Disputationes tamen „ à doctioribus fratribus in fide cathoil- „ ca comprobatis & instructis in lege Do- „ mini dispensentur, ut adversarij catholi- „ cæ & apostolicæ fidei confundantur. Per „ honestiores autem & instructiores in lege „ Domini & in sanctorum patrum sententiis „ verbum Domini censuimus proponendum „ * in schola nostra fratribus & amicis, cum „ prælatorum verò licentia & veneratione „ debita, per idoneos & instructos in sacra „ pagina fratres, qui potentes sint in sana „ doctrina arguere gentem errantem & ad „ fidem modis omnibus trahere & in gre- „ mio sanctæ Romanæ Ecclesiæ revocare. „ Virginitatem & castimoniam continuam „ inviolabiliter conservando, duas quadra- „ gesimas & jeunia secundùm ecclesiasticam regulam instituta annis singulis facere pro- „ posuimus. Religiosum & modestum habi- „ tum ferre decrevimus, qualem consuevi- „ mus deportare, calciamentis desuper aper- „ tis ita speciali signo compositis & variatis „ ut apertè & lucidè cognoscamur nos esse, „ sicut corde, sic & corpore, à Lugdunen- „ sibus & nunc & in perpetuum segregatos, „ nisi reconcilientur catholicæ unitati. Ec- „ clesiastica sacramenta suscipiemus ab Epis- „ copis & sacerdotibus in quorum diocesi- „ bus vel parrochiis commorabimur, & eis „ obedientiam & reverentiam debitam im- „ pendemus. Si qui verò secularium in no- „ stro voluerint consilio permanere, consu- „ limus ut exceptis idoneis ad exhortandum „ & contra hæreticos disputandum, ceteri in „ domibus religiosè & ordinatè vivendo „ permaneant, res suas in justitia & miseri- „ cordia dispensando, manibus laborando, „ decimas, primitias, & oblationes Ecclesiæ „ debitas persolvendo.] Nos igitur habito „ fratrum nostrorum consilio per apostoli- ca vobis scripta mandamus quatenus re- cepto à ceteris fratribus simili juramento, reconcilietis eos ecclesiasticæ unitati, & denuntietis ipsos verè catholicos ac rectè fideles, in præscriptis & aliis eos secun- dùm Deum ab omni scandalo & infamia servantes immunes, & in litteris testimo- nialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adjuvetis. Datum Laterani XV. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

** In libro 13. legitur: proponendum fratribus & amicis, cum Prælatorum conscientia & assensu; ita quòd ab eis propter hoc nec Ecclesiarum frequentatio nec Cle-*

tic ortum predicatio proponatur. Vagin.

DVRANDO DE OSCA ejusque fratribus, qui pauperes catholici nuncupantur, in fide catholica permanentibus.

NE quis de cetero conversationis ve- stræ propositum calumnietur inju- stè, maximè circa illos qui secundùm formam quam in aliis litteris nostris ex- pressimus reconciliati fuerint ecclesiasti- cæ unitati, nos illud auctoritatis nostræ munimine approbando, præsenti pagina duximus annotandum. Quod quidem est tale. AD HONOREM Dei & ejus Ec- clesiæ catholicæ & ad salutem animarum nostrarum &c. *ut in alia usque* persolven- do. Datum Laterani &c. ut in alia.

Epist. 157. Super eodem.

DVRANDO DE OSCA ET ejus fratribus in fide catholica permanentibus.

POstulastis à nobis ut iis qui rema- nentes in seculo ad honorem Dei & salutem animarum suarum in vestro pro- ponunt

Epist. 158. Ne teneantur ad bellum procedere contra Christianos.

ponunt consilio permanere concedere dignaremur ne contra Christianos cogantur ad bellum procedere vel pro rebus secularibus, veluti pro petendo communi, juramentum præstare. Nos autem prædicta concedimus quantum fine aliorum præjudicio & scandalo possunt salubriter observari, maximè cum permissione secularium dominorum. Datum Laterani XV. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS Andrensis monasterij.

Epist. 199. De capellis seu constructendis intra terminos monasterij. Vide to. 9. Spicilegij Dacher. pag. 581.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, ne quis infra parrochiarum vestrarum terminos oratoria seu xenodochia construere contra vestram & diocesani Episcopi voluntatem præsumat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HENRICO PRIORI monasterij Andrensis ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 200. De confirmatione privilegium. Vide to. 9. Spicil. Dache. pag. 581.

REligiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Salvatoris & sanctæ Rotrudis virginis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis Papæ II. prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. *usque* observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, altare villæ Andrensis, Capellam sanctæ Mariæ infra oppidum Gignes, altare de Bredenarda, altare de Lullinghahem, altare de Fernes, & altare de Elingahem, cum omnibus decimis & pertinentiis eorum, & universa quæ bonæ memoriæ Balduinus Comes Gisnensis cum uxore sua Adela & Manasses ejus filius vel Barones eorum eidem monasterio contulerunt, videlicet pasturam omnem circa ipsum locum Andernes, & commoditatem aquæ, paludis, & cespitum, terram de Hantengehem cum bosco, villanis, & omnibus redditibus suis, in villa Gignes stagnum & sedem molendini, terram de Suavatas & manerium cum villanis suis & commoditate aquæ & tertia parte decimæ, terram de Campagnes & tertiam partem decimæ, terram & comitatum de Bredenarda cum manerio ibidem sito & eleemosyna à nobili viro A. Gisnensi Comite vobis intuitu pietatis collata, terram, villanos, boscum, stagnum, & molendinum quæ Garinus de Filnes & mater ejus Ecclesiæ vestræ pietatis intuitu concesserunt, altare in villa Bocredes cum omnibus decimis & pertinentiis suis, duas portiones reddituum altaris de Terdinghaem, in parrochia de Pithen manerium cum terra & comitatu, in monte qui dicitur Mas terram, manerium cum bosco, pastura, & comitatu, in parrochia de Spelleka duas partes totius decimæ, in villa Elcekam decimam à bonæ memoriæ Petro Abbate vestro acquisitam, in territorio de Merch redditus quos à Gualtero Blundo & Theoderico Clerico & Herberto Folin Milite noviter acquisistis, in villa quæ dicitur sancti Audomari Ecclesia terram in eleemosynam vobis collatam, in villa Craiervvic unam marcam super terram Balduini quondam fratris vestri vobis assignatam, in villa Landertun decimam quam habetis ex dono nobilis viri * Ingelramni de Fielnes, in villa Erudinghem tertiam partem totius decimæ, in villa Buxin decimam quondam Danielis, terram & redditus quos noviter acquisistis, foragium quoque de vinis quæ ad vestros usus emitis per totum castrum sancti Audomari à bonæ memoriæ * Willelmo Castellano vobis concessum & suo scripto nihilominus confirmatum, in villis Iorni, Audenhem, Foxole, Landertim, Westehoc, & Antingherem, terras, societates, & decimas ab antiquis temporibus à vobis

Vide to. 9. Spicilegij Dacheriam pag. 498.

* Vide ibid. pag. 488. & seqq. 534.

* Vide ibid. pag. 486. 527.

possessas, redditus & procurationes quos super quodam nemore debet vobis annuatim Ecclesia de Wasto, duas marcas quas super quodam manerio vobis abbatia de Belloloco solvere annuatim tenetur, in villa de Hames terram, villanos, & redditus ab antiquo à vobis possessos, in villa Balinghen ex dono antiquorum nobilium tertiam partem totius villæ in terris, villanis, comitatu, stagno, molendino, pasturis, & paludibus, & eleemosynas in eadem villa vobis concessas à nobilibus viris Hugone & Simone fratre suo, Radulfo Bailol & participibus ejus, in villa Hochtinghem universos mansionarios quos habetis, cum redditibus & comitatu & paludibus ad usus vestros à bonæ memoriæ Balduino Comite monasterij vestri fundatore concessis, in villa Ferenes terras cum comitatu, villanos & redditus ab antiquo à vobis possessos, in villa Oderfele redditus à Guidone de Vlesoge quondam fratre vestro vobis concessos, decimam quoque de monte de Fielnes, decimam de Dolo, decimam de Dirlirgetun, & substitutionem Capellani ad oratorium ejusdem vici, Vavassores quoque à vobis feodatos, & tam ad placitandum pro vobis quàm ad equitandum vobiscum ab antiquis temporibus attitulatos, & forum Ecclesiæ vestrę cum omnibus justis & approbatis consuetudinibus, sicut eas justè hactenus & pacificè possedistis. Sepulturam verò ejusdem loci omnino liberam esse sancimus, ut tam supradictorum Comitum progenies quàm Barones omnes, qui Pares castelli vocantur, * sepeliantur ibidem. Ceterorum quoque qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpóra assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia & debita reverentia monasterij Karroffensis. Si qua igitur in futurum &c. *usque* subjaceat. Cunctis autem &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XII. Kal. Ianuarij, Indict. XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno undecimo.

* *In chronico Andrensi additur*, juxta votum & deliberationem suam

ABBATI ET CONVENTVI Karoffensibus.

Epist. 101. De confirmatione privilegiorum.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tamquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinati, de Bovesrezia, de Alneto, & de Formeria Ecclesias, cum justitiis & pertinentiis suis quæ rationabiliter vos proponitis assecutos, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO & Capitulo Morinensi.

Epist. 102. Ne quid pro benedictione exigant ab Abbate Andrens.

COngruam officij nostri actionem prosequimur cùm viros religiosos caritate debita confovemus eorumque votis & desideriis apostolicæ favore benignitatis annuimus, & ne indebitis agitentur molestiis, ipsis apostolicæ sedis defensionis subsidium impertimur. Volentes igitur Andrensi cœnobio paterna sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium inhibemus ne de cetero pro benedictione Abbatis ipsius palefredum, pastum, vel capam præsumatis sericam extorquere. Datum Laterani X. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO ET CAPITVLO Cathalaunensi.

Epist. 103. Vt Vvalterus admittatur ad præbendam.

CVm ad nostram dudum audientiam pervenisset quòd Ferricus de Dompnapetra, qui tenebat in Ecclesia vestra præbendam, ad militiam se transtulerat laicalem cum quadam in Apulia publicè contrahendo, & venerabilis frater noster Beneventanus Archiepiscopus, cui mandavimus ut super hoc inquireret veritatem, per suas nobis litteras respondisset quòd id notorium in partibus illis erat, demum eidem Ferrico per nostra scripta præcepimus ut infra mensem nostro se

conſpectui præſentaret, ſi forſan ad excuſationem ſuam oſtendere rationabile quicquam poſſet. Ipſe verò cum teſtimonialibus quoque litteris venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Bivinenſis, per quem eum ſuper hoc mandavimus admoneri, per ſuas nobis litteras reſpondendo confeſſus eſt quòd cùm olim circa octavum annum ætatis ſuæ pater ſuus clericali militiæ tradidiſſet eundem, duodecimo tandem anno tranſacto reſilivit ab ea, & ad arma ſecularia ſe exercens, denique cum claræ memoriæ Waltero Brenenſi Comite Apuliam introivit & hactenus ibi manſit, fructibus jamdictæ præbendæ quibuſdam creditoribus obligatis, quam recognoſcere ſe dicebat contra conſcientiam tenuiſſe, ac ideo debitum quod ſuper eadem præbenda contraxerat extenuatum penitùs eſſe dicens, eam in noſtris manibus reſignavit. Nos igitur idoneæ perſonæ in ipſa provideri volentes, eam dilecto filio magiſtro Waltero, viro provido & honeſto, de veſtris partibus oriundo, duximus concedendam, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes quatenus ipſum per procuratorem ſuum in corporalem poſſeſſionem ipſius inducere ac in fratrem & Canonicum recipere procuretis, ſtallum chori & locum Capituli ſibi nihilominus aſſignando, mandatum apoſtolicum taliter impleturi quòd gerere poſſimus acceptum. Alioquin dilectis filiis Decano, Cantori, & G. Pedilupi Canonico Remenſi dedimus in mandatis ut vos ad id per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

Scriptum eſt illis ſuper hoc.

LONGIPONTIS ET IGNIACENSI Abbatibus, & Priori Igniacenſi Sueſſionenſis dioceſis.

Epiſt. 104. Vt R. Subliacenſis ad uxorẽ ſuam redeat.

EX litteris dilectorum filiorum Decani, Cantoris, & G. Canonici Remenſis intelleximus evidenter quòd cùm Iſabel mulier adverſùs R. virum ſuum Laudunenſis dioceſis, qui non curabat eidem neceſſaria miniſtrare nec maritale ipſi debitum exhibere, noſtras impetraſſet ad eos litteras continentes quòd ſi res taliter ſe haberet, dictum R. ut tamquam uxorem ſuam exhiberet eandem & maritali affectione tractaret, cenſura eccleſiaſtica ſubſato appellationis obſtaculo coërcerent, ipſi partes legitimè citaverunt. Quibus in eorum præſentia conſtitutis, præfata mulier intentionem ſuam fundare voluit coram eis, aſſerens dictum R. cum ipſa legitimè matrimonium contraxiſſe, nec ſibi velle in neceſſariis providere vel debitum reddere conjugale. Cùm autem dicto R. hæc inficiante omnino teſtes producti eſſent pariter & recepti, judices ſuper hoc ſententiare nolentes, depoſitiones ipſorum & ea quæ hinc inde fuere propoſita coram eis, ſub ſigillis ſuis nobis fideliter tranſmiſerunt. Nos igitur viſis & intellectis depoſitionibus teſtium productorum, quia per dicta eorum de matrimonio nobis conſtitit evidenter, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus memoratum R. nonobſtante quòd poſt contractum matrimonium ſe fecit in Subdiaconum promoveri, ad recipiendam uxorem ſuam & eam maritali affectione tractandam monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

DECANO SARESBERIENSI Pariſius commoranti, A. Archidiacono, & magiſtro P. Peverel Canonico Pariſienſi.

CVm dilecti filij Willelmus Andrenſis Eccleſiæ monachus, qui pro electo ejuſdem Eccleſiæ ſe gerebat, & Gaufridus Daubins monachus ac procurator monaſterij Karroffenſis ſuper jure eligendi Abbatem in Andrenſi monaſterio & ejuſdem Willelmi electione invicem in noſtra præſentia litigarent, idem Willelmus electionem ſuam à fratribus Andrenſibus concorditer celebratam auctoritate petiit apoſtolica confirmari, aſſerens tam de jure communi quàm privilegio ſpeciali eis à felicis recordationis Alexandro Papa prædeceſſore noſtro, & à nobis poſtmodum * confirmato, liberam eligendi auctoritatem ad eoſdem fratres tantummodo pertinere. Nam de jure communi omnis congregatio monachorum eligere ſibi debet Abbatem; & in ejuſdem Alexandri privilegio continetur ut * obeunte monaſterij Andrenſis Abbate nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur niſi quem fratres vel eorum pars conſilij ſanioris ſecundùm Deum & beati Benedicti regulam duxerint eligendum. A nobis quoque prædictis fratribus dinoſcitur eſſe conceſſum ut licitum ſit eiſdem, cùm Eccleſiam ſuam Abbate vacare contigerit, perſonam idoneam de gremio ejuſ-

Epiſt. 105. De electione Abbatis Andrenſis. Cap. Cùm dilectus. De conſuetud. Vide to. 9. Spici'eg. Dacheriani pag. 578.

* Suprà lib. 10. epiſt. 97.

* To. 9. Spicil. pag. 461.

dem Ecclesiæ vel aliunde per regularem electionem sibi præficere in pastorem, Karroffensi monasterio præsentandam, ut ab ipso confirmationem accipiat, & reverentiam ei quam debet impendat. Dictus verò Gaufridus procurator proposuit ex adverso quòd cùm olim ad petitionem Comitis Balduini, uxoris & filiorum ejus Andrensis Ecclesiæ patronorum à bonæ memoriæ * Gerardo Morinensi Episcopo fuerit constitutum quòd si præfatus locus divino munere adeo pullularet ut Prior aut Abbas constitueretur ibidem, electio ejus penes fratres ejusdem loci & Capitulum Karroffense penderet, & hujusmodi obtentu statuti sic fuerit longè retroactis temporibus observatum ut monasterio Andrensi vacante, Andrenses fratres in Karroffensi Capitulo aliquem de gremio monasterij Karroffensis sibi elegerint in Abbatem, electio prædicti Willelmi tam contra statuti tenorem quàm etiam contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpres, minùs canonicè attentata, meritò cassari debebat, & mandari fratribus antedictis ut juxta quod hactenus est obtentum procederent ad electionem Abbatis, adiciens quòd per privilegium supradicti prædecessoris nostri nec etiam confirmationem nostram præjudicari poterat monasterio Karroffensi, cùm nulla penitùs de prædicto statuto & approbata consuetudine habita mentione fuerint per subreptionem obtenta. Proposuit insuper idem G. quòd ex alia quoque causa dicta electio cassari debebat, quia videlicet ab interdictis & de interdicto fuerat celebrata. Cùm enim bonæ memoriæ Lambertus Morinensis Episcopus supradictis fratribus dederit in præceptis, prout in ejus patentibus * litteris perspeximus contineri, ut ad Karroffensem Ecclesiam, de cujus gremio eligere debebant Abbatem, infra octo dierum spatium accedentes, ibidem eligerent, ut debebant, quod si non facerent, scirent se ab omni officio & beneficio & Ecclesiarum ingressu fore suspensos, ipsi mandato Episcopi vilipenso, infra præfixum tempus, prout debebant, eligere contempserunt. Vnde cùm post elapsum terminum suspensionis sententia cœperint esse ligati, electio post hæc ab ipsis præsumpta debebat irrita judicari. Ad hoc autem fuit ex adverso responsum quòd cùm prædicto modo eligere Andrenses monachi minimè tenerentur, Episcopo sine causæ cognitione hoc præcisè mandanti non tenebantur obedire; ac ideo prædicta sententia interdicti eos ligare non potuit, utpote minùs rationabiliter promulgata; maximè cùm infra terminum ab Episcopo constitutum ad Karroffense monasterium accedentes, licentiam petierint de suo monasterio eligendi, licèt eam nequiverint obtinere. Contra quod pars altera replicavit quòd etsi fuisset forsitan dicta sententia minùs justa, humiliter tamen parere tenebantur eidem, cùm fuisset à diocesano Episcopo promulgata. His igitur & aliis quæ coram nobis utrinque fuere proposita perspicaciter intellectis, quia nobis constitit electionem ipsam à suspensis & de suspenso etiam celebratam, ipsam de consilio fratrum nostrorum justitia cassavimus exigente. Excommunicationis autem & suspensionis in ipsum Willelmum & alios monachos Andrenses & interdicti sententias in eorum Ecclesias à venerabili fratre nostro * Silvanectensi Episcopo & conjudicibus ejus post appellationem ad nos interpositam promulgatas ad cautelam duximus relaxandas. Cæterùm cùm supradictum statutum, videlicèt quòd penes fratres ejusdem loci & Capitulum Karroffense pendeat Abbatis electio, ita sanè possit intelligi quòd per illud nec juri communi nec apostolico privilegio derogetur, ut videlicet ad sæpedictos fratres electio spectet Abbatis, & ad Karoffense Capitulum confirmatio, devotioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus auditis hinc inde propositis, si ex parte Karoffensis cœnobij talis fuerit consuetudo probata quæ juri communi præjudicet in hac parte, vos secundùm illam consuetudinem decernatis electionem Andrensis Abbatis de cetero faciendam. Quòd si talis consuetudo probata non fuerit per quam in hoc casu præjudicetur juri communi, vos Andrensibus monachis jus eligendi Abbatem sublato appellationis obstaculo adjudicare curetis, ut sic de cetero liberam habeant facultatem vel de gremio Ecclesiæ suæ vel etiam aliunde per electionem canonicam eligendi personam idoneam in Abbatem præsentandam Karoffensi Capitulo, ut ab eo, si canonica fuerit electio, confirmetur. Porrò si partes maluerint ut nobis sententia reservetur, vos causam instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent recepturæ Deo dante judicium æquitatis. Testes autem qui fuerint nominati &c. *usque* perhibere. Nullis litteris obstantibus

* Ibid. p. 344.

* Ibid. pag. 339.

* Ibid. pag. 364 seq.

Vide infrà lib. 14. epist. 50.

si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum. Datum Laterani III. Nonas Ianuarij, anno undecimo.

WLTERRANO EPISCOPO.

Epist. 106. Committitur ei quædã causa matrimonialis. Cap. Ex parte. Ex restitut. spoliator.

EX parte M. mulieris fuit propositum coram nobis quod cùm eam adhuc infra pubertatis tempora constitutam quidam patruus suus .. filio . Senensis civis nondum septem annorum voluerit in matrimonio copulare, ac eadem traducta fuerit in domum civis ejusdem, ipsa ex quo ad nubiles annos pervenit, ratum nolens habere quod à dicto patruo suo circa hoc fuerat procuratum, à venerabili fratre nostro Senensi Episcopo nubendi alij licentiam postulavit. Cùmque partes idem Episcopus citavisset, & præfata M. per procuratorem idoneum in judicio compareret quærens possessiones & res alias sibi restitui dotis nomine pro se datas, & pars altera restitutionem peteret mulieris ejusdem, asserens eam non posse per alium causam agere, sed debere ipsius tractatui personaliter interesse, præfatus Episcopus dubitans quid super iis statuere posset de jure, prout nobis suis litteris intimavit, processu negotij supersedit. Quia igitur non credimus ambigendum quin ipsa mulier, quamvis minor esse dicatur, & causam possit matrimonij per procuratorem tractare, ac pars alia restitui nequaquam debeat, quæ nullo juris seu possessionis est commodo destituta, cùm per solam traductionem prædictam, quam non præcesserunt sponsalia vel consensus legitimus nec fuerunt etiam subsecuta, nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum, ut finis litibus imponatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, nonobstantibus exceptionibus supradictis, partibus convocatis, audias quæ hinc inde duxerint proponenda, & quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Datum Laterani III. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

LITTERÆ HENRICI Constantinopolitani Imperatoris ad Dominum Papam.

Epist. 107. De debellatione Voullæ apud Philippopolim.

SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo & universali Pontifici, Henricus eadem gratia fidelissimus in Christo Imperator, à Deo coronatus, Romaniæ moderator, & semper Augustus, salutem & tam promptam quàm debitam in omnibus obedientiam. Non hominum sed Dei omnipotentis potissimùm fuit, & præcipuè meritis & intercessionibus beatissimi Petri & Ecclesiæ Romanæ non nostris meritis hoc evenit, ut imperium Romaniæ nostro potentatui subjaceret. Cùm enim miraculosè factum fuerit ut ad honorem beati Petri Constantinopolis caperetur, miraculosiùs his diebus, beatissimo Petro dimicante pro nobis, Christus operatus est in nobis, cujus auxilio, vigilia ipsius Petri festi quod vocatur ad vincula, iniquissimum persecutorem Ecclesiæ Dei Voullam apud Philoppopolim debellavimus, eumque, infinita strage facta suorum, de campo fugavimus; & ut gaudeatis nobiscum in Domino, quindecim dietas terræ imperio nostro de suo acquisitas habemus. Status noster melioratus est, & de die in diem suscipit incrementum; nec nobis ascribimus, sed potiùs Deo & vobis, & fidei quæ in Ecclesia Romana subsistit. Noverit sanctitas vestra quòd sani sumus & incolumes, quod libentissimè audiremus de vobis, & quòd pro fide Ecclesiæ beatissimi Apostolorum principis, cujus vicem geritis, subire martyrium non timemus; cui quicquid facimus, quicquid acquirimus, pro nomine ipsius & in ipso est & erit. Grates infinitas vobis referimus de honore à vobis exhibito G. famulo nostro, & de negotiis nostris à vobis obtentis. Litteras vestras gratanter suscepimus & devotè. Rogamus omnimodis Deum ut vos, quem ad honorem suum & Ecclesiæ ipsius erexit pastorem, in sua constituat sede sanos & incolumes diutiùs permanere, & conservet nobis vos famulum suum; vosque, cujus preces efficacissimæ sunt apud Deum, rogate pro nobis ut ipse nobis pro ipso dimicantibus opem conferat salutarem & vitam diutinam & victoriam nobis donet. Volumus ut Ecclesia Romana nos habeat mandatorum executores suorum; quia nos non sumus ejus domini, sed ministri. Pater sancte, valeat sanctitas vestra, subveniendo nobis in nostris petitionibus, quæ pro nobis & pro terra nostra mittentur ad vos. Hucusque pia mansuetudo vestra nostras preces & petitiones benignè recepit, & quod bono inchoata est principio, placido consequatur effectu; quia nisi patrocinio vestro terra & impe-

rium nostrum totius Romaniæ regatur, non est dubium quin succumbat; sed si vestrum auxilium habuerimus, cedet nobis adversitas præliorum. Nihil enim possumus sine vobis. Videte ergo ut quod bene cœpistis in Domino, opere compleatis. Datum in expeditione nostra Pamphil. mense Septembri, Indictione XII. imperij nostri anno tertio.

CARISSIMO IN CHRISTO filio Frederico illustri Regi Siciliæ.

Epist. 208. Suadetur ne jurisdictionē spiritualem sibi vendicet.

EX tenore litterarum tuarum nostris est auribus intimatum quòd Panormitana Ecclesia viduata pastore, Capitulum ejusdem Ecclesiæ tibi multotiens supplicarunt ut eis præberes licentiam Pontificem eligendi; quibus cùm tandem benignum præbuisses assensum, mandans eisdem ut invocata spiritus sancti gratia in personam idoneam convenirent, Cantor, Succentor, & quidam alius à reliquis recedentes tuis jussionibus restiterunt, ejus concanonicis inhibentes ne ad nominationem procederent, ad sedem apostolicam appellando. Super quo tu vehementer commotus, dispositi acriter in personas eorum injuriam hujusmodi vendicare, sed pro reverentia nostra & ordinis clericalis motu animi temperato, solum eis exilium indixisti, ut de cetero in regno tuo malignandi materiam non haberent. quod ob hoc nobis significare curasti, ne persuaderi nobis posset aliud ab eisdem. Nos igitur iis auditis mirati fuimus non modicùm & commoti graviter contra eos qui hæc tibi persuadere, fili carissime, præsumpserant, cognoscentes profectò quòd prava sint latera tua, quæ tibi hujusmodi persuadent. Vnde nimirum timemus ne persuasionibus eorundem inductus, immo seductus potiùs, imitari velis vestigia crudelium tyrannorum, qui de terra viventium suis iniquitatibus exigentibus sunt abscisi, & nunc fortè acriùs cruciantur, cùm non tua sorte contentus, nostram præsumpseris usurpare, jurisdictionem in Clericos exercendo. Temporalibus enim debueras esse contentus, quæ tamen habes à nobis, & non ad spiritualia, quæ ad nos pertinent, extendere manus tuas. Nescis quòd cùm Oza arcam fœderis temerè tetigisset, à Domino correptus interiit, & Ozias Rex, dum adolere vellet incensum, lepræ macula est respersus? Considerare quippe debueras & timere ne fortè propter delicta prædecessorum tuorum, qui quædam spiritualia sibi præsumpserant usurpare, hæc supervenerit tribulatio qua oppressum est hactenus & adhuc premitur & quatitur regnum tuum, & humiliari nihilominus in conspectu altissimi, ut placatus converteret procellam in auram, & cessaret quassatio comprimens & conturbans. Cèrtè si meliùs notavisses hæc & ea quæ regnis ceteris evenerunt in quibus iis similia fuerant attentata, timuisses utique manum in Clericos extendere ultionis pro eo quòd ad sedem apostolicam appellarant, nec à regno proscripsisses eosdem, cùm etsi te gravissimè offendissent, nobis vindicta fuisset potiùs reservanda; quia secundùm Apostolum servus suo domino stat aut cadit, nec ad te judicare servum pertinet alienum. Verùm fortassis ex eo te putas offensum quòd in quodam * privilegio prædecessoribus tuis concesso, immo ab initio magis extorto, de appellationibus continetur, quasi appellando præfati Clerici venerint contra illud. Sed si diligentiùs attendisses quid actum fuerit super iis tempore claræ memoriæ Imperatricis Constantiæ tunc Reginæ Siciliæ matris tuæ, nequaquam id ad animum revocasses. Cùm enim eadem venerabilem fratrem nostrum Neapolitanum Archiepiscopum & dilectos filios Ham. Archidiaconum Cathaniæ, magistrum Thomam de Gaieta Iustitiarium, & Nicolaum judicem Vigilienſem pro innovando prædicto privilegio & concedendo ac confirmando ei ac tibi regno ad nostram præsentiam destinasset, & illi pro iis multipliciter institissent, non potuerunt à nobis aliquatenus obtinere ut illud vellemus privilegium innovare, propter quatuor capitula quæ continebantur in eo, videlicet de Conciliis, legationibus, appellationibus, & electionibus Prælatorum. Tandem verò duo illorum ad prædictæ matris tuæ præsentiam redeuntes, reliquis apud sedem apostolicam remanentibus, exposuerunt eidem super iis nostræ beneplacitum voluntatis; cui cùm eadem, sicut religiosa persona, acquiescere studuisset, iidem ad sedem apostolicam iterum accesserunt, & obtinuerunt à nobis illud privilegium innovari & confirmari ei & tibi regnum, tribus capitulis de appellationibus, legationibus, & Conciliis à privilegio prorsùs amotis, & quarto, de electionibus scilicet, moderato. Quid autem super electionibus inter nos ac præfatam matrem tuam fuerit ordinatum, cedula quam tibi præsentibus mittimus intercluſam te poterit pleniùs

* Vide Baron. ad an. 1197.

Vide epistol. Vvillelmi Regis ad Hadrianum IV. apud Rocchum Pirrum.

Vide lib. 1. epist. 419. 421. 422.

edocere. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiùs quatenus divinæ considerationis intuitu de cetero non attentes tibi jurisdictionem in spiritualibus vindicare, ne contra te ac regnum tuum divinam propter hoc provoces majestatem; sed in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ firmiter perseverans, eidem reverentiam debitam exhibeas & honorem, quæ, sicut pia mater, in iis & aliis necessitati ac utilitati tuæ diligenti sollicitudine providebit, & præfatos Clericos revoces & permittas in terra tua pacificè commorari & sua beneficia liberè possidere, dimittens omnino rancorem quem contra eos propter appellationem ab ipsis ad nos interpositam concepisti; sciturus pro certo quòd nos constitutum de electionibus inter nos & sæpedictam Imperatricem matrem tuam habitum per totum regnum faciemus solemniter publicari, ut secundùm illud electiones de cetero celebrentur. Caveant autem illi qui te perversis consiliis non metuunt fascinare ne super hoc de cetero malignentur, quia divinam & nostram non effugient ultionem; cùm tolerabilius sit ut humana vindicta percutiat perversores quàm ira divina in te ac regnum tuum propter eorum iniquitates desæviat, si remanserint incorrectæ. Datum Laterani v. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

PRIORI SANCTI THOMÆ martyris Aconensis & sancti Georgij de Sisto ejusque fratribus.

Epist. 109. De confirmatione privilegiorum.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, loca ipsa in quibus divino estis obsequio mancipati & personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem sanctæ Mariæ, sancti Petri, & sancti Nicolai de Campo Anglorum Ecclesias, & hospitale sancti Thomæ, ac possessiones alias, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos ipsis Ecclesiis vestris auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Quòd autem prædecessori tuo, fili Prior, & successoribus suis felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster cotidianum usum anuli, virgæ pastoralis, & mitræ in præcipuis festivitatibus de sedis apostolicæ benignitate concessit, nos ratum habemus, ejus vestigiis inhærentes. Ad indicium autem hujus à sede apostolica perceptæ protectionis ac liberalitatis duos sarracenatos nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS de Tinemvahe.

Epist 110. De confirmatione privilegiorum.

IVstis petentium desideriis dignum est facilem nos præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domine filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones vobis pia fidelium liberalitate collatas, libertates etiam & alia bona à claræ memoriæ Rege Ricardo & carissimo in Christo filio nostro * Iohanne Rege Anglorum illustri Ecclesiæ vestræ concessa, sicut ea justè ac pacificè possidetis, & in eorundem authenticis pleniùs continetur, necnon Ecclesias & pensiones earum eidem Ecclesiæ per Metropolitani & diocesani Episcopi litteras confirmatas, libertates quoque ac immunitates monasterio sancti Albani pro suis cellis concessas, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ, cùm sit cella monasterij memorati, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

* Vide Monasticon Anglic. to. 1. pag. 335.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Wigornienſi Episcopis.

Epist. 111. De negotio Cantuariensi. *Vide gesta Innoc. III. cap.* 131.

SVper negotio Cantuariensis Ecclesiæ carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Anglorum scribimus in hunc modum. TACTI SVMVS dolore cordis intrinsecus & vehementi mœrore turbati quòd « cùm ex illa specialis dilectionis prærogativa qua te sedes apostolica diligebat inter « ceteros Principes speraverimus ut versa vice « rependeres ei reverentiam & honorem, « odium ei pro dilectione retribuis, & quasi « conjuraveris in te ipsum, tuo non parcis « honori ut nostro valeas derogare, quin immo tuam & famam negligens & salutem, «

» in præjudicium utriusque temerè contra
» nostram & Ecclesiæ immo Dei dispositio-
» nem erigeris, non attendens quòd in va-
» cuum eam evacuare moliris, cùm exten-
» tam manum altissimi nemo possit avertere
» quodque fuerit ab ipso decretum nullus
» valeat immutare. Sanè quantum & quali-
» ter super negotio Cantuariensis Ecclesiæ
» tuæ regali celsitudini detulerimus, etsi tu
» forsan hoc non recolas ut ingratus, de
» memoria tamen universalis Ecclesiæ facilè
» non poterit aboleri, quæ bonitate mali-
» tiam non vincente, nostram circa te ni-
» miam patientiam admiratur. Heu! quæ,
» carissime fili, duritia tuum obturavit audi-
» tum, ut salutaria monita tibi à nobis to-
» tiens incultata non caperes? Quæ duritia
» tuum absorbuit intellectum, ut discreta
» consilia tibi à nobis suggesta sæpius non
» servares? Iam sic induratus esse conspice-
» ris quòd in immensum crescentem vulneris
» tui plagam non sentias. Ita fascinatus esse
» videris quòd nec medicaminis opem nec
» operam medicantis admittas, ut quasi de
» te possimus conqueri cum Propheta di-
» cendo: *Cui loquemur, & quem contestabi-*
» *mur amplius? Incircumcisæ sunt aures ejus &*
» *audire non possunt.* Piget te verbi quod
» pro tua tibi salute suggeritur, tædet te bo-
» ni quod pro tua tibi honorificentia suade-
» tur, dum nec animæ tuæ detrimenti te mi-
» seret, nec famæ quoque, ne infamiæ di-
» xerimus, mundare te pudet. Vnde tanto
» magis te super tanta duritia miseramur
» quanto in crudelem ipse tibi mutatus, mi-
» sereri tui hactenus miserabiliùs refugisti.
» Licèt autem paterna caritas, ex qua ista
» tibi suggerimus, tibi sit forsitan odiosa,
» circa te tamen prudentis & amantis me-
» dici vices agimus, qui quandoque infir-
» mum invitum & improvidè reluctantem
» salubriter secat & urit. Ideoque si mor-
» bum tuum, quod absit, invenerimus in-
» duratum, violentiori nos coges insistere
» medicinæ, juxta quod necessaria cura
» deposcet; cujus asperitatem etsi forsan
» in præsenti refugias, sanitate tamen re-
» cepta, ipsius collaudabis effectum, ac
» peritum quoque medicum benedices. Vt
» autem adhuc lenitatis apponamus un-
» guentum, si forsan ipso mollitus asperiora
» molimina non expectes, serenitatem re-
» giam rogamus attentiùs & monemus, per
» eum qui venturus est judicare vivos &
» mortuos obtestantes quatinus usus con-
» silio saniori, à tanto revoceris errore, sal-
» tem in ipso negotio procedendo juxta
» continentiam litterarum quas dilectus
filius Abbas Bellilоci à nobis tuo du-
dum nomine impetravit: quia proculdu-
bio, præter culpam priorem, hoc ad cul-
pam alteram tibi poterit imputari, si ab
eo recedere videaris quod sub tuarum lit-
terarum testimonio tam expressò cum tan-
ta fuerit instantia postulatum, per quas
videlicet litteras nobis humiliter supplica-
bas ut quicquid idem Abbas de negotio
ipso tuo nomine nobis diceret firmiter cre-
deremus. Propter quod debueras sine dif-
ficultate qualibet adimplere quod per
suam fuit sollicitudinem impetratum; præ-
sertim cùm hoc demum visus fueris ac-
ceptare, quandoquidem propter illud à te
priùs diligenter auditum & examinatum
prudenter, delegatos nostros ad præsen-
tiam tuam postea quasi pro complemento
negotij venire fecisti. Quapropter, fili ca-
rissime, ne sis durus, & negotio ipsi diffi-
cultatem de cetero nullam ingeras; ne te,
quod absit, in illam difficultatem inducas
de qua facilè non valeas expediri. Alio-
quin, quantumcunque personam tuam sin-
cerè in Domino diligamus, & canonicam
disciplinam indignanter fis forsitan recep-
turus, quia tamen cùm is qui diligitur ca-
stigatur, tunc circa eum pietas exercetur,
eò quòd amor habeat plagas suas, quæ
dulciores sunt cùm amariùs inferuntur,
nisi usque ad tres menses post susceptio-
nem aut recusationem præsentium quæ
præmisimus adimpleveris, ex tunc ex par-
te Dei omnipotentis patris & filij & spiri-
tus sancti & beatorum Petri & Pauli Apo-
stolorum ejus, quorum, licèt indigni, au-
ctoritatem habemus, te anathematizatum
decernimus & à fidelium communione
præcisum, venerabilibus fratribus nostris
Londonienſi, Elienſi, & Wigornienſi
Episcopis dantes firmiter in præceptis ut
sententiam ipsam appellatione remota non
differant publicare, facientes eandem sin-
gulis dominicis & festivis diebus pulsatis
campanis & candelis accensis usque ad sa-
tisfactionem condignam solemniter inno-
vari; quam etiam & nos ipsi solemniter
ore proprio publicabimus, ut sic certiùs
& validiùs pœna ejus in omnem Ecclesiam
innotescat cujus culpa generalem noscitur
Ecclesiam offendisse, adhuc cum altissimi
adjutorio contra te multipliciter processu-
ri si nec sic tuum corrigere festinaris er-
rorem. Ecce tensus est arcus. Fuge ergo,
fili carissime, à sagitta quæ non consue-
vit abire retrorsum, ne sauciatus ab illa
ita graviter infirmeris ut non solùm non
possis ad meliora proficere, verùm etiam

Vide Matth. Paris ad an. 1206.

vix

„ vix valeas ad priora redire, cujus utique „ plaga ſine deformi non poterit cicatrice „ ſanari.] Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus firmiterque præcipimus quatinus ſi dictus Rex ea quæ præmiſſa ſunt infra tempus non impleverit prænotatum, vos ex tunc in ipſo negotio juxta præſcriptam formam ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo procedere non tardetis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani 11. Idus Ianuarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

PRIORI ET CONVENTVI Coventrenſi.

Epiſt. 212. De electione Epiſcopi Coventrenſis.

CVm certa ſint tempora conſtituta ultra quæ non debent Eccleſiæ paſtoribus deſtitutæ vacare, cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Angliæ, quod dolentes dicimus, prævaricationi prævaricationem addendo, facit, prout dicitur, ordinationem earum in regno ſuo vacantium ultrà quàm liceat prorogari, ut ſic forſan earundem proventus ſibi poſſit occaſionaliter vendicare quoadúſque de perſonis quæ ſibi placeant ordinentur, ſperans majorem à nobis gratiam, ut videtur, multiplicatis exceſſibus extorquere, cùm potiùs contra quemlibet, quantumcunque nobis ſit carus, injurias Eccleſiæ Dei tam perſeveranter proſequi diſponamus ut nulla ſupplicatione ſeu rebellione, donec ipſe à perſecutione deſiſtat vel in ea defecerit, convertamur. Vnde nos eundem Regem noſtris litteris monemus attentiùs & hortamur ut non impediat nec per ſuos impediri permittat quò minùs tam cathedrales quàm regulares Eccleſiæ ſic vacantes perſonas idoneas per electionem liberam & canonicam ſibi præficiant in paſtores. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus convenientes in unum, invocata gratia ſancti ſpiritus, perſonam idoneam, quæ tanto congruat oneri & honori, per electionem canonicam in paſtorem vobis præficere ſtudeatis. Alioquin nos vobis cum divino conſilio & auxilio ſecundùm officij noſtri debitum talem curabimus in paſtorem præficere qui vobis præeſſe valeat & prodeſſe, pro nulla injuſtitiæ violentia proſecutioni juſtitiæ defuturi, & inobedientiam veſtram digna pœna curabimus auctore Domino caſtigare. Datum Laterani Idibus Ianuarij &c. *ut in alia.*

In eundem modum ſcriptum eſt Priori & conventui Dunelmenſi.

In eundem modum Decano & Capitulo Ciceſtrenſi.

IN *eundem modum Capitulo Exonienſi.* Epiſt. 213. De eodem argumento.
Cùm certa ſint tempora conſtituta &c. *uſque* convertamur. Quia igitur quantumcunque Regem ipſum in Domino diligamus & ſuo velimus honori deferre, pro Rege terreno cæleſtem Regem offendere non debemus, eundem noſtris litteris monemus attentiùs & hortamur &c. *ut in alia uſque in finem.*

In eundem modum Decano & Capitulo Lincolnienſi, ut in præcedenti uſque in finem. Datum ut in alia.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Wigornienſi Epiſcopis.

AD petitionem venerabilis fratris noſtri Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi S. R. E. Cardinalis diſcretioni veſtræ committimus quatinus non obſtante interdicti ſententia quam tuliſtis, conventualibus Eccleſiis quæ ipſum patienter ac humiliter & continuè ab initio ſervaverunt licentiam concedatis pro conficienda euchariſtia ſemel ac ſecretò in hebdomada celebrandi divina, ut virtus diviniſſimi ſacramenti finem impetret huic negotio ſalutarem. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani &c. *ut ſuprà in alia.* Epiſt. 214. De licentia celebrandi tempore interdicti. *Vide Matth. Pariſ. ad ann.* 1209. Vide infrà epiſt. 258. 259.

EISDEM.

GRave gerimus & indignum quòd cùm F. de Cantolu & R. de Cormeill. pro negotio Cantuarienſis Eccleſiæ juſtitia exigente ſint vinculo excommunicationis aſtricti, quidam tam Clerici quàm laici majores pariter & minores paſſim & ſcienter eis communicare præſumunt. Nolentes igitur ut per hujuſmodi præſumptores diſſolvatur nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus inquiratis ſuper hoc appellatione remota ſollicitè veritatem, & eam nobis fideliter reſcribatis; ut per veſtram relationem certiores effecti, contra tantam inſolentiam auctore Domino procedamus ſicut fuerit procedendum. Teſtes autem qui fuerint nominati &c. *uſque* perhibere. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani 11. Idus Ianuarij, pontificatus noſtri anno undecimo. Epiſt. 215. Non eſſe communicandum cum excommunicatis.

STEPHANO CANTVARIENSI Archiepiscopo S. R. E. Cardinali.

Epist. 216. De eadem re.

EX paternæ benignitatis affectu quem erga salutem gerimus singulorum occasionem indurandi nulli volentes sed causam potiùs pœnitendi præstare, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatinus F. de Cantalu & R. de Corneill. qui nominatim excommunicati fuerunt eò quòd ad Ecclesiam tuam manus sacrilegas extendere, beneficium absolutionis impendas cùm illud duxerint humiliter implorandum, dispensando cum ipsis, si expedire cognoveris, de labore quem essent veniendo pro absolutione petenda ad sedem apostolicam subituri, maximè si spes fuerit quòd per absolutionem eorum pax debeat efficaciùs provenire. Datum ut suprà in alia.

EIDEM.

Epist. 217. De licentia celebrandi tempore interdicti.

FRaternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatinus nonobstante interdicto pro ecclesia tua lato, si pro Ecclesiæ tuæ pace ad præsentiam carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Angliæ te contigerit utiliter accersiri, permittere tibi liceat ut in locis ad quæ in tuo transitu decinaveris celebrentur tibi ac venerabilibus fratribus nostris Londonensi, Elensi, & Wigornensi coepiscopis tuis & familiæ tuæ suppressa voce divina. Datum ut suprà.

WINTONIENSI EPISCOPO.

Epist. 218. Vt ea impleat quæ suprà nominati Episcopi ei injunxerint.

FRaternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus & in virtute obedientiæ sub obtentu gratiæ nostræ districtè præcipimus quatinus ea quæ venerabiles fratres nostri Londonensis, Elensis, & Wigornensis Episcopi vel eorum duo super Ecclesiæ Cantuarensis negotio tibi duxerint injungenda, omni occasione, difficultate, seu dilatione postposita implere procures. Alioquin illud in caput tuum gravissimè redundaret. Datum Laterani Idibus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HERVEO EPISCOPO TRECENSI ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 219. De confirmatione privilegiorum.

CVm honestas tua, frater Episcope, ac devotio mereantur ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentiùs in iis quæ secundùm Deum duxeris requirenda deferimus quanto gratiam apostolicæ sedis comparasse tibi noscéris pleniorem. Epropter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri Trecensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dinoscéris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam de sancto Leone & ipsam villam cum appendiciis & pertinentiis earum, Ecclesiam de Aquis & villam cum appendiciis & pertinentiis suis, decimam de Barbereio, decimam Capellæ sancti Lucæ tam in annona quàm in vino, Ecclesiam de Calixto, Ecclesiam de Villagruis, Ecclesiam de Nigella, Ecclesiam de Monte Poterij, Ecclesiam de Monte Gevoldi, Ecclesiam de Larbusia, Ecclesiam de Pontibus, Ecclesiam de Nogento, Ecclesiam sancti Petri & sancti Martini de Bocenaio, Ecclesiam de Avenz, Ecclesiam de Mariniaco, Ecclesiam de Castris, Ecclesiam sancti Saviniani, Ecclesiam de Saveriis, Ecclesiam sanctæ Mauræ, Ecclesiam de Corlavelleio, Ecclesiam de Verreriis, Ecclesiam de Lusineio, Ecclesiam de Bulliaco, Ecclesiam de Villamauri, Ecclesiam sancti Medardi, Ecclesiam de Bretteniaco, Ecclesiam de Fols, Ecclesiam de Barbona, Eecclesiam de Esterniaco, Ecclesiam de Campo Guidonis, Ecclesiam de Busseiaco, Ecclesiam de Curia Givoldi, Ecclesiam de Tombis, Ecclesiam de sancto Iusto, Ecclesiam de sancto Ferreolo, Ecclesiam de Arceiis, Ecclesiam Troci de sancto Basolo, Ecclesiam sancti Vlfi, Ecclesiam de Salona, Ecclesiam de Calderiaco, Eccleſiam de Allebauderiis, Ecclesiam de Viaspero cum Capella Bonævicinæ, Ecclesiam de Grandivilla, Ecclesiam de Herbita, Ecclesiam de Villeriis, Ecclesiam de Semonia cum Capella Campi Grillonis, Ecclesiam de Vlmis, Ecclesiam de Estraellis, Ecclesiam de Bolegiis, Ecclesiam de Summovere, Ecclesiam de Septem fontibus, Ecclesiam de Puellari monasterio, Ecclesiam de Poenz, Ecclesiam de Nucerio, Ecclesiam de Dienvilla,

Ecclesiam de Crespeio, Ecclesiam de Sublenis, Ecclesiam de Pigneio, Ecclesiam de Hispania, Ecclesiam de Loves, Ecclesiam de Sumpsefio, Ecclesiam de sancta Susanna, Ecclesiam de Pipere, Ecclesiam de Guasconia, Ecclesiam de Marcilliaco, Ecclesiam de Summofonte. Præterea canonicales Ecclesias ad jus Trecensis Ecclesiæ pertinentes, scilicet Ecclesiam sancti Nicolai de Sezanna, Ecclesiam sancti Remigij de Pleiotro, Ecclesiam sancti Blicherij de Breccis, Ecclesiam sancti Flaviti de Villamauri, Ecclesiam sancti Nicolai de Pugeio, Ecclesiam sancti Laurentij de Planceio, Ecclesiam quoque sancti Stephani prope civitatem Trecensem, cujus curam Decani ejusdem loci de manibus tuis debent suscipere, cum omni obedientia & subjectione quam tibi tuisque successoribus iidem Decani cum hominij tenentur exhibitione persolvere, auctoritate apostolica confirmamus. Ad instar præterea bonæ memoriæ Eugenij Papæ prædecessoris nostri abbatiam sancti Lupi, abbatiam sancti Petri de Cella, abbatiam sancti Martini, abbatiam sancti Petri Arremarensis, abbatiam sancti Petri de Nigella, abbatiam quæ vulgò dicitur Oia, abbatiam sancti Sereni de Cantumerula, abbatiam sanctæ Mariæ de Arripatorio, abbatiam sanctæ Mariæ de Bullencurt, abbatiam sanctæ Mariæ de Recluso, abbatiam de Belloloco, abbatiam de Capella, abbatiam de Bassofonte, abbatiam sanctæ Mariæ quæ sita est in suburbio Trecassino, abbatiam quæ vocatur Paraclitus, decimam de Molceio, decimam de Marineio, decimam de Iardourio, decimam de Summofonte, decimam de Avantz, decimam de Villa Arduini, decimam de sancto Leone, decimam de Martileio, decimam de Bretenaio, decimam de sancto Victore, decimam de Claellis, decimam de Novovico, decimam de Fontebetun, & decimam de Busseriis, tibi & Ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, cùm de prudentum & religiosorum virorum consilio bonæ memoriæ Matthæus prædecessor tuus statuisse dicatur ut in Trecensi Ecclesia septem Canonicorum ad minus Presbyteri & septem Diacones, præter Archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus nulli debeant subrogari nisi Presbyteri vel Diacones aut etiam alij in talibus ordinibus constituti quòd propinquioribus quatuor temporibus quæ occurrunt ad illos ordines assumantur, promissione ac professione nihilominus præstita de assiduitate in prædicta Ecclesia facienda, idem Alexander prædecessor noster ejusdem Episcopi petitionibus benignè, prout decuit, annuendo, constitutionem ipsam ratam habens & firmam, eandem perpetuis temporibus illibatam manere decrevit, adiciens quòd si eis inferiorum ordinum Clerici fuerint substituti, & commoniti primis quatuor temporibus illos ordines non reciperent, liceret dicto Episcopo & successoribus suis illis loca sua & fructus interdicere præbendarum, & si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus ordines illos recipere procurarent, eis prorsùs amotis, alios subrogandi liberam haberet auctoritate apostolica facultatem. Præterea de ipsius Episcopi conscientia & voluntate idem prædecessor noster instituit ut si qui Canonici Trecensis Ecclesiæ in ejusdem Episcopi vel successorum suorum aut etiam in ejusdem Ecclesiæ servitio forsan existerent, vel cum licentia jamdicti Episcopi & Capituli vacarent scholasticis disciplinis, aut essent infirmitate detenti, suarum nihilominus integros fructus perciperent præbendarum, alij vero Canonici, qui Ecclesiæ assiduè non servirent, viginti tantummodo solidos perciperent annuatim. Insuper idem Alexander prædecessor noster adjecit ut tam à præfato Episcopo quàm à successoribus suis in prædicta Ecclesia, cùm Decano careret, in Decanum Presbyter Canonicus statuatur, aut etiam Diaconus, qui primis quatuor temporibus quæ occurrerint in Presbyterum ordinetur, & si commonitus in eisdem quatuor temporibus ordinem Presbyteri suscipere fortè neglexerit, fas præfato Episcopo & suis successoribus esset illi auctoritatem & potestatem ipsius officij & sedem in Choro & Capitulo interdicere, ac si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus ordinem presbyteratus susciperet, eo amoto liberè alium subrogaret. Nos igitur ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, quæ ab ipso super præmissis articulis approbata vel statuta sunt approbando, eadem auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, ad instar ejusdem Alexandri prædecessoris nostri sancimus ut nec tibi neque tuis successoribus liceat præscriptas parrochiales Ecclesias ad mensam Episcopi specialiter pertinentes à mensa vestra sine auctoritate Romani Pontificis aliquatenus alienare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre,

vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmiæ æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij x v. kal. Februarij, Indictione x i i. incarnationis dominicæ anno M C C I X. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno undecimo.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 220. De negotio Episcopi Bamberg. & Archiepiscopi Colocensis. *Vide infrà lib.* 12. *epist.* 118. *& seqq. & regestum de negotio imp. epist.* 182.

Licèt Babembergensis Episcopus se nobis multipliciter exhibuerit in devotum, ad regium tamen honorem & ecclesiasticam honestatem congruum respectum habentes, negotium suum sub hac forma Legatis nostris duximus committendum ut si super nece claræ memoriæ Philippi Ducis Sueviæ, accusatore contra eum legitimo comparente, culpabilis coram eis fuerit comprobatus, eum ab omni officio & beneficio ecclesiastico sublato cujuslibet contradictionis & appellationis impedimento deponant, alioquin indicant ei purgationem canonicam; in qua si fortè defecerit, eadem ipsum censura condemnent; quòd si legitimè se purgaverit, denuntient eum super objecto crimine penitùs innocentem; ante omnia providentes, ut si quid contra eum vel ejus Ecclesiam est perperam attentatum, in statum debitum revocetur. Concedimus autem ut si maluerit coram nobis prosequi causam suam, ad apostolicam sedem accedat, & ibi eam illo quo decet ordine prosequatur. Vtrumlibet autem tam nobis quàm ipsis Legatis non differat intimare, ut sine dubitatione sciatur ubi sit judicium actitandum. Præterea de tua regali prudentia valde conquerimur tibi ipsi, qui de Colocensi electo per instantiam nimiam nos graviter circumvenisse videris, detrahentibus nobis multis, sicut & habere videntur materiam detrahendi, quòd illum præfecimus in magistrorum magistrum qui nondum discipulorum discipulus esse norat, cùm eum in Episcoporum Episcopum concesserimus promovendum qui scientia pontificali officio congruente asseritur ex majori parte carere, in tantum ut cura commissæ sibi Ecclesiæ derelicta, quæ quasi graviùs vivo pastore videtur quàm mortuo destituta, Vincentiam se transtulerit, ibique circa prima rudimenta versetur, non præcavens imperitiam suam, quam cautè domi studendo potuisset utcunque redimere, foris indecenter vagando turpiter publicare. Quapropter ei per nostras dedimus litteras in præceptis ut omni dilatione postposita continuò ad Colocensem Ecclesiam revertatur, & aliquos viros peritos familiariter secum habens, proficere in scientia sub ipsorum satagat disciplina, sollicitè providendo ut litteraturæ defectum ita studeat prærogativa morum & conversationis honestæ redimere quòd nos, uno per alterum compensato, possimus eum aliquatenus tolerare. Alioquin ejus exemplo qui dicit *Pœnitet me fecisse hominem*, cogitare de ipso aliter oportebit; ut quod circumventi construximus, circumspecti demum favente Domino destruamus. Quocirca serenitatem regiam monemus attentiùs & hortamur quatenus ipsum ad hoc ita diligenter inducas ne, si secus egerit, quem allevare tantopere studuisti, dejecisse potiùs te contingat. Datum Laterani x i i. kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ILLVSTI REGI ANGLIÆ.

Epist. 221. De negotio Cantuariens. *Vide supra epist.* 210.

More pij patris, qui filium offendentem offensus etiam odisse non potest, & quandoque de malo ejus graviùs quàm ipse turbatur, indurato tibi non possumus indurari; sed paterna pietate molliti, te tantopere in tua damna molitum omni ope vel opera qua valemus satagimus emollire, ut te à tuo damnabili & damnoso proposito revocemus, tristantes plurimùm si quod veremur contingeret te incurrere, sed majoris causam tristitiæ reputantes quia noluisses illud, cùm posses præmunitus totiens & præmonitus, evitare. Fortuitum namque malum doloris habet qualecunque remedium. Quod

autem spontaneus quis incurrit, durius post se ingerit dolendi tormentum. Tu verò, fili carissime, præcave diligenter ne volens & sciens illi periculo te subicias à quo te cupimus tanto studio præservare, quodque demum tanto tibi majorem incuteret pœnam quanto minùs providè rejecisses ostensam tibi de illo vitando cautelam. Illud autem regalem prudentiam nolumus ignorare, quòd multa nobis de præsentis negotij circumstantiis innotescunt quæ à tua notitia per illorum versutias absconduntur qui tibi nolunt ostendere vulnus tuum, nescientes vinum increpationis infundere, scientes autem adulationis oleum illinire; utinamque callidè non procurent ut semper in angustia perseveres, quatinus in angustia constitutus semper illos habeas cariores. Quapropter nos, qui & prudenter illud aspicimus & curare salubriter affectamus, consilia monitis monitaque consiliis inculcantes, blanditiis minas & minis blanditias interserimus, vice periti medici medicinalis artis auxilia variando, qui ferrum adhibet ubi fomenta non prosunt, & potione tepentis aquæ languores emendat qui medicinæ violentiam non senserunt; quoniam etsi velut adamans durus esses, deberet utique te artificij tanti sedulitas emollire, cùm ille, tametsi cedere ferro nesciat, hircini sanguinis infusione mollescat. Vide quoque ne cursum tuæ prosperitatis impedias, quia nobiscum pacem habere non posset quicunque te vellet in hoc errore fovere. Iam igitur apud te quasi ultimis remediis insistentes, quæ ultra tibi adhibere possimus remedia non habemus, & inter repugnantes sibi sanare volentis & sanari nolentis affectus, donec spes hujusmodi curæ foret, mallemus levibus & suavibus quàm duris & asperis te curare: cùm illa nullam deserant post se saniem, ista verò deformem soleant relinquere cicatricem. Ne itaque nos & te in majorem necessitatem inducas, ecce familiariter petimus, ecce dulciter admonemus, ecce paternè consulimus; ecce benignè rogamus, sub obtentu divini judicij in remissionem tibi peccaminum injungentes quatinus super Ecclesiæ Cantuariensis negotio nobis & Ecclesiæ immo Deo sine ulteriori mora satisfacere non postponas, pro illa dilectione sincera qua te inter ceteros Principes & dileximus & diligimus hoc saltem nobis concedens in donum, qui spem utique habebamus, nec desperamus adhuc, quòd si petissemus majora, negare nullatenus debuisses; præsertim cùm, sicut alia tibi vice curavimus intimare, licèt supra jus tuo fuerit juri delatum, ex iis autem quæ acta fuerant vel gerenda nullum tibi voluerimus aliquando præjudicium generari. Eligas ergo, fili carissime, tam dulcibus monitis & consiliis salutaribus acquiescere, non autem adulantium perversitatibus & perversorum adulationibus assentire; quoniam, ut utamur verbo divino, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Alioquin cœlum & terram contra te in testimonium invocamus quòd ex pertinacia tua non ex nostra severitate continget si manum apostolicam in te pateris aggravari, quam hactenus vix potuimus sed de cetero nunquam poterimus continere. Quære quæsumus diligenter ab illis qui caput tuum oleo peccatoris impinguant ad quem finem valeas ex hac pugna venire. Non audebunt profectò aliud respondere nisi quòd non poteris vincere nisi victus, sed glorioſior erit tibi victoria cùm de victo fueris victor effectus; quia tunc vinces proculdubio cùm vinceris, nec ab homine, sed à Deo, à quo glorioſum est homini vinci, ut semper det homo Deo gloriam & honorem. Vnde nemo te vana suggestione seducat, quòd nisi tu cesseris nobis, nos in hac pugna quovis tibi modo cedamus, qui facilius possemus occidi quàm vinci. Datum Laterani x. Kal Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

Vide suprà epist. 89. & lib. 10. epist. 219.

GIRARDO ECCLESIÆ Thebanæ Thesaurario.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis &c. *usque* protectione suscipimus. Specialiter autem thesaurariam Ecclesiæ Thebanæ, sicut eam justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Soræ VI. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Epist. 222. Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.

IOHANNI REGI Anglorum illustri.

QVantum celsitudini regiæ in negotio carissimæ in Christo filiæ Berengariæ

Epist. 223. Vt bona B. Anglorũ Reginæ

restituat. *Vide lib. 13. epist. 74.*

quondam Anglorum Reginæ illustris hactenus detulerimus, si meliùs notavisses, forsitan & tu nobis, immo ei cujus vicem licèt immeriti gerimus, ad quem ascendunt à maxilla descendentes ab oculo lacrymæ viduarum, quas etiam exaudire, cùm ad eum vociferaverint, se altissimus pollicetur, curasses in hac parte deferre, ac tandem vincens salubriter temetipsum, preces & monita nostra tibi super hoc plus quàm octies replicata effectui mancipasses, nec coëgisses præfatam Reginam totiens fatigari laboribus & expensis, quam ex strenuitate regali nobis non exhortantibus honorare debueras & ab aliis pro viribus defensare, considerato perspicuè quòd id ad tuum honorem cederet & salutem. Ecce jam octo annis & ampliùs apud te propter hoc precibus & monitionibus insistentes expectavimus patienter si quo modo tuæ saluti consulens & honori, eidem Reginæ super dotalitio suo, medietate mobilium inclitæ recordationis Regis Ricardi fratris tui, & quibusdam aliis quæ sibi competere asserit, satisfacere procurares deferendo Deo & nobis, qui fortè plus debito tibi detulimus in hac parte. Sed nec sic adhuc potuimus proficere, sicut effectus indicat, & sæpedictæ Reginæ querela nostris auribus totiens inculcata, cùm non solùm ei satisfacere non curaveris, verùm etiam nec coram judicibus illis quibus negotium ipsum dinoscimur pluries commisisse volueris justitiam exhibere, qui non tantùm cavere debueras ne à te injuriarum actio nasceretur, sed etiam cohibere quoslibet tuæ ditioni subjectos ne injuriam cuiquam facerent, cùm ad malefactorum vindictam, laudem verò bonorum gladium susceperis bajulandum. Certè non minùs serenitati regiæ quàm ipsi Reginæ, immo longè ampliùs expedisset nostris super hoc acquievisse monitis & consiliis, per quæ divinam placare potueras majestatem, quam propter injuriam sæpedictæ Reginæ illatam videris graviter offendisse, ac etiam laudem in conspectu hominum promereri; quia etsi ei super damnis esset rerum temporalium satisfactum, tibi damnum innocentiæ resarcisses, quod non est dubium esse majus. Veruntamen si te forsan existimes eidem in aliquo non teneri, coram nobis, qui personam hominis in judicio non accipimus, sed justum judicium, prout ille nobis inspirare dignatur qui omne judicium dedit filio, judicamus, saltem ipsi debueras justitiam exhibere, ac non uti potentiæ magnitudine contra illam, sciens quòd potentior est te ille qui facit misericordiam & judicium omnibus injuriam patientibus & in regno hominum dominatur. At tu hæc prout convenit non attendens, nec satisfacere illi nec subire super prædictis judicium cum eadem hactenus voluisti. Cùm enim post octo annos elapsos, per quos regiæ serenitati detulimus, nolentes ulteriùs deferre homini contra Deum, qui viduam voce prophetica præcipit defensari, tibi dederimus in mandatis ut usque ad festum nativitatis beatæ Mariæ proximò præteritum per procuratorem idoneum te nostro conspectui præsentares, exhibiturus sæpefatæ Reginæ vel procuratori ejusdem super præmissis & aliis, si qua fortè adversùs te duceret proponenda, quod ordo posceret rationis, tu id efficere penitùs contempsisti, licèt dilectus filius Prior Wigornienſis de mandato venerabilis fratris nostri Wigornienſis Episcopi exhibitis tibi litteris nostris præfatum terminum ex parte nostra tuæ magnitudini peremptorium assignarit, sicut venerabiles fratres nostri Elienſus & præfatus Wigornienſis Episcopi, quibus super hoc direximus scripta nostra, per suas nobis litteras intimarunt; procuratore ipsius Reginæ ad prædictum terminum ad sedem apostolicam accedente, ac per quatuor menses & ampliùs expectante. Quia igitur contra salutem nostram & tuam tibi deferre ulteriùs nec volumus nec debemus, serenitatem regiam monemus & exhortamur attentiùs, in virtute spiritus sancti firmiter injungentes quatinus usque ad sex menses post susceptionem præsentium aut præfatæ Reginæ satisfacias congruè de prædictis, aut componas, si fieri possit, amicabiliter cum eadem, vel per sufficientem & idoneum responsalem te nostro conspectui repræsentes, exhibiturus eidem vel procuratori suo super iis & aliis quæ adversùs te duxerit proponenda justitiæ complementum. Alioquin ex tunc in Sumersetsire manerium de Yvecestre & manerium de Meretoc cum pertinentiis eorundem, & totam Rotelandam cum pertinentiis ejus, & manerium de Keten cum tota Socka, & Brudecrost, & Nortufham, cum pertinentiis eorundem, & in Barchescire manerium de Lamburn. cum pertinentiis ejus, & in Wiltescire, Westburi, Wilton, & Malmesburi, cum pertinentiis eorundem, & in Sudsex villam Arundellæ cum honore ac pertinentiis suis, & civitatem Ciceſtriæ cum ipsius pertinentiis, & in

Oxonefordeſcire villam de Stanton. cum pertinentiis ejus, & in Nordhantonſcire Rokingham cum pertinentiis ejus, & villam de Nordhanton. in Deveneſcire manerium de Keinton & Leſton cum pertinentiis ſuis, ac manerium de Alrichescote, cum villa de Sloncumbis, & Quenevvke cum pertinentiis ſuis, & civitatem Exoniæ, & in Sudhamtonſcire manerium de Wlfintonia cum pertinentiis ſuis, & in Heresfordeſcire Berchameſted. cum toto honore ac pertinentiis ejus, ac in Eſſex. villam de Waltham cum pertinentiis ejus, & in London. Eya Reginæ, & in Lincolnſcire Graham cum pertinentiis ſuis, & villam de Stamford cum pertinentiis ejus, ac in Glovveſceſtreſcire honorem de Berkeleia ac pertinentias ejus, cum omnibus aliis maneriis, villis, & caſtris quæ ad dotalitium præfatæ Reginæ ſpectare noſcuntur, necnon demania, maneria tua in prædictis comitatibus conſtituta, de quibus ſæpefata Regina lanam debet habere, licèt omnia prædicta ex alia cauſa ſuppoſita ſint ſententiæ interdicti, propter hoc pari ſententia ſpecialiter decernimus alligata, ut in iis omnibus nequaquam interdicti ſententia relaxetur donec ſuper hoc ſatisfeceris competenter, dantes diſtrictè venerabilibus fratribus noſtris Roffenſi & Sareſberienſi Epiſcopis nihilominus in præceptis ut ipſi, humana gratia & mundano timore poſtpoſitis, præfatam ſententiam publicent & faciant ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo auctoritate noſtra firmiter obſervari. Quòd ſi nec ſic tua poterit durities emolliri, in te manus noſtras fortiùs curabimus aggravare; ſciturus quòd quantumcunque te ſicut cariſſimum in Chriſto filium diligamus, quia tamen in tuæ ſalutis diſpendium tibi ulteriùs non credimus deferendum, nulla omittemus penitùs ratione quin noſtrum officium exequamur donec ad cor rediens ſuper hoc apoſtolicæ ſedi te offeras pariturum. Datum Laterani XII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

ROFFENSI ET SARESBERIENSI Epiſcopis.

Epiſt. 224. De eadem re.

SI cariſſimus in Chriſto filius noſter Iohannes Rex Anglorum illuſtris meliùs notaviſſet quantum celſitudini regiæ hactenus detulerimus in negotio cariſſimæ in Chriſto filiæ Berengariæ quondam Anglorum Reginæ illuſtris, forſitan & ipſe nobis, immo ei cujus vicem licèt immeriti gerimus &c. *in eundem modum ut in aliâ uſque* obſervare, præfato Regi litteras noſtras, quas propter hoc eidem dirigimus, exhibentes. Qualiter autem in executione præcepti apoſtolici proceſſeritis, nobis per litteras veſtras curetis fideliter intimare, præceptum noſtrum taliter impleturi quòd non poſſitis de negligentia reprehendi, ſed de obedientia potiùs commendari. Quòd ſi non ambo iis exequendis &c. alter veſtrum ea nihilomi[illegible] exequatur. Datum Laterani &c. ut in alia.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO Brivatenſi.

Epiſt. 225. De exemptione eorum. *Vide infrà lib. 16. epiſt. 72. 73.*

CVm dilecti filij S. Eccleſiæ veſtræ ac D. venerabilis fratris noſtri Claromontenſis Epiſcopi procuratores ad ſedem apoſtolicam acceſſiſſent, & nos eis benignam audientiam dediſſemus, procurator ejuſdem Epiſcopi propoſuit coram nobis quòd cùm Eccleſia veſtra in ipſius Epiſcopi ſit dioceſi conſtituta, & ob hoc deberetis eidem tamquam dioceſano veſtro in ſpiritualibus reſpondere, vos ipſi jura epiſcopalia penitùs ſubtrahentes, in Eccleſiis aliis ejuſdem dioceſis, quas ad vos pertinere proponitis, non permittitis ipſum juriſdictionem debitam exercere, procurationem quam idem & prædeceſſores ipſius ab ipſis Eccleſiis aliquando habuerunt ſibi pro veſtræ voluntatis arbitrio ſubtrahendo. Verùm procurator Eccleſiæ veſtræ propoſuit ex adverſo quòd cùm eadem à juriſdictione cujuſlibet præterquam Romani Pontificis penitùs ſit exempta, ſicut per privilegium piæ recordationis Calixti Papæ prædeceſſoris noſtri evidenter apparet, non tenebamini ei nec pro capite nec pro membris quæ ad vos pertinent pleno jure in aliquo reſpondere. Porrò pars altera replicavit quòd idem privilegium formam privilegij non videtur habere, cùm verbum exemptionis non contineatur in eo, ſed inhibitionis tantùm inveniatur inſertum, proponens illud nequaquam ſuſpicione carere, cùm ſtilum cancellariæ noſtræ non ſapiat, & ſubſcriptionibus Cardinalium non appareat communitum. propter quod idem debere carere viribus proponebat, & nullam eſſe per ipſum præſtitam libertatem. attamen etſi aliquas vires obtineat, licèt capiti per illud utcunque tribuatur libertas, membra tamen ab epiſcopali non eximit poteſtate, cùm de libertate membrorum nullam expreſſam faciat mentionem. Vnde aſſerebat eadem memorato Epiſcopo eſſe

debere diocesana lege subjecta, sicuti Ecclesiæ illæ suis subsunt Episcopis quæ ad quædam monasteria pertinent quæ sedem apostolicam nullo respiciunt mediante. Ad quod fuit ex parte vestra responsum quòd libertas per præfatum privilegium Ecclesię vestræ concessa non solùm ad caput debet referri, verùm etiam ad membra ipsius extendi; quia illud quod continetur in eo, *Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium & Ecclesiarum & ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerunt promovendi, à quocumque malueritis catholico suscipietis Episcopo*, ad minores est Ecclesias referendum, cùm in majori Ecclesia baptismus minimè celebretur, ratione cujus chrisma & oleum sanctũ sunt potissimè opportuna, & ad consecrationes altarium & subditarum Ecclesiarum & ordinationes etiam Clericorum tam membrorum quàm capitis semper consueveritis vicinos Episcopos convocare. Vnde si quantum ad ista, quæ sine ministerio Episcopi fieri non possunt, minores Ecclesiæ sunt exemptæ, multò fortiùs quantum ad alia intelligi debent libertate gaudere quæ sine officio Episcopi possunt expediri, cùm indulsisse videatur minora qui majora concessit. Adjecit insuper procurator prædictus quòd si non sufficerent supradicta, tanto tempore usa fuerat Ecclesia vestra tam in capite quàm in membris hujusmodi libertate quòd legitima esset super ea contra prædictum Episcopum præscriptione munita. Nam ad exequendum prædicta quæ, sicut suprà dictum est, non possunt nisi per Episcopum expediri, semper quos voluit Episcopos convocavit. Alia verò, utpote Clericorum institutiones & destitutiones eorum, tam Clericorum, quàm laicorum coactiones, & decisiones causarum tam criminalium quàm civilium, semper exercuit per se ipsam. Sacrista etiam & hebdomadarij Ecclesiæ vestræ sacerdotes & Clericos subditarum Ecclesiarum ad synodum evocant bis in anno, & eis synodalia dant præcepta, & corrigunt tam in Clericis quàm in laicis quæ inveniunt corrigenda. Præterea minores Ecclesiæ adeo sunt annexæ majori quòd sunt de corpore præbendarum & etiam dignitatum ejusdem, quæ in villa Brivatensi oblationes & decimas recipit, injungit pœnitentias, & recipit ad sepulturam defunctos; licèt sint ibi aliæ quædam Ecclesiæ quæ ab ipsa omnino dependent, propter multitudinem populi, ad succursum. Ceterùm cùm Claromontensis Episcopus terram suppo-nit ecclesiastico interdicto, in Ecclesia vestra & in membris ipsius divina officia celebrantur, nec unquam in officiis ecclesiasticis Claromontensis Ecclesiæ consuetudinem imitantur. Nos igitur iis & aliis quæ coram nobis fuere proposita plenè auditis ac perspicaciter intellectis, quia præfatum privilegium in duobus locis plenariam Ecclesiæ vestræ continere perspeximus libertatem, de fratrum nostrorum consilio ipsam in capite liberam omnino esse decrevimus, ut nulli unquam in spiritualibus teneatur præterquam Romano Pontifici respondere. Membra verò ipsius adjudicavimus Episcopo memorato fore lege diocesana subjecta, illis duntaxat exceptis super quibus vos probare poteritis legitima præscriptione munitos. Quia verò privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, nisi libertate vobis concessa curaveritis bene uti, ut ex ea propter absentiam correptoris non captetis licentiam delinquendi, sed potiùs propter gratiam largitoris benefaciendi materiam assumatis, illo vos privilegio noveritis esse privandos; præsertim cùm à nullo prædecessorum nostrorum fuerit innovatum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. *usque in finem.* Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI SANCTÆ Genovefæ, & Archidiacono, & Magistro P. Peverel Canonico Parisiensi.

Epist. 116. De electione Episcopi Morinensis. *Vide supra epist. 43.*

DE prudentia dilectorum filiorum Abbatis sancti Victoris, Decani, & magistri Roberti de Corzon Canonici Parisiensis non possumus non mirari, quòd cùm super negotio dilecti filij Morinensis electi per litteras nostras certa forma fuerit illis expressa per omnia consona rationi, eam ipsi pro suæ voluntatis arbitrio excesserunt. Nam cùm fuerit ipsis injunctum ut illos tres electores, in quos Canonici Morinenses potestatem Episcopum eligendi contulerant, astringerent vinculo juramenti dicere veritatem quot ex Canonicis examinationis tempore in præfatum convenerunt electum, & si tres simul aut duo saltem ex ipsis jurati dicerent quòd Canonicorum major pars convenerat in eundem, iidem contradictoribus silentium imponere non differrent, & si per eorum depositiones constaret dictum electum extitisse à paucioribus nominatum, tunc demum diligenter audirent quicquid utraque pars proponeret ad

ad probandam formam ſecundùm quam eligendi præfatis tribus electoribus poteſtas aſſeritur fuiſſe conceſſa, & ſi foret ſufficienter oſtenſum quòd de gremio Eccleſiæ ſecundùm formam ſibi datam deberent eligere in quem omnes vel major & ſanior pars Capituli conveniret, ipſi electionem ejus omnino caſſarent; alioquin quod de ipſo factum eſt ratum habentes, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam ab ejus impetitione compeſcerent appellatione remota, ipſi, ſicut ex litteris eorum accepimus, illos tres electores ad ſuam præſentiam evocarunt, & primò duobus eorum & tertio poſtmodum in ipſorum præſentia conſtitutis, ab eis ſub jurejurando fideliter & ſollicitè de numero Canonicorum Morinenſium qui dicebantdr electum nominaſſe prædictum ſtuduerunt inquirere veritatem. Sed quia ipſi videbantur quandoque loqui eundem & excogitatum ſermonem, quandoque etiam vacillantes, ipſum multimodis variabant, in tantum ut quanto examinabantur fideliùs, tanto minus fidei afferebant, iidem interloquendo dixerunt ad alium eſſe articulum procedendum, forma mandati noſtri penitùs prætermiſſa. propter quod pars dicti electi ſentiens ſe gravari, ad noſtram audientiam appellavit, ex parte noſtra firmiter inhibens judicibus memoratis ne ulteriùs in negotio ipſo procedere attentarent. At ipſi appellationi ejuſdem minimè deferentes, in ipſo negotio procedere decreverunt. Ex præmiſſis autem evidenter apparet nos in ipſa commiſſione tres articulos diſtinxiſſe, utrum videlicet per depoſitiones trium electorum vel ſaltem duorum ex ipſis plures ex Canonicis in præfatum electum concordaſſe clareſceret, an pauciores ex ipſis in eundem conveniſſe conſtaret, vel neutrum per atteſtationes hujuſmodi probaretur, & in duobus quidem articulis, ſcilicet primo & ultimo, electionem ipſius ratam haberent, contradictoribus ejus perpetnum ſilentium imponendo, in unico verò, videlicet medio, ipſius electionem caſſarent, dummodo conſtaret quòd ſub hac forma fuiſſet tribus electoribus poteſtas eligendi conceſſa, ut videlicet illum de gremio Eccleſiæ Morinenſis eligerent in quem major & ſanior pars Capituli concordaret. Porrò, ſicut ex depoſitionum tranſcriptis, quæ nobis tam ſub ſigillo dilecti filij Gualæ ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis apoſtolicæ ſedis Legati quàm venerabilis fratris noſtri Silvanectenſi Epiſcopi & plurium aliorum nobis tranſmiſſa fuere, comperimus, major pars Canonicorum Morinenſium qui examinationis tempore aderant, in præfatum convenit electum. Et ideo delegati prædicti, ſive depoſitionibus teſtium fidem præbere, ſive fidem adimere voluiſſent, profectò ſecundùm formam præſcriptam electionem ipſius debuiſſent ratam habere, cùm non probato quòd minor pars conveniſſet in illum, inutiliter etiam probaretur quòd ſecundùm formam ſibi datam tres electores illum debuiſſent eligere in quem major pars Capituli conveniret. Quocirca ne præfata Morinenſis Eccleſia ulteriùs aggravetur laboribus & expenſis, & tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ingens detrimentum incurrat, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus partibus convocatis, ad majorem cautelam originales teſtium depoſitiones faciatis vobis à præfatis judicibus exhiberi, & tranſcripta quæ vobis ſub bulla noſtra dirigimus cum originalibus conferentes, ſi hæc illis inveneritis concordare, quicquid poſt appellationem à præfato electo ad ſedem apoſtolicam interpoſitam contra eum inveneritis attentatum, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo decernatis irritum & inane, quodque de ipſo factum eſt ſolemniter confirmantes, contradictoribus ejus perpetuum ſilentium imponatis, & denuntietis Archiepiſcopo ſuo ut ipſum non differat in Epiſcopum conſecrare, illum præbenda Morinenſis Eccleſiæ ſpoliantes qui ſe ſpontaneus ad hanc pœnam, ſi forſan in probatione deficeret, obligavit. Quòd ſi forſan ipſi delegati vobis infra decem dies poſtquam fuerint requiſiti atteſtationes noluerint vel nequiverint exhibere, vos nihilominus fidem adhibentes reſcriptis, maximè cùm ſecundùm tenorem litterarum quas ipſi nobis miſerunt intentionem ſuam non fundaverit pars adverſa, juxta præſcriptam formam in ipſo negotio procedatis, ſimiliter proceſſuri ſi forſan, quod non credimus, originalia diſcordaverint aliquatenùs à reſcriptis, dummodo non ſit per illa probatum quòd minor pars in præfati electi nominatione convenerit; quia ſecundùm legitimas ſanctiones auctore non probante, is qui convenitur, etſi nihil præſtiterit, debet abſolvi. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani IV. Kal. Februarij pontificatus noſtri anno undecimo.

EISDEM.

Epist. 227. De eadem re.

NE pastoralis provisio diù desit Ecclesiæ Morinensi, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si adversarij dilecti filij Morinensis electi nequiverint infra spatium triginta dierum intra provinciam vel in vicinis partibus inveniri, vos citationis edicto ad eorum domicilium manifestè transmisso, nihilominus procedatis secundùm formam quam in aliis litteris vobis duximus exprimendam, cùm jam in ipso negotio usque ad publicationem testium sit processum. Datum Laterani III. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO, ET SANCTI PETRI & de Secureto Abbatibus Anicienſibus.

Epist. 228. Eis committitur causa Canonicor. Brivatensium.

LIcèt ex injuncto nobis apostolatus officio omnibus paterna sollicitudine teneamur adesse, illis tamen debemus specialiter apostolicum præsidium impertiri qui apostolicam sedem nullo respiciunt mediante. Cùm igitur dilecti filij Canonici Brivatensis Ecclesiæ, quæ ad nos nullo medio noscitur pertinere, frequenter & à multis injurias, damna sustineant & rapinas, cùm diocesanum non habeant ad quem possint recurrere quotiens indebitè aggravantur, nos ad supplicationem eorum ipsis duximus providendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quotiens ab eisdem fueritis requisiti, de malefactoribus suis in Claromontensi, Anicensi, & Mimatensi diocesibus constitutis faciatis eis auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo justitiæ plenitudinem exhiberi, eosdem ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Kalend. Februarij, ut suprà.

ILLVSTRI REGI FRANCIÆ.

Epist. 229. Inducitur ad expugnationē hæreticorum Provincialiū.

REligiosa fides & fidelis religio, quæ in te à progenie in progeniem derivata Christianissimis tuis patribus Christianissimum Principem te substituit, nos inducit ut negocium Ecclesiæ Dei, cùm expedit, providentiæ tuæ confidentissimè committamus. Cùm ergo sit providè cogitatum ut iis qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandum Provinciales hæreticos se accingunt unus in Capitaneum deputetur sub cujus unius consilio unanimiter universi procedant, serenitatem regiam rogamus attentiùs & monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eis vel eorum aliquibus, prout expedit, convocatis, aliquem virum strenuum, providum, ac fidelem eis auctoritate regia præficere non postponas qui prælium Domini præliantes sub divino præsidio tuoque vexillo conducat, hanc pij operis providentiam ita prudenter & hilariter impleturus quòd dum omnes ad agonem sanctæ pugnæ succinxeris, in omnium quasi manibus ipse quoque bellari bellum Domini comproberis, ac retributionis eorum efficias te participem quorum certaminis te taliter exhibueris adjutorem; ante omnia & in omnibus sollicitè providendo ut in tanto Dei servitio illam servent & unitatis concordiam & concordiæ unitatem quòd per astutiam sathanæ, qui operibus pacis invidet, nulla discordia inter ipsos, nulla possit æmulatio suboriri, ita strenuè, ita cautè in hoc negotium cum tuo subsidio & consilio processurus quòd illud possint feliciter & salubriter consummare; ne, si secùs acciderit, quod divinitus avertatur, in quo proficere poterat Ecclesiæ causa deficeret, & hæretica pestis unde potuerat aboleri deteriùs inoleret. Datum Laterani III. Non. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

VNIVERSIS FIDELIBVS in obsequium Christi contra Provinciales hæreticos certaturis.

Epist. 230. De eodem argumento.

BEnedicti vos in Domino qui fecit cœlum & terram; quoniam cùm committeret draco bellum & Ecclesiam sanctam Dei machinarum suarum molimine conquassaret, apprehendistis arma & scutum, & in ejus adjutorium surrexistis. Quia igitur omnis qui in agone contendit abstinet se ab omnibus ut unum certaminis sui cursum eò meliùs quò liberiùs valeat consummare, universitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica scripta in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus tam arduum & tam sanctum Dei obsequium aggressuri, postpositis omnibus quæ hunc vestrum sanctum agonem impedire valerent, ante omnia & in omnibus caveatis ut illam servetis & unitatis concordiam &c. *sicut suprà usque in finem.* Eia igitur, potentissimi Christi milites, eia strenuissimi militiæ Christianæ tyrones. Opponite

vos Antichristi præambulis, & pugnate cum serpentis antiqui ministris. Pugnastis fortassis hactenus pro gloria transitoria, pugnate jam pro gloria sempiterna. Pugnastis pro corpore, pugnate pro anima. Pugnastis pro mundo, pugnate pro Deo. Non enim pro præmio qualicunque ad tantum Dei servitium vos hortamur, sed pro regno cæleſti, quod vobis ob hoc confidentissimè pollicemur. Datum ut suprà.

VNIVERSIS FIDELIBVS AD obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis tam in regno quàm extra regnum Franciæ constitutis.

Epist. 232. Suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.

CVm orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, auctoritate apostolica constituimus ut ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum hæreticos secundùm ordinationem Legatorum nostrorum in vestris pectoribus susceperitis, cum personis, terris, possessionibus, hominibus, ac ceteris bonis vestris sub protectione sedis apostolicæ maneatis, & donec de vestro reditu vel obitu certissimè cognoscatur, ea omnia in suo statu libera maneant & quieta consistant. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. *usque in finem.* Datum ut in alia.

REGENSI ET CONSORANENSI Episcopis, & Abbati Cistercienſi, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 232. De negotio comitatus Melgorien.

LIcèt nobis jamdudum Comes Tolosanus per suos nuntios supplicaverit ut super comitatu Melgorienſi, qui beati Petri juris & proprietatis existit, fidelitatem ab eo recipere dignaremur, ne tamen ipsum hoc modo quasi confirmare videremur eidem, preces suas non duximus admittendas, considerantes hoc ipsum quod tu, fili Abbas, per tuas nobis litteras suggessisti, ut videlicet si fortassis in incepta malitia pertinaciter perduraret, ipso demum eo juxta meritum spoliato, statueremus de ipso quod Ecclesiæ negotio expediret. Quia verò à nobis est sollicitè requisitum qualiter procedendum sit circa comitatum eundem fideli exercitui signatorum, id vobis providimus suadendum, quatinus ad Apostoli dicentis, *Cùm essem astutus, dolo vos cepi*, magisterium recurrentes, cùm talis dolus prudentia potiùs sit dicendus, deliberato cum eorundem signatorum prudentioribus opportuno consilio, divisos ab Ecclesiæ unitate divisim capere studeatis, dummodo videritis quòd ex hoc idem Comes vel aliis minùs assistere vel per se ipsum minùs debeat insanire, non statim incipiatis ab ipso, sed eo primitus arte prudentis dissimulationis eluso, ad extirpandos alios hæreticos transeatis; ne si scamis Leviathan sese conjungentibus unà vi fueritis simul omnes aggressi, tanto demum hujusmodi satellites Antichristi difficiliùs possint conteri quanto pertinaciùs ipsos in unum conjunctionis vinculum contingeret glomerari. Sic enim & illi faciliùs sterni poterunt remissiùs adjuti per istum, ac iste illorum interim visa strage ad cor fortasse redibit, vel si perseveraverit in malitia, tandem contra ipsum & solum & destitutum leviùs procedatur. Hæc ergo vobis suggerimus ad cautelam. Vos autem, qui rerum circumstantias eò pleniùs quò præsentiùs agnoscetis, sic vel aliter circa singula procedatis quemadmodum tam vobis quàm aliis quorum fuerit utendum consilio de cœlo fuerit revelatum, circa præfati Comitis negotium processuri prudenti deliberatione præmissâ, prout ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ videritis expedire.

EISDEM.

Epist. 233. De negotio fidei.

SVper negotio signatorum & hæreticorum excidio litteras vobis destinamus ad præsens quales novimus expedire. Monemus ergo discretionem vestram & exhortamur attentiùs, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prout opus fuerit ipsis utentes, prudenter atque constanter circa singula procedatis, ante omnia & in omnibus cautè ac sollicitè providendo ut illam servent &c. *sicut in prima.*

EISDEM.

Epist. 234. Vt absolvant Guidonem Comitem Alvernensem. *Vide suprà lib. 1. epist. 498.*

LIcèt nobilis vir Guido Comes Alvernienſis circa captionem venerabilis fratris nostri Claromontensis Episcopi germani sui graviter excessisse noscatur, quia tamen nulli veraciter pœnitenti debet venia denegari, precibus ejusdem Episcopi, qui super hoc nostro apostolatui supplicavit, inducti, & zelo utilitatis ecclesiasticæ provocati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si hoc Ecclesiæ noveritis expedire, cujus negotium multipliciter posse per eum dicitur adversùs hæreticos promoveri, præfato Comiti secundùm formam ecclesiasticam absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eidem quod talibus

consuevit injungi. Datum Laterani &c. *ut in prima.*

CISTERCIENSI ABBATI, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 235. Arguitur de pravis suspicionibus.

LIcèt æquanimiter tulissemus si venerabilis frater noster Londonensis Episcopus & coexecutores ipsius Cistercienſis ordinis monasteria non sic arctè interdicto ab initio conclusissent quò minùs possent secundùm indulta eis apostolica privilegia celebrare, quia tamen & ipsi benefacere arbitrati monasteria ipsa interdicto hujusmodi constrinxerunt, & illa cœperunt ipsum humiliter observare, sine gravis præsumptionis offensa nequaquam illud postea violarunt. Ceterùm laudamus te, sed in hoc laudare non possumus quòd consultus consulentibus respondisti ut nisi rescripti nostri copia eis fieret, vel si forsan illud obtentum per subreptionis vitium appareret, per appellationis objectum se à præfatis executoribus tuerentur; cùm etsi secundùm juris rigorem per hujusmodi subtilitatis astutiam potueris respondere, de tanti tamen nominis ac meriti Pontificibus nunquam debueris suspicari quòd vel auctoritatem quam non dedissemus eisdem sibi temerè arrogassent, vel eandem datam ad aliud malitiosè intorsissent; præsertim cùm aliorum animos ex proprio metientem non te decuerit contra illos in scrupulum hujusmodi suspicionis incidere, qui si contra te in similem incidissent, reputasses forsitan eos conscientiam scrupulosam habere. Attendentes itaque nec utile nec honestum existere ut aliter in ipso negotio, circa hunc præsertim articulum, disponamus quàm ipsi executores providerint disponendum, rescriptum illud de quo fecimus superiùs mentionem à nobis de certa processisse scientia declaramus, id volentes in hoc firmiter observari quod illi pensatis negotij circumstantiis provida deliberatione mandaverint observandum. Datum ut suprà.

Vide suprà epist. 213. & infrà epist. 259. 260.

BVRDEGALENSI Archiepiscopo.

Epist. 236. De præbenda Santonensi cōferenda Fulch.

LIcèt super omnium Clericorum provisione nos deceat esse sollicitos, pro illis tamen nos convenit sollicitudinem gerere specialem pro quibus apud nos & morum honestas & litteraturæ gratia interpellat. Hinc est quod cùm dilectus filius nobilis vir Calo Dominus de Ponte præbendam quam in Xanctonensi Ecclesia obtinebat, per suas nobis litteras duxerit resignandam, & dilectus filius magister Fulch. de Xantonensi dioceſi oriundus de vita pariter & scientia nobis fuerit multorum testimoniis commendatus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ad cautelam ab eodem Milite præbendæ resignatione recepta, eandem auctoritate nostra memorato magistro sublato appellationis obstaculo conferas & assignes, faciens ipsum ejusdem præbendæ pacifica possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani Nonis Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI SANCTI AVBERTI, & Decano & magistro R. de Bekerel Canonico Cameracensi.

Epist. 237. Vt Ægidius admittatur ad presbyteratū.

CVm olim Abbati & conventui sancti Michaelis, qui dicebantur Ægid. sacerdotem ad presbyteratus ordinem præsentasse, scripsissemus in forma communi pro ipso, dilecti filij Cantor sancti Quintini suique commonitores, postquam constitit eis de idoneitate personæ, super repræsentatione ipsius testes recipere curaverunt, nobisque miserunt depositiones eorum. Licèt igitur per eas in auditorio nostro lectas visum non fuerit usquequaque plenè probatum quòd idem Presbyter præsentatus ab Abbate memorato fuisset, quia tamen in hoc semiplena probatio plena debet pietate juvari, cùm pia beneficia non semper rigida jura requirant, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Abbatem & conventum ut præfato Presbytero juxta formam prioris mandati provideant monere ac inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Non. Februarij, pontificatus nostri an. undecimo.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 238. Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ. Vide infrà epist. 256.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam & Athenienſem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinoscēris, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis

quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HVGONI CANONICO Thebano.

Epist. 239. Confirmatur filij Ecclesia de Kalenda.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili &c. *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem Ecclesiam de Kalenda, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. protectionis & confirmationis &c. *usque in finem.* Datum ut in alia.

ROBERTO DE SVCIACO Canonico Athenienſi.

Epist. 240. Confirmatur ei prabenda Athenensis.

CVm à nobis petitur &c. *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem præbendam quàm in Athenienſi Ecclesia es canonicè assecutus &c. *ut in alia usque in finem.* Datum ut suprà.

MAGISTRO GVILLELMO Canonico Thebano.

Epist. 241. De eodem argumento.

CVm à nobis petitur &c. *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem Ecclesiam sancti Iohannis de Araquio, sicut eam justè possides & quietè &c. *usque in finem.* Datum ut in prima.

HVGONI CANONICO Thebano.

Epist. 242. De eodem argumento.

CVm à nobis petitur &c. *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem præbendam quam in Thebana Ecclesia es canonicè assecutus, sicut eam justè possides &c. *ut in alia usque in finem.* Datum Laterani &c. ut suprà.

MAGISTRO RANDVLPHO Decano Davalienſi.

Epist. 243. Confirmatur ei decanatus Ecclesiæ Davalensis.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili &c. *usque* suscipimus, specialiter autem decanatum Davalienſis Ecclesiæ, sicut illum justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirm. &c. *usque in finem.* Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO, & dilectis filiis Citrienſi & Nazorescenſi electis.

Epist. 244. Scribitur eis pro Archiepiscopo Athenienſi.

AD nostram noveritis audientiam perveniſſe quòd venerabilis frater noster Athenienſis Archiepiscopus, timore ductus, nobili viro Ottoni de Rocca Domino Athenarum, qui uxoratus est, quendam personatum Athenienſis Ecclesiæ, qui Thesauraria vulgariter appellatur, conferre præsumpsit in enormem ipsius Ecclesiæ læsionem. Volentes igitur indemnitati ejusdem Ecclesiæ paterna sollicitudine providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis diligentiùs veritate, quod per dictum Archiepiscopum super hoc in præjudicium ipsius Ecclesiæ inveneritis attentatum, sublato appellationis obstaculo in statum debitum revocetis. Nullis litteris veritati & justitiæ &c. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Laterani x. Kalendas Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

NOBILIBVS VIRIS BALMO Theſſalonicenſi Comeſtabulo, Ottoni de Rocca Domino Athenarum, .. Marchioni, .. Domino Nigripontis, T. de Oſtremuncout, & aliis Principibus Romaniæ.

Epist. 245. De decimis ſolvendis.

QVanto personas vestras sinceriori diligimus in Domino caritate, tanto majori dolore turbamur cùm ea nobis de vestris actibus referuntur quæ famam vestram obnubilant apud homines & conscientiam maculant apud Deum. Cùm igitur, sicut venerabiles fratres nostri Athenienſis Archiepiscopus, Episcopus * Fermopilenſis, & dilectus filius Nazorescenſis electus in nostra præsentia constituti pro se ac aliis Ecclesiarum Romaniæ Prælatis nostris auribus intimarunt, Ecclesias & abbatias, personatus & redditus detineatis ecclesiasticos in salutis vestræ dispendium occupatos, devotionem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prædicta omnia Ecclesiis quibus debentur liberaliter resignantes, decimas eis integrè persolvatis, facientes subditos vestros, Græcos videlicet & Latinos, Prælatis suis obedientiam & reverentiam exhibere. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Theſſalonicenſi & Lariſſenſi Archiepiscopis & Episcopo Davalienſi nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id monitione præ-

* Thermopyl.

missa per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante compellant. Datum Laterani IX. Kal. Februarij, anno undecimo.

Scriptum est ipsis super hoc.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 246. De residentia Canonicorum.

PRoposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd quidam Ecclesiæ tuæ Canonici nolunt Atheniensi Ecclesiæ, prout tenentur, personaliter deservire. Quare dicta Ecclesia divinis officiis plurimùm defraudatur. Ne igitur dicti Canonici ex hoc commodum valeant reportare ac dicta Ecclesia debito servitio defraudetur, præsentium tibi auctoritate concedimus ut ipsos per censuram ecclesiasticam appellatione remota tibi compellere liceat ad debitam in ipsa Ecclesia residentiam faciendam. Datum Laterani &c. ut suprà.

NAZORESCENSI ELECTO.

Epist. 247. Super eodem.

PRoposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd quidam Ecclesiæ Nazorescensis Canonici nolunt eidem Ecclesiæ, prout tenentur, personaliter deservire &c. *ut in alia.* Datum Laterani VIII. Kal. Februarij anno undecimo.

HELIENSI EPISCOPO.

Epist. 248. De Præcentore Ecclesiæ London. *Cap.* Cùm olim. *De consuetudine.*

CVm olim venerabilis frater noster Londoniensis Episcopus nostris auribus intimasset quòd in sua Ecclesia proposuerat statuere Præcentorem, certum redditum assignaturus eidem sine læsione cujusquam, nos ejus precibus inclinati licentiam ei concessimus Præcentorem hujusmodi ordinandi, dummodo in conferendis sibi redditibus nulli præjudicium inferretur, nihilominus statuentes ut Præcentor taliter institutus in sessionibus, processionibus, & aliis illam haberet in Londoniensi Ecclesia dignitatem quam habent alij Præcentores in aliis Ecclesiis Anglicanis. Postmodum autem nostris fuit auribus intimatum quod licèt idem Episcopus dilectum filium B. in eadem instituisset Ecclesia Præcentorem, quod tamen à nobis fuerat de prælibata dignitate statutum biennio jam elapso exequi non curarat. Quapropter tibi dedimus in mandatis ut illud sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequi non postponeres, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Noviter verò dilecti filij Decanus & quidam alij personatus habentes in Ecclesia memorata suam nobis transmisere querelam quòd cùm per Anglicanas Ecclesias consuetudines sint diversæ, ac quidam Cantorum minorem, quidam verò majorem habeant dignitatem, nec possint dignitates eorum, cùm sint vel variæ vel repugnantes, convenire simul in unam, is qui noviter est institutus in Ecclesia Londoniensi Præcentor, non contentus eo quod habere potest sine præjudicio aliorum, occasione litterarum nostrarum quasdam ipsius Decani & aliarum personarum ejusdem Ecclesiæ dignitates sibi nititur in eorum præjudicium arrogare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si secundùm diversas locorum consuetudines diversos habere noveris Præcentores in Anglicanis Ecclesiis dignitates, jamdictum Præcentorem illam habere facias in Londoniensi Ecclesia dignitatem eaque appellatione remota permanere contentum quam rationabilibus & approbatis consuetudinibus ejus salvis sine alieno præjudicio poterit obtinere. Datum Laterani II. Non. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HVBALDO EPISCOPO IN Archiepiscopum Ravennatem electo.

Epist. 249. Vt Faventinæ Ecclesiæ Episcopum eligi faciat. *Cap.* Post trillat. *De renuntiat.* *Vide infrà epist. 278.*

POst translationem tuam ad Ecclesiam Ravennatem cùm dilecti filij Præpositus, Canonici, Abbates, & Primicerij Faventini totusque civitatis clerus, sicut per litteras eorundem accepimus, in dilectum filium I. Presbyterum Canonicum Faventinum liberam eligendi auctoritatem unanimiter contulissent, ipse sancti spiritus gratia invocata dilectum filium Ioachim sancti Fridiani Lucani Canonicum, olim Episcopum Serzenatem, in Faventinum Episcopum postulandum elegit; per cujus sollicitudinem circumspectam, qui primò Canonicus & postea Præpositus in Faventina Ecclesia fuit laudabiliter conversatus, multiplicia sperantur eidem Ecclesiæ commoda proventura. Porrò à dilecto filio sancti Fridiani Priore super hoc requisito & obtento consensu, Præpositus & alij supradicti postulationem eandem approbari à nobis humiliter petierunt. Verùm postulationi hujusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum prima facie obviare, in quo statutum esse dinoscitur ut quicunque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulteriùs ad pontificatum resurgat. Vnde contra dictum Concilium, cùm sit unum ex quatuor princi-

Vide lib. 5. in Conc. sat. & imp. cap. 21. §. 12.

palibus, quæ ſicut quatuor evangelia catholica Eccleſia veneratur, nullatenus videbatur eadem poſtulatio admittenda. Ceterùm ſpeciales quidam caſus inveniuntur in quibus, prædicto Concilio non obſtante, is qui vitam monachalem elegit, licitè rurſum poteſt ad epiſcopatum aſſumi. Si enim quiſquam perſecutionis rabie ſæviente vel præpediente invaletudine corporis, cùm proficere nequeat in regimine paſtorali, de ſuperioris auctoritate ad monaſticam vitam deſcendat, perſecutionis vel ægritudinis impedimento ceſſante ad epiſcopalem reſurgere poterit dignitatem. Item ſi quis propter litteraturæ defectum, ne tamquam cœcus præbeat cœco ducatum, locum regiminis auctoritate apoſtolica deſerendo ad otium ſe contulerit monachale, ac per exercitium lectionis ſcientiæ receperit margaritam, poterit proculdubio denuo vocatus à Domino cathedram reaſcendere paſtoralem. Rurſus ſi quis cupiditate parentum, eo tamen penitùs ignorante, fuerit epiſcopatum adeptus, & hoc comperto, epiſcopatum ipſum de licentia ſuperioris dimittens, obſervantiam elegerit regularem, etſi ad eundem epiſcopatum redire poſtmodum nequeat juxta canonicas ſanctiones, ad alium tamen licitè poterit reaſſumi. Quamquam autem in iis & conſimilibus caſibus is qui epiſcopatu dimiſſo vitam monaſticam eligit reſurgere valeat ad officium paſtorale, nihil tamen in hujuſmodi caſibus contra præſcriptum intelligitur Concilium attentari; quod in eo loquitur caſu, cùm propter aliquod crimen epiſcopatum quis deſerens, ad vitam monaſticam pœnitentiæ cauſa deſcendit. Vnde quidam in eo caſu loqui dixerunt capitulum ſupradictum, cùm quis pro crimine de quo convictus fuerit vel confeſſus ab epiſcopali dignitate depoſitus, in monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus, vel cùm aliquis propter grave crimen, pro quo epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia vitam monachalem elegit; aliis aſſerentibus ſic intelligendum eſſe præſcriptum capitulum ut per ſe reſurgere nequeat, id eſt, repetere quaſi debitum quod tali modo dimiſit, quamquam eligi poſſit, præſertim ſi locum tantùm & non ordinem reſignavit. Cùm ergo nobis plenè conſtare nequiverit ob quam cauſam prædictus Ioachim olim epiſcopatui ceſſerit, cùm in noſtris litteris ſuper hoc tranſmiſſis eidem hoc ſolummodo exprimatur quòd nos litteris ſuper ſua reſignatione receptis ejus propoſitum in Domino commendantes quòd temporali honori ſalutem animæ præponebat, eundem abſolvimus ab onere ſollicitudinis paſtoralis, quamquam per quendam ſancti Fridiani Canonicum nobis nuperrimè ſit ſuggeſtum quòd idcirco dictus Ioachim cedendi licentiam poſtulabat quoniam ad notitiam ejus pervenerat quòd quidam parentes ipſius ut eligeretur in Epiſcopum quædam dederant, licèt pauca, fraternitati tuæ præſentium auctoritate mandamus quatinus inquiſita ſuper iis diligentiſſimè veritate, ſi tibi conſtiterit quòd propter aliquam ex præmiſſis cauſis ſeu conſimilibus idem Ioachim epiſcopatui ceſſerit memorato, tu auctoritate noſtra ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, dummodo neceſſitas & utilitas id expoſcat, licentiam ei tribuas accedendi ad regimen Eccleſiæ Faventinæ; maximè ſi veritate ſubnititur quod tam præfati Præpoſitus & Canonici Faventini quàm Prior & Capitulum ſancti Fridiani nobis ſuis litteris expreſſerunt, quòd videlicet dictus Ioachim loco tantummodo ceſſerit, & non ordini vel etiam dignitati. Tunc enim eſſet vehementiſſimè præſumendum quòd non propter crimen ab eo commiſſum cauſa pœnitentiæ peragendæ ad vitam migraverit regularem; præſertim cùm apoſtolica ſedes poſt ceſſionem multò minùs quàm ante permiſiſſet eidem tali crimine irretito in pontificali ordine miniſtrare. Alioquin, cùm durum nimis exiſteret contra tam ſolemne Concilium hujuſmodi poſtulationem admittere, Præpoſito & Canonicis memoratis injungas ut aliam perſonam idoneam ſibi eligant in paſtorem. Datum Laterani IV. Idus Februarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

ABBATI ET CANONICIS Dominici Templi.

Epiſt. 250. Suſcipiuntur ſub protectione apoſtolicæ ſedis.

SAcroſancta Romana Eccleſia devotos & humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio propenſiùs diligere conſuevit, & ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos, tamquam pia mater, ſuæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filij, devotionem quam erga beatum Petrum & nos ipſos habere noſcimini attendentes, perſonas veſtras cum omnibus bonis tam eccleſiaſticis quàm mundanis quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſ-

tis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem sancti Nicolai de Varvar Constantinopoli, sanctæ Trinitatis Athenienſis, sancti Nicolai Thebani, sancti Nicolai de Nigroponte, & sanctæ Mariæ de Clusurio diocesis Fermopilensis Ecclesias cum omnibus possessionibus & pertinentiis earundem, necnon & præbendam Athenienſem, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XI. Kal. Februarij, anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Molismensi.

Epist. 251. De visitatione monasterij Molismensis.

CVm olim ad nostram audientiam perveniſſet quòd monasterium Molismense graviter esset in temporalibus spiritualibusque collapsum, dilecto filio Abbati Cistercienſi dedimus in mandatis ut ad ipsum cum ea diligentia qua solebat suas filias visitare annuatim accedens, corrigeret tam in capite quàm in membris quæ corrigenda regulariter inveniret & statueret statuenda. Postmodum autem plerique viri religiosi per suas nobis litteras intimarunt quòd Abbate ipso præfatum monasterium visitante, repertum fuit in bono spiritualium & temporalium statu manere, ac sicut tu, fili Abbas, per evidentem exposueras rationem, debitum viginti duorum milium librarum, quo cùm suscepisti administrationem ipsius illud inveneras oneratum, per factam solutionem extenuaras in tantum quòd nisi mille quingentæ libræ remanserant exolvendæ, reductis etiam ad monasterium ipsum possessionibus multis & magnis quæ sub fœnore fuerant obligatæ, mille septingentis libris exceptis quas in monasterio reparando constiterat te per testes idoneos expendisse. Vnde pro monasterio ipso nobis fuit humiliter supplicatum ut cùm ex visitatione prædicta, quæ dicebatur per æmulos monasterij fuisse subrepta, eidem monasterio utilitas aliqua non pervenerit, neque proventura etiam crederetur, quin potiùs jam fuisset inutiliter in expensis ejus occasione gravatum, maximè quia timebatur ne prætextu visitationis ipsius jus correctionis perpetuæ usurparetur in eo, revocare dignaremur eandem. Nos ergo, sicut fueramus antè tristati cùm de lapsu ipsius monasterij nobis extitit nuntiatum, ita postea de boni status ipsius relatione gavisi, attendendo quòd præfatus Abbas ad exequendum commissæ sibi legationis officium de mandato nostro contra hæreticos proficiscebatur in provinciam Narbonenſem, quo minùs poterat monasterij sæpedicti negotium procurare, venerabili fratri nostro Trecenſi Episcopo & collegis ipsius dedimus in præceptis ut cùm idem Abbas nihil nobis de hujusmodi nuntiasset, nonobstantibus litteris obtentis ad ipsum, super præmissis inquirerent diligentiùs veritatem, & inquisitam nobis fideliter rescribere procurarent, ut per eos certiores effecti procederemus in facto sicut nobis Dominus inspiraret. Ipsi verò in inquisitionem eorum sollicitè procedentes, ad præsentiam nostram inquisita remittere curaverunt; per quæ videtur ostensum quòd idem monasterium per laudabilem regiminis tui curam spiritualiter & temporaliter profecit in multis, cùm, sicut est assertum à pluribus & à nemine contradictum, contractorum antea debitorum numerosa solutio & obligatarum possessionum redemptio studiosa, muralis quoque reparatio fabricæ, ac moralis reformatio disciplinæ, te, fili Abbas, domui tuæ bene præpositum fateantur. Super quo sollicitudinis tuæ prudentiam plurimùm in Domino commendantes, monemus attentiùs & hortamur quatenus sequentia continuando prioribus, in incepto bono non deficias, sed proficias, ac more navis contra ictum fluminis ascendentis, quæ uno in loco nequaquam stare permittitur, quoniam ad inferiora relabitur nisi ad superiora conetur, posteriorum oblitus ad anteriora cum Apostolo te extendas, & inceptum opus studio satagas incessante perficere, ne, quod absit, hoc ipsum quod operatus es incidens possit remissio vacuare. Vt autem eò meliùs quò liberiùs utilitates valeas dicti monasterij promovere, quod per Dei gratiam & diligentiam tuam in eo asseritur esse statu quòd visitatoris extrinseci sollicitudine non indigeat, à prædicto visitationis mandato auctoritate præsentium vos reddimus absolutos, præsertim cùm idem ex injuncto sibi legationis officio contra Provinciales hæreticos Ecclesiæ negotiis occupatus, si etiam expediret, minùs posset circa ista versari, & caveri quoque, sicut pelis, oporteat ne prætextu visitationis ipsius jus correptionis perpetuæ

petuæ in monasterio ipso valeat usurpari. Tu ergo, fili Abbas, ita vigila circa ipsum ut alienam non oporteat ibi vigiliam adhiberi; ne si secùs faceres, aliter nos de ipso compelleres cogitare. Datum Laterani 11. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

LARISSENO ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Davalensi, & Citrensi electo.

Epist. 252. De residentia Canonicorum in loco suo. * Thermopyl

VEnerabilis fratris nostri Episcopi & dilectorum filiorum Capituli * Cermopilensis nobis exposita significatio patefecit quòd destructa quondam Cermopilensi civitate per guerrarum incursus, Episcopus & Canonici qui tunc erant, in loco quem Bondoniciam vocant incolæ secus mare quoddam oratorium, ut divinum in eo celebrarent officium, construxerunt; quem locum adeo piratis & aliis malefactoribus pervium asseverant quòd plerique superveniant Canonicis ibidem volentibus celebrare, quorum timore iidem Canonici, vestibus & aliis ecclesiasticis ornamentis abjectis, relictoque Dei servitio, fugam petunt, personarum periculum metuentes, cùm quidam Episcopus, tertius à præfato Episcopo qui nunc præest, ab hujusmodi malefactoribus in eodem loco crudeliter fuerit interemptus. Vnde à nobis humiliter postularunt ut indemnitati Ecclesiæ ac securitati eorum misericorditer providentes, eis concedere dignaremur ut in abbatia quæ Communio vulgariter appellatur in proprio Cermopilensis Ecclesiæ fundo sita valeant commorari. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super iis diligentiùs veritate, si necessitas hoc exposcit, ipsis sine præjudicio monachorum in dicto monasterio commorandi, donec aliàs provideatur eisdem, auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo licentiam tribuatis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VIII. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Mauri Andegavensis.

Epist. 253. Ecclesia sancti Petri de Culturis adjudicatio.

CVm causam quæ super jure patronatus Ecclesiæ sancti Petri de Culturis inter vos & Andegavensem Ecclesiam vertebatur dilectis filiis Decano sancti Petri & de Cella & sanctæ Radegundis Prioribus Pictavensibus commiserimus decidendam, ipsi utriusque partis receptis testibus, instrumentis & aliis rationibus intellectis, usque ad diffinitivam sententiam servato juris ordine procedentes, ad nos causam eandem remiserunt instructam, partibus terminum præfigentes quo cum attestationibus ipsis & aliis instrumentis nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, inspectionem instrumentorum & testium depositiones dilectis filiis Iohanni sanctorum Cosmæ & Damiani & Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconis Cardinalibus duximus committendam: qui cùm omnia inspexissent diligentiùs & nobis fideliter retulissent, jus patronatus ipsius Ecclesiæ sancti Petri de Culturis adjudicavimus monasterio sancti Mauri, Andegavensi Ecclesiæ super hoc perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO ET CAPITVLO Lexovien sibus.

Epist. 254. De thesauraria & præbenda Lexovien si reservatis à Papa.

CVm thesaurariam pariter & præbendam quas bonæ memoriæ Iohannes Subdiaconus noster in Ecclesia vestra tenuit donationi nostræ dudum reservassemus personæ idoneæ conferendas, te, frater Episcope, per nostras litteras & monuimus & rogavimus ut in hoc ita gratuitum impertireris assensum & tuam nobis quantocius super eo rescriberes voluntatem quòd ipsarum demum collatio tuæ liberalitati non minùs quàm nostræ posset gratiæ imputari; quarum profectò collationem sic in nostra retinuisse nos intimavimus potestate ut donec tuum ad nos responsum & nostrum tandem ad te recurreret beneplacitum, super eis nihil ab alio de ipsis attentari liceret, & si quid interim attentari contingeret, irritum decrevimus & inane. Vos autem nobis per vestras litteras respondistis quòd cùm de ipsius Iohannis obitu vobis certissimè constitisset, decimo die antè quàm vel per nuntium vel per litteras super iis quicquam vobis de nostra innotescceret voluntate, thesaurariam dilecto filio magistro Willelmo Arundel, cui multiplex morum asseritis & litteraturæ meritum suffragari, præbendam verò in duas portiones divisam

duobus viris idoneis, vita commendabilibus & scientia, de communi dederatis consensu, ut in duabus Ecclesiis quæ ad jamdictam pertinebant præbendam pleniùs & sufficientiùs ministrari valeret, ac utrique oneris parte detracta, animarum cura posset ab eis & sustineri faciliùs & diligentiùs exerceri. Vnde nobis humiliter supplicastis ut si vel erratum esset in hujusmodi ordinatione corrigere, vel si foret rectè processum, illud apostolico dignaremur munimine roborare. Licèt igitur, si præhabita undecunque prælibati nostri notitia constituti vel vos ad conferendum vel illi ad recipiendum prædicta beneficia processissent, non solùm id quod esset taliter attentatum deberet in irritum revocari, verùm etiam vos & illi graviter deberetis de contemptu puniri. Quia tamen, si res ita se habet quemadmodum per vestras litteras expressistis, de contemptu excusabiles apparetis, discretioni vestræ committimus intuendum quatinus si considerato constituto prædicto, quod sic actum est cognoveritis de jure posse valere, ij quibus ipsa beneficia contulistis, non solùm ex permissione, verùm etiam ex concessione nostra ipsa retineant confidenter; si verò quod taliter factum est de jure stare non potest, ne justitiam simul & conscientiam offendatis, eo in statum quem per nostrum statutum expressimus revocato, id nobis quantociùs per vestras litteras intimetis, ut de ipsis juxta quod nobis Dominus inspiraverit ordinemus. Datum Laterani II. Idus Februarij, pontificatus nostri an. undecimo.

ATREBATENSI EPISCOPO, & de Dunis & Vrsicampi Abbatibus Morinensis & Noviomensis dioceſum.

Epist. 255. De collatione præbendarum Arienſium. *Cap.* Dilecto. *De testibus.*

DIlecto filio G. Arienſe Præpoſito nobis innotuit exponente quòd cùm cauſam quæ inter ipſum & nobilem mulierem Comitiſſam Flandrenſem ſuper donatione ſex præbendarum ſacerdotalium agitatur vobis, frater Epiſcope ac fili Abbas de Dunis, necnon & dilecto filio Atrebatenſi Decano duxerimus committendam, idem Præpoſitus citra litis conteſtationem propoſuit coram vobis quòd teſtimonium ipſius Decani neceſſarium ſibi erat in cauſa prædicta, cùm de jure ſuo nonniſi per ipſum & alium unicum tantùm teſtem facere fidem poſſet. Vnde poſtulavit inſtanter ut vel vos duo in cauſa illo procederetis excluſo, vel ſuperſederetis negotio quoadusque nos loco ejus alium ſubſtitui mandaremus. Vos autem petitionem ejus in hoc admittere recuſaſtis; quinimmo poſt appellationem quam ad nos ipſe propter hoc & alia interpoſuit, à præbendarum ipſarum donatione ſuſpendiſtis eundem. Ne igitur ob hujuſmodi teſtis defectum Præpoſiti memorati juſtitia valeat deperire, te, fili Abbas Vrſicampi, loco prænominati Decani duximus ſubrogandum; per apoſtolica ſcripta mandantes quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, prælibata ſuſpenſione Præpoſiti relaxata, in cauſa ipſa juxta prioris mandati tenorem ratione prævia procedatis. Quòd ſi non omnes, &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani XIV. Kal. Martij, anno undecimo.

BERARDO ATHENIENSI Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epist. 256. De conſtitutione privilegiorum. *Vide ſupra epiſt.* 227. 243. 245.

ANtiquam Athenienſis gloriam civitatis innovatio gratiæ non patitur antiquari, quæ, quaſi modernæ religionis figura in prima ejus fundatione præluſerit, cultum quem tribus diſtincta partibus tribus falſis numinibus impendebat, ſub tribus demum perſonis erga veram & individuam trinitatem convertit, ſtudioque mundanæ ſcientiæ in divinæ ſapientiæ deſiderium immutato, arcem famoſiſſimæ Palladis in ſedem humiliavit glorioſiſſimæ genitricis, veri Dei nunc affecuta notitiam quæ dudum ignoto extruxerat Deo aram. Civitas quidem ipſa præclari nominis ac perfecti decoris philoſophicam priùs artem erudiens, & in apoſtolica fide poſtmodum erudita, dum & poëtas litteris imbuit & Prophetas demum ex litteris intellexit, dicta eſt mater artium & vocata civitas litterarum. Hanc autem, ſi velimus interpretans in interpretatum convertere, Cariathſepher poſſumus appellare; quam quia Othoniel imperio Calep ſubdidit, filia ejus Axa data in conjugem illi fuit. Subdita ergo Deo, venerabilis in Chriſto frater Archiepiſcope, hac egregia civitate, ut ipſam in ejus ſubjectione conſerves, ſponſam in ea tibi ſpirituali conjugio copulaſti, quam inſtar Axæ veluti à te monitam intelleximus ſuſpirando depoſcere ut arentia ſua apoſtolicæ benedictionis irriguis perfundere dignaremur. Nos igitur non incongruum reputantes munus illuc apoſtolici patrocinij litteratoriè deſtinare unde copiam ſcientiæ litteralis in orbem penè totum novimus effluxiſſe, juſtis poſtulationibus clementer annuimus, &

Athemiensem Ecclesiam, cui favente Deo præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione susscipimus ac præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Casalia, Procovenico, Vertipos, Triclini, Platan, Felin, Curiomonaster, Cassas, Menidi, Ducheleos, Calixtes, Perseconar, Catraperseta, Clazazundas, Chandebride, Alianastasis, Pothamo, Pirgo, Hu, Mareton, Oargite, Largedo, Lalaconite, Vatia, Literne, Mortar. Episcopatus quoque inferiùs annotatos Ecclesiæ tuæ ab antiquis temporibus metropolitico jure subjectos tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet episcopatum Ægripontis, Cermopilensem, Davalienssem, Abelonensem, Zorconensem, Caristienssem, Coroniacensem, Andrensem, Megarensem, Squirensem, & Cheensem. In Caristienssi episcopatu duo casalia, Lesboveries, Lepesin, Leperistere, Lamarogna, Locarimera, Lomoni, Lochichemi, Lopolistile, Cundegrat, Lapisto, Vineas Conizari, Muscarel, Catachephalar, Agiafronesis. Quadringentas palicas & ducentos papates commorantes Athenis, & centum palicas in Thebis, & centum in Nigroponte. Molendina Ecclesiæ, hortos & balnea, & macella de Nigroponte & Athenarum, & flumina unde rigantur horti. Abbatias sancti Siriani, sancti Michaëlis, sancti Iohannis, & sancti Nicolai. Monasteria beati Nicolai de Catapersica, beati Nicolai de Columnis, & sanctæ Mariæ de Blakernis. Monasteria Cinoloitarum, sancti Prothasij, sanctæ Trinitatis, sancti Georgij, sancti Dionysij Areopagitæ, sancti Theodori, sanctorum Cosmæ & Damiani, beati Nicolai de Ducheleo, beati Nicolai de Menide, beati Philippi, sancti Lucæ, sancti Georgij de Insula, monasterium Copreæ & sancti Blasij. Vsum quoque pallei ad pontificalis officij plenitudinem tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate concedimus; quo utique infra tuam Ecclesiam ad Missarum solemnia uti memineris eis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, hypapanti, dominica in ramis palmarum, cœna Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natale beati Iohannis Baptistæ, solemnitate omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, & anniversario tuæ consecrationis die. Cimiteria insuper Ecclesiarum tuæ diocesis & ecclesiastica beneficia nullus hereditario jure possideat. Quòd si quis hoc facere contenderit, censura canonica compescatur. Porrò quia quidam monachorum jus suum Episcopis auferre contendunt, auctoritate apostolica prohibemus ne monachi in diocesi Athenienssi capellanias teneant sacerdotis, seu Capellani beneficium aut officium sine auctoritate pontificali usurpent, sed Presbyteris Capellanis integrè conserventur quæcunque ad jus capellaniæ pertinere noscuntur. Statuimus præterea ut nullus cujusquam ordinis Clericus Ecclesias in vita sua tantùm sibi commissas ad jus archiepiscopij pertinentes sine conscientia vel consensu tuo vel successorum tuorum faciat censuales aut in cujusquam transferat potestatem; & si factum fuerit, irritum habeatur. Sed nec monachi aut Canonici seu quilibet alij Clerici in Ecclesiis ad tuam diocesim pertinentibus sine auctoritate tua instituere vel removere audeat Capellanos, nisi fortè Pontificum Romanorum privilegio vel antiqua & rationabili consuetudine muniantur. Præterea quod à te communi assensu Capituli tui vel majoris partis sanioris consilij in tua diocesi canonicè fuerit institutum, ratum & firmum volumus permanere. Prohibemus autem ne Presbyteri vel alij Capellani Ecclesiarum ad Ecclesiæ tuæ jus pertinentium possessiones earum absque consensu tuo, salvis tamen canonicis institutionibus, distrahere, vendere, vel obligare, seu alio quolibet modo alienare præsumant. Quod si factum fuerit, irritum habeatur. Apostolica insuper auctoritate vetamus ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia & consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonicè promulgatam aliquis venire præsumat; nisi fortè periculum mortis immineat, ut dum præsentiam tuam

Imitatum ex Vrbano II. 16. q. 2. cap. 6. *Sanè quia.*

habere nequiverint, per alium secundùm formam Ecclesiæ satisfactione præmissa oporteat ligatum absolvi. Ad hæc, omnes libertates & immunitates, dignitates quoque, ac rationabiles & approbatas consuetudines Ecclesiæ tuæ, nec non & exemptiones secularium exactionum à Regibus seu Principibus aut aliis fidelibus rationabiliter tibi & Ecclesiæ tuæ ac Clericis ejus indultas auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Atheniensem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salvis semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia, & mandato. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manuum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Idibus Februarij, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno undecimo.

PARISIENSI EPISCOPO.

Epist. 257. De Clerico falsario. Cap. Novimus. De verbor. significat. * Cap. Ad falsarior. De falsariis.

NOvimus expedire ut verbum illud quod & in antiquis canonibus & in nostro quoque * decreto contra falsarios edito continetur, ut videlicet Clericus per judicem ecclesiasticum degradatus seculari tradatur curiæ puniendus, apertiùs exponamus; cùm & quidam prædecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, & quorundam sit opinio à pluribus approbata, ut Clericus qui propter hoc vel aliud grave flagitium non solùm damnabile sed damnosum fuerit degradatus, tamquam exutus privilegio clericali, seculari, foro per consequentiam applicetur, cùm ab ecclesiastico fuerit foro projectus; cujus utique degradatio celebranda est seculari potestate præsente, ac prænuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum accipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curiæ seculari; pro quo tamen Ecclesia debet efficaciter intercedere ut citra mortis periculum citra eum sententiam moderetur. Pro illo verò falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum; ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas, pane doloris & aqua angustiæ sustentandum, ut commissa defleat & flenda ulteriùs non committat. Datum Laterani XIV. Kal. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

AVRIENSI EPISCOPO.

Epist. 258. De jure patronatus. Cap. Postulasti. De jure patron.

POstulasti per sedem apostolicam edoceri ut cùm rectores parrochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos rectores pertineat vel etiam ad patronos, & si in iis patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis salvum remaneat eligendi, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, intitulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod fraternitati tuę breviter respondemus, quòd per intitulationem hujusmodi nullum patronis præjudicium generatur quin possint alios ad ipsas Ecclesias, cùm vacaverint, præsentare, nisi de patronorum processerit assensu. Datum Laterani II. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

VNIVERSIS EPISCOPIS per Angliam constitutis.

Epist. 259. Commissio adversus eos qui non servarunt interdictum. Vide Matth. Paris ad an. 1209. & supra epist. 202. 210.

CVm Cistercienses ordinis monasteria per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum pro negotio Cantuarienſis Ecclesiæ auctoritate nostra generaliter promulgatum incepissent arctè servare, postmodum quædam eorum, sicut accepimus, appellationis prætextu quam occasione privilegiorum suorum interposuisse dicuntur, ipsum non solùm quoad eorundem privilegiorum indulta temerè violarunt, verùm etiam in campanis sonantibus ac boantibus cantilenis, apertis januis, & ad communionem aliis invitatis, solemniùs præsumpserunt solito celebrare. Licèt igitur tantam præsumptionis auda-

ciam de viris religiosis credere vix possimus, quia tamen, si verum est quod asseritur, non sine gravi jactura libertatis ecclesiasticæ debilitari posset per illud nervus canonicæ disciplinæ, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus super hoc inquiratis diligentissimè veritatem, & Abbates sive Priores monasteriorum illorum quę taliter inveneritis celebrasse suspensos ad præsentiam nostram ad satisfaciendum de tanto contemptu sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam accedere compellatis, monasteria ipsa simili censura cogentes ut secundùm mandatum venerabilium fratrum nostrorum Londoniensis Episcopi & coexecutorum suorum inviolabiliter prælibatum interdictum observent, nonobstante quolibet privilegio, cùm nec possit mandato apostolicæ auctoritatis obstare, qua semper salva hujusmodi privilegia conceduntur. Quòd si non omnes &c. singuli vestrum ea nihilominus exequantur &c. Datum Laterani IX. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

Vide suprà epist. 141. 214. & infrà lib. 12. epist. 5.

ABBATI CISTERCIENSI, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 260. De eadem re. Vide epist. super.

GRave gerimus & indignum quòd cùm monasteria tui ordinis per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum &c. *ut in alia usque* canonicæ disciplinæ, venerabilibus fratribus nostris Episcopis per Angliam constitutis districtè dedimus in præceptis ut super hoc inquirant diligentissimè veritatem, & Abbates sive Priores monasteriorum illorum, quæ taliter invenerint celebrasse, suspensos &c. *usque* per censuram ecclesiasticam venire compellant, monasteria ipsa simili censura cogentes ut secundùm mandatum venerabilium fratrum nostrorum Londoniensis Episcopi & coexecutorum suorum &c. *ut in alia usque* conceduntur. Quia verò tanto reputamus indignius hoc à Cisterciensi ordine sustinere quanto minùs apostolica sedes & nos meruimus apud illum ut pro gratia nobis injuriam & contemptum rependeret pro honore, propter quod, nisi rationabilem animi nostri motum ille zelus ferventissimæ caritatis quem circa te aliosque religiosos ejusdem ordinis gerimus temperaret, hujusmodi temeritatis actores graviori curavissemus animadversione punire, discretionem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus super eo dolens & mœrens quòd ex tuo videtur hortatu tantus provenisse contemptus, quandoquidem, sicut ipse nobis per tuas dudum litteras intimasti, & nos per nostras super hoc familiari ratiocinatione jurgavimus, appellandi causas & audaciam celebrandi consultus consulentibus suggessisti, eum de mandato quod superiùs est expressum accipias intellectum ut sic alios tui ordinis à simili culpa præserves ne pœnam similem seu forsan graviorem illa quæ nunc istis infligitur ad ipsos contingat extendi; quia profectò si secùs, quod non credimus, attentares, caput & membra, juxta quod hoc vel illa peccassent, castigatione debita puniremus. Datum Laterani IX. Kal. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

MELDENSI ELECTO, ET Abbati sanctæ Genovefæ, & Guillelmo Archidiacono Parisiensi.

Epist. 261. De electione Episcopi Virdunensis.

DIlectus filius magister Herbertus Virdunensis Canonicus in nostra proposuit præsentia constitutus quòd necato dudum in armis Episcopo Virdunensi, Decanus & Capitulum Virdunensis Ecclesiæ foraneorum & quorundam residentium quoque fratrum, qui studiorum vel aliis necessariis causis aberant, captantes, ut videbatur, absentiam, octavum diem sepulturæ Pontificis interempti ad eligendum sibi pastorem præproperè statuerunt; in quo videlicet die idem magister casu non vocatus interfuit; eoque cum aliis ingresso Capitulum, Decanus primo verbo ad electionem spectante dixit se ac alios in Primicerium consensisse, continuòque in aure Archidiaconi secretò susurrans sermonem iteravit consimilem, quibusdam subjungendo dicentibus id quod ille dixerat verum esse. Cùmque protinus Primicerium ipsum pro persolvendis debitis prædecessoris sui rogare cœpissent, magister memoratus admirans si adeo processum fuisset ab eis, inquit Decano non esse ita præcipitanter sed cum diligenti deliberatione ante nominationem super electione tractandum, Cancellario respondente quòd de ipso jam antea pertractarant. Ad hæc igitur ipse magister facti novitate permotus surrexit, & accedens propiùs auctoritate cœpit apostolica prohibere ne quid contra canonicam formam fieret, appellare intendens & appellationis causas nihilominus assignare. Plurimi autem audito quòd auctoritatem apostolicam no-

minasset, consurgentes circumdederunt eundem, & conclamantes improbè cum clamante, loquentis interrupere sermonem, volentemque intermissa verba resumere, confusi clamoris fremitu prohibebant audiri, ac demum jurgatum graviter ut taceret, & superpellicio tractum fortiter, ad sedem propriam redire fecerunt. Qui tandem viso quòd Primicerius idem surgens pavimento procubuit, quasi electionis suæ gratias redditurus, iterum proclamavit in continenti se offerens paratum ostendere quare idem Primicerius eligi non deberet, appellans ad nos, & proximò tunc futuras octavas omnium sanctorum terminum appellationi prosequendæ præfigens. At illi eum, sicut & priùs, clamore vincentes, Primicerium ipsum in episcopali cathedra nihilominus posuerunt. Quod cùm ad notitiam quatuor concanonicorum qui studebant Parisius pervenisset, tres eorum præfato adhæsere magistro; quorum duo ad Virdunensem Ecclesiam redeuntes, pro se ac tertio contradicere curaverunt; qui etiam acceptis litteris ejusdem tertij concanonici ac prædicti magistri factum continentibus & inhibentibus cum appellationis objectu ne talis confirmaretur electus, ad Treverensem Archiepiscopum accessere; in cujus præsentia cùm confirmationem electionis hujusmodi studuissent prudenter & fideliter impedire, multorum demum devicti precibus in illam consensisse dicuntur, quamquam postea cum ipsis & sex aliis sæpedictus magister coram eodem Archiepiscopo constitutus, unà cum eis pariter interdixerit ne ad consecrationem procederet impendendam, super quinque articulis ad nostram audientiam appellando, quatuor in factum & uno in personam expressis, primo videlicet quòd ad faciendam electionem absentes legitimè non fuere vocati, secundò quòd super ipsius tractatu deliberatio debita non processit, tertiò quòd eidem magistro audientia cum debita tranquillitate fuerat denegata, quartò quòd post appellationem ad nos legitimè interpositam processum fuerat in negotio, quintò autem quòd litteraturæ defectum dicebant eundem Primicerium sustinere, asserentes insuper electionem ipsius ex multis aliis fuisse suspectam. Super quibus omnibus licèt idem magister cum sociis suis & rationes & canones allegasset, ac tam præsentatoribus quàm consecratoribus necnon etiam consecrando appellationem innovando pluries inhibuerit ne ad consecrationem procedere attentarent, illi tamen nihilominus processerunt. Vnde cum sociis suis supplicabat humiliter ut quod sic illicitè factum fuerat in irritum revocantes, eos quoque per quos fuerat attentatum debita dignaremur pœna punire, ac præcipere nihilominus de aliis quæ duxerint proponenda veritatem inquiri. Ceterùm dilectus filius R. procurator partis adversæ proposuit è contrario quòd cùm Decanus & Canonici Virdunenses à civibus suis essent de civitate propria pro Ecclesiæ libertate depulsi, omnisque ipsorum substantia devorata, mortuo demum Episcopo memorato tutum convenerunt in locum, & non solùm seditiones civiles, verùm etiam hostilia bella pensantes, ut in utrisque sibi salubriter in pastoris substitutione consulerent, inducias à civibus petere decreverunt, quatinus ad eligendum sibi Pontificem in suum possent Capitulum convenire. Cùmque breves eis induciæ concessæ fuerint difficulter ab illis, diem electioni faciendæ unanimiter præfixerunt, infra quem vocatis omnibus concanonicis qui vel debuerunt vocari vel vocari commodè potuere, de persona eligenda in Choro & Capitulo deliberarunt ac sollicitè tractaverunt. Præfixa itaque die convenientibus universis qui vocati venire voluerunt in unum, Decanus, qui medio tempore diligentiam maximam adhibuerat in perscrutandis voluntatibus & intentionibus singulorum, de communi assensu ad petitionem totius Capituli præfatum Primicerium, virum integræ famæ, nobilem ac facundum, in temporalibus providum, & in spiritualibus sufficienter instructum, eo modo quo decuit nominavit & in pastorem elegit, consentientibus universis qui aderant, prædicto magistro duntaxat excepto, qui non erat de residentibus in Ecclesia, sed foraneus, nec aliquam rationabilem causam sui dissensus ostendit. Cùmque prænominato Archiepiscopo electionem ipsius confirmandam præsentassent ex more, die demum confirmationis ipsius contradixerunt quidam; sed postmodum consentientes in ipsum, simul cum aliis petierunt ut idem Archiepiscopus electionem confirmaret prædictam & diem consecrationi præfigeret impendendæ. Quapropter Archiepiscopus de prudentum consilio electionem confirmavit eandem, & diem consecrationi præfixit, in qua denique sæpedictus magister & quidam alij qui priùs in electionem consenserant, ac duo alij qui con-

querebantur se non fuisse vocatos, consecrationem impedire moliti sunt, rationes quasdam, diligenter quidem, sed non efficaciter proponendo, quibus demum Archiepiscopus ipse pro frivolis reputatis, de consilio Episcoporum, Abbatum, & jurisperitorum præfatum electum in Episcopum consecravit, ipso magistro cum suis à præsentia ejus contumaciter recedente. Vnde procurator jamdictus suppliciter postulabat ut quod circa electionem & consecrationem memorati Episcopi nitebatur astruere canonicè factum esse, ratum dignaremur habere; præsertim cùm etsi non eminentis litteraturæ, competentis tamen esse asseveraret eundem, & Ecclesiam Virdunensem in multis jam sub ejus regimine profeciisse. Quia igitur nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus habentes præ oculis solum Deum, vocatis qui fuerint evocandi, inquiratis super iis diligentissimè veritatem, & usque ad calculum diffinitivæ sententiæ sublato appellationis obstaculo procedentes, causam sufficienter instructam nobis remittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent; ita quòd si dictus Episcopus maluerit ad præsentiam nostram in propria persona venire, super litteraturæ duntaxat articulo, cùm per examinationem præsentem satis nobis valeat de ipsa liquere, minimè procedatis. Alioquin de ipsa diligenter examinantes eundem, quod inveneritis simili modo ad nostram præsentiam transmittatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes iis exequendis &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani x. Kal. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

CYNTHIO TITVLI SANCTI *Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, apostolicæ sedis Legato.*

Epist. 161. Respondet ad quædam consulta. Cap. Officij. De test.

OFficij tui laudabilem exequeris actionem cùm super illis de quibus dubitas per nos postulas edoceri. Sanè nobis tuis litteris intimasti quòd cùm monasterium quoddam possessionibus convenienter ditatum, sed positum in medio nationis pravæ & perversæ pastore careret, monachi de electione Abbatis tractantes necessarium duxerint personam eligere aliquam cujus potentia valeret à persecutoribus liberari, cùmque non possent sui ordinis idoneam invenire personam, in quendam virum nobilem oculos direxerunt, per quem meliùs poterat defensari, & consilio quorundam jurisperitorum adierunt patrem ipsius, humiliter postulantes quòd filium suum induceret ut habitum susciperet monachalem, nullam patri de ipsius promotione fiduciam tribuentes, & pater ad hoc induxit filium discretum, providum, litteratum, & viginti quinque annorum ætatis; qui monachus est effectus, nulla spe, ut asserit, de sublimatione tributa, sed die in quo monachus est effectus, fuit in Abbatem electus; cujus electio fuit per dilectum filium nostrum G. de Lab. Subdiaconum nostrum rectorem Messanæ, apostolicæ sedis Legatum, qui in omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cùm autem idem sit paratus purgare se quia nulla fuit ad hoc ambitione inductus, per litteras nostras postulas edoceri utrum dictus Legatus potuit hujusmodi electionem confirmare vel dispensare ut quod factum est stare possit, & utrum electione rite cassata, iterum valeat eligi in Abbatem. Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, quòd licèt ex his quæ in continenti subsecuta sunt ostendatur quòd talis taliter eligi non possit in Abbatem, maximè cùm ex eo quòd antequam esset discipulus voluit esse magister, electionem illam irritam esse decernimus & inanem. Verùm postquam fuerit in regula competenter instructus, si urgens necessitas & evidens utilitas ipsius monasterij postulaverit, purgatione recepta poterit in Abbatem assumi, ne monasterium opprimatur incursibus malignorum.

Secundò quæsisti, cùm quis in testamento relinquit Episcopo propriam portionem, & alia multa monasteriis vel Ecclesiis aliisque dimittit, utrum Episcopus ex illis legitimam possit petere portionem, adiciens an cùm aliquis ex testamento in fraudem modicum constituerit mortuarium & alia dimiserit pro anima sua plura, nihilominus possit Episcopus exigere portionem de aliis à canone constitutam. Nos autem super iis consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si portionem illam cum conditione legavit Episcopo ut esset ea sola contentus, & eam Episcopus acceptavit, quia per hoc aliis renuntiasse videtur, de ceteris non poterit exigere portionem. Quòd si eam ipsi

Cap. Officij. De testam.

absolutè reliquit, portionem sibi debitam poterit nihilominus de ceteris vendicare. Si verò constiterit quòd in fraudem modicum constituit mortuarium, ut in ceteris Episcopus portione debita fraudaretur, quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, Episcopus portionem ex illis poterit exigere à canone constitutam, salvis indulgentiis Pontificum Romanorum quæ quibusdam regularibus sunt concessæ.

Cap. Requisisti. *De testam.* Vide infrà lib. 12. epist. 58.

Requisisti de his quæ testator pro anima sua legat in ultima voluntate, qualiter sint inter Episcopum & Ecclesias dividenda. Et quidem regulariter verum est quòd Episcopus debet de his secundùm diversas consuetudines tertiam vel quartam portionem habere. Sed considerandum est diligenter utrum testator leget hoc modo, *Relinquo*, inquit, *istud Episcopo*, an, *Relinquo istud Ecclesiæ*, vel, *Relinquo istud Episcopo & Ecclesiæ*, an, *Relinquo istud Episcopo, & relinquo illud Ecclesiæ*. In primo casu distinguendum est utrum relinquatur illud Episcopo ab extraneo, an propinquo. Si ab extraneo, generaliter verum est quòd præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ. Vnde cathedralis Ecclesia canonicam de illo potest petere portionem; quemadmodum Episcopo competit sua portio, si aliquid ipsi Ecclesiæ relinquatur. Et hoc utique verum est, nisi testator exprimat quòd velit illud esse tantùm Episcopi, non Ecclesiæ. In quo casu servanda est dispositio testatoris. Secùs autem si exprimat quòd velit illud esse tantùm Ecclesiæ, non * Episcopi: quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. Nec est contrarium quod in canone legitur, videlicet quòd Pontifices quibus ab extraneis aliquid aut cum Ecclesia aut sequestratum dimittitur aut donatur, (quia ille qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis, probatur offerre) non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt: quoniam hoc est verum cùm testator ita sequestratim legat illud Episcopo quòd non exprimit utrum velit ad Episcopum tantùm & non ad Ecclesiam pertinere. Si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi fortè contrarium probaretur; & de isto nihil potest Ecclesia petere in vita ejus. Quòd si relinquitur Episcopo & Ecclesiæ, de illo canonica inter ipsos est divisio facienda. Si verò istud Episcopo & illud Ecclesiæ relinquatur, sive æqualia sive inæqualia sint relicta, reducenda sunt ad divisionem canonicam inter Episcopum & Ecclesiam cathedralem, nisi ambo velint esse testatoris dispositione contenti; quam propter ultimæ voluntatis favorem satis decens est observari ubi neque fraus intervenit neque dolus; nec quisquam nimiùm defraudatur debita portione. Secùs est autem si aliquid legetur Episcopo & aliquid capellis vel monasteriis aut aliis piis locis. Nam in hoc casu quod legatur Episcopo, ejus est præcipuum cum Ecclesia cathedrali, quemadmodum si cuilibet alij legaretur, & de iis quæ illis legantur portionem canonicam nihilominus obtinebit: quoniam non est tanta communio inter Episcopum & capellas vel monasteria seu alia pia loca quanta est inter ipsum & Ecclesiam cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus. Vnde quæ adquirit Episcopus, non illis, sed isti tantùm adquirit. Illud autem est generaliter observandum circa eum qui potest proprium possidere prælationem vel administrationem Ecclesiæ non habentem, quòd si ei aliquid specialiter relinquatur, non solùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, intelligitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi probatio in contrarium appareret. Et idcirco de illo non Episcopus nec Ecclesia potest in vita ejus sibi aliquid vendicare. Et hoc intelligitur esse verum cùm fraus minimè procuratur; quæ si detecta fuerit, patrocinari non debet.

* *Cod. Andeg.* Episcopo relictum

12. q. 3. cap. *Pontifices.*

Cap. 3. de pœnit.

Significasti præterea, quandam mulierem in pœnitentia fuisse confessam quod timens ne viri possessio devolveretur ad alios, inducta cujusdam consilio veneficæ mulieris quarundam herbarum quotidie succum potabat, & sic ejus venter intumuit; & inde gravidam se ostendens, tandem sibi partū suppositum alienum; timensque maritum, non vult facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam. Quoniam igitur per nostras postulas literas edoceri utrum ei, hac fraude durante, sit pœnitentia injungenda, inquisitioni tūæ taliter respondemus, quòd sicut mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem susceperit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi debet pœnitentia denegari, maximè si per alios intelligas alienos, ad quos timeat possessionem viri devolvi, sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi. *Et infrà.* Postremò

quæsisti

Cap. 24. de sent. & excom.

quæsisti utrum is qui propter plures excessus à pluribus prælatis jus in ipsum habentibus excommunicationis est vinculo innodatus, & uni prælatorum de uno tantùm satisfacere vult excessu, ab eo sit absolvendus de quo satisfacere vult eidem, & cùm de alio non satisfecerit, alij absolutus valeat nuntiari. Quia verò super hoc inter scholasticos diversæ sunt sententiæ diversorum, nos ad præsens nulli præjudicare volentes, id solummodo tibi super hoc articulo respondemus, quòd supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest, & veritatem intelligens, absolutionem hujusmodi exhibere non debet.

Hæc epistola mutila est in regesto, ubi duo capita desunt quæ nos reduximus ex antiquis collectionibus decretalium istius nostri Pontificis, primum videlicet & tertium. Nam illa ita incipit in regesto. *Officij &c. Et infrà. Secundo quæsisti.* Deinde post vocem *concessæ*, in qua desinit secundum capitulum, legitur, *Et infrà.* Et statim scribitur: *Significasti præterea quandam mulierem.* Nos voces illas, *Et infrà*, sustulimus, & capita quæ deerant reposuimus. Supereſt capitulum quintum, cujus loco in regesto positum est, *Et infrà.* Verùm reperire illud non potuimus in libris decretalium.

ARCHIEPISCOPO ET Magistro Gernando Canonico Magdeburgensibus.

Epist. 163. De electione Abbatiſſæ Herisiensis. Cap. Cùm dilecta. De rescript.

CVm dilecta in Christo filia R. Custos Herisiensis Ecclesiæ ac Volpertus Clericus procurator G. monialis olim ad sedem apostolicam accessissent, & super electionibus celebratis de Custode ac moniale jamdictis litigassent aliquandiu coram nobis, nos iis diligenter auditis quæ tam à procuratore ipso fuere proposita quàm Custode, Helervvardensi & Hergensi Abbatibus ac Præposito Geismariensi dedimus in mandatis ut quicquid factum fuerat super monialis electione jamdictæ, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante, denuntiarent irritum & inane, ac super ipsius electione Custodis veritate diligentiùs inquisita, si electionem ipsius canonicam & personam idoneam invenirent, ipsam auctoritate apostolica confirmarent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Verùm cùm ipsa Custos mandatum hujusmodi judicibus præsentasset, quod de præfata moniali factum fuerat denuntiaverunt irritum & inane. Quæ cùm nollet dimittere abbatiam, judices ipsi excommunicationis eam vinculo innodantes, mandaverunt eandem arctiùs evitari; sed ipsa cum electricibus suis post aliquot dies super electione sua per nuntium appellavit. Iudices autem appellationi nullatenus deferentes, præsertim cùm de nostro expresso mandato fuisset ejus electio irritata & appellatio esset in litteris nostris inhibita, citato Herisiensi conventu, de ipsius electione Custodis, prout ipsis injunctum fuerat, inquirere studuerunt. Cùmque ipsius electionem invenissent canonicam idoneamque personam, habito prudentum consilio electionem confirmantes ipsius, abbatiam Herisiensem auctoritate nostra per diffinitivam sententiam adjudicaverunt eidem. Et licèt diocesanus Episcopus appellarit & inhibuerit Herisiensi conventui ne illi tamquam Abbatissæ præsumerent obedire, ipsi tamen eam in corporalem ejusdem abbatiæ possessionem cum omni mansuetudine induxerunt, à qua per . . fratrem monialis prædictæ ac fautores ipsius per violentiam est ejecta, & præter alia mala quæ ibidem fuere nequiter perpetrata per illos, dictam R. coëgerunt sacramento firmare ut usque ad festum beati Martini tunc proximè futurum Herisiensem Ecclesiam non intraret nec etiam domo simplici vel quod ibidem obtinebat stipendio uteretur. Porrò cùm dicta R. super iis & aliis graviter vexaretur, ad nostram duxit præsentiam recurrendum, memorata G. moniali similiter veniente. Cùmque super iis ipsa R. proposuerit quæstionem, & postulaverit confirmari processum judicum prædictorum & ut satisfieret sibi de damnis & injuriis irrogatis, dicta G. proposuit ex adverso quòd cùm electa fuerit in Herisiensis Ecclesiæ Abbatissam à majori & saniori parte conventus, & ejus electio per diocesanum fuerit Episcopum confirmata, ipsa Custos ad Abbatem de Conradesburch & ejus conjudices litteras impetravit. Ad quorum præsentiam cùm ipsa G. citata veniret & ostenderet se spoliatam fuisse ipsius occasione Custodis, sententiam ab ipsis judicibus reputavit se illi nullatenus respondere teneri nisi foret primitus restituta. sed ipsa Custos ab eadem sententia provocando, appellationem suam est personaliter prosecuta. Ceterùm cùm ipsa G. ad hoc tantùm procuratorem transmiserit ut eadem confirmaretur sententia, procurator ipsius mandati fines excedens passus est obtinere Custodem quod voluit contra ipsam, & ad supradictos judices litteras reportavit;

quorum unus excommunicationis sententiæ subjacebat, prout litteræ venerabilis fratris nostri Maguntinensis Archiepiscopi nobis exhibitæ continebant; cum quo alter eorum, absente tertio, in omnibus inordinatè processit, & licèt tam ipsa quàm Herisiense Capitulum pro diversis gravaminibus appellarint, ipsi tamen nihilominus procedentes, eandem Custodem per Albertum familiarem ipsius, qui, sicut ex eisdem litteris memorati Archiepiscopi probabatur, vinculo erat excommunicationis astrictus, & B. Plebanum in corporalem fecerunt possessionem induci. Ad probandũ verò quod procurator jamdictus mandatum tale receperit, ut videlicet appellationem interpositam prosequi procuraret, testes coram auditore sibi dato produxit. Sed è contrà responsum est quòd etsi testes illi mandatum tale probassent, per hoc tamen nullatenus est ostensum quin aliud recepisset, & ideo cùm esset pro sententia præsumendum, præsertim cùm fuisset à nobis cum maturitate consilij promulgata, manifestè intelligi poterat quòd super principali negotio procurator prædictus mandatum receperat generale; sicut eadem Custos per testem unicum, quem produxit, plenius ostendebat. Nos autem iis & aliis intellectis quæ fuerunt ab unaquè parte proposita, præfatam G. monialem ab administratione ipsius abbatiæ sententialiter duximus removendam, dilectis filiis Scholastico Hildesemensi, Custodi & Scholastico Mindensibus dantes nostris litteris in præceptis ut ad ipsam Ecclesiam personaliter accedentes, abbatiæ administrationem ejusdem alij personæ idoneæ committere procurarent, cui ad opus Ecclesiæ fieret hinc inde resignatio subtractorum, ipsi verò interim de confirmationis sententia, quæ super electione Custodis lata erat à delegatis judicibus, cognoscentes, sicut justum esset, confirmarent vel infirmarent eandem; ita videlicet quòd si pro eo quòd unus ex judicibus delegatis, qui eandem sententiam tulerant, excommunicationis esset vinculo publicè innodatus quando sententia lata fuit, sicut per Metropolitani litteras monstrabatur, aut ex alia causa ipsam constaret sententiam infirmandam, ea cassata, cognoscerent iterum de ipsius electione Custodis, & quæ in factum fuissent proposita vel personam plenius audientes, ipsam, si fuisset inventa canonica, confirmarent. alioquin ea penitùs infirmata, darent sororibus facultatem liberam eligendi, & quam in Abbatissam sibi ducerent regulariter eligendam, ejus electionem sublato appellationis obstaculo confirmarent, ac præfatæ Custodi de bonis Ecclesiæ facerent in expensis legitimis provideri; contradictores nihilominus vel rebelles ut à sua temeritate desisterent per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Testes etiam qui nominati essent, si se gratia, odio, vel timore subtraherent, per districtionem eandem cessante appellatione cogerent veritati testimonium perhibere. Ipsi verò judices tam Custodem ipsam quàm conventum Herisiensis Ecclesiæ ad suam præsentiam evocantes, dilationis eis terminum indulserunt; sed dilatione pendente, Præpositа Herisiensis cum complicibus suis Abbati de Reinvehusen, Præposito de Nova Ecclesia, & Plebano de Eschenhusein nostras litteras præsentavit, in quibus eisdem judicibus mandabatur ut supradicta Custos quædam ipsius Ecclesiæ ornamenta, custodiæ quoque proventus ad usum Ecclesiæ pertinentes, & redditus de Meinchsern, qui debebant sororum necessitatibus ministrari, ac quædam alia de præbendis earum, quæ per quosdam prædones malitiosè subtraxerat & ipsa pro suæ voluntatis arbitrio detinebat, per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante restituere cogeretur; quarum auctoritate Custos ipsa citata, cùm statuto sibi die non posset coram judicibus comparere, ipsi post appellationem à Lamberto Clerico interpositam pro parte Custodis ejusdem, in ipsam excommunicationis sententiam protulerunt. Et licèt eodem die procurator ipsius comparuerit coram eis, & eandem excommunicationis sententiam, utpote minùs rationabiliter latam, peteret relaxari, cùm in nullo penitùs audiretur, appellationem à prædicto Lamberto Clerico interpositam ratam habuit, & receſſit. Ipsi verò appellationi minimè deferentes receperunt testes à Præpositæ ac complicum ejus parte productos, & eorum depositionibus in ipsius Custodis absentia publicatis, ipsam cum complicibus suis ad restitutionem centum quinquaginta marcarum & de furto ac sacrilegio nihilominus condemnarunt, excommunicationis sententiæ supponentes eadem. Postmodum autem cùm procurator Custodis ipsius prædictorum Scholastici Mindensis & conjudicum suorum conspectui se statuto termino præsentasset pro eadem Custode in judicio processu-

rus, iidem judices asserentes quòd cùm præfata Custos excommunicata esset à judicibus memoratis, sicut ipsa non poterat agere, sic nec ejus debebat procurator audiri, eum ab agendo per sententiam repulerunt. Procurator autem ex adverso respondit quòd talis excommunicationis sententia sibi nocere non poterat vel Custodi, cùm per legitimæ appellationis obstaculum, quæ sententiam ipsam præcesserat, de jure fuerit impedita. Cùmque judices ipsi, allegationem hujusmodi frivolam reputantes, nollent de appellatione cognoscere, procurator jamdictus ad sedem apostolicam appellavit; sed ipsi appellationi deferre nolentes, testes quos pars altera producere voluit ad probandum quòd unus ex delegatis judicibus qui sententiam tulerant pro Custode tunc excommunicatus erat cùm pro ea confirmationis sententia lata fuit, ea occasione sumpta quòd quidam ex ipsis testibus à remotis partibus venerant, receperunt. Propter quod quædam sorores Herisienses pro se ac prædicta Custode ad sedem apostolicam provocarunt. Qui appellationem interpositam contemnentes, G. monialem ab administratione Herisiensis Ecclesiæ removerunt, ipsam ejusdem Ecclesiæ Præpositæ committentes, aliquas personas idoneas in suum adjutorium recepturæ. Iidem quoque judices articulum de resignatione subtractorum intermittentes, qui primò fuerat in mandato nostrarum litterarum insertus, testes super alio articulo receperunt, quia videlicet ab Abbate prædicto & conjudicibus suis legitimè olim fuerat provocatum, eò quòd rescripti nostri copiam partibus facere noluerunt. Qui receptos testes super præmissis articulis postmodum publicantes, confirmationis sententiam pro sæpedicta Custode latam penitùs infirmarunt; ac de ipsius electione nihilominus inquirentes, tanquam celebratam minùs canonicè cassaverunt, concessa sororibus eligendi libera facultate. Quæ convenientes in unum sæpedictam G. monialem unanimiter elegerunt; cujus electionem dicti judices confirmantes, abbatiæ possessionem & cathedram solemniter assignarunt eidem, supradictam Custodem & fautrices ejus excommunicatas publicè nuntiando. Subsequenter autem ij qui super articulo prænotato, de resignatione scilicet subtractorum, auditores fuerant à prædictis judicibus deputati, recipientes testes à prædictæ Præpositæ ac suarum complicum parte productos, depositiones ipsorum sub sigillis propriis intercluſas eisdem judicibus transmiserunt. Verùm cùm Custos ipsa iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi, memorati judices noluerunt dicta testium publicare, ad nostram præsentiam eadem sub sigillis suis destinantes inclusa. Nos igitur hæc & alia quæ tam Custos prædicta quàm I. Clericus, qui pro eodem negotio venerat contra ipsam, nuper apud sedem apostolicam constituti proponere voluerunt, & acta judicum ab eisdem nobis exhibita diligentiùs attendentes, deprehendimus manifestè prædictas litteras ad memoratum Abbatem de Reineshusers & suos conjudices impetratas per subreptionem obtentas, cùm in eis illius articuli, videlicet de subtractorum resignatione, fuerit præter nostram conscientiam cognitio demandata, qui litteris fuerat insertus prioribus, de quibus in secundis litteris mentio aliqua non fiebat. Et ideo quod ipsarum litterarum occasione dinoscitur attentatum, penitùs duximus irritandum. Dictum insuper Scholasticum Hildesemensem & conjudices suos invenimus minùs providè processisse: quia cùm in nostris litteris eisdem principaliter mandaretur ut ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes, personæ idoneæ administrationem committerent abbatiæ, cui ad opus ejusdem abbatiæ fieret hinc inde resignatio subtractorum, ipsi formam mandati apostolici transponentes, illo capitulo prætermisso, de aliis articulis inordinatè plurimùm cognoverunt, propter quod processum ipsorum, contra nostri formam rescripti ac juris ordinem attentatum, irritum decrevimus & inanem, præsentium vobis auctoritate in virtute spiritus sancti districtè præcipiendo mandantes quatinus convenientes in loco competenti & tuto, G. A. & quibusdam aliis ejusdem Ecclesiæ sororibus, sicut justum fuerit, restitutis, & forma mandati nostri exacta diligentia observata, in negotio ipso juxta tenorem præcedentium litterarum appellatione remota ratione prævia procedatis, ita quòd per vestram sollicitudinem circumspectam saltem hac vice negotio tamdiu prorogato finis debitus imponatur. Quia verò propter causam istam diutiùs jam protractam Herisiensis Ecclesia graves dinoscitur sustinuisse jacturas, volumus & mandamus ut tu, frater Archiepiscope, in expensis propriis cognitioni causæ studeas interesse.

ARCHIEPISCOPO ET MAIORIS monasterij & sancti Iuliani Abbatibus Turonensibus.

Epist. 264. Committitur eis causa de succentoria Pictavensi. *Cap.* Inter dilectos. *de excess. Prælator.*

INter dilectos filios Bocardum & Petrum Coëth Canonicos Pictavenses super succentoria Pictavensis Ecclesiæ quæstione suborta, eorum utroque firmiter asserente succentoriam ipsam se per Pictavensem Cantorem, ad quem ejus donatio pertinebat, canonicè assecutum, prædictus Bocardus propter hoc ad sedem apostolicam veniens, coram dilecto filio nostro Guala sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali, quem sibi & procuratori prædicti Petri dedimus auditorem, affirmans sibi succentoriam ipsam canonicè fuisse collatam, adjecit quòd etsi Cantor eam memorato Petro alias canonicè contulisset, donatio tamen ipsa propter indignitatem personæ consequi non debebat effectum, cùm idem Petrus esset publicus aleator & usurarius manifestus. Licèt autem post altercationes multas, non solùm ad hoc, sed etiam ad principale probandum præfatus Bocardus induxerit quosdam testes, quia tamen tam ipse quàm pars adversa super principali & incidentibus plures testes producere intendebat, dilectis filiis Decano & Cantori sanctæ Radegundis Pictavensis & Toarcensi Decano causam ipsam commisimus fine canonico terminandam, attestationes prædictas eis sub bulla nostra transmittentes inclusas. Coram quibus postea partibus constitutis, cùm jamdictus Bocardus testes suos recipi postularet, fuit ex adverso responsum quòd non erat aliquatenus audiendus, utpote qui per dilectos filios Archipresbyterum, magistrum scholarum, & Magistrum P. Parvum Canonicum Bituricenses, judices delegatos à nobis, sententia erat excommunicationis adstrictus pro eo quòd ad mandatum eorum * Hugonem Clericum in Canonicum Fayensem admittere recusabat. Cùmque postmodum idem Bocardus super absolutione sua litteras eorundem judicum præsentasset, adversa pars eas cœpit arguere falsitatis, eò quòd clausula finalis earum tam in incausti colore quàm in litterarum forma à scriptura reliqua discordabat, allegans eundem B. tamquam reum criminis falsitatis ab intentione sua penitùs repellendum. Porrò post contentiones multiplices & diversas, judices ipsi de voluntate partium testes tam super principali quàm incidentibus receperunt. Sed eodem B. postmodum ad nostram audientiam appellante, judices ipsi partes cum attestationibus & actis judicij sigillis propriis consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Partes itaque propter hoc nuper apud sedem apostolicam constitutæ, coram dilecto filio nostro Cynthio tituli sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, quem ipsis deputavimus auditorem, aliquandiu litigarunt: qui cùm nobis quæ audierat fideliter retulisset, nos uniusque partis attestationibus diligenter inspectis, invenimus evidenter esse probatum eundem Petrum publicum aleatorem esse ac usurarium manifestum, utpote qui undecim denarios pro duodecim publicè mutuarat in ludo. Vnde licèt ad palliandum tantæ præsumptionis excessum proposuerit idem Petrus quòd hoc fecerat juxta Gallorum consuetudinem Clericorum, secundùm quam ferè Clerici universi mutuant sic frequenter & ludunt, nos tamen, qui ex officij nostri debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis malitiam devenitur, penitùs improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem, quæ dicenda est corruptela potiùs, palliatur, frivolam reputantes, cùm in illis magis plectibilis sit offensa per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur, quod circa eundem Petrum de succentoria prædicta factum esse dinoscitur, propter indignitatem ac vilitatem ipsius duximus irritandum, cùm personis vilibus & indignis portæ dignitatis patere non debeant juxta legitimas sanctiones. Præterea contra præfatum Bocardum fuit manifestè probatum quòd de conscientia judicum prædictorum Bituricensium ultima clausula inserta non fuerat litteris eorundem, sicut in ipsorum depositionibus exprimitur evidenter. Robertus quoque Diaconus ad hoc probandum testis inductus illud idem deposuit & adjecit, quòd cùm deberet easdem litteras sigillare, illas diligenter inspexit, nec eandem clausulam appositam tunc invenit. Vnde pars altera proponebat quòd cùm prædictus B. scienter usus fuerit litteris sic falsatis, debebat meritò tamquam falsarius omnino repelli. Verùm nos attendentes quòd etsi constaret evidentissimè quòd dicta clausula litteris illis fuisset apposita præter conscientiam judicum prædictorum, quia tamen nobis fides facta non fuit quòd dictus B. illam clausulam apposuerit vel procuraverit ut ab

* Vide suprà epist. 45.

alio poneretur, vel etiam quòd scienter usus fuerit litteris sic falsatis, ab hujusmodi falsitatis objectu eundem duximus absolvendum; maximè cùm postquam hoc sibi objectum fuit, prætermiserit penitùs uti eis. Ad hæc, per testes Bocardi super principali negotio productos fuit satis sufficienter ostensum quòd quinta feria &, ut loquamur expressiùs, die Iovis post festivitatem sancti Michaelis, biennio jam elapso, succentoria sibi concessa fuerat supradicta; sed per confessionem ejusdem apparuit quòd idem festum eodem anno die Iovis fuerat celebratum, sicque fuit per consequentiam comprobatum quòd octavo die post festum ipsum eidem B. dicta donatio facta fuit. Ceterùm per sex testes, Cantorem scilicet, Oliverium, W. Gerru, R. Agnellum, I. Marinum, P. de Marcai, quos supradictus P. ad probandum quòd donatio sibi facta præcesserat introduxit, extitit manifestè probatum quòd anteriori tempore sibi fuerat succentoria sæpedicta collata, cùm Oliverius, W. & I. manifestè dicant quòd secunda vel tertia, & Cantor quòd tertia vel quarta die post dictum festum, & P. quòd in hebdomada post idem festum eidem Petro donatio facta fuit. Verùm per testes quos Bocardus ad reprobationem testium jamdictorum induxit, Oliverius & Willelmus fuerunt tamquam manifesti fornicarij reprobati. Cantor quoque per multos testes convincitur esse perjurus; quia cùm juratus dixerit quòd Bocardo succentoriam nunquam dederat supradictam, per multos testes probatum est ex adverso quòd ipsis præsentibus Cantor investivit eundem. Insuper R. Agnellus nihil deposuisse dinoscitur super negotio principali, licèt pars Petri dicens ipsum amphibologicè fuisse locutum ostendere nisa fuerit quòd idem testis super principali dixerit illud idem quod Oliverius & Willelmus. Duo verò residui, scilicet I. Marinus & P. de Marcai, remanserunt qui nequiverunt rationabiliter reprobari; quia licèt dixerit pars Bocardi quòd ipsius P. testimonio fides habenda non erat, quoniam in causa Petri fuerat procurator, quod ex eo nitebatur astruere quia testes ejusdem Bocardi dixerant quòd idem I. litteras Petri portaverat, quæsierat testes, & quædam hujusmodi fecerat, quia tamen nobis non constitit quòd ejusdem P. fuerit procurator, ejus testimonio fidem censuimus adhibendam. Sed & illud frivolum reputavimus quod proposuit eadem pars Bocardi, videlicet quia cùm Petrus de Marcai dixerit quòd in hebdomada post prædictum festum sæpedicto Petro donatio facta fuit, innuitur quòd donationem ipsius B. quæ octavo die post idem festum facta fuerat, eadem Petri donatio minimè præcessisset. Nam cùm hebdomada vel septimana nequaquam ultra diem septimum extendatur, apparet quia donatio quæ facta fuerat in hebdomada vel etiam septimana, citeriori utique tempore fuit facta quàm illa quæ facta fuit postmodum in octavo. Cùm igitur per depositiones saltem duorum testium, qui nullatenus reprobati fuerunt, nobis constiterit evidenter quòd concessio Petro facta præcesserit, quamquam propter indignitatem ejusdem P. meruerit reprobari, concessionem Bocardo factam irritam decrevimus & inanem. Quia verò Cantor, ad quem ipsius succentoriæ donatio spectare proponitur, ut de ipsius perjurio taceamus, adeo inconstanter se habuit in hoc facto ut, sicut præmissum est, prima donatione non reprobata secundam facere attentarit, & dignum sit ut in eo quis puniatur in quo visus est deliquisse, in hoc ejus duximus varietatis inconstantiam puniendam ut concedendi succentoriam ipsam hac vice nullam habeat facultatem, præsentium vobis auctoritate mandantes quatinus eandem auctoritate nostra suffulti sublato appellationis obstaculo personæ idoneæ assignetis, contradictores &c.

PARISIENSI ET TRECENSI Episcopis, & Abbati sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Epist. 165. De causa monasterij Vezeliac. contra Comitem Autissiodorensē. *Cap.* Cùm olim. *De off. jud. delegati.*

CVm olim dilecti filij Abbas & conventus Virziliacenses sua nobis conquestione monstrassent quòd nobilis vir Petrus Comes Autissiodorensis quoddam stagnum, molendinum, & domum in terra eorum construere nitebatur in ipsorum præjudicium & gravamen, venerabili fratri nostro Episcopo & dilecto filio Thesaurario Nivernensi commisimus causam ipsam; in quorum præsentia partibus constitutis, sicut per litteras eorundem accepimus, lite super petitionibus Ecclesiæ contestata, receptis utrinque testibus, & attestationibus publicatis, cùm super dictis testium inter partes fuisset postmodum disputatum, tandem pars Comitis proposuit coram eis quòd de damnis in nemoribus & rebus aliis datis, super quibus testes deponere videbantur, cognoscere non de-

bebant, cùm in rescripto nostro nulla de damnis mentio haberetur, adiciens quòd res illæ super quibus quæstio agebatur de feudo erant nobilis viri Ducis Burgundiæ, sicut idem Dux in patentibus litteris fatebatur, & ideo super illis ad dominum feudi potiùs quàm ad dictos fuerat judices recurrendum. Ad quod fuit ex adverso responsum, quòd si non expressè, tacitè tamen de damnis datis in nostris litteris mentio habebatur, cùm nomen gravaminis esset litteris ipsis insertum. propter quod de ipsis cognoscere poterant, saltem tamquam de accessoriis seu appendiciis negotij principalis. Item cùm super omnibus articulis de quibus testes deposuerant lis fuisset solemniter contestata, de ipsis cognoscere ac pronuntiare judices tenebantur. Sed & super exceptione feudi serò nimis, utpote post testium publicationem, objecta, audiendum non esse Comitem asserebat. Ad hæc pars Comitis replicavit quòd etsi super damnis à procuratore lis fuerit contestata, ei tamen ex hoc non poterat præjudicium generari, cùm ad hoc procurator datus non fuerit, sed ad illam duntaxat causam quæ fuerat in litteris commissionis expressa, super castro videlicet, stagno, & molendino; ad hoc parte altera respondente quòd procuratoris factum * ulteriùs impugnare non portat, quod usque post publicationem testium minimè duxerat revocandum. Iudices autem super hinc inde propositis habito consilio discretorum interlocuti sunt quòd super damnis datis à Comite ad eos cognitio pertinebat. Quo audito Comes ad appellationis beneficium convolavit. Vnde licèt ipsum judices evocatum & nec per se nec responsalem idoneum comparentem excommunicationis vinculo astrinxissent, eo tamen in contumacia perdurante, causam eandem cum attestationibus fideliter consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Porrò procuratoribus utriusque partis propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, procurator monasterij proposuit coram nobis quòd cùm villa de Vetenedo Virziliacensi & sancti Germani Antissiodorensis monasteriis sit communis, ita quòd terragium, spanagium, albergariam, censum, tertias, laudas, vendas, & retentionem habeant in eadem, prædictus Comes, qui nihil aliud quàm duos denarios annuatim à quolibet rustico custodiæ seu salvamenti nomine percipere consuevit, nunc in ipsa jurisdictionem sibi contra justitiam usurpando, ab unoquoque villano quinque solidos extorquet in quodam loco ejusdem villæ post inhibitionem tam sibi quàm Hospitalariis factam, qui locum ipsum in censiva monasterij obtinebant, ab eis per commutationem recepto, castrum, stagnum, & molendinum ædificando in ipsorum præjudicium & gravamen, in nemoribus, lapidibus, & rebus aliis gravibus damnis datis. Propter quod ædificia supradicta, utpote post inhibitionem & nuntiationem extructa, idem procurator petiit demoliri, & compelli Comitem supradictum à Virziliacensis monasterij super hoc molestatione cessare, super damnis datis eidem compensationem congruam exhibendo. Procurator verò Comitis allegavit quòd cùm in prædicto loco de Vetenedo suæ jurisdictioni subjecto perpetrarentur sæpissime homicidia & rapinæ, ipse volens tot & tantis obviare periculis, quandam domum in solo quod ab Hospitalariis per commutationem acceperat, ubi domum fortem olim extitisse didicerat, ad transeuntium securitatem construxit, quodam stagno & molendino ad opus custodum ipsius domus ædificatis ibidem. Verùm Abbas & conventus prædicti falsò dicentes se super hoc prægravari, litteras ad prædictos judices impetrarunt; & cùm ipsis in præsentia judicum obtulerit dictus Comes quòd si qua damna probarent se ob illa ædificia pertulisse, non solùm in simplum sed duplum ipsis damna eadem resarciret, ipsi tam hoc verbum quàm etiam alias pacis species penitùs respuerunt. Cùm autem per judices fuerit in eadem causa usque ad testium publicationem processum, quoniam attestationibus publicatis apparuit eos super multis deposuisse articulis super quibus lis contestata non fuerat, pars Comitis allegavit quòd judices super illis cognoscere non valebant. Vnde judicibus se de damnis datis cognoscere ac pronuntiare posse interloquentibus, ad nostram fuit audientiam provocatum. Nos autem auditis iis & aliis quæ procuratores proponere curaverunt, & attestationibus uniusque partis diligenter inspectis, intelleximus pro monasterio esse probatum in supradicta villa terragium, spanagium, albergaria, census, tertias, laudas, vendas, ac retentiones ad prædicta monasteria pertinere, ac stagnum & calceria supradicta partim in proprietate Virziliacensis cœnobij, & partim in ipsius & sancti Germani censiva fuisse constructa. Item quòd Hospitalariis, qui pro prædicto loco annuum

* Comes

censum monasteriis exolvebant, ne locum ipsum, censivam videlicet monasteriorum, transferrent in Comitem, & Comiti ne censivam ipsam reciperet, prohibitio facta fuit. Pro parte verò Comitis videbatur esse probatum quòd justitia nemoris supra fortalitia est ipsius, & quòd absque cujusquam injuria dictus Comes ad albergagium hominum ipsius villæ potest concedere nemus ipsum, quòdque Comes ipse justitiam habet in villa, & pro salvamento de qualibet domo villæ duos denarios recipere consuevit. Item quòd in pratis Hospitalariorum est fortalitia ipsa fundata, & quòd quicunque aliquid habet ad censum, illud salvo censu potest vendere cui vult. Rursus quòd in eadem villa olim fuerat domus fortis clausa palitiis & fossatis. Quia verò super damnis datis antequam lis fuerit contestata nequaquam ad dictos judices cognitio pertinebat, cùm in rescripto nostro nulla de ipsis mentio haberetur, nec ad ipsos potuerit jurisdictio prorogari, cùm procurator ad illa intelligatur solummodo constitutus quæ in commissionis litteris inveniuntur expressa, & postquam Comes publicatis attestationibus intellexit super damnis illis fuisse depositum, protinus contradixit, nos eosdem judices protinus pronuntiavimus minùs justè interlocutos fuisse ac sæpedictum Comitem, qui ob hoc ad appellationis beneficium convolavit, excommunicationis sententia non fuisse ligatum. Ceterùm quia ex procuratoris ejusdem Comitis confessione didicimus post nuntiationem novi operis sibi factam supradicta fortalitia, stagnum, & molendinum ædificasse, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus utramque partem ad compositionem amicabilem faciendam, quam utrique necessariam credimus, moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Quòd si forsitan infra mensem postquam à vobis fuerint diligenter admoniti vestris acquiescere monitis non curarint, vos auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo sententiam proferatis quam sub bulla nostra vobis mittimus interclusam, facientes eam per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani anno duodecimo.

Dist. 166. Testes quomodo recipiantur. Cap. Quoniam. Vide non contestata.

QVoniam frequenter in dubium revocatur à multis an lite non contestata testes recipi valeant, auctoritate præsentium duximus declarandum regulariter verum esse quòd lite non contestata non est ad receptionem testium procedendum, nisi fortè de morte testium timeatur vel absentia diuturna. in quibus casibus cùm civiliter est agendum, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes & valitudinarij & alij testes de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, etiam lite non contestata sunt procul dubio admittendi; sive pars conventa sit contumax, sive sit absens absque malitia, ut conveniri non possit. Sed si actor non convenerit adversarium infra annum ex quo poterit conveniri, vel saltem receptionem hujusmodi testium non denuntiaverit illi, attestationes sic receptæ non valeant, ne fortè hoc procuret in fraudem ut processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes vel aliæ locum habere non possint. Porrò speciales causæ possunt occurrere in quibus casualiter esset aliud observandum; ut verbi gratia, si super alicujus electione vel copula maritali quæstio moveatur. Tunc etenim, ne propter longam moram in spiritualibus vel temporalibus patiatur Ecclesia læsionem, vel viro seu mulieri fornicationis occasio præbeatur, maximè cùm propinquitatis gradus opponitur divina lege prohibitus, in hujusmodi casibus testes sunt meritò admittendi, si videlicet contumax apparuerit is in quem fuerit actio dirigenda, sive quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, sive quia malitiosè se ipsum occultat, sive quòd impedit ne possit ad eum citatio pervenire. Si verò aliter absens fuerit & agatur de spirituali conjugio inter Prælatum & Ecclesiam jam contracto, electione maximè confirmata, illud in hoc articulo volumus observari quod super expectatione talium personarum in sacris est canonibus diffinitum. Quòd si forsan agatur de spirituali conjugio contrahendo, is qui est in Prælatum electus, per spatium sex mensium expectetur, nisi pensatis negotij circumstantiis per superioris providentiam magis vel minùs fuerit expectandus. Si autem de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter conjugum expectetur donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur: quia cùm sine culpa sit absens, ut si captivitate vel ægritudine aut alio justo impedimento forsitan teneatur, aut etiam ex propria sed non malitiosa voluntate in remotis partibus moram faciat, ut de facili vel in brevi citari non possit, ei quidem præjudicari non debet, cùm habeat forsan excep-

tiones legitimas ad intentionem contrariam elidendam; eo nequaquam obstante quòd de lapsu carnis posset opponi, quoniam in conjugio multi casus occurrunt in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa, continere coguntur. Sunt & alij casus similiter speciales, quos alibi nos meminimus distinxisse, in quibus absque litis contestatione legitimè possunt testes produci, ut quando excessuum inquisitio vel testium publicatio imminet facienda. In aliis verò casibus prudenter est attendendum utrum contumax actione reali vel personali conveniatur. Si reali, mittendus est utique actor in rei petitæ possessionem, ut tædio affectus reus veniat responsurus. Quòd si venerit infra annum, judicio sisti præstita cautione, ac exhibita satisfactione congrua expensarum, possessionem recuperet. Quòd si cautionem offerre neglexerit infra annum, actor post annum verus constituetur possessor, super proprietate duntaxat adversæ parti defensione legitimè reservata. Quòd si super rebus immobilibus quisquam conveniatur, qui eas nomine possidet alieno, debet statim in judicio dominum nominare, certo dierum spatio à judice finiendo, eoque ad ejus notitiam perducendo; ut vel ipse veniens, vel idoneum dirigens responsalem, actoris intentionem excipiat. Si verò post tempus indultum quod dispositum est noluerit adimplere, tamquam lite quæ ingeritur ex eo die quo possessor ad judicium vocatus est ad interrumpendam præscriptionem longi temporis contestata, dominum possessionis judex edictis legitimis evocabit, & tunc ipso in eadem voluntate manente, negotium summatim examinans, in possessionem ipsarum rerum actorem mittere non tardabit, omni allegatione absenti super principali quæstione servata. Si autem personali actione conveniatur, vel mittendus est actor in possessionem mobilium bonorum ipsius vel immobilium, si mobilia fortè non habeat, pro modo debiti declarati, vel in contumacem est ecclesiastica sententia proferenda; ita videlicet quòd alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, judex à principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis; qui veniens infra annum, vel post annum etiam, audietur juxta distinctionem in alio casu superiùs annotatam.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 167. Responsio ad ejus consulta.

Cap. Responsio. De sent. & re judic.

REsponso nostro postulas edoceri an cùm Ferrarienses cives excommunicationis & interdicti sententiis sint ligati, liceat tibi viros & mulieres semel in hebdomada vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eosdem ad correctionem inducas. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris cùm videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæsiviſti, cùm Ferrariensis civitas interdicto sit & excommunicationi supposita, & ideo sint ibidem, præter baptisma parvulorum & pœnitentiam morientium, universa sacramenta ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo taliter tibi duximus respondendum, quia sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus à te possunt sacro chrismate deliniri.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ, & Abbati de Berbore, T. Priori, R. Archidiacono, & magistro L. Officiali sancti Andreæ.

Epist. 168.

CVm dilecti filij Abbas & Canonici de Cambuskinel Abbatem & monachos de Dunfermelin diocesis sancti Andreæ coram venerabili fratre nostro Dublinensi Episcopo & dilectis filiis de Cupre & de Scona Abbatibus diocesis sancti Andreæ super quibusdam decimis ad Ecclesiam suam de Egres spectantibus & damnis & injuriis irrogatis auctoritate litterarum nostrarum traxissent in causam, & ipsi eosdem Abbatem & Canonicos ex delegatione nostra coram dilectis filiis Priore sanctæ crucis & Decano de Tinihec ejusdem diocesis ad te, fili Officialis, super capella de Nipast & decimis ad eandem spectantibus convenissent, utraque pars &c. *ut suprà lib.* x. *epist.* xxxi.

Epist. 169. Responsio ad consultationem ejusdem.

Cap. Inquisitioni. De sent. excomm.

INquisitioni tuæ breviter respondentes credimus distinguendum utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugij, propter quod sine mortali peccato non possit carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an impedimentum hujusmodi non sciat pro certo, sed credat. In primo itaque casu potiùs debet excommunicationis sententiam humiliter sustinere quàm

quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo verò casu distinguimus utrum habeat conscientiam hujuscemodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium, conscientia levis & temerariæ credulitatis explosa, licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; ne in alterutro vel contra legem conjugij vel contra judicium conscientiæ committat offensam. Tu ergo secundùm responsionem prædictam super illo procedas articulo de quo nos consulere voluisti.

FLORENTINO ET FESVLANO Episcopis, & Archipresbytero Pistoriensi.

Epist. 270. Hospitale sancti Allucij adjudicarui Hospitalariis. Cap. Inter dilectos. De donationibus. Videtur cap. Per tuas. De arbitris.

INter dilectos filios Hospitalarios sancti sepulchri de Pisis hospitalis Ierosolymitani ex una parte ac fratres hospitalis sancti Allucij quæstione suborta, cùm iidem Hospitalarij super possessorio quod semel & iterum, ex causis tamen dissimilibus, intentarunt contrariam sententiam reportassent, demum ad petitorium recurrentes per procuratorem suum coram dilecto filio Andrea Subdiacono & Capellano nostro, quem sibi & procuratori partis alterius auditorem concessimus, proponere curaverunt quòd cùm B. quondam rector & patres ac patroni ejusdem hospitalis sancti Allucij habito communi tractatu deliberassent hospitale ipsum Hospitalariis supponere supradictis, commiserunt in hoc tribus procuratoribus vices suas, communiter statuentes ut quod per ipsos super hoc fieret acceptarent. Qui postmodum ad prædictos Hospitalarios accedentes, cum eisdem taliter statuerunt, ut ad ipsum hospitale aliqui mitterentur qui eorum nomine reciperent assignationem ipsius. Cùm autem fratrem M. & B. propter hoc illuc transmisissent, iidem in camera prædicti rectoris donationem & assignationem hospitalis prædicti tam à præfato magistro quàm supradictis procuratoribus & aliis ejusdem domus fratribus receperunt. *Et infrà.* Procurator autem partis alterius ex adverso respondit quòd prædicta donatio debebat non immeritò retractari, quoniam multis ex fratribus inconsultis à prædicto rectore ac paucioribus fratribus excommunicatis nihilominus & perjuris ac de re litigiosa & in fraudem Plebani de Piscia, qui super eodem hospitali moverat quæstionem, fuerat celebrata; & hæc omnia proponebat sufficienter esse probata per depositiones testium productorum. Ad hæc verò parte altera multipliciter respondente, hinc inde fuit aliquandiu disceptatum. Nos igitur iis & aliis intellectis quæ coram Capellano prædicto partes proponere curaverunt, & ipsarum attestationibus diligenter inspectis, attendentes quòd fratres & patroni sancti Allucij pro se immo potiùs contra se suam turpitudinem allegabant, videlicet perjurium, excommunicationem, & fraudem, non utique contra ipsos, sed ab ipsis commissam, & intelligentes donationem ab eis præfatis Hospitalariis factam puram ac simplicem extitisse, quia non deceptoribus, sed deceptis jura subveniunt, unde per ea quæ superiùs sunt proposita se contra factum proprium legitimè defendere non valebant, cùm & quædam ex ipsis non fuerint comprobata, de consilio fratrum nostrorum hospitale prædictum sancti Allucij cum pertinentiis suis Hospitalariis sancti sepulchri adjudicare curauimus; ita quòd per hanc nostræ diffinitionis sententiam diocesano Episcopo & Plebano de Piscia nullum præjudicium generetur, cùm res inter alios acta non debeat aliis præjudicium generare.

EPISCOPO PICTAVENSI.

Epist. 271. Respondet ad ejus consulta. Cap. Licet undique. De offic. jud. deleg.

LIcèt undique confluentium negotiorum multiplicitas copiosa nostrum animum ad varias curas impellere non desistat, fraternitas tamen tua, quam sincera complectimur in Domino caritate, sollicitudinem ad tempus deponere compulit quam in exequendis aliis ex debito pastoralis officij gerebamus, atque tuam dubitationem apostolico certificare responso. Cùm igitur à nobis duxeris requirendum si causam aliquam tribus judicibus delegamus, in nostris apponi litteris illam clausulam facientes, *Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur*, & unus postquam commiserit cuidam ex aliis vices suas, de medio sit sublatus, tertius ut suspectus meritò recusetur, an collega superstes suo nomine ac defuncti possit negotium diffinire, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si jurisdictione à suo sibi collega delata eo vivente uti non cœpit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatarij expiravit, non habet solus officium judicandi. Si verò ante mortem illius jurisdictione uti cœperit taliter demandata, vi-

ces suas & illius poterit adimplere.

EPISCOPO ANTISSIODORENSI.

Epist. [illegible]

CVm in dioecesi tua &c. *ut suprà lib. X. epist. LXI.*

LEONI TITVLI SANCTÆ crucis Presbytero Cardinali.

Epist. 273. De ordinando Abbate. S. Quirici. Cap. *Tuam in Domino.* De temp. ordinat.

TVam in Domino diligentiam commendantes, quam super monasterio sancti Quirici reformando dinosceris adhibere, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus si non potes eidem monasterio de persona idonea meliùs providere, tu monachum illum quem in litteris tuis de honestate ac industria commendasti, per quem status ejusdem loci creditur reformandus, nullum prorsùs habens respectum ad petitionem illicitam quam quidam laici faciebant, sed ex tuæ duntaxat provisionis officio instituas in Abbatem, ita videlicet quod ad sacros ordines non ascendat, cùm instante necessitatis articulo possit in Abbatem assumi etiam in minoribus ordinibus constitutus, & laici memorati non sint consanguinitate vel affinitate conjuncti monacho memorato, ut ex ipsorum petitione debeat contra eum aliqua sinistra suspicio suboriri.

VNIVERSIS DOCTORIBVS sacræ paginæ, Decretorum, & liberalium Artium Parisius commorantibus.

Epist. 274. Confirmatur quoddam eorũ statutum. Cap. Ex litteris. *De jurejur.*

EX litteris vestræ devotionis accepimus quòd cùm quidam moderni Doctores liberalium artium à majorum suorum vestigiis in tribus præsertim articulis deviarent, habitu videlicet inhonesto, in lectionum & disputationum ordine non servato, & pio usu in celebrandis exequiis decedentium Clericorum jam quasi penitùs negligenter omisso, vos cupientes vestræ consulere honestati, octo ex vobis juratos ad hoc unanimiter elegistis, ut super dictis articulis de prudentum vivorum consilio bona fide statuerent quod foret expediens & honestum, ad illud in posterum observandum vos juramento interposito communiter astringendo, excepto duntaxat magistro G. qui jurare renuens & formidans fidejussoriam pro se tantùm obtulit cautionem. Fuit insuper ad cautelam à vobis fide præstita protinus constitutum ut si quisquam magistrorum adversùs alios duceret resistendum, & primò, secundò, tertióve commonitus infra triduum universitati parere contemneret magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur. Et quidem hoc ultimum quidam ex vobis simpliciter, quidam verò nisi satisfaceret, & nonnulli nisi per nos se admitti ab aliis obtineret, se intellexisse fatentur. Cùm autem supradictus magister G. infra triduum universitati non paruerit requisitus, juxta dictum vestrum ex tunc à vobis habitus est exclusus: qui cùm satisfactioni condignæ se postmodum obtulisset, in quatuor vestrum juramento interposito compromisit illorum dictum pro bono pacis se gratum & ratum pariter habiturum. Illi verò usi consilio sapientum dictum suum communiter promulgarunt, memorato magistro in virtute juramenti præstiti prohibentes ne deinceps in licitis universitati resisteret magistrorum, & injungentes eidem ut tamdiu in eo statu persisteret quo tunc erat donec per se vel procuratorem suum se posse ab aliis magistris admitti per sedem apostolicam obtineret, salva in omnibus honestate. Vnde nobis humiliter supplicastis ut eundem magistrum, virum utique providum & honestum, qui tamquam obedientiæ filius quod sibi prædicti quatuor injunxerunt suscepit humiliter & patienter observat, ex benignitate apostolica faceremus communioni restitui magistrorum. Nos igitur ex præmissis intelligentes eidem magistro fuisse mandatum ut tamdiu in eo statu persisteret quo tunc erat donec magistrorum communioni de mandato sedis apostolicæ redderetur, & paratus sit super præmissis satisfactionem congruam exhibere, licèt fuerit constitutum ut si quis magistrorum adversùs alios duceret resistendum, & primò, secundò, tertióve commonitus infra triduum universitati parere contemneret magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur, & ob hoc ipse fuit eorum communione privatus, quia tamen constitutum non fuit ut in perpetuum hujusmodi privatio duraret, & tam juris canonici quàm nostri moris existat ut is qui propter contumaciam communione privatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatinus supradictum magistrum statutis vestris humiliter parere curantem ad communionis vestræ consortium in magistralibus admittatis.

Epist. 275. Litteras apostolicas non [illegible] num.

PLerunque contingit quòd aliqui contra quosdam super aliquibus rebus nostris litteris impetratis, illis uti multo

tempore postponentes, tunc demum eas exhibere procurant cùm aliarum litterarum auctoritate ab eisdem contra quos ipsi primitus litteras impetrarunt cœperint conveniri, dicentes posteriores litteras non valere, utpote non facientes de prioribus mentionem. Cùm igitur non sit malitiis hominum indulgendum, præsentium auctoritate statuimus quatinus si quis nostras litteras impetrans, infra annum postquam copiam judicum habuerit, ex malitia vel negligentia postposuerit uti eis, auctoritate posteriorum valeat conveniri, licèt in ipsis nulla de prioribus mentio habeatur.

SANCTÆ MARIÆ IN CAGIA & Vallis secretæ Abbatibus, & M. Canonico Remensi.

Epist. 176. Committitur eis accusatio adversùs Abbatem S. Dionysij Remensis Cap. Cùm I. & A. De sententiis & rejudic.

CVm I. & A. Canonici sancti Dionysij Remensis ad nostram dudum præsentiam accessissent, ex parte quorundam Canonicorum ejusdem Ecclesiæ nostro apostolatui reserarunt quòd Abbas eorum super dilapidatione, perjurio, simonia, & quibusdam aliis erat multipliciter infamatus, & cùm super iis & aliis cum procuratore ipsius Abbatis apud sedem apostolicam aliquandiu litigassent, nos postmodum venerabili fratri nostro Cathalanensi Episcopo & dilectis filiis Decano sancti Quintini Noviomensis diocesis & magistro Simoni de Vallibus Canonico Laudunensi dedimus in mandatis ut ad Ecclesiam ipsam pariter accedentes, tam in capite quàm in membris appellatione postposita corrigerent corrigenda & statuerent quæ statuenda viderent. *Et infrà.* Vnde judices de voluntate partium Abbate ipso ad administrationem spiritualium restituto, quibusdam discretis & fidelibus viris curam temporalium commiserunt. Post hæc autem Abbatis & Canonicorum juramenta recipentes, quosdam eorum examinaverunt eodem die, ad examinandos alios diem alium statuendo; quem gratanter pars utraque recepit. Sed statuto die Abbate coram eis minimè comparente, Abbas sancti Iacobi Pruvinienſis avunculus ejus se cum litteris de rato patentibus præsentavit. Quo nequaquam contradicente, in examinatione ipsa judices processerunt; & cùm die sequenti parati essent sententiam promulgare, procurator jamdictus litteras exhibuit coram eis, in quibus continebatur expressè quoniam appellationem quam prima die interposuerat innovabat. Sed judices attendentes quòd idem Abbas appellationi prædictæ tacitè renuntiaverat juramentum præstando & ipsorum judicium subeundo, maximè cùm appellationis obstaculum nostris esset litteris interclusum, & de ipsius Ecclesiæ lapsu irreparabili timeretur, habito virorum prudentum consilio, memoratum Abbatem ab administratione ipsius Ecclesiæ per sententiam removerunt, correctione membrorum dilata, quam tunc non poterant expedire; à qua sententia tamquam iniqua procurator prædictus ad nostram audientiam appellavit, pro eo quòd interlocuti fuerant delegati prædictis ex causis ab appellatione fuisse recessum. Porrò præfatus Abbas & procurator Canonicorum propter hoc nuper ad sedem apostolicam venientes, coram dilecto filio nostro Iohanne sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, quem ipsis dedimus auditorem, idem Abbas multa proposuit, per quæ dicebat ipsam sententiam meritò reprobandam; tum quia litteræ illæ, quarum auctoritate judices processerant, per suppressionem unitatis fuerant impetratæ, cùm Canonici per quos fuerunt obtentæ de triplici excommunicationis sententia, qua per eum pro eo quòd aleatores erant & tabernas frequenter intrabant & inobedientes existebant eidem, ligati fuerant, non fecerant mentionem; tum quia post appellationem ad nos interpositam in inquisitione ipsa, cùm denuntiationem caritativa commonitio minimè præcessisset, eo non restituto, & lite non contestata, in negotio ipso processerant; tum etiam quia juramenta conspiratorum recipientes judices contra ipsum, depositionibus minimè coram partibus publicatis nec ostensis eidem, ad sententiam procedere præsumpserunt. *Et infrà.* Quia verò de conspirationis articulo nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita pleniùs veritate, si vobis constiterit quòd illi conspiratores fuerint quorum constat à judicibus juramenta recepta, & quòd hoc ipsum Abbas probare voluit coram eis, & quòd eorum dicta judices sequuti tantummodo, cùm per alios eadem probata non essent, sententiam protulerunt, vos appellatione remota irritantes processum eorum, in negotio ipso juxta præscriptam formam in prioribus comprehensam litteris procedatis. Si verò eos conspiratores fuisse nequiverit comprobari, vel licèt de hoc constaret, appareat tamen illos nihil super iis deposuisse pro quibus idem fuit Abbas amotus, vel etiam si ali-

qua depoſuerint ſuper iis, ea tamen per aliorum dicta fuerant ſufficienter oſtenſa, proceſſum ipſorum judicum ſublato appellationis obſtaculo confirmetis: quia licèt adversùs Abbatem non debuerint conſpiratores admitti, juramenta tamen ipſorum de veritate dicenda ſuper ſtatu ipſius domus recipi potuerunt, ut per ipſorum dicta ſuper aliis fides poſſet haberi quæ Abbatem minimè contingebant, præſertim cùm tunc probatum non eſſet eos conſpiratores fuiſſe.

CAPITVLO MESSANENSI.

Epiſt. 277. Conceditur ei ut cohabitet ſecundæ uxori, quam duxit priore vivente. *Cap.* Veniens. *De eo qui duxit.*

VEniens ad præſentiam noſtram G. laicus lator præſentium humili nobis inſinuatione monſtravit quòd cùm olim in civitate Lemovicenſi quandam ſibi matrimonialiter copulaſſet, & per biennium cohabitaſſet eidem, ab ea demum animi levitate receſſit, cùmque per ſeculum evagando Meſſanam advenerit, ibidem M. mulierem inſciam penitùs quòd idem G. aliam haberet uxorem ſibi ſolemniter copulavit, ex qua duos filios dinoſcitur ſuſcepiſſe. Verùm cùm eidem in pœnitentia fuiſſet injunctum ut ad legitimam rediret uxorem, & ipſe propter hoc in ſuam patriam rediiſſet, uxorem ſuam inveniens carnis debita perſolviſſe, ad Meſſanenſem rediit civitatem, & ſupradictæ M. tamquam legitimæ cohabitavit uxori. Nunc autem impoſitam ſibi pro priori exceſſu pœnitentiam agens, humiliter & devotè cohabitandi eidem M. à nobis licentiam poſtulavit. Licèt autem præfatus G. vivente legitima conjuge prædictam M. ſibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defuncta, utpote à lege ipſius ſolutus, in eandem M. de novo potuit matrimonialiter conſentire, dummodo non præſtiterit fidem adulteræ vel machinatus non fuerit in mortem uxoris, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, eundem G. ut ſupradictæ M. affectu adhæreat conjugali, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, licentiam concedatis, non permittentes eundem ſuper hoc ab aliquibus indebitè moleſtari.

APPENDIX
LIBRI VNDECIMI.

Dilectis filiis fratribus cœnobij ſancti Proſperi ſubtus civitatem Regij conſtitutis tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 117. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere ac petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium ſancti Proſperi, quod ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri & Celeſtini prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus, qui ſecundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones &c. *uſque* permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus tenimentis & pertinentiis ſuis & cimiterio ſuo. Novem jugera terræ cum Capella ſancti Nazarij quam à quodam Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ ſancti Proſperi infra caſtrum ejuſdem civitatis ſitæ per commutationem juſtè factam Abbas qui tunc temporis erat accepit, necnon & omnem terram illam de Corticella vel in circuitu ipſius monaſterij quæ ab Epiſcopis vel Canonicis vel à quibuſcunque fidelibus jamdicto monaſterio data eſt. Inſuper duodecim manſos in Foſſule, quatuor in Palude, quatuor in Campagnola, tres in Quingenta, unum in Curte nova, unum in Gurgo, unum in Foſſadunde, quinque in Bagnolo, & Capellam ſanctæ Muſtiolæ cum ſuis pertinentiis, unum manſum in Cruſtulo veteri, unum in vico de Sbregato, unum in magno Caſali, & Capellam ſancti Silveſtri cum dominicatu de eadem villa magni Caſalis, tres manſos in Regio & ducatu Regij, Braidam Regis & omnem terram prædicti monaſterij circa eandem civitatem ſitam, tres manſos in Rodano, tres in Marmiro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lo, unum in Aliano, unum in Bibiano, unum in Piano, unum in Mulazano, unum in Planzo, unum in castro Oleriani, & curtem de Nasseto cum Lama Praularia & campo, & rivum de Nasseto, quæ à Karolo piissimo Rege per præceptum juxta fines designatos Regiensi Ecclesiæ data esse dinoscitur, & terram quam dedit Rolandus filius Heriberti. In Mutilena quatuor mansos, cum Capella, & quandam partem castri. In Albinea quatuor mansos, & Capellam sanctæ Mariæ in Pisignano, cum oliveto sibi adjacente. In Vergnano duos mansos, & octo mansos quos dedit Ardicio filius Attonis filij Gandulphi, & Capellam sancti Dalmatij in Medule, quam dedit Vbertus Comes, cum septem mansis. Capellam sancti Petri de Canarolo cum omnibus suis pertinentiis. In Spezano unum mansum, unum in Floriano, in monte Baranzonis unum, & quartam partem in Capella sancti Martini in Revere, & quatuor partes in prædicta Revere, duas in Ecclesia sanctæ Mariæ, unam in sancto Florentino, unam in Sancto Laurentio, duos mansos in Pulianello, & quicquid juris intra Italicum regnum justè possidet seu de jure possidere debet. Sanè novalium vestrorum &c. *usque* præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos à seculo fugientes in monasterio vestro ad conversionem recipere & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem monasterio professionem &c. *usque* retinere. Obeunte verò te Abbate &c. *usque* eligendum. Ob reverentiam quoque beati Prosperi confessoris Domini, ad exemplar ejusdem Alexandri Papæ prædecessoris nostri statuimus ut liceat Abbati & fratribus ipsius monasterij, quibus idem Abbas injunxerit, dummodo sacerdotij fungantur officio, populis undecunque ejusdem sanctissimi confessoris limina visitantibus, vel ipsius terræ incolis ad eandem Ecclesiam convenientibus, super ipsius sacras reliquas Missarum solemnia publicè celebrare, dummodo non sint excommunicati vel interdicti, ipsosque reficere pane verbi Dei, & post solemnem & publicam confessionem ab eis factam, remissionem & benedictionem communem super ipsos proferre, orationum vestrarum aliorumque bonorum operum quæ in monasterio vestro jugiter fiunt eis participationem concedere, prout ipsorum devotio prometetur. Præcipimus quoque ne quis ejusdem civitatis Episcopus vel Metropolitanus aut quælibet magna parvaque ecclesiastica secularisve persona quicquam eorum quæ suprà taxavimus pervertere audeat, neque quavis occasione inibi Missas publicas celebrare aut ordinationem aliquam, quamvis parvissimam, sine voluntate Abbatis & fratrum agere, aut excommunicationem contra ipsos facere, vel aliquod officium contradicere, sed neque aliquam potestatem vel jurisdictionem contra ipsum venerabile cœnobium exercere præsumat, sicut hactenus est obtentum. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus &c. *usque* mortuorum corpora assumentur. Decernimus ergo ut nulli &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus à sede apostolica perceptæ libertatis, bisantium unum nobis nostrisque successoribus singulis annis exolvetis. Si qua igitur in futurum &c. *usque* inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij x. Kal. Februarij, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

CAPITVLO BIVINENSI.

Epist. 179. De confirmatione privilegiorum.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, donationes & concessiones casalium, videlicet sancti Petri in Drugazzano, Balnei, Castelluccij, de Sclavis, casalis Domni Leonis, casalis sanctæ Mariæ de Nebula, casalis Sabuceti, & aliorum jurium seu libertatum quas Robertus olim Palatinus Comes Loretelli Bivinensi fecit Ecclesiæ, cujus privilegio nobis ostenso pleniùs & apertiùs continetur, interveniente confirmatione dilecti Ecclesiæ filij illustris Siciliæ Regis Guillelmi primi typario suo bulla aurea ad æternam rei memoriam communita, & præterea ipsius Ecclesiæ Capitulo specialiter casale quoddam & territorium sancti Petri de Matrice per eundem donata Comitem filium benedictum ejus speciali privilegio continetur, necnon antiquas consuetudines & jura per eundem obtenta Capitulum eo tempore cujus memoria non extabat, prout apparuit manifestè, ex apostolicæ sedis clementia perpetuam firmitatem habere volentes, auctoritate apostolica confirmamus, continentiam infrascripti privilegij,

donationes factas Capitulo, dimissis aliis suo esse munimine regio roboratis, de verbo ad verbum præsenti confirmationi nostræ jussimus inserendam. * *ROBERTVS Dei gratia Palatinus Comes Loretelli &c.* Quæ prædicta omnia nostra confirmatione præhabita præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat dictam Ecclesiam & Capitulum temerè perturbare sive quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra &c. *usque* ultioni. Cunctis autem prædictis Ecclesiæ & Capitulo sua jura servantibus &c. *usque* consequantur. Datum Laterani per manus Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij III. Non. Februarij, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

* To. 8. Ital. fac. pag. 364.

HVBALDO EPISCOPO Faventino.

Epist. 280. Transfertur ad Ecclesiam Ravennatem. *Vide suprà epist. 249.*

ECclesia Ravennæ suo viduata pastore, suffraganei & Capitulum ejusdem Ecclesiæ Ravennatis convenientes ad invicem de substitutione Pontificis ..... venerabilibus fratribus nostris Iohanne Cerviensi & Alberto Saffinate Episcopis, & dilectis filiis Presbytero Iohanni & Donato Canonicis & Presbyteris, Voberto & Martino Cantoribus ejusdem Ecclesiæ, Bernardo sancti Apollinaris in Classe & Ambrosio sancti Apollinaris in novo Abbatibus, & Presbytero Iohanne, ac Petro * Diacono Primicerij eligendi seu postulandi Pontificem ..... præhabita diligenti .... te in Archiepiscopum postularunt, nobis humiliter supplicantes ut postulationi ipsorum annuere dignaremur. Nos ergo, non solummodo approbantes, verùm etiam ratam habentes postulationem [eandem, te à vinculo quo] tenebaris Ecclesiæ Faventinæ duximus absolvendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus ad Ecclesiam Ravennatem accedens, circa regimen ejus insistere studeas salubriter & prudenter. Nos enim suffraganeis ejusdem Ecclesiæ & clero & populo Ravennatensi per nostras damus litteras in mandatis ut tibi tamquam pastori suo [impendant] & exhibeant reverentiam debitam & honorem. Datum Laterani Kal. Iunij, anno undecimo.

* Diaconorum primicerio

ROFFRIDO TITVLI sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali Abbati & Conventui Casinensi.

Epist. 281. De revocatis alienationibus.

LIcèt ex apostolicæ servitutis officio, quo generaliter sumus sapientibus & insipientibus debitores, de universis Ecclesiis curam & sollicitudinem gerere teneamur, ad monasterium tamen vestrum eò propensiùs nos convenit aciem nostræ provisionis extendere quò specialius juris & proprietatis apostolicæ sedis existit, cùm non alium supra se quàm Romanum habere Pontificem dinoscatur. Sanè cùm ad idem monasterium visitationis gratia venissemus, investigato de statu ejus in interioribus & exterioribus diligenter, ab hospitali, vestiario, sacristia, infirmitorio, & cellario multa minùs licitè alienata comperimus; de qua subtractione prælibata officia detrimentum multiplex sustinebant. Volentes igitur indemnitatibus monasterij memorati paterna sollicitudine præcavere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus universa quæ ab officiis ipsis minùs licitè alienata noscuntur, ad ea curetis in integrum revocare, illorum quibus deputata sunt usibus omnimodis profutura, auctoritate apostolica statuentes ut nec tu, fili Abbas, nec tuorum quilibet successorum de his quæ taliter revocabitis, seu illis quæ in præsentiarum præfata officia possident, alienare, distrahere, vel concedere præsumatis. salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Ne verò hujusmodi nostra provisio temeritate cujuslibet possit impediri, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut tam ea quæ superiùs sunt expressa quàm etiam & terratica, necnon alia quæ à monasterio vestro in ejus dispendium minùs legitimè alienata vel concessa noscuntur, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo legitimè revoletis ad ipsum. Decimas autem de possessionibus ad Ecclesias vestras parochiali jure spectantibus, in quibus jus plenum habetis, liceat vobis nomine prædictarum Ecclesiarum exigere, ac recusantes solvere, cùm tam ex veteris quàm ex novæ legis præcepto decimæ debeantur Ecclesiis, ad solvendum spirituali & temporali districtione, si opus fuerit, coërcere, cùm utramque jurisdictionem habeatis in ipsis; ita quòd cum Clericis qui deserviunt prædictis Ecclesiis de hujusmodi decimis rationabiliter componatis, tamquam etsi hactenus eas minimè perce-

piſſent. Ceterùm ſi tu, fili Abbas, per te aliqua de ſpectantibus ad præſcripta officia diſtraxiſti, quæ de levi fortaſſe non poſſis ſine ſcandalo vel injuſtitia revocare, volumus & jubemus ut ſecundùm æſtimationem eorum, de iis quæ ſpecialiter pertinent ad menſam Abbatis officiis tantundem aſſignes in uſus eorum liberè convertendum donec illa fuerint revocata, firmiter injungentes quatenus hoſpitalitati & eleemoſynæ pleniùs inſiſtatis, & ab iniquis & immoderatis exactionibus omnino ceſſetis, ut & pauperes Chriſti de pia ſubventione lætentur, & homines monaſterij de gravamine non triſtentur injuſto. Præterea ſupplicationibus veſtris grato condeſcendentes aſſenſu, reditum duarum librarum argenti quas apoſtolicæ ſedi venerabilis frater noſter Turritanus Archiepiſcopus ab Eccleſia ſanctæ Mariæ de Teugo exigebat, vobis in vita noſtra donamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ juſſionis, conſtitutionis, conceſſionis, & donationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud ſanctum Germanum VIII. Kal. Auguſti, pontificatus noſtri anno undecimo.

DILECTIS FILIIS ROFFRIDO Abbati monaſterij ſancti Benedicti Caſinenſis ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

OMnipotenti Deo, cujus melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus copioſas, quoniam glorioſus in ſanctis ſuis atque mirabilis eſt, & virtutes ſuas ubicunque vult ineffabili bonitate demonſtrat. Ipſe quippe dignationis ſuæ potentia beatiſſimum Benedictum patrem conſtituit monachorum, ipſum monaſticæ legis latorem & operatorem eſſe diſponens, ut meritò Caſinenſe monaſterium, in quo & ſanctiſſimè vixit & glorioſiſſimè obiit, omnibus per occidentem monaſteriis dignitatis privilegio antecellat. Quoniam igitur dignum eſt ut tam celebre ac ſolemne monaſterium apoſtolica ſedes ſpecialiùs amplectatur, monaſterium ipſum ad exemplar felicis memoriæ Clementis Papæ ac prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri ac noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus, in primis ſiquidem ſtatuentes ut idem monaſterium & omnia quæ ad ipſum pertinent pleno jure, quieta ſemper & ab omni jugo mortalium libera, ſub ſolius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ jure ac perpetua defenſione conſiſtant. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis monaſterium Domini Salvatoris poſitum ad pedem Caſini montis, monaſterium ſanctæ genitricis Dei virginis Mariæ quod vocatur Plumbarola, monaſterium ſanctæ Mariæ in Cingla, cellam ſancti Benedicti in Capua cum cellis & pertinentiis ſuis, ſancti Angeli ad Formam cum cellis & pertinentiis ſuis, ſancti Iohannis puellarum, ſancti Rufi, ſancti Benedicti Pizoli, ſancti Angeli ad Odaldiſcos, ſanctæ Agathæ in Averſa, ſanctæ Cæciliæ & ſancti Dimitrij in Neapoli. In civitate Beneventana Eccleſiam ſancti Benedicti ad portam Rufini, ſancti Nicolai in civitate nova, ſancti Benedicti in Pantana, ſancti Nicolai in Petrapulecina, ſancti Georgij in Fenuclo, ſancti Iohannis in Turlecuſo, ſancti Petri in Roſſano, ſancti Angeli in Capraria, ſancti Ianuarij prope Beneventum, ſancti Martini ibidem, ſancti Dionyſij in ponte, ſancti Anaſtaſij, ſanctæ Mariæ in Canneto juxta fluvium Trinium, ſancti Benedicti & ſancti Laurentij in Salerno, ſancti Liberatoris in Marchia cum omnibus ſuis pertinentiis, ſancti Benedicti in Marſi, ſanctæ Mariæ in Luco cum pertinentiis ſuis, ſancti Coſmatis in Civitella, ſancti Angeli in Bareio cum omnibus pertinentiis ſuis, ſanctæ Mariæ ancillarum Dei in civitate Coſentina, ſancti Petri de Lacu, ſancti Petri de Avellana cum cellis & pertinentiis ſuis, ſancti Eraſmi & ſancti Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ & ſancti Martini in Caieta, ſancti Magni in Fundis cum cellis & pertinentiis ſuis, ſanctæ Agathæ, ſancti Benedicti, & ſancti Stephani in Tarracina, ſancti Petri in Foreſta cum cellis & pertinentiis ſuis, ſancti Eliæ in Ambriſia, ſancti Pauli in Foreſta, ſanctæ Mariæ & ſancti Vincentij in Pontecurvo cum cellis & pertinentiis ſuis, ſancti Benedicti in Bagnarola, ſanctæ Mariæ & ſanctæ Luciæ in Rivo Matricio, ſancti Nicolai & ſancti Petri in Caſtello, ſancti Iohannis in Carrica,

sancti Angeli & sancti Nicandri & sancti Thomæ in Troia, sancti Eustachij in Pantasia, sancti Benedicti in Alarino, sancti Benedicti in Pettinari, sancti Pauli in Campo Marino, sanctæ Mariæ in Casale plano, sanctæ Illuminatæ in castello Limosano, sanctæ Trinitatis & sancti Georgij in Termole, sancti Focatis in Lesina cum foce & piscaria, sancti Benedicti in Asculo, sancti Eustachij in Petra abundanti, sancti Eustachij in Vipera, sanctæ Mariæ in Barrotano, sanctæ Scholasticæ in Pinnis, sancti Salvatoris in Tave, sancti Nicolai juxta fluvium Fustinum in Aprutio cum pertinentiis suis, sancti Iohannis ad Scurionem, sancti Benedicti in Trunto, sancti Benedicti in Tisino fluvio, sancti Apollinaris in Firmo qui dicitur ad Oplanis, sanctæ Mariæ in Arbusta, sancti Marini in Saline, sancti Angeli in Marano, & sanctorum septem fratrum, & sancti Laurentij, sancti Benedicti in Ripaursa. In comitatu Aquinensi cellam sancti Gregorij, sancti Mauritij, sancti Pauli, sancti Constantij, sancti Christophori, sancti Nicolai, & sanctæ Mariæ in Albaneto, sancti Nicolai in Ciconio, sancti Benedicti in Elya, sancti Nazarij in Comino, sancti Valentini & sancti Martini, sancti Vrbani, sancti Angeli, sancti Pauli, sancti Felicis & sancti Salvatoris, sancti Angeli in Valle Luce, sancti Michaëlis in Oliveto, sancti Nicolai in Pica cum Capellis suis, sancti Onufrij & sanctæ Mariæ de Egitpo, sancti Angeli in Canutio, sancti Iohannis de Plesclo, sanctæ Mariæ in Verule, sancti Petri in Escleta, sanctæ Luciæ & sancti Petri in Curuli, & sancti Nicolai de Francavilla, sancti Iohannis de Plantano, sancti Silvestri & sancti Martini & sanctæ Luciæ in Arpino, sanctæ Mariæ de castello Zopponis, sancti Benedicti in colle de Insula, sanctæ Mariæ in Vanuco, sancti Nicolai in Turrice, sancti Iuliani in Frisolone, sancti Valentini in Ferentino. In Anagnia sancti Cæsarij, sancti Angeli in Algido, sancti Marci in Cesano, sanctæ Agathæ in Tusculano, & sancti Hieronymi, sancti Benedicti in Albano. In Roma monasterium sancti Sebastiani quod dicitur Palladium. In Lucano cellam sancti Georgij, sancti Saltatoris in Civitella. In ducatu Spoletino, sancti Germani in Sora, sancti Benedicti in Peschesana, sancti Petri in Morinis, sancti Angeli in Pescocanale, sancti Petri in Formis, sancti Angeli in Albe, sancti Erasmi in Pomperanio, sanctæ Mariæ in cellis. In Venafro, sancti Benedicti, sancti Nazarij, sancti Martini in Issa Furca & curte, sanctæ Mariæ in Salo, & sancti Benedicti Picciolì. Ibidem sancti Benedicti in Cesinia, sancti Iacobi de Pace, sancti Benedicti & sancti Leonis in Suessa, & curtem quæ dicitur Lauriana, & feudum quod fuit Pandulfi de Patricio, sancti Iohannis in Currenti, sancti Benedicti in Trano, sanctæ Mariæ in Calvo, & sancti Agapiti in territorio Calvi, sancti Nazarij in Anglona, sancti Adjutoris & sancti Benedicti in Aliphis, sancti Domnini in Telesia, sancti Martini in Vulturno, sancti Petri in Sesto. In Amalphi, sanctæ crucis & sancti Nicolai, sanctæ crucis in Serina, sancti Marci in Carpineta, sanctæ Mariæ in Calena, sancti Benedicti in Trano, sancti Benedicti in Bari, sancti Petri imperialis in Tarento. In Calabria Ecclesiam sanctæ Anastasiæ, castellum Fellæ & sancti Nicolai in Sellettano, sanctæ Mariæ in Tropea, sanctæ Euphemiæ in Marchia, Ecclesiam sancti Martini in pede arcis. Item civitatem quæ dicitur sancti Germani positam ad pedem ipsius montis. Pontemcurvum, & castellum sancti Petri quod ab antiquis dictum est castrum Casini. Castellum sancti Angeli, Pignatarium, Teramum, Plumbarolam, Pedemonte, & villam de Pedemontis. Castellum sancti Stephani, castellum sancti Georgij, castellum sancti Apollinaris, castellum sancti Ambrosij, castellum sancti Andreæ vallis frigidæ, castellum novum Fractæ, Ecclesiam sancti Martini, Mirtulam cum ipsa curte quæ dicitur Casa Furtiva, Roccam de Vandra cum omnibus pertinentiis suis, Sugium, Turrim à mare Iuxta fluvium Garilianum sancti Salvatoris qui vocatur Cucuruzo, Vandram Comitaris, Vandram monasticam, Caminum, Venturam, Torollum; Cervariam, sanctum Victorem, sanctum Petrum in fine; sanctum Eliam, Vallem rotundam, Saranescum, castrum Atini cum omnibus pertinentiis suis, Cardetum, Aquam fundatam, Vitecosum, castrum Citrariæ cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Martini in pede arcis. In Marchia Theatina castellum Sastinianum, montem Albericæ, Mucelanum, sanctum Quiricum cum portu Frisani, sanctam Iustam. In comitatu Esculano, castellum quod dicitur Octavum post montem Cimanum, Trivilianum, & Cavinum. In principatu castellum Ripæursæ, Montembellum, Petram Fracidam. In Comino Vicum album. In territorio

Carseo-

Carſeolano caſtellum Auzicula, Piretum, Roccam incameratam, Foſſam cœcam, & Capriatam. In Amalphi Fundicum. In territorio Trojano Caſtellionem de Baruncello, ſanctam Iuſtam, villam ſancti Nicolai quæ dicitur de Gallicianis. In monte ſancti Angeli hoſpitale. In territorio Capriano gualdum de Liburia. In comitatu Tenenſi curtem ſancti Felicis cum Eccleſia ſancti Hippolyti. In comitatu Aretino monaſterium ſancti Benedicti. In territorio Piſanæ civitatis, ſancti Silveſtri & ſancti Benedicti. In Crema Eccleſiam ſancti Nicolai prope portam caſtri Martinæ in Peſulo. In regno Francorum Eccleſiam ſancti Mauri Glannofolienſis cum cellis & pertinentiis ſuis. In Sardinia inſula Eccleſiam ſanctæ Mariæ in tergo, ſancti Eliæ in monte, & ſancti Eliſæi, cum omnibus earum pertinentiis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Sabundo, & ſanctæ Mariæ de Storalbo, ſanctæ Mariæ de Tanede, ſancti Petri de Trecingle, ſancti Nicolai & ſanctæ Mariæ in Solio cum pertinentiis earum, ſancti Nicolai de Telaſa, ſancti Michaëlis in Feruziſi, ſancti Georgij in Ricello, ſancti Petri de Symbrano, ſancti Petri in Vrzi, ſancti Nicolai de Nugulbi, ſancti Iohannis & ſancti Eliæ de Sitim. In Tuſcia prope civitatem Caſtri monaſterium ſancti Columbani cum cellis & pertinentiis ſuis. Præterea patrum noſtrorum beatæ memoriæ Vrbani, Calixti, & dicti Clementis Romanorum Pontificum veſtigia ſequentes venerabile cœnobium ceteris per occidentem cœnobiis præferendum aſſerimus, & tam te quàm ſucceſſores tuos in omni conventu Epiſcoporum ſeu Principum ſuperiorem omnibus Abbatibus conſedere atque in judicio priorem ceteris veſtri ordinis juris ſententiam proferre ſancimus. Vſum quoque compagorum, chirothecarum, tunicæ, dalmaticæ, ac mitræ, virgam paſtoralem, & quotidianum uſum anuli tam tibi, fili Abbas, quàm ſucceſſoribus tuis auctoritate apoſtolica indulgemus. Sanè tam in ipſo venerabili monaſterio quàm in cellis ejus cujuſlibet Eccleſiæ Epiſcopum vel ſacerdotem præter Romanum Pontificem ditionem quamlibet aut excommunicandi aut interdicendi aut ad ſynodum provocandi præſumere prohibemus; ita ut niſi ab Abbate vel Priore loci fuerit invitatus, nec Miſſarum ſolemnia inibi audeat celebrare. Liceatque ipſius monaſterij & cellarum ejus fratribus Clericos cujuſcunque ordinis vel laicos de quocunque epiſcopatu à ſeculo fugientes & liberos & abſolutos ad converſionem venientes abſque cujuſlibet contradictione ſuſcipere. Liceat quoque abſque cujuſlibet ſecularis vel eccleſiaſticæ poteſtatis inhibitione ſubjectos monaſteriis ſuis tam monachos quàm moniales feminas judicare. Liceat etiam fratribus per cellas in civitatibus conſtitutis ad divina officia quandocunque voluerint ſigna pulſare, & januas Eccleſiæ aperire, & populum Dei tam in ipſum cœnobium quàm & in cellas ejus ad Dei verbum audiendum ingredi; & confitendi peccata ſua nullus Epiſcopus, excepto pro communi totius civitatis vel parochiæ interdicto, prohibeat. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes monachorum ſeu Clericorum à quocunque malueritis catholico accipietis Epiſcopo. Baptiſmum verò & oleum infirmorum, viſitationes in oppidis veſtris aut villis ad vos pertinentibus pleno jure per Clericos veſtros agetis. Ad perpetuum etiam hoſpitium tibi, fili Abbas, tuiſque ſucceſſoribus Palladij cellam concedimus, ut de veſtra illic congregatione quem volueritis ordinetis; quem ſi fortè Romano Pontifici in Abbatem promovere placuerit, omnino tamen tamquam veſtræ congregationis monachum ſub veſtra decernimus diſpoſitione perſiſtere. Redditum quoque qui ab officialibus noſtris apud Oſtiam vel Portum de navibus exigi ſolet navi veſtræ, ſi qua venerit, relaxamus. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilij ſanioris de collegio veſtro aut de alieno, ſi ibidem idoneus repertus non fuerit, ſecundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem conſecrandus accedat. Ad hæc, tam præſentium quàm futurorum avaritiæ ac nequitiæ obviantes, omnes omnino ſeditiones, quas lævas dicunt, ſeu direptiones in cujuſcunque morte aut electione fieri auctoritate apoſtolica interdicimus. Sepulturam ſanè loci veſtri & monaſteriorum veſtrorum liberam omnino eſſe cenſemus, ut eorum qui illic ſepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. ſalva ſemper juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Præterea cùm vobis tam in capite quàm in membris ab apoſtolica ſede ſit conceſſa libera ſepultura, Alexandri, Innocentij, & dicti Clementis prædeceſſorum noſtrorum veſ-

Vide præfat. ad lib. 1. Miscellaneor. noſtrorum.

tigiis inhærentes, vobis & vestris fratribus tam præsentibus quàm futuris duximus indulgendum ut quotiens pro corporibus mortuorum in processione vos exire contigerit, crucem, incensum, & aquam benedictam portandi juxta morem terræ liberam, nullius contradictione vel appellatione obstante, habeatis de nostra licentia facultatem. Ad exemplar quoque ipsius patris & prædecessoris nostri Clementis licentiam concedimus tibi ac legitimis successoribus tuis ut si quis ejusdem monasterij vestri & cellarum ejus possessiones aut res violenter abstulerit, postquam ipsorum Episcopi à vobis tertiò invitati justitiam de his facere omnino noluerint, vos super eosdem raptores secundò tertiòve commonitos canonicam excommunicationis sententiam proferatis. Ea verò quæ monasterium vestrum à quadraginta retro annis bona fide noscitur pacificè possedisse vobis & eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, ita quidem quòd super his nullo unquam tempore impediri debeatis vel quomodolibet molestari. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica seu secularis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temerè tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, ac in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum apud sanctum Germanum per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij VIII. Kalendas Augusti, Indictione XI. incarnationis dominicæ anno MCCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

Sequentes quoque epistolas, quamvis datæ non sint anno undecimo, visum est isthic edere, quia pertinent ad causam de qua agitur in epistola LVI. *istius libri. Eam porrò ob causam addidimus etiam epistolas Honorij II. & III. & litteras Romani Cardinalis de compositione inter Episcopum Meldensem & Abbatissam Iotrensem; post quas sequuntur rursum aliquot epistolæ Innocentij III. & Alexandri III. de eodem argumento.*

PARISIENSI EPISCOPO, & Abbati Latiniacensi.

Adversùs Abbatissam Iotrensem. Vide infrà pag. 295.

COnquerente venerabili fratre nostro Meldensi Episcopo nostris est auribus intimatum quòd Hugo Presbyter sancti Petri Iotrensis, licèt à prædecessore suo curam susceperit animarum & ei teneatur super hoc respondere, monitus ab eo ad præsentiam ejus venire contempserit, & audito ejus mandato statim in vocem appellationis prorupit, quam, cùm sit jam annus elapsus, non fuit per se vel per alium prosecutus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Presbyterum ut super hoc ipsi Episcopo debitam satisfactionem impendat & deinceps mandatis illius obediat, ut tenetur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per districtionem ecclesiasticam appellatione postposita compellatis veritati testimonium perhibere; nullis litteris veritati & justitiæ præjudicium facientibus, si quæ apparuerint à sede apostolica impetratæ. Quòd si non ambo iis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, ea nihilominus exequaris. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quarto.

EISDEM.

SIcut venerabilis frater noster Meldensis Episcopus in nostra præsentia constitutus sua nobis conquestione monstravit, Abbatissa Iotrensis illi obedientiam quam debet impendere, Clerici etiam & homines ejusdem villæ, ipsi velut Episcopo suo renuunt obedire. Ne igitur, si eorum inobedientia remaneat incorrecta, eis incentivum pariat delinquendi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus Abbatissam, Clericos & laicos supradictos, ut super hoc memorato Episcopo debitam satisfactionem impendentes, deinceps eidem sicut Episcopo suo, prout tenentur, obedientiam exhibeant & honorem, per districtionem ecclesiasticam sublato appellationis diffugio justitia mediante cogatis. Testes autem &c. Datum ut in alia.

DILECTIS FILIIS LONGI PONTIS Sueſſionenſis & ſancti Iuſti Belvacenſis dioceſium Abbatibus, & magiſtro G. Archidiacono Sueſſionenſi.

IN noſtra præſentia conſtitutus dilectus filius venerabilis fratris noſtri Meldenſis Epiſcopi procurator propoſuit coram nobis quòd cùm Iotrenſe monaſterium à ſuæ fundationis tempore fuerit Eccleſiæ Meldenſi ſubjectum, ita quòd Meldenſis Epiſcopus tam in benedictione & obedientia Abbatiſſæ quàm conſecratione altarium & Eccleſiarum, velatione virginum, Clericorum ordinatione, procurationibus, pœnitentiis imponendis pro majoribus criminibus, ac aliis in monaſterio ipſo & villa Iotrenſi epiſcopalem juriſdictionem conſueverit exercere, Abbatiſſa quæ monaſterio modò præeſt debitam ei obedientiam & reverentiam & procurationes quæ ipſi & prædeceſſoribus ejus fuerunt exhibitæ denegans, Preſbyterum etiam, Clericos & laicos villæ Iotrenſis ab ejus obedientia revocavit. Cùmque propter hæc idem Epiſcopus ſuam ad nos querimoniam deſtinaſſet, venerabili fratri noſtro Pariſienſi Epiſcopo & dilecto filio Abbati Latiniacenſi cauſam commiſimus terminandam. Coram quibus cùm reſtitutionis beneficium ſuper Abbatiſſæ obedientia & juriſdictione quam prædeceſſores ejus in monaſterio & villa Iotrenſi exercuerant poſtulaſſet, procurator monaſterij & hominum villæ prædictæ multa propoſuit contra eum; quæ quoniam judices reputarunt frivola, ſicut erant, procurator ipſe ad noſtram audientiam appellavit. Iudices verò appellationi fruſtratoriæ nullatenus deferentes, præſertim cùm per litteras noſtras ſublatum fuiſſet partibus diffugium appellandi, in Abbatiſſam excommunicationis & tam clerum quàm populum villæ Iotrenſis interdicti ſententias protulerunt, & mandaverunt poſtmodum utramque ſententiam per vicinas Eccleſias publicari. Sed nec Abbatiſſa ſe pro excommunicata habuit, nec clerus & populus interdicti ſententiam ſervaverunt. Verùm quoniam eos citare cœperunt, aliqui vicinorum per nuncios ad ſedem apoſtolicam deſtinatos ad venerabilem fratrem noſtrum * Cathalanenſem Epiſcopum tunc electum & dilectum filium Abbatem Trium fontium ſub certa forma litteras impetrarunt: qui, licèt pars monaſterij nullam exceptionum probaverit quas propoſuerat coram nobis, prædictam ſententiam relaxarunt, certum terminum partibus præfigentes quo ſe noſtro conſpectui præſentarent. Petebat igitur procurator Epiſcopi pro Epiſcopo memorato ante omnia beneficium ſibi reſtitutionis impendi, cùm non deberet cauſam ingredi ſpoliatus, & canonicè tam Abbatiſſam quàm Clericos & laicos Iotrenſis villæ puniri, quia latam in ſe ſententiam non ſervarant. Ceterùm procurator partis alterius propoſuit ex adverſo quòd cùm monaſterium Iotrenſe plena gaudeat libertate ac in villa Iotrenſi tam ſpiritualem quàm temporalem juriſdictionem habeat Abbatiſſa, ſicut prædeceſſorum noſtrorum privilegia monaſterio conceſſa Iotrenſi plenius manifeſtant, prædictus Epiſcopus non ignarus eorum monaſterium & villam Iotrenſem per litteras ad prædictos judices impetratas gravitèr moleſtavit. Coram quibus per procuratorem proprium pars eadem conſtituta, non conteſtando litem, ſed excipiendo potiùs contra eos, libertatem ſuam & jus ſedis apoſtolicæ allegavit, adiciens quòd cùm venerabilis frater noſter Hoſtienſis Epiſcopus, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus, juſtitiam noſtram & exemptionem monaſterij per ipſius privilegia cognoviſſet, electam à monialibus benedixerat Abbatiſſam, & profeſſionem ab ea pro nobis & Eccleſia Romana receperat & ſolitum etiam juramentum. Verùm cùm judices delegati & aſſeſſores eorum poſtulatas ab Abbatiſſa & ..... inducias ad exhibenda libertatis privilegia denegaſſent, procurator earum ad ſedem apoſtolicam appellavit, excipiens contra judices delegatos quòd cùm prædictus Pariſienſis Epiſcopus adversùs dilectum filium Abbatem ſanctæ Genovefæ moviſſet ſimilem quæſtionem, erat ei de jure ſuſpectus, cùm vix credibile videretur quòd aliam ſententiam promulgaret quàm vellet in ſimili pro ſe ferri. Præterea cùm ſine conjudice ſuo interloqui voluiſſet, licèt pars Abbatiſſæ illum peteret expectari, ex hoc quòd notam ſurreptionis incurrerat apud ipſas & ſuum induxerat in ſuſpicione collegam, quem aſſeruit quicquid vellet ipſe facturum, inſuper cùm de privilegiis apoſtolicæ ſedis nullam facerent mentionem, & per privilegia ipſa ſuam defenderet monaſterium libertatem, non cogebatur ad prædictas litteras reſpondere. Ceterùm judices nec appellationi ad nos interpoſitæ nec propoſitis exceptionibus deferentes, excommunicationis in Abbatiſſam & in clerum & populum interdicti ſententias protulerunt. Nuntiis ergo Iotrenſis Eccleſiæ in noſtra præſentia conſtitutis, nobiſque privilegium apoſtolicum oſtendentibus, per quod conſtabat Iotrenſe monaſterium ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter pertinere, quia pro parte altera non comparebat ſufficiens reſponſalis, licèt diutiùs fuerit expectatus, quamvis nuntius quidam ſimplex prædicti Pariſienſis & conjudicis ſui nobis litteras præſentaſſet, privilegium Eccleſiæ Iotrenſi conceſſum duximus innovandum, ita tamen quòd per innovationem ipſius nihil accreſceret juris ipſi ultra id quod ei per anteceſſorum noſtrorum privilegia fuerit acquiſitum, cùm per hoc non novum jus ipſi concedere ſed antiquum vellemus potiùs conſervare. Quia verò de prædictis exceptionibus nobis non poterat fieri plena fides, prædictis Cathalanenſi Epiſcopo & Abbati Trium fontium dedimus in mandatis ut ſi pars Iotrenſis Eccleſiæ illis vel aliis probandis inſtaret circa ſententias memoratas, partibus convocatis audirent quæ proponerentur utrinque, & ſi conſtaret ſententias ipſas poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam fuiſſe prolatas, denuntiarent eas ſublato appellationis obſtaculo non tenere; quòd ſi aliàs minùs rationabiliter eſſent latæ, ipſas exigente juſtitia revocarent; alioquin, cùm proprer contumaciam tantùm promulgatæ fuiſſent, tam ab Abbatiſſa quam ab aliis à quibus exigenda viderent juratoriam reciperent cautionem quòd ſuper iis ad mandatum apoſtolicum juri ſtarent, & ſic relaxarent ſententias memoratas, ad majorem cautelam facientes idipſum, ſi Abbatiſſa fugiens ſtrepitum quæſtionum ab exceptionum ſuarum probatione ceſſaret. Ad hæc, cùm nollemus ut de privilegiis Romanorum Pontificum alij de facili judicarent, eiſdem

Vide lib 5. epiſt. 100.

* Vide cap. 2a parte. De privileg. infrà pag. 295.

dedimus in mandatis ut si de jure suo vellet Meldensis Episcopus experiri, præfigerent partibus termium competentem quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent. Unde cùm Abbatissa strepitum judiciorum evitans exceptiones probare propositas noluisset, judices juxta mandatum apostolicum procedentes prædictas sententias relaxarunt. Cùm ergo propter hoc mandaverimus partes ad nostram præsentiam destinari quia judicari de privilegiis sedis apostolicæ per alios nolebamus, & per privilegia non possessio sed proprietas potiùs demonstretur, procurator monasterij asserebat quòd super proprietate venerat tractaturus nec tenebatur super restitutionis articulo respondere. Præterea idem Episcopus mercato quodam confirmato Iotrensi monasterio per sedem apostolicam illud temerè spoliarat, cùm sub pœna excommunicationis inhibuit ne quis illud prout solitum fuerat frequentaret, sic quòd Iotrensi Ecclesiæ non modica damna intulerat & jacturas. Idem etiam Episcopus à quibusdam Iotrensis Ecclesiæ * non modica, quos absolvere propria temeritate præsumpserit, exegit in monasterij præjudicium juramentum quòd durante interdicto Iotrum de cetero non redirent. Nos igitur attendentes quòd etsi de privilegiis antecessorum nostrorum non mandaverimus sed quodammodo inhibuerimus per alios judicari, volentes nobis eorum judicium reservare, quia tamen adjecimus ut si prædictus Episcopus de jure suo vellet forsitan experiri, præfigeretur partibus terminus quo se nostro conspectui præsentarent, & non tantùm ad proprietatem sed etiam ad possessionem se habeat verbum juris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus cùm lis tam super Episcopi spoliatione quàm impedimento fori coram nobis fuerit contestata, quæ super præmissis proposita fuerint audiatis & recipiatis appellatione remota tam instrumenta quàm testes, depositiones publicetis & examinetis legitimè, ac si partes consenserint, ad sententiam procedatis. Alioquin causam sufficienter instructam ad nos remittere procuretis, statuentes terminum competentem partibus quo recepturæ sententiam per se vel responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, & timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagniæ XI. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno sexto.

* *f.* hominibus, quos

DILECTIS FILIIS DECANO sancti Thomæ Crispiacensis Silvanectensis diocesis, Germendo Canonico Suessionensi, & magistro Girardo de sancto Dionysio Canonico Noviomensi.

OLim inter procuratores venerabilis fratris nostri Meldensis Episcopi & dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ Iotrensis lite in auditorio nostro legitimè contestata tam super obedientia quam dictus Episcopus ab eadem Abbatissa conquerebatur sibi esse subtractam in consecratione altarium, dedicatione Ecclesiarum, velatione virginum, ordinatione Clericorum, exhibitione procurationum, & pœnitentiis pro majoribus criminibus imponendis, ac aliis quæ in monasterio & villa Iotrensi Meldensis Episcopus consueverat exercere, quàm impedimento fori, super quo Abbatissa conquerebatur per ipsum Episcopum illatas sibi & monasterio suo graves injurias & jacturas, nos examinationem hujus negotij dilectis filiis Longipontis & sancti Iusti Abbatibus & magistro G. Archidiacono Suessionensi duximus committendam. Qui auditis confessionibus, receptis testibus, & allegationibus intellectis, causam ipsam sufficienter instructam cum quorundam instrumentorum rescriptis ad nostrum remiserunt examen, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui præsentarent. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, postquam de meritis causæ fuimus sufficienter instructi, de fratrum nostrorum consilio restitutionem obedientiæ super præscriptis capitulis, salva quæstione proprietatis, adjudicavimus Episcopo faciendam, illis duntaxat exceptis super quibus in clero & populo villæ Iotrensis asserebat obedientiam sibi fuisse subtractam; super quibus ab impetitione Episcopi quoad judicium possessorium absolvimus Abbatissam, eundem Episcopum nihilominus absolventes super impedimento fori de quo eum ad restitutionem damnorum impetierat Abbatissa. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus prælibatam sententiam per censuram ecclesiasticam facientes firmiter observari, postquam idem Episcopus fuerit restitutus, audiatis quæ super jure proprietatis proposita fuerint coram vobis, & causam sufficienter examinatam ad audientiam nostram fideliter remittatis per nostræ diffinitionis sententiam terminandam. Si verò præfatus Episcopus infra mensem post factam sibi restitutionem nollet coram vobis super petitorio respondere, vos eum de contumacia punientes, Abbatissam in possessionem libertatis super præscriptis capitulis reducatis. Testes autem qui fuerint nominati &c. Nullis litteris &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno octavo.

DILECTIS FILIIS SANCTI Iusti Belvacensis diocesis & Longipontis Abbatibus, & G. Archidiacono Suessionensi.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Meldensis Episcopus quòd cùm causam quæ inter ipsum ex una parte & Abbatissam, clerum & populum Iotrenses Meldensis diocesis ex altera super obedientia, procurationibus, & aliis quæ in monasterio ejusdem loci & villa Iotrensi idem Episcopus sibi diocesano jure competere asserebat, sub certa forma vobis duxerimus committendam, vos interlocutoriam protulistis quòd dictus Episcopus contra clerum & populum per litteras illas agere non valebat. Quare idem Episcopus vobis dari in mandatis à nobis humiliter postulabat ut eum tam contra Abbatissam quàm dictos clerum & populum audientes, in causa prædicta juxta prioris mandati nostri tenorem procedere

ratione prævia curaretis. Cùmque dilectus filius magister P. procurator cleri & populi Iotrensis se opponeret ex adverso, dilectum filium A. Subdiaconum & Capellanum nostrum ipsis dedimus auditorem. In cujus præsentia idem magister proponere procuravit quòd cùm idem Episcopus contra Abbatissam, clerum & populum Iotrensem litteras apostolicas impetrasset de libertatibus vel privilegiis quæ ipsis à sede apostolica sunt indulta, quarum Episcopus ipse non erat ignarus, nulla penitùs habita mentione, auctoritate illarum litterarum agere voluit contra eos, & propter contumaciam fecit in ipsos post appellationem ad nos legitimè interpositam excommunicationis & interdicti sententias promulgari; quas postmodum venerabilis frater noster Cathalanensis Episcopus & dilectus filius Trium fontium Abbas auctoritate apostolica relaxantes, partibus certum terminum quo se nostro conspectui præsentarent de mandato sedis apostolicæ præfixerunt. Cùmque procuratores utriusque partis termino constituto fuissent in nostra præsentia constituti, procurator ipsius Episcopi contra Abbatissam intendens, nihil penitùs contra clerum & populum proponere procuravit. Vnde ad suscitandam contra clerum & populum quam semel omiserat quæstionem admitti iterum non debebat. Quia verò de præmissis nobis non potuit fieri plena fides, vobis de communi partium assensu per apostolica scripta mandamus quatenus tam in Abbatissam quàm clerum & populum Iotrensem juxta commissionis vobis factæ tenorem ratione prævia procedatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Martij, pontificatus nostri anno octavo.

HONORII III. EPISTOLA de eadem controversia.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Archidiacono & Cantori sancti Petri & Thesaurario sancti Stephani Trecensis salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte venerabilis fratris nostri Meldensis Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm Abbatissa quæ Iotrensi monasterio modò præest, de speciali mandato nostro fuerit benedicta, & præjudicium sibi afferre non debeat quod nos circa hoc fieri fecimus, super jure benedicendi Abbatissas in monasterio Iotrensi in posterum eligendas faceremus eidem justitiæ plenitudinem exhiberi. Nos igitur ejusdem Episcopi postulationibus inclinati, nolentes sibi ex benedictione auctoritate nostra præstita præjudicium generari, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis, audiatis causam & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Viterbij v. Idus Martij, pontificatus nostri anno quarto.

COMPOSITIO FACTA INTER Episcopum Meldensem & Ecclesiam Iotrensem.

ROmanus miseratione divina sancti Angeli Diaconus Cardinalis apostolicæ sedis Legatus omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit in Domino salutem & sinceræ dilectionis affectum. Noverit universitas vestra quòd suborta inter venerabilem patrem Petrum Episcopum Meldensem ex parte una & dilectos in Christo Abbatissam & conventum, clerum & populum Iotrensem ex altera super subjectione ipsius monasterij & eorundem cleri & populi materia quæstionis, idem Episcopus proposuit in jure libellum hujusmodi contra eos. PETIT Meldensis Episcopus ab Abbatissa & conventu Iotrensi quòd sibi obediant tamquam suo Episcopo in visitationibus faciendis, in corrigendis excessibus, in cognitionibus causarum tam civilium quàm spiritualium quàm criminalium quarum cognitio ad Episcopum dioc esanum pertinet tamquam ad judicem ecclesiasticum, & in decisionibus earundem, & in iis quæ ad cognitionem & decisionem pertinent, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, & in aliis quæ ad cognitionem & decisionem pertinent, & in observatione mandatorum suorum & statutorum suorum legitimorum, & processionibus faciendis Episcopo Meldensi quando post consecrationem suam primò accedit ad Ecclesiam earum, & in omnibus aliis ad jus episcopale pertinentibus. Petit etiam quòd Abbatissa in omnibus prædictis obedientiam ei promittat, his exceptis in quorum possessione est idem Episcopus & quorum possessio fuit ei adjudicata auctoritate Domini Papæ, videlicet in consecratione altarium, in dedicatione Ecclesiarum, velatione virginum, ordinatione Clericorum, exhibitione procurationum, & pœnitentiis pro majoribus criminibus injungendis; de quibus ad præsens non agit, cùm sit in possessione eorundem. Petit etiam idem Episcopus ut non impediant ipsum uti de cetero jurisdictione omnimoda quam potest exercere in suis subditis Episcopus diocesanus in clero & populo Iotrensi. Petit à clero Iotrensi Episcopus Meldensis quòd sibi obediat tamquam suo Episcopo in visitationibus faciendis, in corrigendis excessibus, in cognitionibus causarum tam civilium quàm spiritualium quàm criminalium quarum cognitio ad Episcopum diocesanum tamquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, & in decisionibus earundem, & in his quæ ad cognitionem & decisionem pertinent, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, & in aliis quæ ad cognitionem & decisionem pertinent & ad executionem eorum faciendam, & in observatione mandatorum & statutorum suorum legitimorum, & in omnibus aliis ad jus episcopale pertinentibus, hoc excepto in cujus possessione est idem Episcopus, videlicet in ordinatione eorum. Petit Episcopus Meldensis à populo Iotrensi quòd sibi obediant tamquam suo Episcopo in corrigendis excessibus omnibus quorum correctio ad Episcopum diocesanum tamquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, in cognitionibus causarum tam civilium quàm spiritualium quàm criminalium quarum cognitio ad Episcopum diocesanum tamquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, & in decisionibus earundem, & in his quæ ad cognitionem & decisionem pertinent earundem, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, & in aliis quæ ad cognitionem & decisionem pertinent, & ut sen-

» tentias excommunicationis & interdicti ab ipso » latas in ipsos observent, & ut obediant ei in om » nibus aliis ad jus episcopale pertinentibus. Quic » quid autem idem Episcopus ab Abbatissa & con » ventu & clero & populo Iotrensi petit, petit sal » vo jure addendi, minuendi, mutandi.] Istis au tem petitionibus procurator Abbatissæ & con ventus, cleri & populi Iotrensis in hunc modum » respondit. DICVNT Abbatissa & conventus » monasterium Iotrense exemptum esse & subesse » immediatè Domino Papæ in omnibus & proprie » tatem totius jurisdictionis ecclesiasticæ in mona » sterio Iotrensi nullo mediante ad Dominum Pa » pam pertinere, & usum esse monasterium longis » simo tempore hac libertate; sicut probabimus, » si necesse fuerit, per privilegia & testes & instru » menta. Et ideo dicunt Abbatissa & conventus » quòd non tenentur obedire Episcopo Meldensi in » visitationibus faciendis nec in alia re pro visita » tione facienda, in excessibus corrigendis, in cau » sarum civilium vel spiritualium vel criminalium » cognitionibus, nec in decisionibus earundem, nec » tenentur venire ad citationes ipsius, nec recipe » re dierum assignationes, nec mandata vel statuta » observare, nec ei processionem facere quando pri » mò accedit post consecrationem suam ad Eccle » siam Iotrensem, nec aliàs ei in aliquibus ad epis » copale jus pertinentibus obedire. Item non te » netur ei Abbatissa super præmissis vel aliquo præ » missorum vel aliqua re in mundo obedientiam re » promittere. Quod autem dicit Episcopus se ip » sum esse in possessione quantum ad pœnitentias » pro majoribus criminibus imponendas, negant » Abbatissa & conventus ipsum esse in possessione. » Aliorum verò articulorum in quorum possessione » dicit se esse idem Episcopus, dicunt ipsum nullum » jus habere in proprietate. Dicunt etiam Abbatis » sa & conventus omnimodam justitiam ecclesiasti » cam & forensem in clero & populo Iotrensi per » tinere ad Abbatissam. Dicit clerus Iotrensis quòd » non tenetur obedire Episcopo Meldensi in visita » tionibus faciendis & in corrigendis excessibus & » cognitionibus causarum tam civilium quàm spiri » tualium quàm criminalium quarum cognitio ad » Episcopum diocesanum tamquam ad judicem ec » clesiasticum dicitur pertinere, nec in decisionibus » earundem, nec venire ad citationes ipsius, nec » assignationes dierum accipere, nec mandata ejus » observare, nec ei in aliquo obedire. Dicit popu » lus Iotrensis omnimodam justitiam ecclesiasticam » & forensem in populo Iotrensi pertinere ad Ab » batissam Iotrensem. Et ideo respondet per se idem » quod clerus respondet per se, & quod in nullo » tenetur obedire Meldensi Episcopo. Hæc omnia » respondent Abbatissa & conventus, clerus & po » pulus Iotrensis; salvis privilegiis Domini Papæ, » & salvo jure Ecclesiæ Romanæ, & salvo jure ad » dendi, minuendi, corrigendi, & mutandi.] Cùmque super iis fuisset coram judicibus à sede apostolica delegatis diutiùs litigatum, tandem utraque pars tam super iis de quibus alt. extiterat quàm etiam super omnibus aliis quæ quoquo modo poterant ratione proprietatis vel pos sessionis ad jus episcopale lege diocesana vel jure communi seu alio quocunque jure spectare com miserunt se judicio, diffinitioni, seu ordinationi » nostris sub iis formis. OMNIBVS præsentes litteras inspecturis Petrus Dei gratia Meldensis Episcopus salutem in Domino. Noverit univer sitas vestra quòd cùm inter nos ex una parte & Abbatissam & conventum, clerum & populum Iotrensem ex altera super subjectione ipsius mo nasterij & eorundem cleri & populi tam ex pe titorio judicio quàm possessorio quæstio verte retur, quod monasterium cum eisdem clero & populo nobis dicebamus pleno jure subjectum necnon & omni jure subjectionis ad nos & suc cessores nostros tamquam loci diocesanos lege diocesana spectare, & posse in ipso monasterio, clero & populo Iotrensi liberè procurationem re cipere, visitationem, correctionem, & omnia ju ra episcopalia exercere, quod eædem Abbatissa & conventus negantes, ipsum monasterium, clerum & populum Iotrensem asserebant ad jus & pro prietatem Ecclesiæ Romanæ nullo medio pertine re, super præmissis & omnibus aliis quæ possent ad jus episcopale spectare de consensu Decani & Archidiaconorum & Capituli nostri commisimus nos judicio, diffinitioni, seu ordinationi venera bilis [patris] Romani sancti Angeli Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati, in ipsum tam quam in Legatum & judicem consentiendo, pro mittentes nos judicium, diffinitionem, seu ordi nationem ipsius in perpetuum servare & nullo tempore contravenire, renuntiando omnibus ju dicibus, commissionibus, processibus, & actis quæ nobis competebant vel competere possent in causa ista. In cujus rei testimonium, ad majorem præmissorum omnium firmitatem, præsentes lit teras exinde confectas sigillo nostro duximus ro borandas. Actum Meldis anno Domini MCC. vi cesimo quinto, mense Octobri.] OMNIBVS præsentes litteras inspecturis Decanus, Brien sis & Meldensis Archidiaconi, totumque Meldensis Ecclesiæ [Capitulum] salutem in Domino. No verit universitas vestra nos litteras venerabilis pa tris Petri Episcopi nostri sigillo sigillatas inspexisse formam hujusmodi continentes. PETRVS Dei gratia Meldensis Episcopus &c. *ut superius conti nentur.* Nos igitur præscriptarum litterarum te nore diligenter inspecto factum dicti Episcopi no stri in hac parte approbavimus & ratum habuimus, nostrum super præmissis omnibus impartientes as sensum. In hujus itaque rei evidentiam sigilla nostra præsentibus duximus litteris appendenda. Actum Meldis anno Domini MCC. vicesimo quinto, mense Octobri.] OMNIBVS præsen tes litteras inspecturis Abbatissa & conventus, clerus & populus Iotrensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd cùm inter nos ex una parte & venerabilem patrem Petrum Epis copum Meldensem ex altera super subjectione nostra tam petitorio judicio quàm possessorio quæ stio verteretur, cùm idem Episcopus assereret Io trense monasterium & nos pleno jure sibi subesse necnon & omni jure successionis ad ipsum & suc cessores ipsius tamquam loci diocesanos lege dio cesana spectare & posse in ipso monasterio & nobis liberè procurationem recipere, visitationem, cor rectionem, & omnia jura episcopalia exercere, quod nos negantes, dictum monasterium Iotren se asserebamus ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ nullo medio pertinere, super præmissis & omnibus aliis quæ possent ad jus episcopale

„ spectare commisimus nos judicio, diffinitioni, seu
„ ordinationi venerabilis patris Romani sancti An-
„ geli Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati,
„ in ipsum tamquam in Legatum & judicem consen-
„ tiendo, promittentes nos judicium, diffinitio-
„ nem, seu ordinationem ipsius in perpetuum ser-
„ vare & nullo tempore contravenire, renuntiando
„ omnibus judicibus, commissionibus, processibus,
„ & actis quæ nobis competebant vel competere
„ possent in causa ista. In cujus rei testimonium, ad
„ majorem præmissorum omnium firmitatem, præ-
„ sentes litteras exinde confectas nos Abbatissa &
„ conventus sigillis nostris duximus roborandas. Nos
„ verò clerus & populus, quia sigillum proprium
„ non habemus, eisdem sigillis Abbatissæ & con-
„ ventus fidem volumus omnimodam adhiberi. Ac-
„ tum Meldis anno Domini M C C X X V. mense
„ Octobri.] Nos autem rationibus utriusque partis diligenter auditis, inspectis Iotrensis monasterij privilegiis, habito etiam super hoc cum viris prudentibus diligenti tractatu, pronuntiamus, diffinimus, & ordinamus quòd Abbatissa & conventus monasterij Iotrensis chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, benedictiones monialium, & ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi à dicto Meldensi Episcopo & successoribus suis suscipiant & non ab aliis, siquidem catholicus fuerit & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & sine difficultate voluerit exhibere. Alioquin liceat eis quemcunque voluerint catholicum adire antistitem, qui eis licenter exhibeat postulata. Quando verò Episcopum Meldensem ab eisdem Abbatissa & conventu propter hæc exequenda contigerit evocari, dictus Episcopus exhibeatur honestè, cùm nullus teneatur secundùm Apostolum suis stipendiis militare. Cetertùm Abbatissa à quocunque maluerit Episcopo absque professione & promissione cujuslibet obedientiæ liberè consecretur. In omnibus autem aliis dictum monasterium Iotrense cum universo clero & populo villæ & parrochiæ Iotrensis sibi subjectis pronuntiamus, diffinimus, & ordinamus ab omni jure & jurisdictione episcopali & omnimoda subjectione Meldensis Ecclesiæ omnino liberum & exemptum, ita quòd in eisdem monasterio, clero & populo prædictis seu personis aliquibus monasterij, villæ & parrochiæ Iotrensis dictus Episcopus, Ecclesia Meldensis, seu quæcunque alia Meldensis Ecclesiæ persona nec procurationem eidem Episcopo aliquando à sede apostolica adjudicatam nec aliud quodcunque præter præmissa sibi valeat aliquatenus vendicare; salvis duobus modiis quos habet Episcopus in granchia de Troci, quæ est Ecclesiæ Iotrensis, & cera Thesaurarij Meldensis. Sanè ordinamus quòd dictæ Abbatissa & conventus decem & octo modios bladi decimalis ad mensuram Meldensem, duas partes hibernagij, & tertiam partem avenæ, annuatim Episcopo memorato suisque successoribus in perpetuum persolvent apud Malleum infra Purificationem beatæ Mariæ. Et si decima ejusdem villæ ad dicti bladi persolutionem non sufficeret, residuum infra dictum terminum apud Troci solvetur in decima quam ibi habet Ecclesia Iotrensis; ita quòd si bladum hujusmodi * aliquibus decimis Meldensis diocesis Abbatissa & conventus Iotrensis justo modo poterint adipisci, Episcopus contractui suum impertiri teneatur assensum, & ipsum bladum taliter acquisitum accipiens, illo solo debeat esse contentus, ita quòd tantundem sibi valeat quantum valebit in locis superiùs annotatis. In decimis sanè quæ sunt de feudo episcopali non tenebitur suum præstare consensum, si ipse vellet eas redimere. In his enim ipse Episcopus præferetur. Hanc autem ordinationem partes ratam habuerunt, & expressè consenserunt in ipsam. Nos verò volentes ipsius ordinationis notitiam ad posteros pervenire, ut futuris temporibus inviolabiliter observetur, præsentem paginam exinde confectam sigillo nostro duximus roborandam. Actum Meldis anno Domini M C C X X V. mense Novembri, pontificatus Domini Honrij Papæ III. anno decimo.

* *f.* ab aliquibus decimariis

Romanus miseratione divina sancti Angeli Diaconus Cardinalis apostolicæ sedis Legatus omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd nos inter venerabilem patrem Episcopum Meldensem & Abbatissam & conventum, clerum & populum Iotrensem ordinationem quandam deliberatione provida fecimus, eamque in scriptis redactam & a partibus approbatam nostri sigilli duximus munimine roborandam. Verùm antequam protulissemus eandem, retinuimus nobis expressè de auctoritate nostra & communi partium assensu liberam potestatem declarandi & interpretandi si quid in eadem ordinatione repertum fuerit dubium vel obscurum. Actum Parisius anno Domini M C C. viceſimo quinto, II. Nonas Novembris.

INNOCENTII III. EPISTOLA

ad electum Cathalanensem & Abbatem Trium fontium, de qua fit mentio suprà pag. 291.

EX parte Abbatissæ ac sororum Iotrensis Ecclesiæ nostris fuit auribus intimatum quòd venerabilis frater noster Meldensis Episcopus * commissionis occasione cujusdam ad venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & dilectum filium Abbatem de Latiniaco à nobis obtentæ, in qua nulla mentio habebatur de ipsarum privilegiis, quæ illas & earum Ecclesiam, clerum & populum Iotrensem ad apostolicam sedem nullo mediante spectare declarant, quorum ipse non erat ignarus, eas incepit graviter molestare, obedientiam ab ipsis ac clero & populo villæ Iotrensis, qui secundùm privilegia sedis apostolicæ gaudent consimili libertate, subjectionem omnimodam impendendam sibi requirens. *Et infrà.* Verùm cùm judices & assessores eorum ipsas valde gravarent, ad appellationis beneficium convolarunt. *Et infrà.* Sed judices ipsi appellationi minimè deferentes, nec fragilitati sexus compatientes earum, in Abbatissam [& conventum] excommunicationis, in clerum & populum villæ Iotrensis interdicti sententias protulerunt. Sanè cùm nuntij Iotrensis Ecclesiæ prædicta & alia multa in nostra præsentia retulissent, quibus eas & suos contra libertatem eis concessam gravatos dicebant, privilegium nobis apostolicum ostenderunt per quod Ecclesiam Iotrensem constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eos diutiùs detinentes propter appellationem prædictam, quia

Cap. Ex parte. *De privilegiis.*
* Vide suprà pag. 290.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tandem nullus apparuit idoneus responsalis qui partem defensaret adversam, licèt postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisiensis Episcopi & Latiniacensis Abbatis litteras præsentasset, privilegium apostolicæ sedis Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innovandum, ita tamen ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat quàm per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cùm per hoc novum ei non concedere sed antiquum jus conservare velimus.

EPISTOLA HONORII II. DE subjectione monasteriorum Resbacensis & Iotrensis.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Butcardo Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros Episcopos debemus diligere, & Ecclesiis sibi à Deo commissis suam debemus justitiam conservare. Proinde, carissime in Christo frater Burcarde Episcope Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter statuimus ut omnes tam Clerici quàm laici in villa Resbacensi & Iotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parrochiali subjaceant, & ea quæ de eis ad jus parrochiale pertinent, tibi tuisque successoribus libera & illibata serventur. Decernimus etiam ut Abbas Resbacensis & Iotrensis Abbatissa canonicam tibi tuisque successoribus obedientiam persolvant. Benedictio quoque eorum, sicut per tuos antecessores hactenus celebrata constiterit, sic per te tuosque successores deinceps exhibeatur. Promotiones etiam monachorum ad ecclesiasticos ordines per Meldensem administrentur Episcopum, si videlicet gratis eas sine pravitate voluerit exhibere & gratiam apostolicæ sedis habuerit. Si quis autem, quod absit, huic nostro decreto sciens contraire tentaverit, honoris & officij sui periculum patiatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Datum Laterani XVII. Kal. Maij.

EPISTOLA ALEXANDRI III. qua confirmat superiores Honorij II. litteras.

ALexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Stephano Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula &c. *ut in illa Honorij usque.* Proinde, carissime in Christo frater Stephane Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter providentes, ad exemplar sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Honorij Papæ statuimus ut omnes tam clerici quàm laici in villa Resbacensi & Iotrensi commanentes Meldensi Ecclesiæ jure parrochiali subjaceant &c. *ut in illa Honorij usque.* Si quis autem contra hanc nostræ constitutionis paginam venire præsumpserit, secundò tertióve commonitus nisi temeritatem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantibus autem hæc sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud supremum judicem gaudia æternæ pacis inveniant. Amen. *Data Turonis anno MCLXIII.*

FINIS LIBRI VNDECIMI.

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER DVODECIMVS.

ABBATI SANCTI THEODORICI REMENSIS dioceſis, & Decano & Cantori majoris Eccleſiæ Remenſis.

Epiſt. 1. De collatione Eccleſiæ Ribodimontis.

CVM olim noſtris fuiſſet auribus intimatum quòd Abbas & conventus ſancti Nicolai de Pratis Laudunenſis dioceſis præbendas quæ in Eccleſia ſancti Germani de Ribodimonte fuerant inſtitutæ ad ipſorum donationem ſpectantes, canonicis inſtitutis ibidem ſublatis de medio, propriis uſibus applicarant, propter quod eadem Eccleſia conſueto defraudabatur officio, & in populo fuerat ſcandalum non modicum generatum, dilecto filio H. de Cociaco Canonico ſancti Quintini & conjudicibus ejus per litteras noſtras dedimus in mandatis ut inquiſita ſuper iis plenius veritate, quod canonicum eſſet appellatione remota ſtatuerent & facerent quod decernerent per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Poſtmodum autem Abbas & conventus prædicti ſua nobis conqueſtione monſtrarunt quòd cùm ſuper ipſius Eccleſiæ prioratu, quem per annos quadraginta & ampliùs poſſederant ſine lite, à prædictis judicibus traherentur in cauſam, nemine comparente qui vellet agere contra eos niſi duntaxat illis qui eſſe moliebantur & judices & actores, ipſi ſe videntes tam contra jus commune quàm contra privilegia ſedis apoſtolicæ aggravari, ſedem apoſtolicam appellarunt. Vnde nos cauſam ſuper iis venerabili fratri noſtro Remenſi Archiepiſcopo & conjudicibus ejus ſub certa forma commiſimus terminandam. Interim autem prænemorati judices per ſuas nobis litteras intimarunt quòd auctoritate primæ commiſſionis vocatis quos noverant evocandos, teſtes receperant & examinaverant diligenter; quorum depoſitionibus in ſcriptis fideliter jam redactis, Abbas & Prior ejuſdem loci commiſſionis litteras intuentes, aſſeruerunt ſe ipſas propter lituram modicam & raſuram quæ apparebant in ipſis

habere de falsitate suspectas, & ne ulteriùs illarum auctoritate procederent, pro se pariter & conventu ad nostram audientiam appellarunt, octavas Pentecostes proximò tunc futuras appellationi suæ terminum præfigendo. Ceterùm cùm per depositiones hujusmodi videretur ostensum quosdam Canonicos seculares dudum in Ecclesia ipsa fuisse, ac demum eis defunctis per Abbatem & conventum prædictos quosdam extitisse monachos substitutos, & nobis suggereretur quòd iidem Abbas & conventus diutiùs expectati appellationem suam prosequi non curarant, nos depositiones ipsas sub bulla nostra judicibus aliis destinantes, per apostolica eis scripta mandavimus ut nisi Abbas & conventus præfati aliquid rationabile ostenderent & probarent per quod licuisset eisdem in prædicta Ecclesia monachos Canonicis substituere, ipsam in statum pristinum appellatione postposita reducentes, facerent memoratas præbendas per eosdem Abbatem & conventum personis idoneis assignari; quòd si forsan illi hoc efficere recusarent, iidem judices auctoritate nostra suffulti sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo id exequi non differrent. Nuper autem dilectus filius B. monachus procurator dictorum Abbatis & conventus cum litteris prædicti Archiepiscopi & collegarum suorum processum continentibus eorundem ad præsentiam nostram accedens, per dilectum filium Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, per quem fecimus eundem examinari processum, rescriptum authentici instrumenti Bartholomæi quondam Episcopi Laudunensis diocesani loci sub sigillo venerabilis fratris nostri successoris ejusdem, ac privilegium felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri nobis protulit intuenda; per quæ comperimus Abbati & conventui memoratis extitisse concessum, ut decentibus Clericis qui tunc in Ecclesia ipsa erant, non Clerici, sed monachi de ipsorum cœnobio substituerentur ibidem. Cùm igitur ex hoc pateat Abbatem & conventum eosdem prædictos instituere monachos in eadem Ecclesia licitè potuisse, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus eisdem judicibus auctoritate apostolica inhibere curetis ne in negotio ipso procedant litterarum prætextu per quas eis conditionaliter injunximus procedendum, videlicet nisi Abbas & conventus rationabile aliquid obicerent & probarent per quod eis monachos Canonicis substituere licuisset, qui si forsitan occasione ipsarum aliquid immutarunt, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo illud in statum pristinum revocetis, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes, ita quòd eidem Ecclesiæ faciatis per monachos congruè deserviri. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Kal. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

PATRIARCHÆ AQVILEGENSI & Episcopo Paduano.

ANgit nos cura sollicitudinis pastoralis ut dilectos filios Ducem ac populum Venetorum ab iis quæ famam offuscant & salutem impediunt sollicitè revocemus. Quantum enim dudum offenderint abducendo peregrinos damnabiliter & damnosè à subsidio terræ sanctæ, non est, sicut credimus, vobis incognitum, cùm toti penè sit Ecclesiæ manifestum. Vnde cùm sperassemus quòd præteritæ pœnitentes offensæ, sic eam pœnitendo diluerent quòd nequaquam ultra similem attentarent, non possumus non dolere quòd, sicut nostris est auribus intimatum, quidam eorum in contrarium spei nostræ nonnullos peregrinos ad terram properantes eandem in suis navibus receptantes, eos à propria intentione frustratos deduxerunt, non solùm in Græciam, sed in Cretam; qui tandem corde sicut & itinere deviantes, propositum quod contra crucis inimicos conceperant, in servorum crucis oppressionem convertunt, Christianos partium adjacentium ad ducum suorum offendendo suasum, qui eandem indulgentiam mentiuntur à nobis taliter procedentibus esse concessam quæ concessa est illis qui ad defensionem terræ sanctæ procedunt. Cùm igitur hoc in ejusdem terræ dispendium, opprobrium nostrum, & peccatum redundet illorum, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictos Ducem & populum moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut de cetero ab hujusmodi abstinentes, nec Deum provocantes ulteriùs, quem ex præteritis provocasse graviter dinoscuntur, quin immo retroactam offensam per satisfactionem expiantes sequentem, peregrinos qui terram sanctam visitare disponunt à suo itinere nec in Cretam nec in alias partes distorquere præsumant, sub divini judicij nihilominus &

excommunicationis interminatione vetantes ne hujusmodi peregrini opus itineris salutaris mutantes, in væ damnabile, quod ingredienti terram duabus viis sapiens imprecatur, Christianos qui sunt in Creta seu etiam ubicunque locorum audeant impugnare, sed votum suum contra inimicos crucis cum puritate debita prosequantur. Duci quoque ac populo supradictis simili modo inhibere curetis ne contra inhibitionem præscriptam aut culpabiliter ipsi veniant, aut peregrinos jamdictos damnabiliter venire compellant. Quòd si non omnes &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani III. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CLERICIS ET LAICIS peregrinis in Candida civitate Cretæ morantibus.

Epist. 3. De eodem argumento.

ANgit nos cura sollicitudinis pastoralis &c. *ut in alia usque* in contrarium spei nostræ, vos & nonnullos alios peregrinos &c. *ut suprà usque* peccatum redundet illorum, venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Aquilegensi & Episcopo Paduano dedimus in præceptis ut dictos Ducem & populum efficaciter moneant & inducant ut de cetero ab hujusmodi abstinentes &c. *ut in alia usque* venire compellant. Quocirca universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, sub eadem vobis interminatione mandantes quatinus & vos quæ superiùs sunt expressa quantum in vobis fuerit efficaciter observetis, & denuntietis aliis peregrinis inviolabiliter observanda. Datum Laterani II. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO HENRICO Comiti Maltæ.

Epist. 4. De negotio Cretæ, & de laudibus ejusdem Henrici.

LItteras quas nobis tua devotio destinavit ea qua decuit benignitate recepimus; & earum tenore perspicaciter intellecto, prudentiam tuam in Domino commendamus, quòd & ad succursum terræ sanctæ ferventer aspiras, & ad honorem apostolicæ sedis diligenter intendis, devotum in utraque respectum habens ad Deum, pro cujus reverentia hujusmodi propositum concepisti; à quo, si voluntatem ad actum perduxeris, mercedem, non solùm æternam, sed temporalem etiam consequeris, cùm secundùm Apostolum pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est pariter & futuræ. Sanè pensatis omnibus circumstantiis rerum & personarum, temporum & locorum, vix aliquid aliud etiam secundùm seculi statum de negotio Cretæ potuisti prudentiùs meditari quàm quod per dilectum filium magistrum Petrum Acconensem nuntium tuum, virum utique providum & fidelem, nostro apostolatui suggessisti. Quia verò in litteris per eundem directis non expressè vidimus contineri ut ea quæ super eodem negotio idem nuntius nobis ex tua parte proponeret crederemus, quantumcunque te in Domino diligamus & ad tuum velimus intendere commodum & honorem, habito super hoc consilio diligenti, ad præsens non vidimus aliud respondendum nisi quòd intellectis quæ idem nuntius à nobis audita tuæ discretioni retulerit, & dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis per suas tibi litteras plenius intimabit, super iis omnibus per litteras & nuntios nobis tuam intimare studeas expressiùs voluntatem, ut ita demum plenius & certiùs procedere valeamus. Quid autem pro tuo jam emolumento scribamus, litteræ nostræ, cùm sint patentes, te poterunt edocere. In quo considerare te volumus nostri circa te cordis affectum. Ad hæc, devotionem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatinus ad subventionem & defensionem terræ sanctæ diligens studium & operam efficacem impendas, ut ille dirigat vias tuas à quo gressus hominis diriguntur. Datum Laterani VI. Kal. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO RICARDO germano nostro, Sorano Comiti.

Epist. 5. Ei confirmat castrum Soranum.

CVm castrum Vallis-Montonis pro multa & magna pecuniæ quantitate sub gravibus esset pignoratum usuris, ita ut de alienatione ipsius multiformiter ageretur, nos præcavere volentes ne ad illos forsitan perveniret per quos tam apostolica sedes quàm Lateranensis Ecclesia nec non & tota vicinia grande ac grave incurreret detrimentum, cogitavimus emere idem castrum. Sed cognoscentes quòd Lateranensi Ecclesiæ dispendium generaretur si castrum ipsum immediatè ad sedem apostolicam perveniret, sicut etiam Prior & Canonici ejusdem Ecclesiæ à nobis consulti sunt multotiens protestati, nos habita deliberatione prudenti, ex omni parte providere volentes, castrum ipsum de illorum fecimus emi consensu, partim

de bonis tuis, & partim de nostris, ad opus utique tuum, sub nomine nostro, ne venditionem ipsam fortè contingeret ab æmulis impediri, qui de tuis successibus typo invidiæ contabescunt. Quia verò per Dei gratiam omnia fuerunt sine turbatione completa, nos castrum ipsum cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure Lateranensis Ecclesiæ, tibi ad opus & utilitatem tuam & heredum tuorum concessimus, assignavimus, & tradidimus, tali quidem tenore ut pro pecunia quam nos ad emptionem ipsius castri contulimus, tu & heredes tui de castro ipso interposito juramento pacem & guerram ad mandatum Romani Pontificis contra quoslibet homines faciatis. Tu verò in præsentia nostra & fratrum nostrorum super hoc juramentum corporaliter præstitisti. Et ut devotionem quàm ad Romanam habes Ecclesiam plenius demonstrares, de aliis quoque terris quæ ad te proprietario jure pertinent exhibuisti simile juramentum, sicut per publicum instrumentum apparet quod Johannes de sancto Laurentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarius de nostro ac fratrum nostrorum mandato conscripsit. Quia verò tu, qui germanus noster existis, apud Lateranensem Ecclesiam, cui nos multa & magna bona contulimus, inferioris conditionis esse non debes quàm illi fuerunt quibus diversis temporibus de mandato & assensu prædecessorum nostrorum eadem Lateranensis Ecclesia castrum ipsum sub certa forma locavit, jussimus & statuimus ut cùm finita fuerit illa locatio, secundùm eandem formam tibi & heredibus tuis Lateranensis Ecclesia relocet castrum ipsum, nisi forsan in aliam formam super ipsa locatione concordare possitis. Ne igitur in tuum & heredum tuorum dispendium valeat redundare quod non solùm ad vestrum commodum, verùm etiam tam apostolicæ sedis quàm Lateranensis Ecclesiæ ac totius viciniæ noscitur procuratum, nos & ea quæ præscripta sunt auctoritate apostolica confirmamus & præsenti statuto decernimus ut contra ea nullo unquam tempore quisquam venire præsumat, ita ut sit irritum & inane quicquid de ipso castro contra præscriptam formam foret à quolibet attentatum. Si ergo Prior & Canonici Lateranensis Ecclesiæ contra statutum apostolicum venientes locatione finita nollent præfatum castrum tibi vel tuis heredibus relocare, vos nihilominus illud ex hac concessione apostolica teneatis, ne pretium multum quidem & magnum, quod propter utilitatem communem pro emptione ipsius castri partim à nobis & partim à te datum est, amittatur. Ita tamen ut parati sitis locationem recipere secundùm præcedentium locationum tenorem, & faciatis illi persolvi annuam pensionem. Prælibati verò instrumenti tenorem ad majorem cautelam huic paginæ fecimus annotari. Quod quidem est tale. IN NOMINE Domini. « Anno incarnationis dominicæ millesimo « ducentesimo octavo, pontificatus verò « Domini Innocentij tertij Papæ anno undecimo, Indictione undecima, mense « Octob. die VI. Acta publica si litterarum « memoriæ tradita fuerint, nube oblivionis « remota, perpetua inspectione claresc unt. « Quapropter ego Iohannes de sancto Laurentio S. R. E. scriniarius mandato & præcepto Domni Innocentij III. Papæ juramentum præstitum eidem Domino Papæ « successoribusque suis & Ecclesiæ Romanæ « in palatio Episcopi Ferentini à Comite « Ricardo, sicut vidi, audivi, & interfui, « publicis litteris scribere curavi. Comes Ricardus de Sora juravit fidelitatem & fecit « ligium homagium Domino Papæ Innocentio successoribusque suis & Ecclesiæ « Romanæ in præsentia Dominorum Johannis Albanensis, Iohannis Sabinensis, Nicolai Tusculanensis, Hugolini Hostiensis « Episcoporum, Cynthij tituli sancti Laurentij in Lucina, Cynthij tituli sanctorum « Iohannis & Pauli, Benedicti tituli sanctæ « Susannæ, Rogerij tituli sanctæ Anastasiæ, « Petri tituli sanctæ Pudentianæ Presbyterorum Cardinalium, & Iohannis sanctæ « Mariæ in Cosmidin S. R. E. Cancellarij, « Iohannis sanctæ Mariæ in via lata, Pelagij « sanctæ Luciæ in septem soliis Diaconorum « Cardinalium, Rainaldi Domini Papæ Acolythi, & laicorum subscriptorum. Pro « Polo & alia terra quæ olim fuit Oddonis « de Polo, quam ipse tenet, eo salvo quòd « si aliqua persona pro dicta terra præfato « Comiti movere voluerit quæstionem, ipse Comes teneatur ei in curia Ecclesiæ « Romanæ justitiæ plenitudinem exhibere. « Ceterùm de castro Vallis Montonis, de « Sacco, de Plumbinaria, juravit facere « guerram & pacem contra omnes homines « ad mandatum eorum, & ad hoc heredes « & successores suos in perpetuum obligavit. « De comitatu verò Sorano juravit similiter « facere guerram & pacem ad mandatum « ipsorum. Salva fidelitate & salvo mandato « Regis Siciliæ. Et idem Dominus Papa in « vestivit dictum Comitem per cupam ar- «

„ genteam deauratam, præsentibus & con-
„ sentientibus & approbantibus omnibus
„ præscriptis Episcopis, Presbyteris, Dia-
„ conibus Cardinalibus, & injungentibus
„ mihi scriniario ut hujusmodi juramentum
„ publicis litteris exararem. Hi interfuerunt
„ in palatio Ferentini coram Domino Papa,
„ Episcopis, Presbyteris, Diaconibus Car-
„ dinalibus. Dominus Lotherius, Dominus
„ Stephanus Theobaldi, Dominus Roma-
„ nus de Baroncho, nobiles cives Romani;
„ Dominus Lando de Montelongo, Domi-
„ nus Lando de Colle de medio, Dominus
„ Guido de Colle de Medio, Benedictus de
„ Aversa, & alij. Et ego Iohannes de sancto
„ Laurentio S. R. E. Scriniarius, sicut vidi,
„ audivi, & interfui, scripsi, complevi, &
„ absolvi.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, constitutionis, concessionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani v 1. Kal. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO, ET ABBATI sancti Stephani, & Priori sancti Theodori Ianuensis.

Epist. 6. Scribitur eis pro Ecclesia S. Mariæ de Castello.

SIgnificarunt nobis dilecti filij G. Præpositus & fratres Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Castello Ianuensi quòd cùm olim inter ipsos ex parte una & Clericos sancti Damiani & sancti Nazarij ex altera super eo quòd prædicti Clerici contra decretum bonæ memoriæ Cyri Archiepiscopi Ianuensis in Ecclesiis suis in honore beatæ virginis altaria construere præsumpserunt, coram bonæ memoriæ Hugone Archiepiscopo Ianuensi & G. Abbate Civitatulæ auctoritate piæ recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri quæstio verteretur, iidem cognitis causæ meritis pro eis diffinitivam sententiam protulerunt, sicut in authentico exinde confecto evidenter apparet. Piæ quoque recordationis Vrbanus Papa prædecessor noster præfatam confirmans sententiam, cùm inter Præpositum & fratres ex parte una & Clericos sancti Georgij Ianuensis ex altera super eodem coram ipso quæstio verteretur, pro eis sententiam promulgavit, decernens in altari quod iidem Clerici in honore beatæ virginis per Bruniacensem Episcopum fecerant consecrari, licèt idem ob reverentiam sacramenti remanserit consecratum, officium celebrari divinum de cetero non debere. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatas sententias exigente justitia promulgatas faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari. Nullis litteris veritati &c. Quòd si non omnes iis exequendis &c. tu ea, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Laterani 11. Kal. Martij, anno duodecimo.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 7. Respondet ad ejus consulta. Cap. In quadã. De celebr. Miss.

IN quadam nostra epistola decretali asseris te legisse illud esse nefarium opinari quod quidam dicere præsumpserunt, in sacramento videlicet eucharistiæ aquam in flegma converti. Nam de latere Christi, non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exisse. Licèt autem hoc magnos & authenticos viros sensisse recenseas, quorum opinionem dictis & scriptis hactenus es secutus, ex quo tamen in contrarium nos sentimus, nostræ compelleris sententiæ consentire. Sed verbum Iohannis Apostoli te multùm movere fateris dicentis: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* quamvis hoc ultimum in plerisque codicibus minimè habeatur, quod dicis ab omnibus sic exponi, illos videlicet esse unum, id est, de una & eadem re, scilicet de humanitate Christi, testari. Porrò si vera fuit aqua quæ fluxit de latere Christi, & non humani corporis humor, qualiter per illam probetur quòd Christus sit homo *, non vides. Glosa namque super illum locum sic habet: *Spiritus, idest, humana anima, quam emisit in passione, aqua & sanguis quæ fluxerunt de latere Christi. quod fieri non posset si non haberet veram carnis naturam.* Sic ergo tam ex textu quàm ex glosa proponis per illam aquam probari quòd Christus sit verus homo. Et ideo si dicatur quòd illa non extitit vera aqua, sed aquaticus humani corporis humor, tam expositoris quàm Apostoli verba intelligibilia tibi esse videntur. Sed dicto quòd fuerit vera aqua, sicut nos credimus & fatemur, nec ista nec illa sufficienter intelligis. Vnde nobis humiliter supplicasti quatinus ad generalem utilitatem legentium & nebulam de tuo corde tollendam sufficienter & evidenter hoc exponere dignaremur. Nos igitur ad tuæ supplicationis instantiam respondemus quòd quidam dixerunt, sed errave-

* In tert. collect. additur, verus. Sed tamen vox illa non extat in codice Anaegavensi.

runt, Christum non fuisse verum Deum, sed adoptivum, ut miseri Arriani. Alij verò Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum, ut impij Manichæi. Adversùs has hæreses Iohannes Apostolus in epistola sua loquitur dicens: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & spiritus sanctus; & hi tres unum sunt.* per hoc intendens ostendere quòd Christus sit verus Deus. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* per hoc intendens ostendere quòd Christus sit verus homo. Nam ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus & anima, ex quorum conjunctione verus homo subsistit. Per hoc autem quòd in articulo mortis Christus inclinato capite tradidit spiritum, de quo voce magna clamaverat, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, manifestè probatur quòd ipse spiritum habebat, non solùm vitalem flatum, sed animam quoque rationalem, de qua prædixerat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* &: *Potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam.* Per hoc autem quòd unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, probatur apertè quòd Christus verum corpus habebat. Nam de phantastico corpore nec sanguis nec aqua potuisset exire. Vnde ille qui vidit, testimonium quidem perhibuit, & testimonium ejus est verum, quòd tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, quòd videlicet Christus sit verus homo ex anima rationali subsistens. quod probatur ex eo quòd * talem spiritum emiserit ex vero corpore. quod inde probatur, quoniam ex eo sanguis exivit & aqua. Rationalis quippe anima non posset vivificare nisi corpus humanum, ex quibus verus homo consistit. Ceterùm sicut verus fuit spiritus & verus sanguis, ita procul dubio vera aqua, cùm Christus sit veritas, & à veritate omnis fallacia sit penitùs aliena. Nam si non fuisset aqua sed flegma quod de latere salvatoris exivit, ille qui vidit & testimonium * verum perhibuit, profectò non aquam sed flegma dixisset. Nec in hoc verum regenerationis sacramentum fuisset ostensum, cùm per sacramentum baptismi non regeneremur in flegmate, sed in aqua. Neque per hoc * vero posset argumento probari quòd in sacramento eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua sed flegma cum sanguine profluxisset. Sed nec vera fuisset figura quæ super hac re præcessit in veteri testamento, quando videlicet Moyses virga percussit silicem, & ex ea quidem non flegma sed aqua manavit. Restat igitur ut qualiscunque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuerit, cùm naturaliter possit & compositum in componentia & elementatum in elementa resolvi; quemadmodum verus extitit sudor ipsius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Cùm autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra & aqua, aër & ignis, & ad vegetationem ejusdem corporis quatuor humores similes illis conveniant, videlicet sanguis & cholera, flegma & melancholia, ut veritatem humani corporis expressiùs demonstraret, unum ex illis & unum ex istis Iohannes expressit, illaque potiùs ex illis & istis, quæ magis mysterio congruebant, ex elementis aquam, & ex humoribus sanguinem, in quibus duobus duo maxima sacramenta, redemptionis videlicet & regenerationis, elucent. Datum Laterani III. Non. Martij, anno duodecimo.

* *In tert. collect.* vitalem

* *Hæc vox deest in tert. collect.*

* *Hæc item vox deest in tert. collect. Habetur tamen in cod. Andeg.*

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 1. De translatione Episcopi Yporiensis ad patriarchatum Antiochenum. *Vide infrà epist. 38. 39.*

GRatum gerimus & acceptum & tuam prudentiam dignis in Domino laudibus commendamus quòd inter imminentia circumquaque discrimina, circa ea quæ tuæ sollicitudini sunt commissa ita te fortiter & prudenter exerces ut ex magna parte tuæ possimus operæ imputare si quid nunc orientali provinciæ vel de persecutione subtrahitur vel ad requiem procuratur. Attendentes igitur quòd ad utrumque poterit proficere postulatio quam dilecti filij Canonici Antiocheni de venerabili fratre nostro Yporiensi Episcopo tuo * studio mediante fecerunt, de consilio fratrum nostrorum illam duximus approbandam, sperantes quòd cùm ipse sit simplex, rectus, ac timens Deum, & in ejus lege probatus, non solùm Ecclesiæ quæ vocavit eundem utiliter præsidebit, verùm etiam eo tibi teque illi ad mutuum solatium assistente, per unanimem caritatem duorum generalis terræ sanctæ profectus poterit efficaciùs promoveri. Quapropter ipsum per litteras apostolicas exhortati ut onus illud cum humilitate prompta suscipiat, per præsentem nuntium, in cujus recessu nondum poterat ad nos ejusdem Episcopi recurrisse resc-

* *Vide suprà lib. II. epist. 110.*

ponsum, fraternitati tuæ super hoc ad præsens aliud non duximus respondendum nisi quòd eum, quem firmiter credimus super hoc nostro mandato & consilio pariturum, celeriùs quàm poterimus ad te simul & Antiochenam Ecclesiam transmittemus, non solùm patriarchalia sibi conferentes insignia quæ conferri decebit à nobis, verùm etiam in necessariis hilariter providentes, in quibus possit commodè pertransire. Tu ergo, sicut expedire cognoveris, provideas interim diligenter universa quæ negotium hoc contingunt. Ceterùm super iis quæ de discordia inter illustrem Regem Armeniæ ac dilectos filios fratres militiæ Templi, necnon & inter Comitem Tripolitanum ac Regem eundem pro nepote suo nostro apostolatui suggessisti, hoc providimus expedire, ut cùm, donec fidelium cervicibus imminet gladius paganorum, ij quos illis concorditer oportet opponi sine periculo gravi nequeant ad invicem discordare, adhuc opportunè importunè prudenter studeas & diligenter insistas ad treugas invicem ineundas, si fortè dissensionum causas nequiveris inter eos judiciali calculo terminare, excommunicationis sententiam pro Templariis rationabiliter promulgatam usque ad satisfactionem condignam faciens inviolabiliter observari. Regi quoque prædicto suadeas diligenter ut ea quæ præfatis Templariis ablata detinet minùs justè restituat, & alia nec auferre nec detinere præsumat injustè, ex parte tam nostra quàm tua sibi fortiter comminando & interminando prudenter quod cùm abstulerit illis ea per quæ repugnare possent perfidiæ paganorum, verendum proculdubio sibi erit ne, nonobstante quòd Christianos non impugnare noverunt, armentur in ipsum, qui sic eos debilitando videtur paganos contra ipsos armare, maximè dum propter hoc est à communione fidelium segregatus. Cùm autem de terræ sanctæ necessitatibus, quantum in ea potest ab homine procurari, in tuam specialiter inter homines fiduciam respiremus, rogamus & obsecramus in Domino Iesu Christo quatinus etsi peccata populi tanta sint quòd nedum vetus flagellum avertere mereantur, verùm etiam novum excipere digni essent, quia tamen Deus infinitæ misericordiæ iniquitates singulas non observat, nec sperantium in se afflictionibus delectatur, tribulationem pauperum pronunties ante ipsum, & in conspectu ejus tuam orationem effundas, ut & culpam diluat & pœnam avertat, cum ipsius adjutorio præbens operam, prout poteris, efficacem ad terram ipsam inter circumstantes angustias conservandam. Nos enim, qui pro suis doloribus mœrore afficimur tota die, nec cessavimus hactenus nec cessamus, in quantum vires Dominus administrat, opportunum sibi procurare succursum. Et cùm jam Philippo quondam Duce Sueviæ interempto, ac carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo totum Imperium obtinente, ipsius discordia sit sedata, quæ succursum ejusdem terræ multipliciter impedivit, insistimus incessanter ut ei pleniùs & fortiùs succurratur. Præterea non te lateat quòd in proximo quandam pecuniam non modicam disponimus destinare, assignandam tibi & Templariis ac fratribus Hospitalis, & in utilitates ejusdem terræ, prout expedire videbitur, exponendam. Datum Laterani III. Non. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CISTERCIENSI, DE FIRMITATE, de Pontiniaco, de Claravalle, de Morimundo, & universis Cisterciensis ordinis Abbatibus.

EXpositis nobis iis quæ ad petitionem vestram super interdicti negotio in regnum Angliæ promulgati nos inductura putastis, intelleximus ea maximè circa quatuor comprehendi. Primò, quòd privilegium speciale per antiquam nec aliquando, sicut dicitis, violatam consuetudinem approbatum, cùm nihil demerueritis circa ipsum, conservari vobis humiliter flagitatis. Secundò, quòd cùm extra communes sitis positi mansiones, tanto sine scandalo quanto sine consortio celebrare poteritis aliorum. Tertiò, quòd ex dissuetudine celebrandi gravis in religione jactura & in ordine dissolutio secutura timetur. Quartò, quia per immolationem hostiæ salutaris Deus, in cujus manu cor Regis est, & quocunque voluerit vertet illud, citiùs super hoc speraretur esse placandus, ut ipsum à sua duritia revocaret. Habito itaque cum fratribus nostris diligenti tractatu, & iis quæ pro petitione prædicta cum illis quæ contra ipsam facere videbantur mutua compensatione collatis, causas causis invenimus repugnare. Licèt enim nobis ab initio placuisset ut circa vos juxta privilegij vestri tenorem ejusdem interdicti fuisset sententia temperata, quia tamen hi qui tulerant eandem auctoritatem apostolicam habuerunt, nihil in

Epist. 9. De negotio interdicti Anglicani. *Vide suprà lib. 11. epist. 259. 260.*

ipsius privilegij præjudicium factum esse videtur, quod salva semper auctoritate prædicta noscitur esse concessum. Propter quod ipsi quoque consuetudini, quæ nimirum & ex ipso & cum ipso processit, non est præjudicialiter derogatum, pro qua in hoc præsertim articulo conservanda rogare serò videmini recordati; quandoquidem super hoc postquam interdictum cœpistis, nec privilegio nec consuetudine vos tuendo, servare, præposteris ad nos precibus recurristis, non attendentes forsitan quòd res ipsa multipliciter est ex multis circumstantiis aggravata, propter quas difficile jam est vestris precibus condescendi, quibus fortè facilè potuisset in principio provideri. Sanè si Rex, cum quo remisse non est in hac pugna luctandum, ex quacunque parte lentescere nos sentiret, de nostra fortasse sumeret debilitate vigorem, & suspicatus ex pusillanimitate nos facere quod ex providentia faceremus, prævalendi fiducia tanto contra manus arctantis eum pertinaciùs se opponeret quanto lentiùs eas suo conamini restitisse putaret. Præterea visum est quòd non solùm Clerici seculares, sed & alij quoque religiosi, si petitio vestra consequeretur effectum, ad grave possent scandalum commoveri, cùm isti religionem vestram quodammodo, ex eo quòd decimas ipsorum percipitis, æmulentur, ac solatium reputantes socios habere pœnarum, graviùs torquerentur ex eo, si tacentibus ipsis vos intermissa viderent officia resumpsisse quàm si nunquam ab initio cessassetis, quos potiùs suis vellent moribus conformari, ut sicut gaudetis cum gaudentibus, ita etiam cum lugentibus lugeretis, & illi qui, quantum ad hoc, vobiscum gaudent quasi similibus privilegiis, gratiam vobis factam suam injuriam reputarent, nisi permitteretur eisdem saltem clausis januis & non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, secundùm sua privilegia celebrare, quia quamquam ista non sint in privilegiis vestris expressa, utraque tamen privilegia, vestra videlicet & illorum, quantum in hoc, ad eundem tendere videntur effectum, eò quòd illa quæ in iis exprimi familiàris hominum monuit habitatio, taceri suasit in vestris remotior solitudo. Alioquin in hujusmodi casu tam accusabiliter excommunicatis vel interdictis accedentibus & præsentibus cantaretur à vobis quàm excusabiliter ipsis recedentibus & absentibus celebraretur ab illis. Aliud quoque petitioni vestræ videbatur obstare, confusio scilicet executorum nostrorum; qui cùm in hoc zelum secundùm scientiam procul dubio habuisse noscantur, immo cùm pro causa præsenti nec iram Principis nec exilium declinarint, sed usque ad mortem obedire parati, quod injunctum est eis laudabiliter & constanter sint hactenus executi, profectò indignissimum reputamus ut quasi quod ab eis bene actum est reprobando, non solùm confusionem inducamus in ipsos, verùm etiam totum quod in eis ex magna parte consistit negotium enervemus. Illud autem quod de dissolutione ordinis, quæ timetur ex celebrandi dissuetudine proventura, non est visum se usquequaque cum alio periculo compensare; quia cùm in hac lucta pro universalis pugnetur Ecclesiæ libertate, periculosiùs universi quàm partis pro universo commoditas læderetur, quamquam & aliter valeatis cum Domini adjutorio à dissolutione vos hujusmodi præservare. Ceterùm licèt satis religiosè credatur quòd salutaris hostiæ immolatio finem optatum huic negotio citiùs impetraret, speratur tamen quòd si pœnam hanc indebitam pertuleritis patienter, spiritus qui pro vobis inenarrabilibus gemitibus interpellat, felicem exitum super hoc celeriter obtinebit ab illo qui per pœnæ indebitæ patientiam, quæ non rapuit exsolvendo, redemit nos Dominus Iesus Christus. Quapropter rogamus & obsecramus vos, filij dilectissimi, quatinus attendentes quòd jam quasi negotium est in fine, illud interturbare nolitis, sed pensatis omnibus quæ superiùs sunt expressa propter Deum & nos, qui ferventissima caritate zelamur vos & ordinem vestrum, immo etiam veneramur, hoc in patientia substinentes, insistatis orationibus apud Deum ut actorem culpæ sic molliat quòd pœnæ latores absolvat, pro certo sperantes quòd propter indignam pœnam, non solùm à Deo, verùm etiam & à nobis digna vobis retributio reservatur. Datum Laterani II. Non. Martij, anno duodecimo.

LONDONIENSI, ELIENSI, & Wigornienſi Epiſcopis.

Epist. 12. De eadem re.

CVm Cistercienſis ordinis fratres sinceriſſimo diligamus affectu, fraternitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes attentè quatinus interdicti rigorem, de quo nobis extitisset acceptum si secundùm privilegia sua fuisset ab initio temperatum, circa illos temperare curetis, quantum

quantum fieri poterit, sine gravi scandalo aliorum, ita quòd non rumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ; quæ nervo propterea comparatur, ut dissolvi non debeat, sed possit inflecti cùm necessitas postulaverit. in quo quanto benigniùs nos vobis deferimus, tanto vos illis benigniùs deferatis, quorum providentiæ cuncta quæ ad hunc spectant articulum ab initio commisimus moderanda. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

ROFFRIDO TITVLI sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali Casmensi Abbati, & magistro Roberto de Albeto.

Epist. 11. Committitur ei causa quæ dam Monasterii.

CVm causam quæ inter monasterium Casemarij & Ecclesiam Marsicanam, super eo quòd quædam permutatio de Ecclesiis de Pertuso & sancti Nicolai de Capellis facta in ejusdem monasterij præjudicium dicebatur, dilectis filiis Priori de Furca & Vicedomino Verulano duxerimus committendam, ipsi testes utrinque productos recipere curaverunt. Verùm attestationibus publicatis, cœperunt prædicti testes constanter asserere se nequaquam ut scriptum fuerat deposuisse. quod parati erant interposito juramento firmare. Vnus quoque judicum prædictorum per suas nobis litteras intimavit dicta ipsorum testium per scriptoris incuriam vel malitiam aliter quàm testes deposuerint conscripta fuisse. Propter quod ex parte monasterij fuit nobis humiliter supplicatum ut eidem in tanto gravamine succurrentes, interrogari prædictos testes iterum faceremus. Sed ad hoc fuit ex adverto propositum quòd cùm publicatis attestationibus dicta testium partes didicerint, dicti testes interrogari super veteri articulo secundùm juris ordinem non debebant, eò quòd possent de facili subornari; maximè cùm eorum dictum super hujusmodi articulo esset inutile, quòd forent in singulis assertionibus singulares. Sed nec judici esset in hac parte credendum, cùm id quod præmissum est absque collegæ sui conniventia scripserit, & suam videatur turpitudinem allegare. Nos ergo in hoc æquitatem sequi volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si personæ testium tales sunt de quibus ne pejerare velint meritò præsumatur, & prædicti judices vel alter eorum, saltem reliquo nequaquam contradicente, de veritate dicenda qualiter testes deposuerint supradicti præstare voluerint juramentum, vos eorum juramento recepto, ea quæ ipsi vel supradicti testes super illo articulo dixerint fideliter conscribatis, sub sigillis vestris eadem ad nostram præsentiam remittentes, ita videlicet ut nullum ex hoc alterutri parti præjudicium generetur. Nos etenim postquam eorum dicta inspexerimus diligenter, in eodem negotio, prout expedire viderimus, procedemus. Datum Laterani x v. Kal. Aprilis, an. duodecimo.

NICOLAO ALEXANDRINO Patriarchæ.

Epist. 12. Littera consolatoria scribitur.

FRaternitatem tuam in Domino commendamus quòd in medio pravæ ac perversæ positus nationis, quasi lilium inter spinas devotionis odorem emittis, & ab uberibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ te ac eos qui pro Christi nomine captivi tenentur nihilominus servitute postulas consolari, quorum te angit angustia & scandalum sæpe urit. Deus autem patientiæ ac solatij te ac illos consolari dignetur, & omni gaudio & pace repleat in credendo; ut in spe ac virtute sancti spiritus abundetis ad æternæ satietatis gaudia perventuri. Licèt igitur ipsi variis tribulationibus affligantur, tu tamen, tamquam pius pater & pastor, eosdem ad patientiam non desinas exhortari, ne in tribulationibus ipsis deficiant: quia id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis ipsorum, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in eisdem. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, juxta quod Apostolus protestatur. Hi sanè qui tribulationes pro Christi nomine patiuntur, procul dubio conregnabunt, si tamen fiduciam & gloriam spei usque ad finem contineant inconcussam. Virtutum enim tribulatio est adjutrix, & auditui dat vexatio intellectum. Æternitatis namque præmia præstolantes, ex adversitatibus sumunt vires; quia crescente pugna, sibi manere victoriam non ambigunt glorioſam. Sic equidem desideria electorum ex adversitate proficiunt dum præmuntur, sicut ignis flatu premitur ut excrescat, & ex eo quòd extingui cernitur roboratur. Tu ergo, venerabilis frater, omne gaudium æstimato cùm in varias tentationes incideris, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Fidelis autem

Deus, qui te non patietur tentari ſupra id quod potes, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut valeas ſuſtinere. Itaque confortare in Domino & in potentia virtutis ipſius, qui etſi te ad modicum dereliquit, educet tamen quaſi lumen juſtitiam tuam & judicium tuum tamquam meridiem, cùm venerit cum ſenatoribus terræ, & impij tunc in tenebris conticeſcent. Nos enim, qui ſecundùm Apoſtolum cum infirmantibus infirmamur & cum ſcandalizatis exurimur, tibi & ipſis, quantum paraclitus conceſſerit ſpiritus, conſolationis ſuffragia curabimus impertiri, ſperantes in eo qui diebus iſtis noviſſimis antiqua cœpit miracula innovare quòd circa vos mirabiliter & miſericorditer operabitur ad laudem & gloriam nominis ſui, quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum. Datum Laterani x. Kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno duodecimo.

EPISCOPO PATAVIENSI, & Abbati de Bovingardenberg Pataviensis diocesis.

Epiſt. 13. De eo qui monachus factus eſt conſenſu uxoris Cap Veniens. De conver. conjugator.

VEniens ad præſentiam noſtram dilectus filius L. lator præſentium nobis humiliter intimavit quòd cùm olim intrandi monaſterium propoſitum concepiſſet, pluribus ſacerdotibus, Militibus, & aliis bonis viris præſentibus apud uxorem ſuam precibus inſtitit ut ſuper hoc ſuum impertiretur aſſenſum, eiſdem Preſbyteris primitus exoratis ne præfatæ mulieri exponerent quòd & ipſam oporteret derelinquere ſeculum ſi viro ſuo daret licentiam ad monaſterium convolandi. Cùmque ipſum mulier ne ab ea diſcederet vice mutua precaretur, ipſe aſſerens quòd niſi ab ea poſſet ſuper hoc obtinere licentiam, non ſolùm ei ſe inutilem redderet, ſed etiam toti mundo, illa deinde tam ipſius quàm multorum aſtantium precibuſque devicta, caput ejus altari ſuppoſuit manu ſua; qui ea præſente tonſoratus ibidem monaſterium adiit, & finito probationis tempore profeſſionem fecit ſolemniter monachalem, illa verò in ſeculo remanens, inhoneſtos amatores admiſit. Vnde idem L. metuens ne ſuæ continentiæ illius incontinentia imputetur, an in monaſterio perſeverare debeat à nobis conſilium poſtulavit. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi eſt ita, prædictum L. in monaſterio quod intravit abſque inquietatione cujuſquam perſeverare liberè permittatis. Licèt enim videatur in hoc non modicùm deliquiſſe quòd captiosè aſſeruit quia niſi ſibi eadem mulier conſentiret, tam ſibi quàm toti mundo ſe inutilem redderet, & cùm Preſbyteros exoravit ne prædictæ mulieri exponerent quòd eandem relinquere ſeculum oporteret ſi fortè licentiam daret viro, ex quo tamen eadem mulier caput viri altari ſponte ſuppoſuit, & poſtmodum, ſicut aſſeritur, vixit incontinenter, ſuper revocatione ipſius non eſſet aliquatenus audienda, cùm ejus intentio, ſi eundem fortè repeteret, exceptione poſſit commiſſæ fornicationis elidi; maximè cùm antequam fuerit fornicata, ipſum non duxerit repetendum. Datum Laterani III. Non. Aprilis, anno duodecimo.

HVGBALDO ARCHIEPISCOPO Ravennati.

Epiſt. 14. De correctione monaſterij S. Adelberti.

COrrectione monaſterij ſancti Adelberti ſupra Padum in Rauvennatenſi dioceſi, ſicut aſſeris, conſtituti tibi tunc Faventino Epiſcopo & venerabili fratri noſtro Epiſcopo Lucenſi & dilecto filio Abbati ſancti Iohannis Evangeliſtæ Ravennat. dudum auctoritate noſtra commiſſa, cùm ad idem monaſterium veniſſetis, inveniſtis illud graviter collapſum in temporalibus & in ſpiritualibus deformatum. Vnde cùm non eſſet ibidem qui faceret bonum uſque unum, pauciſſimos monachos in eodem inventos & viventes in multorum ſcandalum diſſolutè juxta mandati noſtri tenorem exinde depuliſtis; cui nequiviſtis poſtmodum in rectore idoneo providere, quolibet curam ejuſdem monaſterij recuſante. Cùm autem nuper ad ſedem apoſtolicam veniens propoſueris coram nobis Ravennatem Eccleſiam olim dictum monaſterium tenuiſſe, quod etiam per privilegium felicis recordationis Innocentij Papæ prædeceſſoris noſtri ei extitit confirmatum, illud tibi reſtitui petiiſti. Quia verò de jure ipſius Eccleſiæ nobis plenè liquere non potuit, volentes tibi gratiam facere ſpecialem, de fratrum noſtrorum conſilio ex benigna providentia tibi perſonaliter duximus ſupradictum monaſterium committendum, ut liberam proviſionem atque correctionem auctoritate noſtra obtineas in eodem. Tu ergo, ſicut vir providus & diſcretus, gratiam tibi factam attendens, per diligentiam ſollicitam & ſollicitudinem diligentem illud ſtudeas taliter in ſpiritualibus & temporalibus reformare ut circa idem factum pleniorem apoſtolicæ ſedis gratiam merearis. Datum Laterani II. Non. Aprilis &c. ut ſuprà.

ABBATI DE TILIETO.

Epist. 15. Eum hortatur ut electioni de te factæ consentiat. Vide lib. 11. epist. 187. & lib. 13. epist. 134.

NOvariensis Ecclesiæ nova necessitas novum onus & à nobis imponi & à te suscipi persuadet; quæ pastoris regimine destituta, cùm in quemquam de suis concordare nequisset, in te demum unanimi voto convenit, valde quidem & ad promovendum bonum sui regiminis necessarium, & ad removendum malum schismatis opportunum. Proinde licèt sedeas ad pedes Domini cum Maria circa unum necessarium meditante, Marthæ tamen etga plurima satagentis non debes ministerium aspernari, quia Dominus & Mariam diliigebat & Martham; nec illas duas tantùm sorores amabat, sed & Lazarum fratrem earum quatriduanum mortuum & sœtidum in monumento jacentem. qui nisi peccatores amasset, de cœlis ad terras minimè descendisset. Non enim venit vocare justos, sed peccatores, ut quæreret quod perierat & salvaret. Cujus utique si te verum discipulum confiteris, & sicut ille dilexit diligere didicisti, non refugies pro fraternæ utilitatis amore ad exterius atrium de cubiculo interiori procedere, quandoquidem illum nosti propter nimiam caritatem qua dilexit nos de secreto patris ad publicum humanæ conditionis exisse; cùm subtrahere tibi de caritate non modicum videreris, si monachum episcopare non valeat quæ Deum potuit humanare. Inter duarum ergo sororum constitutus amplexus, utraque sibi te vendicare volente, subtiliter intuere quòd licèt Rachel pulchrior esset facie, Lia tamen fœcundior erat prole: quoniam etsi contemplativa sit vita suavior, tamquam magis quieta, vita tamen activa est fructuosior, tamquam ampliùs opportuna. Nam ubi gravior est conflictus, gloriosior est triumphus, Apostolo attestante quòd non coronabitur quis nisi legitimè certaverit. Vnde Christus secundùm carnem non de Rachele natus est, sed de Lia; nec Maria, sed Martha, ipsum in domum suam legitur recepisse. Cùm autem dona gratiæ quibus præmines non pro te tantummodo sed pro aliis accepisse credaris, non te decet ita solius contemplationis studiis inardescere quò minùs ubi necesse fuerit utilitatibus proximorum studeas imminere; ne si per speculationis secessum quietem tuam saluti prætuleris aliorum, reus judiceris ex tantis quantis potuisses ad publicum veniendo prodesse. Quapropter etsi præteritorum oblitus, & ad anteriora cum Apostolo te extendens, retrocedere non disponas, attendere tamen debes quòd sanctis animabus præcurrere non valebis, de quibus cùm Propheta dixisset quòd ibant & non revertebantur, quoniam ad virtutes ibant & non revertebantur ad vitia, protinus quòd ibant & revertebantur adjunxit, quoniam ad contemplationem ibant & revertebantur ad actionem; quemadmodum Moyses ibat in montem ut loqueretur cum Domino, & confestim revertebatur ad castra ut intenderet necessitatibus populorum. Christus quoque cùm ascendisset in montem solus orare, descendit ilico ad discipulos periclitantes in mari. Hæc autem, fili carissime, tibi proponimus, ut electionem Ecclesiæ memoratæ canonicè de te factam devotè recipias, qui tamquam Aaron vocaris à Domino; ne forsan jugum Domini subterfugiens illud alleges quòd nemo mittens manum & respiciens retro, aptus est regno Dei, cùm uxor Loth retro respiciens in salis statuam sit conversa, quodque sponsa dicit in canticis, *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos*, cùm ille qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, & mundus est totus. Quantumlibet enim anima tua contemplandi dulcedine delectata inter amœna Domini suavi somno soporata quiescat & quies ejus suscitatore non debeat importuno turbari, velle tamen debet evigilare cùm expedit; quoniam sponsus qui dicit, *Adjuro vos filiæ Ierusalem per capreos cervosque camporum ne suscitetis nec evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit*, non ut penitùs non excitetur adjurat, sed cum adjuncto, videlicet *donec velit*. Et utique velle debet, cùm paucis interpositis idem addat: *Surge amica mea, sponsa mea, & veni*. Et illa inquit: *Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meæ distillaverunt in myrrham, digiti mei probatissima myrrha pleni*. Ad quod signandum cùm Dominus dixisset Apostolis, *Dormite jam & requiescite*, in continenti, *surgite*, inquit, *eamus*. Dicente itaque tibi Domino, surge de somno intermittendæ quietis, & eamus in exercitium necessariæ actionis, quid tibi, quid est aliud faciendum nisi hoc quod animæ tuæ dicitur: *Surge, propera amica mea, & veni*. Nec tantùm *surge* dicitur, sed *propera*, ut sit obedientia sine mora. Post testimonia quoque proponimus & exempla, ut ad majorem firmitatem basis sit sub columna. Beatus quippe Gregorius de monasterio fuit ad apostolatum assumptus, & sanctus Martinus de monachatu ad præsulatum vocatus, cujus

verbum te volumus prudenter advertere. *Domine*, inquit, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* imitatus Apostolum, qui dicebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo. Necessarium autem est propter vos in carne manere.* Sed dices: Impar sum illis meritis. Monachus enim, non prædicatoris officio me ingerere, sed me ac mundum lugendo adventum Domini debeo pavidus expectare. Sciens enim imbecillitatem meam & fragile vas quod porto, vereor offendere, ne impingens corruam & confringar. Castigator mei sum, ita ut etiam quæ tuta sunt pertimescam. Expertus naufragium, ad pelagus redire pavesco. In eremi pace sedeo, quia mundi bella formido. Secessum appeto solitudinis, quia tumultum vereor civitatis. Odorem celestis patriæ concupisco, quia fœtorem abominor hujus mundi. Quòd si respondemus tibi, hoc non est pugnare sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris coroneris, fortasse subjunges, Fateor, inquiens, debilitatem meam. Nolo spe pugnare victoriæ, ne victoriam aliquando pugnans perdam. Si fugero, devitavi periculum; si stetero, aut vincendum mihi est aut cadendum. qui pugnat, & superari potest & vincere, sed ego cùm fugero, non vincor in eo quòd fugio, sed ideo fugio ut non vincar. Non est enim securum vicino serpente dormire; quoniam etsi possit contingere ut non moriar, potest tamen ut aliquando mordeat evenire. Ceterùm si propterea pugnam vitas quoniam utrum superaturus sis vel superandus ignoras, quomodo speras quòd in eremo vincere tantùm valeas & non vinci, cùm certum sit non leviora, licèt occultiora, frequenter ibi bella moveri. Nam & Lucifer cecidit ab empyreo, Adam exulavit à paradiso; Loth etiam in monte peccavit, & Christus tentatus est in deserto, non tamen victus, sed vincens, ut post multa perditionis exempla ipse unicum nobis fieret liberationis exemplar. Vnde cùm utrobique magna sit pugna, sed incerta victoria, cur non potiùs illud eligis unde, si viceris, gloriosior est corona? Sed & coluber juxta foramen suum existentem hominem sæpe pertransivit intactum, qui tamen alium suo quandoque thalamo venenavit inclusum. Quocirca discretionem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes, quatinus cùm communis utilitas sit præponenda privatæ, tuum jactans in Domino cogitatum, ad regimen Ecclesiæ supradictæ promptus accedas; ut cùm beatus sit qui seminat super aquas, & maledictus qui frumentum abscondit in populo, talentum tibi à Deo creditum nec in sudario liges nec in terra suffodias, sed nummulariis tribuas ad usuram, pro temporalibus recepturus æterna, diligenter attendens quòd nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat cunctis qui sunt in domo. Cùm autem secundùm leges humanas ad suscipienda publica munera quidam sint compellendi, cur non magis secundùm leges divinas cogendi sint aliqui ad ecclesiastica officia exequenda, dicente scriptura: *Compelle illos intrare.* Tu ergo coactionem nequaquam expectes, sed sponte offeras voluntatem; quoniam & excusatio quam hactenus prætendisti approbari potest ejus exemplo qui dicit, *Ha, ha, ha! Domine Deus, nescio loqui, quoniam puer ego sum,* & obedientia commendari valebit ad instar ejus qui dixit: *Ecce, Domine, mitte me.* Illam enim excusationem non credimus admittendam quòd ideo nolis de monachatu ad pontificatum transire quia non vis de quiete regredi ad laborem, prætendendo fortè verbum psalmistæ dicentis: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam; ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine, expectavi qui me salvum faceret à pusillo animo & tempestate.* Absit ut illi te non solùm præferre sed conferre præsumas qui protinus post baptismum ductus est à spiritu in desertum, & cùm quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunasset, mox ad dispensationem sibi creditam exequendam exivit, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis. Et tu cave prudenter ne circa bonum obedientiæ, quæ victimis antefertur, inobediens efferaris, ariolis & idolatris comparandus; præsertim cùm non sic semper evoceris ad publicum ut deseras omnino secretum, quin potiùs quod in otio contemplationis didiceris in exercitio doceas actionis. Nam & unigenitum patris verbum non sic à patre descendit ut non remaneret cum patre, ipso testante: *Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit filius hominis qui est in cœlo.* Flumina quoque non sic egrediuntur de mari ut non revertantur ad mare; quia, juxta sententiam Salomonis, ad locum unde flumina exeunt revertuntur; & tu sic frequenter impendes te aliis quòd te nonnunquam

Hieronym. in epist. ad Rustic.

Ex eadem epistola.

restitues ipse tibi. Datum Laterani anno duodecimo.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO Cumanis.

Epist. 16. De dissolvendo matrimonio ejusdem.

PRECES dilecti filij nobilis viri A. Cumani civis nobis accepimus supplicantis ut cùm M. mulier Cumana, cum qua matrimonialiter per viginti annos & ultra permansit, consanguinea sua sit, & non solùm ipsa Cathara sit effecta, verùm etiam ad corrumpendum eum & familiam suam pariter & vicinos die noctuque laborans, quandam sororem suam ad hæresim provocarit, quin immo ipsi viro suo carnali debito denegato recesserit ab eodem, ac venire ad judicium citata contemnat, eos judicio faceremus Ecclesiæ ab invicem separari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, & consanguinitas inter eos legitimè coram vobis accusata fuerit & probata, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo inter ipsos divortij sententiam promulgetis. Si verò præfata mulier citata legitimè præsentiam vestram adire vel judicio vestro parere contempserit, cùm excommunicationem non timere dicatur, vos nihilominus testes adversùs eam à prædicto viro productos recipere procuretis. Datum Laterani III. Non. Aprilis, anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO SANCTÆ R. E. Cardinali & Capitulo Mediolanensi.

Epist. 17. De negotio Decani de Osca & Sociorum ejus. Vide lib. 11. epist. 56. & lib. 13. epist. 77.

EX tuarum, frater Archiepiscope, tenore accepimus litterarum quòd cùm dilectus filius Durandus de Osca & quidam alij socij ejus, qui pauperes catholici nuncupantur, ad te cum nostris litteris accessissent, eos benignitate debita suscepisti, & quod pro illis tuæ fraternitati mandavimus satagens pro viribus adimplere, quosdam de societate ipsorum in Italia commorantes, juxta formam qua idem Durandus reconciliatus fuerat coram nobis, reconciliasti ecclesiasticæ unitati. Idem quoque Durandus & socij ejus suis nobis litteris intimarunt quòd reconciliatis Ecclesiæ per te dictis fratribus eorundem, quidam alij ferè centum reconciliari volebant, dummodo quoddam pratum quod commune Mediolanense ipsis olim concesserat, in quo sua schola constructa consueverant convenire ac exhortari fratres adinvicem & amicos, quam bonæ memoriæ prædecessor tuus destrui fecerat dum essent excommunicationis vinculo innodati, & nunc iterum est erecta, ipsis concedere velles, ut ad exhortationem mutuam faciendam fratribus & amicis liberè valeant convenire. Vnde nobis humiliter supplicarunt ut pratum prædictum eisdem faceremus concedi ad proponendum in schola præfata more solito verbum Dei. Cùm igitur non propter rem temporalem, sed propter æternam mercedem, reconciliari debeant ecclesiasticæ unitati, cùm nullus salvari valeat extra arcam, petitionem hujusmodi non duximus approbandam, cùm in reconciliatione ipsorum conditio non debeat hujusmodi adhiberi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si propriæ salutis intuitu Deo & Ecclesiæ reconciliari voluerint, eos juxta formam qua reconciliatus in præsentia nostra Durandus extitit supradictus, & quam tibi, frater Archiepiscope, per alias litteras nostras expressimus, ipsos in Ecclesiæ gremium recipere mansuetudine debita satagatis, & si demum secundùm datam vobis à Deo prudentiam tam ecclesiasticæ honestati quàm eorum saluti videritis expedire, pratum prædictum seu alium locum idoneum, in quo ad exhortandum se ipsos & amicos eorum cum timore Domini valeant convenire, concedatis eisdem sine gravi scandalo aliorum, quoniam aliter est cum conversis quàm cum perversis agendum. Datum Laterani III. Non. Aprilis, anno duodecimo.

PETRO COMPOSTELLANO Archiepiscopo.

Epist. 18. Conceditur ei ut pallio uti possit extra provinciam. *Cap.* Ex litterat. *De auctor. & usu pall.*

EX tuarum tenore litterarum accepimus quòd cùm fuerit in concessione pallei tibi dictum ut ipso infra tuam Ecclesiam utereris, & tibi tam de mandato regio quàm etiam pro Ecclesiæ tuæ negotiis procurandis frequenter extra tuam provinciam commoranti verecundum sit absque palleo ministrare, cùm consuetudo sit, sicut asseris, in Hispania generalis quòd Archiepiscopi extra suas provincias palleo indifferenter utantur, ut extra tuam provinciam uti palleo valeas indulgeri tibi à sede apostolica postulasti. Licèt autem usus hujusmodi sit abusus, & consuetudo talis dicenda sit potiùs corruptela, & ij graviter offendere dinoscantur qui utuntur palleis extra suas provincias absque licentia sedis apostolicæ speciali, nos tamen in hac parte volentes fraternitati tuæ facere gratiam specialem, auctoritate

tibi præsentium indulgemus ut si quando necessitate aliqua præpeditus ad Ecclesiam tibi subjectam accedere fortè nequiveris pro consecrandis suffraganeis tuis vel Clericis ordinandis, & ad Ecclesiam alienam propter hoc te contigerit declinare, dummodo is ad quem eadem Ecclesia pertinet id permittat, utendi palleo in jamdictis casibus liberam habeas facultatem. Datum Laterani IV. Non. Aprilis, anno duodecimo.

FRISIENSI EPISCOPO, ET Præposito & Decano Mosburgensi Frisiensis diocesis.

Epist. 19. De homicidio casuali.

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius A. humiliter proposuit coram nobis quòd cùm apud Bononiam causa studij commorans, repetendæ lectionis occasione ad hospitium H. quondam sui socij accessisset, dum ambo in solario domus starent, & verbis jocosis præmissis idem H. manibus collum ejus complexus eum deicere conaretur, & ipse dicto H. resistendo caput suum de illius manibus abstraxisset, eodem H. in domus parietem corruente ac ad terram cadente, cum ipso ejus tibia fracta fuit; qui postmodum alia superveniente infirmitate, per incuriam medicorum in die quartadecima expiravit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, eidem A. ad cautelam injuncta pœnitentia competenti, ipsum & sua beneficia retinere & ad ordines superiores ascendere absque contradictione cujuslibet permittatis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani Non. Aprilis, pontificatus nostri anno duodecimo.

CLAROMONTENSI EPISCOPO.

Epist. 20. Vtrum liceat bona sua dare Ecclesiæ pro beneficio obtinendo.

CVm pro beneficiorum ad donationem tuam spectantium paucitate pauciſſimos possis Clericos, velut asseris, ordinare, à nobis sollicitè requisisti utrum aliqui possint de bonis suis in aliquibus Ecclesiis mittere in communi, ut ex hoc beneficiis institutis, tam ipsi quàm eorum perpetui successores ad eorum titulum valeant canonicè promoveri. Super quo tibi duximus respondendum quòd quamquam si hujusmodi bona oblata fuerint cum conditione vel pacto, ut videlicet is qui obtulerit ea, illa postmodum pro præbenda retineat, & ad sacros ordines ad titulum promoveatur eorum, talis oblatio seu etiam ordinatio fieri non possit absque vitio simoniæ, cùm in talibus omnis pactio ac conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones, si tamen purè ac sine pacto & conditione qualibet quisquam offerat aliqua bona sua rogans humiliter ut ea retinere sibi liceat pro præbenda & ad titulum ordinetur ipsius, proculdubio id fieri poterit absque vitio simoniacæ pravitatis. Datum Laterani III. Non. Aprilis &c. ut suprà.

Vide suprà lib 10. epist. 169.

HVGONI ABBATI ECCLESIÆ sanctæ Mariæ de Ieddevvrde ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris canonicam vitam professis in perpetuum.

Epist. 21. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam beatæ Mariæ, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis prædecessorum nostrorum Eugenij, Adriani, Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut Ecclesia vestra honore ac dignitate abbatiæ juxta institutionem bonæ memoriæ Herberti quondam Glasguensis Episcopi & concessionem successorum ejus perpetuis temporibus potiatur & ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuò ibi inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in decimis, redditibus, aquis, pascuis, silvis, terris cultis & incultis, vel aliis rebus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam ipsam cum decimis utriusque Gedevvrde & Langeton & Nesebith &c. *usque* sicut chartæ eorum donatorum testantur. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos & laicos &c. *usque* retinere. Cùm autem generale inter-

dictum terræ fuerit &c. *usque* celebrare. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit sine Abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de claustro recedere. Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In parrochialibus quoque Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Pro chrismate verò, oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, ordinationibus Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive pro benedicendo Abbate aut deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis ecclesiasticis sacramentis, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis aut alio quolibet modo quicquam audeat postulare. Sepulturam præterea ipsius loci &c. *usque* nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Interdicimus etiam ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa audeat promulgare. Novas quoque & indebitas exactiones seu consuetudines Ecclesiis aut Capellis vestris nullus imponat. Nulli omnino ecclesiasticæ secularive personæ liceat infra terminos parrochiarum vestrarum monasterium vel canonicam absque diocesani Episcopi & vestro consensu quomodolibet instituere, seu eremum incluforum vobis reclamantibus in vestris cimiteriis ordinare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi contensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Ad indicium autem hujus à Romana Ecclesia perceptæ protectionis, marbotinum unum & canivetum singulis annis nobis nostrisque successoribus, sicut constitutum est, persolvetis. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij II. Idus Aprilis, Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

IOHANNI DE DOMINICO judici Sabinensi.

Epist. 22. Vt testes examinet in quadam causa. *Cap.* Significavit. *De testib.*

SIgnificavit nobis dilectus filius B. Presbyter sancti Nicolai diocesis Sabinensis quòd fundatores ejusdem Ecclesiæ liberam eam esse volentes, fundationis tempore se in ea nihil juris penitùs retinere dixerunt. Vnde timens ne processu temporis probationis copia valeat deperire, provideri sibi super hoc idem Presbyter postulavit. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus testes idoneos, quos dictus Presbyter super hoc tibi duxerit præsentandos, examines diligenter, & eorum dicta in publica reduci facias munimenta, denuntiando fundatoribus antedictis vel eorum heredibus ut receptioni testium, si velint, interfint, & super denuntiatione sic facta confici facias publicum instrumentum. Datum Laterani Idibus Aprilis, anno duodecimo.

ASCVLANO, RAPOLLANO, & Lavellino Episcopis.

Epist. 23. De accusatione adversùs Episcopum Potentinum.

CVm P. & I. Presbyteri super intrusione, dilapidatione, simonia, & insufficientia detulissent olim Episcopum Potentinum, & super iis venerabiles fratres nostri Acherontinus Archiepiscopus & Episcopus Venusinus primò de dilecti filij nostri Gregorij sancti Theodori Cardinalis A. S. L. & postea de nostro mandato testes receperint ab utraque parte productos, depositiones eorum demum ad nostram præsentiam transmiserunt. Nos autem easdem, nondum coram partibus publicatas, in secreto perlegi facientes, invenimus testes ipsos de causis & circumstantiis ad negotium facientibus nullatenus interrogatos fuisse, cujus videlicet conditionis, opinionis, atque fortunæ denuntiatores existant, & an criminosi, vel Episcopi inimici, utrum etiam bono zelo vel odio, & an canonica commonitione præmissa fuerit ad hujusmodi denuntiationem processum. Item utrum ante denuntiationem talis opinionis extiterit Episcopus memoratus. Rursus de personis, causis, loco, tempore, auditu, visu, fama, & certitudine; de quibus interrogari pru-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

denter & sollicitè debuerunt juxta legitimas & canonicas sanctiones. Volentes igitur ut quod semiplenè factum est, per vestram diligentiam suppleatur, attestationes ipsas sub bulla nostra vobis transmittentes inclusas, præsentium auctoritate mandamus quatinus eosdem testes jam pridem ab utraque parte productos vestro faciatis conspectui præsentari, ad hoc eos, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam compellendo; quibus sub debito præstiti juramenti & excommunicationis pœna firmiter injungatis ut plenam & meram dicant de omnibus veritatem super quibus à vobis fuerint requisiti; vosque tam super circumstantiis prænotatis quàm aliis negotium contingentibus inquirentes diligentissimè veritatem, universa studiosè conscripta sub sigillis vestris nobis fideliter transmittatis, partibus injungendo ut ad præsentiam nostram per se vel procuratores idoneos veniant sic instructæ ut attestationibus publicatis sententiam à nobis Domino auctore reportent. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

RATISPONENSI EPISCOPO.

Epist. 14. De reformandis abusibus in clero.

CVra te pastoralis officij exhortatur ut circa commissum tibi gregem ita diligenter invigiles quòd non possis de negligentia reprehendi. Sanè ad nostram noveris audientiam perveniſſe quod Plebani de rure tuæ diocesis & quidam eorum Decani, qui eos deberent corrigere & ad pœnitentiam revocare, cohabitationibus manifestis polluti, cùm ad generalem synodum singulis annis accedunt, excessus suos nequiter occultantes, & se invicem confoventes, nihil inter se denuntiant, & sic in detrimentum animarum suarum & scandalum plebis in suo peccato permanent pertinaces. Præterea Milites quidam, qui se asserunt de suis excessibus non debere sacerdotum judicio subjacere, adulteria, incestus, & alia peccata committunt impune, nec etiam corriguntur. Plurimi etiam virorum, mulierum, ac puerorum, qui pro sacramento confirmationis percipiendo ad episcopalem sedem non consueverunt accedere, indifferenter decedunt sine susceptione hujusmodi sacramenti. Cùm igitur eorum diocesanus existas, & ex injuncto tibi officio tuam debeas parrochiam visitare, ac tamquam proprius medicus unde illis infirmitates eveniant cognoscere tenearis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus per te ipsum ad inquisitionem infirmitatum hujusmodi & curationem ipsarum sollicitudine diligenti procedas; quia si putredinem vulneris apertione non eicis, sana caro nequaquam in loco putredinis coalescet. Cetertùm cùm nemo teneatur suis stipendiis militare, nec bovi os claudi debeat trituranti, præsentium tibi auctoritate concedimus quatinus cùm propter hoc tuam duxeris diocesim visitandam, liceat tibi moderatam procurationem percipere; ita quidem quòd ex hoc Ecclesiæ non graventur, sed potiùs per adventum tuum suscepisse se gaudeant tam in spiritualibus quàm in temporalibus incrementa. Datum Laterani XIV. Kalen. Maij, anno duodecimo.

EIDEM.

Epist. 15. De Clericis non residentibus.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd Ratisponensis Ecclesiæ ac aliorum episcopatuum Canonici, qui nolunt in parrochiis suis, quas habent in tua dioceſi, residentiam facere, ut tenentur, vicarios instituunt in eisdem; qui cùm nec ad Archidiaconum vel Decanum respectum habeant, correctionem nolunt aliquam pro suis excessibus sustinere. Quare nobis humiliter supplicasti quòd, ne ipsæ Ecclesiæ debito servitio defraudentur, tibi licentiam concedere dignaremur ut auctoritate nostra fraternitati tuæ liceret perpetuos instituere vicarios in eisdem. Cùm igitur honori sit onus annexum, & exequi debeat officium qui beneficium est sortitus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Canonicos ipsos ad debitam in eisdem parrochiis residentiam faciendam, vel saltem idoneos vicarios instituendos in illis, per quos dictis parrochiis debita servitia impendantur, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Medardi Sueſſionenſis.

Epist. 16. Vt pœnam quandam ad monasterium admittat.

CVm ad supplicis petitionis instantiam Mariæ pauperis mulieris dudum vobis direxerimus scripta nostra ut .. puero nato ejus victum & vestitum liberaliter ministrantes, erudiri faceretis eundem in scientia litterali, vos, sicut præfata mulier iterata nobis supplicatione monstravit, mandatum apostolicum circa puerum memoratum juxta pium ejus desiderium non impletis. Nolentes igitur hoc pietatis

opus

opus relinquere imperfectum, per iterata vobis scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus dictum puerum apud monasterium vestrum in litterali pariter & morali scientia prompta facientes instrui caritate, ac interim in victu & vestitu providentes eidem, cùm ad quintumdecimum annum pervenerit, ipsum in fratrem & monachum admittatis. Alioquin, ne vel ejus vel prædictæ suæ matris anima in dubium suspendatur, quæ gravis infirmitatis incommodo fatigata, circa provisionem ejusdem pueri minùs commodè potest maternæ sedulitatis officium exhibere, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Remensi & dilectis filiis Abbati Longipontis Suessionensis diocesis & Cantori Remensi dedimus in præceptis ut vos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XI. Kal. Maij, anno duodecimo.

Scriptum est illis super hoc.

ILLVSTRI REGI FRANCIÆ.

Epist. 17. De Iacobis mox lauctæ.

ILlud quod quidam ad injuriam tuam referunt & incommodum regni tui, ad utriusque procul dubio redundat gloriam & profectum, cùm videlicet ingens laus & grandis honor tibi simul & regno ipsi provenerit ex eo quòd inter alios mundi Reges & regna pro communibus necessitatibus & utilitatibus universalis Ecclesiæ seu etiam populi Christiani & recursum ad te specialiter sit ac illud, & potenter eis sit ab utroque succursum. Propter quod, ut recentia ponamus exempla, gloriam tuam & potentiam regni tui titulis hoc illustrat insignibus quòd per Constantinopolitani acquisitionem & detentionem imperij ac subsidia & præsidia terræ sanctæ necnon adjumenta fidei orthodoxæ magnanimitate tuorum fortium procurante, ipsos quasi præcipuos visa est iis temporibus Latinitas habuisse quos adversùs Græciam insolentem opponeret aut gentem incredulam seu etiam hæresim sævientem; ut jam penè de omni quæ sub cœlo est natione non desit qui victricem manum tuam fortiumque tuorum vel non laudet in aliis, vel non formidet expertus. Sed & nunc cælesti consilio, sicut creditur, est provisum quòd cetero terrarum orbe postposito, de tuo specialiter regno, quasi de publico virorum thesauro, vir quæritur qui Ierosolymitani regni gubernaculo præferatur, dilecto filio nobili viro Iohanne Brenensi Comite ad dilectæ in Christo filiæ [Mariæ] ipsius regni Dominæ conjugium evocato; quasi te simul & regnum tuum specialiter in hoc velit Rex altissimus honorare, ut is qui subditus tuus erat, regnum suæ peculiaris hereditatis accipiat, & orientali provinciæ in urgente necessitate succurrat. Quapropter nos pro nihilo reputato quòd dicimur à quibusdam regnum tuum prædictorum prætextu viris & viribus destituere ac ope simul & opibus vacuare, serenitatem regiam ad promotionem hujus negotij securè duximus exhortandam, cùm ex hoc potior tibi salus & regno ipsi major speretur prosperitas proventura. Quod profectò cùm inter cetera regna mundi à temporibus quorum non extat memoria pro catholicissimorum progenitorum tuorum meritis multa sit rerum ac temporum fœcunditate gavisum, sub tuo demum felici regimine directus est Dei munere mundi cursus prosperiùs circa ipsum, ut inter ceteros mundi Reges pro tuis magnificis gestis præfulgeas gloriosus, sola denique, quod tristes referimus, causa conjugij maculam in gloria tua posuit, quam utinam satagas abolere, ut totus omnino ab omni macula sis immunis. Rogamus ergo regalem mansuetudinem & exhortamur attentiùs, in remissionem tibi pecaminum injungentes, quatinus urgentissima terræ sanctæ necessitate prospecta, injuriosum vel damnosum non reputans quod proculdubio tibi est honorabile ac perutile regno tuo, præfato Comiti ad procedendum in hoc non solùm impendas auxilium per te ipsum, sed per tuos facias exhiberi. Nos enim, ut quod super ipso negotio maximè pro terræ sanctæ subventione aliis suademus, ipsi quoque in affectu gerere comprobemur, præter alia quæ quantum desuper nobis datur eidem terræ multifariè multisque modis auxilia procuramus, summam mille quadringentarum marcharum, in quibus nobis Comes ipse tenetur, in utilitatem prædictæ terræ ita providimus largiendam ut persoluta ea fratribus Templi & Hospitalis ab ipso, per eos deferatur ad illam, & tandem in utilitatem prædictam cum consilio venerabilis fratris nostri Patriarchæ Ierosolymitani necnon magistrorum Hospitalis & Templi & ipsius Comitis expendatur. Ad hæc, cùm, sicut pro certo comperimus, litteræ nostræ tibi sæpe minùs fideliter exponantur, in hoc esse te volumus de cetero cautiorem, cùm vitiosus interpres aliquando minus, interdum plus, nonnunquam verò aliud & aliter quàm in ipsis contineatur exponat, culpabiliter te decipiens,

Vide Cœnatum lib. 3. part. 11. cap. 4.

cujus intelligentiam fascinat, & damnabiliter nos offendens, quorum intentionem depravat. Ceterùm lator præsentium G. Prior de Gaia, vir utique providus & fidelis, quæ super quibusdam aliis à nobis accepit tibi referet viva voce. Datum Laterani IX. Kal. Maij, anno duodecimo.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO & magistris Hospitalis ac Templi.

Epist. 28. Mittitur eis pecunia.

ECce mittimus vobis per dilectum filium Iohannem de Sambuco fratrem Hospitalis Ierosolymitani hospitalis sancti Basilij bis mille ac ducentos & sex obolos & dimidium inter novos, veteres, atque duplices, novem scifatos, septem marabuttinos, & præterea in scifatis & auro fracto ad pondus Romanum uncias octoginta; quæ videlicet omnia summam octingentorum quinquaginta librarum Provenienſium senatus attingunt, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatinus ea in necessitatibus terræ sanctæ, prout meliùs expedire videritis, expendatis, habentes prædictum fratrem in Domino commendatum, & eum ad domum suam, cui satis esse noscitur necessarius, quantocius potueritis remittentes. Tantundem etiam assignari fecimus magistro & fratribus Aventini, qui per nuntium suum debent illud vobis similiter destinare. Misimus quoque vobis anno præterito per Templarios summam auri mille librarum Provenienſis monetæ valentem, de qua nullum adhuc habuimus responsum à vobis. Disponimus etiam mittere vobis per Hospitalarios & Templarios mille quadringentas marcas argenti, cum consilio vestro & nobilis viri Iohannis Brenen. Comitis, cùm ad vos Deo duce pervenerit, expendendas. Sed & electo Antiocheno proposuimus pro necessitatibus suis pecuniam mutuare, quam ipse demum reddet pro necessitatibus terræ sanctæ. Datum Laterani anno duodecimo.

* Vide suprà lib. 11. epist. 109.

IOHANNI ABBATI sancti Bertini ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 29. De confirmatione privilegiorum. *Hæc epistola pertinet ad librum secundum.*

IN eminenti sedis apostolicæ specula disponente Domino constituti, sicut imitari prædecessores nostros in bonis debemus operibus, sic etiam summam curam adhibere nos convenit ne quod ab eis pia fuerit provisione statutum nobis, quod avertat Dominus, negligentibus quorumlibet valeat impulsione turbari. Eapropter, dilecti in Domino filij, decisionem controversiæ quæ inter monasterium vestrum & bonæ memoriæ Petrum Cluniacensem Abbatem pro subjectione quam idem Abbas sibi in vestro monasterio vendicabat, quemadmodum à felicis memoriæ prædecessore nostro Papa Innocentio fratribus suis præsentibus & collaudantibus facta est & scripti sui munimine roborata, imitantes piæ recordationis prædecessorum nostrorum Eugenij, Alexandri, Lucij, Clementis, & Celestini Pontificum Romanorum vestigia, auctoritate apostolica confirmamus & ratam permanere censemus. Privilegiis itaque Cluniacensibus quæ super hoc se habere ab apostolica sede dicebant, ab eodem Innocentio justitia dictante cassatis, ad exemplar prædictorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum tam vos quàm successores vestros necnon & ipsum monasterium sancti Bertini ab hujusmodi lite & Cluniacensium subjectione absolvimus; idemque cœnobium libertati propriæ restitutum, salvo jure Tervanensis Ecclesiæ vel Episcopi, sub solius Romanæ Ecclesiæ ditione vel tutela perpetuo permanere decernimus. Ad indicium autem hujus perceptæ à Romana Ecclesia libertatis unam auri unciam annis singulis nobis nostrisque successoribus persolvetis, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum juxta castrum sancti Audomari in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, silvam de Wlverdinghe, quam inclitus quondam Flandriæ & Viromanniæ Comes Philippus vobis in eleemosynam dedit & scripto suo confirmavit, & quod à Gileberto de Avesкerca prope eandem silvam eleemosyna, emptione, vel concambio acquisistis, & residuam partem ejusdem silvæ quæ extenditur usque ad nemus quod Theodoricus Comes Ecclesiæ Watinensi in eleemosynam dedit, sicut in scripto Balduini Flandriæ & Hannoiæ Comitis & Margaritæ uxoris ejus continetur. Decimam etiam de Kelmes, quam tu, Iohannes Abbas, de manu Balduini laici redemisti, & decimam de Acquin, quam simi-

liter de manibus Manasse & Rainaldi laicorum, & altare de Lichtervelde cum decima & pertinentis suis, quæ de manu Geraldi Militis acquisistis. Terram quoque quam Wervaldus Monkel in parrochia de Wluringhem, partim propter concambium, partim propter pecuniam à vobis acceptam, monasterio vestro dedit, & terram de Stapelueld dictam, quam à Guidone de Wisseke per concambium acquisistis, data ei à vobis quadam terra quam prope domum ejusdem W. habebatis, & totum quod de feudo Castellani Bergensis, & quicquid alicubi de possessionibus feudatorum sive censuariorum vestrorum acquisistis, & in villa de Basvvarnestun totum quod de feudo Balduini de Commines acquisitum habetis. Medietatem etiam villæ Kalmont cum pertinentiis suis sub annuo censu duodecim librarum Flandrensis monetæ à Præposito & Ecclesia sancti Audomari perpetuò habendam, sicut charta sigillis eorum signata testatur, vobis confirmamus. Præterea feudum sexaginta solidorum Gualteri de Staphes; quòd cùm Ida soror ejus emisset, vobis in eleemosynam dedit. Et comitatum de Wal & de Busco, quem Willelmus de Arfedinghe vobis in eleemosynam concessit, sicut charta Comitis de Warenghe Domini sui testatur. Et comitatum in villa de Acquin, quem Simon de Val per manum Domini sui Gualteri Boteri in eleemosynam vobis dedit. Et terram in parrochia sanctæ Margaritæ infra burgum sancti Audomari jacentem, quam Iohannes de Sinninghem vobis in eleemosynam dedit. Terram quoque cum comitatu quam Villelmus Castellanus sancti Audomari inter vetus monasterium & Watenes vobis in eleemosynam dedit, & quicquid de feudo ejusdem Castellani ab hominibus ejus quolibet tempore acquisistis, & per authenticas chartas Castellanorum confirmatum habetis, auctoritate apostolica confirmamus. Compositionem præterea inter vos & Abbatissam de Brobug super terminis parrochiæ vestræ de assensu partium factam, sicut hinc inde recepta est & in scripto authentico bonæ memoriæ Desiderij quondam Morinensis Episcopi continetur, ratam habemus, & eam auctoritate apostolica confirmamus. Quod autem de Capella & cimiterio leprosorum de Brobuc à bonæ memoriæ Milone Morinensi Episcopo rationabiliter statutum est & scripto suo firmatum confirmamus & ratum manere censemus; ita videlicet ut in eadem Capella leprosis tantùm & sibi Servientibus divinum celebretur officium, atque in eorum cimiterio nulli nisi leprosi & eorum familiæ tumulentur. In monasterio quoque sancti Silvini apud Achiacum Abbas vester qui pro tempore fuerit, tamquam in speciali filia, secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam corrigendi quæ corrigenda sunt cum religiosorum virorum consilio plenam, sicut hactenus, habeat facultatem. Statuimus etiam ut infra terminos parrochiarum vestrarum nullus Ecclesiam vel oratorium absque vestro consensu ædificare præsumat. Salvis tamen privilegiis Romanorum Pontificum. Stationes autem publicas ab Episcopo in monasterio vestro, seu Episcopum illuc accedere nisi ab Abbate & fratribus fuerit evocatus, omnino fieri prohibemus. Possessiones præterea & decimas quas monasterium vestrum à quadraginta annis inconcussè possedit, & in præsentiarum sine controversia possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos è seculo fugientes liberos & absolutos &c. *usque* retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere. Discedentem verò &c. *usque* retinere. Religiosas sanè consuetudines à prædecessoribus vestris & à vobis hactenus observatas aliqua levitate mutari seu etiam possessiones alienari Ecclesiæ, nisi de Abbatis providentia fiat cum consensu Capituli vel majoris & sanioris partis, auctoritate apostolica prohibemus. Præterea libertates & immunitates monasterio vestro collatas, sicut hactenus observatæ sunt, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Auctoritate quoque apostolica nihilominus duximus prohibendum ne ullus Advocatus aut minister ejus locum ipsum vel quæ ad eum pertinent gravare seu quibuslibet exactionibus fatigare præsumat, sed iis quæ antiquitus concessa sunt & ad ejus justitiam pertinent contentus existat. Decimas quoque ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi & liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias quas pertinent revocandi liberam vobis & ea-

rundem Ecclesiarum ministris de auctoritate nostra concedimus facultatem. Prohibemus insuper ne aliquos interdicto vel excommunicationi à vobis justè subjectos ad officium aut communionem ecclesiasticam quisquam recipere sine congrua satisfactione præsumat, nisi fortè periculum mortis immineat; ut dum præsentiam vestram habere nequiverint, per alium secundùm formam Ecclesiæ, satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. *usque* celebrare. In parrochialibus siquidem Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat; ita quidem quòd ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* voluerit exhibere. Alioquin ad quemcunque malueritis catholicum antistitem recurratis, qui nostra fretus auctoritate quod postulatur indulgeat. Si quem verò Episcopum Romanæ sedis communionem habentem, & de quo plenam habeatis notitiam, per vos transire contigerit, ab illo benedictiones vasorum & vestium, consecrationes altarium, & ordinationes monachorum auctoritate sedis apostolicæ recipere valeatis. Præterea licitum sit vobis in causis vestris civilibus fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio, sicut rectum fuerit, & propulsare injuriam & justitiam vendicare. Ad hæc adicimus ne aliqui monachi vel conversi sub professione domus vestræ astricti sine assensu Abbatis & majoris partis Capituli vestri pro aliquo fidejubeant vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant &c. *usque* respondere. Ob evitandas verò secularium frequentationes liberum sit vobis, salvo jure diocesani Episcopi & Ecclesiæ parrochialis, oratoria in grangiis vestris construere & in ipsis, cùm necesse fuerit, vobis & familiæ vestræ divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati vestræ &c. *usque* audeat exercere. Constituimus insuper ut Abbas qui pro tempore fuerit ad nullius Archiepiscopi vel Episcopi synodum seu conventum, nisi tantùm Romani Pontificis vel ejus Legati, accedere compellatur. Sepulturam quoque ipsius loci &c. *usque* assumuntur. Obeunte verò &c. *usque* beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & in prædictis Capellis diocesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij Cancellarij vicem agentis v. Idus Aprilis, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

MILONI SVBDIACONO.

Epist. 30. Dispensatur cum eo super defectu natalium.

IN iniquitatibus cum Propheta conceptus non erubuisti nobis exponere quomodo in delictis te peperit mater tua; gratiaque redimendo naturam, ad submovendum impedimentum casualis originis, apostolicæ implorasti beneficium pietatis. Nos igitur attendentes ingenuos mores ingenuis natalibus antecellere, natæque conditionis fortunæ virtutis factæ gloriam anteire, intellecto tam ex compatriotarum tuorum laudabili testimonio quàm eorum qui apud sedem apostolicam ex conversatione diutina te novere quòd fortuitum nativitatis defectum per industrium bonitatis redimis supplementum, de misericordia quæ superexaltat judicio, auctoritate tibi præsentium indulgemus quatinus, dummodo aliud non obviet de canonicis institutis, hoc quod pater tuus in diaconatu de simplici te genuit concubina non officiat tibi meritis sic adjuto quò minùs ecclesiasticum beneficium, cui cura non sit animarum annexa, valeas obtinere canonicè ac obtentum liberè retinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

HVGONI DE SADVRANO Rectori Ecclesiæ de Volobrica.

Epist. 31. Suscipitur in protectionem apostolicam.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios &c. *usque* convevere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præs-

tante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem Ecclesiam de Volobrica cum appendiciis ejus Ecclesiis de Masseiano & de Confolenz, ac omnibus aliis pertinentiis suis, sicut ea ex collatione sanctæ recordationis Petri de Castronovo apostolicæ sedis Legati ac assignatione bonæ memoriæ E. Vticensis Episcopi justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x. Kal. Maij, anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Strigoniensi.

Epist. 32. Confirmatur ea donatio facta à Rege Hungariæ.

IN authentico scripto carissimi in Christo filij nostri Andreæ illustris Regis Vngariæ nobis ostenso perspeximus contineri quòd ipse miserationum Domini recordatus, quibus post tribulationes multas & malas recognoscebat se in patrum suorum solio residere, in suæ coronationis memoriam, quam per manum tuam, frater Archiepiscope, desursum se recepisse fatetur, Ecclesiæ vestræ beati Adelberti martyris religiosa devotione concessit ut annuatim in festo ipsius martyris Canonicis servientibus in eadem centum argenti marcę contradictione sublata de regali ærario persolvantur. Nos igitur vestris precibus inclinati concessionem ipsam, sicut piè ac providè facta est, & in prælibato authentico continetur, quod de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus; cujus tenor est talis. IN NOMINE » sanctæ Trinitatis & individuæ unitatis. » ANDREAS Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Choroaciæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomiriæque Rex, in perpetuum. » Cùm ex regiæ dignitatis officio quibùslibet Deo dicatis domibus teneamur manum » pietatis clementer porrigere & earum utilitati modis omnibus intendere, cupientes » tamen aliquid in gazophylacium cum pauperecula mittere, veteris instar testamenti, » quo mellis, inter cetera, primitiæ poni » videbantur in sacrificio, benigniores regiæ » serenitatis oculos illis accommodavimus » quas à primis credulitatis nostræ cunabulis » & ampliori dignitate præminere & ardentiori orationum affectione pro salute nostra cognovimus assurgere. Sanè miserationum Domini, quibus post tribulationes multas & malas in solio patrum nostrorum « sedimus, recordantes, Ecclesiæ beati A- « delberti martyris, quam matrem regni esse « & metropolim quamque patribus & præ- « decessoribus nostris cum insignibus fidei « sacramenta regalibus administrasse cons- « tat, in nostræ coronationis memoriam, « quam desursum capiti nostro per manum « venerabilis patris Iohannis Archiepiscopi « Strigoniensis Deus imponere est dignatus, « has donorum nostrorum primitias, licèt « exiguum munus, attribuimus, ut annua- « tim in supradicti martyris Christi festivita- « te Canonicis Deo illic deservientibus cen- « tum marcæ argenti contradictione confusa « de regali offerantur ærario. Quod ut ra- « tum & stabile perseveret in posterum, præ- « sentem paginam in argumentum nostri mu- « neris annotatam sigilli nostri roboravimus « impressione. Datum per manus Gothfridi « Orodiensis Præpositi Aulæ regiæ Cancel- « larij anno dominicæ incarnationis MCCVI. « venerabili Iohanne Strigoniensi Archiepis- « copo existente, Calano Quinqueclesien- « si, Boleslao Vaciensi, Petro Geuriensi « Episcopis, Mochone Palatino & Comite « Bichoriensi, Chepano filio Muiabano, Be- « nedicto Vayavoda, Chepano Comite Ba- « ciensi, Smaragdo Zonukiensi & Comite « Curiæ, Gula Comite Budrugiensi, Mar- « cello Suprunensi, Tiburcio Albensi, Poth. « Musunensi Comite.] Nulli ergo omnino « hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursum. Datum Laterani XII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

Vide lib 14 epist. 156.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Bertini.

Epist. 33. De electione Abbatis Alciacensis. Cap Abbate. *De verbor. significat.*

I Abbate sancti Silvini Alciacensis olim viam universæ carnis ingresso, cùm ejusdem loci monachi elegissent quendam de ipsius gremio in Abbatem, & ejusdem confirmationem electionis à bonæ memoriæ Morinensi Episcopo nequivissent aliquatenus obtinere, per procuratorem suum confirmationem ipsam à sede apostolica petierunt. Ceterùm procurator vester proposuit ex adversò quòd cùm secundùm approbatam consuetudinem & privilegia Pontificum Romanorum Abbates Alciacenses debeant de monasterio vestro semper assumi, hujusmodi electio erat non immeritò reprobanda, utpote contra consuetudinem diuturnam & privilegia sedis apostolicæ attentata, & Alcia-

censes monachi debebant de jure compelli ut de monasterio vestro personam idoneam sibi eligerent in Abbatem. Cùmque super hoc iis & aliis coram dilecto filio Guala sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali, quem procuratoribus ipsis auditorem concessimus, allegatis nobis nequiverit fieri plena fides, dilectis filiis de Balantiis, de Longovillari, & sancti Iohannis Abbatibus Ambianensis & Morinensis diocesum dedimus in mandatis ut auditis quæ utraque pars duceret proponenda, causam ipsam cum quibusdam de antiquioribus privilegiis, à quibus alia originem traherent, ad examen nostrum remitterent sufficienter instructam, assignato partibus termino competenti quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Qui juxta mandati nostri continentiam in negotio procedentes, receperunt testes ab utraque parte productos, & attestationibus publicatis, demum eandem causam instructam ad nostram præsentiam remiserunt. Nos verò depositionibus testium diligenter inspectis, invenimus sufficienter esse probatum quòd à sexaginta annis & infrà monachi Alciacenses Abbatem sibi de vestro monasterio elegerunt, ita quòd infra præscripti temporis spatium de vestro cœnobio septem fuerunt in Alciacenses Abbates assumpti. Vnde cùm juxta legitimas sanctiones leges ipsas consuetudo antiquitus approbata tenaciter imitetur, & quod collegiis præstitum fuisse cognoscitur perpetuæ legis vicem debeat obtinere, secundùm præcedentem usum in Alciacensi cœnobio erat electio celebranda, maximè cùm consuetudo hujusmodi diuturno tempore introducta videatur quodam modo contradicto judicio approbata; quia cùm quadam vice Guarinum Alciacensem monachum elegissent, ejus electio robur habere non potuit donec apud monasterium vestrum professione facta post aliquantum temporis, quando scilicet Abbati & conventui monasterij vestri placuit, in Alciacensem extitit Abbatem assumptus. Ex privilegiis quoque Romanorum Pontificum monasterio vestro concessis argui poterat evidenter Alciacensem Abbatem fore de vestro collegio eligendum. Nimirum privilegio felicis recordationis Paschalis Papæ prædecessoris nostri hujusmodi capitulum apparet insertum: *Subrogationem Abbatis penes monasterium sancti Silvini apud Alciacum juxta præteriti temporis morem in vestra semper concedimus dispositione persistere.* Cujus verbis bonæ memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster prorsùs inhæsit. In privilegio quoque Calixti secundi Papæ capitulum hujusmodi invenitur: *Porrò juxta Domini prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Paschalis Papæ decretum Abbatis subrogationem penes Alciacum non aliunde quàm de vestro monasterio fieri apostolica auctoritate decernimus.* Ad hæc autem pars adversa respondit quòd etsi evidenter per depositiones testium probaretur quòd infra prædicti temporis spatium de monasterio vestro semper fuerit Abbas Alciacensis assumptus, ex hoc tamen nullum Alciacensibus monachis præjudicium probabatur, cùm hoc non ex necessitate aliqua factum fuerit, sed ex libera voluntate. Præterea licèt consuetudinis usúsque longævi non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo sui valitura momento ut rationem vincat aut legem. Vnde cùm lege canonica caveatur, quæ probabilem in se continet rationem, ut Abbate defuncto non assumatur extraneus in Abbatem, sed de congregatione ipsa, quem propria voluntate concors fratrum societas duxerit eligendum, quòdsi aptum inter se invenire nequiverint, solerter sibi de aliis monasteriis eligant ordinandum, per usum hujusmodi nequit sacris canonibus derogari. Sed nec dici poterat quòd ex eo consuetudo aliqua quasi contradicto judicio fuerit introducta quòd prædicto modo extitit in memorati Guarini electione processum, cùm illud pro bono pacis factum extra judicium dinoscatur. Sed ad hæc vestra pars replicavit ex hoc colligi evidenter quòd in electione ipsius Guarini, non pro bono pacis, sed ex debito potiùs fuerat sic processum, quia plures alios postmodum de vestro monasterio Alciacenses monachi elegerunt, cùmque filia matri adeo sit conjuncta ut aliena vel extranea non intelligatur ab illa, & Ecclesia vestra sit mater Alciacensis Ecclesiæ spiritalis, profectò Alciacensis conventus non intelligitur extraneum vel alienum eligere cùm de vestro collegio sibi assumit Abbatem. Fuit insuper ex parte Alciacensium allegatum, quòd cùm Paschalis Papa subrogationem Abbatis sancti Silvini monasterio vestro juxta morem præteriti temporis duxerit concedendam, nec de præteriti temporis more seu consuetudine fiat fides, per ejus privilegium & similia nullum super hoc Alciacensi monasterio poterat præjudicium generari. Contra quos fuit ex parte vestra responsum quod hæc determinatio *secundùm præteriti temporis morem*, & causa-

lis & conditionalis poteſt intelligi, & tam ad perſonale quàm impersonale verbum referri. Si enim impersonale verbum determinet, conditionaliter intelligitur, & talis eſt ſenſus. Concedimus ſubrogationem Abbatis ſancti Silvini apud Alciacum in veſtra ſemper diſpoſitione conſiſtere ſecundùm præteriti temporis morem, id eſt, ſi mos præteriti temporis talis fuit. Si verò verbum determinet perſonale, cauſaliter debet intelligi, ut ſit ſenſus. Concedimus ſecundùm præteriti temporis morem, id eſt, quia mos præteriti temporis obtinuit, ſubrogationem Abbatis ſancti Silvini apud Alciacum in veſtra ſemper diſpoſitione conſiſtere. Hic autem ſenſus rectior eſſe videtur: quia cùm privilegium ſit lex privata, & lex non debeat eſſe obſcura vel captioſa, ſed certa & manifeſta, nec eſſet privata niſi aliquid ſpecialiter indulgeret, profectò ſic intelligenda ſunt illa verba ut res de qua agitur valere poſſit potiùs quàm perire; maximè cùm ſupradictus Calixtus Papa, qui eidem Paſchali è vicino ſucceſſit, verbis æquioribus uſus, determinationem illam prorsùs amoverit ut ambiguitas tolleretur, & quod dicebatur in conceſſione Paſchalis, ut videlicet ſubrogatio Abbatis ſancti Silvini apud Alciacum in diſpoſitione veſtra ſemper exiſteret, ipſe mutaverit, decernens ſubrogationem illius Abbatis non aliunde quàm de veſtro monaſterio faciendam, ut electio ad jus commune poſſet ex parte reduci. Eadem quoque verba ſic eſſe interpretanda ſubſequens conſuetudo declarat, quæ perhibetur eſſe optima legum interpres. His igitur & aliis ad eandem cauſam ſpectantibus diligenter auditis & perſpicaciter intellectis, de conſilio fratrum noſtrorum monaſterio veſtro adjudicavimus hujuſmodi dignitatem, ut quotienſcunque in Alciacenſi monaſterio Abbatis electio imminet facienda, Alciacenſes monachi de cœnobio veſtro perſonam idoneam ſibi eligant in Abbatem, ita videlicet quòd tamdiu monaſterium veſtrum hac honoris debeat prærogativa gaudere donec in eo viguerit obſeryantia regularis, ut idoneæ perſonæ inveniantur in ipſo quæ poſſint in Abbates aſſumi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani 11. Kal. Maij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

Scriptum eſt Epiſcopo & Cantori Atrebatenſibus & Abbati de Monte ſancti Eligij Atrebatenſis dioceſis in modum executionis uſque aſſumi. Quocirca electionem à præfatis Alciacenſibus monachis temerè attentatam omnino caſſantes, præſentium vobis auctoritate mandamus quatenus quod à nobis eſt ſententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter obſervari, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam compeſcentes. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum ut in alia per totum.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

Epiſt. 14. De teſtibus admittendis in accuſatione matrimonij.

PEr tuas nobis litteras intimaſti quòd cùm D. laicus tuæ dioceſis S. mulierem trina denuntiatione præmiſſa juxta conſuetudinem Eccleſiæ Scoticanæ duxerit ſolemniter in uxorem, poſtmodum E. mulier in tua comparens præſentia conſtanter aſſeruit quòd prædictus D. priùs dederat ei fidem de ipſa ducenda, & poſtea carnaliter fuerat commixtus eidem, ſuſcepta ex ea prole quàm ſibi prædictam S. publicè copulaſſet, & licèt idem D. fuerit de plano confeſſus ſe priùs illam carnaliter cognoviſſe ac ſuſcepiſſe ſobolem ex eadem, nihilominus tamen quòd fidem ei dederit omnino negavit. Verùm cùm ad hoc probandum prædicta E. tres teſtes induxerit, idem propoſuit ex adverſo quòd cùm præſentes extiterint iidem teſtes quando denuntiatio facta fuit & matrimonium cum prædicta S. publicè celebratum, cùm etiam convivio interfuerint nuptiarum, nunc, tamquam ſuſpecti, utpote qui multo tempore tacuerunt, erant non immeritò repellendi. Vnum quoque ipſorum teſtium, qui ejuſdem D. germanus exiſtit, idem D. repellere nitebatur tamquam adverſarium manifeſtum, pro eo quòd ad exheredationem ipſius modis omnibus intendebat. Præterea fratrem ejuſdem D. fuiſſe confeſſum in pleno Capitulo ſe perjurum & in fratris ſui odium falsum perhibuiſſe teſtimonium adjeciſti, & quòd licèt E. primitus fuerit in jure confeſſa ſe adverſùs prædictum D. quæſtionem malitioſè moviſſe, poſtea tamen hujuſmodi ſe dixiſſe propoſuit pecuniæ promiſſione decepta, quòdque ſibi conſtat legitimè dictos teſtes tam denuntiationis tempore quàm cùm etiam idem D. matrimonium cum prædicta S. contraxiſſe dinoſcitur fuiſſe præſentes. Licèt autem confeſſio fratris prædicti D. qui poſt depoſitionem ſuam propriam turpitudinem allegando aſſeruit ſe perjurum & falſum perhibuiſſe teſtimonim in odium fratris

sui, sit penitus respuenda, cùm hoc modo quilibet posset suum testimonium infirmare, ac mulier confessionem in jure factam eo prætextu revocare non possit quòd se fatetur corruptam promissione pecuniæ hoc dixisse, quia tamen an supradicti testes sint contra matrimonium admittendi, apostolicæ sedis oraculo postulas edoceri, fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat quòd felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster consultus utrum si de propinquitate illorum qui sunt matrimonio copulandi aliqua fiat mentio, & Presbyteri per Ecclesias publicè dicant ut qui novit aliquid infra terminum qui præfigitur exeat & proponat, an illi qui posteriùs veniunt, ad accusationem debeant vel testificationem admitti, taliter legitur respondisse, quòd si suspicione carent posteriùs venientes, ab accusatione vel testificatione repelli non debent; ceterùm si commoniti à Presbyteris tacent, & postmodum accusare vel testificari voluerint, tamquam suspecti meritò repellentur. Datum Laterani III. Non. Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

Cap. Ad hæc. Qui matrimon. accus. possint. in 1. Collect.

NOBILI VIRO E. COMITI Irsuto.

Epist. 35. Suscipitur sub protectione apostolicæ sedis.

EX sincero devotionis affectu quem ad beati Petri Apostolorum principis sedem habere dinosceris, villam quæ Sulcem nuncupatur Romanæ Ecclesiæ liberaliter contulisti, unum aureum apostolicæ sedi annuatim ex ipsa solvendo. Nos igitur donationem ipsam tam gratam quàm ratam habentes, ut ejusdem apostolicæ sedis præsidium tibi sentias non deesse, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis dante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque in finem.* Datum ut in alia per totum.

MELDENSI EPISCOPO & Archidiacono Parisiensi.

Epist. 36. Eis committitur causa Camerarij Carnotensis.

CVm olim venerabilis frater noster Episcopus Carnotensis dilectum filium Radulphum quondam Camerarium suum Decano, Cantori, Subdecano, & Succentori Carnotensis Ecclesiæ ad quandam præbendam in ipsa vacantem præsentasset ex more, idem Decanus offerens se legitimè probaturum quòd publica quorundam criminum laboraret infamia, ipsum admittere recusavit. Cùmque dilecti filij P. Præpositus, S. G. & H. & quidam alij Canonici Carnotenses super hoc inquisitionem fieri petiissent, Abbas de Sarnaio & conjudices ejus, quibus idem negotium delegavimus, quia dictum Camerarium, sicut ex litteris eorum accepimus, non solùm publica laborantem infamia, verùm etiam illis irretitum criminibus invenerunt, silentium imposuerunt eidem super memorata præbenda, ipsum ab omni officio & beneficio ecclesiastico suspendentes, & retinentes in manibus nostris ecclesiastica beneficia quæ habebat ad restitutionem eorum quos variis rapinis, videlicet usuris, matrimoniorum venditione, ac ruptione testamentorum asserebatur nequiter spoliasse. Qui licèt ad præsentiam nostram accedens provideri sibi super sententia præfatorum judicum postulasset, quia tamen nondum ad nos pervenerat relatio judicum eorundem, nihil à nobis tunc potuit obtinere. Sed tandem eorum relatione recepta, quod factum per ipsos fuerat approbavimus, dantes vobis per nostras litteras in præceptis ut illud per censuram ecclesiasticam faceretis appellatione remota firmiter observari. Nuper autem litteras multorum accepimus cum ipso supplicantium & pro ipso ut cùm occasione inquisitionis prædictæ, quam fieri non tam caritatis zelo quàm invidiæ typo aliqui procurasse dicuntur, graves incurrerit in persona labores & difficiles in rebus expensas, sed quasi mutatus in virum alterum, per cor contritum & humiliatum se se venia dignum reddat, super beneficiis suis eum respicere misericorditer dignaremur; maximè cùm illis pro quorum restitutione in nostris manibus sunt retenta & jam satisfecerit juxta posse, & adhuc sit cuilibet conquerenti paratus satisfactionem debitam exhibere. Nos igitur de consueta sedis apostolicæ pietate misericordiam in judicio facere cum ipso volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus considerato per contritionem & conversationem ipsius utrum ei vexatio jam tribuerit intellectum, ut appareat emendatus, ad satisfaciendum illis pro quorum restitutione sua beneficia sunt retenta inducatis eundem, & cùm eis competenter fuerit satisfactum, beneficia ipsa pariter & officium sibi restituere non tardetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani IV. Idus

Idus Maij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

IGNIACENSI ET VALLIS claræ Abbatibus Ciſtercienſis ordinis, Remenſi & Laudunenſis dioceſium, & Decano Remenſi.

Epiſt. 37. Adversùs iniustas excommunicationes.

CVm ſimus ſecundùm Apoſtolum & majoribus & minoribus ex ſuſceptæ ſervitutis officio debitores, providere tenemur ne contra doctrinam ipſius cujus imitatores debemus exiſtere perſonas accipere videamur, & nimiùm deferendo prælatis, indebitè gravare ſubjectos. Sanè dilecti filij Preſbyteri Sueſſionenſis epiſcopatus noſtris auribus intimarunt quòd Epiſcopus & Archidiaconi eorundem nonnunquam eis exactiones indebitas imponentes, ſubitò contra juris ordinem, non ſolummodo per ſeipſos, verùm etiam per ſuos officiales, eos & eorum Eccleſias irrationabili excommunicationis & interdicti promulgatione fatigant. Vnde ſuppliciter petierunt ut tam ſuper iis quàm aliis gravaminibus paterna ſollicitudine conſuleremus eiſdem, auctoritate apoſtolica prohibendo ut nullus in aliquem eorum abſque manifeſta & rationabili cauſa ſententiam excommunicationis vel interdicti proferre ſeu quicquam pro reſtitutione officij à quolibet eorundem exigere, aut eos procurationibus, talliis, & aliis exactionibus contra juſtitiam aggravare præſumat, vel invadere bona cujuſlibet qui decederet inteſtatus quæ intuitu Eccleſiæ acquiſiſſet, aut temerè impedire quò minùs ea in utilitatem Eccleſiæ convertantur cui præfuiſſet defunctus, per tres ex ipſis quos ad hoc providè duxerint deputandos. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus cùm à Preſbyteris memoratis vel eorum aliquo ſuper quolibet præmiſſorum fueritis requiſiti, vocatis qui fuerint evocandi, & inquiſita & cognita veritate, quod canonicum fuerit ſtatuatis, facientes quod ſtatueritis per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo inviolabiliter obſervari, excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſententiam, ſi quam inveneritis promulgatam injuſtè, canonicè revocando, contradictores &c. Teſtes &c. Nullis litteris &c. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani 11. Idus Maij, anno duodecimo.

DECANO ET MAGISTRIS R. & P. Canonicis Antiochenis, & univerſis Clericis in caſtro Curſarij commorantibus.

Epiſt. 38. Vt Patriarchæ ſuum ſuſcipiant reverenter. *Vide ſuprà epiſt. 8 & lib. 11. epiſt. 106.*

PIæ matris officium, quæ non poteſt propriæ ſobolis obliviſci, apoſtolica ſedes adimplens, ſic interdum ſuæ conſolationis uberibus inediam relevat mœrentium filiorum ut imminente neceſſitatis articulo eorum commoda propriis commoditatibus anteponat, in eo ſibi aliquid accreſcere reputans in quo ſibi quicquam ex circumſpectione provida ſubtrahendo profectus conſiderat ſubditorum. Hinc eſt ſiquidem quòd cùm Antiochena Eccleſia proprio viduata paſtore venerabilem fratrem noſtrum Petrum nunc Patriarcham Antiochenum, tunc Yporienſem Epiſcopum, poſtulaverit in paſtorem, te, fili Decane, cum quibuſdam aliis tunc abſentibus per litteras tuas venerabili fratri noſtro Ieroſolymitano Patriarchæ A. S. L. directas præbentibus eidem poſtulationi conſenſum, quamquam à principio durum nobis non immeritò videretur tam fructiferam plantam in partibus Italicis tranſplantare ac illum ad remotas tranſmittere regiones qui, ut veræ religionis cultor, potens in opere & ſermone, vita, ſcientia, & fama præclarus, & in partem noſtræ ſollicitudinis ſpecialiter evocatus, injunctum ſibi viſitationis officium in tota provincia Lombardiæ laudabiliter adimplebat, contritioni tamen & anguſtiis Eccleſiæ ſupradictæ, quam inter ceteras patriarchales ſedes ſinceræ caritatis brachiis amplexamur, paterno condeſcendentes affectu, nutantem quodammodo ſtatum ejus ſolida volentes columna fulcire, poſtulationem prædictam ex benignitate apoſtolica duximus admittendam, quin immo eum Eccleſiæ memoratæ conceſſimus ex plenitudine apoſtolicæ poteſtatis cujus operam diligentem & diligentiam operoſam, non ſolùm Eccleſiæ Antiochenæ, verùm etiam univerſæ orientali provinciæ Domino diſponente ſperamus firmiter fructuoſam, per quam tam in ſpiritualibus quàm etiam temporalibus grata utrique provenient incrementa. Cùm igitur Patriarcha præfatus cum palleo, inſigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, de beati Petri corpore ſumpto & gratiæ noſtræ favore ad Eccleſiam Antiochenam accedat, devotionem veſtram rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica vobis ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes quatenus ipſum congruo ſuſcipientes honore, ac eidem,

utpote Patriarchæ Antiocheno, debitam obedientiam & reverentiam exhibentes, ejus salubribus monitis & mandatis intendatis humiliter & devotè, castro Cursarij cum pertinentiis suis & rebus mobilibus & immobilibus eundem contingentibus Patriarcham sine difficultate qualibet restitutis, juramento aliquo non obstante si quod forsan alicui super hoc minùs providè præstitistis. Alioquin sententiam quam Patriarcha prædictus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles ratam habentes, eandem præcipimus inviolabiliter observari. Datum Viterbij VII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno duodecimo.

In eundem modum scriptum est Episcopis, Abbatibus, Prioribus & universo clero Antiochenæ diocesis.

In eundem modum scriptum est Militibus, burgensibus, servientibus, Sirianis, Armenis, & aliis ligiis hominibus Ecclesiæ Antiochenæ in castro Cursarij commorantibus.

NOBILI VIRO COMITI Tripolitano.

Epist. 39. Vt Patriarchã Antiochenum habeat commendatum. *Vide epist. superiorem.*

CAput Ecclesiæ Iesus Christus, qui se honorari fatetur in membris & etiam molestari, tunc feliciter diriget actus tuos cùm piis locis & viriis ecclesiasticis, qui ejus sunt obsequio specialiter deputati, tuum exhibueris auxilium & favorem. Sic utique Regi Regum, qui dominatur à mari usque ad mare & à flumine usque ad terminos orbis terræ, gratum te ac devotum ostendis, si ad nominis ejus gloriam & utilitatem Ecclesiæ sponsæ suæ commissa tibi usus fueris potestate. Si enim gloriam tuam quæris & finem tui laboris ponis commodum temporale, formidare non immeritò poteris ne, quod absit, is te reddat inglorium qui te fecit successibus temporalibus gloriosum. Tu ergo, fili, quanto majori præmines dignitate, tanto potiùs in conspectu altissimi te humilem exhibeas & devotum, Ecclesiam catholicam matrem tuam potentiæ tuæ brachio defensando. Porrò inter ceteras Ecclesias quas fovere te convenit, Antiochenam Ecclesiam tanto te decet gratia specialiori diligere quanto eam, utpote devotissimam, inter alias parrochiales Ecclesias apostolica sedes sinceræ caritatis brachiis amplexatur. Quocirca nobilitatē tuam rogamus attentiùs & monemus, in remissionem tibi peccaminū injungentes quatenus tam Ecclesiam quàm venerabilem fratrem nostrum Petrum Patriarcham Antiochenum ad ipsam cum gratiænostræ plenitudine accedentem habens propensiùs commendatum, eidem ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ad castrum Cursarium, possessiones & jurisdictiones Antiochenæ Ecclesiæ obtinendas, auxilium tribuas opportunum, ab ipsius & hominum & rerum ejusdem Ecclesiæ per te ac tuos omnimoda molestatione desistens. Alioquin sententiam quam Patriarcha præfatus in molestatores hujusmodi vel ecclesiasticarum rerum illicitos detentores rationabiliter duxerit proferendam habentes, eandem præcipimus inviolabiliter observari. Datum ut in prima.

DECANO ET CAPITVLO Bituricensi.

Epist. 40. De electione Archiepiscopi Bituricensis

AVdito processu quem circa electionem venerabilis fratris nostri Guilelmi Archiepiscopi vestri vos habuisse scripsistis, & intellecto quòd ipse pro reverentia dilecti filij nostri Gualæ sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati, qui volebat ut ab eo priùs confirmatio peteretur, oblata sibi regalia recipere noluit ad nostram præsentiam accessurus, cùm dilecti filij P. Cancellarius & M. fratres & concanonici vestri, quos pro ipso & cum ipso ad sedem apostolicam direxistis, nobis humiliter supplicassent ut ei munus consecrationis & donum pallei concedere dignaremur, nos secundùm morem canonicum in Romana Ecclesia observatum per quosdam ex fratribus nostris factum electionis & meritum electi examinari fecimus diligenter: qui cùm electionis formam canonicam & electi personam idoneam reperissent, sicut nobis fideliter retulerunt, habito tandem tam cum ipsis quàm cum aliis fratribus nostris diligenti tractatu, electionem ipsam auctoritate curavimus apostolica confirmare, ac deinde celebrato scrutinio ipsum electum consecravimus in Pontificem, eique palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, fecimus assignari. Cùm igitur eundem Archiepiscopum ad gerendam Ecclesiæ suæ curam cum gratiæ nostræ favore suique officij plenitudine remittamus, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus obedientiam & reverentiam ei debitam impendatis, ipsius salubribus monitis & præceptis humiliter intendentes, ita quòd per ejus sollicitudinem circumspectam Bituricensis Ecclesia favente Domino & spiritualibus proficiat

institutis & temporalibus amplificetur augmentis. Datum Viterbij VII. Kal. Iunij, anno duodecimo.

ARCHIPRESBYTERO ET Capitulo Garganicæ Ecclesiæ.

Epist. 42. Vt Bartholomæum recipiant in Canonicum.

DIlectus filius D. basilicæ principis Apostolorum Canonicus præbendam quam olim in Ecclesia vestra tenuerat sponte in nostris manibus resignavit; quam nos dilecto filio Bartholomæo clerico & familiari nostro, quem suæ probitatis obtentu nos & fratres nostri carum habemus admodum & acceptum, de benignitate sedis apostolicæ duximus conferendam, & eum de ipsa cum pertinentiis suis manibus propriis curavimus investire. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus dictum Bartholomæum in fratrem vestrum & Canonicum admittentes, & ei stallum in Choro & locum in Capitulo assignantes, præbendam ipsam cum integritate omnimoda ipsius nuntio sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo assignetis, mandatum apostolicum taliter impleturi quòd idem Bartholomæus, qui vobis & Ecclesiæ vestræ poterit existere fructuosus, teneatur apud nos de cetero vestra negotia promovere, ac nos devotionem vestram debeamus meritò commendare. Datum Laterani II. Idus Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

IOHANNI STRIGONIENSI Archiepiscopo & successoribus ejus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 42. De confirmatione privilegium. Vide lib. 14. epist. 156.

IVstis petentium precibus dignum est facilem nos præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Cùm ergo, venerabilis in Christo frater, postulasses à nobis ut jus coronandi Vngaricos Reges, quod ad te ac successores tuos asseris pertinere, tibi & illis apostolico dignaremur privilegio confirmare, nos inspecto regesto felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, in eo perspeximus contineri quòd cùm Principes & Barones Vngarici regni ab eodem prædecessore nostro cum multa precum instantia postularint ut si bonæ memoriæ Laurentius prædecessor tuus juxta mandatum ipsius inclitæ recordationis Belam tunc in Regem Vngarorum electum contradiceret coronare, ipsi per alium imponi regni faceret diadema, ne regno & Ecclesiæ Vngaricæ gravia possent pericula provenire si dictus Bela celeriter unctionem non reciperet & coronam, idem prædecessor noster præfato prædecessori tuo per apostolica scripta mandavit & in obedientiæ virtute præcepit ut supradictum electum in Regem omni dilatione, contradictione, & appellatione postpositis coronaret, aut si per seipsum eum fortè pro debilitate corporis coronare non posset, bonæ memoriæ Colocensi Archiepiscopo intimaret ut eum absque præjudicio honoris & dignitatis ipsius ac Strigoniensis Ecclesiæ, congregatis Episcopis regni in loco ubi Reges coronari consueverunt, in Regem inungeret, & sibi coronam imponere non differret, recepto priùs ab eodem electo in Regem scripto de consilio & assensu ipsorum & Principum regni apertè suo sigillo bullato quòd ex hoc nullum ei vel Strigoniensi Ecclesiæ præjudicium fieret quò minùs Vngarici Reges ab Archiepiscopis ejusdem Ecclesiæ semper debeant coronari, præfato Colocensi dans nihilominus in præceptis ut si sæpedictus prædecessor tuus coronare nollet eundem nec in hac parte ipsi committere vices suas, idem auctoritate apostolica fretus, contradictione ac appellatione postpositis, absque præjudicio illius & Strigoniensis Ecclesiæ non postponeret coronare, ita quidem quòd idem electus in Regem ante coronationem suam Ecclesiæ sæpefatæ scriptum faceret supradictum. quod idem ipsi fecit postmodum in hæc verba. *Ego Bela Dei gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex divina disponente clementia suscipio coronam de manu Colocensis Archiepiscopi, sed non in præjudicium Strigoniensis Ecclesiæ quò minùs Vngarici Reges ab ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopis semper debeant in posterum coronari.* Felicis quoque recordationis Clemens & Celestinus ad instar præfati prædecessoris nostri dignitatem coronationis Regum Vngarorum decessoribus tuis & Ecclesiæ tibi commissæ auctoritate apostolica confirmarunt. Nos igitur eorundem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, præfatum jus, ut videlicet Vngarici Reges ab Archiepiscopis Strigoniensibus semper debeant coronari, tibi & successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Salva semper apostolicæ sedis auctoritate, à qua Vngarici regni corona processit. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Cunctis autem vobis jus idem servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Colmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij, Indictione XII. Idibus Maij, incarnationis dominicæ anno MCCIX. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO Strigonienſi.

Epist. 43. De eadem re.

SOllicitudinis nostræ debitum exigit ut cùm ad universalis Ecclesiæ regimen simus Domino disponente vocati, sua jura servemus quibuslibet illibata, illos apostolico patrocinio munientes, ne super eis perpeti valeant calumnias malignorum. Inde est, venerabilis frater Archiepiscope, quòd olim tuis precibus annuentes, jus quod à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro & inclitæ recordationis Bela Vngarorum Rege ac Ecclesia Colocensi, videlicet ut Vngarici Reges ab Archiepiscopis Strigonienſibus semper debeant coronari, Strigonienſi metropoli fuit manifestè recognitum, sicut in eorum authenticis continetur, & felicis recordationis Clemens & Celestinus prædecessores nostri suis litteris confirmarunt, jus quoque quod habes in conferendis ecclesiasticis sacramentis Regibus & Reginis Vngariæ ac heredibus eorundem, & jurisdictionem ecclesiasticam quam in Præpositos & officiales Regiæ domus habes, quam idem prædecessor noster Celestinus Ecclesiam Strigonienſem habere decrevit, jurisdictionem etiam quam obtines in præposituris & abbatiis regalibus Ecclesiæ Strigonienſi per Vngariam ubicunque subjectis, decimas insuper, primitias, & incensum quæ de camera Regis Ecclesiæ memoratæ debentur, sicut omnia de ratione vel consuetudine ad Ecclesiam tuam pertinere noscuntur, tibi tuisque successoribus auctoritate curavimus apostolica confirmare. Volentes igitur ea quæ per nos & prædecessores nostros vestræ sunt Ecclesiæ confirmata eidem in perpetuum illibata servari, auctoritate præsen ium districtiùs inhibemus ne vos vel ipsam Ecclesiam super eis præsumat quisquam temerè molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VII. Idus Maij, pontificatus nostri anno duodecimo.

Vide Baron. ad an 1169. §. 52.

EPISCOPO ET MAGISTRIS P. Circatori majoris Ecclesiæ & .. Canonico sancti Salvatoris Metensis.

Epist. 44. Vt I. monachi cogatur ad monasterium redire.

COnstitutis in præsentia nostra Hysembardo monacho & procuratore Abbatis sancti Vincentij Metensis dilectum filium A. Subdiaconum & Capellanum nostrum concessimus auditorem. Coram quo monachus proposuit memoratus quòd cùm olim infra annos existens in monasterio Belliprati Cistercienſis ordinis monachalem habitum susscepisset, & fuisset ibidem aliquandiu conversatus, tandem per Abbatem loci ejusdem ab observantia ordinis absolutus, & à parentibus traditus litteralibus disciplinis, postmodum fuit ad servitium Metensis Cancellarij evocatus, Tandem verò ad apostolicam sedem accedens, de mandato nostro à præfato Abbate receptus extitit in monachum & in fratrem, & ipso & conventu consentientibus præpositurarn & administrationem, duobus monachis amotis ex ea, fuit regulariter assecutus. Cujus promotioni dicti monachi plurimùm invidentes, quadam nocte cum complicibus suis irruentes in eum, ipsum nequiter verberarunt, & plagis impositis abierunt semivivo relicto. Cùmque super hoc per Abbatem prædictum suam non posset assequi rationem, tandem querela depositа coram venerabili fratre nostro Archiepiscopo Treverenſi, ab ipso & judicibus assignatis ab eo ad nostrã fuit audientiam appellatum. quare à Metensi monasterio violenter ejectus, ab ipsis fuit nequiter verberatus, & arrepto itinere ad sedem apostolicam veniendi, dictus Abbas de consilio monachorum ipsorum positis eidem insidiis ipsum capi fecit & rebus omnibus spoliatum carceri mancipari; à cujus manibus, prout Domino placuit, liberatus, iter quod inceperat consummavit, & in nostra præsentia constitutus super prædictis & aliis multis excessibus contra præfatum Abbatem litteris ad quosdam judices impetratis à nobis, ad propria est reversus. Cùmque fecisset citari Abbatem, idem ira commotus intempestivæ noctis silentio ad domum in qua manebat destinata multitudine armatorum ostia frangi fecit; nec mortis evasisset periculum, nisi

submissus per tectum clanculò recessisset. Ceterùm idem Abbas per alias litteras iteratò citatus ab eis, ipsas projecit in lutum. Propter quod & alia multa dicti judices ipsum excommunicationis sententia innodarunt. Cùm ergo dictus monachus vagus iret & profugus super terram, Abbas Mediani ejus mendicitati compatiens, de consensu Capituli sui eundem in monachum recepit & fratrem, donec cum Abbatis præfati gratia posset ad suum monasterium remeare. quo manente ibidem, dictus Abbas sibi promisit quòd si absolutionis litteras ab Abbate Belliprati obtentas ipsi ostenderet, præbendam & locum sibi restitueret sine mora. quod visis litteris noluit adimplere, sumens contra ipsum occasionem ex eo quòd nolebat eidem in hæreseos crimine consentire. Tandem verò dictus monachus à quibusdam judicibus quos pars adversa contra eum obtinuerat evocatus, ad locum sibi præfixum accessit, uno tantùm ibidem invento recedens, & adversarij ejus ad duos reliquos alibi accesserunt, & obtinuerunt ab eis in absentia sua iniquam proferri sententiam contra ipsum. Postmodum autem per alias litteras ipsum iterum citari fecerunt; quas cùm haberet de falsitate suspectas, & judices, utpote adversæ parti favorabiles & benigni, nollent ejus legitimas exceptiones admittere nec ad probandas causas suspicionis arbitros sibi dare, idem ad nostram audientiam appellavit, festum omnium sanctorum proximò præteritum terminum suæ appellationi præfigens; & sic lite minimè contestata, nec super principali habita mentione, recessit à præsentia eorundem, nobis humiliter supplicans ut parcentes ejus laboribus & expensis, ipsum recipi faceremus in pace, ad correctionem Abbatis & monachorum ipsorum manus nostras nihilominus apponentes. Ceterùm procurator prædictus proposuit ex adverso quòd cùm idem monachus in duobus monasteriis Cisterciensis ordinis facta professione, in uno illorum monachalem habitum suscepisset, tandem apostatare non metuens, ad præfatum Abbatem, hoc tacito, super receptione sua nostras litteras impetravit; à quo fuit cum summa devotione receptus. Sed cùm postmodum comperisset eundem Cisterciensis ordinis habitum suscepisse, de consilio fratrum eidem injunxit ut rediret ad claustrum & ibidem viveret juxta Cistercienſis ordinis instituta. Idem ergo à monasterio Metensi recedens, boves ejus subripuit fraudulenter; quibus ab ejus manibus postmodum liberatis, cùm idem nollet à præfati monasterij vexatione cessare, sæpefatus Abbas ad dilectum filium Vilarienſem Abbatem & conjudices suos contra eum obtinuit scripta nostra; ut videlicet si constaret eisdem dictum I. fuisse monachum ordinis supradicti, auctoritate nostra sibi sub anathematis pœna injungerent quòd ad monasterium rediens derelictum, Abbatem non præsumeret ulteriùs infestare. Qui cùm vellent procedere juxta traditam sibi formam, dictus I. ad præsentiam nostram accedens, ad venerabilem fratrem nostrum Tullensem Episcopum & conjudices suos nostras litteras impetravit, nullam facientes de aliis mentionem. Quod Abbas attendens, ipsis fecit per suos judices inhiberi ne occasione illarum in causa procedere attentarent. Quibus id efficere non curantibus, idem Abbas ad nostram audientiam appellavit. At ipsi appellatione contempta sententiam excommunicationis in eum nihilominus protulerunt. Quare ipse nuntio ad sedem apostolicam destinato ad Abbatem sancti Arnulphi & conjudices suos à nobis obtinuit demandari ut si constaret eisdem præfatum Abbatem post appellationem ad nos interpositam à præfato Episcopo suisque conjudicibus excommunicatum fuisse & processisse in causa dictum Episcopum post inhibitionem judicum prædictorum, latam sententiam excommunicationis in eum denuntiantes penitùs esse nullam, si prædictum monachum invenirent Cistercienſis ordinis habitum suscepisse & quòd Abbas eum recepisset ignarus, eundem redire ad claustrum censura ecclesiastica coercerent, ab impetitione ipsius dictum Abbatem nihilominus absolventes. Quod ipsi super iis inquisita & cognita veritate fideliter exequi procurarunt, nobis humiliter supplicantes ut processum illorum, tamquam legitimum, dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Cùm igitur Capellanus prædictus hæc & alia quæ proposita fuerant coram eo nobis plenè ac fideliter retulisset, quia per confessionem ipsius I. fuisse receptum in alio monasterio constitit evidenter, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ne dictum cœnobium sancti Vincentij ulteriùs gravetur laboribus & expensis, ipsum ab impetitione ipsius I. sublato appellationis obstaculo absolvatis, eum ecclesiastica censura cogentes ut ad monasterium suum redeat & suum ibidem impendat Domino famulatum. Quòd si

non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Viterbij VII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ILLVSTRI REGI ARMENIÆ.

Epist. 45. Persuadetur ut treugas ineat cum Comite Tripolitano.

SVper discordia quæ de principatu Antiocheno inter te occasione nepotis tui & Comitem Tripolitanum peccatis exigentibus est suborta vehementissimè contristamur, verentes ne adhuc de ipsa proveniat grave rerum dispendium, multa corporum strages, & ingens periculum animarum, quodque non leviter est timendum, à perfidis Sarracenis nobilis Antiochia occupetur in tuam non solùm & suam, verùm etiam totius Christianitatis injuriam & jacturam. Quantumlibet autem partem tuam justificare nitaris, sicut per litteras tuas & dilectos filios Tarsensem electum & . . fratrem hospitalis Theutonicorum nobis suggerere studuisti, videtur tamen viris prudentibus tam in divino quà in humano jure peritis tua in hoc petitio minùs justa quòd postulas ante litis ingressum absque judicio nepoti tuo restitui Antiochiam vel apud alium sequestrari, cùm etsi alterutrum fuerit faciendum, cognitione habita in judicio per sententiam debeat diffiniri, cò quòd cùm prædictus Comes ipsius civitatis possessionem obtineat, absque judicio non debeat illa destitui secundùm leges & consuetudines approbatas. In hoc etiam tua videtur intentio minùs recta quòd super eodem negotio & justitiam tibi postulas exhiberi & violentiam non desinis exercere, cùm simul non sit & armis & legibus contendendum. Hæc autem, fili carissime, sententiando non dicimus, sed multorum sententias referendo; ut intelligas quàm benignè curaverimus te tractare, cùm te hactenus ab impugnatione Antiochiæ non cessante, ad tuam petitionem jam tertiò causam istam diversis judicibus duxerimus committendam, qui semper tibi secundùm juris ordinem obtulerunt justitiam exhibere. Vnde præfatus Comes de nobis conqueritur pro eo quòd te per censuram ecclesiasticam non compellimus ab ejus impugnatione cessare, cùm ipse paratus sit secundùm ordinem juris subire judicium, & tu nolis. Multiplici tamen necessitate pensata, ita duximus providendum, ut dictum Comitem precibus, monitis, & consiliis efficaciter inducamus quatinus venerabili fratri nostro Petro Patriarchæ Antiocheno, viro utique honesto, provido, & fideli, neutri parti de jure suspecto, castellum Antiochiæ tenendum committat donec in judicio de justitia cognoscatur, ut ei tandem illud assignet pro quo fuerit justa sententia promulgata; provisis sibi expensis à partibus ad ipsius castelli custodiam opportunis, & promissione sibi à magistris Hospitalis & Templi solemniter facta quòd eum ad custodiendum ipsum castellum pro posse juvabunt. Nos enim actore Deo virum à latere nostro dispositimus destinare qui sine acceptione personarum & munerum de causa ista cognoscat, & eam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo prævia ratione decidat. Vnde serenitatem tuam rogandam duximus & monendam, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatinus cum præfato Comite treugam ineas & observes, ut præscripta possint discrimina evitari. Sicque Templarij, de quibus valde conquereris, à tua offensione cessabunt, dummodo tu illos desistas offendere, ac de castro Gaston postulatam sæpe justitiam non deneges exhibere. Hæc est enim causa præcipua quam contra te habere videntur, quòd videlicet castrum illud eis restituere contradicis, nec etiam vis de illo eis exhibere justitiam sæpe monitus & rogatus à nobis. Vnde cùm vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittant, ab iis maximè qui vim repellendo irregularitatem non contrahunt, cùm Clerici non existant, videtur plerisque quòd contra te offendentem se possint defendere tibique impugnanti valeant repugnare; præsertim cùm illa eis subtrahas violenter per quæ consueverunt & debent expugnare paganos; cùmque tu castrum illud contra eos detineas & defendas, mirabile non videtur si ipsi contra te Antiochiam manuteneant & defendant, in cujus pertinentiis non minimam obtinent portionem, cùm longè aliud sit defendere quàm offendere, ac repugnare sit quàm impugnare diversum. Fatentur enim hoc quoque sibi ex indulgentia bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri licere, postulantes id ipsum à nobis in instanti sibi necessitatis articulo indulgeri, alioquin plures ex ipsis terram sanctam se asserunt relicturos. quos tamen blandè studuimus consolari, volentes ut, si desuper datum fuerit, inter te & illos firma concordia reformetur: quia cùm sint viri strenui & potentes, multùm tibi & prodesse possunt &, quod Deus avertat, obesse. Monemus ergo celsitudinem tuam, quam sinceræ dilectionis bra-

Vide supra lib. 2. epist. 10

chiis amplexamur, & exhortamur in Domino quatinus ad ea quæ prædiximus pium habeas cum devotione reſpectum. Nec putes quòd illa dixerimus in favorem præfati Comitis, qui per Illud horribile facinus quod in patrem & dominum ſuum iniquè commiſit, favorem demeruit, nec ob gratiam Templariorum, quos magis volumus in ſuæ religionis puritate perſiſtere quàm adverſùm te hoſtiliter dimicare. Sed prudenti conſilio iſta penſavimus propter neceſſitates urgentes, ut communis utilitas præferatur. Quocirca modis omnibus expedit & oportet ut ſi etiam dictus Comes ad ſequeſtrationem caſtelli non poſſet induci, cùm ad eam non poſſit forſan de jure compelli, treugæ nihilominus fiant & firmiter obſerventur donec hujuſmodi controverſia mediante juſtitia terminetur; ad quam utique ſopiendam virum prudentem, ſicut prædiximus, cum Dei auxilio curabimus deſtinare, per quem teſtes qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, compelli mandabimus perhibere teſtimonium veritati. Si qua verò partium tam neceſſario & ſano conſilio noluerit acquieſcere, per cenſuram eccleſiaſticam & tam per indigenas quàm etiam peregrinos eam præcipimus coërceri. Datum Viterbij II. Non. Iunij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

Vide ſupra lib. 10. epiſt. 214.

ABBATI ET CONVENTVI ſancti Benedicti Floriacenſis.

Epiſt. 46. Vt bona alienata revocare poſſint.

QVoniam per adminiſtrationem improvidam & diſſolutam incuriam prælatorum pro alienationibus illicitis factis ab ipſis quamplures Eccleſiæ in temporalibus non modicum ſuſtinent detrimentum, nobis, quibus eſt Eccleſiarum omnium ſollicitudo commiſſa, ex officij debito paſtoralis incumbit poſt cauſam taliter vulneratam remedium competens invenire, quod obducere poſſit & debeat hujuſmodi vulnerum cicatrices. Cùm igitur à nobis duxeritis poſtulandum ut revocandi ea quæ de bonis Eccleſiæ veſtræ per Abbates ejuſdem illicitè alienata fuerint vel conceſſa in ejus præjudicium & gravamen vobis auctoritatem tribuere dignaremur, nos veſtris precibus inclinati, vobis duximus concedendum ut ea quæ ab ipſis Abbatibus inveneritis alienata illicitè vel conceſſa vobis liceat ad jus ipſius appellatione remota legitimè revocare. Nulli ergo &c. hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. *uſque* incurſurum. Datum Viterbij Nonis Iunij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

EISDEM.

Epiſt. 47. Confirmatur compoſitio facta cum Archiepiſcopo Senonenſi.

SOlet annuere ſedes apoſtolica piis votis & honeſtis petentum precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, compoſitionem inter vos ex parte una & bonæ memoriæ Willelmum Archiepiſcopum & Capitulum Senonenſe ex altera ſuper Eccleſia de Loriaco initam & ſcriptis authenticis roboratam, ſicut ſine pravitate providè facta eſt & ab utraque parte ſponte recepta, & in eiſdem authenticis pleniùs continetur, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Viterbij III. Kal. Iunij, anno duodecimo.

ABBATI ET FRATRIBVS ſancti Benedicti ſuper Ligerim.

Epiſt. 48. Confirmatur eis quoddam privilegium « Alexandri Papæ.

IN litteris felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri hæc de verbo ad verbum perſpeximus contineri. « ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati & fratribus « ſancti Benedicti ſuper Ligerim ſalutem & « apoſtolicam benedictionem. Quod aliqua « neceſſitate inſtante noſcitur inſtitutum, « poſtmodum neceſſitate ceſſante debet & « quod ejus gratia eſt inductum ſimili modo « ceſſare. Hac ſiquidem conſideratione pro- « vocati, & Eccleſiæ veſtræ, quæ propriè « beati Petri juris exiſtit, tranquillitati & « paci in poſterum præcavere volentes, au- « ctoritate apoſtolica duximus ſtatuendum « ut licèt Archiepiſcopi aut Epiſcopi prop- « ter præſentiam noſtram aliquod onus ad « præſens obedientiis veſtris imponant, nul- « li eorum fas ſit poſthac occaſione illa « contra antiquam conſuetudinem veſtram « à fratribus veſtris per obedientias conſti- « tutis aliquas exactiones imponere aut quid- « libet ab eis exigere. Datum Senonis VI. « Idus Martij.] Quod igitur ab ipſo prædeceſſore noſtro provida fuit deliberatione ſtatutum ratum & firmum habentes, ad exemplar ejuſdem illud præcipimus inviolabiliter obſervari. Datum Viterbij III. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EISDEM.

Epist. 49. Vt burgenses suos non deprimant onere servitutis.

NEmini debet titulus servilis conditionis apponi qui privilegio debet libertatis gaudere. Inde est quòd ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ III. prædecessoris nostri auctoritate duximus apostolica prohibendum ne burgenses suos, qui infra tempus statutum legibus super statu suæ conditionis nulla sunt quæstione pulsati, deprimere quisquam præsumat onere servitutis. Datum Viterbij III. Kal. Iunij &c.

ABBATI SANCTI Benedicti Floriacensis.

Epist. 50. De limitatione parrochiæ de Villari.

EA quæ ratione prævia statuuntur, firma debent & illibata persistere, & ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur apostolico convenit præsidio communiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, limitationem parrochialis Ecclesiæ vestræ de Villari, sicut à bonæ memoriæ Henrico Senonensi Archiepiscopo rationabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum ut in aliis.

ABBATI ET CONVENTVI beati Germani Autissiodorensis.

Epist. 51. Vt liceat illis revocare bona alienata.

QVoniam per administrationem improvidam & dissolutam incuriam prælatorum pro alienationibus illicitis factis ab ipsis quamplures Ecclesiæ in temporalibus non modicum sustinent detrimentum, nobis, quibus est Ecclesiarum omnium sollicitudo commissa, ex officio debiti pastoralis incumbit, post causam taliter vulneratam, remedium competens invenire quod obducere possit & debeat hujusmodi vulnerum cicatrices. Cùm igitur à nobis duxeritis postulandum ut revocandi ea quæ de bonis Ecclesiæ vestræ per Abbates ejusdem illicitè alienata fuerant vel concessa in ejus præjudicium & gravamen, vobis auctoritatem tribuere dignaremur, nos vestris precibus inclinati vobis duximus concedendum ut ea quæ ab ipsis Abbatibus inveneritis alienata illicitè vel concessa, vobis liceat ad jus ipsius appellatione remota legitimè revocare. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij III. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Benedicti Floriacensis.

Epist. 52. Ne Ecclesiarum suorum prælati interdicti vel excommunicati.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Cùm igitur monasterium vestrum, sicut in authentico bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri, ad jus & proprietatem beati Petri nullo mediante pertineat, nos vestris precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne quis Archiepiscopus vel Episcopus in Ecclesias monasterio ipsi subjectas absque manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias audeat promulgare, vel ab eodem monasterio procurationem exigere, vel correctionem in ipsum exercere præsumat nisi de mandato sedis apostolicæ speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij VI. Idus Iunij, anno duodecimo.

EPISCOPO, ET STEPHANO Canonico, & Iohanni Archipresbytero sancti Iohannis Sutrinensis.

Epist. 53. Confirmatur sententia eorum lata pro ipsis.

CVm dilectis filiis Ottoviano &... Archipresbyteris & Clericis Ecclesiarum sancti Laurentij de Capranica ex parte una & sanctæ Christinæ Sutrinensis diœcesis ex altera litigantibus super bonis Vitæ quondam Archipresbyteri ejusdem Ecclesiæ sanctæ Christinæ dilectum filium Alatrinum Subdiaconum & Capellanum nostrum concesserimus auditorem, ex parte Clericorum sancti Laurentij fuit propositum coram eo eundem V. annum quartumdecimum tunc agentem se suaque obtulisse ipsi Ecclesiæ materno interveniente consensu, ac de bonis illius Ecclesiæ per quatuordecim annos & amplius enutritum, & in ea omnes ordines assecutum, necnon peritiam scribendi adeptum, litteras, cantum, & alia officia ecclesiastica didicisse, quorum omnium exercitio hujusmodi acquisierat facultates; & eo intuitu asserebant ad se bona omnia pertinere ipsius, qui decesserat intestatus. Dicti autem Clerici sanctæ Christinæ proponere curaverunt è contrà quòd cùm dictus V. ab Ecclesiæ suæ Clericis in eorum concanonicum electus fuerit, & per bonæ memoriæ diocesanum Episcopum translatus ad ipsam nullo penitùs reclamante, necnon

necnon per decem & septem annos pacificè commoratus ibidem, ac per te, frater Episcope, dicti Episcopi successorem Archipresbyter in sua Ecclesia institutus, Archipresbytero sancti Laurentij preces specialiter interponente pro ipso, ea quæ postmodum & primitus per parsimoniam, artificiolum, & studium suum, & puerorum doctrinam nactus fuerat, ad eandem Ecclesiam devolvi debebant sine aliqua quæstione. Pars verò altera studuit replicare se à te, frater Episcope, postulasse præfatum Archipresbyterum, tunc simplicem Canonicum, sibi restitui ut suum oblatum, & te precibus quorundam devictum id efficere noluisse; sicque suam negligentiam, si qua fuerat, excusabat. Nos igitur iis & aliis à partibus propositis coram auditore præfato intellectis, cùm de oblatione ac pacifica translatione Archipresbyteri sæpedicti nobis facta fuerit plena fides, ea quæ idem Archipresbyter habuerat antequam ad secundam Ecclesiam à prima translatus fuisset primæ, cetera omnia curavimus adjudicare secundæ; ita tamen quòd si probatum fuerit de bonis prioribus vel eorum proventibus ab eodem aliqua postea conquisita fuisse, illa ipsi Ecclesiæ sancti Laurentij applicentur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus id quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Viterbij XIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIDIACONO ET W. & R. Primicerijs Civitatensibus.

Epist. 54. Confirmatur sententia quædam.

CVm olim inter Clericos sancti Severini de castro sancti Severi ex parte una & Clericos Ecclesiarum sancti Nicolai, sanctæ Mariæ, ac sancti Iohannis castri ejusdem Civitatensis diocesis ex altera super processionibus in diebus rogationum tam in eundo quàm redeundo ad sancti Severini Ecclesiam exhibendis, celebrando sextam ibidem, & sermonem in dominica palmarum ad populum faciendo, necnon etiam pulsationibus campanarum quæstio mota esset, Abbas Terræ majoris ordinarius judex eorum de meritis ipsius causæ sufficienter instructus, Clericos prædictarum Ecclesiarum super præmissis omnibus Ecclesiæ sancti Severini per diffinitivam sententiam condemnavit; quam profectò sententiam cùm iidem Clerici recepissent & aliquanto tempore sine contradictione servassent, nitentibus demum eis venire temerè contra ipsam, Clerici sancti Severini ad bonæ memoriæ Dragonarienſem Episcopum & magistrum P. Canonicum Troianum apostolicas litteras impetrarunt, quarum auctoritate Clerici præfatarum Ecclesiarum ab Episcopo ipso citati, mandato apostolico intellecto, promiserunt se supradicta omnia firmiter servaturos, eaque inviolabiliter observare dictus Episcopus eis sub excommunicationis pœna præcepit, & sic postmodum quod per antedictum Abbatem & eundem Episcopum providè factum fuit, per sedem extitit apostolicam confirmatum. Nuper autem cùm inter Nicolaum Ecclesiæ sancti Severini ex parte una & Thomam sancti Nicolai ac Mauritium sanctæ Mariæ ex altera procuratores super iis quæstio verteretur, dilecto filio Tullio Subdiacono & Capellano nostro eos commisimus audiendos; in cujus præsentia procuratores Clericorum dictarum Ecclesiarum, videlicet sancti Nicolai & sanctæ Mariæ, recognoverunt omnia supradicta, eo quod de sexta canenda præmissum est duntaxat excepto. Ne igitur lites quæ justo judicio sunt decisæ calumniantium vitio reviviscant, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictos Clericos sancti Nicolai & sanctæ Mariæ ad hæc omnia inviolabiliter observandum, secundùm quod à prædictis Abbate necnon etiam & Episcopo est statutum, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CONSVLIBVS ET CIVIBVS Ianuensibus.

Epist. 55. Vt treugas incant cum Pisanis.

LIcèt ubicunque locorum scissura discordiæ fraternitatem divideret Christianam, nos, qui secundùm Apostolum non valemus quocunque scandalizante non uri, ferventi compassionis sartagine frigeremur, de discordia tamen inter vos & cives Pisanos exorta tanto ardentiori caritatis igne perurimur quanto graviora per eam & provenisse jam & posse adhuc etiam provenire pericula intuemur. Per hanc enim non solùm grandia damna rerum & gravia discrimina personarum cum immanibus animarum dispendiis utrique supereminent civitati, verùm etiam Ecclesia penè tota colliditur, & necessarium terræ

sanctæ subsidium impeditur; quin immo verendum est plurimùm ne quatuor illi angeli quibus datum est secundùm Iohannem nocere terræ ac mari, lethalia instrumenta sibi de civitatibus vestris faciant, per quæ maris & aridæ universitatem affligant, dum vos utriusque contermini per mutuæ seditionis offensas sic unius etiam littora suprema concutitis quòd alterius quoque non modica spatia conturbatis. Hoc igitur quidam patrum & prædecessorum nostrorum pro sui officio attendentes, multifariè multisque modis operam impenderunt ut inter vos pacis fœdera reformarent; & cùm in aliquibus aliqui profecissent, noviſſimè tandem felicis recordationis Clemens Papa prædecessor noster pacem perfecit eandem; quæ cùm postmodum, superseminante zizania homine inimico, in malum fuerit discordiæ recidivæ relapsa, nos demum propitiante Domino ad officium summi pontificatus assumpti pacem inter vos, tum ex officij nostri debito, tum ex sincero quem circa utramque gerimus civitatem dilectionis affectu, zelantes multiformiter laboravimus per sollicitudines utique multiformes, sæpissime dirigendo litteras, nuntios, & legatos, ut ad unitatis concordiam & concordiæ unitatem reducere vos possemus; & nisi eo qui operibus pacis invidet faciente processus dilectorum filiorum de Tilieto & sancti Gualgani Abbatum, qui super hoc diù multùmque studiosissimè laborarunt, impeditus fuisset, utraque jam civitas in delitiis bonæ voluntatis & requie opulenta sederet. Quapropter etsi res ipsa per astutias sathanæ in malignum reducta, ne noviſſima ejus fiant pejora prioribus formidetur, sperantes tamen in eo qui est actor pacis & caritatis amator quòd sicut incipere nos permisit, ita quoque nos faciet hujusmodi sanctum pacis negotium consummare, universitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta sub divini judicij obtestatione mandantes quatinus non tam privatis vestris incommodis quàm publicis universalis Ecclesiæ dispendiis occurrendo quæ de prædicta noscuntur discordia provenire, cum memoratis civibus saltem treugas interim ineatis, quibus apostolica scripta direximus ut satisfaciant vobis de damnis quæ noviter intulisse diuntur, vel in manibus venerabilis fratris nostri Pisani Archiepiscopi cautionem præstent idoneam quòd ad mandatum nostrum competenter satisfaciant super ipsis, & unà cum eodem ac venerabili fratre nostro Ianuensi Archiepiscopo simul etiam & Abbatibus antedictis ac nuntiis Pisanorum, quos propter hoc ad nostram præsentiam evocamus, usque ad festum assumptionis beatæ Mariæ proximò venturum, vel antè, quàm citiùs posset fieri, aliquos viros providos ad sedem apostolicam destinetis, commissa sibi plenaria potestate ut omnium vestrum vice circa singula contingentia processuri observanda recipiant quæ cum consilio nostro præsentibus Archiepiscopis memoratis prædicti Abbates super ipso providerint negotio disponenda, de nullo penitùs hæsitantes: quia cùm auctoritatem plenariam super eosdem habeamus Abbates, eos sicut oportuerit & decuerit inducemus ut non declinantes ad dexteram vel siniſtram, regia tantùm via, utriusque partis commoditate prospecta, procedant, adhuc etiam eis sub interminatione anathematis injuncturi ut in eo quod concorditer statuerunt aut modò statuent, vel in alio, si quod postmodum fuerit statuendum, debitam providentiam & rectitudinis æquitatem observent. Alioquin, ne tantum periculum animarum, rerum damnum, & personarum dispendium negligere videamur, adversùs eos qui tam sanctam exhortationem contempserint in enormem jacturam totius populi Christiani, officij nostri debitum exequemur. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, anno duodecimo.

STEPHANO CANTVARIENSI Archiepiscopo S. R. E. Cardinali.

Epist. 16. De electione Episcopi Lincolnensis. Vide Matth. Paris ad an. 1209. Vide infra epist. 91.

AD nostram noveris audientiam perveniſſe quòd Decanus & Capitulum Lincolnienſis Eccleſiæ recepto mandato nostro super electione Pontificis canonicè celebranda, dilectum filium Hugonem Vellensem Archidiaconum sibi concorditer in Episcopum elegerunt; cujus electioni Rex suum assensum dicitur præstitisse. Vtrum autem in ipsa electione canonicè sit processum, an illa prava consuetudo servata propter quam inter regnum & sacerdotium gravis est suscitata discordia, ignoramus. Tenor enim litterarum præfati Regis ad utrumque se habet, cùm contineatur in ipsis quòd Decanus & Capitulum Lincolnienſe requisito assensu Regis ac præstito prædictum Archidiaconum in Episcopum elegerunt. Licèt autem assensus hujusmodi electioni non factæ sed faciendæ sit præstitus, potest tamen intelligi de assensu qui pro facienda Pontificis electione requiritur; & hoc non præjudi-

cat ecclesiasticæ libertati, dummodo sine mora & difficultate præstetur, ne provisio vacantis Ecclesiæ nimiùm differatur. Et potest intelligi de assensu qui præstatur pro aliqua certa persona in Episcopum eligenda. Et hoc ecclesiasticam libertatem impugnat; quoniam electionis perit judicium si eum eligi tantùm oporteat quem Rex priùs duxerat approbandum. Cùm igitur à te sit hujus electionis confirmatio postulanda, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus tres ad minus Canonicos de iis qui præsentes interfuerunt universo ipsius electionis tractatui tibi facias præsentari, & eos super electionis processu diligenter examines, adjurans illos districtè in virtute spiritus sancti sub obedientiæ debito quo nobis & tibi tenentur ut omni gratia & timore postpositis plenam & meram dicant per omnia veritatem, sub hac ipsa districtione injungens per litteras tuas Decano aliisque personis Ecclesiæ memoratæ ut singuli tibi sub testimonio litterarum suarum plenè ac districtè referant hujus electionis processum, & si per examinationes hujusmodi electionem ipsam inveneris de persona idonea canonicè celebratam, metropolitica illam auctoritate confirmes; alioquin ea penitùs irritata, veritatem nobis non differas intimare. Circa personam autem electi quædam præsumptiones videntur esse notabiles, videlicet quòd cùm ipse in curia Regis officium exercuerit Cancellarij, multas litteras sigillaverit de spoliationibus Clericorum, invasionibus Ecclesiarum, mutilatione membrorum, & aliis abusionibus & injuriis multipliciter irrogatis, quòd etiam communicaverit illis qui propter expulsionem monachorum Cantuariensium auctoritate nostra sunt excommunicationis vinculo publicè innodati, quòdque de carnis incontinentia sit suspectus, cùm filias habeat matrimonio copulatas. Quia verò præsumptiones hujusmodi validæ non videntur, cùm non solùm minores Clerici, verùm etiam plures Episcopi sint quorundam Principum Cancellarij, quibus tamen non impingitur talis culpa, cùm per alios ad hoc etiam deputatos possint hujuscemodi litteræ sigillari, nec facilè posset ostendi quòd scienter communicaverit excommunicatis in casibus non concessis quòdque incontinentia ejus sit recens, maximè si parvulam prolem non habeat recentis incontinentiæ suæ testem, cùm præmissam incontinentiam vel excusare conjugium vel pœnitentia potuerit abolere, satis eas poteris pertransire, si non appareat coram te qui velit illas sufficienter opponere ac probare. Illud autem est æquanimiter tolerandum, si fortè Lincolniense Capitulum præfatum Archidiaconum sponte ad preces Regis elegit. Ne verò Ecclesiarum substantiam occasione filiarum ipsius deperire contingat, astringi poterit ad indemnitatem earum per idoneam cautionem. Datum Viterbij XI. Kal. Iulij, anno duodecimo.

EPISCOPO ET ABBATI sancti Vedasti Atrebatensis.

Epist. 57. De excommunicatione Regis Angliæ.

CVm ad nostrum exequendum mandatum, maximè pro ecclesiastica libertate, promptos vos & paratos esse credamus, discretionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus cùm requisiti fueritis à venerabili fratre nostro Stephano Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali, excommunicationis sententiam in Iohannem Regem Anglorum, assistentibus vobis venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Heliensi, & Wigorniensi Episcopis, vel saltem duobus ex ipsis, secundùm formam litterarum quas illis direximus, publicè ac solemniter proferatis. Quòd si non ambo &c. alter vestrum &c. Datum ut in alia per totum.

Epist. 58.

REquisisti de his quæ testator pro anima sua legat in ultima voluntate, qualiter sint inter Episcopum & Ecclesias dividenda. Et quidem regulariter verum est &c. *ut suprà lib.* XI. *epist.* CCLXII. *usque ad hæc verba*, patrocinari non debet. Datum Viterbij III. Kal. Iulij, anno duocimo.

ABBATI SANCTÆ Trinitatis de Maloleone.

Epist. 59. Irregularem esse qui alium lethaliter percussit. Cap. Significasti. De homicidio.

SIgnificasti nobis per litteras tuas quòd cùm quidam maleficus ingressus Ecclesiam de Bleiseio, Dei timore posthabito, eucharistiam cum ornamentis altarium & libris ecclesiasticis extra ipsam Ecclesiam asportasset, dilectus filius Laurentius Presbyter lator præsentium Ecclesiæ tuæ regularis Canonicus, quem in præfata Ecclesia de Bleiseio institueras Capellanum, præfatum iniquitatis filium fossorio arrepto percussit; sed si ad mortem fuerit ictus hujusmodi, tu & ipse penitùs ignoratis. Cùm autem parrochiani Ecclesiæ memoratæ viderent prædictum male-

ficum ornamenta Ecclesiæ asportantem, arreptis gladiis & fustibus ipsum in eodem loco protinus occiderunt. Præfatus verò Laurentius de sua salute prægogitans, evoluto anno sub titulo confessionis tibi rei ordinem revelavit. Pro quo nobis humiliter supplicasti ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Licèt autem contineatur in canone quòd si quatuor homines aut quinque vel plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab iis mortuus fuerit vulneratus, quicunque illorum ei plagam imposuit homicida secundùm statuta canonum judicetur, quia tamen in alio canone dicitur de Presbytero qui Diaconum equitantem percussit, & ipse cadens ex equo cervice fracta interiit, quòd si non ad mortem percussus est, incautè agenti Presbytero est pœnitentia indicenda, ita quòd aliquanto tempore à Missàrum suspensus solemniis, denuo ad sacerdotale officium revertatur, quòd si veraciter qualicunque percussione Presbyteri mortuus est Diaconus, nulla hic ratione more sacerdotis permittendus est ministrare, etiamsi voluntatem non habuit occidendi, nos in præmisso casu credimus distinguendum utrum constare possit quòd præfatus sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua videlicet, si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minimè interisset, quòdque percussor voluntatem non habuit occidendi, nec ipsius studio, consilio, vel mandato processerunt alij contra illum. Et quidem si hoc ita se habet, quod forsan ex eo posset ostendi si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta tam modica & tam levis in ea corporis parte in qua quis leviter percuti non solet ad mortem ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis, cùm de ceteris ipsi credendum sit sacerdoti, qui non accusatus vel denuntiatus ab aliquo, sed per seipsum de sua salute sollicitus consilium expetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam injunctam in sacerdotali posset officio ministrare, religionis accedente favore, cùm sit Canonicus regularis, & sine omni scandalo sacerdotale possit officium exercere. Quòd si discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet ipse sacerdos, etsi forsan homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere, cùm in hoc casu cessare sit tutius quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.

23. q. 8. cap. *Si quatuor.*

Vtrum autem de illis sit simile sentiendum quorum unus, sed quis omnino nescitur, homicidium perpetravit, si forsan ad recipiendos sacros ordines præsententur, ut omnes sint pariter repellendi, cùm discerni non possit qui debeant inculpabiles judicari, diligens investigator advertat; quamvis hic casus sit ab illo valde diversus. Si verò, quemadmodum perhibetur, sacerdos iste priùs ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit, quamvis vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos à pœna homicidij penitùs excusandus, tum ratione instrumenti cum quo ipse percussit, quod cùm sit grave, non solet levem plagam inferre, tum ratione partis in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis solet lethaliter lædi; maximè cùm secundùm vulgare proverbium asseratur quòd qui ferit primò, ferit tangendo; qui verò ferit secundò, ferit dolendo. Vnde pensatis omnibus ei creditur expedire ut cum humilitate abstineat à sacerdotali officio exequendo. Datum Viterbij Kal. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

FRATRI ASTORGIO monacho de Manso Adæ Cistercienſis Ordinis.

Epist. 61. De monachis qui medicinæ exercent.

OBlata nobis tua petitio continebat quòd cùm adhuc in seculo morareris & medendi officium exerceres, adhibuisti cuidam monacho medicinam, verùm cùm te illicitis negotiis implicato & tardante regredi ad eundem, ipse cùm purgatus jam esset, mandatum quod ei dederas super sua custodia vilipendens, sibi à prohibitis non cavisset, morbum pariter & mortem incurrit. Licèt autem de Abbatis tui consilio sacros ordines gradatim fueris assecutus, quia tamen ex eo conscientia te remordet quòd si adhibuisses exactiorem diligentiam circa eum, eventum talem forsitan evitasset, nos consulere studuisti an in susceptis debeas ordinibus ministrare. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, & aliud canonicum non obsistat, sub timore divino ministres in ordinibus jam susceptis, pro iis & aliis excessibus expiandis monasticam regulam diligentiùs observando. Datum Viterbij Kal. Iulij, anno duodecimo.

PRIORI S. HONORATI ARELATENSIS.

Epist. 62. De causa quadam matrimoniali. Cap. Ex tenore. De consang. in 4. milit.

EX tenore tuarum litterarum accepimus quòd cùm Petrus & M. mulier in annis majoribus constituti per verba de præsenti matrimonium contraxissent, quidam dicens illos quinto se consanguinitatis gradu contingere, coram te cœpit matrimonium accusare: qui demum juxta formam canonis præstito juramento ad fundandam intentionem suam duos testes inducens, consanguinitatem ipsam taliter computavit. Malenutrita, inquiens, & vir ejus Causitum atque Mariam, Causitus verò Guiscardum, Guiscardus Mariam, Maria Gilium, Gilius nuptam Petro. Item Maria uxorem Bernardi Amalrisci, quæ Beatricem uxorem Bernardi Aldeberti, quæ Beatricem uxorem Bernardi de Regordano, qui Petrum de quo agitur genuerunt. quem alter testium in omnibus est secutus. reliquus verò consanguinitatis gradus hoc modo distinxit. Malenutrita & vir ipsius Causitum atque Mariam, Causitus autem Guiscardum, Guiscardus matrem Gilij, Gilius sponsam Petri. Item Maria uxorem Bernardi Amalrisci, uxor Bernardi Amalrisci uxorem Bernardi Aldeberti, uxor Bernardi Aldeberti Beatricem matrem Petri genuisse *noscuntur. Porrò accusatoris pars consanguinitatem sufficienter probatam asseruit ex depositionibus prædictorum. Cùm enim consanguinitatis gradus competenter distinxerint, nocere non poterat quòd nomina quarundam non expressserunt personarum, cùm demonstratio seu circumlocutio loco proprij nominis habeatur. adiciens quòd etsi dictum unius testis, qui trium personarum nomina non expressit, reputaretur forsan invalidum, assertioni tamen accusatoris & testis alterius in hoc articulo standum erat, cùm in decreto Paschalis inveniatur quòd in omni negotio principalis persona de re sibi nota veritatem dicens pro teste meritò est habenda; cui quidem uno adhibito, duo testes efficiuntur. Præterea supervacuò videretur esse statutum ut cum juramento deberet recipi accusator, nisi ei crederetur in hoc articulo tamquam testi. Ad hæc autem fuit ex adverso propositum quòd cùm juxta canonicas sanctiones non solùm gradus distinguendi sint sed etiam personarum nomina designanda, & prædicti accusator & testes in quarundam defecerint nominibus personarum, profectò ex depositionibs eorundem nihil penitùs probabatur. Nec obstat quòd altera pars

*In tert. collect. nocituri. Item in vol. Colbertino scripsum est noscuntur.

Cap. Licet. De testib.

Cap. In omni. eod. tit.

II. q. cap. De personis. Vide Regnonem lib. 2. c. 251. q

*In tert. collect. proprij nom. etiam in Cod. Colbertino.

*In tert. collect. admittitur, etiam in Cod. Colbert.

proposuit demonstrationem * vicem nominis obtinere; quia tunc demum demonstratio seu circumlocutio proprij nominis vicem supplet cùm potest de corpore seu persona constare. Vnde cùm personarum illarum quarum nomina minimè sunt expressa nulla prorsùs memoria habeatur, utpote longis retroactis temporibus defunctarum, hujusmodi circumlocutio non est pro nomine proprio admittenda; maximè cùm videatur ibi obscuritatem ingerere manifestam ubi dicitur, *Maria genuit uxorem Bernardi Amalrisci, uxor Bernardi Amalrisci genuit uxorem Bernardi Aldeberti,* cùm ista compossibilia esse potuerint, ut & Maria uxorem Bernardi Amalrisci & alia uxor Bernardi Amalrisci uxorem Bernardi Aldeberti genuerit quæ Mariæ filia non fuisset; ut verbi gratia, si Bernardus Amalrisci diversas habuisset uxores. Ex eadem quoque fuit parte propositum regulariter esse verum ut nulli prorsùs accusatori credi debeat tamquam testi, cùm juxta sacrorum canonum instituta nullus in eodem negotio simul esse possit accusator & testis. Supradictum verò Paschalis capitulum dicebatur ad fraternæ correctionis causam, in qua non secundùm judiciarium ordinem, sed potiùs juxta regulam evangelicam proceditur, restringendum. quod ex ipsius tenore capituli colligitur evidenter. Sic enim in evangelio continetur: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tibi unum vel duos testes &c.* Et tunc etiam hujusmodi testis adhibitus, non quidem commissi criminis, sed fraternæ commotionis potiùs testis erit. Fuit quoque subsequenter adjunctum quòd non ideo accusator cum juramento * recipitur ut ei credi debeat tamquam testi, sed cùm in causa matrimonij quoad quædam laxiùs quàm in aliis negotiis procedatur, dum ad testimonium admittuntur tam domestici quàm affines, & recipitur etiam testimonium de auditu, cujusdam compensationis intuitu fuit à sacris canonibus introductum ut accusator cum solemnitate quadam, videlicet juramento, reciperetur. Nec tamen ideo ut testis debet recipi dictum ejus. Nam & in aliis controversiis, licèt quis præstet calumniæ sacramentum, non tamen ei creditur tamquam testi. Prætera dictum unius testis, qui propinquitatem habere asserit per se notam, ex eo invalidum videbatur quia cùm secundùm communem loquendi usum, dum quis di-

cit librum aliquem per se nosse, intelligatur illum suo studio didicisse, dictus testis videbatur impossibile fuisse testatus; qui cùm nondum quinquagesimum annum attigerit, illorum consanguinitatem suo studio se nosse proposuit qui jam centum annis elapsis decessisse noscuntur. Præterea cùm alius testis ea quæ super consanguinitate deposuit à Maria Lamberti se didicisse firmaverit, ac Maria jurata postmodum dixerit se de illis nihil scisse penitùs vel etiam audivisse, illorum dicta sic asseruit pars altera benignè interpretanda, ne alteruter de perjurio arguatur, ut videlicet ille quæ dixit didicerit à Maria, & Maria de illis nihil omnino novisset aut etiam audivisset, & tamen ea quæ nec scivit nec audivit ab aliquo, per se fingens dixerit ipsi testi. Vnde cùm ipse de iis fuerit instructus ab ea quæ illa penitùs ignorabat, hujusmodi testimonium debet invalidum judicari. Cùm igitur nos duxeris consulendos quid tibi sit in præmisso negotio faciendum, nos tam supradictis quàm aliis intellectis, devotioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm tolerabilius sit aliquos contra statuta hominum copulatos dimittere quàm conjunctos legitimè contra statuta Domini separare, per depositiones hujusmodi non est ad divortij sententiam procedendum. Datum Viterbij VI. Kal. Iulij, anno duodecimo.

Vide Concil. Lateran. Innoc. III. c. 52.

H. SCHOLASTICO BREMENSI.

Epist. 62. Ei confirmatur sua schola-stria.

CVm dilectus filius magister G. in nostra esset præsentia constitutus, coram nobis humiliter est confessus quòd super scholastria Bremensis Ecclesiæ ac præbenda quas aliquando possederat in eadem te nec molestabat nec volebat in posterum molestare, sed observare diligenter arbitrium quod inter te ac ipsum super iis fuerat promulgatum. Vnde super eisdem ipsi perpetuum silentium duximus imponendum. Datum Viterbij VI. Non. Iulij, anno duodecimo.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 63. Adversùs Vvaldemarum Episcopum Slevvicensem.

CVm vir iniquus & apostata Waldemarus quondam Episcopus Slevvicensis ad sedem apostolicam accessisset, per eam de durissimo carcere libertatus in quo suis meritis diù fuerat detentus inclusus, & nos ei humanitatem omnimodam ostendere curassemus, exagitatus non divino spiritu, sed maligno, à nobis clamculo illicentiatus abscessit, collatæ sibi gratiæ se ostendens ingratum, & administrationi Bremensis Ecclesiæ nequiter se ingessit, priori Ecclesia temerè derelicta, non curans advertere quòd secundùm canonica instituta qui à cathedra priori deserta sine Romani Pontificis conniventia præsumpsit ad aliam se transferre, & prima carere debet, quam per superbiam sprevit, & repelli nihilominus à secunda, quam per avaritiam concupivit; præsertim cùm in præsentia nostra dilectus filius Præpositus sancti Lucij Roskildensis ei læsæ majestatis, apostasiæ, adulterij, perjurij, dilapidationis, & conspirationis crimina objecisset, quòdque irregularis existeret, utpote de duplici adulterio procreatus, dispensatione ipsius olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quòd esset spurius & expresso quod existeret naturalis, cùm & paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. quæ omnia idem Præpositus contra eum se obtulit probaturum. Quamvis ergo durissimè animadvertere potuissemus in eum, quia tamen sedes apostolica consuevit mansuetudine temperare rigorem, pœnam ipsi debitam differentes ad tempus, venerabilibus fratribus nostris Magdeburgensi Archiepiscopo suisque ac Bremensis Ecclesiæ suffraganeis, Osnaburgensi præterea & Monasterienſi Episcopis districtè dedimus in præceptis ut præfato Waldemaro ex parte nostra districtè præciperent quatinus omni excusatione ac dilatione cessante infra mensem post commonitionem eorum iter arriperet ad sedem apostolicam veniendi, veniam humiliter petiturus, alioquin ex tunc sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo depositum & degradatum ab omni ecclesiastico officio & beneficio auctoritate nostra nuntiarent eundem, & facerent tamquam anathematizatum usque ad satisfactionem condignam arctiùs evitari; omnibus nihilominus inhibentes ne quis ei communicare præsumeret vel favere, ita quòd si qui venire in contrarium attentarent, laicos hujusmodi excommunicationi subjectos & à Bremensi Ecclesia beneficium obtinentes, eo in perpetuum spoliatos, Clericos autem auctoritate nostra nuntiarent omni ecclesiastico beneficio & officio destitutos, civitatem verò seu castrum aut hominum quodcunque commune, si contra inhibitionem hujusmodi dicto Waldemaro præsumerent adhærere, supponerent districtissimè interdicto, ita quòd præter pœnitentias morientium &

Vide supra lib. 12. ep. 109.

parvulorum baptisma nullum ibi divinum officium nullumque celebretur ecclesiasticum sacramentum, quod si quis Clericus violaret, ab omni ecclesiastico beneficio & officio deponerent violantem, si qui verò super re tam illicita juramentum ei aliquod præstitissent, denuntiarentur eo penitùs non teneri. Sed Waldemarus prædictus arcum sic tensum non metuens, nec fugiens à sagitta, in sua damnabiliter pertinacia perseverat, cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, portionem, nisi resipuerit, habiturus. Cùm igitur factum sit adeo insipiens cor ipsius ut videns non videat & auribus non percipiat, nec corde intelligat ut conversus sanetur, sed iram in die iræ ac revelationis justi judicij Dei sibi thesaurizare non cessat, ut ejus cervix indomita & suorum sequacium fortiùs valeat edomari, serenitatem regiam rogandam duximus & monendam quatenus sicut Deum times & Ecclesiam Romanam diligis & justitiam amplexaris, taliter in eum & complices suos tuæ vim exerceas potestatis, eundem Waldemarum à civitate Bremensi & ejus finibus potenter expellens, & ubicunque fuerit tamdiu persequens tamquam Dei & Ecclesiæ inimicum donec sibi vexatio tribuat intellectum, illosque quos suos constiterit esse fautores, per pœnas quas videris infligendas à tam temeraria præsumptione compescens quòd per effectum operis cognoscatur Deo te velle placere, nostramque injuriam vindicare, ac justitiæ sedulò deservire. Insuper dilectos filios B. electum, H. Scholasticum, G Cellararium, & H. Canonicum Bremenses, qui propter bonum obedientiæ suis redditibus hactenus sunt privati, non permittas eisdem in posterum defraudari. Datum Viterbij VI. Non. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

In eundem ferè modum venerabilibus fratribus Monasterienſi & Osnaburgenſi Epiſcopis & ſuffraganeis Bremenſis Eccleſiæ uſque non teneri. Cùm igitur Waldemarus prædictus arcum sic tensum non metuens, nec fugiens à sagitta ad, apostolicam sedem non venerit infra terminum præfinitum à nobis, sed in sua pertinacia damnabiliter perseveret, per apostolica vobis scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus eandem sententiam, quam incurrisse dinoscitur, per vestras & vicinas dioceses publicantes, & contra eum & suos complices idem mandatum per omnia fideliter exequentes, in locis in quibus fuerint tam divinum officium quàm alia ecclesiastica sacramenta præter baptismata parvulorum & pœnitentias morientium ipsis præsentibus faciatis omnino cessare, contradictores appellatione remota per censuram ecclesiasticam compescendo, & illos Canonicos qui juxta continentiam ejusdem mandati ad nos accedere contempserunt, ac fæpedicto Waldemaro favere præsumunt, denuntiando in electionis negotio partes aliquas non habere, Clericos seu monachos vel etiam laicos qui eidem impertiuntur favorem, excommunicationis vinculo innodetis, nisi admoniti resipiscant, eos qui abbatias vel alias prælaturas aut beneficia receperunt ab ipso, auctoritate nostra dignitatibus & beneficiis talibus sine spe restitutionis in perpetuum spoliantes. Datum Viterbij VI. Non. Iulij &c. ut in alia.

EPISCOPO CONCORDIENSI.

Epiſt. 64. Vt admittat ceſſionẽ Epiſcopi Tervisini Vide lib. 16. epiſt. 19. 160.

SIcut venerabilis frater noster Tervisinus Episcopus per suas nobis litteras intimavit, cùm biennio jam elapso quidem Ecclesiæ suæ Canonicus corporis infirmitate detentus inter cetera cuidam confessus fuerit sacerdoti quòd ipse ac quidam laicus, Advocatus videlicet Ecclesiæ Tervisinæ, à quodam consanguineo ejusdem Episcopi quasdam promissiones & securitates acceperant si eum episcopatum contingeret obtinere, idem consilio sacerdotis inductus hoc in secreto eidem Episcopo revelavit. Et licèt Episcopus apud consanguineum supradictum precibus, terroribus, atque minis sæpius institisset ut eidem exponeret an securitatem aliquam seu promissionem pro sua electione fecisset, ipse tamen constanter universa negavit. Nuper autem jamdicto Episcopi consanguineo corporis infirmitate gravato, cùm Episcopi conscientiam id quod à Canonico audierat stimularet, omni studio ac diligentia cœpit eundem laicum per eum qui judicaturus est vivos & mortuos obtestari ut si qua pro electione ipsius aliquando promisisset, nullatenus occultaret. qui postmodum eidem Episcopo sic respondit, quòd bonæ memoriæ Conrado Episcopo Tervisino defuncto, Canonico & Advocato prædictis quandam promissionem fecerat si eundem contingeret ad episcopatum assumi, sed tunc nulla de ipso electio facta fuit, quodam alio E. videlicet nomine in Episcopum Tervisinum electo. Sed eodem E. post triennium carnis debitum exolvente, idem Episcopi consanguineus prò electione ipsius quandam pecuniæ quantitatem

Advocato supradicto promisit, cujus partem tempore procedente dicto Advocato persolvit. quæ omnia memoratus Episcopus, divinum testimonium invocando, asseruit se penitùs ignorasse, nec solvisse aliquid pro eadem pecunia consanguineo sæpedicto, quin immo pro eo quod se fecisse proposuit, odiosus sibi ex tunc extitit & ingratus. Et licèt idem Episcopus ab hujusmodi pravitatis excessu alienum se reputaverit & immunem, ad dubietatis tamen scrupulum amputandum rei seriem nostro censuit apostolatui referandam. Et sive super præmisso facto culpabilis esset, sive inculpabilis judicandus, per dilectos tamen filios magistrum Gallum & I. Ecclesiæ suæ Canonicos, quibus super hoc mandatum dederat speciale, à nobis cedendi licentiam postulavit, utpote qui præ multis angustiis pastoralis sollicitudinis fatigatus ad umbram quietis aspirat. Porrò dictus Episcopus in multis se reddidit meritò commendandum; tum quia tamquam fidelis & diligens dispensator injunctum sibi villicationis officium prudenter implevit, & tamquam arbor fructifera in vinea Domini sabaoth gratos fructus ubereseque produxit, sub cujus provisionis umbraculo commissa sibi Ecclesia in spiritualibus & temporalibus dinoscitur floruisse; tum quia studium simoniacæ pravitatis exacta diligentia investigans, quanto potiùs erat innocens, tanto minùs illud voluit palliari; sed cùm bonarum mentium sit ibi culpam propriam formidare ubi culpa non est, alienum excessum, quo lædi timuit, nobis quasi proprium indicavit, ut conscientiæ nubilum, quod peccatum alienum induxerat, apostolicæ responsionis oraculum serenaret; tum etiam quia sub pastoralis officij sarcina ingemiscens, exonerari humiliter petiit ab eadem, & qui laudabiliter injuncti sibi ministerij curam implebat, insufficientem se judicans, subesse appetit potiùs quàm præesse, ac in humili statu devotum exhibere Domino famulatum quàm in dignitatis apice gloriari. Licèt autem ex ejusdem absentia Ecclesiæ Tervisinæ timeantur dispendia provenire, quæ sub provisione ipsius multa recepisse dinoscitur incrementa, quia tamen se propriis meritis dignum reddidit gratia speciali, nos ipsius supplicationibus inclinati, postulationi ejus ex benignitate apostolica duximus annuendum. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus cessionem ipsius recipiens vice nostra, eundem absolvas ab onere officij pastoralis, competentem eidem de bonis episcopalibus provisionem assignans. Datum Viterbij IV. Non. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CAPITVLO TERVISINO.

Sicut venerabilis frater noster &c. *in eundem forè modum ut in alia usque in finem.* Quocirca devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta sub obtestatione divini judicij districtè præcipiendo mandantes quatenus post cessionem ipsius convenientes in unum, sancti spiritus gratia invocata, omni carnali gratia, humano favore, ac commodo privato posthabitis, habentes præ oculis solum Deum, personam idoneam quæ tanto congruat oneri & honori, & prodesse debeat potiùs quàm præesse, canonicè vobis in Episcopum eligatis. Datum ut suprà.

TERRACONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Eius exemplo &c. *ut in caterno penultimo regesti undecimi anni usque* censuimus proponendum fratribus & amicis, cum Prælatorum conscientia & assensu, ita quòd ab eis propter hoc nec Ecclesiarum frequentatio nec Clericorum prædicatio postponatur &c. *usque in finem.* Ad majorem verò cautelam alias quasdam litteras, quas vobis dirigimus incipientes hoc modo, * *Si quemadmodum*, & quasdam alias quas illis direximus hoc habentes principium, * *Gravem contra vos*, ab eis volumus præsentari. Datum Viterbij III. Non. Iulij, anno duodecimo.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Si quemadmodum nobis per litteras vestras & duos fratres Cistercienses ordinis intimastis, Durandus de Osca cum complicibus suis infideliter agit, vel ad fallendum Romanam Ecclesiam, vel ad eludendum canonicam disciplinam, illud sibi profectò continget quod de talibus scriptura testatur, *In insidiis suis capientur iniqui*, cùm astutias sathanæ non penitùs ignoremus. Si verò de pristina superstitione quicquam retineat ad cautelam, ut faciliùs capere possit vulpeculas quæ moliuntur vineam Domini demoliri, tolerandus est prudenter ad tempus, donec arbor à fructibus cognoscatur, dummodo circa substantiam veritatis de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedat; quando-

quandoquidem Paulus Apostolus dicat, *Cùm essem astutus, dolo vos cepi*, dolum appellans prudentiam quam multa dissimulando gerebat ut animas diabolica fraude deceptas multifariam multisque modis reduceret ad illum qui via, veritas est & vita; cùm & ipse longiùs se finxerit ire quando duobus discipulis se ostendit in effigie peregrina. Quòd si etiam à prisca consuetudine non subitò recedat ex toto, aliquid sibi de illa reservans ut verecundiæ fortè parcendo quasi veterem legem sepeliat cum honore, nec sic est penitùs confutandus, dummodo, sicut prædiximus, non aberret in substantia veritatis. Consuetudinum quippe diversitas, in habitu præsertim extrinseco, deformitatem in sancta Ecclesia non inducit, cùm assistat à dextris sponsi circumamicta varietate Regina, velut castrorum acies ordinata. Verùm ista non dicimus quòd æmulationem hujusmodi approbemus, sed ut illius sequamur exemplum qui factus est infirmis infirmus, immo qui omnibus omnia factus est ut omnes lucrifaceret ei qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Numquid, amantissimi fratres, arguendus est medicus qui aliquid aliquando minùs sanum indulget ægroto nimiùm cupienti? Nequaquam: quoniam etsi parum obsit ad aliquid, nonnunquam tamen ad aliud valde prodest, cùm & crustula non ab re permittatur ad tempus teneram contegere cicatricem donec ipsa sub illa meliùs solidetur, & renascente novo, vetus unguis non totus pariter excludatur. Vos ergo, fratres, hujusmodi supportetis in spiritu lenitatis, non abicientes sed allicientes eosdem: quia plerique homines faciliùs commonitionibus quàm comminationibus revocantur, & nonnullos affabilitas gratiæ magis corrigit quàm asperitas disciplinæ. Priùs enim infundendum est oleum, & si necesse fuerit, super infundendum est vinum; quamvis circa conversos hujusmodi modò post vinum infusum sit oleum infundendum, cùm dudum perversi excommunicationis fuerint mucrone percussi, nunc verò conversi communionis sint amplexu fovendi. Nam & prudens chirurgicus ad curationem diri vulneris priùs adhibet medicamenta mordacia; sed cùm sanari jam cœperit, curam ipsius suavi unguento consummat. Verùm si malè sanata cicatrix redit in vulnus, nonnunquam adhibet ferrum vel ignem, ne pars sincera contrahat corruptelam. Sic & vos, fratres, more prudentis medici faciatis, maximè si permiserint etiam cum murmure se curari, non calumniantes conversationis eorum propositum, quod in litteris nostris vobis ostenditur comprehensum, maximè datis eodem tempore cum præsentibus ad cautelam, cùm pensatis undique circumstantiis non sit temerè improbandum. Quòd si vestram contempserint medicinam, relatione fideli nostris quantociùs auribus intimetis, ut adhibeamus remedium quod videbimus expedire. Sic enim erroneos ab hæretica pravitate intendimus revocare ut velimus fideles in catholica veritate fovere, cùm tolerabilius sit perversos in sua perversitate perire quàm justos à sua justitia declinare. Datum Viterbij III. Non. Iulij &c.

TERRACONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist 68. Super eodem.

SI quemadmodum venerabiles fratres nostri Narbonensis Archiepiscopus & suffraganei ejus &c. *sicut supra.*

DVRANDO DE OSCA ET fratribus ejus reconciliatis ecclesiasticæ unitati.

Epist. 69. De eadem re. Vide lib. II. epist. 196.

GRavem contra vos venerabilium fratrum nostrorum Narbonensis Archiepiscopi & Biterrensis, Vticensis, Nemausensis, & Carcassonensis Episcoporum querelam recepimus quòd vos plus debito de gratiæ nostræ favore jactantes, adversùs ipsos nimiùm insolescitis, adeo ut in eorum aspectu quosdam Valdenses hæreticos nondum reconciliatos ecclesiasticæ unitati duxeritis ad Ecclesiam ut vobiscum consecrationi dominici corporis interessent, participantes in omnibus cum eisdem. Quosdam quoque monachos, qui à suis monasteriis exierunt, & alios quosdam sui propositi desertores in vestro vos asserunt consortio retinere. Habitum etiam pristinæ superstitionis scandalum apud catholicos generantem in nullo vos penitùs immutasse testantur. Occasione præterea doctrinalis sermonis, quem in schola vestra proponitis fratribus & amicis, ab Ecclesia multi recedunt, non curantes in ea divinum officium aut sacerdotalem prædicationem audire. Sed & Clerici qui sunt de vestro consortio in sacris ordinibus constituti, divinum officium secundùm institutiones canonicas non frequentant. Adhuc insuper aliqui vestrum affirmant quòd nulla secularis potestas sine mortali peccato potest judicium sanguinis exercere.

Nos igitur iis auditis tacti sumus dolore cordis intrinsecus, verentes non modicùm ne tendat ad noxam quod providimus ad salutem. Ne igitur error novissimus fiat pejor priore, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes quatenus memores legis divinæ, secundùm quam positi extra castra propter maculam lepræ sine judicio sacerdotis non reducebantur ad illa, vos quoque illos studiosè vitetis qui propter labem hæreticæ pravitatis à gremio sunt Ecclesiæ separati, donec ad eam pontificalis auctoritatis judicio revocentur; ne, si secùs egeritis, & evangelicam & apostolicam sententiam contemnatis, cùm is qui non audit Ecclesiam, sicut ethnicus sit & publicanus habendus, & hæreticus homo post primam & secundam admonitionem sit penitùs devitandus. Nam qui tangit immundum, immundus efficitur; & qui picem contingit, inquinatur ab ea. Modicum quippe fermenti totam massam corrumpit. Licèt autem qui spiritu Dei aguntur non sint sub lege, quoniam ubi spiritus Dei est, ibi libertas, apostatas tamen, qui viri censentur inutiles, à suo proposito leviter recedentes in vestrum non admittatis consortium, nec retineatis admissos, sed eos ad suos remittatis prælatos, ut in ea vocatione permaneant in qua vocati fuerunt; quia tales non agit divinus spiritus, sed malignus; ne cùm ipsi alterius professionis existant, & in quibusdam forsitan arctioris, si associaveritis eos vobis, contra divinum præceptum in bove aretis & asino, serentes agrum diverso semine, ac induentes vestem de lana linoque contextam. Cùmque non sit in exteriori habitu sed in interiori potiùs regnum Dei, scandalum quod de pristino habitu adhuc à vobis retento fortiùs ingravescit, sedare curetis, ipsum habitum, prout nobis estis polliciti, taliter variando ut sicut interiori habitu, sic etiam exteriori vos ab hæreticis ostendatis esse divisos; ut secundùm Apostolum quæ sunt pacis sectemini, & quæ ædificationis sunt invicem observetis, nolentes propter calciamenta destruere opus Dei, memores ejus quod idem Apostolus ait: *Si propter cibum frater tuus scandalizatur, jam non secundùm caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Quapropter si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Si ergo Apostolus hoc præcipit observandum de cibo, quanto magis de calciamento est observandum, ut scandalum evitetur, maximè de cordibus infirmorum, propter quod veritas ait. *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt &c.* Nam væ homini illi per quem scandalum venit. Ideoque monemus, consulimus, & hortamur ut ij qui de vobis nondum signum hujusmodi acceperunt, vel qui vobis fuerint associandi de cetero, non se astringant proposito utendi sandaliis desuper perforatis, neque talibus calciamentis utantur, ut sic scandalum penitùs evanescat. Vestros autem amicos & fratres, qui ad audiendum sermonem vestrum conveniunt, moneatis prudenter & efficaciter indubatis ut frequentent Ecclesias & in eis audiant verbum Dei, maximè diebus statutis, ne sacrum templum aut sacerdotale officium contemnatur, cùm utrumque pia devotione sit à fidelibus venerandum. *Domus enim mea domus orationis vocabitur*, cunctis gentibus ait Dominus; quæ tantæ credenda est efficaciæ ad orandum in ipsa ut de templo etiam manufacto Salomon dicat ad Dominum: *Si cœlum & cœli cœlorum capere te non possunt, quanto magis domus hæc, quam ego construxi; sed respicias ad orationem servi tui & ad preces ipsius, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem quam orat servus tuus coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte & die, super domum de qua dixisti, Erit nomen meum ibi.* & cetera quæ magnificè de ipsius templi commendatione sequuntur. Vnde David Prophetarum eximius de se dicit in psalmo: *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum*; quoniam in sacris basilicis angeli sancti orantibus fidelibus creduntur adesse. Ideoque idem psalmista consulit dicens: *Adorate Dominum in aula sancta ejus.* Quapropter & Clerici vestri horas diurnas atque nocturnas secundùm institutionem canonicam non abnuant in Ecclesiis celebrare, ne fortè sint clericalis ordinis transgressores. Illud verò, tamquam erroneum, nullus vestrum præsumat asserere, quòd secularis potestas sine mortali peccato non possit judicium sanguinis exercere, cùm lex potiùs quàm judex occidat, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed judicio, non incautè, sed consultè procedat, Apostolo de seculari potestate dicente: *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ecce*, inquit Apostolus, *gladij duo hic*; de quibus respondit Dominus, *Satis est.* quia, sicut ab ortho-

doxis doctoribus & catholicis expositoribus perhibetur, non solùm spiritualis gladius, quo utitur sacerdotalis auctoritas, sed etiam materialis, quem exerit secularis potestas, est necessarius ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Vt autem & vos spiritualem gladium, qui est verbum Dei, adversùs hæreticos sine suspicione commodiùs exeratis, volumus & mandamus ut in prædicationis officio adversùs hujusmodi vulpes molientes vineam Domini demoliri aliis catholicis prædicatoribus vos jungatis, ejus exemplo qui jussit segregari sibi Barnabam & Saulum in opus quo illos assumpsit; ut quemadmodum ex præcepto spiritus sancti antiquus prædicator adjunctus est novo de persecutore ad fidem converso, sic & vobis ab errore nuper ad veritatem conversis prædicatores jamdudum in sana probati doctrina jungantur, ut ipsi vobiscum & vos cum illis sine suspicione qualibet verbum Domini seminetis, Archiepiscopis & Episcopis aliisque Prælatis obedientiam & reverentiam humiliter impendentes, ut super humilitatis fundamentum ædificium boni operis construatis, illius imitantes doctrinam qui de se dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Datum Viterbij III. Non. Iulij, anno duodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO sancti Michaëlis de Buccaleonis Constantinopolitan.

Epist. 70. Suscipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum his quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem casale sancti Focardi cum pertinentiis suis, sicut illud ex largitione carissimi in Christo filij nostri Constantinopolitani Imperatoris illustris justè ac pacificè possidetis, vobis & Ecclesiæ vestræ per vos auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij IV. Non. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

WILLELMO DE VLTRAPORTV Presbytero.

Epist. 71. Confirmatur sibi beneficiũ.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, beneficium quod in Caligrant terra nobilis viri G. de Scornai te canonicè proponis adeptum, sicut illud justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij V. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO sanctæ Mariæ de Blakerna Constantinopolitan.

Epist. 72. Suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati personas vestras & dictam Ecclesiam, cujus estis obsequio mancipati, cum iis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij V. Non. Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET majori Præposito & Capitulo Maguntinensi.

Epist. 73. Vt Petrum Viterb. inducant in possessionẽ præbendæ Moguntinæ.

DIlectus filius magister Petrus Viterbiensis Capellanus noster in nostra proposuit præsentia constitutus quòd cùm olim tu, frater Archiepiscope, sinceritatem suæ devotionis erga te per exhibitionem operis cognovisses, & forsitan extimares quòd pro familiari gratia in quam eum suis meritis evocavimus gratum nobis existeret beneficium quod tua sibi duceret liberalitas impendendum, præbendam quæ primò vacaverat post Custodiam in Ecclesia Maguntina ipsi liberaliter concessisti, eoque de ipsa per librum propriis manibus investito, ad osculum pacis recepisti eundem in Canonicum Maguntinum, stallum in Choro, vocem in Capitulo, locum in mensa, & integrum ei stipendium conferendo; sicut per publicum instrumentum ac litteras tuo sigillo munitas evidenter apparet. Cùm igitur, si velitis attendere quantum vobis & Ecclesiæ vestræ

poſſit idem Capellanus exiſtere fructuoſus, qui nobis ac fratribus noſtris ſuæ probitatis obtentu carus & acceptus exiſtit, non ſolùm jam conceſſa ſervare ſibi utile putaretis, verùm etiam concedenda largiri, univerſitatem veſtram rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus conceſſionem omnium præmiſſorum *vobis factam ob reverentiam apoſtolicæ ſedis & noſtram illibatam ſervantes, ipſum per dilectum filium Rotaldum Cellararium Maguntinum procuratorem ſuum in corporalem eorum poſſeſſionem inducere procuretis, proventus memorati ſtipendij medio tempore perceptos aſſignantes eidem, nonobſtante illo quod novi Canonici præſentialiter facere conſueviſſe dicuntur ibidem, preces apoſtolicas & mandatum taliter adimplendo quòd & nos gerere poſſimus acceptum & idem Capellanus ad devotionem & obſequium veſtrum fortiùs accendatur. Alioquin dilectis filiis Cuſtodi Maguntino, Præpoſito & Decano Pinguenſi Maguntinenſis dioceſis dedimus in mandatis ut quod ſuper hoc duxeritis faciendum nobis reſcribere non omittant, ut per eorum relationem inſtructi, prout procedendum viderimus in ipſo negotio procedamus. Datum Viterbij XIII. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

* ſibi

Scriptum eſt ipſis ſuper hoc in eundem ferè modum uſque fortiùs accendatur. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus prædictos Archiepiſcopum, Præpoſitum, & Capitulum ad hoc inducere diligentiùs procurantes, quod ſuper hoc duxerint faciendum nobis reſcribere procuretis; ut per veſtram relationem inſtructi, prout procedendum viderimus in ipſo negotio procedamus. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum ut in alia.

CVSTODI MAGVNTINENSI, & Præpoſito & Decano Pinguenſi Maguntinenſis dioceſis.

Epiſt. 74. De eadem re.

QVanto dilectus filius magiſter Petrus Viterbienſis Capellanus noſter dudum ſtuduit venerabili fratri noſtro Maguntinenſi Archiepiſcopo & adhuc etiam ſeſe ſtudet exhibere devotum, tanto ſperamus quòd mandatum apoſtolicum ſibi factum pro ipſo debeat adimplere, maximè cùm ignorare non debeat quin exiſtat nobis acceptum quicquid honoris & gratiæ ſibi duxerit conferendum. Cùm igitur, ſicut eodem Capellano nobis innotuit exponente, dictus Archiepiſcopus liberaliter conceſſerit ei dudum Eccleſiam cujus proventus annui valeant decem marcas, ſicut per litteras ſuas & inſtrumenta publica evidenter apparet, eidem Archiepiſcopo per ſcripta noſtra mandavimus ut dictam Eccleſiam dilecto filio R. Cellarario Maguntinenſi procuratori ſuo non differat aſſignare. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus prædictum Archiepiſcopum ad hoc diligenter &c. *ut in alia uſque in finem.* Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Viterbij XIII. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

Scriptum eſt eidem Archiepiſcopo ſuper hoc.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

Epiſt. 75. De peregrinis liberandis.

SIncerißima caritatis affectio quam erga tuam regalem perſonam gerimus nos inducit ut quanto propenſiùs regium zelamur honorem, tanto ſollicitiùs tibi ſuadere curemus ne quid unquam per te vel tuos improvidè attentetur per quod ei valeat derogari. Sanè cùm non ſolùm à nobis, ſed ab Eccleſia penè tota ſperetur quòd neceſſarius terræ ſanctæ ſuccurſus tanto ſtudioſiùs & potentiùs per tuam debeat magnificentiam promoveri quanto miſericordiùs & miſerabiliùs manus Dei ſpecialiter te ob hoc creditur exaltaſſe, ſine grandi & gravi multorum ſcandalo non eſt factum quòd dilectus filius Vicecomes Caſtri Ayrardi & quidam alij peregrini de tranſmarinis partibus redeuntes de mandato, ſicut dicitur, venerabilis fratris noſtri Patriarchæ Aquilegenſis legati tui nuper apud Cremonam, qua de cauſa neſcimus, detenti ſunt, nec permiſſi ad propria liberè remeare. Cujus utique deteſtandi facinoris Patriarcham eundem executorem vix credimus extitiſſe, te verò nunquam fuiſſe credimus præceptorem, cùm ille non ignoraverit cruceſignatos hujuſmodi eundo & redeundo ſub ſpeciali ſedis apoſtolicæ protectione conſiſtere ac tam à ſe quàm ab aliis Eccleſiarum prælatis non opprimi ſed confoveri debere, tuque dudum exceſſum ſimilem ſaltem in illuſtris memoriæ Richardi Regis Angliæ avunculi tui captione didiceris deteſtari, ut jam ipſe committere perhorreſcas quod priùs in illo damnaveras cui te gaudemus in ſolio, non in ſcelere, ſucceſſiſſe. Ceterùm cùm in detentione peregrinorum ipſorum non ipſi tantùm offendantur, ſed quivis alius, immo Chriſtus, ut de noſtra &

apostolicæ sedis taceamus offensa, in cujus contumeliam id noscitur redundare, regali mansuetudini est summopere providendum ne de hujus enormitatis initio non solum gravius scandalizetur Ecclesia, nisi per te, sicut sperat, quàm citò fuerit emendatum, verùm etiam & Dominus irascatur, cùm in hoc jam ita graviter sit excessum ut quantalibet peregrini jam dicti festinantia dimittantur, minùs plenum remedium videatur adhibitum dispendio terræ sanctæ, nisi detentionem eorum tua regalis modestia ita sibi displicuisse demonstret quòd ij qui forsan audito qualiter isti fuerint per insidias deprehensi, torpere cœperunt in proposito quod conceperant de prædictæ terræ succursu, audito demum quanto zelo illos præceperis liberari, fiduciam succurrendi sibi securiori corde resumant. Quocirca serenitatem regiam rogandam duximus attentiùs & monendam, per nomen & potentiam Iesu Christi, cui flectitur omne genu, & cujus causam in hoc prosequimur, obtestantes quatinus peregrinos prædictos, quacunque sint occasione detenti, cum omnibus rebus suis protinus facias liberari & in pace dimitti; ut zelus quem ad terram sanctam habere te credimus clareat in effectu, & macula tanti criminis in tua gloria non ponatur; sciturus pro certo quòd nisi hoc fuerit quantocius emendatum, nequaquam illud poterimus æquanimiter sustinere quin ad emendationem ipsius adversùs impios præsumptores officij nostri debitum exequamur. Quod utique tuæ regali prudentiæ non solùm non credimus fore molestum, sed speramus potiùs fore gratum. Datum Viterbij v II. Idus Iulij, anno duodecimo.

PATRIARCHÆ Aquilegensi.

Epist. 76. De eadem re.

SIncerissima caritatis affectio quam erga carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum gerimus nos inducit ut quanto propensiùs regium zelamur honorem, tanto sollicitiùs ea cupimus devitari per quæ derogari possit eidem. Sanè &c. de mandato tuo nuper &c. facinoris te quidem executorem &c. redundare, præfato Regi & tibi, si veraciter eum diligis, est summopere &c. nisi detentionem eorum idem Rex & tu etiam in eo quod potes per ipsum tibi displicuisse demonstres, quòd ij &c. audito demum quanto zelo jussi fuerint liberari &c. resumant. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus cùm hoc ad divinam & nostram ac regiam redundet injuriam, dictos peregrinos, quacunque sint occasione detenti &c. liberari facias ac in pace dimitti &c. in magnifici Regis gloria non ponatur &c. *usque in finem.* Datum ut in alia.

In eundem ferè modum scriptum est nobili viro Camerario illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi usque in finem sicut in illa quæ mittitur Patriarchæ. Sperantes igitur quòd in hoc tuum studium possit utiliter operari, prudentiam tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus & dictum Patriarcham ad id diligenter inducas, & quantum in te fuerit, per te ipsum operam efficacem impendas. Datum ut in alia.

CREMONENSI ET ALIIS

Episcopis in quorum diocesibus peregrini redeuntes de transmarinis partibus detinentur.

Epist. 77. De eadem re.

GRave gerimus & indignum quòd, sicut nostris est auribus intimatum, dilectus filius Vicecomes Castri Ayraudi & quidam alij peregrini noviter redeuntes de obsequio crucifixi apud Cremonam, qua de causa nescimus, detenti sunt, nec permissi ad propria remeare; licèt ab aliquibus asseratur quòd hoc attentatum fuerit de mandato venerabilis fratris nostri Aquilegensis Patriarchæ regalis aulæ Legati. quod utique de sua religone de facili credere non valemus, cùm credamus eundem erga terram sanctam zelum habere ferventem, ac nosse quòd sine grandi & gravi divina pariter & regali non sit hoc perpetratum offensa; ut de nostra & apostolicæ sedis injuria taceamus, in quam tantum facinus dinoscitur redundare, cùm hujusmodi peregrini eundo & redeuudo sub ejus speciali protectione consistant. Licèt igitur Patriarchæ jamdicto pro liberatione ipsorum nostras litteras dirigamus, quia tamen vix jam poterunt ita citò dimitti quin fortasse nonnulli ex auditu captionis eorum in proposito succurrendi prædictæ terræ torpescant, propter quod expedit ut iis quantocius liberatis de insecuritate istorum quasi quædam securitas eis fiat, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus captores & detentores ipsorum auctoritate nostra moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut præfatos peregrinos, quacunque sint occasione detenti, cum omnibus

rebus suis sine mora deliberent & in pace dimittant. Quod si usque ad quindecim dies post commonitionem vestram efficere non curaverint, vos ex tunc in eos excommunicationis sententiam proferatis, & civitates seu villas in quibus iidem peregrini seu ipsorum aliqui taliter detinentur supponatis ecclesiastico interdicto, facientes utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, singulis diebus dominicis ac festivis pulsatis campanis & candelis accensis eam solemniter innovantes. Quòd si non omnes &c. singuli vestrum &c. Datum Viterbij VII. Idus Iulij, anno duodecimo.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 78. Commendat civitatem Florentinam.

LIcèt venerabilis frater noster Aquilegensis Patriarcha regalis aulæ Legatus honorem & profectum imperij studiosè procuret, ubi tamen cognoscimus quòd illum possit prudentiùs promovere, libenter eum & monitis & consiliis in viam dirigimus meliorem: quoniam etsi tam ipse quàm etiam multi alij sincerè te diligant, nullis tamen in hac parte deferimus ut credamus quòd eorum circa te caritas sincerior sit quàm nostra. Probatio quippe dilectionis est operis exhibitio; & sicut arbor à fructu cognoscitur, ita caritas ab effectu. Cùm ergo dilecti filij Potestas & populus Florentinus præfatum Patriarcham pro reverentia nominis tui honorificè susceppissent, parati, sicut ab ipsis per publica instrumenta nobis ostensa didicimus, ei nomine tuo fidelitatem plenam & integram exhibere, ac insuper juramentum præstare quòd in adventu tuo tam de comitatu quàm de omni jure ad imperium pertinente tuo per omnia mandato parerent, ipse hoc minùs acceptans, nisi protinus restituerent universa quæ ipse dicebat ad jus imperij pertinere, non sine admiratione multorum eos in continenti decem milium marcarum banno subjecit, nolens eis inducias indulgere saltem usque ad reditum nuntiorum suorum quos ad tuam præsentiam destinarant. Quia verò civitas Florentina semper ad nostrum consilium devotam se tibi exhibuit & fidelem, prædicto Patriarchæ monendo & consulendo mandavimus ut agens modestiùs circa eam, oblata recipiat quæ à te ipso recipienda fuissent, cùm & arcus, ne vires amittat, non semper debeat esse tensus. quod utique verbum à te diligenti volumus meditatione pensari. Et certè nisi litteris nostris, quas idem Patriarcha postulavit & impetravit ad Lombardos & Tuscos, necessariò fuisset adjutus, forsan ejus legatio non tam prosperè processisset; sicut ipse per suas litteras recognoscens, devotas propter hoc nobis gratiarum retulit actiones. Quocirca serenitatem regiam rogandam duximus & monendam, fideliter consulentes quatinus prædictam civitatem in his & aliis taliter habeas commendatam quòd & devotionem suam & intercessionem nostram apud te sibi sentiat fructuosam. Datum Viterbij v. Idus Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Patriarchæ Aquilegensi. Licèt honorem & profectum imperij studiosè procures &c. *usque* recipienda fuissent, & sic impositum ei bannum remittas, cùm & arcus &c. *usque* propterea curavisti devotas gratiarum actiones referre. Datum ut in alia.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

EX tuarum perpendimus serie litterarum quòd cùm lator præsentium W. Poluerel Presbyter post absolutionem obtentam à dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali, qui tunc in partibus illis legationis officio fungebatur, super injectione manuum violenta, in quendam Clericum violentas manus instigante diabolo injecisset, à celebratione non abstinuit diuinorum. propter quod tu eum tibi reatum suum humiliter confitentem ab officio beneficioque suspensum ad nostram duxisti præsentiam destinandum. Cùm igitur non sine multo labore ac dispendio ad nostram præsentiam properarit, volentes ei de misericordia, quæ superexaltat judicio, gratiam exhibere, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus si aliud canonicum non obsistit, facias eum per triennium tantùm ab officio manere suspensum, & cum eo postmodum poteris misericorditer dispensare. Datum Viterbij VI. Idus Iulij, anno duodecimo.

Epist. 79. Super injectione manuum violenta.

POTESTATI ET POPVLO Vrbevetano salutem & spiritum consilij sanioris.

DIu multùmque sustinuimus expectantes si fortè benignitas nostra vos ad pœnitentiam revocaret. Sed ecce, quod dolentes referimus, ex patientia nostra gravius insolescitis, ut sint novissima vestra pejora prioribus & error novissimus fiat

Epist. 80. Redarguens de prædictione.

pejor priore; quoniam impius, cùm venerit in profundum vitiorum, contemnit. Ad plagam quippe vestram curandam diversis sæpe tentavimus uti remediis, quibus vos semper estis abusi; ut jam non supersit nisi apponere ferrum vel ignem. Non enim vestris suffecit offensis nos in multis hactenus provocasse, quæ longum esset per singula numerare, nisi & hoc adicere præsumpseritis ad cumulum offensarum, ut nuper in oculis nostris prædam abduxeritis ab Aquapendente, nulla nobis exposita vel oblata querela. Nolentes igitur vestram ulteriùs insolentiam æquanimiter sustinere, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatinus & prædam ex integro restituatis ablatam, & à molestatione prædicti burgi omnino cessetis, de terra insuper Vallis-lacus infra quindecim dies satisfacturi nobis ad plenum. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Episcopo vestro nostris dare litteris firmiter in præceptis ut ex tunc te, fili Potestas, Consiliarios & principales fautores tuos solemniter excommunicet & tam civitatem quàm castra in quibus temporalem jurisdictionem quomodolibet exercetis districto subiciat interdicto, vosque denuntiet quatuor milium marcarum banno subjectos, ut de cetero sentiatis pondus apostolicæ gravitatis; quæ contra vos etiam advocabit brachium seculare, ut duplici contritione vos conterat Dominus ultionum. Datum Viterbij v. Idus Iulij, anno duodecimo.

Scriptum est super hoc Episcopo Vrbevetano. Datum ut in alia.

ABBATI SANCTI FELICIS, & G. de Bagnolo Canonico Bononiensi.

Epist. 81. Respondetur ad eorum consulta. Cap. Oblatæ. De appellat.

OBlatæ nobis vestræ litteræ continebant quòd cùm quidam judices, quibus causa quæ inter de Sambro & de Rivocornaclanario plebes super quibusdam possessionibus vertebatur absque appellationis remedio fuerat ab apostolica sede commissa, pro plebe Sambri sententiam * promulgassent, & à procuratore plebis de Rivocornaclario ad nos sine termino fuerit appellatum ab ipsa, nec delatum appellationi fuisset, nec ad prosecutionem ipsius terminus à judicibus partibus assignatus, Plebanus de Sambro super observatione dictæ sententiæ, sicut rationabiliter lata erat, nostras ad vos litteras, & alia pars * super infirmanda vel confirmanda eadem postmodum ad alios judices impetravit, nulla in posterioribus litteris de prioribus habita mentione. Vnde in dubium revocato an posteriores judices vel vos de illa cognoscere debeatis, nos super hoc consulere * studuistis, adicientes nihilominus à quibusdam sapientibus pro parte fuisse propositum appellante quòd cùm in tali articulo de legis beneficio annum habeat infra quem secundùm se communitérve ipsam exequi litem possit, medio tempore pro suo arbitrio, quando vellet, prosequi poterat appellationem eandem, nec ad id compelli debebat antequam idem temporis spatium laberetur. Quare nullius esse valoris primas litteras asserebant, etsi de ipsis nulla sit habita mentio in secundis. Pro parte verò altera quosdam alios jurisperitos dixisse quòd cùm interesset ejusdem ne tamdiu sententia maneret suspensa & ipsius confirmatio differretur, & judices qui eam protulerant appellationem prædictam non duxerint admittendam, tum quia fuerat à nobis inhibita, tum quia frivola videbatur, licitè pars potuit appellata hujusmodi litteras interim impetrare; præsertim cùm si aliter diceretur, gravem interdum Ecclesiæ sustinerent jacturam, cùm in causis ecclesiasticis secundùm canones appellare liceat quotiens gravamen occurrit vel alia justa causa. Vnde contingere posset si taliter annus cuilibet provocanti daretur, quòd causa usque ad sex vel octo annos debitum non sortiretur effectum. Quosdam insuper alios opinatos quòd primæ valebant litteræ, non secundæ, sed pars quæ appellaverat infra annum suam appellationem prosequi minimè tenebatur. Licèt igitur appellanti legitimè à sententia indulgeatur annus à lege aut etiam ex justa causa biennium ad appellationem interpositam prosequendam, quia tamen hujusmodi terminus potest restringi, non solùm à provocante, verum etiam à judice à cujus sententia provocatur, cùm id fuerit constitutum, non ut terminus ipse præveniri non possit, sed ne valeat prorogari, credimus distinguendum in quo casu litteræ impetrentur. Et quidem quando certus terminus ab appellante vel judice appellationi præfigitur prosequendæ, si eo tacito appellatus litteras impetraverit, hujusmodi litteræ, tamquam tacita veritate subreptæ, obtinere non debent aliquam firmitatem. Si verò non sit aliquis certus terminus à judice vel appellante præfixus, pars appellata potest infra terminum à lege statutum, dummodo nimiùm non præcurrat ut appellantem in impetranda commissione supplantet,

*In quarta collect. protulissent, etiam in cod. Colbert.

*In quarta collect. additur, alias commissionis litteras

à nobis sup *Ita etiam codex Colbertinus.*

*In quarta collect. voluistis, etiam in cod. Colbertino.

litteras impetrare quarum auctoritate in appellationis causa legitimè procedatur; ita quòd si appellans in causa voluerit appellationis procedere, oportebit eum agere sub judice sic obtento, nisi possit eum legitimè recusare. Quòd si agere noluerit appellans, appellatus nihilominus potest prosequi causam ipsam, maximè si ex dilatione sibi sentiat imminere gravamen. Superior quoque judex si videat ex dilatione periculum imminere, potest & debet neutro prosequente appellationem occurrere, ut periculum evitetur. Puta, si à sententia lata super confirmatione alicujus electi fuerit provocatum, & utraque pars velit * usque ad annum prosecutionem appellationis differre, potest utique immo debet judex superior, ad quem fuerat appellatum, * tempus providè moderari, ne gregi dominico diù desit cura pastoris. Ex iis igitur consultationi vestræ noveritis esse responsum, quia per posteriores litteras non derogatur prioribus legitimè impetratis, per quas ad confirmandum vel infirmandum sententiam prævia potest ratione procedi. Datum Viterbij VII. Idus Iulij, anno duodecimo.

* *In quarta collect.* etiam

* *In quarta collect.* terminum

ABBATI ET MONACHIS sancti Benedicti supra Padum.

Epist. 82. Super electione, visitatione, & correcne.

VEnientibus ad apostolicam sedem dilectis filiis S. monacho Cluniacensi & H. monasterij vestri procuratoribus, idem S. proposuit coram nobis quòd cùm monasterium vestrum à felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro Hugoni Cluniacensi Abbati & successoribus ejus fuerit dudum commissum, ut in ejus gubernatione atque custodia potestatem haberent & studium procurationis impenderent, ac obeunte Abbate ipsius loci, eorum diligentia provideret ut in loco regiminis juxta beati Benedicti regulam persona subrogaretur idonea, & quicquid in monasterio ad augmentum & observantiam monasticæ religionis instituti vel emendari etiam oporteret, eorum semper dispositione ac * magisterio impleretur, prout in felicis memoriæ Lucij & Clementis prædecessorum nostrorum authenticis asseruit contineri, vos Abbati Cluniacensi & Ecclesiæ suæ obedientiam & reverentiam subtrahentes, super præmissis & aliis graves eis injurias irrogatis, à sua & Ecclesiæ suæ subjectione vos ac monasterium vestrum subtrahere molientes; vos quoque, filij monachi, Abbatem vobis eligere non veremini absque Abbatis Cluniacensis & fratrum suorum conniventia & consensu. Procurator verò monasterij vestri proposuit ex adverso quòd cùm monasterium ipsum ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & per privilegia Pontificum Romanorum fuerit ab antiquo libertate donatum, dicto Cluniacensi Abbati vel Ecclesiæ suæ respondere vel subesse in aliquo minimè tenebatur, quin immo ad fratres ejusdem loci tam dispositio quàm Abbatis electio pertinebat; adiciens insuper quòd etsi jus aliquod prædictorum privilegiorum intuitu Cluniacensi Ecclesiæ competierit, illud penitùs est absorbtum, cùm hactenus neglexerit uti eis & monasterium supradictum longissimo tempore plena fuerit libertate gavisum. Proposuit insuper monasterium vestrum super capitulis prænotatis per bonæ memoriæ Eugenij Papæ prædecessoris nostri sententiam * absolutum. Cùm ergo super iis & quibusdam aliis procuratores ipsi non desinerent altercari, & per venerabiles fratres nostros Iohannem Sabinensem & Nicolaum Tusculanum Episcopos de mandato nostro de amicabili fuerit compositione tractatum, nobis mediantibus demum inter procuratores ipsos hujusmodi compositio intervenit, ut cùm in monasterio vestro fuerit Abbatis electio celebranda, fratres ejusdem loci absque requisitione Abbatis & conventus Cluniacensis personam idoneam regulariter sibi eligant in Abbatem; qui si concorditer electus extiterit, munus benedictionis accipiat & liberè administret, nulla super iis ab Abbate vel conventu Cluniacensi licentia expetita; ita videlicet quòd is qui fuerit in Abbatem electus, infra spatium primi anni duos vel unum fratres cum suis litteris ad Abbatem & conventum Cluniacense transmittat, in quibus eidem Abbati & successoribus suis super observantia monastici ordinis obedientiam repromittat; & tunc Cluniacensis Abbas per se vel alium ad monasterium vestrum accedat, ab Abbate ipsius loci corporalem super ordinis observantia obedientiam recepturus, vel transmissas sibi litteras, si maluerit, in testimonium obedientiæ sibi promissæ reservet. Quòd si Abbatis electio fuerit in discordia celebrata, pro dirimendo hujusmodi dissensionis articulo ad sedem apostolicam recurratur. Vos quoque de quadriennio in quadriennium aliquem ex confratribus vestris ad Cluniacense Capitulum destinetis, qui audiat & recipiat quæ ibidem fuerint super observantia ordinis constituta. Præterea quolibet

* *In Bullario Cluniac.* ministerio

* *In Bullario Cluniac.* additur, fuisse.

quolibet quadriennio Cluniacensis Abbas duos ex fratribus suis ad visitandum monasterium vestrum mittat; quibus decenter ac benignè receptis, ab eodem monasterio moderata procuratio tribuatur, & ipsi Abbatis ejusdem loci consilio requisito corrigant si quid in ipso monasterio circa monachos & conversos aliasque personas corrigendum invenerint, & statuant quod circa eos fuerit statuendum; si verò aliquid corrigendum invenerint in Abbate, ad Romanum Pontificem illud referant, & sicut ipse mandaverit, in ejus correctione procedant. Cùm autem Cluniacensis Abbas ad monasterium vestrum accesserit, Abbas ejusdem ei tamquam patri Abbati cedat in choro, Capitulo, & in mensa. Abbas verò Cluniacensis in membris corriget quod fuerit corrigendum; si quid fortè in Abbatis persona correctione dignum invenerit, id ad aures Romani Pontificis perferre procuret, ut juxta beneplacitum ejus in ipso negotio procedatur. Præterea Cluniacensis Abbas ad monasterium vestrum accedens, viginti quinque equitaturis & triginta personis, fratres verò cùm illuc causa visitationis accesserint, quatuor equitaturis & sex personis tantummodo sint contenti. Vt igitur in perpetuum compositio suprascripta de procuratorum assensu facta inviolabiliter observetur, nos eam auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij III. Idus Iulij, anno duodecimo.

NOBILI VIRO PETRO Duci & populo Venetorum.

Epist. 83. Monet eos ut mittant ad obsequium.

QVoniam juxta sententiam Salomonis meliora sunt amici verbera quàm oscula inimici, cùm ista correctionem, illa verò deceptionem inducant, non debetis ferre molestè si quando nos: qui de corde puro & conscientia bona & fide non ficta vestram diligimus civitatem, vos arguimus & corripimus in spiritu lenitatis; quia non indignationis, sed dilectionis est argumentum, eò quòd pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat; maximè cùm ad hoc ex apostolicæ servitutis officio teneamur, juxta quod docet Apostolus dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Memores igitur obsequiorum quæ apostolicæ sedi civitas vestra reverenter impendit & beneficiorum quæ apostolica sedes civitati vestræ gratanter indulsit, gemimus & dolemus illam intervenisse materiam quæ non sinit ad præsens ut preces quas nobis multotiens porrexistis pro palleo destinando Abbati sancti Felicis, quem vos Iadertinum Præsulem appellatis, cum nostra possimus admittere honestate, propter excessum quem in divinæ majestatis offensam, apostolicæ sedis injuriam, & terræ sanctæ jacturam in * Iadertinæ civitatis excidio commisistis. Et certè nisi correctionem vestram ex paternæ benignitatis affectu voluissemus hactenus expectare, potuissemus quidem ex canonici juris rigore in eo vos punire quo peccastis, subtrahendo patriarchatui vestro metropolim Iadertinam, quam ei apostolica sedes propter vestrum subjecit honorem. Adhuc autem experiri volentes si hujusmodi plagam medicinali possimus arte curare, disposuimus ad vos nuntium dirigere specialem, sicut dilectus filius B. nuntius vester, vir utique providus & fidelis, pio nobis suggessit affectu, per quem efficacius viva voce nostrum vobis beneplacitum exponamus; quatinus si cor vestrum gratia divina tetigerit ut propriam non excusetis sed accusetis offensam, satisfactionem congruam exhibendo, & in iis & in aliis quæ dignè duxeritis postulanda mereamini exaudiri. Quocirca devotionem vestram rogandam duximus & monendam, obsecrantes in Domino quatinus in ejus vos humiliantes conspectu qui exaltat humiles & deponit elatos, ad satisfaciendum ei vestros animos inclinetis, recepturi ab ipso & gratiam in præsenti & gloriam in futuro. Datum Viterbij Idibus Iulij, anno duodecimo.

* Vide gesta Innoc. III. cap. 86. 89. 90.

GVIDONI SVBDIACONO & Capellano nostro.

Epist. 84. Confirmatur ei Ecclesia S. Laurentij.

AVditis & intellectis attestationibus & allegationibus universis in quæstione quam venerabilis frater noster Iohannes Albanensis Episcopus contra te moverat de Ecclesia sancti Laurentij posita in territorio civitatis Novinæ, te ab ipsius impetitione de fratrum nostrorum consilio decrevimus absolvendum, cùm nobis per testes constiterit quòd idem Episcopus tibi concessit Ecclesiam memoratam. Vt autem hæc nostra diffinitio perpetuam obtineat firmitatem, eam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum.

Datum Viterbij XIII. Kalend. Augusti, anno duodecimo.

CEPHALVDENSI EPISCOPO.

Epist. 85. Dantur ei quædam monita.

ETsi secundùm rigorem juris potuissemus in inquisitione de te facta procedere, quia tamen super eo quod tibi principaliter est objectum, de castro videlicet Cephaludensi, juxta mandatum nostrum asseritur satisfactum, nos ad preces maximè regias duximus subsistendum, de attestationibus taliter provisuri quòd per eas fama nominis tui non poterit denigrari. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus talem te studeas exhibere quòd apostolicæ sedi fias ex devoto devotior & regiæ celsitudini fidelior ex fideli, curam & sollicitudinem pastoralem diligenter ac fideliter exequendo. Datum Viterbij Idibus Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

PROCESSVS NEGOTII RAYMVNDI Comitis Tolosani.

CAP. I. * Vide hist. Albig. cap. XI.

Prima obligatio Comitis facta apud * *Valentiam.* Manifestum sit universis quòd anno dominicæ incarnationis MCCIX. mense Iunij ego Raymundus Dei gratia Dux Narbonæ, Tolosæ, Marchio Provinciæ, mitto corpus meum & septem castella, scilicet Opedam, castrum de Monteferrando, castrum de Balmis, castrum de Monartio, castrum de Roccamaura, castrum de Furcis, castrum de Argentaria, scilicet Famavum, in misericordia Dei & libera potestate Ecclesiæ Romanæ, Domini Papæ, & vestra Domini Milonis apostolicæ sedis Legati ad satisfaciendum & cavendum vobis super illis capitulis pro quibus sum excommunicatus, & ex nunc confiteor me præfata castra nomine Romanæ Ecclesiæ possidere, & eadem quàm citò volueritis & quibus volueritis corporaliter assignabo, & homines eorundem castrorum, quandiu ipsa castra in Ecclesiæ Romanæ fuerint potestate, custodibus castrorum, sicut ordinaveritis, juramenta faciam securitatis exhibere, nonobstante fidelitate qua mihi tenentur. Insuper memorata castra meis custodiantur expensis.

*FORMA IVRAMENTI COMITIS.

CAP. II. * *In codice quo Catellus utebatur, hic erat titulus.* Hæc est forma juramenti facta à Raymundo Comite Tolosano apud sanctum Ægidium in manu Domini Milonis.

IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIV. Kal. Iulij. Ego R. Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ, sacrosanctis reliquiis, eucharistia, & ligno crucis dominicæ coram positis, supra sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta juro quòd super singulis & universis capitulis pro quibus à Domino Papa vel ejus Legato seu aliis vel ipso jure fui excommunicatus vel sum, stabo omnibus mandatis ipsius Domini Papæ ac vestris, magister Milo Domini Pape Notarie, apostolicæ sedis Legate, vel alterius Legati seu nuntij sedis apostolicæ, ita videlicet ut quicquid per se, litteras suas, nuntium, vel Legatum mihi præceperit super universis capitulis pro quibus excommunicatus fui vel sum, bona fide sine fraude ac malo ingenio adimplebo, super istis præcipuè capitulis quæ hic nomino, videlicet quòd pacem aliis jurantibus dicor noluisse jurare, item quòd juramenta quæ feci super expulsione hæreticorum vel eis credentium non servasse dicor, item quòd hæreticos dicor semper fovisse eisque favisse, item quòd de fide suspectus habeor, item quòd ruptarios sive mainadas tenui, item quòd dies quadragesimæ, festorum, & temporum, qui securitate gaudere debebant, dicor violasse, item quòd adversariis meis, qui se justitiæ offerebant pacemque juraverant, dicor noluisse justitiam exhibere, item quòd Iudæis publica commisi officia, item quòd monasterij sancti Vvillelmi & aliarum Ecclesiarum possessiones & Ecclesias injustè detineo, item quòd incastellavi Ecclesias & incastellatas detineo, item quòd indebita pedagia vel guidagia colligo vel colligi facio, item quòd Carpentoractensem Episcopum à propria sede depuli, item quòd de interfectione sanctæ memoriæ Petri de Castronovo suspectus habeor, pro eo maximè quòd interfectorem ipsius in magnam familiaritatem recepi, item quòd Vasionensem Episcopum & ejus Clericos cepi vel capi feci, & palatium ejusdem Episcopi & domos Canonicorum destruxi & castrum Vasionense per violentiam abstuli, item quòd in religiosas personas manus violentas injecisse dicor & multas rapinas commisisse. Super iis salnariis & aliis, si qua poterunt inveniri, prædicto modo juravi & alios jurare feci, & septem castrorum tradidi cautiones, quorum nomina sunt hæc, Furcæ, Opeda, Balmæ, Roccamaura, castrum Mornacij, Famaus in Argenteria, Mons Ferrandi. Si autem ea quæ circa supradicta capitula & alia injuncta mihi fuerint in perpetuum bona fide non servavero, volo & concedo ut septem supradicta castra cadant in commissum Romanæ Ecclesiæ, & jus quod habeo in comitatu Melgorienſi ad Romanam Ecclesiam plenissimè revertatur. Volo etiam & concedo ut persona mea excommunicetur & terra supponatur ecclesiastico interdicto, & conjuratores mei tam Consules quàm alij & successores eorum ex hoc ipso absoluti à fidelitate, jure, ac servitio quibus mihi tenentur, Romanæ Ecclesiæ pro feudis & juribus quæ habeo in villis, civitatibus, & castris de quibus erant tam Consules quàm alij qui juraverunt fidelitatem facere teneantur pariter & servare. Item sub eodem juramento & eadem pœna stratas publicas securas servabo. Eisdem pœnis subjacere volo si prædicta omnia non servavero vel aliquod prædictorum.

MANDATA ANTE ABSOLVTIONEM.

IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIV. Kal. Iulij. Ego Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus præcipio tibi Domino Raymundo Comiti Tolosano sub debito præstiti juramenti CAP. III.

& sub pœna ejusdem juramenti adjecta ut Dominum Episcopum Carpentoratensem tam in civitate quàm extra pleno jure restituas, & de damnis datis tam de rebus quàm de fructibus eidem Episcopo resarciendis fidejussores præstes idoneos, & universos cives Carpentoratenses à juramento quod citra triennium tibi vel alij tuo nomine præstiterunt absolvas omnino, & munitionem quam ibi fecisti fieri mihi vel cui jussero facias assignari. Item præcipio tibi sub eadem pœna ut Dominum Episcopum, Præpositum, & Canonicos Vasionenses tam in castris quàm aliis pleno jure restituas, & de damnis datis, ædificiis destructis, & rebus aliis, & fructibus resarciendis eisdem fidejussores præstes idoneos, castrum autem Vasionense mihi vel cui jussero facias assignari. Item sub eadem pœna tibi præcipio ut Aragonenses, ruptarios, Cotarellos, Bramenzones, Blascones, mainadas, vel quocunque alio nomine censeantur, de tota terra tua & posse tuo prorsùs expellas, nec in alienam terram eos immittas vel alij concedas, nec eorum auxilio tempore ullo utaris. Item sub eadem pœna tibi præcipio ut universos Iudæos in tota terra tua & posse ab omni administratione publica vel privata prorsùs amoveas, nec unquam eos ad ipsam vel aliam restituas, vel alios Iudæos ad aliquam administrationem assumas, nec eorum consilio ullo tempore contra Christianos utaris. Item sub eodem juramento & eadem pœna tibi præcipio ut strratas publicas securas observes. Salvis iis quæ Dominus Papa vel ego vel alius de mandato ipsius eodem tempore vel diversis tibi duxerit in posterum injungenda.

MANDATA POST ABSOLVTIONEM.

CAP. IV.

IN nomine Domini. Pontificatus Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo, XIII. Kal. Iulij. *Hæc sunt præcepta facta Domino Comiti Tolosano postquam fuit absolutus.* Ego Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus præcipio tibi Domino Raymundo Comiti Tolosano sub debito præstiti juramenti & sub pœna in forma ejusdem juramenti adjecta ut hæreticos & eorum manifestè credentes in tota ditione tua retineas tradendos cum rebus suis ad arbitrium signatorum, reliquos verò hæreticos & eorum credentes cum crucesignatis & sine illis fideliter in perpetuum persequaris. Item præcipio ut hæreticos de cetero nullo tempore foveas vel defendas, nec eis unquam præstes consilium vel favorem. Item præcipio ut dies dominicales & quadragesimæ & alios in Lateranensi Concilio designatos nullo unquam tempore violes vel ab aliis pro posse tuo violari permittas. Item præcipio ut adversariis tuis & universis Ecclesiis & domibus religiosis & miserabilibus personis justitiam facias cùm fueris requisitus. Item præcipio ut per bajulos tuos facias coram eis conquerentibus justitiam exhiberi. Item ut Ecclesias incastellatas ad arbitrium diocesanorum Episcoporum diruas, vel etiam reserves si quas duxerint reservandas; quas diocesanis Episcopis vel aliis Ecclesiarum Prælatis ad quos pertinere noscuntur continuò tradas, ut ab eis perpetuò possideantur. Item præcipio ut Ecclesias & domos religiosas in libertate plenaria conserves, videlicet quòd in eis alberguarias, procurationes vel exactiones quascunque nullatenus exigas vel percipias, & defunctis earum Episcopis vel aliis rectoribus, ipsas nullo modo spolies, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia te immisceas, sed omnia sine diminutione aliqua eorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per te vel per quamcunque personam nullatenus te admisceas, nec aliquam violentiam facias vel impedimentum aliquod præstes quò minùs electio liberè & canonicè celebretur. Item præcipio ut pedagiorum seu guidagiorum exactiones tam in terra quàm in aquis penitùs dimittas, nisi quas Regum vel Imperatorum concessione probaveris te habere, nec dimissa guidagia seu pedagia deinceps resumas. Item præcipio ut salinarias, ubicunque habeas, dimittas, nec alicubi de cetero institutas, nec impedias liberum transitum viatorum tam in terris quàm in aquis. Item præcipio ut pacem seu treugam secundùm quod tibi injunctum fuerit observes. Item præcipio ut de te conquerentibus secundùm meum vel alterius Legati seu judicis ordinarij vel delegati arbitrium justitiam facias. Item præcipio ut strratas publicas securas serves, nec transeuntes ab antiquis stratis deviare compellas. Item præcipio ut hæreticos quos diocesani Episcopi vel alij Ecclesiarum rectores hæreticos, receptatores, vel fautores eorum tibi vel tuis bajulis nominabunt, tamquam hæreticos habeas. Item præcipio ut pacem à Legatis statutam vel deinceps statuendam jures & serves inviolabiliter secundùm ipsius pacis statuta, & universos homines tuos eandem pacem jurare facias & secundùm statuta pacis servare. Item præcipio ut septem castra quæ mihi nomine Romanæ Ecclesiæ tradidisti vel aliquod non auferas per te vel per aliam quamcunque personam, & si aliquod illorum fuerit per quamcunque personam ablatum, cum toto posse tuo ad recuperandum illud viriliter laborabis, & statim illud pristinæ custodiæ restituas. Hæc omnia tibi præcipio perpetuò observanda, & si qua alia super prædictis capitulis vel aliis pro quibus excommunicatus fuisti Dominus Papa vel ejus Legatus tibi duxerit in posterum injungenda.

Vide infra epist. 274.

IVRAMENTVM CONSVLVM.

IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIII. Kalend. Iulij. Nos Consules Avinionenses de consensu & voluntate Domini R. Comitis Tolosani præcisè juramus supra sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario, apostolicæ sedis Legato, quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine omni fraude consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd dictus Dominus Comes tam per se quàm per successores suos super iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet; ita ut si quod illorum non fecerit, vel contravenerit manifestè, nos ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per homines sive amicos nostros aliquatenus impendemus, scientes ex hoc ipso dicti Comitis dilecto absolutos nos esse à fidelitate, si qua vel servitio illi ullo modo tenebamur;

CAP. V.

immo quousque plenè paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum, non obstante fidelitate vel jure aliquo vel servitio, si quo ipsi ullo modo tenebamur; à quo tam tu quàm dictus Comes nos absolvistis & absolvitis, si fortè ipse, ut dictum est, contra præcepta quæ sibi facta sunt vel fuerint venerit manifestè. Tunc etiam pro jure sive servitio, si quod in villis vel castris nostri consulatus & ipsa civitate habere dinoscitur, fidelitatem Romanæ Ecclesiæ faciemus, ipsam eidem fideliter & perpetuò servaturi. Item stratas publicas securas servabimus & faciemus per totum nostrum districtum inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas vel etiam per flumina nullatenus accipiemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione constiterit nos habere. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in nostro districtu tam in civitate quàm extrà in plenaria servabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum Episcopo vel aliis rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Episcopo vel Capitulo, nos immiscebimus, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur. Et electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nos nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio liberè ac canonicè celebretur. Item pacem seu treuguam, sicut nobis injunctum fuerit, bona fide observabimus. Item si Episcopus vel Capitulum vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos nominaverit vel credentes, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula aliqua, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia infiscabimus. Hæc omnia singulis annis per manus Episcopi nostri successores nostros faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur.

* In hist. Albig. cap. XI. legitur *S. Georgij* Malè. At in codice Colbertino rectè *sancti Ægidij.*

In eundem modum juraverunt alij Consules, scilicet Nemausenses & sancti * *Ægidij, & multi alij quos exegi.*

CAP. VI.

Hæc est indulgentia. Ego R. Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ pro animæ meæ remedio & progenitorum meorum omnibus Ecclesiis & domibus religiosis provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Auxitanensis, Burdegalensis, & Bituricensis immunitatem * secundùm statuta canonum & plenissimam libertatem concedo; ita videlicet quòd albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque seu tallias nullo unquam tempore per me vel per alios requiram in eis, & requirentes sive postulantes pro posse meo fideliter coërcebo. Defunctis etiam earum Episcopis vel rectoribus aliis, ipsas vel domos earum per me vel per alium nullo modo spoliabo, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia me ullatenus immiscebo; sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcunque personam me nullatenus immiscebo, nec aliquam violentiam faciam vel impedimentum præstabo quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Præterea possessiones omnes & jura Ecclesiarum, si qua injustè detineo, eis restituo pleno jure. Promitto insuper quòd omnia jura Ecclesiarum & domorum religiosarum, sicut decet catholicum Principem, in præfatis provinciis totis viribus protegam & defendam. Si quis autem contra præfatam immunitatem & libertatem à me indultam Ecclesiis & aliis domibus religiosis venire præsumpserit, ipsum pro posse meo viriliter coërcebo. Istam autem concessionem & promissionem feci apud sanctum Ægidium anno pontificatus Domini Innocentij III. duodecimo, XIII. Kal. Iulij, ad mandatum & exhortationem magistri Milonis Domini Papæ Notarij apostolicæ sedis Legati, præsentibus Domino Michaële Arelatensi Archiepiscopo cum Episcopis infrascriptis, videlicet Marsilienſi, Avinionensi, Cavellicensi, Carpentoratensi, Vasionensi, Tricastrinensi, & Nemausensi, & Agathensi, & Magalonensi, Lodovensi, Tolosano, Biterrensi, & Domino Archiepiscopo Aquensi, & Episcopo Forojulienſi, & Nicienſi, & Aptensi, & Sistericensi, & Archiepiscopo Auxitano, & Episcopo Auraicensi, & Vivariensi, & Vticensi.

* Hæc clausula deest in editione Catelli.

FORMA PACIS.

IN nomine Domini. Anno duodecimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. x. Kalend. Iulij. Ego Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus præcipio vobis Domino R. Comiti Tolosano & vobis Baronibus, scilicet Vvillelmo & Hugoni & Raimundo de Baucio, P. Bertmundi, Rascatio, & aliis Baronibus & coadjutoribus vestris, sub debito præstiti juramenti & pœna in eodem juramento adjecta, quatenus secundùm statuta pacis olim à Legatis Romanæ Ecclesiæ promulgata, inter vos pacem perpetuam observetis, & eandem pacem à vestris hominibus & coadjutoribus faciatis jurari pariter & servari. Si verò ortæ sunt inter vos aliquæ quæstiones vel in posterum forsitan orientur, per venerabiles patres Hugonem Regensem Episcopum apostolicæ sedis Legatum ad hoc de voluntate ipsius assumptum & Arelatensem Archiepiscopum & Episcopum Vticensem & Avinionensem Præpositum, vel per alios qui pro tempore per Romanam Ecclesiam fuerint substituti, eas statuo concordia vel judicio terminari. Salvo in omnibus apostolicæ sedis mandato. CAP. VII. CAP

IVRAMENTVM QVOD PRÆSTITERVNT custodes castrorum.

IN nomine Domini. Pontificatus Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo, XII. Kal. Iulij. Ego Michaël Arelatensis Archiepiscopus juro tibi Miloni Domini Papæ Notario apostolicæ sedis Legato quòd castra de Mornas & de Furcis sine omni malo ingenio & sine omni fraude pro CAP. VIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

posse meo faciam fideliter custodiri, nec eadem castra vel eorum aliquod Comiti Tolosæ vel alij personæ restituam vel restitui scienter permittam sine mandato Domini Papæ bullatis litteris ejus inserto, vel sine mandato tuo vel alterius Romani Pontificis nuntij sive Legati ad hoc specialiter cum litteris bullatis deputati. Sanè illi vel illis cui vel quibus Dominus Papa vel tu vel alius nuntius sive Legatus Domini Papæ cum supradicta forma ad hoc specialiter destinatus jusserit, prædicta castra restituam, nonobstante eo quòd eadem castra dicuntur ad meam Ecclesiam pertinere, tempore legitimo mihi tunc assignato; restitutis tamen priùs mihi universis expensis & usurarum gravaminibus pro castrorum custodia tunc factis juramento bajulorum meorum, quos in prædictis castris posuero, absque alia probatione declarandis. Expensas autem de concessione tua intelligo faciendas de redditibus & omnibus proventibus castrorum illorum & mandamentorum quos de voluntate Comitis & concessione & mandato tuo bajuli mei ibidem percipere debent, jurisdictionem plenariam duntaxat pro castrorum custodia & sufficientibus ad expensas redditibus colligendis per omnia exercentes. Portò si prædicti proventus ad prædicta complenda non sufficient, nec Comes nec aliquis pro eo expensas juxta voluntatis meæ moderamina ministraverit, ego ex mutua pecunia expensas faciam, nec prædicta castra tenebor restituere donec prædictæ expensæ cum omnibus suis gravaminibus mihi fuerint pleniùs restitutæ. Hæc omnia sicut suprà scripta sunt bona fide servabo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

Et ego Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus hanc fidelitatem auctoritate Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ accipiens, concedo tibi, Michaël Arelatensis Archiepiscope, eadem auctoritate ut omnia suprascripta possis exigere & percipere & pro tuæ voluntatis arbitrio bona fide disponere, volens & statuens te & Ecclesiam tuam indemnem super expensis & omnibus gravaminibus occasione custodiæ memoratorum castrorum quocunque tempore factis conservari. Ad perpetuam autem omnium horum firmitatem hanc chartam sigilli mei munimine facio roborari.

In eundem modum juravit Vivariensis Episcopus pro castro de Faniau sibi commisso. In eundem modum Abbas Montis majoris pro castro de Opeda. In eundem modum juraverunt Episcopus & Præpositus Avinionenses pro castris de Roccamaura & de Balmis sibi commissis. In eundem modum juravit Magalonensis Episcopus pro castro de Monteferrando.

IVRAMENTVM PRO PRINCIPIBVS crucesignatis & exercitu.

CAP. IX. IN nomine Domini. Anno duodecimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. x. Kal. Julij. Ego R. Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ juro super sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta quòd quando Principes crucesignati ad partes meas accedent, mandatis eorum parebo per omnia tam super securitate quàm aliis quæ mihi pro utilitate ipsorum & totius exercitus duxerint injungenda.

Hoc juramentum exegit à Comite cùm sibi contra hæreticos crucem imposuit.

IVRAMENTVM BARONVM.

CAP. X. IN nomine Domini. Pontificatus Domini Innocentij III. Papæ anno duodecimo, XIV. Kal. Julij. Nos Vvillelmus de Baucio & Hugo frater ejus, & Raimundus nepos noster, Draconetus, Guillelmus Arnaudi, Raimundus Dagout, Ricavus de Cariunpo, Bertrandus de Lauduno, & Vvillelmus frater meus, * Bernardus de Anduſia, & P. Bermundi filius meus, & Rostagnus de Posqueriis, & Raimundus de Vsecia, & filius meus Deeanus, & Raimundus Gaucelini de Lunello, & Pontius Gaucelini, juramus tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario apostolicæ sedis Legato coram sancta eucharistia & cruce dominica & sanctorum reliquiis supra sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta quòd stabimus omnibus mandatis Ecclesiæ seu tuis vel alterius nuntij seu Legati Domini Papæ super istis capitulis quæ inferiùs exprimuntur, videlicet super abjuratione mainadarum perpetua, item super Iudæis ab omni administratione seu officio perpetuò amovendis & nullo unquam tempore restituendis, vel aliis Iudæis ad aliquam administrationem nullatenus assumendis, item super pedagiis & guidagiis dimittendis & nullo unquam tempore resumendis, item super pace vel treuga juxta mandatum tuum vel alterius Legati Domini Papæ instituenda pariter & servanda, item super plena Ecclesiarum libertate servanda, item super Ecclesiis incastellatis demoliendis & penitùs dimittendis & nullo unquam tempore incastellandis, item super damnis per nos datis Ecclesiis & aliis personis sive laicis sive Cleticis resarciendis, item quòd de nobis querelantibus justitiam exhibebimus. Hæc omnia sicut suprà scripta sunt, & in omnibus suprascriptis articulis & aliis, si qui forsitan emerserint, & in cautionibus tibi dandis pro posse nostro fideliter adimplebimus. Sic Deus nos adjuvet & hæc sancta omnia. Similiter sub eodem juramento stratas publicas securas servabimus, & eos quos Episcopi nostri hæreticos nominabunt & receptatores & fautores eorum animadversione debita puniemus.

* Vide lib. 15. epist. 220.

In eundem modum juraverunt alij Barones.

PRÆCEPTA BARONVM.

CAP. XI. IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIV. Kal. Julij. Ego Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus vobis Baronibus, videlicet Vvillelmo de Baucio, Hugoni de Baucio, R. de Baucio, Draconeto, Vvillelmo Arnaudi, R. Dagout, Ricavo de Cariumpo, B. de Lauduno, Vvillelmo de Lauduno, Bernardo de Anduſia, Petro Bermundi, R. de Vsecia, & Decano filio vestro, R. de Posqueriis, R. Gaucelini, & Pontio Gauzelini, sub debito præstiti juramenti præcipio ut mainadas nullo unquam tempore habeatis, item ut Iudæos ab omni administratione publica vel privata removeatis omnino, & nullo unquam tempore eos ad eandem vel ad aliam restituatis, nec alios Iudæos ad administrationem aliquam assumatis, nec eorum consilio contra Christianos utamini. Item ut Ecclesias incastellatas ad arbitrium diocesanorum Episcoporum dirruatis, vel etiam reservetis si quas du-

duxerint reſervandas; quæ dioceſanis Epiſcopis vel aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos pertinere noſcuntur, tradantur, & ab eis perpetuò poſſideantur. Item præcipio ut Eccleſias & domos religioſas in libertate plenaria conſervetis, videlicet quòd in eis albergarias, procurationes, vel exactiones quaſcunque nullatenus exigatis vel percipiatis, & defunctis earum Epiſcopis vel aliis rectoribus ipſas nullo modo ſpolietis, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicujus conſuetudinis vel aliqua alia vos immiſceatis, ſed omnia ſine diminutione aliqua eorum ſucceſſoribus reſerventur, & electioni Epiſcopi vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ per vos vel per quamcunque aliam perſonam vos nullatenus admiſceatis, nec aliquam violentiam faciatis vel impedimentum aliquod præſtetis quò minùs electio liberè & canonicè celebretur. Item præcipio ut pedagiorum ſeu guidagiorum exactiones penitùs dimittatis, niſi quas Regum vel Imperatorum conceſſione probaveritis vos habere, nec dimiſſa pedagia ſeu guidagia deinceps reſumatis. Item præcipio ut pacem ſeu treuguam ſecundùm quod vobis injunctum fuerit obſervetis. Item præcipio ut de vobis conquerentibus ſecundùm meum vel alterius Legati vel judicis delegati arbitrium juſtitiam faciatis. Item præcipio ut ſtratas publicas ſecuras ſervetis. Item præcipio ut eos quos Epiſcopi hæreticos nominabunt, receptatores vel fautores eorum, tamquam hæreticos habeatis.

OBLIGATIO CASTRORVM Baronum.

CAP. XII. NOſcant præſentes & futuri quòd anno dominicæ incarnationis MCCIX. menſe Iunio apud ſanctum Ægidium, Vvillelmus de Baucio Princeps Auraſicæ & Hugo de Baucio & Raimundus de Baucio reddiderunt pro pignoribus pro ſe & pro proceribus qui morantur ultra Rhodanum, & pro filiis Roſtagni de Fabrano, & pro Bertrando de Lauduno, & pro Vvillelmo fratre ejus, caſtrum de Vitrola & caſtrum Montiſmirati & caſtrum de Clarenzaens in manu magiſtri Milonis apoſtolicæ ſedis Legati, promittentes ſe ſtare ejuſdem mandato & cognitioni de capitulis infraſcriptis, ſcilicet de pedagiis & guidagiis & de Iudæis & de mainadis & de Eccleſiis incaſtellatis & earum libertatibus, & quòd de querelis Comitis juſtitiam exhibebunt.

EADEM OBLIGATIO PRO ALIIS Baronibus.

CAP. XIII. NOſcant præſentes & futuri quòd P. Bermundi de Salve & R. Peleti & Raſcatius de Vcecia & R. de Poſqueriis & R. Gaucelini reddiderunt pro pignoribus pro ſe caſtrum de Grefoila & caſtrum de Roccaforcada & caſtrum de Sado in manu magiſtri Milonis apoſtolicæ ſedis Legati, promittentes ſe ſtare mandato ſuo & cognitioni de pedagiis & Iudæis & de mainadis & de Eccleſiis incaſtellatis & earum libertatibus, & quòd de querelis Comitis juſtitiam exhiberent.

MANDATVM EPISCOPIS FACTVM.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO.

PRæſentium vobis auctoritate mandamus & ſub obedientiæ virtute diſtrictè præcipimus quatinus ea quæ apud ſanctum Ægidium his diebus ſtatuta ſunt Clericis & laicis veſtrarum dioceſum ſolemniter & fideliter publicetis, & ea faciatis per excommunicationis & interdicti ſententias tam in locis quàm in perſonis inviolabiliter obſervari. Relaxetis etiam interdicti ſententiam ſecundùm formam in eodem colloquio vobis datam, quæ talis eſt. *De abſentibus nominatim excommunicatis vel etiam interdictis, ſi magnæ perſonæ fuerint, hæc forma ſervetur, ut cum litteris dioceſani veritatem rei continentibus abſolvendi ad aliquem Legatorum accedant. De minoribus militibus & popularibus perſonis hæc forma ſervetur, ut dioceſanus per ſe vel per interpoſitam perſonam idoneam ad loca interdicta accedat, & receptis ab omnibus juramentis quòd pareant mandatis Eccleſiæ, priùs extumulentur illi per eorum tumulatores qui interdicto durante fuerant tumulati, & poſtmodum relaxato interdicto ſolemniter tumulentur, niſi nominatim excommunicati fuiſſent, qui perpetuò careant eccleſiaſtica ſepultura, & ſtatim pacem jurare & ipſius ſtatuta ſervare ſub debito juramenti compellantur.* Hæc dicimus obſervari in locis in quibus non ſunt hæretici manifeſti.

In eundem modum ſcriptum eſt Archiepiſcopis & Epiſcopis aliis.

ARCHIEPISCOPIS ET Epiſcopis & Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis & univerſis perſonis eccleſiaſticis quibus hoc ſcriptum ab apoſtolicæ ſedis Legatis fuerit exhibitum.

IS qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui non ſolùm ſpiritualia dona concedit, ſed etiam temporalia bona largitur, ita terrenæ nobis ſubſtantiæ adminiſtrationem indulſit ut bona nobis ad vitæ ſuſtentationem commiſſa in neceſſitatis articulo noſtro miniſterio proximis diſpenſentur, & de iis eis quaſi de propriis gratiam faciamus quæ communia omnibus fecerat jus naturæ. Licèt autem ad ſuccurrendum in neceſſitatibus proximis fideles quilibet teneantur, perſonæ tamen eccleſiaſticæ, quibus commiſſum eſt patrimonium crucifixi, obligari ad hoc ſpecialiter dinoſcuntur, ut eo ſe potiùs in adminiſtratione ipſius exhibeant liberales quò principaliùs eſt ad opus indigentium deputatum. Hinc eſt ſiquidem quòd cùm fidelis populi multitudo ad impugnandum orthodoxæ fidei ſubverſores viriliter ſe accingant aſſumpto charactere crucifixi, & abſurdum ſit procul dubio ut qui pro communi utilitate laborant, propriis tantùm debeant ſtipendiis militare, aliquam veſ-

trorum reddituum portionem deputare vos convenit in subsidium eorundem. Cùm enim sacris sit canonibus institutum ut thesauri & alia bona Ecclesiarum ingruente necessitatis articulo in redemptionem exponi debeant captivorum, tunc proculdubio debent plenius dispensari cùm periculis occurritur animarum quæ falsis dogmatibus captivatæ in erroris carceribus detinentur, cùm pretiosior sit anima copore, ac perditioni unius animæ multorum interitus corporum nequeat comparari. Illud etiam in hoc vobis est subtiliùs advertendum, quòd quamvis illi qui ad capiendas vulpeculas quæ demoliuntur vineam Domini se accingunt, universorum fidelium causam agant, utilitatibus præcipuè virorum ecclesiasticorum insistunt, dum illi quorum intendunt duritiam inter clades bellicas edomare, apostolicam doctrinam impugnent, ecclesiasticam auctoritatem evacuent, & viris ecclesiasticis astruant non esse aliquatenus intendendum, dominis temporalibus magnificè servientes. Vnde cùm videatur consentaneum rationi ut Christi milites, qui pro vestris utilitatibus militant, vestris munificentiis recreentur, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum injungentes quatinus illam vestrorum unius anni proventuum portionem quam venerabilis frater noster Episcopus Regensis & dilecti filij Abbas Cistercienſis & magister Milo Notarius noster apostolicæ sedis Legati, quibus super hoc vices nostras committimus, deliberatione provida duxerint designandam, ad crucesignatorum subsidium assignetis. Alioquin, cùm sustinere nolimus ut propter necessariorum defectum prædictorum signatorum exercitus dissolvatur, noveritis nos eisdem Legatis injungere ut vos ad id ecclesiastica censura compellant. Ne verò gravia vobis onera imponere videamur quæ digito nostro movere nolimus, quantamcunque vos gratis de vestris proventibus consuleritis portionem, nos profectò majorem de nostris offerimus largiendam. Datum Viterbij v. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

REGENSI EPISCOPO, ET Abbati Cistercienſi, & magistro Miloni Notario nostro, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 87. De eodem argumento.

VT hi qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem vivificæ crucis characterem assumpserunt eò ferventiùs publicam causam gerant quò se viderint proximorum subsidiis adjuvari efficaciùs, à vobis, frater Episcope, ac fili Abbas, & à nonnullis aliis nobis fuit sæpe suggestum quòd tam Clericos quàm laicos constitutos in terris nobilium qui contra Provinciales hæreticos sunt crucesignati cogi per censuram ecclesiasticam faceremus ut de proventibus suis saltem unius anni ad tam sanctum & sumptuosum opus implendum dictis crucesignatis portionem decimam largirentur. Et quidem commonitorias litteras super hoc nos meminimus destinasse; sed ut ad id aliqui cogerentur ad quod erant monitis & exhortationibus inducendi, nobis & fratribus nostris durum admodum videbatur. Ceterùm ad multam vestræ suggestionis instantiam, quam ex devotionis credimus fervore procedere quem habetis ad explendum obsequium Iesu Christi, super hoc committendas vobis duximus vices nostras, ita videlicet quòd eosdem non præcisè tantùm ad decimam, sed quantamlibet vobis expedire videbitur, sollicitis exhortationibus inducatis, ad coactionem, si aliter unquam poteritis, minimè processuri. Quod si forsan inceptum negotium nequiverit aliter expediri, ne, quod absit, occasione tali dissolvatur exercitus & opus tam utile deseratur, volumus & mandamus quatinus universas personas ecclesiasticas tam regulares quàm alias, quibus transmissum ad eos mandatum apostolicum fuerit à vobis exhibitum, ad præstandam illam suorum reddituum portionem quam eisdem duxeritis designandam qua convenit censura cogatis, attentiùs provisuri ut ad compulsionem hujusmodi nullatenus procedatur à vobis si suscitari grave scandalum timeatur. Laicos verò, si fortè ad coactionem fuerit procedendum, compelli nullatenus volumus absque consensu principalium dominorum. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij VI. Kalend. Augusti &c. ut in alia.

VNIVERSIS FIDELIBVS constitutis in terris nobilium qui adversùs Provinciales hæreticos sunt crucesignati.

Epist. 88. Super eadem materia.

CVm domini vestri pro defensione fidei orthodoxæ personas & res exposuerint ad obsequium Iesu Christi, universorum fidelium communem causam agentes, justum est ut à vobis & aliis recipiant subsidia opportuna, quibus adjuti tam sanctum & fructuosum propositum valeant

adimplere. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus & monendam, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus pro ejus amore qui vobis animam donavit & corpus & bona omnia quæ habetis, immo etiam qui seipsum vobis donavit in pretium ut suo sanguine pretioso redimeret vos à diaboli potestate, aliquam portionem de proventibus vestris, saltem unius anni, juxta dispositionem venerabilis fratris nostri Regensis Episcopi & dilectorum filiorum Cisterciensis Abbatis & magistri Milonis Notarij nostri sedis apostolicæ Legatorum tam hilariter quàm liberaliter conferatis; ut per hæc & alia bona quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ beatitudinis præmia mereamini pervenire. Nos enim eisdem Legatis vices nostras in hoc duximus committendas, habituri ratum & gratum quicquid piè ac providè super eo duxerint statuendum. Datum Viterbij VII. Kal. Augusti, anno duodecimo.

MAGISTRO MILONI
Notario nostro apostolicæ sedis Legato.

Epist. 89. Mandatur ei ut cœptum negotium persequatur.

SOllicitudinis tuæ studium, quod per operis evidentiam declaratur, tanto nobis prudentiam tuam reddit ampliùs cõmendatam quanto cælestis altitudo consilij circa commissum tibi negotium majora dinoscitur per tuum ministerium operata. Illi ergo qui pertingit à fine usque ad finem fortiter & disponit suaviter universa, quique cùm imperet ventis & mari, facit in turbatione tranquillum, quas valemus gratias referentes, discretionem tuam dignis super hoc laudibus commendamus. Licèt autem reditus tuus utilis nobis esset & præsentia tua grata, quia tamen in ministerij tui cura multis te fore credimus non solùm necessarium sed etiam fructuosum, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus prudenter considerans quòd non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit, & finis non pugna coronat, his quæ ad injunctum tibi spectant officium sollicitè ac solerter intendas, ad illum principaliter habens absque intermissione respectum qui pro sua causa, quam agis, diriget gressus tuos, reddetque tibi mercedis æternæ denarium pro labore, à nobis etiam, qui non sumus tuæ devotionis immemores, consolationis solatia percepturus. Datum Viterbij VI. Kal. Augusti, anno duodecimo.

NOBILI VIRO R. COMITI
Tolosano.

GAudemus in Domino & in potentia virtutis ipsius quòd licèt contra te dudum fuerint multa suggesta quæ famam tuam videbantur multiformiter denigrare, tu tamen, ut eam omnino purgares, totum te nostris exposuisti mandatis, exhibens cautiones quantas & quales dilectus filius magister Milo Notarius noster apostolicæ sedis Legatus exegit; & sic qui multis fueras in scandalum, factus es pluribus in exemplum; ut circa te manus Domini videatur mirabiliter operata. Cùm ergo pro certo credamus quòd hoc tibi, non solùm spiritaliter ad salutem, verùm etiam temporaliter ad profectum debeat redundare, ut amodo inter fideles fructifices & abundes in pace catholica qui hactenus inter perfidos dispergebas & consumebas in bellica clade, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus talem in omnibus te studeas exhibere quòd nos, qui tuum desideramus in Domino commodum & honorem, ad exhibendum tibi gratiam & favorem meritò debeamus induci, pro certo confidens quòd indebitum tibi nolumus inferri gravamen. Datum Viterbij VI. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

Epist. 90. Hortatur ut perseveret in bono.

STEPHANO CANTVARIENSI
Archiepiscopo, S. R. E. Cardinali.

SVper negotio Lincolnienſis electi non solùm discretionis spiritum, verùm etiam discretionem spiritus te oportet habere, ne facilè credas omni spiritui, sed zelum habeas secundùm scientiam, diligenter attendens quòd qui nimium emungit, elicit sanguinem, cùm tempus & tempus sit omni rei quæ sub cœlo consistit. Vnde: Omnia bona in tempore suo. Tuis ergo consultationibus breviter respondemus quòd si Lincolinense Capitulum alias litteras de assensu regio vel noluerit vel nequiverit impetrare, sufficiunt impetratæ, ne fortè sub specie consuetudinis approbatæ quærere videaris utilitatem magis propriam quàm communem. Si autem electus canonicam purgationem obtulerit super iis de quibus probabiliter est suspectus vel publicè infamatus, purgationem ejus accusatore deficiente recipias, moderando ipsam cum quinta probabilium personarum ordinis sui manu. Quòd si nec inquisitionem subire nec purgationem exhibere

Epist. 91. De electione Episcopi Lincolniensis. Vide supra epist. 56.

voluerit

voluerit super iis de quibus, ut diximus, probabiliter est suspectus vel publicè infamatus impedientibus promotionem ipsius secundùm canonicas sanctiones, electionem ejus poteris de jure cassare. Ad hæc, si Lincolnienses Canonici præcepto tuo juxta formam mandati nostri parere noluerint, in eos tamquam inobedientes & contumaces canonicam poteris proferre censuram. Ceterùm hæc omnia tibi noveris non tamquam delegato, sed quasi ordinario, esse rescripta. Datum Viterbij IV. Kal. Augusti, anno duodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Farfensi.

Epist. 91. Abbas venit ad inspectionem Episcopi Sabinensis. Vide epist. 94.

CVm venerabilis frater noster Sabinensis Episcopus coram dilectis filiis nostris Rogerio tituli sanctæ Anastasiæ Presbytero & Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinalibus, quos sibi & R. procuratori vestro concessimus auditores, Ecclesiam sancti Viti de Granica cum suis possessionibus & suis pertinentiis petiisset, asserens eandem ad se tam in spiritualibus quàm temporalibus pertinere, idem procurator, nondum ejusdem Episcopi intentione fundata, præpropere sic respondit, quòd etsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesiæ Sabinensis, eam tamen Episcopus non poterat vendicare, quam ex permutationis causa Farfense monasterium obtinebat, ad hoc probandum quoddam exhibens instrumentum, in quo contineri prima facie videbatur quòd Theodo Episcopus cum suorum sacerdotum assensu prædictam Ecclesiam sancti Viti pro quibusdam Ecclesiis & rebus aliis in concambium vestro duxerat monasterio concedendam. Ad hæc autem Episcopus proposuit memoratus intentionem suam per responsionem hujusmodi esse fundatam. Cùm enim pars vestra responderit se dictam Ecclesiam ex permutatione facta per Sabinensem Episcopum obtinere quam etiam publico nitebatur instrumento probare, confiteri per consequentiam videbatur se credere quòd Ecclesia sæpedicta tempore permutationis pertinuit ad Ecclesiam Sabinensem, cùm permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio quàm cum domino vel cum eo qui habetur loco domini legitimè valeat celebrari, adiciens quòd etsi confessioni hujusmodi stare vellet in quantum contra vos facere videbatur, instrumentum tamen hujusmodi contra se minimè admittebat, quod nec tabellionis auctoritate nec subscriptione stium dinoscitur esse fulcitum. Sed ad hoc pars vestra respondit quòd cùm procurator id in modum exceptionis objecerit, non videbatur ex adversæ partis intentione fuisse confessus: quia juxta legitimas sanctiones qui exceptione utitur, non æstimatur de intentione adversarij, cum quo agitur, confiteri, adjungens quòd etsi permutationis tempore cœnobium Farfense crediderit dictam Ecclesiam sancti Viti ad Sabinensem Ecclesiam pertinere, procurator tamen prædictus ex certis causis seu verisimilibus conjecturis credulitatem suam postmodum potuit taliter informare ut nunc crederet eandem Ecclesiam ad Sabinensem Ecclesiam tunc temporis non spectasse. Porrò memoratus Episcopus ad probandum quòd jamdicta Ecclesia ad se in temporalibus pertinebat, quosdam testes induxit, per quos nitebatur ostendere quòd tam dictam Ecclesiam quàm molendina, terras, & alia bona ejus Sabinenses Episcopi diutiùs possederunt, de illis pro suæ voluntatis arbitrio liberè disponendo. Quidam quoque testes ad probandam præscriptionem ex vestra fuerunt parte producti; per quorum aliquos vester procurator asseruit sufficienter ostensum quòd à nonaginta annis eandem Ecclesiam cum molendinis & aliis bonis ejus vestrum monasterium possederat in quiete. Sed ad hoc pars Episcopi respondebat quòd etsi quidam testes de nonaginta annis deponere videantur, quia tamen de juris ordine tempora *schismatum quæ temporibus bonæ memoriæ Innocentij & Alexandri Romanorum Pontificum interfuisse noscuntur, & de nostra indulgentia speciali Episcopo memorato concessa tempus Conradi quondam Sabinensis Episcopi, cùm propter ejus absentiam, qui pastoralem curam gessit in Ecclesia Maguntinensi, & illorum incuriam quibus Sabinensis episcopatus diversis temporibus fuit cura commissa, ejusdem episcopatus jura neglecta fuerint, debeant de computatione subduci, cùm eundem Episcopum in eo statu quoad defendenda Sabinensis episcopatus jura duximus reponendum quem habuit quando idem Conradus Sabinensis Ecclesiæ præsulatum accepit, residuum temporis proculdubio ad legitimæ præscriptionis limitem minimè pertingebat. Super iis igitur & aliis propositis coram Cardinalibus supradictis deliberatione cum fratribus nostris habita, intelleximus supradictum Episcopum intentionem suam minimè fundavisse per depositiones testium vel procura-

* Vide supra lib. 11. epist. 84. 167.

toris supradicti responsionem, qui, sicut præmissum est, exceptionem obiciens, de intentione adversæ partis non intelligitur fuisse confessus, vel etiam per instrumentum ex adverso exhibitum, cùm in eo Theodo Episcopus, à quo permutatio facta proponitur, non dicatur Episcopus Sabinensis, quamquàm in transcripto quo procurator utebatur appositum fuerit *Sabinen.* per vitium falsitatis. Licèt autem nimis excesserit qui transcriptum illius instrumenti falsavit, quia tamen delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare, ac non solùm ante sententiam, verùm etiam pòst, obici potest exceptio falsitatis, cùm falsorum instrumentorum prætextu lata sententia usque ad viginti annorum spatium valeat retractari, veritate comperta noluimus ut id vestro monasterio præjudicium generaret. Quia verò nobis constitit supradictam Ecclesiam sancti Viti constitutam esse in dioceſi Sabinensi, episcopale jus in omnibus spiritualibus eidem Episcopo adjudicavimus in eadem, illis duntaxat exceptis quæ per authentica scripta ei dinoscuntur esse subtracta, cùm per privilegium vel præscriptionem legitimam nullatenus probaretur exempta. Verùm quia dictus Episcopus, qui eandem Ecclesiam sibi quoad temporalia vendicabat, munitum se super hoc præscriptione legitima non ostendit, quamquam probaverit Episcopos Sabinenses bona ejusdem Ecclesiæ aliquanto tempore possedisse, vos ab impetitione ipsius quoad temporalia ejusdem Ecclesiæ sententialiter duximus absolvendos. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij 11. Non. Augusti, anno duodecimo.

EISDEM.

Epist. 93. *De eadem re. Cap.* Cùm venerabilis. *De relig. domib.*

CVm venerabilis frater noster Iohannes Sabinensis Episcopus coram dilectis filiis nostris Rogerio tituli sanctæ Anastasiæ Presbytero & Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinalibus, quos sibi & Ricardo procuratori vestro concessimus auditores, Ecclesiam sancti Angeli de* Tancia cum suis possessionibus & pertinentiis petiisset, asserens eandem ad se tam in spiritualibus quàm temporalibus pertinere, primò possessorium & postea petitorium intentando, allegavit ante omnia jus commune, quia cùm eadem Ecclesia sit constructa in Sabinensi dioceſi, ut dicebat, sub ipsius debebat consistere potestate juxta canonicas sanctiones. Verùm cùm ex vestra fuisset parte negatum eandem Ecclesiam in prædicta dioceſi constitutam, idem Episcopus ad hoc probandum privilegium bonæ memoriæ Anastasij Papæ prædecessoris nostri coram ipsis exhibuit, in quo mons Tancia pro Sabinensis episcopatus termino ponitur, & inter alias Ecclesias Sabinensis episcopatus eadem Ecclesia sancti Angeli numeratur, ac in prædicto monte dicitur esse constructa, hoc idem per publicum instrumentum quo procurator vester utebatur ostendens, in quo dicitur quòd dicta Ecclesia sita est in territorio Sabinensi, cùm Sabinensis dioceſis longè amplùs quàm Sabinense territorium extendatur. In temporalibus quoque ad se dictam Ecclesiam pertinere idem Episcopus nitebatur ostendere per publicum instrumentum, in quo continetur expresè * Iohannem Episcopum Sabinensem Hugoni Farfensi Abbati & duobus personis post ipsum Gualdum Pontianellum, in quo est dicta Ecclesia, cum suis pertinentiis locavisse pro annua quatuor solidorum Papiensium pensione in Assumptione beatæ virginis persolvenda. Sed pars vestra proposuit instrumento prædicto nullam fidem penitùs adhibendam propter superlinearem scripturam & rasuram in loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur. Fuit insuper ex Episcopi parte propositum quòd cùm * Ecclesiæ sancti Angeli nomine multo tempore fuerit certa pensio Ecclesiæ Sabinensi soluta, manifestè liquebat ad eandem Ecclesiam, à qua locatio facta fuerat, supradictam Ecclesiam jure proprietario pertinere. Præterea cùm bonæ memoriæ Lucius Papa prædecessor noster injunxerit Sabinensibus ut ad recuperationem Tanciæ, quam eo tempore tenebatis, intenderent, & per eosdem Petro de Bono tunc Sabinensis episcopatus procuratori tam Tancia quàm Ecclesia sancti Angeli fuerit restituta, & vos eandem Ecclesiam postea duxeritis occupandam, ejusdem erat Episcopo restitutio facienda, sicut idem Episcopus ea omnia per idoneos testes asserebat esse probata. Ad hæc autem procurator respondebat prædictus quòd etsi quidam testes se vidisse deponant Ecclesiam sancti Angeli pensionem quatuor solidorum Sabinensi Episcopo persolvisse, nullum tamen ex hoc vestro monasterio poterat præjudicium generari, cùm non appareat pensionem ipsam ex parte monasterij fuisse solutam. Quamquam etiam testes asserant se vidisse mul-

* *In quarta col. lett.* Cantia

* Videtur Insul. fac. 38 ria.

* In quarta Lett. ab Ecclesia S. A. usque monaste vetti mu

totiens prætaxatam pensionem exolvi, non tamen ostenditur tanto tempore præstita quòd usque ad præscriptionem legitimam porrigatur. Item, sicut ad rei propriæ probationem locatio facta non sufficit, ita nec solutio nec perceptio pensionis. Licèt etiam idem Lucius prædecessor noster suprascriptum mandatum Sabinensibus dederit circumventus, credens, prout ei suggestum fuerat, ad Sabinensem episcopatum prædictum locum & Ecclesiam pertinere, ac Farfenses monachi propulsando injuriam ab eisdem Sabinensibus irrogatam retinere curaverint Ecclesiam memoratam, propter hoc non erat Episcopo restitutio facienda; maximè cùm è vicino contrariam esset sententiam super petitorio excepturus, & qui petit quod redditurus est, dolum facere dinoscatur, sicut in civilibus legibus continetur. Medietatem quoque oblationum specialium quorundam dierum idem Episcopus in eadem sibi Ecclesia vendicabat, quam eidem de plano procurator vestri monasterij recognovit. His igitur & aliis intellectis quæ coram Cardinalibus supradictis pars utraque proponere procuravit, quia nobis constitit supradictam Ecclesiam sancti Angeli constitutam esse in diocesi Sabinensi, de consilio fratrum nostrorum episcopale jus in omnibus spiritualibus eidem Episcopo adjudicavimus in eadem, illis duntaxat exceptis quæ per authentica scripta ei dinoscuntur esse subtracta; hoc ad cautelam expresso, ut medietatem oblationum prædictorum dierum, quæ, sicut dictum est, ipsi procurator recognovit jamdictus, in eadem Ecclesia * percipit annuatim. Quia verò instrumentum prædictum, per quod Episcopus supradictam Ecclesiam intendebat sibi quoad * temporalia vendicare, ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter prædicta de jure suspectum, vos ab impetitione ipsius quoad temporalia ejusdem Ecclesiæ sententialiter duximus absolvendos, eidem super hoc silentium imponentes. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Viterbij 11. Non. Augusti, anno duodecimo.

* percipiat

* In quarta collect. spiritualia. Mall. Codex Colbert. hæc temporalia

PADVANO ET CENETENSI Episcopis, & Abbati sancti Martini de Colle Cenetensis diocesis.

Epist. 94. Scribitur pro Archiepiscopo Duraciensi.

EX litteris venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum quòd cùm Ecclesiæ Duraciensis Canonici eundem in Archiepiscopum elegissent, & venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha electionem confirmasset ipsius & in Episcopum consecrasset, eumque direxisset ad regimen Ecclesiæ memoratæ, .. Rector Venetorum, qui domos, possessiones, thesaurum, & alia bona dictæ Ecclesiæ occuparat, non permisit eundem Duraciensem ingredi civitatem nec in ejusdem territorio commorari, & cùm quadam vice tamquam extraneus eandem civitatem intrasset, ipsum per suos satellites recedere coëgit ab illa; propter quod accedens Venetias, à nobili viro Duce Venetorum & Consiliariis ejus humiliter petiit ut archiepiscopatum prædictum ipsum permitterent liberè possidere; sed iidem non solùm preces non admiserunt ipsius, verùm etiam noluerunt aliquatenus sustinere quòd ipsum quisquam Archiepiscopum nominaret, asserentes neminem in suo districtu nisi Venetum debere vel posse perfrui ecclesiastica dignitate, nisi forsan de ipsorum consensu extiterit ordinatus. Cùm igitur hæc, si vera sunt, in præjudicium sint libertatis ecclesiasticæ attentata, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictos Ducem & populum Venetorum ut ipsum in archiepiscopatu prædicto, prout ad ejus officium pertinet, permittant liberè ministrare, præcipientes Rectori & Venetis apud Duracium commorantibus ut restitutis bonis Duraciensis Ecclesiæ universis, eidem super archiepiscopatu præfato & pertinentiis ejus nullam inferant molestiam vel gravamen, moneatis prudenter & efficaciter inducatis, ipsos adhoc, nisi aliquid rationabile quare id fieri non debeat objectum fuerit & ostensum, per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij xv. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ALBANIENSI EPISCOPO.

Epist. 95. De eadem re.

EX litteris venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum quòd cùm Ecclesiæ Duraciensis Canonici eundem in Archiepiscopum elegissent, & venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha ectionem &c. *ut in alia usque* Rector Venetorum apud Duracium commorantium &c. *ut in alia usque* recedere coëgit ab illa. Cùm igitur hæc, si vera sunt, in præjudicium sint libertatis ecclesiasticæ

attentata, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratum Rectorem & Venetos apud Duracium commorantes, ut restitutis bonis Duracienſis Ecclesiæ universis, eidem super archiepiscopatu præfato & pertinentiis ejus nullam inferant molestiam vel gravamen, prudenter moneas & inducas, ipsos ad hoc &c. *ut in alia usque* compellens. Datum Viterbij xv. Kal. Septembris, anno duodecimo.

NOBILI VIRO MICHALICIO Cuminiano Romaniæ.

Epist. 96. Super eadem materia.

SI te servum recognoscis illius qui servos suos adoptat in filios & coronat in Reges, ipsius sponsam, quæ à dextris ejus in vestitu deaurato consistit, non solùm te convenit non offendere, verùm etiam honoribus prævenire. Inde est quòd nobilitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus venerabilem fratrem nostrum Duracienſem Archiepiscopum possessiones quas ejus Ecclesia in terra tua obtinere dinoscitur permittas pacificè possidere, fructus quos ex illis à morte prædecessoris ipsius diceris percepisse sibi restituens universos, ejus intuitu qui bonum irremuneratum aliquod non relinquit & malum non præterit impunitum. Datum Viterbij xvi. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ABBATI SANCTI PETRI de Lingrariga, & Archidiacono Duracienſi.

Epist. 97. De eadem re.

QVerelam venerabilis fratris nostri Duracienſis Archiepiscopi recepimus continentem quòd nobilis vir Dametrius judex Albanorum quasdam possessiones Ecclesiæ suæ ac alia bona contra justitiam detinet occupata. Vnde ipsi nostris dedimus litteris in mandatis ut possessiones ipsas & alia cum fructibus perceptis ex eis Archiepiscopo memorato restituat, ut tenetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus Dametrius quod mandavimus neglexerit adimplere, vos eum ad restitutionem ipsorum per censuram apostolicam appellatione remota justitia mediante cogatis. Datum Viterbij xvii. Kal. Septembris, anno duodecimo.

Scriptum est eidem nobili super hoc. Datum ut in alia.

MARTINO ABBATI ET fratribus monasterij sanctæ Mariæ de Serena.

Epist. 98. De revocatione alienationum.

IN nostra præsentia constitutis tibi, fili Abbas, & dilecto filio F. venerabilis fratris nostri Episcopi Lucani procuratori de rato litteras exhibenti audientia benigna concessa, tu alienationem integræ medietatis Podij castelli, curtis de Monte castello, cum omnibus casis, casalinis, terris, & rebus ad prædictum castellum & ejus curtem pertinentibus, & cum omnibus casis, casalinis, terris, & rebus quas dictum monasterium ullo modo habet vel requirere potest à Cecina usque ad Arnum & usque ad Elsam, scilicet in curte de colle Carelli, & in loco & curte de Taverle, ac in curtibus de Padule, de Capanule, de sancto Petro de Camuliano, de Ceule, de Perignano, de Lucagnano, de Lavaiano, de Miliano, de Aqui, de Morrono, de Scupeturo, & de Cumulo, à Guidone prædecessore tuo Lucano Episcopo dudum factam petiisti humiliter revocari, allegans venditionem ipsam in enormem monasterij læsionem, cùm ultra quintuplum fuerit tunc deceptum, & contra formam canonicam, utpote cui nec superioris auctoritas, id est, Romani Pontificis, cui nullo medio suberat, nec consensus seu subscriptio monachorum accessisse dinoscitur, attentatam. Ad quod procurator Episcopi sic respondit, quòd dicta venditio non in monasterij detrimentum sed utilitatem potiùs facta fuit, cùm de centum libris denariorum veterum solutorum pro ipsa, qui longè cariores erant usualibus denariis qui nunc currunt, utiliores possessiones ad opus monasterij emptæ fuerint, & residivi in ejusdem loci utilitatem conversi. Præterea de consilio fratrum & fidelium monasterij dictus prædecessor tuus ad hujusmodi alienationem processit, sicut evidenter arguitur ex instrumenti tenore super ipsa confecto. Sed hoc ultimum tu prorsùs inficians, ad id quod præmissum est respondebas quòd licèt Abbas in instrumento profiteatur venditionem hujusmodi se fecisse de fratrum suorum & fidelium voluntate, de illorum tamen assensu non constat, quem interessisse tabellio non testatur. Adjecit insuper procurator quòd cùm Ricoverus olim Abbas ejusdem loci movisset super hoc Lucano Episcopo quæstionem, & bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster Wlterrano Episcopo & Priori sancti Fridiani Lucanensis & magis-

tro I. Pisano Canonico, quibus causam ipsam commiserat, injunxisset ut ante omnia laborarent ad compositionem amicabilem faciendam, per quosdam prudentes viros fuit compositum inter eos, ita quòd dictus Abbas trecentis & duabus libris ab Episcopo de novo receptis, de consilio & assensu G. Presbyteri Ecclesiæ sancti Blasij de Bibon, ut dicebatur, ad monasterium pertinentis, & Rusticelli Castaldionis, Hugolini Guidonis, & quorundam aliorum fidelium ejusdem monasterij, ut dicebant, finem, refutationem, transactionem, & pactum de non petendo fecit de omnibus supradictis. Processu quoque temporis inter Lucanum Episcopum & monasterium tuum super præmissis quæstione suborta, coram Abbate sanctæ Mariæ de Masio & Mercato judice arbitris electis à partibus Aimericus Abbas prædicti loci, sexaginta octo libris ab Episcopo Lucano receptis, cum consilio & assensu H. monachi, A. conversi, & laicorum quorundam fidelium monasterij, ut dicebant, eo modo quo Ricoverus Abbas fecerat omnia refutavit. Vnde cùm compositionem prædictam idem prædecessor noster postmodum confirmarit, suam ad id intelligitur præstitisse auctoritatem; præsertim cùm usque adeo conventionem illam duxerit approbandam ut confirmationis suę litteris tenorem ejus de verbo ad verbum fecerit annotari. Præterea coram magistris B. & C. Pisanis Canonicis judicibus delegatis à nobis ad observationem compositionis ipsius pœna interposita te astrinxisse dicebat. Vnde firmiter asserebat te contra venditionem & compositiones prædictas nullatenus audiendum, sed potiùs condemnandum ad pœnam tam in alienationis contractu quàm in compositionibus comprehensam. Verùm ex parte tua fuit ad præmissa responsum quòd per compositiones hujusmodi lædi monasterium non debebat, tum quia ipsis quæ speciem alienationis prætendunt nec superioris auctoritas nec Capituli consensus accessit, tum etiam quia etsi prædicti Abbates pecuniam componendo receperint, nihilominus tamen monasterium tam in prima compositione quàm etiam in secunda ultra quadruplum lædebatur. quod facilè probari posse dicebas. Sed nec obstare poterat confirmatio prælibata, utpote per nimiam ejusdem prædecessoris nostri occupationem obtenta; qui licèt tenorem compositionis jusserit annotari, cùm tamen deprehendere nequiverit ex eodem quàm graviter monasterium lædebatur, absque alterutrius partis injuria vel jactura confirmationem illam intelligitur concessisse. Sic etenim in jure civili reperitur expressum, quòd si quis à Principe simpliciter impetraverit ut in publico loco ædificet, non est intelligendum ut cum incommodo alicujus id fiat, nisi forsan & hoc fuerit impetratum. Et ideo cùm rescriptum contra jus elicitum, nisi tale sit quod petenti prosit nec lædat alium, ab omnibus debeat refutari, ex confirmatione hujusmodi dictus Episcopus commodum consequi non debebat. Præterea irrefragabili argumento videbaris ostendere quòd intentionis prædecessoris nostri non extitit compositionem prædictam in dispendium monasterij confirmare. Cùm enim post modicum temporis dictus prædecessor tuus, qui prædicta distraxerat, super diversis fuisset excessibus incusatus, & Suanensis Episcopus de mandato ejusdem prædecessoris nostri inquisisset super illis plenius veritatem, ac pro eo præcipuè quod confessus est coram eo se medietatem Montis Castelli & trium villarum pro trecentis duodecim libris & una cultra Lucano Episcopo vendidisse, ipsum ab administratione removerit abbatiæ, dictus prædecessor noster quod à Suanensi Episcopo factum fuerat approbando mandavit ut quamvis venditionem factam Lucano Episcopo confirmasset, nihilominus tamen idem Episcopus super possessionibus ab Abbate prædicto emptis taliter cum substituto componeret ne ad eum propter id querimonia perferretur. Fuit insuper ex tua parte propositum quòd monasterio nocere non poterat quòd tu nuper compositionem ipsam promisisti coram supradictis delegatis à nobis judicibus observare, cùm hoc nimis incautè in monasterij læsionem absque nostra & tui Capituli conniventia promisisses. Sed ad hoc pars altera respondebat quòd etsi à principio consensum Capituli non habuerit, postea tamen litteras super hoc obtinuit ab eodem, licèt non fuerint judicibus præsentatæ. Verùm tu hoc prorsùs inficians allegasti quòd cùm nobis de promissione hujusmodi postea constitisset, nos nolentes quòd incuria vel delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundaret, dictis dedimus judicibus in præceptis ut juxta mandati nostri tenorem in negotio procedere non tardarent. Sed nec quadragenaria præscriptio, de qua, licèt perfunctoriè, mentio facta fuerat, locum sibi poterat contra monasterium vendicare: quia licèt quia-

quaginta & unus anni à tempore venditionis elapsi sint, quia tamen cùm quarto anno pontificatus ejusdem C. prædecessoris nostri coram judicibus à sede apostolica delegatis super prædictis possessionibus lis fuerit contestata, tam quatuordecim anni à tempore motæ litis elapsi quàm etiam tempus vitæ illicitè alienantis debent juxta sanctiones canonicas de computatione subduci, residuum temporis ad quadraginta annorum limitem non accedit. His igitur & aliis intellectis quæ tam tu quàm pars altera proponere curavistis, de fratrum nostrorum consilio tam alienationem quàm compositiones etiam supradictas duximus revocandas, procuratorem prædictum super iis sententialiter condemnantes, ita videlicet ut tam ad recuperationem supradictæ pecuniæ quàm etiam expensarum quæ pro melioratione rerum monasterij forsitan factæ sunt idem Episcopus, cùm voluerit, suam justitiam prosequatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 1 v. Idus Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

EPISCOPO ET F. ET V. Archidiacono Salamantino.

Epist. 99. Confirmatur sententia lata pro monasterio Colimbrienſi.

INuer dilectos filios Priorem & conventum monasterij sanctæ crucis Colimbrienſis ex parte una & M. & I. Presbyteros, G. I. P. & M. Diaconos & P. I. & M. ac quosdam alios Clericos Capellæ monasterij memorati ex altera, quos ad præsentationem eorundem Prioris & fratrum ad titulum ipsius monasterij dicebatur venerabilis frater noster Colimbrienſis Episcopus ordinasse, super ordinatione ipsorum & restitutionis sententia à dilecto filio magistro P. Priore sanctæ Mariæ Montis majoris & conjudicibus suis auctoritate nostra lata pro eis exorta materia quæstionis, post altercationes multiplices & varias allegationes propositas coram venerabili fratre nostro Episcopo & dilectis filiis Decano & Cantore Zamorensibus, quibus ultimò commisimus causam ipsam, quasdam ejusdem Colimbrienſis Episcopi litteras exhibuerunt duo ex Clericis memoratis, videlicet P. Bartholomæi & I. Nunonis, in quibus continebatur expressè quòd P. Colimbrienſis Episcopus ad titulum monasterij sanctæ crucis & præsentationem Prioris & conventus ejusdem promoverat quosdam Clericos, unum in Presbyterum, & alios in Diaconos & Subdiaconos & Hostiarios, quorum nomina in suis litteris exprimebat, inter quæ videbantur præscriptorum Clericorum nomina contineri, quibus in ejus præsentia competens fuerat beneficium repromissum. Cùmque fuisset à Priore & fratribus allegatum easdem litteras nunquam de conscientia Episcopi emanasse, ac super hoc fuisset aliquandiu litigatum, in hoc demum partes pariter convenerunt, abrenuntiatis omnibus quæ gesta erant in causa, ut si Colimbrienſis Episcopus tenorem recognosceret litterarum, ipsi judices juxta suum arbitrium facerent Clericis ipsis, pro quibus prædicta sententia lata fuerat, in monasterio provideri; si verò non recognosceret tenorem earum, ex toto absolverent Priorem & conventum ab impetitionibus Clericorum. Cùm autem judices certiorari per dictum Episcopum petissent, licèt Episcopus nimis obscurè primitus rescripsisset, postmodum tamen minùs intricatè respondit hoc modo. *Recordamur quosdam Clericos Ecclesiæ sanctæ crucis ad titulum monasterij & præsentationem duorum vel trium Canonicorum ejusdem loci promovisse ad ordines ac eisdem super ordinatione sua nostras litteras concessisse; sed qui fuerint, & an litterarum tenor de nostra conscientia emanaverit, non recolimus.* Super hujusmodi verò responsione conscribi fecit idem Episcopus tria paria litterarum; quarum unum sæpedictorum Clericorum parti & aliud Prioris & fratrum nuntio assignavit, apud se ad cautelam tertio reservato. Verùm cùm utraque pars traditas sibi ab Episcopo litteras judicibus præsentasset, pars Prioris & fratrum asseruit litteras Colimbrienſis Episcopi Clericis traditas per eosdem fuisse falsatas, cùm in eo loco in quo scriptum fuerat *utrum litterarum tenor de nostra conscientia emanaverit, non recolimus*, loco negativæ particulæ affirmativa particula, videlicet *etiam*, litteris quibus utebantur Clerici poneretur. Porrò cùm tam super hoc articulo quàm etiam super alio, an videlicet ex iis quæ rescripsit Episcopus recognovisset continentiam litterarum, fuisset utrinque diutiùs allegatum, judices de consilio peritorum sententiando dixerunt Episcopum sæpedictum litterarum recognovisse tenorem, Priori & fratribus injungentes ut prædictis duobus Clericis providerent juxta formam in authentico eorundem expressam, pro ceteris sententiam confirmationis quam tulerant super prædicta restitutionis sententia, sed ad tempus se suspendisse fatebantur eandem, in statum pristinum reducendo, & præci-

piendo eam firmiter obſervari. Quorum ſententiam magiſter I. monaſterij procurator nuper apud ſedem apoſtolicam conſtitutus coram dilecto filio noſtro Pelagio ſanctæ Luciæ ad ſepta ſolis Diacono Cardinali, quem ipſi & prædicto Iohanni Nunonis procuratori Clericorum ipſorum auditorem conceſſimus, petiit revocari, allegans eos contra conventionis ſeu compromiſſi tenorem ſententiam protuliſſe; quia cùm Colimbrienſis Epiſcopus ſcripſerit ſe non recolere an litterarum tenor de ſua conſcientia emanaſſet, ergo an is tenor litterarum fuerit dubitavit; ergo tenorem ipſum minimè recognovit; & ideo mandare judices nequiverunt ſupradictis Clericis provideri, utpote conditione in compromiſſo appoſita non extante. Propoſuit inſuper manifeſtè conſtare litteras quas judicibus Clerici ſupradicti obtulerant fuiſſe falſatas, cùm litterarum tenor quas nobis nuper Colimbrienſis Epiſcopus ſuper eodem facto tranſmiſit litteris quibus pars monaſterij uſa fuerat, ſicut idem Epiſcopus aſſerit, omnino concordet, à quibus Clericorum litteras non eſt dubium diſcordaſſe. Ceterùm procurator Clericorum eaſdem litteras fuiſſe falſatas prorsùs inficians, proponebat alterius tenoris fuiſſe litteras quibus monaſterium uſum fuerat quàm ſint illæ quas ad nos Epiſcopus deſtinavit, adiciens quòd etſi ejuſdem tenoris forſitan extitiſſent, contra ſententiam tamen auctoritate apoſtolica promulgatam in præjudicium Clericorum credendum non erat Epiſcopo in hac parte, cùm non juratus extra judicium teſtimonium dederit, & ſit in aſſertione propria ſingularis, & ideo ſibi ſoli credendum non erat, quantacunque fulgeat dignitate. Allegavit præterea compromiſſi verba non captiosè, ſed ſanè potiùs eſſe intelligenda, ut ſcilicet verba negativè concepta in affirmationem reſolvantur hoc modo; ſi Epiſcopus tenorem recognoſceret litterarum, ſecundùm arbitrium judicum provideretur Clericis memoratis; ſi verò non recognoſceret, ideſt, ſi recognoſceret non fuiſſe illam continentiam litterarum, Prior & fratres ab impetitione abſolverentur ipſorum. Et hæc interpretatio videbatur meritò admittenda, tum quia negantis factum per rerum naturam nulla eſt probatio juxta legitimas ſanctiones, tum quia multi potuiſſent caſus occurrere in quibus Epiſcopus non recognoviſſet continentiam litterarum; ut ſi forſitan interim fuiſſet mortuus, vel mutus ſeu mente captus effectus, aut in remotis partibus agens, vel etiam præſens, & requiſitus nollet aliquatenus reſpondere; & ſic Clerici debita fuiſſent proviſione fruſtrati, quod intentioni tam partis quàm judicum obviaſſet. Adjecit etiam quòd illa verba, *Si Epiſcopus tenorem recognoſceret litterarum*, non ad verborum ſeriem ſed ad factum de quo in litteris agebatur erant potiùs referenda. Vnde cùm Epiſcopus dixerit ſe recolere quoſdam Clericos Capellæ ſanctæ crucis ad præſentationem quorundam fratrum ejuſdem loci ad titulum monaſterij ordinaſſe ac dediſſe litteras ordinatis, oblatas ſibi litteras ſuper quibus erat contentio recognoſcens proprio ſigillo munitas, licèt dixerit ſe non recolere an litterarum tenor de ſua conſcientia emanaſſet, tenorem recognoviſſe intelligitur litterarum quas veras & authenticas reputabat; ſicut ſi aliquæ nobis littere offerrentur noſtra bulla munitæ, quæ nec raſæ nec cancellatæ nec abolitæ viderentur in aliqua ſui parte, neque vitium appareret in filo, ſtilo, charta, vel bulla, nec inhoneſtum continerent aliquid vel iniquum, etſi non eſſemus memores ſic fuiſſe in facto proceſſum quemadmodum litterarum ſeries contineret, quia omnium habere memoriam divinum eſt potiùs quam humanum, procul dubio litteras approbaremus eaſdem, & per conſequentiam earundem intelligeremur continentiam approbare. His igitur & aliis coram prædicto Cardinale propoſitis pleniùs intellectis, de fratrum noſtrorum conſilio ſententiam prædictorum judicum Zamorenſium approbantes, illam auctoritate apoſtolica confirmamus. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus eandem ſententiam faciatis appellatione remota inviolabiliter obſervari, contradictores, ſi quos inveneritis, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum Viterbij III. Non. Auguſti, anno duodecimo.

CANONICIS REGVLARIBVS Eccleſiæ beati Petri de Torgatona.

Epiſt. 100. De Canonicis inſtituendis in Eccleſiis parochialibus.

CVm à ſede apoſtolica poſtulatur quod æquitati ſit conſonum & conveniat rationi, ad concedendum debemus prompti & faciles inveniri & juſta poſcentium vota propenſiori cura & ſollicitudine promovere; ut tanto in amorem & devotionem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ferventius exardeſcant quanto ſe cognoverint majo-

rem apud eam affectionem & gratiam inveniſſe. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri auctoritate vobis apoſtolica indulgemus ut in Eccleſiis veſtris, cùm vacaverint, liberum ſit vobis quatuor vel tres ad minus de Canonicis veſtris inſtituere, ex quibus unum dioceſano Epiſcopo præſentetis ut ab eo curam ſuſcipiat animarum, & vobis de temporalibus, illi verò de ſpiritualibus debeat reſpondere. Decernimus ergò ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei &c. *uſque* ſe noverit incurſurum. Datum Viterbij III. Non. Septembris, pontificatus noſtri anno duodecimo.

SOFFRIDO PISTORIENSI Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 101. De confirmatione privilegiorum.

QVoniam univerſalis Eccleſiæ curam Deo, prout ipſi placuit, diſponente ſuſcepimus, oportet nos fratres noſtros Epiſcopos ampliori caritate diligere & Eccleſias eorum gubernationi commiſſas protectione ſedis apoſtolicæ communire, quatinus tam eis quàm Eccleſiis quæ ipſorum regimini ſunt commiſſæ ſub apoſtolica tuitione manentibus, & Apoſtolorum principis patrocinium contra pravorum incurſus adeptis, & ipſi officij ſui proſecutioni valeant propenſiùs imminere, & commiſſæ ipſorum paſtioni oves dominicæ vitæ pabulum apud eos, ceſſantibus pravorum moleſtiis, uberiùs & quietiùs poſſint jugiter invenire. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater Soffride Piſtorienſis Epiſcope, & tuæ honeſtatis & antiquæ devotionis qua Piſtorienſis Eccleſia ſemper in apoſtolicæ ſedis reverentia & veneratione permanſit conſideratione inducti, ad exemplar felicis recordationis Vrbani, Paſchalis, Innocentij, Anaſtaſij, Alexandri, & Vrbani tertij prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum eandem Eccleſiam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Sancimus etiam ut dioceſis Piſtorienſis epiſcopatus, ſicut ejus termini prædictorum prædeceſſorum noſtrorum privilegiis diſtincti ſunt, ſic in jure & conditione Piſtorienſis Epiſcopi ſine alicujus moleſtia vel inquietudine perſeverent; per quos minirum terminos ſubſcriptæ Capellæ & Eccleſiæ conſtitutæ eſſe noſcuntur, Capella videlicet de Capraria, Capella hoſpitalis de Roſaria, plebs de Maſſa, Capella de Vincio, Capella de Bucuniano, Capella de Caſtellonovo, Capella ſancti Martini in Monteculli, Capellæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Colle, Capella de Valazano, Capella de Verruca, ſuper quam præfati prædeceſſoris noſtri Vrbani poſt tertiam & quartam diſcuſſionem eſt prolata ſententia, Capella hoſpitalis de Fanano, Capella Prati Epiſcopi, Capella de Rotie, Capella de Cerbaria, Capella Montiſacuti, Capella de Inſula, Capella ſancti Salvatoris ſita prope Pratum juxta flumen Biſentium, Capella ſancti Martini in Coiano, curtem etiam quæ vocatur Pavana infra Piſtorienſem comitatum cum caſtello Sambucæ infra curtis confinia conſtructo, ſanctæ Piſtorienſi Eccleſiæ confirmamus, ſicut à vederabilis memoriæ Comitiſſa Mathilde beati Petri filia poſt diù examinatam à compluribus judicibus ac juriſperitis actionem per judicium Bernardi S. R. E. Preſbyteri Cardinalis & jamdicti Paſchalis Papæ Vicarij in manus dignæ recordationis Ildebrandi prædeceſſoris tui & fratrum ejus reſtituta eſſe cognoſcitur. Porrò decimationes de Montemurlo, de Prato, de ſancto Paulo, de Colonita, de Montemagno, de Caſale, de Lamporeclio, de Creti, de Spanareclio, quas de laicorum manibus ſolertia prædicti prædeceſſoris tui eripuit, nullus unquam ab Eccleſiæ jure & Clericorum uſibus alienare præſumat. Idipſum de ceteris curtibus prædiiſve præcipimus quæ hodie in Eccleſiæ Piſtorienſis poſſeſſione perſiſtunt, videlicet de Lizano, de Mammiano, de Caumana, de Batoni, de Satornana, Brandellio, Piſcia, Groppule, Vinaciano, Tobiano, publica ſilva mortua, Vizule, Plathaneze, Celleri, & de terra ſita infra epiſcopatum Bononienſem, quam tenuerunt homines de Valle Biderla, curte de Spalliolo. Inſuper confirmamus vobis plebem ſancti Hippolyti in Alpe, plebem ſancti Laurentij, plebem in Montemurlo, plebem de Villiano, plebem ſancti Quirici, plebem in Monte Cucculi, plebem in Satornana, plebem de Brandellio, plebem de Caumana, plebem ſancti Marcelli, plebem de Lizano, plebem

Vide in Ital. ſec. 359.

bem de Popillio, plebem de Pitellio, plebem de Furfalo, plebem de Celle, plebem de Calloria, plebem de Vinaziano, plebem de Massa, plebem de Creti, plebem de Lamporecelo, plebem de Limite, plebem de Artimino, plebem de Seiano, plebem de Quarrata, plebem de Montemagno, plebem de Tobiano, plebem sancti Hippolyti, plebem sancti Pauli, plebem de Aiolo, plebem sancti Iusti, plebem de Colonica, in Prato plebem sancti Stephani. Ad hæc adicientes sancimus ut occasione privilegij quod Pratenses à Romana Ecclesia se habere congaudent, nulla injuria vel diminutio aut inobedientia matri suæ Pistorienſi Ecclesiæ seu cuilibet supradictarum plebium, videlicet sancti Pauli, sancti Hippolyti, sancti Petri de Aiolo, sancti Iusti, & de Colonica, vel alicui in aliquo inferatur, nec Pratensis Ecclesia vel Clerici ipsius loci eodem scripto contra justitiam vel dignitatem aut obedientiam Ecclesiæ seu Episcopi Pistorienſis utantur, sed quemadmodum prædecessorum nostrorum Vrbani, Paschalis, Innocentij, & Alexandri, atque aliorum, seu etiam bonæ memoriæ Petri & Ildebrandi Pistoriensium Episcoporum tempore extitit, ita jamdicta Pratensis Ecclesia absque aliqua diminutione potestatis aut dignitatis Pistorienſis Ecclesiæ vel Episcopi, eis in omnibus & per omnia obediens & subjecta permaneat. Prohibemus insuper ne infra episcopatum tuum ullus Ecclesiam vel oratorium sine assensu tuo vel successorum tuorum de novo construere audeat. Salvis tamen privilegiis Romanæ Ecclesiæ. Liceat quoque tibi & successoribus tuis baptismales Ecclesias in eodem dioceſi constituere, si necessitas visa fuerit imminere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Pistorienſem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra & illibata serventur tam tuis quàm tuorum fratrum & pauperum usibus profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque in finem.* Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XIV. Kal. Novembris, Indicione XIII. incarnationis dominicæ anno MCCVIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 102. De conversione Fialandæ.

EX tuarum perpendimus serie litterarum quòd cùm quædam terra quæ Fialanda dicitur operante patre luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit, nuper quorundam nobilium mediante sollicitudine ad fidem conversa sit Christianam, in qua modò puer Iesus proficit sapientia & ætate, Episcopo ejusdem terræ, postquam in propagatione catholicæ fidei cursum suum ibidem legitimè consummavit, ad cœlestis remunerationis bravium evocato, nullus est ei hactenus substitutus. Nam cùm propter novellam plantationem & ejusdem regionis hominum pertinaciam ac loci etiam intemperiem electus ibidem non ad honorem assumptus sed expositus martyrio reputetur, nullus ferè ad illius regimen sedis aspirat nisi qui divini verbi zelo succensus pati exoptat pro Christi nomine cruciatus. Verùm cùm vir quidam moribus, ut asseris, & ætate maturus & scientia & virtutibus redimitus, qui propter verbum Dei, quod populo illi aliquandiu prædicavit, ab eis plura jam sustinuit piacula passionum, ad illius Ecclesiæ regimen sit vocatus, ut sic præsit aspirans ad illud quòd magis consequatur martyrium quàm honorem, ipsi, ex eo quòd non est de legitimo matrimonio natus, sine licentia nostra munus consecrationis impendere noluisti. Cùm igitur urgens exposcat necessitas & evidens utilitas id requirat, nobis humiliter supplicasti ut cum eo dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur tuis postulationibus inclinati, per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, cum eo vice nostra dispenses, injungens eidem ut, sicut incepit, eandem novellam plantationem informet verbo pariter & exemplo & insistere studeat diligenter ad extirpandum paganitatis errorem & terminos Christianæ fidei dilatandos; quia licèt omnes virtutes ad bravium, sola tamen perseverantia coronatur. Datum Laterani III. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

ILLVSTRI REGI DACIÆ.

Epist. 103. Suadetur ut pugnet adversùs paganos.

SVggestor scelerum serpens antiquus, qui semper quærens quem devoret, tamquam leo absorbet fluvium nec miratur, habens fiduciam quòd Iordanis influat in os ejus, quosdam jumentis insipientibus, quibus verè sunt similes, comparandos adeo excœcavit quòd factorem suum, qui pelle ac carnibus illos vestit, nervisque compactis & ossibus vitam & misericordiam eis dedit, penitùs ignorantes, reverentiam exhibent creaturæ quam deberent impendere creatori, & damnabiliter idolorum cultibus inhærentes, Christiani nominis professores abhorrent, eosque qui sibi prædicant verbum Dei tamquam maleficos persequuntur. Licèt autem adversùs hujusmodi barbaras nationes regno tuo conterminas prælium Domini præliando multos sæpe labores sustinueris & expensas, nuper tamen imber divinæ gratiæ terram cordis tui sanctæ prædicationis vomere diligenter excultam adeo fœcundavit quòd divinæ zelo legis accensus apprehendere arma & scutum iteratò proponis, ut juxta parabolam evangelicam debiles & infirmos, cœcos & claudos ad nuptias summi Regis intrare compellas, tractisque barbaris nationibus in sagenam fidei orthodoxæ, illuc viror junci & calami valeat suboriri ubi habitaverant hactenus strutiones. Nos igitur tuum propositum in Domino commendantes, devotionem regiam monemus attentiùs & hortamur, & in remissionem tibi peccaminum injungimus quatinus amore illius qui captivitatem nostram sua duxit virtute captivam, ad extirpandum paganitatis errorem & terminos Christianæ fidei dilatandos viriliter te accingas, neque timeas passiones hujus seculi, quæ condignæ non sunt ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, sed in forti brachio & extento confundas cum suis idolis spurcitiam paganorum, ac tamquam strenuus miles Christi fortiter & potenter in hujus certaminis agone contendas, gloria sempiterna, quæ in cor hominis non ascendit, si legitimè certaveris, coronandus. Datum Laterani 11. Kal. Novembr. &c. *ut in alia.*

OTTONI ILLVSTRI Romanorum Imperatori semper Auguſto.

Epist. 104. De eodem argumento.

SVggestor scelerum serpens antiquus &c. *ut in alia usque* persequuntur. Licèt autem charissimus in Christo filius noster Waldemarus Rex Danorum illustris adversùs hujusmodi barbaras nationes regno suo conterminas prælium Domini præliando multos sæpe labores sustinuerit & expensas, nuper tamen imber divinæ gratiæ terram cordis ejus sanctæ prædicationis vomere diligenter excultam adeo fœcundavit quòd idem zelo divinæ legis accensus apprehendere arma & scutum iteratò proposuit &c. *ut in alia usque* hactenus strutiones. Sed quoniam Rege ipso in tam sancta peregrinatione profecto quidam Theutonici regnum ejus crudeliter devastarunt, ex eo forsan sumentes audaciam delinquendi quòd Rex absens eorum non poterat incursibus obviare, idem nobis devotissimè supplicavit excellentiam tuam nostris litteris admoneri ut ex tua fiat permissione securus quòd quandiu fuerit in executione peregrinationis ejusdem, ipsum ab æmulis & persecutoribus regni sui sub imperiali potestate degentibus non oporteat formidare. Cùm autem idem Rex nostris exhortationibus invitatus magnificentiæ tuæ semper in necessitatibus tuis astiterit, tuumque procuraverit incrementum modis quibus potuit & honorem, decet imperialem excellentiam, tum ex hoc, tum etiam quia pergit in servitium Iesu Christi, tuum favorem impendere ac ipsius petitioni præstare consensum. Monemus igitur celsitudinem tuam attentiùs & hortamur quatinus universos tibi subditos ab ejusdem regni molestatione ita cohibeas & refrænes quòd pium ipsius Regis propositum propter infestationem ipsorum non possit vel non debeat impediri, sed interim regnum ejus taliter assecures quòd hujus peregrinationis particeps effici merearis, & tam Regem ipsum quàm alios qui audierint te ipsi vices debitas impendisse per hoc devotiùs ad servitium imperatoriæ sublimitatis inclines. Quod autem super hoc duxeris faciendum, imperialis nobis celsitudo rescribat. Datum Laterani 11. Kal. Novembris &c. *ut suprà.*

In eundem modum scriptum est universis Christi fidelibus in regno Daciæ constitutis, usque strutiones. Nos ergo pium ipsius Regis propositum in Domino commendantes, universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, vobis in remissionem peccaminum injungentes quatinus amore illius qui captivitatem nostram &c. *usque* dilatandos, cum ipso Rege vos viriliter accingatis, neque timeatis passiones hujus seculi, quæ condignæ non sunt ad futuram gloriam quæ in nobis revelabitur, sed in forti brachio & extento confundentes cum

idolis suis spurcitiam paganorum, Regi vestro taliter assistatis quòd tamquam strenuus miles Christi fortiter & potenter in hujus certaminis agone contendat, pro tam sanctæ peregrinationis labore retributionis æternæ præmium recepturi. Datum Laterani 11. Kal. Novembris, anno duodecimo.

LITTERÆ MISSÆ Domino Papæ.

Epist. 105. De negotio terræ sanctæ.

REverentissimo in Christo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia sanctæ sedis apostolicæ summo Pontifici I. Salembrienſis, P. Panedocensis, I. Galiopolensis Episcopi, licèt indigni, tam promptum quàm devotum famulatus obsequium. Sanctitatem vestram scientes nullis in sua velle deesse justitia cunctisque qui vestræ protectionis implorant subsidium pro qualitate suæ petitionis libenter velle semper adesse, quanto magis obedientiæ filium vestræ propitiationis gratuitudine credimus confovendum, tanto minùs judicamus alicui fore tutum si vel remissus pro viribus adimplere non curaverit quod pro justitia vestra paternitas ei jusserit faciendum. Proinde cùm detractoribus, Pater sanctissime, sit à quolibet qui Deum rectè colit & sanctorum patrum regulas custodire dinoscitur studiosiùs & vivaciter occurrendum, Domino Patriarchæ Constantinopolitano qualiter quod in vestris super institutione sanctæ Sophiæ recepit in mandatis fuerit efficaciter prosecutus, ne miscendo falsa veris pestifera maledicorum pernicies vitam maculet innocentis & justus extimetur injustus, testimonium perhibendum duximus veritatis. Litteras igitur ad eundem super causa quæ vertebatur inter ipsum & Clericos peregrinos qui Constantinopolim convenerant moraturi cùm vestra paternitas destinasset, eas, sicut in veritate recognovimus, ea qua debuit devotione suscepit, nosque licèt indignos Episcopos & alios festinanter ad se, secundùm quod earundem litterarum tenor comprehendebat, convocavit. Verùm quia temporis asperitas alios qui de longinquo vocati fuerant ad ejus vocationem venire prohibuit, nobis & aliis quibusdam, quos sibi fideliter consulturos sperabat, in sua præsentia constitutis, litteras quas ex parte vestra susceperat, ut ex omni parte, licèt ejus sufficientia super hoc interprete non indigeret, certiùs per vestrum posset irreprehensibiliter adimplere mandatum, præsentavit & fecit perlegi diligenter, à nobis consilium postulans instantissimè super eo quòd præter eos quos Dominus Benedictus institutos à se Canonicos & à Domino Petro Cardinale nominatim recipi præceperat, contra quos & nullos alios qui sanctæ Sophiæ Canonicos à prædictis Cardinalibus se dicerent institutos, ad vestram per appellationem confugerat audientiam, de quibus tantùm vestra præceptio quæ facta fuerat à partibus per ordinem memorando satis apertè, secundùm quod arbitramur, faciebat mentionem, nullis aliis etiam ad examen vestræ sanctitatis, qui contra Dominum Patriarcham super canonicatum sanctæ Sophiæ moverent querimoniam per se vel per suos nuntios accedentibus comparebant & alij, qui cùm litteras concessionis canonicatus sanctæ Sophiæ demonstrarent quas à Domino Benedicto tempore sui recessus, sicut creditur, receperant & hactenus occultaverant, vestrum pro se recipiendis, sicut pro aliis qui per se vel per nuntios suos vestro conspectui præsentarunt, ad Dominum Patriarcham firmiter astruebant emanasse rescriptum, cujus tenore dicebant se velle canonicatum repetere nominatum. Quocirca licèt in jamdicto rescripto nullius dubitationis scrupulus esse videretur, ejus tamen tenore vigilantiùs examinato, prout ingenij nostri capacitas potuit comprehendere, nos prædictas rationes considerantes, & quia generalis est & juri conveniens hæc apostolicæ sedis consuetudo quòd de iis tantùm quæ sunt in quæstionem deducta diffiniat ordine judiciario, Domino Patriarchæ consilium quod nobis rectius videbatur dedimus hujusmodi, vestræ non fuisse scilicet intentionis quòd alios Dominus Patriarcha per litteras vestræ sanctitatis recipere teneretur quàm quos Dominus Benedictus à se Canonicos instituit & à Domino Petro Cardinalibus nominatim præceperat recipiendos; qui postquam nostro fuit & aliorum prudentum virorum consilio confirmatus, prosequendi mandatum vestrum festinanter sibi præparans opportunitatem, cunctum clerum civitatis convocavit, coramque nobis & illis præsentibus vestræ dispositionis litteras, quas prima die Iovis intrante mense Novembris se recepisse dicebat, Clericis peregrinis hæc etiam confitentibus in omnium audientiam decimo octavo Kalend. Januarij fecit à quodam suo Capellano publicè recitari; quæ plures continentes excessus quibus ab adversariis suis coram vestra paternitate dictus erat fuisse transgressus, ipsum juraſſe Venetis memorabant quòd in Ecclesia sanctæ Sophiæ nullus nisi foret Venetus vel Venetiis per decennium commoratus institueretur Canonicus, & Canonicos omnes quos in eadem reciperet. Ecclesia ad consimile faciendum cogeret juramentum, firmiter etiam promittens eisdem quòd per totam Romaniam pro posse suo nemo nisi Venetus Episcopus crearetur vel Archiepiscopus. Dicebatur etiam quòd non solùm Cardinalium, verùm etiam jussioni vestræ steterat inobediens, immo, quod deterius est, ut non posset obedire de cetero præstiterat sacramentum. Suam quoque centum milibus marcarum argenti & eo ampliùs expolians Ecclesiam, non solùm dilapidasse, sed & alias, peregrinorum videlicet Ecclesias, bonis suis expoliasse ferebatur. Super quibus omnibus qualiter ab ipso foret procedendum vestræ moderationis provisio cùm statuisset, in eisdem litteris eidem super sacramento præmemorato specialiter duxistis districtiùs præcipiendum quatinus si spontaneus hujusmodi juramentum se fecisse recognosceret, ipsum deberet publicè cunctis præsentibus abjurare, & quòd illud de cetero non servaret, similiter juramento firmaret. Ad quæ Dominus Patriarcha sub hac verborum serie, secundùm quod tam fideliter quàm memoriter potuimus recolligere, vel sub aliis verbis eandem sententiam continentibus respondit dicens: FRATRES, tamquam filius obedientiæ, utpote qui præceptis sedis apostolicæ Dominoque meo Papæ Innocentio cupio semper esse fidelis & devotus existere & ab ejus obedientia pro «

Vide lib. 11. epist. 76. 77.

Vide lib. 11. epist. 76. 77.

Vide lib. 13. ep. 18.

» nulla causa quandoque divertere, coram Deo & » vobis verè protestor quòd hujusmodi sacramen- » tum quod Dominus Papa narrando vobis audien- » tibus me fecisse commemorat in suis litteris non » debeo nec possum spontaneus salva conscientia per » singulas sui partes recognoscere me fecisse, cùm » plura contineat quæ tanto magis distant à verita- » te quanto magis ab adversariis meis ipsa non du- » bito Domino Papæ mendaciter fuisse suggesta. » Nihil enim de promovendis vel non promovendis » Episcopis nisi Veneti forent à me fuit per Vene- » tos vel alios aliquando requisitum, nec aliquam » feci super hoc eis aliquando sponsionem, nec ul- » lum Venetis præstiti sacramentum per quod aliquo » tempore Domino Papæ reverentiam non exhibe- » rem vel exhibere non possem tam debitam quàm » devotam, vel quod in aliquo fuorum mandatorum » mihi licentiam demere videretur ei semper & ubi- » que perfectiùs famulandi. Nihilominus tamen ea » quæ de his quæ per adversarios meos contra me » fuerunt proposita, ne super hæc aliqua dubietas » in cordibus vestris, quæ me vobis suspectum red- » dere possit, ulteriùs remaneat, cum omnimodæ » simplicitatis puritate vobis per ordinem declara- » bo. Me igitur Roma redeunte, priùs quàm Ve- » netias pervenissem, jam deductis iis ad notitiam » Venetorum quæ super Ecclesia sanctæ Sophiæ » communiter & indifferenter omnibus participan- » da Dominus Papa mihi præceperat, Ducis filius » cum suis consiliariis & popularium numerositas » adversùm me, quàm citò Venetiis applicui, tu- » multuosiùs exclamando surrexerunt, mihi quic- » quid factum fuerat imputantes. Dolentes etenim » multùm timere videbantur nos si de natione qua- » libet in Ecclesia jamdicta Canonici fierent indif- » ferenter, eadem quæ mediante pactione quam » Dominus Imperator & ipsi tempore divisionis im- » perij concorditer celebrarunt cesserat in partem » suam, tandem multiplicato numero peregrinorum, » processu temporis ad alios deveniret. Quocirca re- » media laborantes studiosiùs invenire quibus eva- » cuare vel impedire possent quod Dominus Papa » rectè faciendum statuerat, quoddam postularunt » à me sibi fieri sacramentum; quod quia sæpius & » instantissimè requisitus eis facere non consensi, » mihi passagium denegabant & civitatis egressum. » Creditores quoque mei, quibus sacramento tene- » bar Venetiis pecuniam reddere mutuatam, cum » tanta duritia requirebant eandem ut inducias ad » solutionem pecuniæ vel modicas indulgere mihi » nullatenus consentirent; præcipuè cùm recessum » meum, quem Veneti præpedierant, timerent plu- » rimùm retardari; & ita creditorum me coarcta- » bat importunitas ut non soluta pecunia, quam so- » lius adjutus patrimonij facultate restituere non » poteram, nec aliquis qui me vellet ab eorum ma- » nibus absolvere creditor comparebat, mihi, etiam- » si copia recedendi cum passagio concederetur, sine » perjurio recedere non liceret. Ex alia parte præte- » rea vehementissimè perurgebar, pro eo quòd si » quamlibet moram me Venetiis ulteriùs detinere » contingeret, imminere mihi pariter & Ecclesiæ » prævidebam periculum. Nam Veneti properanter » Constantinopolim proficisci jam parati, de basili- » ca sanctæ Sophiæ thesauri residuum quod ibi re- » manserat, de quo mihi debebat & servitoribus » Ecclesiæ in posterum provideri, violenter recipere proposuerant, & hoc se facturos manifestiùs mi- » nabantur. quod jam dicti creditores evenire posse » pertimescentes, prædictum debitum, cùm subla- » to per Venetos memorato thesauro non sperarent » aliunde fore solvendum, fortiùs & instantiùs re- » petebant. Inter hæc igitur mihi diutiùs fluctuanti » de consilio prudentum virorum, quorum satis erat » celebris auctoritas, occurrit nihil aliud consultius » faciendum quàm Venetis facere sacramentum, » per quod eis quoquo modo satisfieri videretur, » & meus Constantinopolim acceleratus accessus » efficeret ut quod ipsi se facturos in absentia mea » nequiter cogitaverant & etiam prædicabant, me » præsente cohibiti facere non attentarent. quod in » veritate, præsentiam meam postmodum reveren- » tes, cum effectu facere nullatenus præsumpse- » runt. per quod etiam sacramentum sedis apostoli- » cæ vigor in aliquo perdere minimè videretur au- » ctoritatem. Juravi siquidem quòd nullus in Eccle- » sia sanctæ Sophiæ per me reciperetur Canonicus » nisi foret Venetus natione vel in Ecclesiis Veneto- » rum decennium commoratus, & quòd neminem » canonicarem qui simile non faceret sacramentum; » non ita tamen præcisè sicut à principio Veneti » postulabant, sed cum tali adjectione; salva scili- » cet obedientia sedis apostolicæ & juramento quod » exhibui Domino Papæ Innocentio, salvoque spe- » ciali mandato quod ipse vel ejus successores mihi » super hoc aliquando demandarent; & operam » me daturum bona fide promisi quod per to- » tam Romaniam nullus promoveretur in Archie- » piscopum nisi foret Venetus. Hæc igitur & » nulla alia quæ spectant ad præsens negotium, » me fecisse salva conscientia spontaneus recognos- » co; quæ, sicut Dominus Papa mihi mandavit, ab- » jurare vobis præsentibus non recuso.] Quibus dic- » tis, manibusque libro superpositis, prædictum sa- » cramentum, & quòd in posterum illud non serva- » ret libenter juramento firmavit, Canonicos etiam » cogens abjurare quod in sua receptione se juraver- » rant servaturos. Quo facto, Clericos omnes super » quibus eum vestrum constabat recepisse manda- » tum, recepit in Canonicos, præter illos quos in- » terim gradus sublimior ad episcopalem vocaverat » dignitatem, taliter quòd illos quos habere potuit » præsentes, omnes in osculo pacis recepit, locum- » que singulis assignans in choro, constanter eisdem » contra quoslibet qui mandato vestro contradicen- » tes eis nocere molirentur usque ad mortem suam » pro viribus se daturum protectionem promisit. » Absentes verò, quos animo jam receperat, se pro- » misit, quando Constantinopolim redierint, cor- » poraliter admissurum, dicens etiam quòd à prin- » cipio, si voluissent ejus consiliis acquievisse, lon- » go jam retro tempore peractum fuisset quod vide- » batur tunc ultimò consummatum. Consequenter, » ut per experientiam super Ecclesiæ communitate » manifestè monstraret semper observare se velle » quod mediante sacramento de vestra jussione pro- » miserat, quendam Clericum natione Placentinum, » qui dicitur magister Blasius, cunctis præsentibus » instituit ibidem Canonicum. Ad ea verò quæ con- » tra ipsum super Ecclesiarum quarundam expolia- » tione dicebantur sic respondit, suum dirigens ad » omnes sermonem: VOBIS universis & singulis » ex parte Dei omnipotentis & sub obtentu fideli- » tatis & obedientiæ quam jam mihi fecistis districtè »

Vide gesta Innoc. III. cap. 99. & infra epist. 140.

» præcipio quatinus super expoliatione Ecclesiarum, » de qua nuntij peregrinorum apud Dominum Pa- » pam me diffamarunt, veritatem non taceatis, sed » si quis vestrum scit quòd res Ecclesiæ suæ vel al- » terius furtivè vel alias injustè vel quoquo modo » receperim, palam dicat coram omnibus, in instan- » ti duplicia recepturus.] Nemine verò profitente quòd de suis vel Ecclesiarum quicquam recepisset, » adjunxit dicens: SVMMAM thesauri quem de ba- » silica sanctæ Sophiæ dicor usque ad centum milia » marcarum subtulisse, decem & octo milia marca- » rum cunctis qui tunc erant Canonicis præsentibus » & scientibus vix fuisse protestor.] Super eo au tem quòd ab Imperatore sexcenta hyperpera dice- batur injustè recepisse, quorum restitutionem, si- cut in vestris litteris continebatur, Clerici requi- rebant instanter, respondit, nullius reprehensio- nis notæ de hoc tali ratione se demonstrans obno- xium, & ab eorum petitione sese penitùs absolven- Vide lib. 11. epist. 78. dum. Dicebat enim quòd illa trecenta hyperpera quæ ratione quartæ spectabant ad ipsum, cùm nondum tamen per vos quota sit ejus pars futura fuerit terminatum, recepit ideo, nec in procura- tionem Domini Cardinalis easiem, sicut Clerici postulabant, erogaverit, quia computatis iis quæ non adjutus à communitate de suis bonis in pro- curatione dicti Cardinalis expendit, & collatis cum iis quæ Dominus Imperator, qui communi- tati Clericorum tenebatur in ejusdem sustentatio- nem, de bonis eorundem distraxit, non eis ipse debitor appareret, sed ipsos ei multa restituere potiùs oporteret; de quo ne liceret eis aliquate- nus dubitare, paratus erat per illos quorum mi- nisterio Dominus Cardinalis ex parte sua fuerat procuratus, eos manifestiùs certificare. Alia ve- ro trecenta hyperpera, quæ non sibi sed Clericis à debitoribus communitatis cum instantia magna receperat, cuidam Clerico nomine Theodorico, qui tunc temporis Clericorum fuerat procurator, se fatebatur assignasse: qui præsens ibi confessus fuit eandem pecuniam se nomine Clericorum jam lon- go tetro tempore suscepisse. Silentium verò cunc- tis tenentibus, cùm adversùs ea quæ Dominus Pa- triarcha tam rationabiliter proposuerat respon de- re minimè prævalerent, surrexerunt illi de quibus suprà memoratum est, qui litteras quas Dominus Benedictus Cardinalis eis super Ecclesia sanctæ Sophiæ concesserat demonstrabant, supplicantes Domino Patriarchæ quatinus mandatum vestrum, quod in aliis fuerat prosequutus, in eis, ipsos in Canonicos recipiendo, similiter observaret. Qui- bus Dominus Patriarcha rationes opponens præ- dictas, rescriptum vestrum super eorum receptio- ne se recepisse penitùs denegabat, dicens quòd vestra sanctitas de iis nullatenus diffiniret, de qui- bus ei per auctores causarum vel eorum nuntios nihil penitùs innotuisset, multipliciter etiam as- truens quòd si de illis ei sicut de ceteris constitisset, licèt tanto numero Clericorum facultates Ecclesiæ minimè supperetere non dubitentur, tamen in eis in- tegrè mandatum vestrum prosequi libentissimè non omisisset.

In eundem ferè modum scripsit universitas Cleri- corum apud Constantinopolim commorantium.

LITTERÆ MAGISTRI MILONIS missæ ad Dominum Papam.

Epist. 106. De negotio fi- dei in Provin- cia.

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Milo humilis servus ejus voluntarium debitæ servitutis obsequium. Postquam cum exercitu signatorum à Lugduno per Provinciam usque ad Montempessulanum pro- cessi, reverendo patri Cistercienſi Abbati & Prin- cipibus visum fuit plurimùm expedire quòd ad terram nobilium virorum Comitum Provinciæ & Furcalcarienſis, partim pro reformanda concordia inter eos, partim pro collecta facienda per Eccle- sias ad opus & subsidium exercitus Iesu Christi, celeriter remearem. Cùmque ad Arelatenſem ci- vitatem venissem, oculata fide perspexi quod aliàs fama intellexeram * nuntiare. videlicet quòd vir * nuntiante nobilis Vvillelmus Porcelleti munitionem quan- dam fortissimam super duabus Ecclesiis & in ci- miterio ipsarum constructam in insula quadam juxta ripam Rhodani non longè ab eadem civita- te in perniciem transeuntium possidebat, domos- que Domini converterat in spelúncas latronum. Innumera enim maleficia, rapinæ scilicet, exac- tiones indebitæ, furta, & ceteræ abominationes committebantur in ea, & timebantur nihilominus in futurum committi. Propter quod me cum cir- cumstantibus civitatibus continuò ad ipsam des- truendam accinxi. Et quia timuit dictus nobilis ne terra ipsius tota in exterminium & direptionem veniret, non expectata manu militari, quamvis invitus, præfatam munitionem mihi tradidit sub- vertendam. Ea igitur funditus demolita, continuò Massiliam properavi, civesque Massilienses dili- genter admonui ut pacem & alia quæ circumadja- centia loca juraverant jurarent & ipsi, & præci- puè de facto Roncelini, in quo multùm Ecclesiam Dei scandalisaverant, satisfacerent competenter. In quorum nullo preces meas seu mandatum exau- dire curarunt, excusationes in peccatis suis frivo- las, scilicet Roncelini absentiam, allegantes; &, quod non sine verecundia multa & rubore sustinui, mihi publicè, licèt falsò, in faciem objecerunt quòd cùm Romana Ecclesia ei communicasset in multis, non tamquam apostatam seu excommuni- Vide lib. 14. catum ipsum vitare debebant. Exinde per Aquen- epist. 95. sem civitatem Avinionem revertens, præfatum Comitem Fulcalcarienſem vocavi, eum diligenter inducens ut sicut Comes Tolosanus, ceteri Ba- rones & civitates, se ad observantiam pacis & eorum quæ statuta fuerunt apud sanctum Ægidium obligaret. Ad quod, licèt à principio difficilis multùm extiterit, postmodum tamen secundùm voluntatem meam & consilium Archiepiscoporum & Episcoporum qui apud Avinionem ad Concil- lium fuerant congregati, ad observandum quæ- cunque volui præcipere tam suam quàm multo- rum commilitum suorum juratoriam mihi & insu- per trium castrorum pignorativam exhibuit cau- tionem; quæ castra quibusdam discretis perſonis ecclesiasticis nomine vestro custodienda commisi. Circa verò Comitem Provinciæ ac terram ipsius, pro eo quòd in Siciliam cum sorore profectus fue- rat, quæ stabilienda fuerant stabilire nequivi. Ad communem tamen utilitatem & quietem totius prouinciæ multa in præfato Concilio statuta fue- runt; & prædictus Roncelinus præcipuè tamquam

apostata & perjurus cum omnibus fautoribus suis & complicibus fuit nominatim anathematis vinculo innodatus, totaque civitas Massilienſis & terra ipsius ecclesiastico districtissimè interdicto subjecta. Præfati quoque Domini Cistercienſis Abbatis fuit consilium & voluntas ut formam juramenti Baronum, civitatum, aliorumque locorum, sicut in authenticis quæ penes me habeo continetur, vobis seriatim transmitterem, ponendam, si vestræ sanctitati videbitur, in regestis. quæ forma ab originalibus sumpta & diligenter correcta in quaterno meo sigillo signato, quem attulit lator præsentium, plenius continetur. Quia igitur, sancte Pater, ad hoc res per Dei gratiam jam devenit ut in tota Provincia sit summa pax & tranquillitas reformata, dummodo facilè non solvantur quæ multa sunt deliberatione statuta, beatitudinem vestram humili supplicatione deposco quatinus si forsitan, sicut à multis creditur, Tolosanus Comes, pacis & justitiæ inimicus, ad præsentiam vestram accesserit pro recuperandis castris quæ mihi vestro nomine assignavit, quod se jactat posse facilè obtinere, non vos moveat ejus lingua solis mendaciis & contumeliis erudita, sed, sicut meruit, de die in diem manus Ecclesiæ sentiat graviores. Cùm enim super quindecim ad minus capitulis præter alias juratoriam ab eo receperim cautionem, ferè in omnibus manifestissimè dejeravit, in his præcipuè quæ in aliis litteris continentur factis * nomine Domini Regensis & meo. Vnde à jure quod habet in civitate Melgorij cecidit manifestè, & septem munitissima castra quæ de suis habeo in commissum Romanæ Ecclesiæ cecideruntAvinionenses quoque, Nemausenses, & homines sancti Ægidij, sicut in forma juramenti quod mihi vestro nomine præstiterunt plenius continetur, de omni jure quod in civitatibus illis habet hominium Romanæ Ecclesiæ parati sunt exhibere. Verùm, sicut in præfatis habetur litteris, adhuc usque ad proximum festum omnium sanctorum expectabitur; in quo si non venerit satisfacturus de omnibus, contra ipsum tam spiritualiter quàm temporaliter procedetur. Castra siquidem quæ de suis habeo adeo sunt artificio & natura loci munita ut cum auxilio civitatum, locorum etiam & Baronum, qui Ecclesiæ multa sunt devotione ac juramento astricti, facillimum sit ipsum exterminare de terra quam sua vita turpissima diutiùs maculavit. Ad hæc, in eo quòd Romana Ecclesia tenet castra ullatenus ipse non læditur; immo per hoc & his diebus extremum evasit supplicium, & illæsa remansit alia terra sua. Comes quoque Fulcalcarienſis multique alij Barones & nobiles, qui mihi multa castra munitissima reddiderunt, non solùm ea non repetunt, sed offerunt alia incessanter, quoniam id tranquillitati provinciæ admodum expedire cognoscunt. Si autem, quod Deus avertat, idem Tolosanus Comes sine alia satisfactione recuperaverit sua castra, quicquid factum est contra hæreticos & pro pace ac quiete provinciæ stabilitum, prorsùs ad nihilum redigetur, & melius esset nihil inchoatum fuisse quàm relinquere taliter inchoata. Parcat mihi vestra benignitas, sancte Pater, si prolixiùs vel aliter quam debuerim forsan scripsi. Nam ex abundantia cordis os loquitur; & zelum bonum habeo, qui utinam scientia sit conditus. Licèt enim tam Comes ipse quàm præfatus nobilis, cujus adeo munitionem destruxi quòd pro centum milibus solidorum in statum pristinum reparari non posset, occultè mihi exitium machinetur, sicut multorum certa relatione cognovi, nihil me tamen ab eo quod cœpi poterit revocare, quamvis uterque mortem fuerit machinatus Legati. Nam & Comes semper postea interfectorem ipsius familiarem habuit & amicum, cùm esset antea inimicus, & Vvillelmus Porcelleti germanum interfectoris ejusdem postea semper habuit commensalem.

* Vide epist. seq.

DOMINO PAPÆ.

SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Hugo Regensis Episcopus, & Milo humilis servus ejus, voluntarium debitæ servitutis obsequium. Cùm nuper apud civitatem Avinionensem pro statu Provinciæ cum multis Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis essemus in Concilio congregati, de consilio & assensu reuerendi patris Abbatis Cistercienſis & sacri approbatione Concilij Comitem Tolosanum anathematis vinculo innodavimus & totam ipsius terram ecclesiastico supposuimus interdicto pro eo quòd idem Comes venerabiles patres Carpentoratensem & Vasionensem Episcopos cum suis Clericis non restituit pleno jure, sicut ego Milo ei præceperam sub religione præstiti juramenti & pœna in ipso juramento adjecta, pro eo etiam quòd hæreticos & credentes de terra sua non expulit, nec eos ad arbitrium tradidit signatorum, Ecclesiis quoque & religiosis domibus ac personis miserabilibus justitiam, sicut ei præceptum fuerat, non exhibuit, nec ad respondendum de se conquerentibus aliquos constituit responsales, similiter incastellatas Ecclesias ad diocesanorum Episcoporum arbitrium non destruxit, & pedagia seu exactiones indebitas non dimisit. Hanc autem sententiam ita duximus moderandam, quòd si Comes ipse usque ad proximum festum omnium sanctorum ad præsentiam nostram accesserit & super prædictis satisfecerit competenter, non sit hac excommunicatione ligatus. alioquin tam ipse quàm terra ipsius, ut suprà diximus, & excommunicationis & interdicti sententia teneatur. Quia igitur, sancte pater, veridica multorum relatione didicimus quòd Comes ipse ad sedem est apostolicam accessurus, ut intercessione illustris Regis Ottonis, Regis quoque Franciæ, ac plurium aliorum, de quorum dilectione se jactat, terræ suæ, quæ tota penè in manibus vestris consistit, restitutionem obtineat, & sic esset novissimus error longè priore deterior, totius negotij veritatem vestræ sanctitatis auribus duximus declarandam; ut si forsan idem Comes ad vos, sicut speratur, accesserit, in successore Petri petræ, quæ Christus est, inveniat firmitatem, indubitanter scientes quòd per Dei ac vestram gratiam taliter est ligatus quòd deinceps recalcitrare non poterit nec vestris sanctis jussionibus obviare, nisi forsan, quod Deus avertat, quod circa ipsum factum est aliquorum instantia dissolvatur. Roncelinum quoque sancti Victoris Massilienſis monachum apostatam & perjurum in eodem Concilio anathematizavimus & maledixi-

Epist. 101. Super fide Comitis Tol. faut.

mus, non solùm propter quandam nobilem quam traduxit, sed propter alias causas multiplices quas, cùm sint notoriæ, supervacuum credimus enarrare. Hugonem etiam ferum castaldum ipsius Roncelini seu bajulum excommunicavimus nominatim, & omnes qui ei sicut ipsius gastaldo vel bajulo de cetero responderent. Multos alios quoque nobiles & burgenses Massilienses sententia eadem ligavimus, qui dictum Roncelinum in sua iniquitate defendunt. Civitatem Massiliensem similiter ac totam aliam terram Roncelini prædicti ecclesiastico supposuimus interdicto pro eo quòd eundem Roncelinum de monasterio per violentiam extraxerunt, & ipsum in sua malitia & pertinacia manutenuerunt, huc usque ejus dominium tanto tempore sustinentes. Item pro eo quòd violentiam quam hominibus Montispessulani & peregrinis tam in rebus quàm in personis idem fecerat Roncelinus non prohibuerunt, cùm possent. Pro eo etiam quòd ea quæ statuta fuerant apud sanctum Ægidium pro quiete ac statu totius provinciæ noluerunt sicut aliæ civitates & castra jurare. Præfatus etiam Dominus Abbas de consilio omnium Prælatorum Ecclesiæ qui fuerant in exercitu congregati, Consules & Consiliarios Tolosanos excommunicationis sententia innodavit & totam civitatem ecclesiastico supposuit interdicto pro eo quòd hæreticos & credentes, quorum ibi est maxima multitudo, noluerunt cum rebus suis ad arbitrium tradere signatorum. Hæc ideo, pater sancte, vestris auribus duximus intimanda, ut si forsan aliqui prædictorum ad præsentiam vestram miserint vel accesserint, de his quæ acta sunt circa eos sciatis plenius veritatem.

FORMA IVRAMENTI BARONVM, CIVITATVM, aliorumque locorum Domino Papæ danda.

CAP. I. IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIV. Kal. Iulij. Nos Consules villæ sancti Ægidij de consensu & voluntate Domini Raymundi Comitis Tolosani præcisè juramus super sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario, apostolicæ sedis Legato, quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine omni fraude, consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd dictus Dominus Comes tam per se quàm per successores suos super iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet, ita ut si quod illorum non fecerit vel contravenerit manifestè, nos ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per homines sive amicos nostros aliquatenus impendemus, scientes ex hoc ipso dicti Comitis delicto absolutos nos esse à fidelitate, si qua vel servitio illi ullo modo tenebamur. Immo quousque plenè paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum; nonobstante fidelitate vel jure aliquo vel servitio, si quo ipsi ullo modo tenebamur; à quo tam tu quàm dictus Comes nos absolvistis & absolvitis, si fortè ipse, ut dictum est, contra præcepta quæ sibi facta sunt vel fuerint venerit manifestè. Tunc etiam pro jure sive servitio, si quod in villis nostri consulatus & Ecclesiæ sancti Ægidij, scilicet in villa de Seura & de Stagello & de sancta Columba & de Speirano & de toto territorio Camarinnani, & in aliis, si qua sunt, quæ ipsa villa sancti Ægidij habere dinoscitur, fidelitatem Romanæ Ecclesiæ faciemus, ipsam eidem fideliter & perpetuò servaturi. Item stratas publicas securas servabimus, & faciemus per totum nostrum districtum inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas vel etiam per flumina nullatenus accipiemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione constiterit nos habere. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in nostro districtu tam in villa quàm extra in plenaria servabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum Abbate vel aliis rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis uel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Abbate vel Capitulo, nos immiscebimus; sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, & electioni Abbatis vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nos nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treugam, sicut nobis injunctum fuerit, bona fide observabimus. Item si Abbas vel Capitulum vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos nominaverit vel credentes, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula aliqua, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona infiscabimus. Hæc autem omnia singulis annis per manus Abbatis nostri successores nostros jurare faciemus. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur.

CAP. II. EGo Vvillelmus de Balcio Princeps Aurasicensis pro animæ meæ remedio & progenitorum meorum omnibus Ecclesiis & domibus religiosis sitis in meo districtu immunitatem secundùm statuta canonum & plenissimam libertatem concedo, ita videlicet quòd albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque seu tallias nullo unquam tempore per me vel per alios requiram in eis, & requirentes sive postulantes pro posse meo fideliter coërcebo. Defunctis etiam earum Episcopis vel rectoribus aliis, ipsas vel domos earum per me vel per alium nullo modo spoliabo, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia me ullatenus immiscebo, sed sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel altetius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me

vel per quamcunque aliam personam me nullatenus immiscebo, nec aliquam violentiam faciam vel impedimentum præstabo quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Præterea possessiones omnes & jura Ecclesiarum, si qua injustè detineo, eis restituo pleno jure. Insuper promitto quòd omnia jura Ecclesiarum & domorum religiosarum, sicut decet catholicum Principem, in præfato meo districtu totis viribus protegam & defendam. Si quis autem contra præfatam immunitatem & libertatem à me indultam Ecclesiis & aliis domibus religiosis venire præsumpserit, ipsum pro posse meo viriliter coërcebo. Istam autem concessionem & promissionem feci apud sanctum Ægidium anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIII. Kal. Iulij, ad mandatum & exhortationem magistri Milonis Domini Papæ Notarij apostolicæ sedis Legati.

CAP. III. IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XIII. Kal. Iulij. Nos Consules Nemausenses de consensu & voluntate Domini Raymundi Comitis Tolosani præcisè juramus super sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario A. S. L. quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine omni fraude, consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd dictus Dominus Comes tam per se quàm per successores suos super iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet, ita ut si quod illorum non fecerit vel contra venerit manifestè, nos ei nullum consilium, vel auxilium, seu obsequium per nos vel per homines seu amicos nostros aliquatenus impendemus, scientes ex hoc ipso dicti Comitis delicto absolutos nos esse à fidelitate si qua vel servitio illi ullomodo tenebamur. Immo quousque plenè paruerit faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum, nonobstante fidelitate vel jure aliquo vel servitio, si quo ipsi ullomodo tenebamur, à quo tam tu quàm dictus Comes nos absolvistis & absolvitis, si fortè ipse, ut dictum est, contra præcepta quæ sibi facta sunt vel fuerint venerit manifestè. Tunc etiam pro jure sive servitio, si quod in villis & castris nostri consulatus & ipsa civitate habere dinoscitur, fidelitatem Romanæ Ecclesiæ faciemus, ipsam eidem fideliter & perpetuò servaturi. Item stratas publicas securas servabimus & faciemus per totum nostrum districtum inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas vel etiam per flumina nullatenus accipiemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione constiterit nos habere. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in nostro districtu tam in civitate quàm extra in plenaria servabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum Episcopo vel aliis rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Episcopo vel Capitulo, nos immiscebimus, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, & electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nos nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treuguam, sicut nobis injunctum fuerit, bona fide observabimus. Item si Episcopus vel Capitulum vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos nominaverit vel credentes, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula aliqua, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona inscribimus. Hæc omnia singulis annis per manus Episcopi nostri successores nostros faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur.

IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, XI. Kal. Iulij. Ego Milo Domini Papæ Notarius A. S. L. tibi Vvillelmo Porcellet sub debito præstiti juramenti præcipio ut mainadas nullo unquam tempore habeas. Item ut Iudæos ab omni administratione publica vel privata removeas omnino, & nullo unquam tempore eos ad eandem vel ad aliam restituas, nec alios Iudæos ad administrationem aliquam assumas, nec eorum consilio contra Christianos utaris. Item ut Ecclesias incastellatas ad arbitrium diocesanorum Episcoporum dirmas, vel reserves si quas duxerint reservandas; quæ & diocesanis Episcopis vel aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos pertinere noscuntur, tradantur, & ab eis perpetuò possideantur. Item præcipio ut Ecclesias & domos religiosas in plenaria libertate conserves, videlicet quòd in eis albergarias, vel procurationes, aut exactiones quascunque nullatenus exigas vel percipias, & defunctis earum Episcopis vel aliis rectoribus, ipsas nullo modo spolies, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia te immisceas, sed omnia sine diminutione aliqua eorum successoribus reserventur, & electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per te vel per quamcunque aliam personam te nullatenus admisceas, nec aliquam violentiam facias vel impedimentum aliquod præstes quò minùs electio liberè ac canonicè celebretur. Item præcipio ut pedagiorum seu guidagiorum exactiones penitùs dimittas, nisi quas Regum vel Imperatorum concessione probaveris te habere, nec dimissa pedagia seu guidagia deinceps resumas. Item pacem seu treugam secundum quod tibi injunctum fuerit observes. Item ut de te conquerentibus secundùm meum vel alterius Legati vel judicis delegati arbitrium justitiam facias. Item præcipio ut stratas publicas securas serves. CAP. II.

IN nomine Domini. Anno duodecimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. VII. Kal. Iulij. Nos Consules & Consiliarij Anasicenses de consensu & voluntate Domini Vvillelmi de Baucio Principis nostri præcisè juramus super sancta Dei evangelia CAP. V.

evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario, apostolicæ sedis Legato, quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine omni fraude consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd Raymundus Comes Tolosanus tam per se quàm per successores suos super iis omnibus pro quibus excommunicatus fuit, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet, ita ut si quod illorum non fecerit vel contra venerit manifestè, nos ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per homines vel amicos nostros aliquatenus impendemus, immo quousque paruerit plenè, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius vel Legatus nobis mandaverit faciendum. Item stratas publicas securas servabimus & faciemus per totum districtum inviolabiliter observari Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas vel etiam flumina nullatenus accipiemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione constiterit nos habere. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in nostro districtu tam in civitate quàm extra in plenaria servabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum Episcopo vel aliis rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Episcopo vel Capitulo, nos immiscebimus, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, & electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nos nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treugam, sicut nobis injunctum fuerit, bona fide observabimus. Item si Episcopus vel Capitulum vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos nominaverit vel credentes, vel per nos ipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia infiscabimus. Hæc omnia singulis annis per manus Principis nostri prædicti successores nostros faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortietur.

CAP. VI. IN nomine Domini. Anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo, VI. Non. Iulij. Ego Artaudus de Rosilo juro tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario, apostolicæ sedis Legato, quòd quicquid Dominus Papa vel tu seu nuntius alius vel Legatus ejus mihi de pedagiis seu guidagiis tam in terra quàm in aquis dimittendis præceperit, bona fide observabo. Similiter stratas publicas securas servabo. Item pacem seu treugam, secundùm quod mihi injunctum fuerit, jurabo & tenebo. Item hæreticos vel credentes pro posse meo persequar, & eorum bona ubi potero occupabo. Iudæos ab administratione publica vel privata penitùs in meo removebo districtu, nec illos vel alios unquam ad aliquam administrationem assumam. Ecclesias incastellatas secundùm mandatum diocesani Episcopi destruam, vel ei restituam, nec aliquas de cetero incastellabo vel incastellatas retinebo. Ecclesias in plena libertate servabo. Et confiteor quòd pro his omnibus observandis & aliis, si qua mihi præcepta fuerint, ut dictum est, castrum meum de Rosilon vobis nomine Romanæ Ecclesiæ tradidi, quod neque vobis neque custodibus ejusdem castri per me vel per aliam quamcunque personam auferam vel auferri faciam, immo si ab aliquo fuerit ablatum, pro posse meo ad recuperandum illud & restituendum vobis vel custodibus qui pro tempore fuerint dabo operam bona fide. Volo etiam ut idem castrum meis sumptibus custodiatur. Hæc omnia, sicut suprà scripta sunt, bona fide observabo. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

CAP. VII. IN nomine Domini. Anno duodecimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. VI. Non. Iulij. Nos Episcopus, Decanus, Vicarius, & ceteri Canonici Valentini præcisè juramus super sancta Dei evangelia tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario apostolicæ sedis Legato quòd si Raymundus Comes Tolosanus tam per se quàm per successores suos super iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, non paruerit omnibus mandatis Ecclesiæ, vel ea in perpetuum non servaverit, vel contra ipsa vel aliquod illorum venerit manifestè, ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per amicos seu homines nostros aliquatenus impendemus, immo quousque plenè paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum. Item stratas publicas securas servabimus & faciemus per totum nostrum districtum inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas vel etiam per flumina nullatenus accipiemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione constiterit nos habere. Item pacem seu treugam, sicut nobis à Legato vel nuntio Romanæ Ecclesiæ injunctum fuerit, bona fide observabimus, & faciemus nostros homines observare pariter & jurare. Item hæreticos & credentes seu receptores & fautores eorum prout poterimus persequemur, eorum bona omnia, ubi potestatem habebimus, infiscantes. Et hæc omnia facimus universos cives nostros & alios homines jurare, & faciemus tam eos quàm successores eorum in posterum, prout melius poterimus, observare.

CAP. VII. IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini MCCIX. IV. Idus Iulij. Ego Milo Domini Papæ Notarius A. S. L. vobis G. Aidemari & Lamberto Dominis de Montilio sub debito præstiti juramenti præcipio ut pedagia seu guidagia in toto vestro districtu tam in terra quàm in aquis nullo unquam tempore accipiatis, nisi quæ antiqua Regum vel Imperatorum concessione probaveritis vos habere. Item præcipio ut pacem seu treugam, secundùm quod vobis injunctum fuerit,

obſervetis, & faciatis à veſtris hominibus obſervari pariter & jurari. Item præcipio ut de vobis conquerentibus ſecundùm meum vel alterius Legati vel judicis delegati ſeu ordinarij arbitrium juſtitiam faciatis. Item præcipio ut ſtratas publicas ſecuras ſervetis, & cruceſignatos tam in eundo quàm in redeundo pro poſſe veſtro ab omnibus defendatis. Item præcipio ut eos quos Epiſcopi vel alij Clerici vobis hæreticos nominabunt & receptatores vel fautores aut credentes eorum tamquam hæreticos & puniatis per bonorum infiſcationem & aliàs ſecundùm legitimas ſanctiones. Item præcipio ut Eccleſias & domos religioſas in libertate plenaria conſervetis, videlicet quòd in eis albergarias, procurationes, vel exactiones quaſcunque ſeu tallias nullatenus exigatis vel percipiatis, & defunctis earum rectoribus, ipſas nullo modo ſpolietis, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicujus conſuetudinis vel alia vos immiſceatis, ſed omnia ſine diminutione aliqua defunctorum ſucceſſoribus reſerventur, & electioni rectoris Eccleſiæ faciendæ per vos vel per quamcunque aliam perſonam vos nullatenus immiſceatis, nec aliquam violentiam faciatis vel impedimentum præſtetis quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item præcipio ut Judæos ab adminiſtratione publica vel privata removeatis omnino, & nullo unquam tempore eos ad eandem vel ad aliam reſtituatis, nec alios Judæos ad adminiſtrationem aliquam aſſumatis, nec eorum conſilio contra Chriſtianos utamini. Item præcipio ut Eccleſias incaſtellatas ad arbitrium dioceſanorum Epiſcoporum dirimatis, vel etiam reſervetis ſi quas duxerint reſervandas; quas ipſis dioceſanis Epiſcopis tradatis, vel aliis Eccleſiarum Prælatis ad quos pertinere noſcuntur, ut perpetuò poſſideantur ab eis. Item præcipio ut ſi Comes Toloſanus tam per ſe quàm per heredes ſuos contra præcepta quæ ſibi facta ſunt vel fient in poſterum ſuper iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma ſecundùm quam ipſe antequam abſolveretur juravit, venerit manifeſtè, vos nullum conſilium vel auxilium ſeu obſequium per vos vel per veſtros homines ſeu amicos ei aliquatenus impendatis, immo quouſque plenè paruerit, faciatis contra ipſum pro poſſe veſtro quicquid Romana Eccleſia vel ejus nuntius ſive Legatus mandaverit faciendum. Item præcipio ut per vos vel veſtros homines vel aliam quamcunque perſonam conſilium vel opem non detis ut munitiones veſtræ, quas modò facio per Vivarienſem Epiſcopum nomine Romanæ Eccleſiæ cuſtodiri, eidem vel cuſtodibus ejus vel aliis qui pro tempore fuerint auferantur, & ſi fortè aliquo caſu eis ablatæ fuerint, modis omnibus quibus poteritis laborabitis ut recuperentur & reſtituantur eiſdem. Item præcipio ut homines de Montilio faciatis Vivarienſi Epiſcopo fidelitatem pro cuſtodia munitionum ſecundùm voluntatem ipſius jurare, & pro expenſis quas in munitionibus veſtris Montilij cuſtodiendis fecerit, cùm eas à vobis petierit, ſecundùm ſuum arbitrium ei etiam antequam factæ fuerint, ſi voluerit; ſatisfaciatis. Item præcipio ut ſi fortè per vos vel heredes veſtros contra ſupradicta vel aliquod prædictorum aliquando veneretis manifeſtè, jus omne quod habet Eccleſia Romana in Montilio & ejus pertinentiis in ipſius poteſtate ſine contradictione aliqua penitùs dimittatis, ita quòd Dominus Papa per ſe vel Legatum ſuum diſponat & faciat de caſtro illo ſicut decreverit faciendum. Similiter tibi G. Aidemari præcipio ut ſi fortè, ut dictum eſt, per te vel heredes tuos contra ſupradicta veneris manifeſtè, jus omne quod habes in caſtro de Rochamaura Vivarienſi Epiſcopo qui pro tempore fuerit penitùs ſine aliqua quæſtione dimittas, ſicut tu ipſe, quando mihi juraſti, te ad hoc obligaſti ſpontanea voluntate.

CAP. IX.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno ejuſdem incarnationis MCCIX. IX. Kal. Auguſti, anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo. Nos Conſules Montiſpeſſulani juramus ſuper ſancta Dei evangelia manu tacta tibi magiſtro Miloni Domini Papæ Notario A. S. L. de mandato & auctoritate tua quòd bona fide, ſine omni malo ingenio, & ſine fraude, conſulemus & operam dabimus pro poſſe noſtro quòd Dominus Raymundus Comes Toloſanus tam per ſe quàm per heredes ſuos ſuper iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma ſecundùm quam ipſe antequam abſolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Eccleſiæ, & quòd ea in perpetuum ſervet; ita ut ſi quod illorum non fecerit, vel contravenerit manifeſtè, nos ei nullum conſilium vel auxilium ſeu obſequium per nos vel per homines ſive amicos noſtros aliquatenus impendemus, immo quouſque plenè paruerit, faciemus contra ipſum pro poſſe noſtro quicquid Romana Eccleſia vel ejus nuntius ſive Legatus nobis mandaverit faciendum. Item ſtratas publicas per totum noſtrum epiſcopatum ſecuras ſervabimus & faciemus inviolabiliter obſervari. Item pedagia ſeu guidagia vel exactiones aliquas à tranſeuntibus per ſtratas epiſcopatus noſtri vel etiam per aquas nullatenus accipiemus vel accipi permittemus, niſi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum conceſſione conſtiterit nos vel alios habere. Item Eccleſias omnes & domos religioſas in noſtro epiſcopatu tam in villa Montiſpeſſulani quàm extra in plenaria ſervabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas ſeu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum rectoribus, ipſas vel domos earum nullo modo ſpoliabimus, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicujus conſuetudinis vel aliqua alia, niſi fortè rogati ab Epiſcopo vel Capitulo, nos immiſcebimus, ſed omnia ſine diminutione aliqua defunctorum ſucceſſoribus reſerventur, & electioni Epiſcopi vel alterius rectoris Eccleſiæ faciendæ per nos vel per quamcumque aliam perſonam nullatenus nos immiſcebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præſtabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem ſeu treuguam, ſicut nobis per Eccleſiam Romanam vel ejus Legatum ſeu nuntium injunctum fuerit, bona fide obſervabimus, & faciemus per noſtrum epiſcopatum pro poſſe noſtro in perpetuum obſervari. Item ſi Epiſcopus vel Capitulum Magalonenſe vel alia perſona eccleſiaſtica aliquos hæreticos nobis in epiſcopatu noſtro nominaverint vel credentes, vel per nos ipſos cognoſcere poterimus aliquos hæreſim prædicare vel facere

conventicula illicita, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia pro posse nostro infiscabimus. Item Iudæos ab omni administratione publica vel privata omnino removebimus, & nullo unquam tempore eosdem vel alios ad eandem administrationem vel aliam assumemus, nec eorum consilio contra Christianos utemur, nec in domibus suis Christianos uel Christianas ad servitium suum eos permittemus habere; & si contra hanc prohibitionem habuerint vel tenuerint, tam Iudæorum quàm Christianorum morantium cum eis bona omnia infiscabimus. Item Ecclesias incastellatas nostri episcopatus ad arbitrium diocesani nostri Episcopi vel aliorum Prælatorum ad quos pertinere noscuntur penitùs diruemus, vel etiam reservabimus si quas duxerint reservandas; quas ipsi Episcopo vel aliis Prælatis trademus, ut perpetuò possideantur ab eis. Item de nobis conquerentibus secundùm tuum vel alterius Legati seu judicis delegati seu ordinarij arbitrium justitiam faciemus. Item si quis de nostro episcopatu propter suos excessus excommunicatus fuerit, & commonitus ab ecclesiastico judice non satisfecerit infra mensem, ei centum solidos * Mulgorienses auferemus; immo quolibet mense in quo excommunicatus permanserit, ei summam auferemus præfatam; si verò solvendo non fuerit, eum sub banno ponemus. Hoc autem nos dicimus facturos, si ab ecclesiastico judice certiorati fuerimus. Hæc omnia successores nostros singulis annis faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur. Et ego suprà memoratus Milo Domini Papæ Notarius apostolicæ sedis Legatus auctoritate legationis qua fungor ad prædicta exequenda vobis prædictis Consulibus & successoribus vestris potestatem & auctoritatem concedo. Hæc omnia pro posse suo bona fide & sine aliquo malo ingenio corporaliter juraverunt se observaturos B. Caput de bove, Deodatus de Rocennaco, P. de Bisanchis, Regordus, P. Belliani, & G. de Plantetio Consules. Et hoc idem simpliciter juravit se tenere pro posse suo, pro seipso, I. Luciani Montispessulani Bajulus. Actum est hoc in Ecclesia sanctæ crucis in præsentia Domini Vvillelmi Magalonensis Episcopi, B. Præpositi, B. de Mesca Sacristæ, P. de Agrifolio, P. de Lunello, I. de Montelauro Archidiaconi, B. de Maurino sacerdotis, Michaëlis de Sauzeto Diaconi, Berengarij Lamberti, I. de Latis, P. de Montelauro Causidicorum, & Vigenis Laurentij Notarij publici, qui rogatus hæc scripsit.

* Mulgor.

CAP. X.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ejusdem incarnationis MCCIX. III. Kal. Augusti, anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo. Nos Consules civitatis Arelatensis juramus super sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario apostolicæ sedis Legato de mandato & auctoritate tua quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine fraude, consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd Dominus R. Comes Tolosanus tam per se quàm per heredes suos super iis pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exprimuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet, ita ut si quod illorum non fecerit vel contravenerit manifestè, nos ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per homines sive amicos nostros aliquatenus impendemus; immo quousque plenè paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum. Item stratas publicas per totum nostrum episcopatum securas servabimus & faciemus inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas episcopatus nostri vel etiam per aquas nullatenus accipiemus vel accipi permittemus, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione nos vel alios habere constiterit. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in nostro episcopatu tam in ciuitate Arelatensi quàm extrà in plenaria servabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Archiepiscopo vel Capitulo, nos immiscebimus, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, & electioni Archiepiscopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nullatenus nos immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treugam, sicut nobis per Ecclesiam Romanam vel ejus Legatum seu nuntium injunctum fuerit, bona fide observabimus & faciemus per nostrum episcopatum pro posse nostro in perpetuum observari. Item si Archiepiscopus vel Capitulum Arelatense vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos in episcopatu nostro nominaverint vel credentes, vel per nos ipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula illicita, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia pro posse nostro infiscabimus. Item Iudæos ab omni administratione publica vel privata omnino removebimus, & nullo unquam tempore eosdem vel alios ad eandem administrationem vel aliam assumemus, nec eorum consilio contra Christianos utemur, nec in domibus suis Christianos vel Christianas ad servitium suum eos permittemus habere; & si contra hanc prohibitionem habuerint vel tenuerint, tam Iudæorum quàm Christianorum morantium cum eisdem bona omnia infiscabimus. Item Ecclesias incastellatas nostri episcopatus ad arbitrium diocesani nostri Archiepiscopi vel aliorum Prælatorum ad quos pertinere noscuntur penitùs diruemus, vel etiam reservabimus si quas duxerint reservandas, quas ipsi Archiepiscopo vel aliis Prælatis trademus, ut perpetuò possideantur ab eis. Item de nobis conquerentibus secundùm tuum vel alterius Legati vel judicis delegati seu ordinarij arbitrium justitiam faciemus. Item si quis de nostro episcopatu propter suos excessus excommunicatus fuerit, & commonitus ab ecclesiastico judice non satisfecerit infra mensem,

ei centum solidos Mulgor. auferemus, immo quolibet mense, ex quo excommunicatus permanserit, ei summam auferemus præfatam; si verò solvendo non fuerit, eum sub banno ponemus. Hoc autem nos dicimus facturos si ab ecclesiastico judice certiorati fuerimus. Hæc omnia singulis annis successores nostros faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, ipsum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur. Et ego suprà memoratus Milo Domini Papæ Notarius A. S. L. auctoritate legationis qua fungor ad prædicta exequenda vobis prædictis Consulibus & successoribus vestris potestatem & auctoritatem concedo. Hæc omnia pro posse suo bona fide & sine aliquo malo ingenio corporaliter juraverunt se observaturos B. Roniarda, R. Petrus de super Rhodano, Cabritus, B. Ferreoli, R. de Farnaria, R. Garmerus, Consules. Et hoc idem juraverunt simpliciter se tenere pro posse suo cives Arelaten. infrascripti, scilicet Vgo de Arenis Cepo, P. de Leone, R. Berennus, B. Scopha, P. Bonus, D. de Nemauso, M. Gervasius, P. de Thoro, P. Raymundi, V. de Thoro. Actum est hoc in palatio Domini Archiepiscopi super portam sancti Stephani, in præsentia S. Præpositi Arelatensis Ecclesiæ, Ber. Sacristæ, Thedisij Canonici Ianuensis, & P. Fortis Notarij Arelatensis, qui rogatus hæc scripsit.

CAP. XI. IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ejusdem incarnationis MCCIX. IV. Non. Augusti anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo. Nos Consules & omnes homines Argentariæ juramus super sancta Dei evangelia manu tacta vobis Burno Vivariensi Episcopo & G. Bodi ad hoc specialiter delegatis à Domino Milone Domini Papæ Notario A. S. L. de mandato & auctoritate ipsius Legati quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine fraude, consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd Dominus R. Comes Tolosanus tam per se quàm per heredes suos super iis omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ videlicet exponuntur in forma secundùm quam ipse antequam absolveretur juravit, pareat omnibus mandatis Ecclesiæ, & quòd ea in perpetuum servet, ita ut si quod illorum non fecerit vel contravenerit manifestè, nos ei nullum consilium vel auxilium seu obsequium per nos vel per amicos nostros aliquatenus impendemus, immo quousque plenè paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quicquid Romana Ecclesia vel ejus nuntius sive Legatus nobis mandaverit faciendum. Item stratas publicas per totum Vivariensem episcopatum securas servabimus & faciemus inviolabiliter observari. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in Vivariensi episcopatu tam in civitate Vivariensi quàm extrà in plenaria conservabimus libertate, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigemus, & defunctis earum rectoribus, ipsas vel domos earum nullo modo spoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogati ab Episcopo vel Capitulo, nos immiscebimus, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, & electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per nos vel per quamcunque aliam personam nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus vel impedimentum præstabimus quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treuguam, sicut nobis per Ecclesiam Romanam vel ejus Legatum seu nuntium injunctum fuerit, bona fide observabimus, & faciemus per episcopatum Vivariensem pro posse nostro in perpetuum CAP. observari. Item si Episcopos vel Capitulum Vivariense vel alia persona ecclesiastica nobis aliquos hæreticos in episcopatu Vivariensi nominaverit vel credentes, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula illicita, ipsos persequemur secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia pro posse nostro infisicabimus. Item Iudæos ab omni administratione publica vel privata omnino removebimus, & nullo unquam tempore eosdem vel alios ad eandem administrationem vel aliam assumemus, nec eorum consilio contra Christianos utemur, nec in domibus suis Christianos vel Christianas ad servitium eorum permittemus habere; & si contra hanc prohibitionem habuerint vel tenuerint, tam Iudæorum quàm Christianorum morantium cum eis bona omnia infisicabimus. Item Ecclesias incastellatas Vivariensis episcopatus ad arbitrium diocesani nostri Episcopi vel aliorum Prælatorum ad quos pertinere noscuntur penitùs diruemus, vel etiam reservabimus si quas duxerint reservandas; quas ipsi Episcopo vel aliis Prælatis trademus, ut perpetuò possideantur ab eis. Item de nobis conquerentibus secundùm arbitrium magistri Milonis Domini Papæ Notarij A. S. L. vel tuum, Domine Vivariensis Episcope, vel alterius Legati seu judicis ordinarij vel delegati justitiam faciemus. Item si quis de Vivariensi episcopatu propter suos excessus excommunicatus fuerit, & commonitus ab ecclesiastico judice non satisfecerit infra mensem, ei centum solidos Podienses auferemus; immo quolibet mense, in quo excommunicatus permanserit, ei summam auferemus præfatam; si verò solvendo non fuerit, eum sub banno ponemus. Hoc autem nos dicimus facturos si ab ecclesiastico judice certiorati fuerimus. Hæc omnia singulis annis successores nostros Consules faciemus jurare. Si quis autem hæc jurare noluerit, eum tamquam hæreticum habebimus manifestum, nec ejus judicium sive auctoritas vigorem in aliquo sortiatur. Et nos B. Vivariensis Episcopus & G. Todi vobis ex parte Domini Legati suprà dicti ad prædicta omnia exequenda auctoritatem & potestatem concedimus vobis prædictis Consulibus & toti populo Argentariæ. Hæc omnia pro posse nostro nos observaturos juramus in animam nostram & in animam totius populi ego Vv. Garns, R. Besceda, Ber. Roquerins, Argentariæ Consules, P. Mazel, S. Mascals, R. Chairicus, Bern. Dalbiges, Ermengaus, R. de Ribeira, R. Salgues, Ber. de Fijac, Vv. Esteves, P. Faber, & totus populus Argentariæ.

NOs Vgo & R. nepos ejus de Baucio promittimus vobis Domino Miloni Domini Papæ Notario A. S. L. sub debito juramenti quod vobis apud sanctum Ægidium præstitimus quòd quàm CAP. XII.

citò per vos vel nuntium vestrum fuerimus requisiti, castrum de Alansone vobis vel cui manducaveritis assignari omni occasione postposita faciemus, & ex nunc idem castrum profitemur nos vestro nomine possidere. Volumus etiam ut idem castrum nostris custodiatur expensis.

CAP. XIII. IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ejusdem incarnationis MCCIX. II. Non. Septembris, anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo. Ego G. de Fabrano Dei gratia Comes Forncalcariensis juro super sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario A. S. L. quòd stratas publicas per totum meum districtum securas servabo & faciam inviolabiliter observari. Item pedagia seu guidagia vel exactiones aliquas à transeuntibus per stratas mei districtus vel etiam per aquas nullatenus accipiam vel permittam accipi, nisi quæ vel quas antiqua Regum vel Imperatorum concessione me habere constiterit. Item Ecclesias omnes & domos religiosas in toto meo districtu in plenaria libertate servabo, videlicet quòd ab eis exactiones aliquas seu tallias nullatenus exigam vel exigi faciam, & defunctis earum rectoribus, ipsas vel domos earum minimè spoliabo vel faciam spoliari, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, nisi fortè rogatus ab Episcopo vel Capitulo, me immiscere præsumam, sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur, nec electioni Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcunque aliam personam me immiscebo, nec aliquam violentiam faciam vel impedimentum præstabo quò minùs electio canonicè ac liberè celebretur. Item pacem seu treuguam, sicut mihi per Ecclesiam Romanam vel ejus Legatum seu nuntium injunctum fuerit, bona fide servabo & faciam per meum districtum pro posse meo inviolabiliter observari. Item si aliqua persona ecclesiastica in meo districtu aliquos hæreticos nominaverit vel credentes, vel per me ipsum cognoscere potero aliquos hæresim prædicare vel facere conventicula illicita, ipsos persequar secundùm legitimas sanctiones, & eorum bona omnia infiscabo. Item Iudæos ab omni administratione publica vel privata penitùs removebo, & nullo unquam tempore eosdem vel alios ad eandem administrationem assumam vel aliam, nec eorum consilio utar contra Christianos, nec in domibus suis Christianos vel Christianas ad servitium suum eos permittam habere; & si contra hanc prohibitionem habuerint vel tenuerint, tam Iudæorum quàm Christianorum morantium cum eisdem bona omnia infiscabo. Item Ecclesias incastellatas mei districtus ad arbitrium diocesani Episcopi vel aliorum Prælatorum ad quos pertinere noscuntur penitùs diruam, vel etiam reservabo si quas duxerint reservandas; quas ipsis Prælatis tradam, ut perpetuò possideantur ab eis. Item de me conquerentibus secundùm tuum vel alterius Legati vel judicis delegati seu ordinarij arbitrium justitiam faciam. Item si quis de meo districtu propter suos excessus excommunicatus fuerit, & commonitus ab ecclesiastico judice non satisfecerit infra mensem, ei centum solidos monetæ curfil. auferam, immo quolibet mense in quo excommunicatus permanserit, ei summam auferam prætaxatam; si verò solvendo non fuerit, eum ponam sub banno. Hæc autem me dico facturum si ab ecclesiastico judice fuero certioratus. Vt autem hæc omnia per me ac successores meos firmiùs observentur, hæc castra, videlicet castrum de Lursmarin, & Perosum, & Cesaristam, tibi duxi obliganda nomine Romanæ Ecclesiæ, & cuicunque & quandocunque volueris assignabo corporaliter possidenda, meis custodienda expensis, nec ea per me vel alios auferam, & si ablata fuerint, bona fide recuperabo ea, & restituam custodibus qui per te vel Romanam Ecclesiam fuerint deputati. Cum Comite juraverunt Bertrandus de Vilamauri, Ricavus de Insula major, Raimbaldus Dalfini, Vv. de Sabrano, Vv. Gaufridus de Avinione, Vv. Cucuron, Bertrandus de sancto Maximo, Guigo Roza, R. de Sabrano, Vv. Raimundi de Vacheriis, Bertrandus de Pertuso.

CAP. XIV. IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ejusdem incarnationis MCCIX. IV. Idus Septembris, anno pontificatus Domini Innocentij Papæ III. duodecimo. Nos Consules & cives Cavellicenses juramus super sancta Dei evangelia manu tacta tibi magistro Miloni Domini Papæ Notario A. S. L. de mandato & auctoritate tua quòd bona fide, sine omni malo ingenio, & sine fraude, consulemus & operam dabimus pro posse nostro quòd Dominus R. Comes Tolosanus &c. *sicut in forma juramenti quod præstiterunt homines de Montepessulano plenius continetur.*

DOMINO PAPÆ.

Epist. 108. De victoria habita contra hæreticos.

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, frater Arnaldus dictus Abbas Cistercij, & Milo humilis servus ejus, tam debitum quàm devotum voluntariæ servitutis obsequium. Benedictus omnipotens Dominus, qui cùm sit magnus in magnis, mirabilia gloriosiùs operatus in minimis, prosperum fecit verbum quod egressum est de ore vestro contra fidei subversores, qui peccatis exigentibus nimiùm pullularant in provincia Narbonensi. Ipso siquidem faciente dissipati sunt inimici ejus, & mox à facie ipsius fugerunt qui eum oderant & dissipaverant legem ejus. Advenientibus sanè illustri Duce Burgundiæ aliisque magnatibus cum tanta multitudine signatorum quanta inter Christianos non creditur aliquando convenisse, in eorum adventu usque adeo invasit tremor hypocritas ut quasi miraculosè fugerent ante faciem subsequentium, maximè post civitatis Biterrensis excidium & ruinam. Licèt enim cives civitatis ejusdem per nos & suum Episcopum diligenter commoniti fuerint, eisdemque sub excommunicationis pœna duxerimus injungendum ut vel hæreticos quos habebant cum rebus suis crucesignatis traderent, vel si hoc non possent, exirent de medio eorundem, alioquin sanguis eorum super capita sua esset, ipsi tamen nostris non acquieverunt monitis & mandatis, immo super defendenda civitate contra signatos cum ipsis hæreticis juramento interposito convenerunt. Appropinquante igitur exercitu civitati, domini quorundam castrorum adjacentium malè sibi conscij, à facie

signatorum fugerunt; sed milites & fideles reliqui castrorum ipsorum ad exercitum fiducialiter accedentes, se, sua, & ipsa castra in manus signatorum dederunt, fidelitatem eis & hominium facientes, & in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ redditum fuit nobis nobile quoddam castrum quod dicitur Servianum, cui alia plura castra, & ipsa bona admodum, appendebant. In crastino verò, in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, in cujus Ecclesia cives Biterrenses dominum * suum dudum proditionaliter interfecerant, manè obsessa est civitas; quæ quidem natura loci, viris, & victualibus adeo videbatur munita quòd per longum temporis putaretur posse quantumlibet exercitum sustinere. Verùm quia non est fortitudo, non est consilium contra Deum, dum tractaretur cum Baronibus de liberatione illorum qui in civitate ipsa catholici censebantur, ribaldi & alij viles & inermes personæ non expectato mandato Principum in civitatem fecerunt insultum, & mirantibus nostris, cùm clamaretur *Ad arma, ad arma*, quasi sub duarum vel trium horarum spatio transcensis fossatis ac muro capta est civitas Biterrensis, nostrique non parcentes ordini, sexui, vel ætati, ferè viginti milia hominum in ore gladij peremerunt; factaque hostium strage permaxima, spoliata est tota civitas & succensa, ultione divina in eam mirabiliter sæviente. Disseminato ergo rumore tanti miraculi usque adeo territi sunt universi ut montana petentes & invia inter Bitterrensem & Carcassonam reliquerunt castra nobilia plusquam centum, referta tamen cibariis & reliqua supellectili quam fugientes secum nequiverant asportare; inter quæ castra erant quamplurima adeo natura loci, viris, divitiisque munita ut viderentur insultum nostri exercitus posse facilè longissimo tempore sustinere. Inde duce Domino, cujus ducebatur amore, in festo sancti Petri ad vincula totus Christi exercitus Carcassonam pervenit, civitatem utique populosam, & in sua perfidia tam loci fortitudine quàm divitiarum abundantia gloriantem. Obsessa igitur civitate, in crastinum nostri fecerunt insultum in primum suburbium; quod utique licèt vallo, muro, & propugnaculis valde munitum esset, nostri tamen inter imbres lapidum, inter tela balistarum, inter lanceas & gladios defendentium, quasi sub duarum horarum spatio omnia transcendentes, tam potenter quàm mirabiliter intravere suburbium, ipsumque incendio vastaverunt. Inde verò erectis machinis, octavo die captum est majus suburbium, & ab ipsis civibus incendio devastatum. Concluses igitur hostibus infra civitatis angustias, cùm supra quàm crederetur à nostris multa interiùs cives ipsius laborarent inedia, se ac sua omnia & civitatem ipsam obtulere signatis, dummodo eis vita ex misericordia servaretur, & deducerentur securi tantummodo una die. Habito itaque communi consilio, quasi necessariò Principes sunt induti ad hanc misericordiam faciendam; tum quoniam apud homines non videbatur civitas facilè posse capi, utpote loci positione & humana industria munitissima, licèt hoc facile Deo esset, qui omnia faciebat; tum quia plurimùm timebamus ne si vi civitas caperetur, sicut dè aliis locis jam contigerat, etiam invitis Principibus, sive ab his qui nobiscum erant corpore sed non mente, sive ab ipsis hostibus omnia incendio vastarentur; & sic hujusmodi necessitate inducti, sub prædicta forma recipi permisimus civitatem, ut ea per catholicos viros munita, reliquæ civitates & castra quæ occupavit exercitus ab hæresi per catholicorum prudentiam expientur, qua per incolarum nequitiam fuerant hactenus turpiter maculata. Vt igitur terra quam in servorum suorum manibus Deus dedit, ad honorem ipsius sanctæque Romanæ Ecclesiæ ac totius Christianitatis servetur, nobilis vir Simon de Monteforti, sanctitati vestræ, sicut credimus, bene notus, vir armis strenuissimus, fide devotissimus, ac totis viribus persequi desiderans hæreticam pravitatem, in Principem & dominum terræ ipsius de communi consilio est electus; cujus quantum sit desiderium circa reparandum in partibus illis Ecclesiæ Dei statum ex hoc evidenter apparet quoniam jam ipse disposuit ut de tota terra quam ibidem dederit ei Deus decimæ & primitiæ Ecclesiis cum integritate solvantur, ac si quis huic suo proposito contraire, ipsum tamquam suum & Ecclesiæ inimicum totis viribus impugnaret, ac de singulis laribus terræ suæ vult annuatim Romanæ Ecclesiæ denarios tres persolvi; & ne possit in ditione sua censura ecclesiastica vilipendi, constituit ut si castellanus per quadraginta dies in excommunicatione permanserit, antequam reconcilietur Ecclesiæ centum solidos, si Miles fuerit, vel burgensis quinquaginta, si plebeius quilibet, viginti solidos componat; & in recognitionem dominij Romanæ Ecclesiæ, aliorum dominorum in omnibus salvo jure, disposuit annis singulis certam vobis solvere pensionem. Pro ipso igitur & cum ipso beatitudini vestræ preces offerimus humiles & devotas quatinus in suis petitionibus, quas faciet per solemnes nuntios qui sunt pro eo ad sedem apostolicam accessuri, eum solita pietate dignemini exaudire; ut per favorem Romanæ Ecclesiæ terram illam prorsùs emundet ab hæretica pravitate. Licèt enim major pars exercitus ad partes suas redierit, expedito per Dei gratiam duorum mensium spatio quod vix sperabatur posse per biennium vel triennium expediri, adhuc tamen tot Milites alijque probi homines cum dicto nobili remanserunt quòd, dummodo ab Ecclesia, cujus negotium ipse gerit, in expensis juvetur, facile sibi erit non solùm acquisitam terram defendere, sed expulsis prorsùs hæreticis, præter Tolosam, totam aliam occupare. Cùm enim, præter civitates, plusquam ducenta optima castra possideat, ac Vicecomitem Biterrensem hæreticorum pessimorum defensorem teneat vinculis compeditum, evidenter apparet eum ad muniendam terram hujusmodi & aliam acquirendam multis viris ac viribus indigere. Multa quæ desunt prædicti nuntij sanctitati vestræ referent viva voce, sicut qui semper præsentes fuerunt.

* Trincavellum. *Vide hist. Albig. cap. 15. & Guill. de Podio-Laur. c. 13.*

Vide hist. Albig. cap. 16.

Vide hist. Albig. cap. 17.

Vide infra epist. 111.

DOMINO PAPÆ.

Epist. 109. De expugnatione hæreticorum. Vide infra epist. 111.

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia apostolicæ sedis summo Pontifici Simon Comes Leicestriæ, Dominus Montisfortis, Biterrensis & Carcassonensis Vicecomes, salutem, & tam debitæ subjectionis quàm reverentiæ plenitudinem. Noverit sanctitas vestra quòd audito mandato vestro mihi specialiter destinato, omni

mora postposita ad partes Albienses iter meum super hæreticos præparavi; ubi Dei vocatione & assensu procerum crucesignatorum, quamuis indignus, ad terræ illius regimen & dominatum advocatus & unanimiter electus, ibi ad honorem Dei & fidei catholicæ supplementum, si valeam, proposui remanere, spem habens in Domino præcipuam quòd pravitas hæretica in illis partibus funditùs destruetur, si vestro fruar auxilio, præveniente gratia Dei. quæ duo mihi conferunt spem totius consilij post laborem. Veruntamen quia labor est sumptuosus duplici de causa, oportet ut cura pervigili, sicut bono inchoastis principio, fine peroptimo terminetis. A terra enim illa proceres terrarum qui ibi in expeditionem super hæreticos confluxerant, me ferè solum inter inimicos Christi per montes & scopulos vagantes cum non multo milite reliquerunt; & terram præ nimia paupertate, cujus bona destructa sunt, sine vestro & fidelium auxilio non potero diutiùs gubernare. Ipsi enim hæretici partim castella reliquerunt vacua & subversa fugientes, partim verò ex illis fortioribus adhuc tenent, Dei exercitui resistentes, donec ipsorum spurcitia victrice Dei dextera comprimatur. Oportet siquidem me conducere soldarios qui mecum remanserunt grandiori pretio quàm in aliis guerris. Vix enim possum aliquos retinere nisi duplici remunerentur remuneratione. Statutum est verò quòd Ecclesia Romana, quæ caput nostrum & fidei catholicæ esse dinoscitur fundamentum, solutione trium denariorum ab unoquoque hospitio annuatim per illam terram perenniter congaudebit; & hoc peto à vestra sanctitate firmiter confirmari. Decimas siquidem, quas huc usque hæretici detinuerunt, dignum duxi Ecclesiis terræ & Ecclesiarum ministris sine aliqua diminutione per totam terram fideliter dispensare. Cetertùm his ita jam pro posse meo ad honorem Dei dispositis, vestram mea parvitas deposcit sanctitatem ut dictam terram, quæ mihi ex parte Dei & vestra & per Legatum vestrum Abbatem Cistercij, communicato super hoc *tenus exercitus consilio, mihi & heredibus meis, illis etiam qui laboris participes ejusdem terræ secundùm merita acceperint portionem, benignè dignemini confirmare. Venerabilem siquidem virum Abbatem Cistercij præ ceteris negotio Dei fideliorem & proniorem in omnibus inveni, sermone, opere, consilio, fide integra constantiorem. Et quia non nocet admisso subdere calcar equo, vestræ supplico paternitati ut de me & de terra sit ipse sollicitus, sicut consuevit, per apostolicam monitionem dignemini commonere. Verùm quia quæ expediunt non valeo penitùs prænotare, sanctitati vestræ dilectum & fidelem meum nobilem virum R. latorem præsentium transmittere decrevi, cujus absentiam graviter me expedit sustinere, cùm ipse mihi fuerit pars consilij & auxilij supplementum, ut quæ vestræ sanctitati ex parte mea dixerit firmiter rata habeatis.

ADVLPHO QVONDAM Colonienſi Archiepiſcopo.

Epiſt. 110. Confirmatur ei penſio 150. marcarum.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, provisionem ducentarum & quinquaginta marcarum quam tibi venerabilis frater noster Colonienſis Archiepiscopus de consilio & assensu Priorum & conniventia nobilium terræ ac ministerialium & civium Colonienſium ad mandatum nostrum percipiendam annis singulis assignavit, sicut in ejus authentico continetur, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VII. Idus Novembr. pontificatus nostri anno duodecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS Ieroſolymitani hoſpitalis ſancti Ægidij.

Epiſt. 111. Confirmatur eis donatio facta à Comite Forcalcarienſi.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, castrum, burgum, & palatium de Manuascha & alia omnia cum suis pertinentiis à Guillelmo quondam Comite Forcalcarienſi domui vestræ piè concessa, sicut ea justè ac pacificè possidetis, & in instrumento ipsius Comitis continetur, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem cautelam instrumentum prædictum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum; cujus tenor est talis. EGO GVILLELMVS Dei gratia Comes Forcalcarienſis, filius Domini Comitis Bertrandi & Dominæ Comitissæ Iaucerandæ, pietatis intuitu & in redemptione peccatorum meorum & parentum meorum, & in compensatione damni Hospitali & fratribus à me illati, dono & jure perfectæ donationis inter vivos trado in perpetuum, sine omni retinemento, Domino Deo & fratribus Hospitalis Ierosolymitani præsentibus & futuris in manus de te fratre Petro de Falcone ejusdem Hospitalis Priore propriam domum meam, scilicet palatium de Man-

» vascha, cum omnibus pertinentiis suis, » quod meis sumptibus ædificavi, & præte- » rea quicquid quocunque jure ad me perti- » net vel quandocunque pertinuit in burgo » & castro de Manuascha & in eorum perti- » nentiis & in totas auras intus & extra, cum » terris cultis & incultis, pratis, nemoribus, » aquis, aquarum decursibus, & cum homi- » nibus & feminabus, & cum justitiis, fir- » mantiis, & jurisdictione, & explectis, si- » cut melius generaliter vel specialiter posset » nominari, sicut ego vel aliquis de genere » meo per nos vel per alium unquam melius » vel plenius habuimus vel possedimus vel » habere vel possidere visi sumus ubicunque » in omnibus suprascriptis territoriis, seu in » quolibet eorum, hoc est, usque ad territo- » rium sanctæ Tuliæ, & usque ad territorium » Petræ viridis, & usque ad territorium Mon- » tisfuronis, & usque ad territorium sancti » Martini, & usque ad territorium Dalfini, » & usque ad territorium de Vols, & usque » ad flumen Durentiæ. quæ utique omnia in » eadem donatione in formam suprascriptam » concludo, & profiteor & in veritate re- » cognosco me eandem dudum domui Hos- » pitalis celebrasse donationem, & à tempo- » re prædictæ donationis omnia prædicta pro » domo Hospitalis possedisse. Et modò in » præsenti totum prædictum palatium & bur- » gum & castrum de Manuascha & totas au- » ras & si quid meo nomine in prædictis vel » infra prædicta loca possideo, nomine Hos- » pitalis & fratrum ibidem Deo servientium » præsentium & futurorum me constituo pos- » sidere, tantùm dum vixero, ut exinde fra- » tres Hospitalis sua auctoritate, nullius re- » quisito consilio, nec alicujus voluntate ex- » pectata, omnium suprascriptorum posses- » sionem absque contradictione valeant oc- » cupare & ut proprium habere ad omnes » voluntates suas inde faciendas. Præterea » corpus meum vovens & offerens pro se- » pultura cimiterio domus Hospitalis, profi- » teor & in veritate recognosco Guigonem » avunculum meum bonæ memoriæ prædic- » torum locorum omnium domui Hospitalis » & fratribus præsentibus scilicet & futuris » fecisse donationem, quam specialiter bona » fide & sine dolo laudo & in perpetuum » confirmo. Omnia itaque & singula sicut » superiùs scripta sunt me perpetuò bona fi- » de servaturum per me successoresque meos » nec aliquo jure scripto vel non scripto vel » ratione contraventurum per stipulationem » promitto, & me & meos inde devestio, & » domum sive domos Hospitalis & fratres » scilicet præsentes & futuros inde investio.

Et ut prædicta donatio & omnia suprascripta post obitum meum majori & perpetua gaudeant firmitate, Barones & proceres meos & homines de Manuascha, quorum nomina infrà scripta sunt, per sacramentum fidelitatis & hominij quo mihi tenentur astricti commoneo eosque de novo jurare præcipio ut prædictam donationem tam devotè factam pro posse suo servent & servari procurent, & si quis in posterum contra prædictam munificentiam aliquo modo venire tentaret, contra illum vel illos pro posse suo domui & fratribus Hospitalis auxilium & consilium impendant, ab omni violentia defendant, & ipsis Hospitalariis homines de Manuascha in omnibus & per omnia tamquam veris dominis obedientes existant, & de prædictis, si necessitas exigeret, testimonium ferant Prædictæ quoque donationi specialiter adicio, scilicet ut jure perfectæ donationis habeant in perpetuum omnes hereditates seu possessiones vel honores qui fuerunt Militum vel hominum castri de Manuascha, quas pro malitia seu perfidia vel proditione quam contra me commiserunt jure confiscationis occupavi, ita ut nullus eorum aliquo tempore suas valeat possessiones recuperare nisi ad cognitionem Domini Prioris pro tempore in prioratu Hospitalis residentis à crimine tantæ perfidiæ ac proditionis sese purgaverint. Ad majorem omnium suprascriptorum firmitatem atque cautelam hanc chartam præsentari volo Domino Papæ & Domino Imperatori, & in eorum notitia quicquid in ea continetur deduci; & ad perpetuam rei memoriam & indubitabilem fidem eorum sigillis præsentem paginam precor communiri. Ad hæc, nos Barones & proceres & homines infrascripti piæ Domini Comitis donationi gratum præbentes assensum, bona fide promittimus & tactis sacrosanctis evangeliis juramus quòd omnia & singula & prædicta pro posse nostro domui & fratribus Hospitalis præsentibus & futuris defendemus & contra omnes ad tuitionem prædictæ donationis auxilium & consilium ipsis præstabimus, & nos homines de Manuascha ipsis post obitum Domini Comitis tamquam dominis fideliter obediemus. Illi itaque qui juraverunt sunt ij. W. de Sabrano, Raimbaudus Osasica, & Raimundus frater ejus, Bertrandus de Villamuro, Guigo Roze, Isnardus de Dalfino, Laugerius de sancto Maximo, & Bertrandus frater ejus, Petrus Ferulfus, Durandus Basili, Tibanus, Guigo Barbatorta, Vgo de Manuascha, Arbetetus

„ betetus Mimus, W. de Cucurone, Gui-
„ bertus de Rellania, Lambertus de Rella-
„ nia frater ejus, Vgo de Montejuſtio, Pe-
„ trus Nigrellus, Bertrandus Savini, Lauge-
„ rius Savini, W. Cornuti, W. de Forcalle,
„ Ramundus Riperti, Roſtagnus Roze, W.
„ de Villamuro, Bertrandus Cornuti, Ber-
„ trannetus de Villamuro, W. Petri de Ma-
„ nuaſcha, Garnerius, Ramundus Bonuſto-
„ ſius, Bertrandus Felicius, W. Vetula,
„ Bertrandus de Sannone, W. Garnerij,
„ Iohannes Petri, W. Rainaudi, Iſnardus
„ Rainaudi, Petrus Roſtagni, Geraudus E-
„ braudi, W. Symon, Bernardus Ricolus,
„ Petrus Niger, W. de Terrallo, Stepha-
„ nus Mercerij, W. de Croſo, Paganus,
„ Poncius Rainaudi, Petrus Gaudi, Iohan-
„ nes Capuci, Matthæus, Petrus Bona & fi-
„ lius ejus Petrus, Rainaudus de Bariolo,
„ Roſtagnus de ſancto Petro, Bernardus Ca-
„ ſarius, Stephanus Bochiardi, W. Vetus,
„ Imbertus Mazellari, Guerrinus, Petrus
„ Raxenni, Bernardonus, Odo, W. Mar-
„ quiſius, Petrus Scoferius, Iohannes Vnc-
„ tor, Iſnardus Cuſenderius, Petrus Blan-
„ chuberius, Ruffus Veridiz, Cor de Rou-
„ re, Ramundus Seſtaronus, W. Bergono-
„ nus, W. Faber, Bernardus Banniator, Pe-
„ trus Niger, Croginus, Iohannes Rueme,
„ Bertrandus Furnerius, Geraudus Maurel-
„ li, Iacobus Malpel, Petrus Rueme, W.
„ de ſancto Martino, Bertrandus de Arela-
„ to, W. Micolavi, Redonnus, Geraudus
„ Buerius, Bertrandus Mazellarius, Guigo
„ Arquerius, W. Aurici, Petrus Breti, Pe-
„ trus Gallina, Petrus Radeire, Fulquerius,
„ Petrus Andreas, Vv. Benedictus, Vv. Mar-
„ telli, Arnaudus Agrena, Iohannes Deſ-
„ calcius, Petrus Raſcatius, Arbertus de
„ Villamur, Adam, Vv. Iohannes, Vv. Vin-
„ cenci, Tedanus, Vv. de Leuno, Iacobus
„ de Pruneriis, Vv. Feutrerius, Petrus Bar-
„ reti, Martinus Croterij, Michaël Ginar-
„ di, Iohannes de Opere, Iohannes de No-
„ nai, Stephanus Recobreire, Iohannes Sa-
„ xa, Iacobus Breti, Stephanus Roſſalpaix,
„ Petrus Stephanus, Bartholomæus Mona-
„ chus, Bonetus Aifre, Vv. Garemberga,
„ Totas auras, Rogerius, Vv. Blanc, Pe-
„ trus Bernardus, Bertrandus Vetus, Rofre,
„ Andreas Paneri, Poncius Sartor, Girau-
„ dus Sartor, Petrus Sartor, Raimundus
„ Durandi, Iohannes Ricardus Mauranne-
„ tus, Stephanus Serrator, Vv. Rainaudi,
„ Iohannnes Ruffus, Iohannes Raxenni,
„ Petrus Autricus, Petrus Adam, Geraudus
„ de Valanciola, Petrus Monachus, Petrus
„ Bramancionus, Maurannus Roſtagnus ber-

begerius, Petrus Bona, Michaël Arnulfi, „
Bertrandus Gali, Vincentius Saguator, „
Iohannes Brunelli, Radulfus de Volvei, „
Ramundus Barreti, Ramundus Barbaro- „
ti, Bertrandus Corcoſſon Buerius, Ber- „
trandus de Malafogacia, Petrus Botelle- „
rius, Michaël Cotalonga, Petrus Robau- „
dus, Vgo Bernardus, Iohannes Garinus, „
Iohannes Frenerius, Iohannes Mercerius, „
Vv. Bos, Bernardus de Recluſo, Colum- „
bus Pipeti, Vgo Martini, Poncius Gebe- „
lini, Vv. Robaudus, Roma Senoreti, Ge- „
raudus Furgoni, Bertrandus de Salto, Vv. „
Caſe, Vv. Furgoin, Germanus Audeber- „
tus de Valentiola, Vv. Bibenſaquam mu- „
rator, Iohannes Faber, Iacobus Borgarel- „
li, Vv. Imberti, Ramundus Rainaudi, Im- „
bertus Faber, Petrus Barbaroti, Vv. Fe- „
licius, Iohannes Niger, Petrus Gontardus, „
Vv. Bibenſaquam berbegerius, Poncius „
Mexoneri, Aymus Capuci, Guigo Capu- „
ci, Petrus Olive, Vv. Garemberge, Pe- „
trus de Curello, Petrus Squeire, Raimun- „
dus Motetus, Petrus Remuſati, Bernar- „
dus Faber, Simon Ramundus Bexonius, „
Martinus Garini, Ramundus Buerius, „
Roſtagnus Hoſpitalarius, Bertrandus Teſ- „
ta, Vv. Recobreire, Petrus Bernardus, „
Vv. Ramundus, Geraudus Faiditi, Vv. „
Gaufredi, Vv. Guido, Iſnardus Coſini, „
Martinus Corderij, Iohannes Furnerius, „
Martinus Florentij, Ramundus Arnaudus, „
Ramundus Sauneri, Iſnardus Roſtagni, „
Petrus Revelli, Iohannes Fretun, Petrus „
Robaudi, Geraudus Gerini, Is. Iohannes „
Merceri, Vv. Bos, Bernardus Vv. Ro- „
baudi, Bernardus Iacobus, Ramundus „
Guavaudani, Iohannes Burſeri, Petrus „
Alvernaci, Poncius Cabreri, Iohannes ber- „
begeri, Vv. Braidun, Gaufredus Ranulfi, „
Petrus Berni, Ramundus Aſtorgo, Petrus „
de Mura. Petrus Notarius Domini ſupra- „
dicti Comitis Vv. manduto hanc hujus piæ „
donationis chartam dictavit, & propriis „
manibus conſcripſit, & cum hoc præſenti „
plumbeo ſigillo ipſius Comitis corroboran- „
do publicè ſigillavit.] Nulli ergo omnino „
hominum liceat hanc paginam noſtræ con-
firmationis infringere vel ei &c. *uſque* in-
curſurum. Datum Laterani 11. Kal. No-
vembris, pontificatus noſtri anno duode-
cimo.

NOBILI VIRO PONCIO Lugdunenſi.

Epiſt. 111. Datur ei facultas conferendi decimas.

CVm à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per ſollici-

tudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ut decimas possessionum castri de Kerisoth & Calavath Ecclesiæ ipsius castri cum Episcopi diocesani assensu sine juris præjudicio alieni possis conferre, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Non. Novembr. anno duodecimo.

CONSTANTINOPOLITANO Patriarchæ.

Epist. 113. Vt quendam Canonicum recipi faciat.

SI preces apostolicas pro iis tibi dirigimus & mandatum quorum habes notitiam pleniorem, tanto nos convenit faciliùs exaudiri quanto eis pro quibus scribimus, præter nostra monita, propria merita suffragantur. Inde est quòd pro dilecto filio G. Clerico carissimi in Christo filij nostri Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus eundem pro reverentia beati Petri & nostra, intuitu quoque Imperatoris ejusdem, qui nobis pro eo humiliter supplicavit, in Ecclesia sanctæ Sophiæ recipi facias in Canonicum & in fratrem, mandatum apostolicum taliter impleturus quòd tua fraternitas possit exinde meritò commendari. Datum Laterani &c. ut in alia.

VARISSIENSI, THEBANO, & Larissensi Archiepiscopis.

Epist. 114. De fidelitate præstanda Imperatori.

CArissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris sua nobis conquestione monstravit quòd quidam tam Latini quàm Græci Archiepiscopi & Episcopi & imperialium monasteriorum Abbates de toto imperio Romaniæ fidelitatem ei debitam facere contradicunt. Nolentes igitur quòd idem sua justitia defraudetur, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus Imperator de aliquo Prælatorum ipsorum, qui ei recusant fidelitatem debitam exhibere, suam coram vobis deposuerit questionem, vos eos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo prævia ratione cogatis. Quòd si non omnes iis exequendis &c. duo vestrum &c. ut in alia.

ARCHIEPISCOPO VARISSIENSI, & Episcopo Salimbrensi, & Decano sanctæ Mariæ de Blakerna Constantinopolitano.

Epist. 115. De Præpositis ab Imperatore constitutis.

GRavem ad nos carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris querimoniam destinavit quòd venerabilis frater noster Patriarcha Constantinopolitanus in præposituris ad eum spectantibus pro suæ voluntatis arbitrio volens Præpositos ordinare ipso penitùs inconsulto, Præpositos institutos in eis & earundem Clericos tamquam excommunicatos evitat in ipsius præjudicium & gravamen. Vnde eidem dedimus in mandatis ut ab ipsius super præmissis molestatione indebita conquiescens, Præpositos institutos in eis taliter in pace dimittat, quòd inter eum ac Imperatorem ipsum, quod absit, non possit scandalum exoriri. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictum Patriarcham ad id moneatis attentiùs & inducere procuretis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani ut in alia.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

Epist. 116. De eadem re.

GRavem ad nos &c. *in eundem ferè modum usque* gravamen. Cùm igitur illius jura debeas servare illæsa qui te super tuis justitiis non molestat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ab ipsius super præmissis molestatione indebita conquiescens, Præpositos institutos in eis taliter in pace dimittas quòd inter te ac Imperatorem ipsum, quod absit, non possit scandalum exoriri. Datum Laterani II. Non. Novembris anno duodecimo.

EIDEM.

Epist. 117. Non licere Patriarchæ unionem sedes episcopales.

OBlata nobis carissimi in Christo filij nostri Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris conquestio patefecit quod episcopatus Dan. & Euthlochi existentes in parte ipsius archiepiscopatui Erachiensi existenti in parte Venetorum uniti eo penitùs inconsulto in ipsius præjudicium & gravamen. Cùm igitur &c. *ut in alia usque* mandamus quatenus si est ita, unionem ipsam taliter studeas revocare quòd inter te &c. *usque* suboriri. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Varissiensi & Episcopo Salimbriensi & dilecto filio Decano sanctæ Mariæ de

Blakerna Constantinopolitano dedimus nostris litteris in mandatis ut quod in præjudicium ipsius Imperatoris super præmissis præsumptum invenerint, sublato appellationis obstaculo non differant legitimè revocare, significaturi nobis si ad uniendas episcopales sedes, quod sine speciali mandato nostro tibi non licet, procedere attentasti. Datum Laterani 11. Non. Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Vide gesta Innoc. III. pag. 43 col. 1.

Scriptum est ipsis in eundem modum usque quòd venerabilis frater noster Patriarcha Constantinopolitanus &c. *usque* univit &c. *ut in alia usque* gravamen. Vnde eidem dedimus in mandatis ut, si est ita, unionem ipsam taliter studeat revocare quòd inter eum &c. *usque* suboriri. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus Patriarcha mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos quod in præjudicium ipsius Imperatoris super præmissis præsumptum inveneritis, sublato appellationis obstaculo non differatis legitimè revocare, significaturi nobis si ad uniendas episcopales sedes, quod sine speciali mandato nostro sibi non licet, idem Patriarcha procedere attentavit. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani 11. Non. Novembris, anno duodecimo.

OTTONI ILLVSTRI Romanorum Imperatori semper Augusto.

Epist. 118. De negotio Episcop. Bambergens. Vide supra lib. 11. epist. 110.

QVantumcunque sit detestabile illud horribile facinus quod in nece claræ memoriæ Philippi quondam Ducis Sueviæ commissum fuit à filiis Belial, detestandum est tamen & illud iniquum judicium quod contra venerabilem fratrem nostrum Pabembergensem Episcopum occasione necis illius nimis extitit inordinatè præsumptum: quoniam etsi fortè culpabilis super hoc idem Episcopus potuisset ostendi, ordinato tamen & æquo debuerat examine judicari. Vnde nos ipsum negotium volentes reducere ad tramitem rationis, dudum venerabili fratri nostro Hugolino Hostiensi Episcopo & dilecto filio Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali tunc apostolicæ sedis Legatis illud commisimus sub hac forma, ut si super nece prædicti Ducis, accusatore contra prædictum Episcopum legitimo comparente, fuisset coram ipsis culpabilis comprobatus, ab omni eum officio & beneficio ecclesiastico sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponere procurarent; alioquin indicerent ei purgationem canonicam; in qua si fortè deficeret, censura eum simili condemnarent; quòd si legitimè se purgaret, denuntiarent eum super objecto crimine penitùs innocentem; ante omnia providentes ut si quid contra eum vel ejus Ecclesiam esset perperam attentatum, in statum debitum revocarent. Cùmque postmodum ab eisdem Legatis memoratus Episcopus evocatus, se gravibus exponens periculis, ad ipsorum præsentiam accessisset, ejusdem impedientibus adversariis & ad sedem apostolicam appellantibus, in negotio non extitit memorato processum. Verùm licèt præfixo ab illis termino propter hoc idem Episcopus ad apostolicam sedem accesserit, hi tamen qui duxerant appellandum, quamquam in comitatu tuo fuerint cùm coronandus ad nostram præsentiam accessisti, coram nobis tamen contra dictum Episcopum comparere per se vel responsales idoneos minimè curaverunt. Licèt ergo juxta juris rigorem aliter potuerimus in negotio ipso procedere, ad abundantiorem tamen cautelam venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Maguntino & Herbipolensi Episcopo & dilectò filio Abbati Fuldensi Herbipolensis dioceseos nostris damus litteris in præceptis ut in statum pristinum revocent quicquid contra sæpefatum Episcopum vel ipsius Ecclesiam perperam invenerint attentatum, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per excommunicationis sententiam in personas & interdicti, si necesse fuerit, in terras eorum, appellatione postposita coercendo, nonobstante sententia quæ contra ipsum dicitur promulgata, cùm ipso jure nulla penitùs sit censenda. Denuntiatione verò publicè facta, si super nece præfati Ducis, accusatore legitimo infra tres menses contra dictum Episcopum comparente, culpabilis coram eis fuerit comprobatus, ab omni eum officio & beneficio ecclesiastico sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponere non postponant. Alioquin ex tunc omni contradictione, appellatione, ac excusatione cessante, purgationem canonicam eidem indicant; in qua si fortè defecerit, eum simili censura condemnent. Quòd si legitimè se purgaverit, denuntient eum super objecto crimine penitùs innocentem, molestatores ipsius per censuram canonicam appellatione postposita compescendo. Quocirca serenitatem tuam rogan-

dam duximus & monendam quatenus diligenter efficias ut quod à nobis rationabiliter eſt proviſum, efficaciter impleatur, non permittens ut quiſquam difficultatem ingerat vel impedimentum opponat, univerſis rebus dicti Epiſcopi & Eccleſiæ ſuæ, quas, prout aſſeritur, detines, eidem ſine difficultate qualibet reſtitutis. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus noſtri anno duodecimo.

MAGVNTINO ARCHIEPISCOPO, & Epiſcopo Herbipolenſi, & Abbati Fuldenſi Herbipolenſis dioceſis.

Epiſt. 119. De eadem re.

QVantumcunque ſit deteſtabile illud horribile facinus quod &c. *ut in alia per totum uſque* quamquam in comitatu fuerint cariſſimi in Chriſto filij noſtri Ottonis illuſtris Romanorum Imperatoris cùm ad nos coronandus acceſſit, in noſtra tamen præſentia contra dictum Epiſcopum comparere per ſe vel reſponſales idoneos &c. *ut in alia uſque* cautelam, diſcretioni veſtræ præſentium auctoritate præcipiendo mandamus quatenus in ſtatum priſtinum revocetis quicquid contra ſæpefatùm Epiſcopum &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, ab omni eum officio & beneficio eccleſiaſtico ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo deponatis &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* compeſcendo. Quòd ſi non omnes &c. Datum ut in alia.

SALZEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 120. De eadem re.

QVantumcunque ſit deteſtabile illud &c. *ut in alia uſque* judicari. Cùm igitur dilectus filius nobilis vir Dux Auſtriæ quædam bona ipſius & Eccleſiæ ſuæ occaſione hujuſmodi detineat, ſicut dicitur, occupata, eundem nobilem rogamus attentiùs & monemus per apoſtolica ſibi ſcripta mandantes ut bona ipſa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Epiſcopo vel ejus nuntio ſine qualibet difficultate reſtituere non poſtponat. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus ſi dictus Dux quod mandamus neglexerit adimplere, tu eum ad id per excommunicationis ſententiam in perſonam & interdicti, ſi opus fuerit, in terram ſuam appellatione remota compellas. Datum Laterani &c. ut in alia.

NOBILI VIRO DVCI AVSTRIÆ.

QVantumcunque ſit deteſtabile illud facinus &c. *ut in alia uſque* judicari. Cùm igitur quædam bona ipſius & Eccleſiæ ſuæ occaſione hujuſmodi detineas, ſicut dicitur, occupata, nobilitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes quatinus bona ipſa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Epiſcopo vel ejus nuntio ſine difficultate qualibet reſtituere non poſtponas. Alioquin venerabili fratri noſtro Salzeburgenſi Archiepiſcopo noſtris damus litteris in præceptis ut te ad id per excommunicationis ſententiam in perſonam & interdicti, ſi opus fuerit, in terram tuam appellatione remota compellat. Datum Laterani Idibus Novemb. pontificatus noſtri anno duodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI de Monteforti, Comiti Leceſtriæ, Vicecomiti Biterrenſi.

HAbuiſſe bajulos dominici verbi fidem ad ſinapis evangelicæ quantitatem felix tuæ tranſlatio promotionis oſtendit, dum nominationis tuæ non ſolùm ſed & denominationis vocabula bonis interpretatus operibus, in auditu auris obediſti ſecundùm nomen tuum in locum peregrinationis exire, ac ſicut mons infirmas partes Eccleſiæ muniturus, ad verbum prædicatorum fidelium es tranſlatus, ut tuæ denominationis deludendo vocabulis in bello Domini fortis eſſes, pugnandoque cum miniſtris antiqui ſerpentis, atrum hæreticorum atrium à forti dudum cuſtoditum armato fortior ſuperveniens de ipſius erueres poteſtate, & non ſolùm ejus ſpolia diſtribueres, verùm etiam arma in quibus confidebat auferres. Hujus itaque conſiderationis obtentu, cùm in manibus tuis & aliorum fortium quos in ſanctum exercitum congregatos zelus Domini contra fidei ſubverſores armavit necnon etiam Legatorum noſtrorum Carcaſſonenſem & Biterrenſem civitates ac alias hæreticorum terras mirabiliter altiſſimus tradidiſſet, Principes ejuſdem exercitus cum præfatorum Legatorum conſilio tuo ipſas regimini commiſerunt, ſperantes in Domino quòd per providentiam tuam omnis ab ea debeat hæreticæ pravitatis eliminari ſpurcitia & ibidem ſalubriter reformari puritatis catholicæ diſciplina. Nos igitur quod ab ipſis piè ac providè factum eſt ratum & gratum habentes, civitates & terras ipſas,

ſicut tibi ſunt ad divinæ majeſtatis honorem pro tutela pacis & fidei defenſione conceſſæ, tibi & heredibus tuis in fide catholica & devotione ſedis apoſtolicæ permanentibus auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, principalium dominorum & aliorum etiam, ſi quibus fortè competit, jure ſalvo, exceptis prorſùs hæreticis, fautoribus, credentibus, defenſoribus & receptatoribus eorundem; in quos etiam ſecundùm ſacræ legis cenſuram auctoritatis eſt aculeus dirigendus, cùm facientes & conſentientes pari pœna canonica proviſio perſequatur. Ad indicium autem quòd terras ipſas in devotione apoſtolicæ ſedis & ſancta religione conſervare diſponas, tres denarios ſtatuiſti per ſingulas domos ejus annualiter Eccleſiæ Romanæ ſolvendos, & illorum pravam conſuetudinem qui ſecundùm partium finitimarum abuſum decimas & primitias eccleſiaſticas hereditario jure immo injuria ſibi vendicant, abolere, ipſas juxta legitimas ſanctiones ad Eccleſias revocando. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani 11. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno duodecimo.

Vide ſuprà epiſt. 109.

NOBILI VIRO SIMONI de Monteforti.

Epiſt. 113. Reſcindet epiſtolæ 109.

NVntios & apices tuos paterna benignitate recepimus, & ſuggeſta per ipſos intelleximus diligenter, omnipotenti Deo laudes & gratias referentes de iis quæ contra peſtilentiſſimos hoſtes ſuos per te ſimul & alios ad hoc opus orthodoxæ fidei zelo ſuccenſos miſericorditer eſt & mirabiliter operatus. Illud autem auditui noſtro dedit gaudium & lætitiam quòd terris hæreticorum contagione purgatis conſilium altiſſimi te præfecit, cùm ſperemus in Domino quòd per prudentiam tuam in his quæ geſta ſunt & gerenda Eccleſia ſua ſit multipliciter profectura. Quapropter petitiones tuas nobis oblatas, in quantum honeſtas potuit gratiæ præſtare favorem, gratanter admiſimus, terras ipſas tibi ac heredibus tuis, prout expedire cognovimus, confirmantes, & litteras ad nonnullas provincias & potentes viros ac nobiles mulieres pro tuo ſuccurſu, cum aliis quoque litteris ad idem negotium facientibus, concedentes, cariſſimos in Chriſto filios noſtros Ottonem Romanorum Imperatorem, Aragonum ac Caſtellæ Reges illuſtres ad hoc ſatis affectuosè per ſpeciales litteras exhortando. Et fortaſſis ampliùs feciſſemus, niſi propter neceſſitatem urgentiſſimam terræ ſanctæ per magnos & ſpeciales nuntios ad nos inde tranſmiſſos pro ſuccurſu ejus paulò antè deſtinaſſemus litteras generales; quarum proculdubio impediremus effectum, ſi & alias pro re hac è veſtigio mitteremus; cùm jam ij quorum animæ inter ejuſdem terræ penè penitùs deficientes ærumnas, in ſola poſt Deum auxilij quod hinc vadat expectatione reſpirant, nobis graviter ſunt conqueſti quòd ex indulgentia quam conceſſimus hæreticorum expugnatoribus, ſuccurſus prædictæ terræ periculosè fuerit impeditus. Monemus ergo ſtrenuitatem tuam & exhortamur attentiùs, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes quatinus attendendo prudenter quòd non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri, hoc quod Eccleſiæ Dei tuis & aliorum eſt laboribus acquiſitum, à cunctis expiatum perverſitatibus & adverſitatibus expeditum, in ſancta religione ſtudeas conſervare, ac taliter juxta mandatum Legatorum noſtrorum ad extirpandas reliquias hæreticæ pravitatis intendere quòd gratiam divinam & noſtram inde poſſis uberiùs promereri; ſciturus pro certo quòd hæc agens, in quibus illud duxeris requirendum, conſilium à nobis recipies & auxilium opportunum. Datum Laterani 111. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno duodecimo.

Vide epiſt. 114. 115.

OTTONI ILLVSTRI Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.

Epiſt. 124. Vt opem ferat Simoni de Monteforti.

LIcèt ad promovendum quælibet opera pietatis prompta debeat imperialis celſitudo conſiſtere, in his tamen quæ fidei cauſam continent ſperamus eam, prout etiam exoptamus, voluntariam invenire. Sanè cùm in provincia Narbonenſi hæretica dudum peſtis uſque adeo pullulaſſet ut veluti cancer ſerpens partes etiam timeretur finitimas infectura, quin immo in aliquibus infeciſſet, multifariè multiſque modis eam ſecundùm traditam nobis à Domino ſancti ſpiritus diſciplinam laboravimus abolere, ita quòd poſt multorum prædicatorum & exhortatorum inſtantiam, poſt occiſionem denique viri juſti, qui à nobis miſſus ad ipſos glorioſiùs demum creditur occiſus profeciſſe quàm vivus, noviſſimè fide magnus & numero catholicorum exercitus per inſpirationem divinam & ſollicitudinem apoſtolicam congregatus, de ipſis mirabiliter triumpha-

Vide ſuprà lib. 11 epiſt. 29.

vit, captiſque ferè quingentis tum civitatibus tum caſtellis, quæ per poſſeſſos ſuos diabolus habitabat, ſpiritui paraclito in repletis ſuis ſanctum eſt ibi habitaculum reparatum. Cùm igitur terra ipſa taliter ab hæretica pravitate mundata dilecto filio nobili viro Simoni de Monteforti ſuperno conſilio ſit commiſſa, & non ſolùm ad eam in ſancta religione ſervandam, verùm etiam ad extirpandas reliquias hujus peſtis, Chriſtianæ fraternitatis ei neceſſarius ſit ſuccurſus, parumque proſit lolium de una parte meſſis avelli ſi radicaturum in alia tranſplantetur, imperialem magnificentiam rogamus attentiùs & monemus, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes quatinus orthodoxæ fidei zelo ſuccenſus, per vires & viros imperij tui ſubditos neceſſarium opis & opum conſilium & auxilium illuc pro tantæ opere pietatis promovendo tranſmittas, & ſi quos hæreticorum exinde depulſorum confugere contigerit in imperium, non ſolùm recipi non permittas eoſdem, verùm etiam piiſſimam Auguſtorum in eos facias exerceri cenſuram; ut per hæc & alia bona quæ Domino feceris inſpirante augeat tibi Deus & gratiam in præſenti & gloriam in futuro. Datum ut in alia, anno duodecimo.

ILLVSTRI REGI Aragonum.

Epiſt. 125. De eadem re.

LIcèt ad promovendum quælibet opera pietatis prompta debeat regalis celſitudo conſiſtere &c. *ut in alia uſque* tranſplantetur, regalem magnificentiam &c. *uſque* per vires & viros potentiæ tuæ ſubditos &c. *ut in alia uſque* verùm etiam piiſſimam ſacræ legis in eos facias exerceri cenſuram &c. *ut in alia uſque* in futuro. Illud autem te ab hujuſmodi non revocet pietate quòd pro ſuſpecto paganorum incurſu ad exterminandum peſtilentes jamdictos tibi ſit opera minor danda; cùm etſi reputandi utrique ſint hoſtes, quanto ex his exonerare tibi curaveris unum latus, tanto aliud poſſis adversùs aliorum machinamenta firmare; illo inſuper ad tuam fortitudinem accedente, quòd in loco vicinorum hæreticorum catholicos amodo vicinos habebis, & tales quorum obſequia domi militiæque gratioſiora tibi eſſe poterunt quàm illorum. Datum ut ſuprà.

In eundem modum ſcriptum eſt illuſtri Regi Caſtellæ.

ABBATIBVS ET ALIIS Eccleſiarum Prælatis in partibus Narbonenſibus, Biterrenſibus, Toloſanis, & Albigenſibus conſtitutis.

Epiſt. [illegible] De bonis [illegible] fiſcatis.

OPtaveramus ut orthodoxæ fidei ſubverſores, qui ſe in partibus veſtris à communione fidelium præciderunt, non ſolùm ea quæ ſua dicebant, hæreticam pravitatem imitando, non perderent, ſed ad puritatem catholicam redeundo, nobiſcum in caritate ac pace quæ noſtra ſunt etiam poſſiderent. Verùm quia propter impœnitens cor eorum ſuper iniquitates ſuas Dominus de cœlo proſpexit, ad exterminationem ſuam rerumque publicationem ſuarum ſecundùm conſtitutiones civiles & canonicas eſt proceſſum; ut, quemadmodum ſcriptum eſt, impiorum ſpolia juſti tollant, & divitias theſaurizent ipſorum. Licèt igitur ea quæ apud vos quidam hæretici depoſuiſſe dicuntur, ſicut & aliæ res eorum, pro confiſcatis ſint meritò computanda, quia tamen Chriſtianæ religionis non eſt ex occaſione legalium præceptorum obtentu cupiditatis hoc fieri quod potiùs cauſa debet correctionis impleri, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ea quæ penes vos ab hæreticis ſunt depoſita, niſi forſan ad hoc præmoniti ſine dilatione curaverint ad Eccleſiæ unitatem redire, ut ſic de miſerationum Domini multitudine ſit cum eis miſericordia facienda, dilecto filio nobili viro Simoni de Monteforti, cui terra de hujuſmodi peſtilentium ſordibus expiata noviter eſt commiſſa, cum conſilio & mandato Legatorum noſtrorum aſſignare & tradere procuretis, in pios uſus pro publicis ejuſdem terræ utilitatibus expendenda. Datum ut in aliis.

ABBATI SANCTI VICTORIS, & ſanctæ Genovefæ & ſancti Victoris Prioribus Pariſienſibus.

Epiſt. 113. Ve tuitur Roberti Malivicini. Vide infrà epiſt. 130. 132. 135.

ATtendentes devotionem dilecti filij nobilis viri Roberti Malivicini, qui orthodoxæ fidei zelo ſuccenſus contra peſtilentes hæreticos non ſolùm laudabiliter jam pugnavit, verùm etiam conſtanter diſponit amodo ad ipſorum exterminationem intendere, terram de qua per manum Domini ſunt depulſi cum aliis catholicis habitando, dignum duximus eum pro eccleſiaſtica libertate pugnantem Eccleſiæ patrocinio confovere. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus ſi quis eum ac

socios suos in his quæ pacificè possidebant cùm iter arripuerunt ad hujusmodi Dei servitium exequendum molestare præsumpserit, aut ea quæ sibi tenentur reddere solvere recusarint, seu etiam unicam ejus filiam auferendo nobilem offenderit memoratum, vos eum ut ab eorum omnino vexatione desistat, & de damnis ac injuriis irrogatis satisfaciat competenter, eisdem per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, sicut justum fuerit, compellere procuretis, matrem & sororem ejusdem nobilis viduas, quarum ipse solus quasi post Deum tutor & custos existit, in jure proprio defendentes, & quemlibet injustè molestantes easdem appellatione remota districtione simili facientes ab earum indebita molestatione cessare. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani II. Idus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

EISDEM.

Epist. 118. De simili argumento.

ATtendentes devotionem dilecti filij nobilis viri Buchardi, qui orthodoxæ fidei &c. *ut in alia usque* recusarint, seu etiam alias indebitè nobilem offenderit memoratum &c. *ut in alia usque* procuretis, matrem ejusdem nobilis viduam, cujus ipse solus quasi &c. *usque* injustè molestantem eandem appellatione remota districtione simili facientes ab ejus indebita molestatione cessare. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

NOBILIBVS VIRIS BARONIBVS & Militibus qui cum nobili viro Simone de Monteforti de signatorum exercitu remanserunt.

Epist. 119. Inducuntur ut assistant Simoni de Monteforti.

DEvotionem vestram dignis in Domino laudibus commendamus quòd orthodoxæ fidei zelo succensi, contra nostræ fidei subversores tam piè quàm strenuè certavistis, ac recepto mirabili de ipsorum contritione triumpho, terraque dudum à præambulis Antichristi possessa ad fidem Iesu Christi redacta, in defensionem ipsius cum dilecto filio nobili viro Simone de Monteforti, cujus est commissa regimini, remansistis, attendendo prudenter quòd non minor est virtus quàm quærere parta tueri. Quia igitur finis non pugna coronat, nobilitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus laudabile propositum vestrum laudabiliori studente perseverantia coronare, ad protegendum eandem terram præfato nobili viriliter assistatis, expensis contenti à proximo Pascha deinceps, donec novum auxilium, quod multipliciter procuramus vobis & ei, dante Domino transmittatur. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ABBATI ET PRIORI sancti Victoris, & Priori sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Epist. 130. De eleemosynis concessis piis locis. *Vide suprà epist. 127. & infrà epist. 133. 134. 135.*

PRæsentium vobis auctoritate mandamus quatinus eleemosynas piis locis à nobili viro Roberto Malovicino & matre sua provida pietate concessas faciatis à locis ipsis auctoritate nostra quàm justè tam pacificè possideri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Idus Novemb. anno duodecimo.

ABBATI CISTERCIENSI apostolicæ sedis Legato.

Epist. 131. De quodam privilegio concesso R. Malovicino. *Vide suprà epist. 127.*

PRofecturus ad habitandum dilectus filius nobilis vir Robertus Malusvicinus terram ab hæreticis nuper incolis expiatam, nobis humiliter supplicavit ut aliquem Clericum religiosum vel secularem per tuam faceremus sibi sollicitudinem deputari, cujus consilio, quandiu in terra ipsa morabitur, ad salutem animarum suarum in confessionibus & hujusmodi tam ipse quàm ejus uxor utatur. Nos igitur annuentes hujusmodi proposito pietatis, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus petitionem suam in hoc, prout expedire cognoveris, cum consensu diocesani Episcopi auctoritate nostra non differas adimplere. Datum ut in alia.

ABBATI DE VALLIBVS Cisterciensis ordinis.

Epist. 132. Vt accedat ad Simonem de Monteforti.

CVm dilectus filius Abbas Cistercien- sis A. S. L. tibi dare providerit in mandatis ut ad terram nuper ab hæretica pravitate mundatam accedas, dilecto filio Simoni de Monteforti, cujus est commissa regimini, & aliis ibidem ad Dei servitium residentibus salutare consilium præbiturus, discretionem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad exequendum opus hujusmodi pietatis secundùm Abbatis prædicti monitionem accedere non postponas. Datum Laterani V. Idus Novemb. anno duodecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NOBILI VIRO ROBERTO de Malovicino, matri & uxori ejus.

Epist. 131. Ejusdem argumenti cum epistola 130.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus annuentes, eleemosynas piis locis à vobis caritativè collatas, sicut eas loca eadem justè possident & quietè, ipsis auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v. Idus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

MONIALIBVS PARRASII Cisterciensis ordinis.

Epist. 134. Ejusdem argumenti.

IVstis petentium desideriis dignum est facilem nos præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis petitionibus annuentes, eleemosynas quas nobilis vir Robertus de Malovicino & mater ipsius vobis pietatis intuitu contulerunt, & alia bona Ecclesiæ vestræ, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

GALTERO PRESBYTERO Ecclesiæ de Corberon.

Epist. 135. De eodem argumento.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis petitionibus annuentes, eleemosynas à nobili viro Roberto de Malovicino tibi pietatis obtentu collatas & alia bona Ecclesiæ tuæ, sicut ea justè possides & quietè, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. 136. De negotio hæreticorum.

GLoriantes hactenus in malitia & in sua iniquitate potentes destruere tandem incipiens manus Dei, miraculosè jam fecit eos de suis tabernaculis emigrare, dum eo terram populi sui misericorditer emundante, pestis hæreticæ pravitatis, quæ serpens ut cancer Provinciam penè totam infecerat, mortificata depellitur, captisque in potentissima manu sua numerosis castris & civitatibus quas per possessos à se diabolus habitabat, in locis expulsorum hæreticorum spiritui paraclito per repletos ab ipso sanctum habitaculum præparatur. Super quo laudes & gratias omnipotenti referimus, quòd in una eademque misericordiæ suæ causa duo dignatus est justitiæ opera exercere, ita perfidis faciendo dignam superuenire perniciem ut quammulti fideles meritam assequerentur ex ipsorum exterminatione mercedem, cùm etsi eos in solo spiritu oris sui potuisset quandocunque conterere, suorum tamen exercitui signatorum in illorum contritione dignatus sit salutis causam immo salvationis occasionem præbere; quo nuper sub nostrorum magisterio Legatorum de ipsis mirabiliter triumphante, dilectus filius nobilis vir Simon de Monteforti, vir utique strenuus & catholicus, terris à quibus illi depulsi sunt provida est deliberatione præfectus, ut per prudentiam ejus in his quæ gesta sunt vel gerenda negotium pacis & fidei possit ibidem efficaciùs promoveri. Quia igitur, etsi tantæ pietatis initia prosperè huc usque processerint, fine tamen non sunt adhuc necessario solidata, fraternitatem vestram rogandam duximus attentiùs & monendam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus apud subditos vestros studio sedulæ prædicationis & exhortationis instetis ut ad reliquias hujus pestis penitùs extirpandas, cùm ad similitudinem hydræ, quæ locupletior fertur fieri damno capitum, graviùs possent, si neglectæ fuerint, revivíscere, tam per se quàm per sua obsequium Deo devotum & auxilium Ecclesiæ opportunum impendant, scientes remissionem peccaminum à Deo ejusque Vicario universis indultam qui orthodoxæ fidei zelo succensi se ad opus accinxerint hujusmodi pietatis, ut eis labor tam sanctus ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis pro quibus cordis contritionem & oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Cùm autem pro fraterna defensione pugnantes à fraternis deceat injuriis expediri, volumus & mandamus ut si qui nobilium, Clericorum, seu etiam laicorum contra pestilentes hujusmodi procedentium ad præstandas usuras juramento

tenentur

tenentur astricti, creditores eorum in vestris diocesibus constitutos, cùm ab ipsis fueritis requisiti, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis ut eos à juramento penitùs absolventes, ab usurarum penitùs exactione desistant. Quòd si quisquam creditorum ad solutionem ipsos coëgerit usurarum, eum ad restituendas ipsas, postquam fuerint persolutæ, simili censura sublato appellationis obstaculo coarctetis, creditores talium quàm diligentiùs poteritis inducentes ut terminos ad solutionem debitorum præfixos, donec illi labori vacaverint hujusmodi pietatis, elongent; quò sic demum retributionis eorum gaudeant participio quorum certamen tali promoverint adjumento. Præterea cùm non absonum videatur ut qui publicam causam gerunt, publicis stipendiis sustententur, universos Clericos per vestras dioceses constitutos efficaciter moneatis, in remissionem sibi peccaminum suadentes, quatinus cùm prædictæ terræ desertæ sint & vastatæ, atque ad defensionem ipsarum sumptus sint non modici necessarij, aliquotam de suis proventibus partem ad ejus sustentationem transmittant, deputatis aliquibus viris providis & fidelibus ad eleemosynam hujusmodi colligendam, qui collectam assignent sicut prædicti Legati duxerint disponendum. Quia igitur apud eos districtio forsan proficiet temporalis à quibus super hoc spiritualis inductio non admittitur, illos qui super Iudæos in vestris dioceſibus permanentes habere noscuntur dominium temporale diligenter inducere procuretis ut eos inducant & tradita sibi potestate compellant quòd suis debitoribus in hujusmodi Dei obsequium profecturis omnino relaxent usuras & terminos ad exsolvendum sortem præfixos, si fieri potest, prorogent competenter. Datum Laterani III. Idus Novemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

In eundem modum Bisuntino Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum scriptum est Viennensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum Aquensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum Narbonensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum Lugdunensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum Archiepiscopo Ebredunensi & suffraganeis ejus. In eundem modum Auxitano Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem ferè modum Albiensi Episcopo. In eundem modum Ruthenensi Episcopo. In eundem modum Episcopo Agenensi. In eundem modum Caturcensi Episcopo.

CONSVLIBVS Arelatensibus.

Epist. 137. Super extirpatione hæreticorum.

GLoriantes hactenus in malitia &c. *ut in prima usque* solidata, universitatem vestrā rogandam duximus & monendam, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus ad reliquias hujus pestis penitùs extirpandas &c. *ut in alia usque* revivisсere, tam per vos quàm per vestra obsequium Deo devotum & auxilium opportunum Ecclesiæ impendatis, scientes &c. *usque* vero Deo. Quapropter expergiscimini, boni filij, & ad palmam hujus glorioſi certaminis festinate, piaque pœnitentia ducti quòd tam secundis ejus principiis neglexeritis interesse, felicissimo fini vestram studeatis & operam & præsentiam exhibere: quia cùm evangelicus retributor illis æqualiter retribuerit qui noviſſimè venerunt in vineam & qui primò, licèt hi qui cœperunt forsan ampliùs laborarint, præcedentibus tamen atque sequentibus par merces pro pari devotione reddetur. Datum Laterani III. Idus Novembr. anno duodecimo.

In eundem modum Avinionensibus Consulibus. In eundem modum Consulibus sancti Ægidij. In eundem modum Consulibus Nemausensibus. In eundem modum Consulibus Montispessulani. In eundem modum nobili viro Amalrico & civibus Narbonensibus. In eundem modum Consulibus Terasconensibus. In eundem ferè modum scriptum est nobili viro Folcalcariensi Comiti. In eundem modum nobili viro Comiti Sancio. In eundem modum nobili viro Comiti Savoyæ. In eundem modum nobili viro Comiti Gebennensi. In eundem modum nobili viro Comiti Stephano. In eundem modum nobili viro Comiti Vv. Matisconensi.

EPISCOPO SEGVNTINO.

Epist. 138. Indicitur ei purgatio super quodam facinore.

OLim nobis per tuas litteras intimasti quòd cùm te præsente Archipresbyter quidam Missam in sua Ecclesia celebraret, & populi multitudo in chorum Canonicorum & usque ad altare se ingereret importunè, tu diligenter monuisti ministros ut turbam irruentem arcerent, quatinus sic divina possent liberiùs officia celebrari. Quibus id efficere non valentibus, extimans quòd super hoc tibi majorem reverentiam exhiberent, populum arcere accepto baculo incepisti, quosdam impellens, quosdam percutiens leviter, quosdam terrens, ut sic saltem opportunitas præberetur sacris officiis peragendis. Alij

ſiquidem tecum percutiebant cum baculis populum repellendo; inter quos juvenis quidam in capite dicitur fuiſſe percuſſus, qui poſtea per menſem ſanus apparens, & indifferenter utens cibis & potibus univerſis, ad lapides ferendos & calcem in diebus Maij, prout ſibi expediebat, locavit operas ſuas ad vineas fodiendas, intrans nihilominus balnea & tabernas. Poſt triceſimum verò diem ad ſuggeſtionem quorundam, te quidem inſcio & ignaro, quidam medicus imperitus & ſenex carnem capitis ejus & teſtam ſecuit indiſcretè, licèt nullum percuſſionis ſignum in capite appareret; quem in ſectione illa quatuor ſupervenientes medici erraviſſe dixerunt, aſſerentes hujuſmodi ſectionem inducere cauſam mortis. Iuvenis autem quarta decima die poſt ſectionem eandem diem clauſit extremum; poſt cujus obitum in populo rumor inſonuit quòd ex percuſſione tua mortuus fuerat homo ille. quæ quidem infamia, ſicut firmiter per eaſdem litteras intimaſti, à perſonis vilibus, æmulis, atque malivolis dinoſcitur initium habuiſſe. Vnde humilitatis cauſa, licèt tua te conſcientia minimè reprehenderet, abſtinendum duxiſti à celebratione Miſſarum donec ſuper hoc noſtræ reciperes beneplacitum voluntatis. Nos autem dilecto filio Toletano electo noſtris dedimus litteris in mandatis ut inquireret ſuper hoc diligentiſſimè veritatem, & ſi ei de præmiſſis conſtaret, tibi daret licentiam cum timore Dei divina officia celebrandi, injungens etiam ut de cetero ſtudioſiùs vacares operibus pietatis, pro eo quidem quòd verbum Apoſtoli minùs providè obſervaſti dicentis, *Oportet Epiſcopum eſſe non percuſſorem*, cùm etſi non illum, alios tamen leviter percuſſiſſe dicaris, ex quo rumor hujuſmodi eſt ſubortus; oblocutores inſuper & infamatores tuos, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſterent, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellere non differret. Præfatus verò electus, ſicut ex litteris ejus accepimus, noſtris volens obedire mandatis, acceſſit ad Eccleſiam Seguntinam, & ab omnibus Canonicis quos ibidem invenit amicis & inimicis tuis juramenta exigens, ab unoquoque ſuper prædicto facto rei veritatem diligentiſſimè inquiſivit; & quæ dixerat in ſcriptis redigens, licèt juriſperiti & quidam Epiſcopi ei conſulerent ut tibi licentiam concederet celebrandi, quia tamen ei conſultius viſum fuit ut negotium ipſum ad nos inſtructum remitteret, dicta Canonicorum & aliorum ſuo ſigillo ſignata nobis deſtinare curavit. Ceterùm nobis inquiſitionem ipſam examinari cum diligentia facientibus, examinatores ipſius nobis fideliter retulerunt quòd unus tantùm de viſu depoſuit, alij de auditu. Duo verò chirurgici & unus phyſicus jurati dixerunt quòd non ex percuſſione, ſed indiſcreta inciſione obierat juvenis memoratus. Nos igitur inter culpam & infamiam diſtinguentes, quia culpa probata non eſt; tuæ te conſcientiæ relinquimus quoad Deum, & ſuper infamia quoad homines ita tibi duximus providendum ut clero & populo convocatis chirurgicorum & phyſici teſtimonia publicentur, qui tuam videntur innocentiam expurgare; ut cùm infamia conquieverit, pontificale officium liberiùs exequaris; dantes venerabili fratri noſtro Epiſcopo Segobienſi & dilectis filiis Palentino electo & Archidiacono Septempublicenſi Segobienſis dioceſis in mandatis ut ſi quis ſuper hoc te præſumpſerit temerè moleſtare, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtat monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compeſcant. Datum Laterani VIII. Kal. Decemb. pontificatus noſtri anno duodecimo.

EPISCOPO SEGOBIENSI, & Palentino electo, & Archidiacono Septempublicenſi Segobienſis dioceſis.

OLim per litteras ſuas ſignificavit nobis venerabilis frater noſter Epiſcopus Seguntinus quòd cùm eo præſente Archipreſbyter quidam Miſſam in ſua Eccleſia celebraret, & populi multitudo in chorum Canonicorum & uſque ad altare ſe ingereret importunè, ipſe miniſtros monuit diligenter &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* ſubortus, oblocutores &c. *ferè in eundem modum uſque* differret. Præfatus verò electus, ſicut ex litteris ejus accepimus &c. *uſque* publicentur. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus in eodem negotio juxta præſcriptam formam procedere procuretis. Si quis autem ſuper hoc eum temerè moleſtare præſumpſerit, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtat monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcatis. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum ut in alia.

CONSTANTINOPOLITANO Patriarchæ.

Epist. 140. Cassatur processus facta Venetiis. Vide supra epist. 105. & lib. 11. epist. 77.

SIcut ea quæ circa Ecclesias vel ecclesiasticos viros circumspectione provida disponuntur, apostolica dignum est auctoritate fulciri, sic illa quæ præsumptuosa temeritate nequiter attentantur, ejus magisterio convenit in statum rectitudinis revocari. Cùm ergo, sicut accepimus, dum per Venetias transitum faciens ad Constantinopolitanam Ecclesiam properares, & Veneti tibi passagium denegantes, ad perjurium te consequenter urgendo, qui nisi ad Ecclesiam Constantinopolitanam accederes, creditoribus satisfacere non poteras de pecunia mutuata, super confirmatione quarundam Ecclesiarum quas Constantinopoli detinent coactione multiplici quoddam extorserint publicum instrumentum, nos honestati ecclesiasticæ providere volentes, præsentium auctoritate decernimus instrumentum ipsum per hujusmodi coactionem extortum viribus omnino carere. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IX. Kal. Decembris, anno duodecimo.

EIDEM.

Epist. 141. De decimis solvendis.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eaproprer, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus ut ab Ecclesiis tuæ diocesis cathedraticum exigere valeas, & per censuram ecclesiasticam appellatione postposita Græcos cogere ad decimas tibi debitas persolvendas. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

EIDEM.

Epist. 142. Arma non esse vendenda infidelibus.

CVm avaritiæ fervor in tantum animos quorundam accenderit ut, sicut nostris est auribus intimatum, ligna & arma prohibita in Alexandriam deferant, per quæ in injuriam nominis Christiani subsidia infidelibus subministrant, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus hujusmodi tibi subjectos ut à sua super hoc temeritate desistant monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

EIDEM.

Epist. 143. De exemptione Archiepiscopi Patracensis.

REquisivit à nobis tua fraternitas an venerabili fratri nostro Patracensi Archiepiscopo sit à nobis privilegium exemptionis indultum. Super quo fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat nos eidem Archiepiscopo nullum exemptionis privilegium concessisse. Ipse tamen constanter asseruit coram nobis Patracensem Archiepiscopum immediatè ad sedem apostolicam pertinere. Datum Laterani &c. ut in prima.

ARCHIEPISCOPO ERACLIENSI & Salimbrienſi Epiſcopo, & Decano de Blakerna Constantinopolitano.

Epist. 144. Eis committitur executio cujusdam sententiæ.

VEnerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha nostro apostolatui reseravit quòd cùm homines de Spigant, ubi nunquam Episcopus extitit, dari sibi Episcopum postularent, idem hoc facere metuens absque nostra licentia speciali, ad eorum instantiam episcopatui de Pario commisit eosdem. Cùmque postmodum Episcopum de Pario accedentem ad ipsos admittere recusassent, in ipsos post admonitionem sæpius iteratam Patriarcha præfatus excommunicationis sententiam promulgavit, quam auctoritate petiit apostolica confirmari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione postposita firmiter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in aliis.

EISDEM.

Epist. 145. De monasteriis patriarchalibus.

EX conquestione venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd quidam tam Clerici quàm laici in partibus Romaniæ quædam patriarchalia monasteria contra justitiam detinent in ejus & Ecclesiæ suæ præjudicium & gravamen. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus tam Clericos quàm laicos memoratos ut monasteria patriarchalia, videlicet quæ ad Patriarchæ jurisdictionem de jure spectant, eidem sine difficultate qualibet restituant, ut tenentur, monitione præmissa per cen-

suram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani IX. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Decano & P. de Lagerio Canonico Remensi.

Epist. 146. Executoria super quadam Ecclesia.

CVm dilecti filij magister D. & H. procurator G. Presbyteri ad sedem apostolicam accessissent, dilectum filium nostrum Guidonem sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem ipsis concessimus auditorem. Coram quo magister proposuit memoratus quòd cùm olim in forma communi pro eo bonæ memoriæ Suessionensi Episcopo, qui eundem ordinarat in Subdiaconum, scripsissemus, & postmodum dicto Episcopo nostris nolente obtemperare mandatis, idem contra ipsum executores obtinuisset à nobis, tandem illis quod mandavimus nolentibus adimplere, dictus magister ad præsentiam nostram iteratò accedens, ad judices Cameracenses nostras litteras impetravit, ut videlicet præfatum Episcopum vel officiales ejusdem ad providendum ipsi juxta mandati nostri tenorem censura ecclesiastica coërcerent. Qui attendentes rebellionem ipsorum, à collatione beneficiorum tam eos quàm dictum Episcopum tamdiu decrevere suspensos donec esset supradicto magistro in beneficio competenti provisum. Verùm cùm illi postmodum sibi vellent insufficiens beneficium assignare, dicti judices super hoc veritate comperta præfatam suspensionis sententiam innovarunt. Vnde præfati officiales quadraginta solidos & unum modium bladi assignarunt eidem nomine pensionis sub expectatione beneficij competentis; dicta tamen sententia in suis viribus permanente, donec mandatum nostrum super provisione ipsius foret effectui mancipatum. Demum verò cùm memoratus Episcopus à Constantinopolitanis partibus ad propria remeasset & per biennium moram fecisset ibidem, ipse dicta suspensionis sententia vilipensa, Ecclesiam quandam vacantem supradicto G. assignare præsumpsit. Quod cùm innotuisset judicibus memoratis, ipsi concessionem hujusmodi penitùs irritantes, discretis mandavere personis ut dictam Ecclesiam, utpote de jure vacantem, præfato magistro auctoritate apostolica facerent assignari, quorum mandatum fideliter exequentes, ipsi eandem Ecclesiam contulerunt, & tunc Abbas de Cartovoro pro sæpefato G. nepote suo in eorundem apparens præsentia responsalis, illorum factum per quasdam exceptiones frivolas nisus est multipliciter impedire. Sed idem magister nihilominus ad juris sui tuitionem contra eundem G. nostras postmodum litteras ad Decanum & Cantorem sancti Frambaudi & R. de sancto Medardo Silvanectensem Canonicum impetravit. In quorum præsentia cùm esset hinc inde diutiùs disputatum, parte altera proponente dictam Ecclesiam fuisse à suspenso collatam, & alia id negante, tandem testes super hoc recipere curaverunt, depositiones eorum sub sigillis suis nostro apostolatui transmittentes. Quare dictus magister nobis humiliter supplicavit ut præfatam Ecclesiam, concessione à suspenso facta nequaquam obstante, faceremus ab ipso, qui pro beneficium obtinendo totiens ad sedem apostolicam laborauit, pacificè possideri. Ad hac verò procurator prædicti G. proposuit ex adverso quòd cùm sæpefatus Episcopus dictam sibi Ecclesiam canonicè contulisset, supradictus magister per subdelegatos ab executoribus quos obtinuerat contra Episcopum memoratum post appellationem ad nos rationabiliter interpositam postmodum in ejusdem se fecit possessionem in ipsius gravamen induci, & ut posset eundem ampliùs fatigare, ad præmissos judices contra ipsum super præfata Ecclesia, quam se mentiebatur canonicè assecutum, cùm id postea non probarit, nostras litteras impetravit: qui causam sufficienter instructam, prout superiùs est expressum, sub sigillis suis nobis fideliter remiserunt. Vnde dictus G. à nobis humiliter postulavit ut super jamdicta Ecclesia sibi à præfato Episcopo tunc temporis non suspenso canonicè assignata, præsertim cùm judices supradicti illum suspendere non valuerint fines mandati apostolici excedendo, jamdicto magistro silentium imponentes, ipsum faceremus ejusdem pacifica possessione gaudere. Cùm igitur Cardinalis prædictus hæc & alia quæ proposita fuerant coram eo nobis plenè ac fideliter retulisset, nos attendentes prædictam suspensionis sententiam in eundem Episcopum latam nullam penitùs extitisse, præfato D. Clerico super ipsa Ecclesia silentium duximus imponendum, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus quod à nobis est ratione prævia diffinitum faciatis auctoritate nostra firmiter observari,

contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Laterani III. Kal. Decembris, anno duodecimo.

FVLCONI PRIORI ET conventui sancti Martini de Campis Parisiensis.

Epist. 147. Adjudicatur eis audientia proventuum Ecclesiæ S. Iacobi de Carnificeria.

OLim coram dilecto filio nostro Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinale, quem dilectis filiis Archipresbytero sancti Iacobi Parisiensis & magistro H. procuratori vestro concessimus auditorem, idem proposuit procurator quòd cùm vos, ad quos jus patronatus Ecclesiæ sancti Iacobi pertinet, coram Abbate sancti Iohannis de Valleia, Archidiacono & Cantore Carnotensibus, judicibus delegatis à nobis, medietatem proventuum ejusdem Ecclesiæ sancti Iacobi petissetis, ad vestram fundandam intentionem instrumentum bonæ memoriæ Stephani Parisiensis Episcopi ostendistis, in quo videbatur idem Episcopus inter cetera profiteri quòd concessione antecessorum suorum & sua monasterium vestrum cum præsentatione Presbyteri medietatem omnium beneficiorum, quæ pro presbyterio Ecclesiæ sancti Iacobi ad Presbyterum vel ejus utilitatem quoquo modo perveniunt, in eadem Ecclesia obtinebat Quod Archipresbyter prorsùs inficians allegavit se vel Ecclesiam suam nonnisi tantùm in decem libris annuatim solvendis Ecclesiæ vestræ pensionis ratione teneri. Cùmque super hoc coram præmissis fuisset judicibus litigatum, super eo utraque pars testes induxit. Verùm cùm interim pars vestra proponeret se per dictum Archipresbyterum centum solidis pendente judicio spoliatam, & pars altera nullam penitùs rationem quare hoc fecerat allegaret, judices Archipresbytero præceperunt ut usque ad certum terminum solidos restitueret prætaxatos: qui mandato judicum parere contemnens, excommunicatus extitit ab eisdem. Sed Archipresbytero se postmodum per contumaciam absentante, cùm judices de sententia ferenda tractarent, Prior sancti Victoris, Archipresbyter sancti Severini, & Magister P. Pulverel Canonicus Parisiensis quasdam eis litteras transmiserunt, per quas injungebant eisdem ne in præjudicium jurisdictionis ipsorum, quibus appellationis causa super prædictis centum solidis committebatur à nobis, in causa procederent vel aliquid statuerent in gravamen Archipresbyteri memorati Sed judices attendentes appellationis causam à prædicta interlocutoria interpositæ, quæ tantummodo commissa videbatur eisdem, negotium non contingere principale, maximè cùm eo tempore quo Archipresbyter procuratorem miserat ad sententiam audiendam partes non fuerint secundarum litterarum auctoritate citatæ, instrumento Parisiensis Episcopi diligenter inspecto, & utriusque partis rationibus intellectis, habito prudentum consilio, sæpedictum Archipresbyterum ad reddendum annuatim Ecclesiæ vestræ medietatem omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi condemnarunt, quam sententiam procurator vester petiit confirmari. Cùm igitur hæc & illa quæ Archipresbyter ad impugnandam tam interlocutoriam quàm diffinitivam sententiam judicum prædictorum proposuit coram eo idem Cardinalis nobis fideliter retulisset, nos interlocutoriam supradictam, pro eo quòd juris ordine non servato à duobus tantùm judicibus, tertio se nullatenus excusante, prolata fuerat, irritam decrevimus & inanem. Verùm quoniam Archipresbyter ad diffinitivam sententiam reprobandam hanc viam à nobis requisitus elegit ut instrumentum Parisiensis Episcopi, quod secuti judices sententiam tulerant, non fuisse jure subnixum ostenderet, dilectis filiis Abbati sanctæ Genovefæ, & W. Archidiacono Parisiensi, & Decano Meldensi dedimus in mandatis ut audirent quæcunque Archipresbyter memoratus contra instrumentum, infra sex menses postquam foret exhibitum, coram eis duceret proponenda, & si tale quid contra ipsum objectum esset forsitan & ostensum propter quod meritò reprobari deberet, ipsi sententiam judicum prædictorum, qui fidem instrumenti sequentes eandem tulerant, sublato appellationis obstaculo retractarent, Ecclesiæ vestræ super medietate proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi perpetuum silentium imponentes, cùm per depositiones testium, quas inspici fecimus diligenter, vel alio legitimo modo nihil sufficienter constaret esse probatum. Alioquin cùm Archipresbyter nihil proposuisset aliud quod valeret contra sententiam supradictam, ipsi eandem auctoritate nostra appellatione postposita confirmantes, ipsam per censuram ecclesiasticam facerent inviolabiliter observari. In quorum postmodum præsentia partibus

constitutis, Archipresbyter quædam contra prædictum proposuit instrumentum, propter quæ asseruit nullam ei fidem penitùs adhibendam. Primò, quia in sigillo eidem apposito nova cera commixta videbatur antiquæ. Secundò, quia legi ejusdem sigilli litteræ non valebant; quanquam contra juris auctoritatem, secundùm quod nihil debuit pendente judicio innovari, dictum sigillum inter moras judicij fucatum fuerit & politum. Tertiò, quia Parisiensis Capituli sigillum non erat eidem instrumento appositum, cujus consensus de jure fuerat in concessione hujusmodi requirendus. Quartò, quia paucorum Canonicorum subscriptiones annotatæ videbantur in ipso. Quintò, quia concessiones prædecessorum Stephani Parisiensis Episcopi, de quibus in eodem instrumento fit mentio, nullatenus apparebant. Præscriptionem insuper ad reprobandum instrumentum prædictum Archipresbyter memoratus objecit. Sed licèt super iis omnibus fuisset hinc inde coram dictis judicibus litigatum, & Archipresbyter quæ objecerat se assereret probaturum, nihil tamen ex ipsis probare curavit infra semestre tempus in nostris litteris comprehensum. Quo transacto, post duos menses præsentiam prædictorum judicum adiens allegavit prædicti Episcopi concessionem ipso jure viribus caruisse, cùm non constaret ad hoc intervenisse consensum Presbyteri Ecclesiæ memoratæ, qui requirendus non immeritò fuerat, cùm ex hoc ei præjudicium pararetur. Vnde cùm super his & aliis partes non desinerent altercari, judices de consilio peritorum vos & partem alteram cum negotio sufficienter instructo ad sedem apostolicam remiserunt. Partibus itaque propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, cùm Archipresbyter supradicta, quæ contra instrumentum objecerat, coram nobis etiam iterasset, adiciens nihilominus quòd prædicta concessio per Episcopum absque Presbyteri parrochialis assensu erat invalida judicanda, pars vestra inter cetera sic respondit, quòd super iis quæ Archipresbyter contra instrumentum objecerat non erat ulteriùs audiendus, cùm illa nequaquam probaverit infra tempus præfinitum à nobis. Sed & illud pars vestra frivolum reputabat quod de consensu Presbyteri, qui non intervenerat, Archipresbyter ultimò introduxit, cùm non probandi Episcopi concessionem invalidam sed reprobandi solummodo instrumentum facultas ei dudum fuerit reservata; maximè cùm infra prætaxati temporis spatium hoc proponere non curarit. His igitur & aliis quæ utraque pars proposuit intellectis, de fratrum nostrorum consilio sententiam prædictorum judicum approbantes, Archipresbyterum sæpedictum super medietate omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi annuatim monasterio vestro reddenda sententialiter duximus condemnandum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

DECANO ATREBATENSI.

CVm quidam Presbyteri Atrebatensis Ecclesiæ altario ministrantes, orarium utrique humero imponendo, illud supra pectus in modum crucis disponant, publicè proponentes quòd qui aliter portant illud, excommunicationis sunt vinculo innodati, & tam ibidem quàm in nonnullis Ecclesiis in modum crucis orarium à Presbyteris minimè præparetur, quid in hac diversitate tenendum sit à nobis tua devotio requisivit. Super quo devotioni tuæ taliter duximus respondendum quòd licèt inveniatur in Concilio Bracarensi ut sacerdos de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum crucis in suo pectore præparet, si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ sit subjectus, quia tamen juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem aliter observatur, tam hoc quàm illo modo potest orarium à Presbyteris absque omni culpa disponi. Datum Laterani Non. Ianuarij, anno duodecimo.

Epist. 148. Respondet ad ejus consulta.

Concil. Bracar. 3. c. 4.

CAPITVLO TVLLENSI.

IMpetito dudum [Mahero] quondam vestro Episcopo super dilapidatione atque perjurio & super eo etiam quòd suspensus proponebatur divina officia celebrasse à Gaufrido Tullensi Archidiacono coram nobis, venerabilibus fratribus nostris Cabilonensi & Cathalaunensi Episcopis & dilecto filio Priori Clarevallensi sub certa forma commisimus causam ipsam, attestationes quasdam post litem in nostra præsentia super prædictis articulis legitimè contestatam receptas eisdem transmittentes inclusas. Coram quibus postmodum partibus constitutis, iidem judices demum tam attestationes ipsas quàm alias ab utraque parte receptas ab eis solemniter publicarunt; & licèt ambæ partes à judicibus

Epist. 149. De electione Episcopi. Vide Rodor. lib. 3. chron. Ianu. cap. 1. Vide supra lib. 3. epist. 17.

requisitæ se velle in testium personas obicere respondissent, testes tamen aliquos contra testes productos inducere neglexerunt, altercatione inter ipsos exorta utra illarum priùs testes producere teneretur. Vnde cùm super hoc interlocutoriam postularent, judices eidem supersedentes negotio, illud ad nos instructum cum utriusque partis attestationibus remiserũt. Cùmque propter hoc nuper tam magister Poncius procurator Episcopi quàm prædictus Archidiaconus ad nostram præsentiam accessissent, quamquam procurator ipse dilationem ad reprobandos testes cum instantia postulasset, quia tamen Episcopus coram judicibus memoratis id facere neglexerat sæpius requisitus, & per testes ipsius fides fiebat non minima contra ipsum, petitioni ejusdem procuratoris non duximus annuendum. Attestationibus ergo diligenter inspectis, intelleximus supradicta, super quibus denuntiatus fuerat Episcopus memoratus, sufficientissimè fuisse probata. Vnde venerabilis frater noster Hugolinus Hostiensis Episcopus juxta Romanæ morem Ecclesiæ nobis & fratribus nostris in auditorio residentibus, eundem Episcopum per sententiam ab Ecclesia Tullensi prorsùs amovit, dando vobis liberam facultatem alium eligendi. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus convenientes in unum, sancti spiritus gratia invocata, personam idoneam, quæ prodesse velit potiùs quàm præesse, ac tanto congruat oneri & honori, eligatis vobis canonicè in pastorem. Alioquin venerabili fratri nostro Cathalaunensi Episcopo & dilectis filiis de Insula Cisterciensis & Flabonimontis Præmonstratensis ordinum Abbatibus Tullensis dioceſis nostris damus litteris in mandatis ut nisi infra quindecim dies post commonitionem vobis ab eis factam mandatum nostrum executi fueritis per vos ipsos, ipsi vobis auctoritate nostra sublato cujuslibet appellationis obstaculo personam idoneam in Episcopum præferre procurent, contradictores, si quos invenerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Laterani Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CATHALAVNENSI EPISCOPO, & de Insula Cistercien sis & Flabonimontis Præmonstratensis ordinum Abbatibus Tullensis dioceſis.

Epist. 150. Eisdem argumenti cum superiore.

IMperito dudum .. quondam Tullensi Episcopo &c. *ut in alia usque* coram nobis, tibi, frater Cathalaunensis, & venerabili fratri nostro Cabilonensi Episcopis ac dilecto filio Priori Clarevallensi sub certa forma commisimus causam ipsam, attestationes quasdam &c. *usque* prorsùs amovit, dando dilectis filiis Capitulo Tullensi liberam facultatem alium eligendi. Quare per nostras litteras eisdem dedimus in præceptis ut convenientes in unum &c. *ut in alia usque* honori, eligant sibi canonicè in pastorem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi ipsi infra quindecim dies post commonitionem eis factam à vobis mandatum nostrum executi fuerint per se ipsos, vos eis auctoritate nostra sublato cujuslibet appellationis obstaculo personam idoneam præferre in Episcopum procuretis, contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani Non. Ianuarij, anno duodecimo.

IVDICIBVS, CONSVLIBVS, & universo populo Beneventano.

Epist. 151. Eis confirmatur remissio fidantiarum.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Cùm igitur Imperator Henricus, dum ratione claræ memoriæ Constantiæ Reginæ Siciliæ conjugis suæ regnum Siciliæ obtineret, tam vobis quàm Ecclesiis & personis ecclesiasticis civitatis præstationes quasdam, quæ *fidantiæ vulgariter appellantur, remiserit, statuendo ut possessionibus omnibus quæ propter cessationem earum occupatæ fuerant restitutis, pascua vobis habere ac cædua incidere ligna liceret in suo demanio per dietam dimidiam in circuitu Beventi, & carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris, prædicti patris sui vestigiis inhærendo, eadem vobis nuper duxerit concedenda, prout in authenticis exinde confectis plenius continetur, nos vestris precibus inclinati concessionem ipsam, sicut piè ac providè facta est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

* Vide glossat. Dufresnij.

NARBONENSI ET ARELATENSI Archiepiscopis.

Epist. 151. De negotio Comitis Tolosani.

VEniens ad præsentiam nostram nobilis vir R. Tolosanus Comes sua nobis exposuit quæstione se super processu Legatorum nostrorum multipliciter aggravatum, & licèt bonæ memoriæ magister Milo Notarius noster gravia * mandata eidem injunxerit, illa tamen pro magna parte se asserit impleviſſe, ad hoc quarundam Ecclesiarum testimoniales litteras exhibendo in quibus continebatur expresè quòd eisdem satisfecerat competenter, adiciens se paratum ad ea quæ nondum impleverat sufficienter implenda. Vnde à nobis suppliciter postulavit ut super fide catholica, de qua dudum, licèt injustè, habitus est suspectus, indicta sibi purgatione legitima, in nostra præsentia ipsum purgari ac demum sua sibi castra restitui faceremus, ne sub præstitæ cautionis obtentu in perpetuum illa detineri contingat in ejus præjudicium & gravamen. Quamvis autem juxta obligationis ab eo præstitæ formam castra eadem asserantur ad jus & potestatem Romanæ Ecclesiæ devoluta, cùm multa ex iis quæ sibi fuerant injuncta non curaverit adimplere, quia tamen non decet Ecclesiam cum aliena jactura ditari, nos eundem Comitem apostolica benignitate tractantes, de fratrum nostrorum consilio ita duximus providendum, ut propter hoc à prædictorum castrorum jure Comes ipse non decidat, nec ei obstet quòd quosdam subditorum suorum à jure ac servitio & debito fidelitatis absolvit si ea quæ injuncta fuerant non impleret, dum tamen adhuc devotus adimpleat quæ injuncta sibi esse noscuntur; cui ex eo quoque curavimus utiliter providere quòd terram suam illæsam fecimus conservari ab exercitu Christiano qui ad expugnandum hæreticos de mandato nostro processit, & per eundem adversarij ejus penè penitùs sunt destructi. Quia verò inter ceteras causas quæ ad apostolicæ sedis magisterium referuntur, in illa est cum subtiliori examine ac maturiori providentia procedendum in qua de articulis agitur fidei Christianæ, Legatis nostris duximus injugendum ut infra tres menses postquam litteras nostras receperint, in competenti loco Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Baronum, Militum, & aliorum etiam quorum præsentiam noverint opportunam, Concilio convocato, si ante completum Concilium contra præfatum Comitem, quem interim ea quæ injuncta sibi sunt præcipimus adimplere, super deviatione fidei orthodoxæ ac * nece sanctæ memoriæ Petri de Castronovo tunc apostolicæ sedis Legati legitimus apparuerit accusator, ipsi auditis utrinque propositis, usque ad sententiæ diffinitionem procedant, & remittentes ad nos causam sufficienter instructam, præfigant partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent sententiam receptura; quòd si accusator non apparuerit contra eum super articulis antedictis, ipsi consilio prudenti deliberent cum qualibus & qualiter idem Comes legitimè debeat se purgare, ut ubi orta est ejus infamia moriatur; & si purgationis formam ab ipsis cum Concilij approbatione provisam dictus Comes duxerit acceptandam, ipsi eam indicant eidem; in qua si fortè defecerit, iidem, præfatis castris in sua potestate retentis, nobis rei seriem intimare procurent; idipsum facturi si forsan ex hujusmodi forma indicendæ sibi purgationis queratur injustè sibi imminere gravamen, & in utroque casu apostolicæ responsionis oraculum expectetur; quòd si legitimè se purgaverit, sicut ab ipsis receperit in mandatis, ipsi eum virum catholicum publicè nuntient, & super dicti Legati nece penitùs innocentem, supradicta castra plenariè restituentes eidem cùm ea quæ sibi mandata fuerunt ab ipso fuerint adimpleta; recepta tamen super observatione pacis, ad quam se in perpetuum obligavit, alia idonea cautione; proviso prudenter ne propter malitiosas & frivolas quæstiones mandati nostri valeat executio impediri. Datum Laterani pontificatus nostri anno duodecimo.

* Vide supra pag. 346.

Vide lib. 16 epist. 39.

* Vide lib. Epist. 121 in fine.

Vide lib. 2 Epist. 49 in fine.

Deest in hoc loco adnotatio diei quo data est hæc epistola. Verùm ex epistola CLXVIII. videtur posse colligi istam datam fuisse VIII. Kal. Februarij.

EPISCOPO REGENSI, ET magistro Thedisio Ianuensi Canonico.

VEniens ad præsentiam nostram nobilis vir R. Tolosanus Comes sua nobis exposuit quæstione se super processu vestro & aliorum Legatorum nostrorum multipliciter aggravatum, & licèt bonæ memoriæ magister Milo Notarius noster &c. *usque* fidei Christianæ, volumus & mandamus ut infra tres menses post susceptionem præsentium &c. *usque* quorum præsentiam noveritis opportunam, Concilio convocato &c. *ut in alia usque* accusator, vos auditis utrinque propositis &c. *usque* ad sententiæ calculum procedatis, & remittentes

Epist. 152. Super eodem.

remittentes ad nos causam sufficienter instructam, præfigatis partibus terminum competentem &c. *usque* articulis antedictis, vos prudenti deliberetis consilio cum qualibus & qualiter idem Comes &c. *usque* acceptandam, vos ipsam indicatis eidem; in qua si fortè defecerit, vos, præfatis castris in vestra potestate retentis, nobis rei seriem intimetis &c. *ut in alia in eundem ferè modum usque* mandati nostri valeat executio impediri. Quòd si non omnes &c. duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ea &c.

NOBILI VIRO R. COMITI Tolosano.

Epist. 154. Declaratur quidam articuli mandatorum Milonis. Ca. Super quibusdam. De sentent. excom. Vide supra pag. 346.

SVper quibusdam mandatorum articulis tibi à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro tunc apostolicæ sedis Legato factorum apud quosdam dubitatione suborta, tua devotio postulavit à nobis qui sint dicendi hæretici manifesti. Super quo tibi duximus respondendum illos in hoc casu intelligendos manifestos hæreticos qui contra fidem catholicam publicè prædicant, aut profitentur seu defendunt errorem, vel qui coram Prælatis suis convicti sunt vel confessi aut ab eis sententialiter condemnati super hæretica pravitate, quorum bona propria confiscentur, & ipsi juxta sanctiones legitimas puniantur. Præterea cùm pedagia, guidagia, & salnarias tibi Legatus interdixerit memoratus, auctoritate præsentium duximus declarandum illa esse pedagia, salnarias, & guidagia interdicta quæ non apparent Imperatorum vel Regum ante Lateranense Concilium largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore cujus non extat memoria introducta. Rursum cùm ab eodem in mandatis acceperis ut de te conquerentibus secundùm suum vel alterius Legati seu judicis ordinarij vel etiam delegati arbitrium justitiam exhiberes, hoc taliter intelligendum esse censemus, ut in omni causa quæ ratione personarum vel rerum ad ecclesiasticum forum pertinet, ac super universis capitulis quæ pro pace servanda per jamdictum Legatum statuta sunt, vel auctoritate apostolica statuenda, item viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus tenearis in ecclesiastico judicio respondere. Volumus insuper ut ab Ecclesiis & domibus religiosis albergarias vel procurationes nullatenus exigas, sicut in mandatis dinosceris recepisse; quas tu etiam liberalitate propria remisisti. Item cùm incastellatas Ecclesias ad arbitrium dioecesanorum Episcoporum diruere ac servare, si quas ipsi servandas duxerint, tenearis, volumus ut circa Barones & Milites alios qui aliquas incastellatas Ecclesias detinent censura similis observetur. Præterea cùm Legatis nostris per alias litteras duxerimus injungendum ut postquam universa compleveris quæ in eisdem litteris sunt expressa, super observatione pacis, ad quam in perpetuum observandam dinosceris obligatus, idoneam recipiant cautionem, eisdem etiam injungemus ut secundùm modum & statum tuum talem à te cautionem recipiant qualem ab a liis magnatibus & Baronibus juxta modum & statum suum duxerint exigendam. Datum Laterani.

In hoc loco deest adnotatio diei quo data est hæc epistola. Sed cùm ea ejusdem ferme tenoris sit cum epistola CCXIX. illa verò data sit X. Kal. Februarij, probabile est istam quoque eodem die fuisse scriptam.

Epist. 155.

CVm nobilis vir R. Tolosanus Comes adversùs quosdam injuriatores suos, qui tunc temporis cùm excommunicationis erat vinculo innodatus ei damna gravia intulerunt, suam disponat prosequi rationem, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus eundem agentem vel reconvenientem etiam per seipsum vel procuratorem suum liberè admittatis in causis quarum ad vos spectat examen. Datum Laterani &c.

CISTERCIENSI ABBATI Apostolicæ sedis Legato.

Epist. 156. Vt absolvat cives Tolosanos à censuris.

LItteras tuas paterna benignitate recepimus, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Cùm autem omnia Dei opera ipsum benedicere nos admoneant, ex his quæ ad honorem nominis sui noviter est per tuam sollicitudinem operatus, benedicere, laudare, ac superexaltare debemus eundem, instantiæ tuæ laborem & laboris instantiam quam in extirpatione pravitatis hæreticæ ac reformatione fraternæ pacis hactenus habuisti dignis in eo laudibus commendantes, qui per magnam misericordiam suam fecit ut tantus labor nequaquam infructuosus existeret, quin immo fructum, non solùm tricesimum aut sexagesimum, verùm etiam centesimum reportaret, reposita tibi corona justitiæ, quam reddet in illa die Dominus justus judex. Scimus equidem & veraciter confitemur quòd ea quæ in hujus pietatis opere tu fecisti, tua specialiter bona sunt; quæ verò collegatorum religio seu devotio signatorum peregit, bona tua

sunt communiter & ipsorum, eò quòd per gratiæ prævenientis & subsequentis auxilium initiorum tuorum æmulatoribus ipse qui cœperas tribuisti sanctæ consecutionis effectum. Specialiter autem ea quæ recolendæ memoriæ magister Milo Notarius noster egit, manifestissimum tuæ perhibent testimonium sanctitati: qui cùm ita in Ecclesiæ causa & proficiendo processerit & procedendo profecerit ut per hoc nullatenus ambigamus placuisse Domino vias ejus, tuam non diffitentur ipsius opera sapientiam, utpote qui ad ea viam sibi aperuisti & subministrasti doctrinam. Quapropter exemplo boni navigatoris, qui cùm subitò gubernaculis destituitur quibus navicula regebatur, ad omnia quæ potest regiminis argumenta confugit, tibi est sollicitè providendum ut subitò quasi casu boni regiminis adminiculo destitutus, navim inter imminentia circumquaque naufragia sub tuo regimine fluctuantem ita satagas per anchoram providentiæ tuæ regere ne dominicas merces in ipsa positas pelagi possit fremitus absorbere, considerando prudenter quòd cùm aliquem deferentibus simul pondus deficere sub ipso contigerit, socius bonus statim, ne fascis corruat, humerum suum fortiùs ipsi suffigit, & tota plerunque fabrica, quæ diversis columnis regitur, una cadente, per aliam sustentatur. Cùm ergo jam totum ædificij sancti pondus, quod super inceptionis tuæ fundamentis excrevit, tibi quasi columnæ unicæ innitatur, eoque per alterius subtractionem nutante ruinæ timor immineat, nisi humerus tuus ei fortiter se suffigat, discretionem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta in remissionem peccaminum injungentes quatinus cautè proviso quòd res est in articulo tali sita ut si necessaria cautela non adsit, parta metuamus amittere, ne dum quærere alia confidamus, postpositis aliis tuis occupationibus universis quibus per alios intendere poteris opportunè, ad loca legationis tuæ sine dilatione qualibet personaliter revertaris, & negotium pacis ac fidei tibi commissum unà cum venerabili fratre nostro Regensi Episcopo apostolicæ sedis Legato studeas, sicut Dominus tibi dederit, efficaciter promovere. Cæterùm licèt nobilem virum R. Comitem Tolosanum ad sedem apostolicam accedentem ac omnimoda satisfactione promissa veniam humiliter postulantem curaverimus honorare, illud tamen quod impetravit à nobis datæ super hoc ei litteræ te poterunt edocere. Quia verò cautelam quam dudum in reconciliatione ipsius per præfatum Notarium adhibuimus, & nunc etiam necessariam esse putamus, dilecto filio magistro Thedisio Clerico & familiari quondam antedicti magistri, eò quòd instructus est de negotio, & à multis ac bonis ei laudabile testimonium perhibetur quòd ferventi zelo & ardenti animo idem negotium æmulatur, sollicitudinem super hoc duximus injungendam; non utique quòd ei * legationis officium committamus, cùm etsi laudata sit satis ipsius bonitas, nobis tamen per experientiam non sit nota, sed ut tamquam delegatus quod eidem injungimus exequatur; ante omnia & in omnibus observato ut prorsùs in verbo vel opere non procedat nisi quemadmodum ei tu dictaveris procedendum, sed in proponendis gerat se velut organum, & in disponendis se tibi exhibeat instrumentum, in hamo sagacitatis tuæ positus quasi esca, ut per eam piscem capias fluctuantem, cui tamquam saluberrimam tuæ piscationis abhorrenti doctrinam quodam prudenti mansuetudinis artificio severitatis ferrum necessarium est abscondi, quatinus exemplo dicentis Apostoli, *Cùm essem astutus, dolo vos cepi*, per hujusmodi sancti doli capiatur astutiam, & more languidi, cui mitigat amor medici potionis horrorem, per alterius manum patientiùs tuam accipiat medicinam. Præterea nolumus te latere quòd nuntij Tolosanorum civium ad nostram præsentiam accedentes, super iis pro quibus censuram ecclesiasticam incurrerunt satisfactionem nobis omnimodam obtulere, quamplurium magnorum virorum litteras exhibendo pro ipsis rogantium & cum ipsis ut absolutionis beneficium eis impendere dignaremur. Vnde volumus & mandamus ut, secundùm quod in aliis litteris continetur expressum, necessaria cautione recepta, lata in eos sententia relaxetur, & injuncto eis quod secundùm Deum videbitur expedire, si forsan illud neglexerint observare, non solùm in priorem sententiam reducantur, verùm etiam vehementiùs onus temporalis oppressionis inducatur in ipsos. Datum Laterani pontificatus nostri anno duodecimo.

* Hinc patet errorem eorum qui posteriora verba Concilij Lugdun. sub n. 2. pag. 40. in 90. pro Thedisius vocant Legatum apostolicum.

ILLVSTRIBVS REGIBVS & Principibus & universis Dei fidelibus regno Daciæ circumpositis catholicam servantibus unitatem.

Epist. 177. Rex Daciæ salutem &

QVantò specialiùs regnum Daciæ ad Romanæ Ecclesiæ noscitur jurisdic-

protectione sedis apostolicæ, vide lib. 13 pag. 65.

tionem spectare, tanto ad conservationem ejus propensiori studio debemus intendere: quia non immeritò multa reprehensione digni existere videremur, si quod est juris Romanæ Ecclesiæ pateremur imminui vel turbari. Inde est quòd ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri sub interminatione anathematis districtiùs inhibemus ne quis præscriptum regnum invadere vel turbare præsumat, aut jura carissimi in Christo filij nostri illustris Danorum Regis vel heredum suorum minuere audeat, vel sibi quomodolibet usurpare. Si qui autem hujus nostræ prohibitionis transgressores extiterint, indignationem nostram & Romanæ Ecclesiæ se noverint incursuros & anathematis jaculo feriendos. Datum Laterani III. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

BONO SENENSI EPISCOPO ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 158. De confirmatione privilegiorum.

IN eminenti sedis apostolicæ specula, licèt immeriti, disponente Domino constituti, fratres nostros tam propinquos quàm longè positos fraterna tenemur caritate diligere & Ecclesiis quibus Domino militare noscuntur suam dignitatem & justitiam conservare. Eapropter, venerabilis in Christo frater Bone Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua Deo auctore præesse dinosceris, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Celestini, Eugenij, Anastasij, Adriani, Alexandri, & Clementis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut Ecclesiæ, xenodochia, & castella cum omnibus bonis & possessionibus quę in præsentiarum justè Ecclesia tibi commissa & legitimè possidet, aut in futurum concessione &c. *usque* permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Baptismales siquidem Ecclesias cum prioratibus earum atque capellis quæ ad jurisdictionem Ecclesiæ tibi commissæ pertinere noscuntur, plebem videlicet sanctæ Agnetis cum omnibus antiquis pertinentiis suis, plebem de Liliano, plebem de Lornano, plebem de Sciata, plebem sancti Andreæ de Bozone, plebem sancti Martini in Graina cum omni jure quod habes in eodem castello & in Villanova, plebem sanctæ Christinæ de Liciniano, plebem de Sparena, plebem sancti Nazarij, plebem de Saturniano cum omni jure quod habes in Ecclesia sanctæ Mariæ quæ est in burgo sancti Quirici in Ozenna & in circumadjacentibus locis, plebem de Oppiano, plebem de Ancaiano, plebem de Monte Codano, plebem sancti Georgij in Valona, plebem sancti Valentini, plebem de Coppiano, plebem sanctæ Innocentiæ, plebem de Karli & Murlo, plebem de Creola, plebem sanctæ Christinæ in Caio, plebem de Monte Alcino, Ecclesiam sanctæ Mariæ de burgo sancti Quirici, Cascianum etiam quod specialiter ad tuam gubernationem & providentiam pertinet, titulum sancti Angeli de Tressa, plebem de Cortiano, plebem de Ricensa, plebem de Ruscia, plebem de Pentulina, plebem de Suvicelle, plebem de Folliano, plebem sancti Iusti in Casciano, plebem de Marmoraria, cum omnibus rebus & pertinentiis earum. Castellum de Porclano, castellum de Pognia, castellum de Monticlo, castellum de Furcule, castellum de Suvicelle, castellum de Murlo, castellum de Creole cum arce nominis ejusdem, castellum de Monteciano cum curte sua & omnibus eorum pertinentiis. Quod habes in castello Silvulæ. Quod habes in Montepiscino & in Valerano. Medietatem de silva & lacu de Verrano, medietatem de lacu & palude de Vaiano, quintam partem de Aquatico, quartam partem decimarum & oblationum in Ecclesiis ad jus Senensis Ecclesiæ pertinentibus, quintam partem de Monte Acutulo, qui est super fluvium de Rusia, tertiam partem de castello & curte de Radi in episcopatu Vulterrano, quartam partem de castello & curte de Valle aspera in episcopatu Massanensi, cum omnibus pertinentiis partium supradictarum. Castella quoque & possessiones quæ à Traduto filio Bernardi Comitis tam in comitatu Senensi quàm Vulterrano, Florentino, & Fesulano, Senensi Ecclesiæ concessæ sunt. Illud quod dedit Adalasia de Bibiano, quod Rigettus filius Reinaldi dedit in Paterno putido, quod habes de hereditate Rolandini Longobardi, possessiones quas habes in comitatu castelli Felicitatis, quod habes in castello de Strove & in Castellione, castella & possessiones omnes quas tu vel alius per te tenet in comitatu Senensi, Vulterrano, Florentino, Fesulano, & Aretino. Ordinationes etiam Ecclesiarum quæ sunt in tua jurisdictione constitutæ, sicut prædecessores tui eas habuerunt, & tu ipsas hactenus habuisti, devotioni tuæ auctori-

tate apostolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. *usque* profutura. Salva nimirum per omnia apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis &c. *usque* subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura &c. *usque* inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij, III. Non. Februarij, Indictione tertiadecima, incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

RANERIO PLEBANO PLEBIS de Lornano.

Epist. 159. Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione susci-pimus. Specialiter autem concessionem parrochiæ ac decimarum tibi pia liberalitate à venerabili fratre nostro Bono Senensi Episcopo factam, sicut piè ac providè facta est, & in ipsius authentico plenius continetur, ac tu ea justè possides & quietè, tibi & per te plebi tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

EIDEM.

Epist. 160. Super eodem.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis precibus inclinati, personam tuam &c. *usque*. Specialiter autem Ecclesiam sanctæ Mariæ de Porghian cum pertinentiis suis, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kalend. Februarij, anno duodecimo.

PRESBYTERO DIETAIVVÆ Rectori Ecclesiæ sancti Pauli.

Epist. 161. De confirmatione possessionum.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum &c. *usque* suscipimus. Specialiter autem concessionem Ecclesiæ sancti Pauli tibi pia liberalitate à venerabili fratre nostro Bono Senensi Episcopo factam, sicut piè ac providè facta est, & in ipsius authentico plenius continetur, ac tu eam justè obtines & quietè, tibi auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

SPINELLO RECTORI Ecclesiæ sancti Georgij Senensis.

Epist. 162. Confirmatur sententia Ep. copi Senen.

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, diffinitivam sententiam quam venerabilis frater noster Bonus Episcopus Senensis pro Ecclesia sancti Nicolai de Maiano contra populum ipsius Ecclesiæ super parrochiali jure ac aliis controversiis exigente justitia promulgavit, sicut est justa nec legitima provocatione suspensa, & in instrumento publico confecto exinde plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Non. Februarij &c.

EIDEM.

Epist. 163. Eidem super eodem.

CVm à nobis petitur &c. *usque* tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, diffinitivam sententiam quam venerabilis frater noster Bonus Senensis Episcopus pro Ecclesia sancti Georgij Senensis contra Ecclesiam sancti Angeli de Monton super quibusdam domibus, sepulturis, & rebus aliis exigente justitia promulgavit, sicut est justa nec legitima provocatione suspensa, & in instrumento confecto exinde plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum La-

terani III. Non. Februarij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

GVIDONI RECTORI Eccleſiæ ſancti Matthæi Senenſis.

Epiſt. 164. De confirmatione privilegiorum.

SOlet annuere ſedes apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis juſtis precibus inclinati, perſonam tuam & Eccleſiam ſancti Matthæi Senenſis, in qua divino es obſequio mancipatus, cum omnibus bonis tam eccleſiaſticis quàm mundanis quæ in præſentiarum eadem Eccleſia rationabiliter poſſider, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem libertatem quam venerabilis frater noſter Bonus Senenſis Epiſcopus eidem Eccleſiæ provida deliberatione conceſſit, ſicut in authentico confecto exinde pleniùs continetur, tibi & per te ipſi Eccleſiæ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani IV. Kalend. Februarij, anno duodecimo.

IOHANNI RECTORI Eccleſiæ ſancti Andreæ Senenſis.

Epiſt. 165. Confirmatur collatio ipſius Eccleſiæ.

IVſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis juſtis precibus inclinati, conceſſionem parrochiæ tibi & Eccleſiæ ſancti Andreæ Senenſis pia liberalitate à venerabili fratre noſtro Bono Senenſi Epiſcopo factam, ſicut piè ac providè facta eſt, & in ipſius authentico pleniùs continetur, ac eadem Eccleſia eam juſtè obtinet & quietè, tibi & per te ipſi Eccleſiæ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani IV. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno duodecimo.

PRIORI MONASTERII de Hikelinge, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 166. De confirmatione privilegiorum.

REligioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & monaſterium ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ ſanctique Auguſtini de Hikelinge, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo canonicus, qui ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſider, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, parrochialem Eccleſiam omnium ſanctorum de Hikelinge, cum Capella beatæ Mariæ & omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ & Capellam ſancti Andreæ de Perham cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam & Capellam omnium ſanctorum de Hachetun cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam de Hannevvirche cum pertinentiis ſuis & decimis de Ructon, jus quod habetis in Eccleſia ſancti Iohannis Baptiſtæ de Waſtonesham, jus quod habetis in Eccleſia ſanctæ Margaritæ Norvvicenſis ſita in Vveſtvvic, jus patronatus Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ de Palinge, totam terram quam habetis de feudo de Palinge & de Vvaſtonesham, terras & redditus quos habetis in civitate Norvvicenſi, terras & redditus quos habetis in villa de Gernemue, & annuum redditum quatuordecim marcarum quas ex dono quondam Hamonis de Valenis debent vobis monachi de Gervvalle nomine villæ de Rocvvic. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem recipere & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in monaſterio veſtro profeſſio-

nem fas sit sine Prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ut nullus in vos vel monasterium vestrum excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa promulgare, seu novis & indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipietis Episcopo; siquidem catholicus fuerit & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. In parrochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum. Libertates præterea & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas & hactenus observatas ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S, R. E. Cancellarij III. Non. Februarij, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno MCCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duod.

PRIORISSÆ AC MONIALIBVS de Campesseia.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem loco auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo. Epist. 161. Ejusdem argumenti.

AGENNENSI EPISCOPO.

VEniens ad præsentiam nostram nobilis vir R. Comes Tolosanus sua nobis exposuit questione se super processu Legatorum nostrorum multipliciter aggravatum, & licèt bonæ memoriæ magister Milo Notarius noster gravia mandata eidem injunxerit &c. *sicut in alia per totum, quæ scripta est in * tertio tomo folio suprà usque in finem.* Datum Laterani VIII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo. Epist. 168. Super facto Comitis Tolosani. * id est, epist. 152. hujus libri.

EIDEM.

SVper quibusdam mandatorum articulis dilecto filio nobili viro R. Comiti Epist. 169. Qui sint dicendi hæretici.

Tolosano à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro tunc apostolicæ sedis Legato factorum apud quosdam dubitatione suborta, ipsius Comitis devotio postulavit à nobis qui sint dicendi hæretici manifesti. super quo eidem duximus respon-
* id est epist. 174. hujus libri. dendum &c. *sicut continetur in* * *alia suprà in eodem tertio folio usque* puniantur. Præterea cùm pedagia, guidagia, & salnarias ipsi Comiti Legatus interdixerit memoratus, auctoritate litterarum nostrarum duximus declarandum &c. *ut in ipsa usque* introducta. Rursum cùm præfatus Comes ab eodem Notario receperit in mandatis &c. *ut in alia usque* justitiam exhiberet, hoc taliter intelligendum esse censemus &c. *usque* personis miserabilibus teneatur in ecclesiastico judicio respondere. Volumus insuper &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque in finem.* Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO, ET SANCTI Andreæ & sancti Severini Decanis Burdegalensibus.

Epist. 170. Scribitur ei pro Episcopo Agennensi. Vide infrà epist. 175.

CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, venerabilis frater noster Agennensis Episcopus adversùs eum proposuit quæstionem quòd ab ipso ac suis Ecclesiis albergarias & procurationes indebitas exigebat. Quia igitur idem Comes illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem hujusmodi approbantes, auctoritate litterarum nostrarum duximus inhibendum ne quis eundem Episcopum aut suas Ecclesias super albergariis & procurationibus hujuscemodi molestare præsumat, sed ipse pariter & successores sui perpetuò earum immunitate lætentur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si præfatus Comes contra prohibitionem nostram super hoc eundem Episcopum aut suas Ecclesias molestaverit, præsumptionem ejus per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Laterani IV. Non. Februarij, anno duodecimo.

EISDEM.

Epist. 171. Eidem &c.

CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, venerabilis frater noster Agennensis Episcopus est conquestus quòd tam ipse quàm nobilis mulier uxor ejus in villa Marmanda & in Villafranca necnon etiam aliis locis diocesis Agennensis nova passagia extorquebat. Quia igitur idem Comes ab hujusmodi passagiorum extorsione desistere se promisit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si fortè, quod non credimus, idem Comes in memoratis locis contra Lateranensis statuta Concilij passagia præsumpserit extorquere, præsumptionem hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Archiepiscope &c. Datum Laterani II. Non. Februarij, anno duodecimo.

EPISCOPO VASATENSI, & Priori sancti Macharij & Archidiacono Vesalmensi Burdegalensis & Agennensis diocesum.

Epist. 172. Ut hæretici priventur terris quas tenent ab Ecclesia.

CVm manifestis hæreticis à diocesi Agennensi divina providentia depulsis, quidam credentes & fautores eorum latitent in eadem, Ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum molestationibus insistentes, sicut venerabilis frater noster Agennensis Episcopus proposuit coram nobis, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus eis qui legitimè convicti fuerint super hujusmodi pravitate feodis, possessionibus, & bonis aliis quæ ab Ecclesiis detinent spoliatis, eadem ad jus & potestatem Ecclesiarum ad quas pertinent devolvantur, pœnam consimilem Ecclesiarum agricolis & hominibus infligentes qui convicti fuerint super hæretica pravitate. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani V. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

AGENNENSI EPISCOPO.

Epist. 175. Ejusdem argumenti cum epistola 170.

CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, adversùs eum proposuisti querelam quòd à te ac tuis Ecclesiis albergarias & procurationes indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem hujusmodi approbantes, auctoritate præsentium inhibemus ne quis te aut Ecclesias tuas super albergariis & procurationibus hujuscemodi molestare præsumat, sed tu pariter & successores tui

earum immunitate perpetuò gaudeatis. Nulli ergo ommino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CAPITVLO ECCLESIÆ *sancti Caprasij Agennensis.*

Epist. 174. Super eodem. CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, Stephanus Canonicus & procurator vester adversùs eum proposuit quæstionem quòd ab Ecclesia vestra albergarias & procurationes indebitas exigebat. Quia igitur &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* incursurum. Datum Laterani IV. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CAPITVLO ECCLESIÆ *de Manso.*

Epist. 175. Super eodem. CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, adversùs eum venerabilis frater noster Agennensis Episcopus procurator vester proposuit quæstionem quòd à vobis albergarias & procurationes indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem hujusmodi approbantes, auctoritate præsentium inhibemus ne quis vos super albergariis & procurationibus hujuscemodi molestare præsumat, sed vos pariter & successores vestri earum immunitate perpetuò gaudeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Non. Februarij, anno duodecimo.

PRIORI MEDICINI *Cluniacensis ordinis.*

Epist. 176. Super eodem. CVm esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, adversùs eum P. monachus procurator tuus proposuit quæstionem quòd à te albergarias & procurationes indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* incursurum. Datum Laterani Non. Februarij, anno duodecimo.

EPISCOPO ET S. DE AVNES *Archidiacono Oscensibus, & Decano Tirasonensi.*

Epist. 177. De electione Episcopi Pampilonensis. CVm olim tam contra illegitimum processum electionis venerabilis fratris nostri Pampilonensis Episcopi quàm etiam contra personam ipsius, qui de simoniaca pravitate, dilapidatione, lapsu carnis, & quibusdam aliis excessibus culpabilis dicebatur, multa fuissent nostris auribus intimata, venerabili fratri nostro Aquensi Episcopo & dilectis filiis Abbati de Oliva Pampilonensis diocesis & R. de Luco Archidiacono Baionensi dedimus in præceptis ut ad Pampilonensem Ecclesiam accedentes, tam super præmissis quàm aliis proponendis sive contra Episcopum sive pro defensione ipsius inquirerent diligentiùs veritatem, & quæ invenirent fideliter redigentes in scriptis, ad nos sub sigillis propriis destinarent. Qui juxta mandatum nostrum veritatem super propositis inquirentes, depositiones ipsorum per quos inquisitio facta fuit ad nostram transmiserunt præsentiam consignatas. Nuper autem Hel. procuratore dicti Episcopi & S. Pampilonensi Canonico propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, procurator ipse duodecim ex testibus introductis, scilicet G. de Leotz & .. Roscidæ vallis Priores, L. de Tafalia & S. de Lioz Archidiaconos, P. de Navaz Cantorem, & A. de Ponte, P. de Leoz, P. de Andrequiam, I. Lupi, I. Martini, S. Petri, & Garsiam Canonicos Pampilonenses, proposuit repellendos, utpote conspiratores & criminosos ac inimicos Episcopi capitales. quod se tempore opportuno asseruit probaturũ, adjungens Episcopum ipsum super præmissis omnibus præmonitum non fuisse. Verùm parte altera respondente quòd per testes alios, in quos procurator ipse nihil objecerat, quæ contra Episcopum proposita fuerant probabantur, depositiones easdem publicari fecimus & inspici diligenter. Sed idem S. postmodum requisitus à nobis an illorum depositionibus quibus nihil opponebatur vellet esse contentus, respondit malle decisionem negotij prorogari quàm depositionibus illorum non uti in quos prædicta objecerat procurator, per quas utique quæ fuerant objecta Episcopo evidentiùs asserebat esse probata. Nos igitur de utriusque partis assensu idem negotium sub hac forma vobis duximus committendum, attestationes easdem sub bulla nostra vobis transmittentes inclusas, ut nisi

nisi prædicti duodecim testes ab Episcopo fuerint legitimè reprobati, vos depositionibus omnium, vel si aliqui forsitan reprobati fuerint, residuorum dictis diligenter inspectis, si ea quæ objecta fuerunt Episcopo memorato vel eorum aliquod quod sufficiat ad condemnationem ipsius probata legitimè fuerint, vos eundem sublato appellationis obstaculo à Pampilonensi Ecclesia removere curetis, facientes eidem de persona idonea per electionem canonicam provideri, contradictores per censuram ecclesiasticam compellendo. Quòd si nihil probatum fuerit quod sufficiat ad condemnationem Episcopi memorati, vos ab impetitione præfati Canonici absolvatis eundem. Quia verò nobis est aliquatenus de dilapidatione suspectus, volumus & mandamus ut circa temporalium administrationem dilectos filios majorem Priorem, R. Archidiaconum de Longuida, & A. de Ponte Canonicum Pampilonensem coadjutores interim assignetis eidem, sine quibus de bonis episcopalibus disponere nihil possit, & ipsi sibi circa distractionem eorum nullum præsumant adhibere consensum. Quòd si alterutra partium maluerit per nostram sententiam negotium diffiniri, vos ipsum sufficienter instructum ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent recepturæ à nobis dante Domino judicium æquitatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani III. Idus Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

Epist. 177. De electione Episcopi Pampelonensis.

APPENDIX
LIBRI DVODECIMI.

EPISCOPO REGENSI, Cistercienſi Abbati, & magistro Miloni, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 178. De commissa tutela civium Montispessulani.

QVanto Montispessulani homines nunc & hactenus sese mundos conservasse noscuntur & nobis & apostolicæ sedi se semper exhibuere devotos, tanto nos decet sollicitiùs providere ne per alicujus pravæ suggestionis astutiam ab his qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandos hæreticos se accingunt quicquam injuriæ patiantur. Quapropter discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus homines memoratos & terram eorum, tamquam viros catholicos & Ecclesiæ Romanæ devotos, in quibus expedit confovendo, non permittatis eos à fideli exercitu signatorum in aliquo contra justitiam molestari. Datum Laterani Kalendis Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

MICHAELI ABBATI SANCTI Michaelis de Verruca, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 179. De confirmatione privilegiorum.

CVm omnibus Ecclesiis & personis ecclesiasticis debitores ex apostolicæ sedis auctoritate existamus, illis tamen attentiùs providere non convenit, & eas à pravorum incursibus hominum defensando arctiori debemus caritate diligere quas beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ non est dubium specialiùs adhærere & tamquam jure proprio subjectas esse. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & beatæ Mariæ semper virginis ac sancti Michaëlis monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Paschalis, Innocentij, Eugenij, Adriani, Vrbani, & Clementis Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione susci pimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut idem cœnobium & monachi ad ipsum pertinentes ab omni secularis servitij sint infestatione securi, omnique mundanæ oppressionis gravamine liberi in sanctæ religionis observantia Domino cooperante persistant, nec ulli alij nisi Romanæ atque apostolicæ sedi, cujus juris est locus ipse, aliqua teneantur occasione subjecti. Præterea quæcunque bona, quæcunquæ possessiones à bonæ memoriæ Hugone Duce atque Marchione ipsius cœnobij fundatore seu ab aliis Dei fidelibus eidem loco pro animarum suarum remedio sunt collatæ, universa etiam quæ in præsentiarum idem cœnobium justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, cum omnibus decimis tam dominicatuum quàm earum rerum quas coloni possident, duntaxat ex proprio jure, sicut eas à quadraginta retro annis præfatum monasterium quietè & inconcussè habuisse dinoscitur, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monaste-

rium situm est cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Nicolai secus muros Pisanæ civitatis, cum cimiterio, parrochia, & oblationibus, ceterisque ad eam pertinentibus, Ecclesiam sancti Leonardi positam in Pratuscello, salvo jure Pisanæ Ecclesiæ, hospitale sancti Nicolai juxta eandem Ecclesiam sancti Leonardi positum, Ecclesiam sanctæ Vivianæ juxta fluvium Serchi, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Monticulo, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Ponticulo super fluvium Arni, Ecclesiam sancti Christophori in pede montis, Ecclesiam sancti Laurentij in silva longa montis, Ecclesiam sancti Hilarij in silva longa, Capellam sancti Petri in valle, Capellam sancti Bartholomæi de Gucciano, patronatum Ecclesiæ sancti Petri à Farneti, quicquid juris habetis in Ecclesia sancti Martini de Crespignano, villam de Montemagno, Callare de stagno quod dicitur Bordone, & quicquid in præsentiarum loco vestro pertinere cognoscitur in Vico, in Beviti, in Selcia, in Cintoria, in Blentina, in Monticulo, in territorio, in vada, in collinis, in aqua viva, in Caprona, in Crispignano, in Macagio, in Sambra, in Grecciano. Placitum quoque de villa de Montemagno. & de Bethano, & totum placitum quod habetis à Calci, à Caprona usque ad Ceule, tibi tuisque successoribus regularibus regendum, disponendum, possidendumque firmamus. Pratum quoque Vicalterij, & id quod bonæ memoriæ Baldus quondam Pisanus Archiepiscopus vestro monasterio in concambium noscitur tradidisse, nos vobis auctoritate apostolica confirmamus, ita quòd nullus Archiepiscopus vel aliqua persona super his deinceps vos molestare præsumat. Salvo super decimis moderamine Concilij generalis. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos à seculo fugientes recipere & eos sine contradictione aliqua in vestro collegio retinere. Prohibemus ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, sit fas sine Abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce, dummodo causam non dederitis interdicto, divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* catholico suscipietis Episcopo. Ad hæc adicimus ut nulli Episcoporum facultas sit prædicti cœnobij & ejusdem Ecclesiarum monachos & conversos seu familiam regulari professioni obnoxiam, quæ intra ipsam Verrucæ arcem ad monasterij custodiam commorantur, interdicto vel excommunicationi subicere; siquidem in debita sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitate persistant. Prohibemus etiam ne ullus in dicta Ecclesia sancti Michaëlis & sanctæ Mariæ aut ejus officinis aliquam violentiam audeat exercere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri voluerint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint aut etiam publici usurarij, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te &c. *usque* vel fratrum major pars consilij sanioris secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam, sive de suo, aut de alieno, si opportunum fuerit, collegio providerint eligendum. Electus autem ad sedem apostolicam benedicendus accedat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam seu monasterium temerè perturbare &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & in supradictis Ecclesiis diocesanorum Episcoporum canonica justitia. Ad indicium autem hujus à sede apostolica perceptæ libertatis, & quòd idem cœnobium beati Petri juris existit, nobis nostrisque successoribus duos aureos annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c. *usque* subjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* inveniant. Amen. Datum Viterbij per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VII. Idus Iunij, Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

DILECTIS FILIIS Doctoribus & universis scholaribus Parisiensibus.

Epist. 181. Confirmat eorum statuta.

QVotiens pro communi utilitate aliqua statuuntur per quæ paci ac tranquillitati consultum ac publicæ honestatis & honoris procuratur augmentum, conveniens est & decens ut eadem ab omnibus irrefragabiliter observentur. Cùm igitur, sicut accepimus, quidam ex vobis ad tractanda negotia universitatis vestræ communiter deputati statuta & ordinatio-

nes & alia quæ utilitati & honori vestro congruere noscuntur certa pœna & juramentis interpositis decreverint observanda, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per apostolica scripta mandantes quatinus si est ita, statuta & ordinationes prædictas & alia perinde ordinata studeatis inviolabiliter observare. Datum Anagniæ IV. Nonas Iulij, pontificatus nostri anno duodecimo.

BARTHOLOMÆO EPISCOPO Theatino, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 180 De confirmatione privilegiorum.

IN eminenti sedis apostolicæ specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis à Deo apostolatus officio fratres nostros Episcopos sincera caritate diligere & Ecclesiis sibi commissis suam debemus justitiam conservare; pro ipsorum quoque statu nos oportet satagere, atque eorum quieti salubriter auxiliante Domino providere. Eapropter, venerabilis in Christo Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar felicis memoriæ Nicolai, Paschalis, Eugenij, Alexandri, & Clementis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum beati Thomæ Theatinam Ecclesiam, cui Domino auctore præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona &c. *usque* permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Parrochiam Teatinæ Ecclesiæ, sicut antiquis & justis limitibus terminatur, scilicet à Staffilo inter montes, & ipso monte de Vrsa, & quomodo pergit in Cola, & ponit terminum in aqua subtus terra usque ad aquam Sonutam, & quomodo pergit in Cola, & ponit terminum in aqua subtus terra usque ad aquam Sonutam, & quomodo pergit usque in montem de Teste, & cadit per Crinis montem, & qualiter pergit usque montem Sclavi, & quomodo pergit in ipsum flumen quod dicitur Triguum usque ad littora maris, & per littora maris usque in Piscariam, & redit in priorem finem, videlicet in priori Staffello. Præterea ipsam Theatinam civitatem, castellum Trivilianum, Villam magnam, Montem Filardi, castellum Orui, castellum Mucela, castellum sancti Pauli, castellum quod dicitur Furca, castellum Genisteale, castellum sancti Cesidij, cum eorum pertinentiis. Vltra Piscariam verò castellum montis Silvani, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Rigoli, castellum Sculculæ, castellum Lastiniam, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Palatio, Ecclesiam sancti Iusti cum pertinenaiis suis. In Aterno plebem sancti Leguntiani & Domitiani, Ecclesiam sancti Thomæ, sancti Salvatoris, Ecclesiam sanctæ Ierusalem, & Ecclesiam sancti Nicolai, cum omnibus earum pertinentiis. Decimam pontis & portus Nicini. In Bucelania Ecclesias sancti Salvatoris & sancti Angeli, cum decimis Comitis. Plebem sancti Silvestri. Decimas Comitis in castello sancti Angeli, in castello Trium Fontium, & decimas castellorum quæ in Theatino episcopatu sub dominio Comitis Roberti de Rotello fuerunt, & quod Theatina Ecclesia in castello Septi tenet, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Bari, Ecclesiam sancti Blasij in Lanciano, monasterium sancti Martini de Palectu, Ecclesiam sancti Leciri in Atissa cum omnibus pertinentiis suis, monasterium sancti Iohannis in Aoelano, monasterium sancti Angeli in Comacula cum omnibus pertinentiis suis. In monte Oderisij Ecclesiam sancti Nicolai, & medietatem Ecclesiæ sanctæ Mariæ, Ecclesiam sancti Salvatoris, & Ecclesiam sancti Petri, cum pertinentiis earum, monasterium sancti Mauri cum beneficio suo, monasterium sancti Salvi, Ecclesiam sancti Nicolai de Eremitorio. In Ortona Ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Georgij cum earum pertinentiis, monasterium sanctæ Mariæ in basilica. In civitate Luparelli plebem sancti Petri cum pertinentiis suis, monasterium sancti Mandi in palatio, Ecclesiam sancti Iacobi de Turcella cum pertinentiis suis, monasterium sancti Pancratij, monasterium sanctæ Mariæ de Lecto cum casali aliisque ad ipsum pertinentibus, monasterium sancti Martini in Valle, monasterium sancti Iusti in Decosule. In castra Gessi plebem sanctæ Mariæ cum pertinentiis suis, plebem sancti Martini filiorum Tresidij, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Casa Candidilla, Ecclesiam sancti Petri in castro Lori, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Biario, Ecclesiam sancti Blasij, monasterium sancti Petri in campo, Ecclesiam sancti Nicolai de Suanno viculo, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Lacento in Abbateio, plebem sancti Martini cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Iohannis de plebe, plebem de Iuliano, plebem sancti Cecolidi, plebem de Pizzo Corbario, Ecclesiam sanctæ Luciæ de Argelli, Ecclesiam sancti Lini, plebem de Orcula, plebem sanctæ Mariæ in Valle, plebem sanctæ Ma-

riæ de Caramanico, plebem sancti Iohannis de Abbateio, Ecclesiam sancti Cesidij & Ecclesiam sancti Ponti de sancto Valentino. In castello de Tocco Ecclesiam sancti Eustachij, Ecclesiam sancti Martini de Fara inter montes, Ecclesiam sancti Iohannis de Pedara, Ecclesiam sancti Nicolai de Cantalupo, Ecclesiam sancti Salvatoris de Linari, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Sparpalia, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Ilice, Ecclesiam sancti Salvatoris de Valle Surda, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Valle Coruvelli, Ecclesiam sanctissimæ Trinitatis de Fragne, Ecclesiam sancti Iohannis de Vicaldo, cum omnibus pertinentiis earum, Ecclesiam sancti Petri de Troia, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Tasso. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictam Ecclesiam temerè perturbare &c. *usque* profutura. salvo beati Petri jure proprietatis & apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. *usque* subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque* inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij XIV. Kal. Novemb. Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno duodecimo.

ROFFRIDO TITVLI sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali Abbati Casinensi.

Epist. 182. *Dantur ei quædam monita.*

Dilecti filij Iohannes & Thomas monachi Casinenses in nostra proposuerunt præsentia constituti quòd cùm olim inter cetera opera pietatis quibus monasterium Casinense pollebat, hospitale fuerit ibi ad erogandas eleemosynas deputatum, nunc ad tantam tenuitatem est idem hospitale redactum quòd possessionibus & tenimentis ejus alienatis & illicitè distractis, vix aliquid in eo reperitur solitæ pietatis. Cùm autem apostolica dudum fuerit auctoritate statutum ut Notarius qui de contractibus monasterij publica conficeret instrumenta, juramento deberet astringi ne de possessionibus ejus ullum fieret instrumentum præter consensum Capituli aut sanioris partis ejusdem, tu, relicto Notario qui monasterio fuerat astrictus hujusmodi, alium sacramento assumpsisti, per quem in detrimentum monasterij supradicti nonnulla sunt instrumenta confecta. Murationes & castra insuper, quæ semper consueverunt per monachos custodiri, de quo grave, quod absit, posset monasterio incommodum evenire, laicorum custodiæ commisisti. Fideles etiam monasterij nonnunquam datiis & talliis aggravasti, cùm nec tibi nec eidem monasterio expediret. Quia igitur hæc, si vera sunt, conniventibus nec volumus nec debemus oculis præterire, discretionem tuam monemus attentiùs & per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus hospitale prædictum juxta monasterij facultates ad solitas eleemosynas reformare procurans, quæ de possessionibus & tenimentis ipsius illicitè sunt distracta legitimè ad ipsum studeas revocare, Notarium verò, quem ab executione commissi sibi officij removisse diceris in præjudicium monasterij, vel resumas ad ipsum, vel illum quem postmodum assumpsisti prælibatum juramentum monasterio facias exhibere, instrumenta illa quæ per eum in detrimentum ipsius confecta dicuntur, sicut justum est, infringi facere non postponens, & memorata castra, sicut ter jam tibi dicimur injunxisse, remotis laicis ab eisdem, reducas ad custodiam monachorum, homines abbatiæ datiarum vel talliarum indebita non præsumas exactione gravare, præsertim ea quæ in utilitatem non fuerint monasterij convertenda, monachos verò, in quorum aliquos interdum diceris ultrà quàm deceat effervescere, nec capi facias enormiter nec expelli; sed si quos in aliquo constiterit excessisse, in eorum correptione regularis disciplinæ modestiam non excedas; ut erga subditorum languores videaris medici vices agere, non in ejus pœnis ipsis languoribus desævire; sciturus pro certo quòd nisi admonitionem nostram curaveris adimplere, nequaquam ea dissimulare poterimus quin ad ipsa te per officij nostri debitum compellamus.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER DECIMVS TERTIVS.

SILVANECTENSI EPISCOPO, ET ABBATI Latiniacensi Parisiensis diocesis, & Decano Silvanectensi.

Epist. 1. Committitur causa Abbatis Corbeiensis. Cap. Ad petitionem. De arrogat.

AD petitionem Vvalteri quondam monasterij Corbeiensis Abbatis dilectis filiis magistro scholarum & magistris Roberto de Corzon & P. Canonicis Noviomensibus ejusdem loci à nobis dudum correctione commissa, ipsi bis ad idem monasterium accedentes, quibusdam correctis ibidem, nonnulla quæ statuenda fuerant statuerunt, inquisitionis instantiam quorundam impediente malitia retardando, ad quorum contumaciam reprimendam seculare intendebant brachium invocare. Verùm dilectus filius noster Guala sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, interim ad idem veniens monasterium, supradicto Vvaltero præsente nec reclamante, super statu monasterij memorati cœpit inquirere diligenter, & cùm inquisitione finita prædictum Vvalterum Parisius evocasset propositurum contra inquisitionem eandem si quid rationabiliter duceret proponendum, idem Vv. præsentiam ejus adiens allegavit quòd in monasterij correctione procedere non valebat, quæ prædictis judicibus priùs fuerat auctoritate nostra commissa; & Cardinalem ipsum ex justis causis se asserens habere suspectum, vocem ad nos appellationis emisit. Porrò Cardinalis inspectis his quæ probata fuerant contra eum, de consilio peritorum ipsum amovit à regimine abbatiæ, dando fratribus ejusdem loci liberam facultatem alium eligendi. Qui dilectum filium Iohannem Abbatem Corbeiensem, tunc Priorem de Argentolio, virum providum & honestum, elegerunt concorditer in Abbatem. Cùm autem dictus Vv. postmodum ad sedem apostolicam accessisset, asserens se per Cardinalem ipsum quorundam falsis suggestionibus circumventum ab abbatia sine rationabili causa remotum, nos ejusdem cœnobij tranquil-

litati paterna sollicitudine providere volentes, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Remensi & Attrebatensi Episcopo dedimus in mandatis ut ad compositionem inter eundem W. & substitutum ei darent studium & operam efficacem, alioquin tam per jam dictum Legatum quàm per alios inquirerent diligentiùs veritatem, & eam nobis usque ad festum sancti Remigij proximò tunc venturum fideliter intimarent; ut per eorum relationem certiores effecti, procederemus in eodem negotio prout procedendum utiliùs videremus. Qui cùm super reformatione pacis proficere nequivissent, sicut ex litteris eorum accepimus, processerunt ad inquirendum super præmissis omnibus veritatem, testibus ab utraque parte receptis; & ea quæ tam per se quàm per Cardinalis inquisitionem invenerant nobis sub sigillis propriis transmiserunt. Nuper autem præfatis W. atque I. in nostra propter hoc præsentia constitutis, idem W. quod à Legato post appellationem ad nos interpositam factum fuerat petiit revocari, allegans quòd cùm correctio monasterij fuerit judicibus memoratis injuncta, & ipsi quibusdam correctis, & nonnullis statutis ibidem, aliorum correctionem ex causa duxerint rationabili differendam, Cardinalis interim de jure non potuit procedere ad eandem, cùm generale mandatum non deroget speciali. Ad quod fuit ex adverso responsum quòd cùm W. præsente nec reclamante ad inquisitionem processerit Cardinalis, idem W. videtur in hoc tacitè consensisse ut inquisitione facta corrigeret Cardinalis quæ corrigenda videret. Contra quod idem W. taliter proponebat, quòd licèt statim ut cœpit inquirere Cardinalis, non duxerit reclamandum, credens eum nolle procedere contra ipsum, sed absque sui gravamine aliquid in Ecclesia utiliter ordinare, postquam tamen evocatus ab ipso cognovit quòd adversùs eum procedere intendebat, ejus declinavit examen, ad nostram audientiam appellando. Proposuit insuper pars adversa quòd cùm prædicti judices omisissent in monasterij correctione procedere, ac periculum traheret ad se mora, Cardinalis ipse, ad quem spectabat ex injuncto sibi legationis officio cura ejus, ad reformationem ipsius loci interponere potuit partes suas. Cùm enim secundùm juris civilis auctoritatem, in illis etiam casibus in quibus solemnis ordo judicarius observatur, in criminali causa ultra biennium à contestatione litis non sit ejus instantia protrahenda, & nos quoque consulti quandiu delegatus à nobis, qui sententiam tulerat, jurisdictionem suam interponere valeat ut sententiæ pareatur, respondisse noscamur quòd usque ad annum integrum jurisdictionem sibi commissam ad exequendum sententiam valeat exercere, dictis judicibus differentibus in correctione procedere, cùm jam decem & septem essent menses elapsi ex quo noscuntur mandatum apostolicum recepisse, ac de criminibus, licèt non criminaliter ageretur, correctioni non immeritò Cardinalis insistere potuit memoratæ. Sed ad hoc altera pars respondit quòd hoc colorem excusationis haberet si prædicti judices à Legato commoniti ad correctionem procedere neglexissent. In quo casu eorum fortè defectus per diligentiam potuisset Legati suppleri; sicut de Metropolitano in canonibus legitur quòd tunc demum ea potest facere quæ ad suffraganeos pertinent cùm illa suffraganei negligunt adimplere. His igitur & aliis quæ utraque pars proponere curavit auditis, inquisitione utraque, Cardinalis videlicet & Archiepiscopi & Episcopi prædictorum, diligenter inspecta, intelleximus ex depositionibus juratorum quòd cùm tempore promotionis ipsius W. octo milium librarum debito monasterium gravaretur, & non multo tempore pòst idem debitum usque ad duo milia librarum fuerit diminutum, nunc tamen usque ad sex milium librarum summam excrevit; cùm, sicut priùs contigerat, de proventibus monasterij debitum potiùs diminui debuerit quàm augeri, nisi rectoris incuria obstitisset. Et quamvis ad excusationem suam proposuerit idem W. quòd propter expensas factas in causa quam contra Cluniacense monasterium habuit, in qua quendam prioratum evicit, idem fuerat debitum augmentatum, fuit tamen ei ex adverso responsum quòd propter expensas illas debitum interim augmentari non debuit, cùm propter hoc possessiones quasdam ejusdem obligaverit prioratus, maximè cùm in ejusdem prosecutione negotij vix expensæ fuerint mille libræ. Adjecit etiam dictus W. quòd occasione cujusdam domus quam in villa Corbeiæ de novo construxerat, debitum supradictum excrevit. Ad quod pars adversa respondit quòd ex proventibus monasterij expensas hujusmodi facere potuit absque onere debitorum, præsertim cùm propter hoc non modicum auxilium à burgensibus fuerit eidem impensum. Præterea cùm ex

confessione ipsius constiterit quòd in Capitulo præstiterat juramentum ne debitum de novo contraheret, ac postea contraxerit debitum contra juramentum proprium veniendo, sicut testes deponunt, argui de perjurio videbatur. Ad quod idem W. hoc modo respondit, quòd etsi primò hujusmodi præstiterit juramentum, postea tamen quoddam factum fuit in Capitulo constitutum, per quod juramentum ipsum extitit relaxatum. Sed contra hoc pars altera replicavit, quia cùm non constiterit quòd per tale statutum revocatum fuerit juramentum, & appareret eundem W. non solummodo juramentum de debito non contrahendo præstasse, sed venisse postea contra illud, manifestè liquebat ipsum reatum perjurij incurrisse. Sed & ipsius insufficientia & negligentia dissoluta videbantur manifestè probari. Et quamquam aliqui testium eum, quantum in se, dixerint esse bonum, nulli tamen deposuerunt expresè quòd utilis esset ejus provisio monasterio sæpedicto. Cùm ergo nobis de talibus fuerit sufficiens in tali negotio facta fides propter quæ præfatus W. erat meritò amovendus, etsi restituendus foret propter judiciarium ordinem non servatum, ob causas tamen prædictas ipsum providimus manere privatum regimine abbatiæ; Iohannem nihilominus supradictum, quem pro eo quòd, præfato W. propter juris ordinem non servatum quodammodo inordinatè remoto, intelleximus ob eandem causam per consequentiam minùs legitimè substitutum, per sententiam amoventes: quem quia non propter personæ vitium vel defectum, sed propter juris solemnitatem, sicut præmissum est, prætermissam amovimus, ipsum postmodum restituimus in Abbatem, & memorato W. in loco qui dicitur Guidoc cum pertinentiis suis in imperio constitutis jussimus provideri; ita videlicet quòd ibi cum uno Corbeiensi monacho commoretur; & censum quinque marcarum ad pondus Colonienſe in festo Purificationis beatæ virginis Abbati & successoribus suis annuatim persolvat, & personatibus ac Ecclesiæ ejusdem balivæ jamdicti Abbatis & successorum suorum donationi liberæ reservatis, eisdem fidelitates & homagia liberorum hominum eorundem locorum debeant exhiberi, ac in juramento fidelitatis quod eisdem fuerit præstitum exprimetur quòd iidem homines supradictum W. super suæ provisionis proventibus nullatenus damnificare præsumant; ita videlicet quòd & ipse W. super indemnitate prædictæ balivæ, ne ipsam dilapidet, corporale præbeat juramentum. Si quid autem post sententiam nostram super utriusque amotione prolatam circa electionem Abbatis, quam in prolatione ipsius sententiæ nostræ duximus providentiæ reservandam, à Corbeiensibus monachis vel quolibet alio in ejusdem Abbatis præjudicium fuerit attentatum, id decernimus non valere. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est pro ipsius monasterij utilitate provisum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, corrigentes circa Priorem & monachos & prioratus monasterij memorati cum consilio Abbatis ipsius quæ secundùm Deum & beati Benedicti regulam fuerint corrigenda, & statuentes ibidem quod regulare fuerit & honestum, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani v II. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

SANCTI PETRI LATINIACENSIS & Caroli-loci Abbatibus Parisiensis & Silvanectensis dioceſum, & Decano Silvanectenſi.

Epist. 1. De eodem argumento.

CVm sicut dilectus filius Abbas Corbeiensis nostris auribus intimavit, monasterium sibi commissum in spiritualibus & temporalibus non modicam incurrerit læsionem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ad ipsum personaliter accedentes, ad levamen ipsius monasterij ac prioratuum ejus monachos quos & quò transferendos videritis, potestate seculari ad hoc, si opus fuerit, invocata, donec monasterium respirare valeat inter angustias imminentes, in aliis monasteriis ordinis consimilis collocetis, duos aut tres religiosos monachos, quos de alienis monasteriis duxeritis evocandos, ad reformationem ordinis inducentes ibidem, & Abbates nihilominus ad quorum Ecclesias ipsos duxeritis transmittendos ad receptionem eorum, si necesse fuerit, censura canonica sublato appellationis obstaculo compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Kalend. Martij, anno tertio decimo.

EPISCOPO ET DECANO & R. de sancto Medardo Canonico Silvanectensibus.

Epist. 3. De eodem negotio.

CVm dilectus filius Abbas Corbeiensis ad nostram præsentiam, ut Ecclesiæ suæ procuraret negotia, duxerit accedendum, pati aliquatenus non debemus ut si quid, postquam iter arripuit ad nostram præsentiam veniendi, à quoquam est in ipsius Ecclesiæ gravamen & sui præjudicium attentatum, obtineat firmitatem. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si quid, postquam idem Abbas iter ad nos veniendi arripuit, attentatum inveneritis in sui præjudicium & Corbeiensis Ecclesiæ detrimentum, illud in irritum sublato appellationis obstaculo revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani VII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

R. ABBATI SANCTI MARTINI Laudunensis Præmonstratensis ordinis.

Epist. 4. Vt monasterij sui sollicitam curam gerat. Cap. Intelleximus. De ætate, qual. & ordine præficiend.

INtelleximus quòd cùm antequam esses assumptus ad regimen abbatiæ in monasterio tuo fueris laudabiliter conversatus, ad monasterium sancti Vincentij Laudunensis nigri ordinis accessisti; ubi cùm aliquandiu in ipso habitu permansisses, demum ad cor reversus, de Metropolitani & aliorum religiosorum consilio ad primam domum curavisti redire; in qua tandem in regularis observantiæ disciplina taliter Deo & hominibus placuisti quòd pro tuorum exigentia meritorum fratres tui te sibi præfecerunt unanimiter in pastorem. Quia igitur in suscepto regimine laudabiliter diceris profecisse, ne occasione moræ quam in prædicto monasterio protraxisti, * quasi de ipsa teneram conscientiam retinendo, in susceptæ administrationis executione tepescas, attendentes quòd in * canone cautum est ne quis Canonicus regularis, nisi, quod absit, publicè lapsus fuerit, efficiatur monachus, & si factus fuerit, ad ordinem canonicum revertatur, ultimus in choro manendo, cucullam in memoriam delaturus, discretionem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus circa curam gregis tibi commissi sollicitudinem gerere studeas indefessam, & taliter sequentia bona continuare prioribus quòd dignum exinde possis à Deo meritum expectare. Datum Laterani VII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

* In quarta collect. quasi ipsa te conscientia remordeat, in susc.

* 19. q. 3. cap. Mandamus.

RODERICO TOLETANO Archiepiscopo Hispaniarum Primati, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 5. De confirmatione privilegiorum.

SAcrosancta Romana Ecclesia in beato Petro Apostolorum principe ab ipso salvatore omnium Domino Iesu Christo, caput est Ecclesiarum omnium constituta. Vnde membra non decet à capite dissidere, sed eminenti rationi & supernæ provisioni capitis obedire. Moderatrix autem discretio capitis, singulorum membrorum officiosas actiones considerans, unicuique jus & ordinem à natura constitutum conservat, & quibuscunque nobilibus venustatis suæ dignitatem sine invidia sociali caritate custodit. Hac igitur ratione prudenter inducti, jura nobilis & famosæ Toletanæ Ecclesiæ apostolicæ sedis propriæ ac specialis filiæ conservare volentes, tuis, venerabilis frater Roderice, quem vera in Christo caritate diligimus, rationabilibus postulationibus paternæ pietatis affectu duximus annuendum. Ideoque per præsentem privilegij paginam, ad exemplar felicis recordationis Vrbani, Gelasij, Calixti, Honorij, Eugenij, Adriani, Alexandri I. Alexandri II. Alexandri III. Vrbani, & Cælestini prædecessorum nostrorum, primatus dignitatem per Hispaniarum regna tibi & Ecclesiæ Toletanæ auctoritate apostolica confirmamus, teque Primatem Præsules Hispaniarum respicient, & ad te referent si quid inter eos dignum exortum fuerit questione. Salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Verùm personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus ut solius Romani Pontifibis judicio ejus causa, si qua fuerit, decidatur. Sanè Toletanam Ecclesiam præsentis privilegij stabilitate munientes, Complutensem parrochiam & Concham ei tamquam metropoli subditas esse decernimus cum terminis suis, necnon & Ecclesias omnes quas jure proprio ab antiquo possedisse cognoscitur confirmantes. Episcopales præterea sedes quas in præsentiarum justè & canonicè possides, scilicet Palentiam, Segobiam, Oxomam, Seguntiam, reliquas verò quæ ab antiquis ei temporibus subjacebant, cùm Dominus omnipotens Christianorum restituerit potestati suæ dignatione misericordiæ, ad caput proprium referendas decreti hujus auctoritate sancimus, Porrò illarum dioceses civitatum

civitatum quæ Sarracenis invadentibus Metropolitanos proprios amiserunt eo tenore vestræ subicimus ditioni ut quandiu sine propriis Metropolitanis extiterint, tibi ut proprio debeant subjacere, ita quidem ut in sedibus episcopalibus liberam auctoritate nostra habeas potestatem Episcopos, in castellis verò & villis Presbyteros instituere, & prout tibi Dominus administraverit ordinare tam in his episcopatibus qui de antiquis Ecclesiæ tuæ terminis esse noscuntur quàm in illis qui proprium non habuerint Metropolitanum. Si quæ autem metropoles in statum fuerint proprium restitutæ, suo quæque diocesis Metropolitano restituatur, ut sub proprij regimine pastoris super divini collatione beneficij glorietur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona prædicta Ecclesia Toletana in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam sanctorum Iusti & Pastoris, abbatiam sanctæ Leocadiæ, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Tocha, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Batres, Ecclesiam sancti Vincentij de monte, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Valle Ecclesiarum, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Valadelmech, Ecclesiam de Calatrava, castrum quoque Alcala, castrum de Brioga, castrum de Canales, castrum Alfamin, cum pertinentiis eorum. Domum Reginæ in Toleto, cum hereditate sibi pertinente. Domum Sanciæ sororis illustris memoriæ Regis Aldefonsi, cum hereditate patris sui Raymundi Comitis, quam ipsa consensu fratris sui Ecclesiæ tuæ donavit & scripto confirmavit. Castrum quoque Bencarentiæ, & Aldeam quæ vocatur Azucuch, cum pertinentiis suis, & Alcobrogam. Decimas quoque omnium regalium redditum de sancta Eulalia, de Maqueda, de Ascalona. Statuimus etiam ut universi parochiæ tuæ fines qui jam Deo auctore à Christicolis habitantur, vel qui in futurum à Sarracenorum potestate auxiliante Domino eripientur, omnino integri tam tibi quàm tuis successoribus in perpetuum conserventur. Nomina verò oppidorum quæ in tua dioceſi à Dei fidelibus incoluntur, in præsenti pagina duximus annotanda. Talavera, Alfamin, Makeda, sancta Eulalia, Hulmus, Canales, Maieritum, Alcala, Wadalfaiara, Fita, Pennafora, Belegna, Vzeda, Talamanca, Butracum, Calatalifa, Ascalona, Zurita, Calatrava, Almoguera, & Alcolea. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij IV. Nonas Martij, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo IX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO ATHENIENSI, & Thermopilensi & Sidonensi Episcopis.

Epist. 6. Vt Ecclesia Corinthiensis reducatur ad ritum Latinorum.

CVm & alias oves quas habet Dominus nos oporteat in ovili nobis commisso suis ovibus aggregare, de cura Corinthiorum sollicitudinem decet nos gerere pastoralem; ut cùm eorum civitas ad dominium Latinorum credatur in proximo perventura vel jam forsitan pervenisse, oves Domini quæ sunt ibi, post greges sodalium non vagentur, sed ad unum redeuntes pastorem, & cognoscant eum secundùm evangelicam veritatem, & cognoscantur ab ipso. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si civitatem ipsam, velut ex relatis rumoribus spem concepimus, dilecto filio nobili viro G. Romaniæ Senescalco reddere se contingat aut jam reddidit semetipsam, & aliquis Archiepiscopus est in ea, prudenter & efficaciter in-

ducatis eundem ut ad obedientiam & reverentiam apostolicæ sedis ac nostram humiliter convertatur, juramentum exhibens super hoc quod exhiberi à talibus consuevit. Qui si forsan id perficere recusaverit, vos eo ab administratione pontificali prorsùs amoto, cùm pro rei novitate non possit ex more aliarum Ecclesiarum ad usitatum electionis modum procedi, dilectum filium H. Decanum Cathalaunensem, virum utique vita, fama, & scientia commendabilem, Ecclesiæ civitatis ejusdem auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo in Archiepiscopum assignetis, idipsum facturi si forsan, ut accepimus, eandem Ecclesiam inveneritis defuncto Archiepiscopo destitutam, monendo clericos, si qui fuerint, ut ei reverentiam & obedientiam debitam ac devotam impendant. Alioquin eidem Decano potestatem auctoritate apostolica conferatis, amotis illis, instituendi tales in locis ipsorum qui sibi studeant sicut membra capiti per devotam obedientiam cohærere. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani 1 v. Non. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO VENETENSI.

Epist. 7. De exemptione monasterij. *Vide cap.* Cùm venissent. *De integr. restit. & quintam compilat. lib.* 1. *tit.* 16. *c.* 4.

CVm movisses olim adversùs Rotonense monasterium quæstionem, asserens monasterium ipsum ac parrochiales Ecclesias ejus ad te de communi jure spectare, utpote in tua dioceſi constituta, in eisdem jura tibi episcopalia vendicando, & ex parte monasterij diceretur idem monasterium cum parrochialibus Ecclesiis suis Romanorum Pontificum privilegiis ab antiquo libertate donatum, super eadem causa frequenter fuerunt litteræ apostolicæ impetratæ. Denique autem utraque pars in venerabiles fratres nostros Nannetensem & Briocensem Episcopos sub certa pœna & juramento interposito compromisit: qui rationibus utriusque partis auditis, & monasterij privilegiis diligenter inspectis, de consilio peritorum illud in capite liberum sententialiter decreverunt. Verùm quia Ecclesiæ parrochiales ipsius exemptæ nullatenus probabantur, pronuntiaverunt easdem ad jurisdictionem tuam sicut alias tuæ dioceſis Ecclesias pertinere, nihilominus statuentes ut quatuor procurationes duntaxat tibi à sex Ecclesiis monasterij præstarentur; quarum unam perciperes in parrochiali Ecclesia de Roton, aliam in Ecclesia de sancto Godoalo, aliam in Ecclesia de Bani, ac aliam in Ecclesia de Langon; ita videlicet quòd Abbas & Priores Ecclesiarum ipsarum tres partes, & Capellani quartam partem in procurationibus ipsis ponant, & à duabus Ecclesiis, scilicet de Brim. & sancti Petri de Roton, quatuor solidos pro singulis procurationibus ad sublevationem suam recipiant Capellani. Porro cùm monasterium ipsum super iniquitate arbitrij ad audientiam dilecti filij nostri Gualæ sanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati detulisset postea quæstionem, asserens illud in Romanæ Ecclesiæ præjudicium, ad quam dictum monasterium nullo medio pertinet, iniquè prolatum, dictus Cardinalis illud utraque parte præsente cassavit, fratribus monasterij memorati præcipiens ut jurejurando super observatione ipsius hinc inde præstito non obstante, illud nullatenus observarent. Cùm autem super hoc nuper dilectus filius magister Rollandus tuus & P. monachus sæpedicti monasterij procuratores ad sedem apostolicam accessissent, & super præmissis litigassent aliquandiu coram nobis, demum in privilegio monasterij nobis exhibito perspeximus contineri monasterium sæpefatum, quod beati Petri juris existit, sedis apostolicæ privilegio communitum, in quo subsequenter adjungitur ut in parrochialibus Ecclesiis monasterij liceat Abbati & monachis ejusdem loci, cùm eas vacare contigerit, idoneos eligere sacerdotes & dioceſano Episcopo præsentare, qui ei de spiritualibus, illis verò de temporalibus debeant respondere. Ex quibus verbis arguitur quòd etsi dictum monasterium sit exemptum in capite, ipsius tamen parrochiales Ecclesiæ nullatenus sunt exemptæ. His igitur & aliis quæ utraque pars proposuit intellectis, de consilio fratrum nostrorum pronuntiavimus monasterium sæpedictum in capite liberum & à tua jurisdictione prorsùs exemptum, decernentes parrochiales Ecclesias ejus, quæ minimè probantur exemptæ, tibi dioceſana lege subjectas, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Turonensi & dilecto filio Abbati Salmurienſi Andegavensis dioceſis & magistro scholarum Andegavensi nostris dantes litteris in mandatis ut quod à nobis est sententialiter diffinitum faciant appellatione remota firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam com-

pescendo. Quia verò ipsæ parrochiales Ecclesiæ in procuratione ab antedictis Episcopis prætaxata nimis, sicut asseritur, aggravantur, ipsis injunximus ut si constaret eisdem procurationem ipsam prædictis Ecclesiis existere onerosam, nisi tu ab ipsis commonitus ad æquum volueris condescendere moderamen, ipsi pensatis facultatibus earundem procurent eam sublato appellationis obstaculo moderari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Nonas Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI ET MONACHIS Rotonensibus.

Epist. 8. Super eodem.

CVm venerabilis frater noster Venetensis Episcopus movisset olim adversùs Rotonense monasterium quæstionem, asserens monasterium ipsum ac parrochiales Ecclesias ejus ad se de communi jure spectare, utpote in sua dioceſi constituta, in eisdem jura sibi episcopalia vendicando, & ex parte vestra proponeretur idem monasterium &c. *ut in alia usque* pronuntiaverunt easdem ad jurisdictionem Episcopi sicut alias suæ dioceſis Ecclesias pertinere, nihilominus statuentes ut à sex parrochialibus Ecclesias monasterij quatuor procurationes duntaxat eidem Episcopo præstarentur, quarum unam perciperet &c. *usque* recipiant Capellani. Porrò cùm vos super &c. *usque* apostolicæ sedis Legati detulissetis postea quæstionem, asserentes illud in Romanæ Ecclesiæ præjudicium, ad quam idem monasterium &c. *usque* nonobstante illud nullatenus servaretis. Cùm autem propter hoc nuper dilectus filius magister Rollandus ejusdem Episcopi & P. monachus monasterij vestri procuratores &c. *ut in alia usque* pronuntiavimus monasterium vestrum in capite liberum & ab Episcopi jurisdictione prorsùs exemptum &c. *usque* antedicto Episcopo dioceſana lege subjectas, venerabli fratri nostro Turonensi Archiepiscopo & dilecto filio Abbati Salmurienſi &c. *ut in alia usque* onerosam, nisi præfatus Episcopus Venetensis ab ipsis commonitus ad æquum voluerit condescendere moderamen &c. *ut in alia usque in finem.* Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem ferè modù usque moderamen. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilomins exequantur. Datum ut in alia.

CAPITVLO TOLETANO.

Epist. 9. Vt procuratorem sui Subdiaconi mittant in possessionem canonicatus.

EXaminata fides & probata devotio qua se nobis dilectus filius Andreas de Gabiniano Subdiaconus & Capellanus noster carum exhibuit hactenus & jugiter exhibere non desinit nos inducit ut ad sua commoda promovenda tanto sibi specialiùs assistamus quanto manifestiùs hoc exigere sua merita dinoscuntur. Hinc est quòd cùm placuerit dudum venerabili fratri nostro Roderico Archiepiscopo, dilecto filio Hiſpano Decano, & concanonicis vestris qui cum ipso erant apud sedem apostolicam constituti, ipsum ad preces nostras in fratrem & Canonicum recipere coram nobis, nos id tanto gratum habuimus & habemus quanto Subdiaconus ipse pro suæ merito bonitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit. Cùm igitur ex hoc non minùs Ecclesia in persona quàm personæ in Ecclesia credamus esse provisum, universitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus quod per ipsos liberaliter factum est hilari prosequentes favore, dictum Subdiaconum per procuratorem suum in corporalem possessionem concessi sibi canonicatus inducere procuretis, & cùm ad locum residentium sit receptus, vestiarium & alia quæ percipiunt residentes, per eundem procuratorem sibi cum integritate debita conferatis juramento quod feciſſe dicimini non obstante, cùm illud mandato nostro nec debeat nec possit obstare. Taliter autem preces & præceptum nostrum super hoc studeatis implere quòd & idem Subdiaconus, qui vobis & Ecclesiæ vestræ in multis esse poterit fructuosus, ad dilectionem vestram ferventiùs possit astringi, & nos devotionem vestram exinde valeamus non immeritò commendare. Datum Laterani Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

HISPANO ECCLESIÆ Toletanæ Decano.

Epist. 10. Super eodem.

PLacuit venerabili fratri nostro Roderico Archiepiscopo ac tibi, fili Decane, & Canonicis Toletanis qui cum ipso erant apud sedem apostolicam constituti, dilectum filium Andream de Gabiniano Subdiaconum & Capellanum nostrum ad preces nostras in fratrem & Canonicum recipere coram nobis. Quod nos tanto

gratum &c. *ut in alia uſque* proviſum, dilectos filios Toletanum Capitulum per ſcripta noſtra rogavimus attentiùs & monuimus, nihilominus eis præcipiendo mandantes ut quod per dictos Archiepiſcopum & Canonicos liberaliter &c. *uſque* ſibi canonicatus inducant &c. *uſque* debita conferre procurent, juramento quod feciſſe dicuntur nequaquam obſtante &c. *uſque* obſtare. Cùm igitur Subdiaconus antedictus de tua ſinceritate confidens, vices ſuas ſuper his tibi duxerit committendas, devotionem tuam rogamus attentiùs & monemus quatenus ea taliter ſtudeas procurare quòd & ſibi utile & nobis eſſe poſſit acceptum. Datum ut in alia per totum.

FERNANDO GONDISALVI Magiſtro militiæ beati Iacobi, ejuſque fratribus Clericis & laicis tam præſentibus quàm futuris communem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 11. De confirmatione privilegiorum.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui Eccleſiam ſuam nova ſemper prole fœcundat, & ſic pro patribus filios in ea facit exurgere, ſic à generatione in generationem notitiam nomini ſui & lucem fidei Chriſtianæ diffundit ut ſicut ante ortum ſolis ſtellæ ſeſe ad occaſum in firmamento ſequuntur, ita in eccleſiaſticis gradibus generationes juſtorum, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis & tenebras noſtras veri ſolis ſplendor illuminet, per tempora ſibi ſuccedant, & ſicut multi ſæpe per caudam draconis deiciuntur in terram, ita & per adoptionem ſpiritus quotidiana fiat reparatio perditorum, & de profundo inferni ad quærenda multi cœleſtia erigantur, & ita corpore teneantur in terra ut tamquam cives ſanctorum & domeſtici Dei cognatione ac deſiderio converſentur in cœlis. Hoc ſanè temporibus felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri in partibus Hiſpaniarum de divino factum munere gratulamur; ubi nobiles quidam viri peccatorum vinculis irretiti, ex miſeratione illius qui vocat ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt, ſuperna gratia ſunt afflati, & tacti ſuper multis tranſgreſſionibus ſuis dolore cordis intrinſecus, & præteritorum agentes pœnitentiam peccatorum, non ſolùm poſſeſſiones terrenas, ſed & corpora ſua in extrema quæque dare pericula pro Domino decreverunt, & ad exemplum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ait, *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me patris*, in habitu & converſatione religionis ſub unius magiſtri ſtatuerunt obedientiæ commorari, eo utique moderamine propoſitum ſuum & ordinem temperantes ut quia univerſa turba fidelium in conjugatos continenteſque diſtinguitur, & Dominus Ieſus Chriſtus non ſolùm pro viris, ſed & pro feminis quoque de femina naſci voluit & cum hominibus converſari, habeantur in ipſo ordine qui cœlibem, ſi voluerint, ducant vitam, & conſilium beati Pauli ſequantur qui dicit, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, ſint etiam qui juxta inſtitutionem dominicam ad procreandam ſobolem & incontinentiæ præcipitium evitandum conjugibus ſuis utantur, & unà cum eis ad incolatum ſupernæ patriæ de convalle lacrymarum & terrena tranſire peregrinatione nitantur, & lacrymis diluant & operibus pietatis ſi eos ſupra fundamentum ſuum, quod Chriſtus eſt, pro cura carnis & affectibus liberorum ligna, fœnum, ſtipulam ædificare contingat, cùm alij expeditiores & continentes ædificent aurum, argentum, & lapides pretioſos, & iſti tamen & illi militent uni Regi, & ſupra fundamentum cœleſtem unam ædificent manſionem, promiſſione pſalmiſtæ in Domino roborati, qui minora quoque membra Eccleſiæ confortat, & dicit. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* In horum autem fidelium Chriſti collegio cùm bonæ memoriæ P. Fernandi per voluntatem Dei magiſterium ſuper alios & providentiam ſuſcepiſſet, cum quibuſdam fratrum ſuorum ad præſentiam ejuſdem noſtri prædeceſſoris accedens, cum humilitate qua debuit à ſede apoſtolica requiſivit ut eos, tamquam peculiares filios, in defenſionem ſuam, & locum in quo caput ordinis factum fuerit, in jus & proprietatem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ recipere dignaretur. Cùm igitur ipſe devotionem ſuam & bonum attendens in Domino deſiderium, de communi fratrum ſuorum conſilio piæ petitioni eorum duxerit annuendum, nos humilibus veſtris precibus inclinati, ad exemplar præfati prædeceſſoris noſtri, in ſpeciales ac proprios ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ filios vos recipimus, & ordinem veſtrum auctoritate apoſtolica confirmantes, præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona in præſentiarum juſtè & legitimè poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum,

Vide Anton Nebriſſ. decad. 1. lib. 2. c. 9.

Vide Iacob. de Vitriaco cap. 16. hiſt. occidental.

oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Lodium & monasterium cum cauto & pertinentiis suis, burgum de Ponte Minij contra Lodium cum suis pertinentiis, Crescente cum cauto & pertinentiis suis, Quintanella de Petro Heres cum cauto & pertinentiis suis, Baria cum cauto & pertinentiis suis, Lentanio cum suis pertinentiis, sanctum Salvatorem de Listriana cum cauto & pertinentiis suis, Mosot cum cauto & suis pertinentiis, Penagosen cum pertinentiis suis, sanctam Mariam de Pinel cum suis pertinentiis, Vcles cum suis pertinentiis, Alfarella cum suis pertinentiis, Orella cum suis pertinentiis, Mora cum suis pertinentiis, Moravega cum suis pertinentiis, decimæ de Valera & de Portatgo cum suis pertinentiis, Alcazar cum suis pertinentiis, Almadana cum suis pertinentiis, Larudà cum suis pertinentiis, Lazarza cum suis pertinentiis. Sancimus præterea ne occasione antiquæ detentionis sive scripturæ quisquam vobis possit auferre quæ ultra memoriam hominum sub Sarracenorum detenta sunt potestate, & de munificentia Principum seu vestro studio & labore aut jam obtenta sunt aut in futurum auxiliante Domino poteritis obtinere. Cùm enim unica sit vobis intentio & singularis cura semper immineat pro defensione Christiani nominis decertare, nec solùm res sed & personas ipsas pro tuitione fratrum incunctanter exponere, plurimùm posset hoc pium opus & laudabile studium impediri, si labores & stipendia vestra, quæ in commune proficiunt, præriperentur ab aliis, & otiosi ac desides, atque in laboribus suis non quæ Iesu Christi sed quæ sua sunt requirentes, emolumenta illa perciperent quæ pro tantis laboribus vobis & pauperum Christi usibus sunt provisa, dicente Apostolo: *Qui non laborat, non manducet.* Inter ea sanè quæ in professionis vestræ ordine statutũ est observari primũ est ut sub unius magistri obedientia in omni humilitate atque concordia sine proprio vivere debeatis, illorum fidelium exemplum habentes qui ad fidem Christianam Apostolorum prædicatione conversi, vendebant omnia, & ponebant pretium ad pedes illorum, dividebaturque singulis prout cuique opus erat, nec aliquis eorum quæ possederat quicquam suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Ad susciendam quoque prolem quæ in timore Domini nutriatur, & infirmitatis humanæ remedium juxta institutionem Domini & indulgentiam Apostoli, qui ait, *Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & similiter virum mulier suum*, qui continere nequiverit conjugium sortiatur, & servet inviolatam fidem uxori, & uxor viro, nec thori conjugalis continentia violetur. Si autem viri præmortui fuerint, & relictæ ipsorum, quæ ordinem susceperunt, nubere voluerint, denuntietur hoc magistro sive commendatori, ut cum illius conscientia cui mulier ipsa vult nubat, secundùm verbum Apostoli Pauli dicentis: *Mortuo viro, soluta est mulier à lege viri; cui vult nubat, tantùm in Domino.* quod etiam de viris intelligitur observandum. Vna etenim utrique lege tenentur. Statuimus quoque ut nullus fratrum sive sororum post susceptionem ordinis vestri & promissam obedientiam vel redire ad seculum vel ad alium ordinem sine magistri licentia audeat se transferre, cùm sint in ordine vestro loca statuta ubi quisque districtiùs valeat conversari. Discedentem verò nullus audeat retinere, sed ad ordinem suum per censuram ecclesiasticam qui discesserit redire cogatur. Vt autem in ordine vestro cum majori omnia deliberatione tractentur, statutum est inter vos ut locus aliquis ordinetur in quo per singulos annos in solemnitate omnium sanctorum generale capitulum teneatur, & sit ibi clericorum conventus & Prior, qui eorum & aliorum clericorum qui de ordine vestro fuerint curam possit habere, ac fratrum, cùm necesse fuerit, provideat animabus, sint autem & tredecim in ordine fratres, qui magistro, cùm opus fuerit, in consilio & dispositione domus assistant, & eligendi magistri curam habeant competentem. Prior siquidem clericorum, cùm magister de hac luce migraverit, de domo & ordine sollicitudinem gerat; cui sicut magistro omnes obedientes existent, donec per providentiam tredecim prædictorum fratrum magistri electio celebretur. Is, cùm transitus magistri fuerit auditus & cognitus, tredecim illos fratres sine dilatione aliqua convocabit; & si quisquam eorum infirmitate vel alia ex causa infra quinquaginta dies adesse nequiverit, cum aliorum consilio qui præsentes fuerint alium absentis loco constituet, ut magistri electio ex aliquorum absentia minimè differatur. Illi verò tredecim fratres, si magister qui pro

tempore fuerit pernicioſus aut inutilis apparuerit, cum consilio Prioris clericorum & sanioris partis Capituli majoris domus corrigendi aut etiam admonendi eum habeant potestatem. Et si inter eum & Capitulum aliquid emerserit quæstionis, debitum ei finem imponant; ne per aliena judicia vel dilabatur ordo, vel temporalis substantia dissipetur. In nullam autem ex hoc fratres illi superbiam eleventur, sed magistro suo devoti & obedientes existant. Quòd si quis eorum ex hac vita transierit, vel pro culpa seu alia quacunque fuerit occasione mutandus, magister cum consilio reliquorum aut majoris partis alium loco ejus substituat. In Capitulo autem, quod annis singulis diximus celebrandum, tredecim isti fratres, & commendatores domorum, nisi evidens & magna eos necessitas detinuerit, ad statutum locum incunctanter occurrant, & communiter tractent quæ ad profectum ordinis, animarum salutem, & sustentationem corporum fuerint statuenda; ubi præcipuè ad defensionem Christianorum intendere moneantur; & districtè præcipiatur ut in Sarracenos, non mundanæ laudis amore, non desiderio sanguinis effundendi, non terrenarum rerum cupiditate crassentur, sed id tantùm in pugna sua intendant ut vel Christianos ab eorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint Christianæ fidei provocare. Eligantur & tunc visitatores idonei, qui domos fratrum per anni circulum fideliter visitent, & quæ ibi digna correctione invenerint, aut ipsi corrigant, aut ad generale Capitulum deferant corrigenda. Clerici præterea vestri ordinis per villas & oppida simul maneant, & Priori qui super eos fuerit ordinatus obedientes existant, & filios fratrum qui eis à magistro commissi fuerint instruant scientia litterarum, & fratribus tam in vita quàm in morte spiritualia subministrent. Induentur autem superpelliciis, & conventum & claustrum sub Priore suo tenebunt, & humiliter facient quod ab ipso illis secundùm Deum fuerit imperatum; ubi fratres quoque de quibus magistro visum fuerit conversentur; & non sint otiosi, sed vacent orationi & aliis operibus pietatis. Clericis verò de laboribus & aliis bonis à Deo præstitis decimæ reddantur à fratribus, unde libros & congrua Ecclesiarum faciant ornamenta, & in necessitatibus corporis convenienter sibi provideant; & si aliquid superfuerit, secundùm providentiam magistri in usus pauperum erogetur. Vt autem concordia inter vos caritasque servetur, & à peccato detractionis & murmuris cuncti debeant abstinere, qui commendator in quolibet loco fuerit institutus, pro facultate domus in sanitate & ægritudine quod cuique opus fuerit cum ea sollicitudine ac benevolentia subministret ut neque in substantia parcitatem nec in verbo amaritudinem gerere videatur. Sit vobis præcipua cura hospitum & indigentium, & necessaria illis pro facultate domus liberaliter conferantur. Exhibeatur Prælatis Ecclesiarum honor & reverentia; subministretur cunctis Christi fidelibus, Canonicis, monachis, Templariis, Hospitalariis, aliisque in sanctæ religionis observantia positis consilium & auxilium; quorumlibet etiam indigentia, si facultas fuerit, sublevetur, ut & Deus in vestris glorificetur operibus, & alij qui viderint, humilitatis & caritatis vestræ provocentur odore. Ad hæc adiciendum decrevimus ut si locus aliquis in quo Episcopus esse debeat in vestram venerit potestatem, sit ibi Episcopus, qui cum Ecclesiis & clero suo designatos sibi redditus & possessiones & episcopalia jura percipiat; reliqua verò cedant in usus vestros, & in vestra dispositione sine cujusquam contradictione persistant. Profectò in parrochialibus Ecclesiis quas habetis nolumus Episcopos suo jure fraudari. Si autem in locis desertis aut ipsis terris Sarracenorum de novo Ecclesias construxeritis, Ecclesiæ illæ plena gaudeant libertate, nec aliqua per Episcopos decimarum aut alterius rei exactione graventur. Liceatque vobis per Clericos vestros idoneos easdem Ecclesias cum suis plebibus gubernare; nec interdicto per Episcopos vel excommunicationi subdantur, sed fas sit vobis tam in majori Ecclesia, quæ caput fuerit ordinis, quàm in illis etiam, excommunicatis & interdictis exclusis, divina semper officia celebrare. Præterea ne humanis vexationibus & calumniis à defensione Christianorum retrahi valeatis, apostolica auctoritate decernimus ne personas vestras, præter Legatum apostolicæ sedis à latere Romani Pontificis destinatum, interdicere quisquam aut excommunicare præsumat. quod etiam de familiis & servientibus vestris statuimus, qui stipendia vestra percipiunt, donec justitiam parati fuerint exhibere; nisi fortè talis fuerit culpa ex qua ipso facto ecclesiasticam censuram incurrant. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericòrum vestrorum qui ad sacros

ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipietis Episcopo; siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Liceat præterea vobis in locis vestris ubi quatuor vel plures fratres fuerint oratoria construere, in quibus fratres & familiæ vestræ tantùm & divinum audire officium & sepulturam Christianam possint habere. Ita enim volumus necessitati vestræ consulere ut non debeant ex hoc adjacentes Ecclesiæ injuriam sustinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Præsenti nihilominus decreto sancimus ut si quis in aliquem vestrum, fratrum videlicet vel sororum, violentas manus injecerit, excommunicationis sententia sit astrictus, & illud idem pro tutela vestra tam in sententia quàm in pœna servetur quod sub felicis memoriæ Papa Innocentio prædecessore nostro de tuitione clericorum in generali Concilio noscitur institutum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat jura vel possessiones vestras temerè perturbare, aut vestra bona auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus à sede apostolica perceptæ libertatis decem malachinos nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem vobis vestra jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij, VIII. Idus Martij, Indictione tertiadecima, incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertiodecimo.

Tit. 9. 4. cap. Si quis suadente.

CENADIENSI EPISCOPO, & Abbati de Cikedor Quinquecclesiensis diocesis.

Epist. 12. Scribitur pro Episcopo Quinquecclesiensi.

CVm in juventute sua venerabilis fratern oster C. Quinquecclesiensis Episcopus adeo se maturum, honestum, & providum exhibuerit ut propter suavem suæ probitatis odorem ab Ecclesia Romana meruerit ornamento pallei decorari, non est de levi credendum quòd postquam ad senilem pervenit ætatem &c. *Require suprà in regesto noni anni ejusdem Domini innocentij tertij Papæ, Datum Ferentini Nonis Iulij, in eundem modum per totum usque* non duximus iterandum, cùm & carissimus in Christo filius noster A. Rex Vngarorum illustris eum per suas litteras valde nobis reddiderit commendatum, asserens &c. *usque* præcipiendo mandamus quatenus cùm per Episcopum ipsum non steterit quò minùs purgaverit semetipsum, quando purgationem curavit offerre, non ut ratum haberet quod à nuntio suo fuerat procuratum, sed ne mandatum apostolicum contemnere videretur, non sinatis ipsum ulteriùs occasione prædicti mandati ab aliquo molestari, sed si videritis contra eum studia concinnari maligna, non permittatis ipsum iniquis machinationibus conculcari; quia vehementer præsumimus ex verisimilibus conjecturis quòd aliqui contra eum invidia torqueantur, dejectionem ipsius exaltationem propriam æstimantes; significaturi nobis, cùm expedire videritis, de singulis circumstantiis veritatem. Datum Laterani VII. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Verba quæ heic desunt, repetenda sunt ex cap. Cùm in juventute. *De præsumptionib. & ex cap. eod. De purgat. canon. in tertia collectione, ubi sic legitur:* postquam ad senilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fœtores & fœditates libidinis amplexando, cùm labes hujusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentiùs expietur. Quis præterea de facili crederet quòd vir præditus scientia litterarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret ut cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum, cùm etiam secundùm sententias ethnicorum naturale fœdus inter tales personas nihil permittat scævi criminis suspicari? Licèt igitur illustris Rex Vngariæ eun-

dem Episcopum nobis interdum per nuntios & litteras de tali crimine detulisset suppliciter postulans & instanter ut malum hujusmodi pernicioſum exemplo de Vngarica Ecclesia tolleremus, quia tamen ejus suggestio non de caritatis radice sed ex odij fomite procedere videbatur, cùm ipsum tamquam inimicum persequi non cessaret, sicut est in tota provincia manifestum, noluimus aures nostras quasi malignis delationibus inclinare; sed ut probaremus spiritus si esset ex Deo, bonæ memoriæ * Iaurien si Episcopo dedimus nostris litteris in mandatis ut prudenter ac cautè à coëpiscopis indagaret utrum præfatum Episcopum crederent tali labe respersum. Qui nobis postmodum rescripserunt quòd eum virum honestæ conversationis esse credebant, personam illius multipliciter commendantes. Quia verò pater filium quem diligit corripit, nos eundem Episcopum per litteras nostras corripuimus, injungentes eidem ad majorem cautelam ut ab illius familiaritate cessando, apud Deum & homines taliter se haberet quòd sinistra de ipso suspicio non posset haberi. Sed inimicus homo rescriptum litterarum illarum subripiens, apud prædictum Regem & magnates regni ipsum nequiter publicavit, ut sic idem Episcopus deberet amplius infamari, cùm videretur nobis incredibilis & suspectus. Vnde nos tantam æmulorum nequitiam attendentes, licèt pulsati fuerimus multotiens contra eum, nunquam tamen adversùs eum potuimus commoveri, scientes quòd facilè dominium sequitur multitudo. Vbi verò idem Episcopus ad Strigonien sem metropolim extitit postulatus, quidam qui super ipsa postulatione adversabantur eidem, ut promotionem ipsius faciliùs impedirent, illius criminationis carbones reaccendere sunt moliti. Vnde quidam procurator ipsius in nostra præsentia constitutus, de consilio quorundam amicorum suorum, qui super hoc quidem bonum zelum habebant, sed non secundùm scientiam, cœpit à nobis in præsentia fratrum nostrorum cum instantia postulare quatenus eidem Episcopo purgationem canonicam faceremus indici, ut suam innocentiam demonstraret. Nos autem hujusmodi postulationem minùs providam immo nimis improvidam reputantes, procuratorem ipsum ab ea sæpe voluimus revocare; tum quia sæpefatus Episcopus non videbatur apud bonos & graves de illo crimine infamatus, cùm coëpiscopi super hoc ex mandato apostolico requisiti laudabile testimonium de ipso nobis curaverint exhibere, tum quia talis infamatio videbatur ab inimicis & æmulis processisse, sicut superiùs est expressum. Vnde cùm anteacta ejus vita commendabilis extitisset & hujusmodi facinus incredibile videretur, non credebamus ei purgationem aliquam indicendam. Ceterùm quia procurator instabat, compulsi fuimus, non juris necessitate, sed importunitate petentis, ut ei per vos purgationem canonicam cum duobus Abbatibus mandaremus indici; quamvis eidem procuratori fuerimus protestati quòd ex alia quoque causa talis petitio minus providè tunc fiebat, quia videlicet Strigonien sis Ecclesiæ suffraganei vix eo tempore purgarent eundem, quia in facto postulationis contradicebant eidem, & suffraganei Colocen sis Ecclesiæ ipsum minimè tunc purgarent, quia inter eum & Colocen sem Archiepiscopum de Strigonien si metropoli contentio vertebatur. Vnde cùm non sint alij Pontifices in Vngaria, meritò videbatur quòd per Episcopos regni sui non posset in illo articulo se purgare. *Desunt nonnulla. Ceterùm quæ hèic descripta sunt ex tertia collectione, emendata sunt ope duorum veterum exemplarium manuscriptorum: quorum unum ad nos pervenit ex urbe Andegavensi, aliud exstat in bibliotheca Colbertina.*

* *Cod. Colb.* Geortien si

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Cermopilen si Episcopo, & electo Avelelen si.

Epist. 11. De electione Archiepiscopi Thessalonicensis.

OLim dilecti filij Canonici sanctæ Sophiæ Thessalonicensis suas nobis litteras direxerunt, per quas unà cum dilecta filia in Christo filia nobili muliere relicta Marchionis Montisferrati necnon & dilectis filiis nobilibus viris Comite de Blandraco Bajulo & aliis Thessalonicensis regni Baronibus, qui super hoc ipso sua nobis scripta misere, nostro humiliter apostolatui supplicarunt ut postulationem quam iidem Canonici, prædictorum accedente favore, de venerabili fratre nostro Verisien si Archiepiscopo se fecisse dicebant admittere dignaremur, cùm per ipsius circumspectam prudentiam & circumspectionem prudentem singulariter quasi sperarent non solùm Ecclesiæ sed & regni posse necessitatibus provideri. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris Lariscen si & Thebano Archiepiscopis dedimus in præceptis ut inquisita diligenter & cognita veritate, si postulationem ipsam ab his qui eam celebrare potuerant & debuerant invenirent canonicè celebratam, & præfatum Archiepiscopum, sicut à quibusdam nobis fuerat intimatum, administrationi Thessalonicensis Ecclesiæ se minimè ingessisse, propter multam necessitatem admitterent vice nostra postulationem eandem. Nuper autem idem Archiepiscopus ad præsentiam nostram accedens, litteras nobis non solùm carissimi in Christo filij nostri Constantinopolitani Imperatoris illustris & præfati Thebani Archiepiscopi verùm etiam aliorum multorum Præsulum & magnatum causam ejus multipliciter commendantium præsentavit; inter quos specialiter memoratus Thebanus Archiepiscopus se scire veraciter fatebatur quòd ab illis quos communis clerus & populus habebant in Ecclesia Thessalonicen si Canonicos unanimiter fuerat postulatus, assentiente præfata nobili, & prædicto Comite tunc Bajulo cum aliis regni Baronibus hoc ipsum propter necessitatis instantiam expetente. Qui tandem licèt ab eodem Imperatore compulsus ad civitatis custodiam remansisset,

Vide lib. 11. epist. 170.

fisset, non tamen in archiepiscopalibus domibus, sed in quadam turri ejusdem civitatis se cum suis militibus & familia recollegit, in qua laudabiliter opus injunctæ sibi custodiæ procuravit implere. Quæ omnia quamquam idem Thebanus plenè novisset, nostro tamen mandato recepto, unà cum collega suo Lariſſensi Archiepiscopo ad prædictam civitatem accessit: ubi familiares prædicti Comitis contra postulatum instructi, Albertus videlicet Thessalonicensis Canonicus, qui eum canonicare postulaverat, prout idem Thebanus se à pluribus asserit didicisse, ac etiam Imperator illum hoc in sua præsentia recognovisse testatur, & H. qui dicti Comitis extiterat Cancellarius, eorum se conspectui præsentarunt, quos vitare minimè potuerunt quin attestationes eorum apud conscientiam ipsius Thebani Archiepiscopi, prout quidem asserit, minùs veras tamquam inquisitores negotij diligenter audirent, easque nostro examini reservantes, eidem postulato administrationem temporalium commisere, considerantes desolationem Ecclesiæ, regni anxietatem, & favorem Imperatoris ac etiam omnium Latinorum. Idem autem Verisiensis Archiepiscopus in nostra præsentia recognovit quòd statim post postulationem suam requisitus à Comite ut sibi unam & cuidam nobili laico aliam daret præbendam, respondit quòd ad se minimè pertinebat; & subjungente Comite quòd ratione sedis vacantis ipsemet sibi & illi nobili hujusmodi præbendas conferret, adjecit quòd hoc ipse nec concedebat nec etiam denegabat, cùm ad se talis concessio vel negatio non spectaret. Recognovit insuper quòd in ingressu Thessalonicensis Ecclesiæ Canonici & Clerici civitatis *Te Deum laudamus*, ipso dicente, *Non mihi, sed vobis cantatis*, motu proprio cecinerunt, & illis eum inthronisare volentibus, non est passus. Temporalia quoque ipsius Ecclesiæ de præfatæ nobilis & Bajuli voluntate, Clericis Ecclesiæ præsentibus & non contradicentibus, ad sustentandũ se ac suos pro civitatis defensione percepit, exigens & recipiens adjutorium nihilominus à Græcis tam Clericis quàm laicis propter sustentationem eandem. Et propter necessitatem terræ, ad nimiam commorantium ibidem instantiam, ad titulum Verisiensis Ecclesiæ, sicut viator, duos Presbyteros & totidem Diaconos ac Subdiaconos unumque Acolythum ordinavit; necnon prænominatæ nobili, non utique pro regalibus, sed pro suspicione tollenda, solummodo tutum & honestum, quandiu esset cum ipsa, promisit. Quia igitur Archiepiscopo ipso apud sedem apostolicam expectante, non comparuit pars adversa, nec prælibatæ attestationes nobis præsentatæ fuerunt, nolentes ex tali dilatione Thessalonicensem Ecclesiam sustinere jacturam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus cùm memorata nobilis nuper etiam per speciales nobis litteras intimaverit quòd & sibi placeat quicquid nobis de negotio ipso placet, attestationes ipsas vel earum originalia, quæ apud inquisitores credimus remansisse, si forsan interim vobis fuerint destinatæ, faciatis vobis absque dilatione qualibet exhiberi, & facientes interim eundem Archiepiscopum administratione gaudere quæ sibi commissa fuit, sicut superiùs est expressum, attestationibus ipsis diligenter inspectis, nisi aliquod grave sufficienter inveneritis esse probatum quod postulationem meritò impedire debuerit, vice nostra, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, admittatis eandem, & absolventes eum à vinculo quo Verisiensi Ecclesiæ tenebatur, præfigatis ei terminum competentem infra quem palleum quod sub nomine ipsius Ecclesiæ Verisiensis accepit nobis remittere non postponat, aliud dante Domino, prout convenit, ad nomen Thessalonicensis Ecclesiæ recepturus; facientes eidem à subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Si autem casu aliquo attestationes prædictas vel earum habere originalia nequiveritis, nihilominus ad finem negotij per inquisitionem debitam procedere non tardetis. Quòd si forsan grave aliquid inveneritis esse probatum propter quod eadem postulatio sit meritò respuenda, cassata ipsa, illos ad quos pertinet electio Thessalonisis Ecclesiæ moneatis ut personam idoneam, si quidem in partibus illis reperta fuerit, absque mora per electionem seu postulationem canonicam concorditer sibi præficiant in pastorem. Si verò propter personarum defectum, quo non solùm ipsam Ecclesiam sed & totam provinciam credimus laborare, personam idoneam non potuerint ad ejus regimen invenire, vos id nobis per vestras litteras intimetis. Qui, si Canonici memorati cum favore nobilis sæpedictæ per litteras quas à vobis ad hoc diligenter commonita nobis duxerit destinandas expressò poposcerint, eis auctore Domino dignum Pontificem de nostris manibus consecratum & decoratum palleo,

insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, curabimus destinare, qui & sciet & poterit cum sapientiæ divinæ potentia commissam sibi Ecclesiam spiritualiter & temporaliter gubernare. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

R. ET A. ATHENIENSIBVS & magistro G. Dimicensi Canonicis.

Epist. 14. De congrua portione Canonicorum Thebanorum.

CVm olim ad petitionem dilectorum filiorum Canonicorum Ecclesiæ Thebanæ dilecto filio Nazorescen electo & suis conjudicibus dedissemus nostris litteris in mandatis ut venerabilem fratrem nostrum Thebanum Archiepiscopum admonerent eisdem Canonicis portionem de rebus Ecclesiæ suæ congruam assignare, idem Archiepiscopus, prout nostris auribus est relatum, monitionibus illorum inductus, consideratis redditibus ejusdem Ecclesiæ ac facultatibus universis, medietatem earum Canonicis contulit memoratis liberaliter: qui tandem humiliter postularunt à nobis ut concessionem hujusmodi dignaremur auctoritate apostolica roborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus concessionem ipsam, sicut providè facta est, faciatis firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VII. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

THEBANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 15. Mandatur ei ne vexet Canonicos.

DIlecti filij Thebani Canonici nobis grauiter sunt conquesti quòd tu pro qualibet levi causa, juris ordine prætermisso, sententiam excommunicationis in ipsos sæpius jaculari præsumis, cùmque propter varia maris & terræ pericula, pro beneficio absolutionis habendo ad nos accedere nequeant, Ecclesia sua sæpissime hac de causa ulteriùs quàm deceret debito servitio defraudatur. Ne igitur nimiùm deferendo prælatis, subjectos opprimere videamur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus in Canonicos ipsos præcipitare sententiam contra juris ordinem non præsumas, sed ita satisfacias de injuriis super hoc irrogatis eisdem quòd justam de te materiam non habeant conquerendi. Alioquin pro certo cognoscas quòd si nobis super hoc fuerit iterata querela, officij nostri debitum conquerentibus reddemus. Datum ut in alia per totum.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. Vt Latini propriis utantur sacerdotibus.

DIlectus filius nobilis vir O. de Roca Dominus Athenienſis per litteras nostras vestram petiit providentiam admoneri ut in castris suis & villis, in quibus duodecim Latini abundantes certas habuerint mansiones, proprios sacerdotes, quibus integrè à Latinis laicis decimæ persolvantur, instituere curaretis; præsertim cùm iidem laici sint parati hujusmodi Presbyteris, quibus decimæ non sufficerent, providere. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus petitioni ejusdem nobilis super hoc, prout videritis expedire, benevolum præbeatis assensum. Alioquin dilecto filio magistro R. Decano Davalienſi & B. Cantori & Terrico Canonico Thebanis dedimus in mandatis ut veritate super hoc diligentiùs inquisita, illam nobis studeant fideliter intimare. Datum Laterani &c. *ut in alia per totum.*

Scriptum est ipsis super hoc in eundem ferè modum usque in finem. Quòd si non omnes &c. Datum ut in alia per totum.

PRÆCEPTORI ET FRATRIBVS Hospitalis sancti Samsonis Constantinopolitani.

Epist. Confirmatio habitæ permutationis.

ANnuere consuevit sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, castellum quod Garelis vulgariter appellatum vobis cum pertinentiis suis carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator pia liberalitate donavit, domos quoque, casalia, terras, vineas, & possessiones alias, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XVIII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

Epist. 1. De ordinatione Clericorum omni anno Pisis celebranda.

SI tua fraternitas consideraret attentè quòd ab uno patre descenderimus universi, & quòd non sit personarum acceptio apud Deum, sed ei de omni gente qui

Epist. 105. ex ipsa Innoc. III. cap. 99.

timet Deum & operatur justitiam est acceptus, in dispensando talenta tibi credita non personas sed merita potiùs attenderet personarum. Verùm quia, sicut carissimus in Christo filius noster Imperator Constantinopolitanus illustris sua nobis insinuatione monstravit, hoc minùs attentè considerans quàm deceret, prout caro & sanguis revelavit tibi, solos Venetos vel subjacentes eisdem in Ecclesia tua promoves, Francos & alios probos viros alterius nationis quàm tuæ promovere contemnens, volentes ut ab hujusmodi revoceris abusu, per quem divinam & nostram incurrere posses offensam, fraternitatem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus de personis idoneis & honestis undecunque acceptis Ecclesiam tuam taliter ordinare procures quòd in ordinatione ipsarum magis merita quàm personas attendere videaris. Specialiter autem ipsius precibus Imperatoris inducti, pro dilectis filiis H. Presbytero, Iacobo Subdiacono, & Petro de Christo, apostolicas preces tibi duximus destinandas, monentes attentiùs & hortantes quatenus eis ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram in Ecclesia tua conferas beneficium præbendale; preces nostras taliter impleturus quòd devotionem tuam inde possimus meritò commendare. Datum Laterani Idibus Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DECANO DE BLAKERNA, & magistris P. de Montiniaco Cantori & G. Canonico sancti Pauli Constantinopolitanis.

Epist. 19. Super eodem.

SI venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha consideraret attentè quòd ab uno patre descenderimus universi & quod non sit personarum acceptio apud Deum, sed ei &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* in Ecclesia sua conferat beneficium præbendale. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eum ad id monere diligentiùs & efficaciter inducere procuretis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia per totum.

IOHANNI TVRONENSI Archiepiscopo.

Epist. 20. Confirmatur compositio facta inter Archiepiscopum Turon. & Abbatem Cormaria.

MOta jampridem quæstione inter bonæ memoriæ prædecessorem tuum & Canonicos beati Martini Turonensis & Rogerium Abbatem Cormariacensem super subjectione ac obedientia quam idem prædecessor tuus à prædicto Abbate sibi conquerebatur injustè subtractam, partes ad felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri præsentiam accesserunt. Qui cùm non posset causæ debitum finem imponere, eam bonæ memoriæ Trecensi & Claromontensi Episcopis terminandam commisit. Cùm autem coram Claromontensi de assensu Trecensis Episcopi partes propter hoc constitutæ fuissent, eodem Claromontensi & viris aliis honestis & discretis qui sibi assidebant mediantibus inter prædictum prædecessorem tuum & Sulpicium successorem prædicti Abbatis & Decanum & Canonicos sancti Martini de libero & spontaneo assensu partium amicabilis facta est compositio & in authentico scripto redacta, sicut ex eodem scripto manifestè comparet. Nos autem quæstionem sopitam nolentes indebitè suscitari, qui tenemur litibus finem imponere, ad exemplar prædicti prædecessoris nostri compositionem ipsam, sicut de assensu partium in præsentia prædicti Claromontensis providè facta est & hinc inde sponte recepta & hactenus observata & in scripto authentico ipsius Episcopi continetur, ratam habemus & firmam, eamque auctoritate apostolica confirmantes, præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes quòd nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI DE SICHEM Halbelstatensis diœcesis, & majori Decano Halbeltatensi.

Epist. 121. Committitur eis postulatio Marchionis Brandeburg.

EX parte dilecti filij nobilis viri Marchionis Brandeburgensis nostris est auribus intimatum quòd cùm non modica terræ pars ad marchiam suam pertinens per suos & fratris ac patris avique sui labores de manibus eruta paganorum sterilis jaceat & inculta, ipsam ad cultum redigere ac de colonis fidelibus disposuit stabilire. Vnde nobis humiliter supplicavit ut cùm pro ampliatione divini cultus conventualem Ecclesiam desideret in terra ipsa construere, licentiam super hoc ei concedere dignaremur, & ipsam ab omni onere pontificalis jurisdictionis exemptam in jus & proprietatem sedis apostolicæ retinere, ita profectò quòd duæ partes decimarum ejusdem terræ ad Marchionem ipsum & heredes ipsius pro Ecclesiæ fabrica, quam ipsi debent propriis sumptibus repara:e,

necnon etiam pro stipendiis militum devolvantur, sine quibus terra memorata non posset contra Sclavorum impetum gubernari fidem catholicam impugnantium vel ecclesiasticam unitatem, aut terram ipsam occupare volentium, pro eo quòd patres eorum, cùm essent pagani, per eundem Marchionem vel progenitores ipsius ab ea fuerunt potenter ejecti, tertia verò pars integra persolvatur Ecclesiæ construendæ, quam idem Marchio competenter dotabit, ut in ea duodecim Canonici commodè possint cum suo Præposito deservire, qui pro tempore canonicè debeat præsentari per eum ac successores ipsius, & per solum Romanum Pontificem aut ejus mandato per alium confirmari, ac denique confirmatus gerat administrationem temporalium, quæ poterunt administrari per ipsum in Ecclesiis construendis in terra prædicta; alia verò spiritualia, quæ officium episcopale requirunt, idem Præpositus exigat & obtineat à quocunque maluerit Episcopo apostolicæ sedis gratiam obtinente. In recompensatione autem decimarum illarum, quæ, sicut superiùs est expressum, ad præfatum Marchionem & heredes ipsius pro Ecclesiæ fabrica & stipendiis militaribus devolventur, de singulis quinquaginta mansis unam marcam puri argenti nobis & successoribus nostris facient idem Marchio & successores ejus annuatim exolvi. Licèt igitur petitionem suam providerimus admittendam, volentes tamen absque gravi alieno præjudicio pium ejus propositum promovere, cùm & hoc dilectus filius procurator venerabilis fratris nostri Brandeburgensis Episcopi acceptaverit in nostra præsentia constitutus, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita diligenter & cognita veritate, si terram illam esse constiterit solitariam aut desertam, maximè quòd non sit in memoria hominum illam fuisse per Christicolas habitatam, sed paganos habitatores inde fuisse depulsos in memoria hominum teneatur, recipiatis appellatione remota fundum in jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ vice nostra, in quo hujusmodi Ecclesia construatur, ac super solemni ejus concessione publico instrumento confecto, & ad opus ejus dotibus competentibus assignatis, tribuatis auctoritate nostra suffulti liberam facultatem præfatam Ecclesiam construendi ab omni prorsùs onere jurisdictionis episcopalis exemptam, & in jus & proprietatem apostolicæ sedis perpetuò remansuram; ita quòd in recompensationem duarum partium decimarum quæ causâ præscriptæ necessitatis dimittentur Marchioni jamdicto, prælibati census concessionem recipere procuretis, ut de ipso per nostram providentiam disponatur sicut fuerit disponendum. Quòd si non ambo his exequendis volueritis vel valueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani VII. Kal. April. anno tertiodecimo.

MISSINO FVNDATORI ET fratribus leprosorum de Missino.

Epist. 11. Xenjuam sub protectione sedis apostolicæ &c.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, domum hospitalis de Missino ad exemplar felicis recordationis Cœlestini Papæ prædecessoris nostri in jus & proprietatem beati Petri cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, domos, silvas, & quicquid in Faventino, Forolivienſi, & Imolensi episcopatibus idem hospitale habere dinoscitur, sicut ea omnia justè ac pacificè possidet, vobis & per vos eidem hospitali auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus perceptæ à sede apostolica libertatis sex denarios obtulisti tu, fili Missine, præfato prædecessori nostro ejusque successoribus annualiter persolvendos, quos pietatis intuitu nos misericorditer relaxamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia per totum.

ELECTO ET CAPITVLO Coronensi.

Epist. 12. Confirmatio exemptionis &c.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinati, remissionem crusticæ à nobili viro Gaufrido de Villa Arduini Principe Achaiæ pietate provida vobis factam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursu-

rum. Datum Laterani XI. Kalen. Aprilis, anno tertiodecimo.

PATRACENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Motonensi, & Coronensi electo.

Epist. 24. Subitur adventu quorundã præsumptores.

AD audientiam nostram nobili viro Gaufrido de Villa-Arduini Principe Achaię significante pervenit quòd quidam Clerici, Milites, & alij ad partes Achaiæ accedentes, receptis in feudum terris ab ipso & aliis, homines suos ad redemptionem indebitam cogere non formidant; sicque maxima pecuniæ quantitate collecta recedunt, deserentes terram penitùs desolatam. Præterea quidam ex Latinis ibidem morantibus, ut alios Latinos impugnent, Græcis temerè adhærere præsumunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus præsumptores hujusmodi, ut à sua præsumptione desistant, monere ac inducere procuretis, eos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia per totum.

THESAVRARIO THEBANO, & R. Athenienſi & T. Thebano Canonicis.

Epist. 25. De archidiaconatu Andrevillensi.

PRECES dilecti filij nobilis viri Gaufridi Principis Achaiæ recepimus supplicantis ut archidiaconatum vacantem in Andrevillensi Ecclesia dilecto filio magistro Iohanni Capellano suo, viro scientia & moribus commendabili, & in ejus obsequio pericula multa passo, concedere dignaremur, maximè cum ipse illum concedere dubitaverit, quamquam prædecessor suus eum contulisse dicatur, & dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, legationis officio fungens ibi, collationem ejus postmodum approbasset. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quòd si prædictum archidiaconatum vacare constiterit, amoto ab eo quolibet illicito detentore, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, præfato magistro cum integritate debita conferatis eundem, & faciatis eum ipsius pacifica possessione gaudere, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis &c. ut in alia.

VNIVERSIS LATINIS Episcopis in Achaia constitutis.

QVanto novella plantatio Latinorum, quam ad partes Achaiæ transtulit manus Dei, minùs firmas habere videtur ex recenti mutatione radices, tanto nobis est magis sollicitè præcavendum ne inter vos dissensionis scrupulus oriatur, per quem plantationis hujusmodi novus status valeat impediri. Nolentes igitur quòd exortæ super episcopatuum vestrorum finibus, sicut accepimus, quæstiones vestrum valeant impedire profectum, præsentium vobis auctoritate mandamus quòd in episcopatibus vestris illis contenti terminis existatis quos Græcos prædecessores vestros constiterit habuisse. Datum Laterani VIII. Kalend. Aprilis, anno tertiodecimo.

Epist. 26. Vt contenti sint suis terminis.

PRÆLATIS ECCLESIARVM in Achaia constitutis.

GRavem nobis dilecti filij Clerici Achaiæ querimoniam destinarunt quòd quidam vestrum pro qualibet levi causa, juris ordine prætermisso, sententiam excommunicationis in ipsos sæpius jaculari præsumunt, & quidam etiam nullam in eos jurisdictionem habentes, de facto, cùm de jure non possint, gravare ipsos modo simili non verentur. Ne igitur nimiùm deferendo prælatis, subjectos opprimere videamur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus in Clericos ipsos de cetero nullus vestrum absque manifesta & rationabili causa sententiam præcipitare præsumat. Qui verò in eos jurisdictionem non habent, ab hujusmodi eorum injuria omnino desistant, ita quòd eos justam nobis ulteriùs querimoniam non oporteat replicare. Alioquin pro certo sciatis quòd si nobis super hoc fuerit iterata querela, officij nostri debitum conquerentibus reddemus. Datum Laterani X. Kal. Aprilis, anno tertiodecimo.

Epist. 27. Ne quis excommunicetur ex levi causa.

THESAVRARIO, ET TERRICO & W. de Mirabello Canonicis Thebanis.

DIlecti filij Canonici Mothonienses nobis humiliter supplicarunt ut ordinationem quam providè super institutione personatuum pro Ecclesiæ suæ utilitate fecerunt apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, ordinationem ipsam, sicut providè ad utilitatem ejusdem

Epist. 28. Confirmatur statutum de institutione personatuum.

Ecclesiæ facta fuerit, auctoritate apostolica faciatis firmitatem debitam obtinere, contradictores appellatione remota censura ecclesiastica compescentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VIII. Kal. Aprilis, anno tertiòdecimo.

ODDONI PATRACENSI, & Terrico & W. de Mirabello Canonicis Thebanis.

Epist. 29. De consecratione Episcopi Amiclensis. * Vide lib. 1. epist. 288. & lib. 10. epist. 90.

Dilecti filij Canonici Amiclenses gravem nobis exposuere querelã quòd venerabilis frater noster Archiepiscopus Patracensis Gilibertum *quondã Abbatem de Flaviniaco propter suos enormes excessus apud sedem apostolicam condemnatum in Episcopum Amiclensem, Imberto ejusdem loci electo vivente, post inhibitionem Canonicorum ipsorum illicitè consecrare præsumpsit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita & cognita super hoc diligentiùs veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani &c. ut in alia.

EISDEM.

Epist. 30. Super eodem.

Dilecti filij Canonici Amiclenses gravem nobis exposuere querelam quòd G. quondam Abbas de Flaviniaco, qui apud sedem apostolicam propter suos enormes excessus sententialiter condemnari meruit & deponi, post inhibitionem ipsorum in Episcopum Amiclensem, Imberto ejusdem loci electo vivente, se fecit per venerabilem fratrem nostrum Patracensem Archiepiscopum minùs canonicè consecrari. Quia igitur nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ANTIPOLITANO Episcopo.

Epist. 31. Confirmatur concordia inita inter ipsum & Abbatem Lirinensem.

His nos convenit robur apostolicum specialiùs impertiri quæ aliquando in contentionem deducta, nostra interveniente auctoritate amicabili concordia sopiuntur. Sanè cùm inter te ac dilectum filium Abbatem Lirinensem super Ecclesia sancti Honorati de Grassa & quibusdam aliis fuisset apud sedem apostolicam aliquandiu litigatum, demum de tui & ipsius Abbatis assensu, nobis mediantibus, hujusmodi compositio intervenit, ut Abbati & monachis Lirinensibus liceat in Ecclesia memorata celebrare divina & exercere cetera ecclesiastica sacramenta; ita videlicet ut circuitiones cum aqua benedicta, processiones, & etiam letanias non faciant absque Antipolitani Episcopi licentia vel assensu, nec in desponsatione virginum vel purificatione parientium Missas cantent vel orationes seu benedictiones exolvant, nec aliquem etiam, nisi forsan in casu necessitatis, recipiant ad baptismum, campanas quoque ad divina officia celebranda non priùs pulsent quàm in Ecclesia parrochiali pulsentur; dummodo clerici ejusdem Ecclesiæ horas Dei laudibus deputatas non negligant vel excedant, eisdem Abbati & monachis pulsandi ad Matutinas & Completorium omnimoda libertate servata; præterea dicta sancti Honorati Ecclesia liberam habeat sepulturam; sed eorum quæ in aliquorum ultima voluntate obtentu sepulturæ ipsi obvenerint, præterquàm de lectis ligneis, tertiam partem Ecclesia illa percipiat à qua mortuorum corpora sunt assumpta; sed si aliquid Ecclesiæ parrochiali legetur ab eo qui apud memoratam Ecclesiam sancti Honorati elegerit sepulturam, & id excesserit tertiam eorum quæ ipsi Ecclesiæ in ultima voluntate legantur, Ecclesia parrochialis integraliter id obtineat quod ei dinoscitur esse relictum; si verò minus tertia legetur eidem, quod defuerit tertiæ per Abbatem & monachos fideliter suppleatur; in præcipuis etiam solemnitatibus, videlicet nativitate Domini, festo sancti Stephani, Epiphania, Purificatione, Parasceve, Resurrectione dominica, & die Lunæ sequenti, Ascensione, Pentecoste, Assumptione beatæ Mariæ virginis, omnium sanctorum festo, & die sequenti, tertia oblationum pars ad Antipolitanum Episcopum devolvatur; Capellanus verò eorundem Abbatis & monachorum obedientiam Antipolitano Episcopo faciet, ac excommunicatos & interdictos ab eo non recipiet ad divina; sed cùm generale illius terræ fuerit interdictum, liceat ei voce suppressa, exclusis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare. Vt igitur in perpetuum compositio suprascripta, de utriusque partis assensu

nobis mediantibus facta, inviolabiliter observetur, nos eandem auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI ET MONACHIS Lirinensibus.

Epist. 32. super eodem.

His non convenit &c. *ut in alia usque* sopiuntur. Sanè cùm inter te, fili Abbas, & venerabilem fratrem nostrum Antipolitanum Episcopum super Ecclesia sancti Honorati de Crassa &c. *usque* litigatum, demum de tui & Episcopi ipsius assensu nobis mediantibus hujusmodi compositio intervenit, ut vobis liceat in Ecclesia memorata &c. *usque* processiones & etiam letanias non faciatis absque Antipolitani Episcopi &c. *usque* Missas cantare vel orationes seu benedictiones exolvere attentetis, nec etiam &c. *ut in alia usque* celebranda, non priùs pulsetis quàm in Ecclesia memorata &c. *usque* excedant, vobis pulsandi ad Matutinas &c. *usque* quod defuerit tertiæ per vos fideliter suppleatur, in præcipuis etiam &c. *usque* devolvatur. Capellanus verò vester obedientiam Antipolitano Episcopo faciet &c. *usque in finem.* Datum Laterani &c. ut in alia per totum.

MARIÆ QVONDAM Constantinopolitanæ Imperatrici illustri.

Epist. 33. Confirmat donationem propter nuptias.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, carissima in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, donationes propter nuptias à claræ memoriæ Bonifacio Marchione Montisferrati in Romaniæ imperio tibi legitimè factas auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EIDEM.

Epist. 34. Confirmat detenta ea facta ab Imperatore.

IVstis petentium desideriis &c. *ut in alia per totum usque* concurrentes assensu, Vissenam, Dimitriatam, Arcontocoru, duo Almurus tibi & filiis tuis à carissimo in Christo filio Henrico Constantinopolitano Imperatore illustri, prout in ejus authentico continetur, concessas, sicut eas justè possides & quietè, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani &c. ut in alia per totum.

HEMANVELI INTERPRETI M. quondam Constantinopolitani Imperatoris illustris.

Epist. 35. Confirmatur ei donatio facta ab Imperatore.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu domos apud Stagonicariam, trium barcarum & domus propriæ libertatem, quas tibi carissimus in Christo filius noster Henricus Imperator Constantinopolitanus illustris imperiali liberalitate concessit, sicut eas justè possides, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Kalen. Aprilis, anno tertiodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Acapni.

Epist. 36. Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, carissimæ in Christo filiæ Mariæ quondam Constantinopolitanæ Imperatricis illustris, nunc Dominæ Thessalonicensis, precibus inclinati, personas vestras & monasterium ipsum in quo divino estis obsequio mancipati, cum his quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostrâ protectione susceipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus à sede apostolica protectionis perceptæ decem hyperpera gratis oblata nobis nostrisque successoribus annisingulis persolvetis. Nulli ergo omnino hominum &c. hanc paginam nostræ protectionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Kal. Aprilis, anno tertiodecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HERACLIENSI ARCHIEPISCOPO, & Cardicensi & Fermopilensi Episcopis.

Epist. 37. Maria Imper. suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.

CVm ex injuncto nobis apostolatus officio generaliter omnibus, & speciaLiter viduis & pupillis, simus in justitia debitores, carissimam in Christo filiam Mariam quondam Constantinopolitanam Imperatricem illustrem, regni Thessalonicensis procuratricem, ac filios suos unà cum regno præfato sub beati Petri & nostra protectione suscepimus. Quibus volentes, quantum ad officium nostrum pertinet, paterna sollicitudine providere, ne dictam Imperatricem oporteat pro querelis singulis ad sedem apostolicam laborare, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cùm ab ea fueritis requisiti super his quæ canonicam censuram expoſcunt, malefactores ipsius ac filiorum ejus, ut eis ablata restituant, & de damnis & injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromittant qui appellatione remota justitia mediante procedant, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compellatis. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 38. De eadem &c.

CVm, sicut carissima in Christo filia Maria quondam Constantinopolitana Imperatrix illustris nostris fecit auribus intimari, per casale Agetriade, quod ad Thessalonicensem spectat Ecclesiam, terra ipsius gravem sustineat læsionem, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm præfatæ Ecclesiæ provisum fuerit in pastore, ipsum moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut illud cum ea sine dispendio juris sui satagat permutare. Quòd si nequiverit ad permutationem induci, vos negotij circumstantias nobis fideliter intimetis; ut per relationem vestram instructi, plenius & securius in ipso procedere valeamus. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani II. Kal. Aprilis.

EISDEM.

Epist. 39. De libertate monasteriorũ regalium.

CVm libera monasteria, quæ imperialia nuncupantur, Græcorum quoque dominio nulli essent Archiepiscoporum vel Episcoporum subjecta, præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, in monasteriis illis regalibus regni Thessalonicensis, quæ Græcorum tempore Archiepiscopis vel Episcopis subjecta non erant, non permittatis Archiepiscopos vel Episcopos juris aliquid indebitè usurpare, facientes ab eis carissimæ in Christo filiæ Mariæ quondam Constantinopolitanæ Imperatrici illustri, procuratrici regni prædicti, honorificentiam debitam exhiberi, contradictores appellatione remota censura ecclesiastica compescentes. Si quis autem Archiepiscoporum vel Episcoporum aliquid juris in eis sibi vendicare contenderit, suam per nos poterit justitiam obtinere. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Kal. April. &c.

EISDEM.

CVm dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, Sebastienſi Episcopo salvo mandato nostro custodiam monasteriorum montis sancti, quæ ad sedem apostolicam immediatè pertinere dicuntur, duxerit committendam, & ipse illa multipliciter aggravarit, easque committat enormitates, quæ non sunt dignæ relatu, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum à custodia monasteriorum ipsorum penitùs amoventes, ipsa monasteria cum consilio carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ quondam Constantinopolitanæ Imperatricis illustris, quæ Thessalonicensis regni ratione filij curam gerit, alicui personæ discretæ auctoritate nostra usque ad adventum Legati nostri, quem in imperium Romaniæ auctore Domino destinare proponimus, committatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Kal. Aprilis, anno tertiodecimo.

FERMOPILENSI ET Cardicensi Episcopis.

CLerus Græcorum Thessalonicensis diœcesis, qui ad obedientiam sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ est reversus, nobis humiliter supplicavit quatinus ipsum ea libertate quam tempore Græcorum habuerant, quamque dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, ipsis concessit, faceremus gaudere, ac ab Ecclesiis sustentationem congruam ministrari. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus eos qui ad obedientiam sedis apostolicæ redierunt super hujusmodi libertate

non

non permittatis à quoquam indebitè molestari, & molestatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, faciatis eisdem in vitæ necessariis ab Ecclesiis juxta facultates ipsarum congruè provideri. Datum Laterani IV. Kal. Aprilis.

EISDEM.

Epist. 42. Vt Archiepiscopus Lariss. non desistat ab indebitis exactionibus.

AD audientiam nostram noveritis pervenisse quòd venerabilis frater noster Archiepiscopus Lariss. Vessinensi ac Damitriado episcopatibus & monasteriis Kelliæ indebitas exactiones imponens, ipsis in aliis injuriosus plurimùm & molestus existit. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quòd Archiepiscopum memoratum, ut debito & consueto jure contentus, ne ultra id in præfatis episcopatibus vel monasteriis usurpare præsumat, ab eorum injuriis & molestatione indebita penitùs conquiescens, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, sicut justum fuerit, compescatis. Datum Laterani II. Kal. Aprilis, anno tertiodecimo.

ABBATI SANCTI AMBROSII, & Archidiacono Mediolanensi.

Epist. 43. Vt relaxent interdictum Pergamense.

PER litteras venerabilis fratris nostri Episcopi & dilectorum filiorum Capituli Pergamensis ad aures nostras pervenit quòd cùm civitas Pergamensis, pro eo quòd Pergamenses cives Ecclesias & ecclesiasticos viros indebitis exactionibus aggravantes, jugum indebitæ servitutis ipsis imponere nitebantur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, diù suppositа fuerit ecclesiastico interdicto, propter divinorum subtractionem quidam indevotiores effecti, ampliùs duruerunt, & sectatores hæreticæ pravitatis falsa sui erroris dogmata liberiori fronte proponunt. Cùm igitur nuper nobilis vir Lambertinus Potestas civitatis ejusdem satisfactionem super præmissis obtulerit misericordiam postulando, & supradicti Episcopus & Capitulum satisfactionem hujusmodi recipere noluerint absque nostra licentia speciali, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus ad civitatem ipsam personaliter accedentes, & eosdem cives sollicitis exhortationibus inducentes ad concordiæ unitatem, à supradicta Potestate ac ipsis civibus recipiatis super prædictis satisfactionem idoneam, prout videritis expedire, relaxantes postmodum sententiam interdicti, & propter hoc excommunicatis absolutionis beneficium impendentes. Datum Laterani Nonis Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO GALIPOLENSI, & sanctæ Sophiæ ac de Blakerna Decanis Constantinopolitanis.

Epist. 44. Pro clero Constantinop. adversùs Patriarcham.

SVam nobis dilecti filij Constantinopolitanus clerus querimoniam destinarunt quòd cùm decimæ ac quintædecimæ, quæ inter ipsos dividi de jure debent, triennio jam elapso in grave ipsorum incommodum positæ fuerint in sequestro, medietatem earum venerabili fratre nostro Patriarcha Constantinopolitano sibi vendicare volente contra statutum dilecti filij nostri Petri tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, qui tunc in partibus illis legationis fungens officio quartam partem ipsarum, cum his quæ in castro Danij ad dictum Patriarcham pariter & ad clerum spectabant, eidem solvendam decrevit, hactenus dividi, prout decuit, nequiverunt. Propter quod ex earum defectu magnam se ipsi queruntur necessariorum penuriam sustinere. Quamquam dilectus filius magister B. procurator Patriarchæ prædicti negaverit aliquod factum fuisse per eundem Legatum super divisione hujusmodi constitutum; maximè cùm quintadecima nondum esset Ecclesiis deputata, nec ipse legationis officio fungeretur quando ad preces Clericorum obtinuit ut intuitu paupertatis eorum idem Patriarcha maneret quarta decimarum parte contentus. Vnde ipsi dedimus in mandatis ut si preces cleri veritate nituntur, statuta decimarum & quintarumdecimarum hujusmodi parte contentus, non impediat nec faciat impediri quò minùs idem clerus assignatas à memorato Legato ex eisdem percipiant cum integritate debita portiones. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si ipse quod mandavimus neglexerit adimplere, vos eum ad id sublato appellationis obstaculo qua convenit districtione cogatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum &c. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, anno tertiodecimo.

MORELLO TVLLENSI Canonico.

Epist. 45. Confirmatur ei præbenda.

CVm olim de præbenda Tullensi canonicè investitus, stallum in choro & vocem in Capitulo non haberes, ad judices quosdam litteras super hoc apostolicas impetrasti: coram quibus Capitulum

Tullense citatum, per Clericum quendam ad nostram fecit audientiam appellari; quorum appellationem judices ipsi frivolam reputantes, in corporalem possessionem ipsius præbendæ te inducere curaverunt, contradictores excommunicationis sententia percellentes. Post hæc autem tibi & F. Archidiacono Tullensi procuratori præfati Capituli propter hoc in nostra præsentia constitutis, venerabilem fratrem nostrum Hugolinum Hostiensem Episcopum concessimus auditorem; coram quo sententiam quam prædicti judices pro te tulerant postulasti humiliter confirmari; adversa parte in contrarium proponente quòd minimè confirmari debebat, eò quòd idem Capitulum appellationē quam interponi fecerat persequendo, ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum & Primicerium Virdunensem litteras obtinuisset à nobis, quarum auctoritate tu sententialiter condemnatus, remotus fueras à præbenda. quod se loco & tempore competenti adeo constanter proposuit probaturum ut etiam solvere promisisset expensas, nisi per ipsum exceptio hujusmodi probaretur. Quapropter venerabili fratri nostro Cathalaunensi Episcopo & conjudicibus suis nostris dedimus litteris in mandatis ut inquisita super præmissis plenius veritate, si prædictus procurator in probatione illius exceptionis deficeret quam objecit, ipsi eum juxta promissionem suam in expensis factis post exceptionem oppositam condemnarent. Cùmque demum elapso triennio infra quod procurator prædictus peremptoriè citatus multotiens à judicibus memoratis suam noluit exceptionem probare, tu & præfatus F. iterum in nostra fuissetis præsentia constituti, ac coram dilecto filio Iacyntho Subdiacono & Capellano nostro, quem vobis auditorem concessimus, hæc & alia retulisses, dictus procurator proposuit ex adverso quòd quia procurator esse desierat in hac causa, & ad prosequendam ipsam alius de voluntate Capituli ei fuerat substitutus, non tenebatur super hoc ulteriùs respondere; maximè cùm non esset à judicibus ultimis ad nostram audientiam appellatum; qui licèt nondum in negotio processissent, adhuc tamen eorum expectabatur processus. Adjecit insuper quòd cùm multos habuerit terminos, nullus ei fuit peremptorius assignatus, ex abundanti permittens ut in ipso procederent negotio prout esset procedendum de jure, si tu probares peremptorium sibi diem fuisse præfixum. Cùm igitur testibus tuis coram eodem auditore productis, non solùm sufficienter probasses per illos procuratorem ipsum peremptoriè fuisse citatum, ita quòd sex vel septem hebdomadas sive duos menses terminus peremptorius continuisset ad minus; quin immo judices ipsos in eorum præsentia fuisse confessos quòd terminus ille continuit duos menses, ac procuratori sæpefato dixisse quòd ei multos terminos & tres peremptorios assignarant ad probandam exceptionem prædictam, unde nisi eam probaret termino prælibato, nullatenus super hoc ulteriùs audiretur, idem procurator ex adverso respondit quòd veniendi ad eos iter arripuerant testes sui, allegans insuper quòd etsi peremptoria sibi dies fuerit assignata, non tamen judices per totam diem in loco quem sibi præfixerant expectarunt. quod tu probasti penitùs esse falsum, nihilominus allegans quòd illi procuratori (qui si remansisset in illis partibus post transactum peremptorium, & triennium jam elapsum, nulla facultas exceptionem ipsam probandi de jure remansit) non debuit alius substitui procurator. Adjecisti etiam quòd cùm judices nec sententiam ferre vellent nec remittere ad apostolicam sedem de processu causæ rescriptum, demum tibi taliter responderunt, ut ad præsentiam nostram accederes, quia causa debitum finem sortiri non poterat per eosdem. Quos licèt procurator prædictus confessus fuerit sic dixisse, subjecit tamen quòd id demum iidem judices revocarant, sed revocationem hujusmodi, quam factam esse negabas, probare postmodum non curavit. Cùm igitur hæc & alia coram Subdiacono ipso proposita hinc inde fuissent, ipse tandem rationibus utriusque partis diligenter auditis & perspicaciter intellectis, facta taxatione ac juramento recepto super prælibatis expensis de consilio dilectorum filiorum nostrorum Gualæ sanctæ Mariæ in Porticu & Pelagij sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconorum Cardinalium prænominatum F. tibi pro ipsis in triginta libris denariorum Trecensium sententialiter condemnavit, & confirmavit sententiam pro te super præbenda prædicta prolatam. A cujus sententia licèt pars adversa nostram audientiam appellaverit, nos tamen appellationem hujusmodi malitiosam & frivolam reputantes, sententiam approbamus prædictam & auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu

temerario contraire. Si quis autem hoc &c. *usque* incurſurum. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, anno tertiodecimo.

CAPITVLO TVLLENSI.

Epiſt. 46. Super eodem.

OLim dilectus filius Morellus Clericus de præbenda Tullenſi canonicè inveſtitutus &c. *ut in alia usque* coram quibus vos citati per quendam Clericum ad noſtram feciſtis audientiam appellari, cujus appellationem &c. *usque* ipſius præbendæ dictum M. Clericum induxerunt, contradictores &c. *usque* Poſt hæc autem eidem Clerico, & F. Archidiacono Eccleſiæ veſtræ procuratori veſtro &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* frivolam reputantes, ſententiam ejuſdem Subdiaconi auctoritate apoſtolica duximus approbandam. Vnde dilectis filiis Chriſtianitatis & Capellæ Ducis Decanis & Magiſtro G. Canonico Divionenſi noſtris dedimus litteris in mandatis quatinus dictum F. ad ſolutionem pecuniæ prætaxatæ per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant, & ſæpedictum Morellum inducant in corporalem poſſeſſionem præfatæ præbendæ, ac tueri procurent inductum, ſtallum in Choro & locum in Capitulo aſſignantes eidem; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per eandem cenſuram ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo compeſcendo. Quocirca diſcretioni veſtrę per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus dictis executoribus ſuper hoc vos nullatenus opponatis, ſed mandatum eorum recipiatis humiliter & ſervetis, permittentes eundem Morellum pacifica ipſius præbendæ poſſeſſione gaudere. Datum Laterani &c. *ut in alia per totum.*

Scriptum eſt ipſis executoribus ſuper hoc ferè in eundem modum ut in alia usque compeſcendo. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum Laterani &c. *ut in alia per totum.*

NEOPATRENSI ARCHIEPISCOPO, & Epiſcopo Cithonienſi, & Avelenſi electo.

Epiſt. 47. Confirmatur ſententia quædam. * Thermopyl.

VEnerabilis frater noſter * Cermopilenſis Epiſcopus nobis humiliter ſupplicavit ut diffinitivam ſententiam quam pro ipſo judices delegati à nobis adversùs Abbatem & monachos monaſterij de Chamenun ſuper fundo ejuſdem monaſterij quem idem Epiſcopus ad ſuam proponebat Eccleſiam pertinere rationabiliter protulerunt, apoſtolico dignaremur munimine roborare. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſententiam ipſam, ſicut eſt juſta, faciatis per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota firmiter obſervari. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, anno tertiodecimo.

DONATO CASSELLENSI Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus Canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 48. Recipiuntur ſub protectione ſedis apoſtolicæ.

EX commiſſo nobis à Deo apoſtolatus officio fratribus noſtris Epiſcopis tam vicinis quàm longè poſitis paterna nos convenit proviſione conſulere, & Eccleſiis in quibus Domino militare noſcuntur ſuam juſtitiam conſervare; ut quemadmodum diſponente Domino patres vocamur in nomine, ita nihilominus comprobemur in opere. Hujus rei gratia, venerabilis in Chriſto frater Donate Caſſellenſis Archiepiſcope, tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Caſſellenſem tibi commiſſam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona Eccleſia eadem in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Caſſellum cum omni jure, terris, poſſeſſionibus, & aliis pertinentiis ſuis, Ceallmumenoch cum omnibus pertinentiis ſuis, Ceallmithini cum omnibus pertinentiis ſuis, Gleannean cum omnibus pertinentiis ſuis, Geallbecam cum pertinentiis ſuis, Cealloſcathan cum omnibus pertinentiis ſuis, Cluam Argtum cum pertinentiis ſuis, Caaltulach cum omnibus pertinentiis ſuis, Ceallehurrigi ſuperior cum omnibus pertinentiis ſuis, Ceallehurrigi cum pertinentiis ſuis, & omnes alias poſſeſſiones cum pertinentiis ſuis *usque*. Cathedrales verò Eccleſias quæ metropolitico ſunt tibi jure ſubjectæ, ſicut hactenus fuiſſe noſcuntur, tibi tuiſque ſucceſſoribus auctoritate apoſtolica nihilominus confirmamus & præſentis ſcripti privilegio communimus, videlicet Eccleſiam Lumnicenſem, Laonienſem, Finnabarenſem, Waterfordenſem, Ardmorenſem, Leſmorenſem, Cluanenſem, Corcaienſem, Roſſenſem, Ardfercenſem, & Imblicenſem. Palleum etiam, plenitu-

dinem videlicet pontificalis officij, fraternitati tuæ apoſtolicæ ſedis liberalitate largimur; quo intra Eccleſiam tuam ad Miſſarum ſolemnia celebranda uti memineris eis diebus quibus prædeceſſores tuos uſos fuiſſe cognoſcis, videlicet in nativitate Domini, feſtivitate protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica de *Gaudete*, Dominica *Lætare Ieruſalem*, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbatho ſancto, Paſcha, ſecunda feria poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus feſtivitatibus beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, natalitio beati Iohannis Baptiſtæ, commemoratione omnium ſanctorum, ſolemnitatibus omnium Apoſtolorum, dedicationibus Eccleſiarum, conſecrationibus Epiſcoporum, ordinationibus Clericorum, Eccleſiæ tuæ principalibus feſtivitatibus, & anniverſario tuæ conſecrationis die. Convenit ergo te diligentiùs providere quomodo ſit hujuſmodi indumenti honor modeſta actuum vivacitate ſervandus, & ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, & tu eſſe valeas utrobique Deo auctore conſpicuus, & quem paſtoralis curæ conſtringit officium, dilectionem proberis fratribus exhibere, ut ipſi etiam adverſarij propter mandatum dominicum tuo circa te copulentur affectu. Pacem ſequaris cum omnibus, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale judicij cum ſuperhumeralis actione conjunctum. Ita procedas in conſpectu Dei & in oculis hominum quatinus gregi tibi commiſſo virtutis præſtes exemplum, ut & ipſi videntes opera tua bona glorificent patrem noſtrum qui eſt in cœlis. Sit in lingua tua ædificationis ſermo, ſit zeli fervor in animo. Et præter hæc, cuncta quæ officio tuo conveniunt cum ea temperantia agas ut quæ pallei dignitas expetit videaris ferventer amplecti, & gloriam ſempiternam acquirere tibi poſſis in cœlis. Adicimus quoque ut cùm te vel aliquem ſuffraganeorum tuorum mori contigerit, baculus paſtoralis & anulus in Eccleſia remaneant propria ſub fideli cuſtodia conſtituti ad ſucceſſoris uſum, cùm Deo favente conſecrationem acceperit, conſervandi. Cimiteria quoque Eccleſiarum ac eccleſiaſtica beneficia nullus hereditario jure poſſideat. Quòd ſiquis hoc facere contenderit, cenſura canonica compeſcatur. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Archiepiſcopo vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ad eandem Eccleſiam in Archiepiſcopum eligatur niſi quem ſuffraganei Epiſcopi & Canonici ejuſdem Eccleſiæ vel major pars conſilij ſanioris, ſicut eſt hactenus obſervatum, ſecundùm Deum providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur tuis ac tuorum ſucceſſorum uſibus omnimodis profutura. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona &c. *uſque* diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque* inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VIII. Idus Aprilis, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno milleſimo ducenteſimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertiodecimo.

MAGISTRO NICOLAO Miſnenſi & Burcardo Wrcinenſi Canonicis.

CVm dilecti filij Otto Subdiaconus noſter & Gualterius, qui ſe gerit pro Magdeburgenſi Præpoſito, coram nobis de ſententia litigarent quam ſuper præpoſitura Magdeburgenſi venerabilis frater noſter Maguntinus Archiepiſcopus & condelegati ſui pro ipſo Subdiacono promulgarant, petente illam altero infirmari, reliquo verò ipſam multipliciter defendente, nos tandem volentes de principali negotio & contingentibus illud fieri certiores, cùm ex litteris apoſtolicis, in quibus videbatur proceſſus negotij exaratus, perpendi non poſſet an ſuper eo lis fuerit conteſtata, nec coram Archiepiſcopo & condelegatis ſuis fuerit conteſtatio litis facta, ſed à jam dicto Gualterio ad declinandum eorum judicium appellatum, decreuimus ut eadem ſententia nonobſtante præfatus Otto facultatem haberet proponendi de novo contra electionem & perſonam Gualterij ſi qua vellet, & ipſe ſe ad ſingula defendendi. Propoſuit igitur dictus Otto quòd electione ſua, quæ facta fuerat pluribus Canonicis præſentibus & nequaquam contradicentibus, non caſſata, cui tamen idem non pro ipſa promovenda, ſed pro alia infirmanda tantùm inſiſtit, electio memorati Gualterij, dum excommunicationis vinculo teneretur, præſumpta fuit, non ſolùm poſt diverſas appellationes ab ipſo rationabiliter interpoſitas & iter arreptum

Epiſt. 48 Commune eis quadam cauſa. Vide lib. 14 epiſt. 92.

ab eo pariter & Lodulpho ac Lodoico atque Crascone concanonicis suis ad sedem apostolicam accedendi, verùm etiam legitimis eorundem concanonicorum suorum appellationibus vilipensis, ultra semestre quoque tempus, & circa terminum à venerabili fratre nostro Magdeburgensi Archiepiscopo assignatum, infra quem idem Otto & socij sui poterant ad Ecclesiam pro facienda electione redire. Super quibus testes suos recipi postulavit. Ad hæc dilectus filius Custos Magdeburgensis contra eandem electionem objecit quòd post appellationem ab eo legitimè interpositam fuerat attentata, & super hoc quosdam testes coram dilecto filio nostro Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinale eis à nobis auditore concesso produxit, & adhuc alios intendit producere coram nobis. Præfatus verò Gualterius ex adverso respondens, & negans quæ proposita fuerant contra eum, quædam super facto electionis suæ, quædam etiam contra excommunicationis exceptionem sibi objectam proposuit replicando, & ea se obtulit opportuno tempore probaturum, petens interim quosdam testes, quos præsentes habebat, recipi super illis, videlicet quòd sæpedictus Otto appellationi quam fecerat, super eo quod non respondebatur litteris nostris pro ipso directis, renuntiavit expressè, quòd Archiepiscopus, cùm oporteret ipsum Legatis nostris occurrere, appellavit, ne Capitulum ante reditum suum ad electionem procederet, cui de more interesse debebat, quòd major & sanior pars Capituli consensit induciis quas idem Archiepiscopus postulavit, ut scilicet electio usque ad ejus reditum differretur, & Conradus & Crasco socij ejusdem Ottonis ipsis induciis consenserunt, & quòd demum à majori & saniori parte Capituli in Præpositum sit electus, adiciens quòd memoratus Otto admittendus non esset ad exceptionem quam de ipsius excõmunicatione proponit; tum quia simoniam in suæ nominationis facto ipsum commisisse dicebat, tum etiam propter alias causas quas asserebat consistere circa factum, cùm illum communicasse sibi tam ante causam astrueret quàm in causa. Sed ad hæc idem Otto respondit quòd licèt omnino nullam commiserit simoniam, quin potiùs ipse Gualterius simoniacam commiserit pravitatem, per replicationem tamen præmissam de jure non posset excommunicationis probatio impediri, cùm exceptionem hujusmodi talis replicatio non contingat. Et si etiam verum esset quòd tam ante causam quàm in causa præfato communicasset Gualterio, ipse tamen non debuisset eum in manifesto vitare; tum quia denuntiatus non fuerat, & tam à Prælatis quàm aliis communicabatur eidem; tum quia etsi crederet eum in canonem latæ sententiæ incidisse, sicut ei fuerat intimatum, non tamen hoc viderat per seipsum, sed confidebat per alios id posse probare. Quia igitur replicationes hujusmodi non solùm invalidæ sunt sed & frivolæ reputandæ, nos eis nequaquam obstantibus, quosdam testes super aliquibus præmissorum recipi fecimus utrinque productos, & depositiones eorum sub ejusdem Cardinalis sigillo apud sedem apostolicam reservari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatinus recipiatis alios testes, tam super his super quibus jam sunt testes producti, quàm etiam super aliis in narrationibus partium comprehensis, & eos insuper quos ad replicationem testium partis adversæ utralibet pars duxerit producendos, & depositiones eorum examinetis prudenter, ac fideliter conscribatis, easque sub sigillis vestris inclusas ad sedem apostolicam destinetis, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui repræsentent justam auctore Deo sententiam recepturæ. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, uel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si quicquam humanitus alterutri vestrum contingeret, ut his fideliter exequendis, sicut juramento præstito uterque tenetur, usque ad Kalend. Octobris proximò futuras interesse non posset, ex tunc dilectus filius Florentius Abbas de Sichem omni contradictione ac appellatione cessantibus præmissa cum reliquo auctoritate præsentium exequatur. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Datum Laterani v. Idus April. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

NOBILI MVLIERI A. SORORI nobilis viri Marchionis Misnensis.

DVdum ad aures nostras ex parte tua quæstione perlata quòd cùm carissimus in Christo filius noster Rex Boemiæ illustris te duxisset legitimè in uxorem, ac * decem & octo annis & ampliùs velut conjugem legitimam pertractasset, filiis & filiabus ex te susceptis, ac venerabilis frater no-

Epist. 50. De causa divortij cum Rege Boëmiæ. Vide suprà lib. 11. epist. 184.
**In quarta coll. XIV.*

ster Pragensis Episcopus ad petitionem & mandatum ejusdem Regis, te volentes ad causam accedere ut tuas coram eo proponeres rationes, sed à satellitibus memorati Regis prohibita, post appellationem ad nos interpositam divortij sententiam promulgasset, à qua fecisti per Capellanum tuum infra * decendium appellari, eodem Rege superducente postmodum carissimam in Christo filiam C. sororem carissimi in Christo filij nostri Regis Vngarorum illustris, post diversas litteras super eodem negotio impetratas, demũ venerabilibus fratribus nostris Halberstatensi & * Hambembergensi Episcopis & dilecto filio Abbati de Porca dedimus in mandatis ut vocatis ad suam præsentiam quos noscerent evocandos, inquirerent diligentiùs veritatem, & quod invenirent, per suas nobis litteras intimarent; ut ex eorum relatione sufficienter instructi, procedere liberiùs in negotio valeremus. Ipsi verò testes postea receperunt ex tua parte productos, qui juraverunt pro utraque parte dicere veritatem; & depositiones eorum propriis sigillis inclusas ad nostram præsentiam transmiserunt. Verùm cùm procurator tuus & nuntius ejusdem Regis propter hoc apud sedem apostolicam constituti coram dilecto filio nostro Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinale, quem ipsis dedimus auditorem, aliquandiu litigassent, & procurator ipse attestationes easdem approbandas assereret, & nuntius ex adverso eas, utpote lite non contestata & post appellationem ad nos legitimè interpositam inordinatè receptas, peteret reprobari, nos intellectis per Cardinalem ipsum utrinque propositis, attestationes præfatas nec approbandas duximus nec etiam reprobandas, sed eas tempori discussionis decrevimus reservari, ut tunc contra illas allegaretur à partibus & pro illis, venerabili fratri nostro Salsburgensi Archiepiscopo & ejus conjudicibus injungentes ut partibus ad locum idoneum convocatis, omni excusatione ac * occasione cessantibus, reciperent testes quos pars tua vel Regis, cùm nondum didicissetis testificata, super processu Pragensis Episcopi vel prædictorum judicum ducerent producendos, ita quòd tu testes quos priùs induxeras, vel alios, si velles, inducere minimè vetareris, cùm non renuntiasses testibus producendis, & gesta omnia redacta in scriptis ad sedem apostolicam destinarent, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Qui quoniam propter impedimenta varia procedere nequiverunt, venerabilis frater noster Hugolinus Hostiensis Episcopus & dilectus filius Leo tituli sanctæ crucis Presbyter Cardinalis, qui tunc legationis officio in Theutonia fungebantur, auctoritate tam nostra quàm sua Avelbergensi Episcopo tunc electo & sancti Georgij & de Sichem Abbatibus juxta præscriptam formam idem negotium commisere. Qui post multos causæ circuitus, sicut ex litteris prædictorum Episcopi & Abbatis de Sichem nobis innotuit, memorato Regi, qui propter contumaciam manifestam fuerat excommunicatus ab eis, absolutionis beneficium impenderunt, ab eodem recepta juratoria cautione quòd pareret justitiæ coram ipsis. Cui cùm diem & locum ad prosequendum negotium peremptoriè assignassent, propter contumaciam suam demum in priorem eum sententiam reduxerunt, recipientes testes ex tua parte productos. Cùm autem postmodum iteratos clamores nostris auribus inculcasses, & nos deliberaverimus cum fratribus nostris quid ad expediendum negotium totiens impeditum agere deberemus, hoc tandem occurrit, ut sub examine nostro causa eadem ventilata finem debitum sortiretur. Vnde venerabili fratri nostro Maguntinensi Archiepiscopo dedimus in præceptis ut ex parte nostra partibus pro termino peremptorio Kalendas Octobris proximò præteritas assignaret, infra quas per se aut responsales idoneos cum omnibus quæ ad causam necessaria noscerent nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Supradictæ quoque C. sorori Regis Vngariæ, quam sibi Rex Boëmiæ copularat, citationis tenorem jussimus intimari; ut si vellet, ad defensionem suam idoneos dirigeret responsales. Porrò cùm nuper dilecti filij tuus &... ac.. tam ipsius Regis quàm C. sororis Regis Vngariæ procuratores propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, procurator tuus depositiones testium coram primis & secundis judicibus productorum petiit publicari & tibi beneficium restitutionis impendi, sententia prædicti Pragensis Episcopi reprobata, ad assertionem propriam roborandam multis juris canonici & civilis argumentis inductis. Procuratores verò partis adversæ attestationes ipsas aperiendas non esse dicebant, neque secundùm eas in negotio procedendum; quoniam judices lite non con-

* decem dies

* Havelbergen.

* contradictione

testata, & juris ordine prætermisso, ac postposita appellatione ad nos legitimè interposita, pro eo quòd locum suspectum assignaverant ipsi Regi, in negotio processerant memorato, & quia præfata soror Regis Vngariæ ad causam evocata non fuerat, ad quam ejusdem negotij defensio pertinebat. Cùm enim ipsa, postquam super sententia divortij inter te ac sæpedictum Regem à præfato Episcopo promulgata extitit coram multis Prælatis Vngariæ facta fides, eidem Regi fuerit in conspectu Ecclesiæ copulata, ea indefensa & non citata, quæ in quasi possessione ipsius Regis, cujus restitutio petebatur, tunc temporis existebat, non debuit in supradicto negotio procedi; maximè cùm expressum fuerit in litteris transmissis eisdem ut vocarent quos noscerent evocandos. Vnde non solùm Rex, sed & ipsa quoque C. debuit evocari, cùm taliter fuisse nostra intentio videretur, ex eo quòd ultimæ citationis tenorem non solùm Regi, sed etiam dictæ nobili mandavimus intimari; ut si vellet, præfixo termino ad defensionem suam idoneos dirigeret responsales. Prædicta verò probare procuratores ipsi multis rationibus nitebantur. Attestationes quoque secundo loco receptas eadem pars proposuit respuendas, cùm judices qui testes receperant, postquam ab eis, utpote manifestè suspectis, ad nos fuerat appellatum, ejusdem Regis nuntio propter hoc specialiter ad sedem apostolicam destinato, duxerunt in negotio procedendum. Ex eadem insuper fuit parte propositum quòd tu nequaquam eras restitutionem postulans audienda; cùm spoliata fueris auctoritate judicis, qui præsumitur legitimè processisse, nec absque ipsius C. poteras præjudicio & jactura restitui, quæ in præfati Regis quasi possessione Ecclesiæ auctoritate tunc erat; cùm is qui auctore prætore possidet, justè possidere regulariter videatur. Eadem quoque pars proponebat te non debere contra sententiam prædicti Episcopi Pragensis audiri, quam tua sponte olim duxeras approbandam; maximè cùm ex parte prædictæ sororis Regis super consanguinitatis linea inter te ac præfatum Regem in continenti probationes legitimæ offerrentur; cùm etsi ferretur forsitan sententia contra Regem, nihilominus ejus esset executio differenda, ne antedictæ C. circa possessionem Regis posset præjudicium generari; sicut in quodam alio casu non multùm huic absimili dicimur diffinisse. Ceterùm ad hoc quod præmissum est, lite non contestata priores judices processisse, fuit ex tua parte responsum quòd hoc pars altera non poterat allegare. Cùm enim confiteretur litem coram Pragensi Episcopo contestatam, qui divortij sententiam promulgavit, in appellationis causa, quæ intelligitur eadem cum priori, litem non oportuit denuo contestari. Sed etsi litem non fuisse coram Episcopo contestatam pars eadem fateretur, cùm tamen testes fuerint ab ipsa producti contra te, non poterat allegare quòd lite non contestata testes minùs legitimè produxisses, cùm frustra legis auxilium invocet qui committit in legem. Sed nec dicta soror Regis Vngariæ, immo Rex solummodo debuit à judicibus memoratis citari, quem causa principaliter contingebat; cùm principali quæstione decisa, causa ipsius C. quæ accessoria videbatur, per consequentiam sopiretur; maximè cùm ad defensionem causæ quæ publicè agebatur, si sibi præjudicari timebat, se potuerit obtulisse. Sed nec omnes quos quæstio mota contingit, ad examinationem evocantur ipsius; sicut in multis casibus est videri civilibus legibus comprehensis: quamquam ad cautelam & ex gratia speciali mandaverimus Archiepiscopo Maguntinensi ut citationis tenorem supradictæ nobili nuntiaret. Proposuit etiam procurator tuus non posse partem alteram allegare quòd attestationes ultimæ post appellationem ad nos interpositam à judicibus fuerint inordinatè receptæ, cùm postmodum eorundem judicio se promiserit juramento interposito parituram. propter quod renuntiasse appellationis beneficio videbatur. Contra quod pars adversa dicebat quòd sub conditione fuerat præstitum hujusmodi juramentum, nisi videlicet Regis nuntius propter hoc specialiter ad nostram præsentiam destinatus mandatum ex parte nostra contrarium reportaret. Restitutionem quoque à te petitam, à dicta sorore Regis impediri non posse dicebat, eo prætextu videlicet quòd auctore prætore cœperat possidere. Nam ex facto Episcopi, qui post appellationem ad nos legitimè interpositam inordinatè processerat, hujusmodi fuerat auctoritas usurpata. Sed nec consanguinitatis objectu per eam poterat restitutio impediri, cùm & Rex ipse hoc idem allegans minimè audiretur. Illud nihilominus frivolum esse dicebat quòd tu approbasse sententiam diceberis, cùm per approbationem tuam sententia nequiverit robur sumere quæ irrita fuerat ipso jure.

Cùm igitur super his & aliis utrique propositis nobis nequiverit fieri plena fides super processu Pragensis Episcopi coram nobis lite legitimè contestata, & quibusdam testibus super ipso pro parte Regis receptis, universis exceptionibus salvis, de procuratorum utriusque partis assensu tam tibi quàm parti adversæ dilationem usque ad festum sancti Martini primò venturum duximus concedendam; præsentium tibi auctoritate mandantes quatinus, nisi forsan interim inter vos honesta poterit concordia provenire, in eodem termino, quem tibi peremptorium assignamus, per responsales idoneos & sufficienter instructos super omnibus quæ spectant ad causam compareas coram nobis; ut per nos causa ipsa diligenter examinata, finem debitum sortiatur. Datum Laterani Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Scriptum est in eundem ferè modum illustri Regi Boëmiæ. Datum Laterani &c. *ut in alia.*

In eundem ferè modum scriptum est nobili mulieri C. sorori Regis Vngariæ usque duximus concedendam. Vnde memoratis Regi & nobili dedimus in mandatis quatinus, nisi forsan interim inter vos &c. *ut in alia in eundem ferè modum usque* finem debitum sortiatur. Tibi quoque mandamus ut, si volueris, procuratorem ad eundem terminum pro te dirigas sufficienter instructum. Datum ut in alia.

RANVLPHO PRIORI & conventui hospitalis sancti Thomæ martyris & beati Antonij Abbatis de porta Mileti de Cadomo tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 51. De confirmatione privilegiorum.

RElegiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium; ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris postulationibus clementer annuimus, & præfatum hospitale, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem hospitale in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis. De dono Willelmi Comitis de Magnavilla, dimidium modium frumenti, & dimidium ordei in suo molendino de Molineaus. De dono Roberti de Harecort, unum sextarium frumenti apud Posteinie. De dono Thomæ Malfillaste, nemus suum de Roella & dimidium modium avenæ apud Cussie. De dono venerabilis fratris nostri R. Baiocensis Episcopi, pratum quod fuit Radulphi Leveel, & redditum quem inde percipiebat, videlicet quatuor sextarios frumenti. De dono Martini Fobert & Ricardi fratris sui, de assensu & voluntate Petronillæ & Nicolaæ uxorum suarum, tres acras terræ & dimidiam. De dono Rogerij de Ammundevilla, octo acras & dimidiam & unam virgam terræ in territorio de Borgesbu. Ex dono Willelmi de Oilie Archidiaconi Andegavensis, unum sextarium frumenti & duos sextarios ordei in molendino suo de Oilie. Ex dono Lohulidi de Flamanvill, sex solidos Turonenses in feudo Willelmi filij Rohais apud Aumarsnil. Ex dono Ricardi filij Ricardi Henrici, decem libratas redditus in villa Cadomi acquisitione Willelmi de sancto Martino. Ex dono Rogerij filij Roberti Tioudi, dimidium modium ordei apud Soliers, & sex solidos Turonenses, & duos capones, duas gallinas, & viginti ova. Ex dono Simonis de Locheles, terras apud Broie ad dimidium modium frumenti. Ex dono Radulphi de Clinchamp & Hugonis fratris ejus, terras apud Rosel ad tredecim sextarios frumenti. Ex dono Ricardi Militis, apud Colomp. sex sextarios frumenti, & unam gallinam. Ex dono Ricardi de Berner. quinque sextarios ordei apud Columbell. Ex dono Willelmi Motin, quinque acras terræ & dimidiam apud Eschai. Ex dono Ivonis de Alemannia, sex sextarios frumenti, duas gallinas, & viginti ova, & quartam partem cujusdam molendini apud Maletot. Ex dono Reginaldi & Gaufridi Lesblaiers, quinquaginta tres solidos & quatuor denarios in vico Oxomensi. Ex dono Thomæ Graverenc, viginti solidos apud Vuauceles. Ex dono Roberti Gouz, tres sextarios frumenti in molendino suo apud Wadum de

de Condrei. Ex dono Willelmi de Merlai, unam acram terræ & dimidiam apud Audrei. Ex dono Vualteri de Aignealil, tres minas frumenti & tres minas ordei in territorio Cadomensi. Ex dono Simonis de Buesvill. unum sextarium frumenti in molendinis de Buesvill. Ex dono Maneri Sellonis, duodecim acras terræ apud Feugeroloes. Ex dono Roberti de Briucort, tres sextarios ordei in molendino de Babamvill. Ex dono Roberti Iugan, decem & octo acras terræ apud Capellam Engeuger. Ex dono Reginaldi de Barneres, duodecim solidos; duos capones, & triginta ova apud Bovealvill. Ex dono Ricardi de Audrie, tertiam partem terræ suæ apud Fontenei. Ex dono Hurtaudi, unam acram terræ apud Maletot. Ex dono Willelmi Bacun de Formignie, unam acram terræ apud Arthence. Terras & redditus quos Alanus Lebret, Radulphus Pucras, & Willelmus Lavielle, & fratres ipsius, domui vestræ pietatis intuitu concesserunt. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in hospitali prædicto professionem fas sit sine Prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Statuimus insuper ut nulli liceat novas & indebitas consuetudines aut exactiones vobis aut Capellis vestris imponere, aut in vos vel domum sive Capellas prædictas sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias promulgare. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorũ pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij VIII. Idus Aprilis, Indictione decimatertia, incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertiodecimo.

R. DE SOVREBI CLERICO.

Epist. 51. Ei confirmatur præbenda Eboracensis.

CVm Ecclesia Suvvellensis in proventibus & in Clericorum numero penuriam pateretur, venerabilis frater noster Galfridus Eboracensis Archiepiscopus ad supplendum defectum hujusmodi & cultum divini nominis ampliandum, cum consensu Capituli ejusdem Ecclesiæ, de quadam magna præbenda in eadem Ecclesia tunc vacante duas præbendas instituit, duobus Clericis in perpetuum conferendas; quarum unam, scilicet Ecclesiam de Muskeham cum pertinentiis suis, idem Archiepiscopus dudum magistro T. de Disce Clerico suo contulit, eoque illam postmodum resignante, ipsam tibi liberaliter assignavit; quam postulasti tibi per sedem apostolicam confirmari. Nos igitur tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, dictam præbendam cum communia pertinente ad ipsam, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ALBERTO FERENTINATI Epiſcopo.

Epiſt. 53. Conceditur quidam locus pro conſtruendo molendino.

QVia te, ſicut venerabilem fratrem, vinculo ſinceræ caritatis amplectimur, in his quæ ſecundùm Deum poſſumus prompta tibi volumus benignitate deferre. Quocirca, venerabilis in Chriſto frater, tuis precibus inclinati, locum qui dicitur Molendinum de Papa, cum omni jure noſtro, ad conſtruendum ibidem molendinum, tibi & duobus ſucceſſoribus tuis titulo locationis ſub annua penſione unius libræ ceræ concedimus; ita videlicet quòd poſt deceſſum eorundem ſucceſſorum tuorum locus ipſe cum omni melioratione ſua liberè ad Romanam Eccleſiam revertatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ locationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani VII. Kalend. Maij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

NICIENSI EPISCOPO, ET Lirinenſi clauſtrali & de Mogenis Prioribus Antipolitanæ dioceſis.

Epiſt. 54. Vt mulierem quandam ad maritum ſuum redire cogant.

ACcedens olim ad apoſtolicam ſedem R. de Fonte laicus ſua nobis conqueſtione monſtrauit quòd cùm Rixendam filiam Benedicti de Graſſa Antipolitanæ dioceſis duxiſſet legitimè in uxorem, & inter eos fuiſſet carnalis copula ſubſecuta, dictus B. in contrarium voluntate mutata, ipſum coram venerabili fratre noſtro Antipolitano Epiſcopo traxit in cauſam, dictam filiam ſuam aſſerens ſibi coactam nupſiſſe. Cujus dictus Epiſcopus favere cupiens voluntati, probationes ejuſdem R. admittere recuſavit, cum impetu proferens quòd antedictæ mulieri nubendi alij licentiam concedebat. A quo gravamine idem vir ad ſedem apoſtolicam appellavit, præfatæ inhibens mulieri ne alij viro ſe præſumeret copulare. Sed dictus pater eandem filiam ſuam clam, non in facie Eccleſiæ, nihilominus cuidam Bertrando nomine minùs licitè copulavit. Quare venerabili fratri noſtro Vigintimilienſi Epiſcopo & dilecto filio Abbati ſancti Honorati & magiſtro R. rectori Eccleſiæ ſancti Michaëlis Antipolitanæ dioceſis dedimus in mandatis ut inquiſita ſuper præmiſſis diligentiùs veritate, quod canonicum eſſet ſtatuere procurarent, facientes quod ſtatuerent per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Ad quorum ire præſentiam, ſicut eorum tranſmiſſæ nobis litteræ continebant, pars mulieris ſæpius citata contempſit. Accedens tandem poſt multum temporis intervallum & aſſerens mandatum apoſtolicum per ſuppreſſionem veritatis obtentum, propoſuit mulierem eandem dicto R. cui coacta nupſerat, minùs legitimè copulatam, nec interveniſſe carnalem copulam inter eos, inficians & improbare contendens quòd dictus Antipolitanus probationes ipſius R. admittere recuſarit, & quòd præcipitarit ſententiam contra eum. Præfato igitur R. probationes ſuper omnibus quæ ad obtinendum mandatum noſtrum dixerat offerente, ipſi teſtes receperunt hinc inde. Et quoniam ad multas dilationes quas dederant ad probandum, & ad unum peremptorium pars non venerat mulieris, cùm vellent dicta teſtium publicare, procurator mulieris ipſius, qui venerat ad aliud peremptorium quod aſſignaverant, appellavit, litteras arguens falſitatis, & bullam volens aſtruere, quia punctus deerat, eſſe falſam. Cùmque dicti judices appellationi ab eo interpoſitæ detuliſſent, eandem cauſam cum atteſtationibus receptis ad nos ſufficienter remiſerunt inſtructam, feſtum beati Lucæ proximò præteritum utrique parti terminum præfigentes, quo cum ipſis noſtro ſe conſpectui præſentarent. Nos igitur auditis atteſtationibus ipſis & pleniùs intellectis, quia nobis conſtitit per eaſdem mulierē ipſam in dictum virum ſuum præſtitiſſe conſenſum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus eandem, ut ad virum ſuum redeat & affectui ei adhæreat conjugali, patrem quoque ac matrem, ne conſilium & auxilium ei præſtent quò minùs revertatur ad ipſum, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani VII. Kal. Maij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

MONACHIS SANCTI IVLIANI, & ... Perſonæ Eccleſiæ ſancti Dionyſij de Ambaſia.

Epiſt. 55. Confirmatur quidam [illegible]

CVm inter vos ex parte una & Canonicos S. Florentini dioceſis Turonenſis ex altera ſuper jure parrochiali ejuſdem caſtri per utriuſque partis procuratores in noſtra præſentia quæſtio verteretur, ad

hanc tandem concordiam spontanei devenerunt, ut videlicet dominus castri prædicti cum familia sua, quam exhibet, Milites verò cum familiis illis quæ percipiunt victum & vestitum ab eis quotidianum, necnon omnes Clerici ejusdem castri cum familiis suis, quas exhibent, præter illos duntaxat sive Clericos sive laicos qui de familia sancti Thomæ ac sancti Dionysij & sancti Salvatoris esse noscuntur, Canonicis memoratis & eorum Ecclesiæ de cetero parrochiali sint jure subjecti; ipsi quoque Canonici in quindecim baliis inferiùs annotatis habeant decem & octo Balivos, cum familiis eorum victum & vestitum quotidianum percipientibus ab eisdem; ita quod id nec minui valeat nec augeri. Nomina verò Balivorum & baliarum sunt ista. Præpositura castri, pedagiaria, pontonaria, annonaria, præpositura varannæ, præpositura Iohannis de Ambasia, præpositura Peronellæ de Vindocino, villicus domini de Nœreio, præpositura Bertranni Militis, carpentaria Domini Ambasiæ, calderaria Domini, bucheria Domini, exclusaria, tabernaria & forestaria. Verùm in tribus ultimò nominatis sex habere debebunt, & unum in qualibet præmissarum. Sanè corpora parrochianorum suorum in cimiterio Ecclesiæ sancti Dionysij, quod tam vobis quàm præfatis Canonicis est commune, de cetero tumulabuntur à Canonicis memoratis, nisi aliàs decedentes elegerint sepulturam. Et eadem corpora priùs per eos in præfatam sancti Dionysij Ecclesiam inferentur, & Missarum officiis, si quidem tempus fuerit celebrandi, à monachis vel Presbytero celebratis, oblatio ad monachos & Presbyterum devolvetur. quòd si tempus non fuerit celebrandi, hujusmodi corpora deferri ad sepulturam ab Ecclesia memorata debebunt. Reliquum autem officium ad sepulturam pertinens, pro sui dignitate conventus celebrabunt Canonici antedicti. quod non solummodo de parrochianis eorum statutum est esse servandum, sed etiam de omnibus aliis ad quorum exequias in Ecclesia sancti Dionysij celebrandas fuerint evocati. Chrisma verò & oleum sanctum ab Ecclesia ipsa recipient simul & semel in anno. De feudatariis insuper est statutum ut quicunque ipsorum habuerit plura feuda vel unum, etsi plura integra feuda ad plures personas devenerint, quicunque habuerit integrum, cum omni familia sua, quam exhibet, si verò integrum feudum in plures fuerit partes divisum, is qui partem tenuerit principalem, Ecclesiæ sancti Florentini parrochianus existet. Reliquos autem omnes Ecclesia sancti Dionysij obtinebit. Nos igitur concordiam approbantes eandem, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani decimo Kal. Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CANONICIS SANCTI Florentini.

Epist. 56. Super eodem.

CVm inter vos ex parte una & monachos sancti Iuliani ac .. Personam Ecclesiæ sancti Dionysij de Ambasia diocesis Turonensis ex altera &c. *ut in alia usque* esse noscuntur, vobis & Ecclesiæ vestræ de cetero parrochiali sint jure subjecti. Præterea vos in quindecim baliis inferiùs annotatis habeatis decem & octo Balivos &c. *ut in alia usque* ultimò nominatis sex habere debebitis, & unum in qualibet præmissarum. Sanè corpora parrochianorum vestrorum in cimiterio Ecclesiæ sancti Dionysij, quod tam vobis quàm Capellano & monachis est commune, de cetero tumulabuntur à vobis, nisi aliàs decedentes elegerint sepulturam, & eadem corpora priùs per vos in præfatam sancti Dionysij Ecclesiam inferentur &c. *ut in alia usque* pertinens pro vestri dignitate conventus celebrabitis. Quod non solummodo de parrochianis vestris statutum est &c. *ut in alia usque* celebrandas fueritis evocati. Chrisma verò & oleum sanctum ab eadem recipietis Ecclesia simul & semel in anno. De feudatariis insuper est statutum &c. *ut in alia usque in finem per totum.* Datum similiter ut in alia per totum.

EPISCOPO, ET MAGISTO Flo. Archidiacono Zamorensi, & Abbati de Morerola diocesis Zamorensis.

Epist. 57. Committit inquisitionem super excessibus Canonicorum Portugalensium.

GRave gerimus & indignum quòd cùm venerabilis frater noster Portugalensis Episcopus, post diutinas persecutionis angustias quas à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Portugalensi & ejus noscitur sustinuisse ministris, evasis demum fugæ præsidio custodiis violentis, bonisque suis, non solùm ecclesiasticis, verùm etiam patrimonialibus, derelictis, compulsus sit pariter cum Decano suo & aliis, licèt paucis, tribulationis propriæ participibus, pro commissæ sibi Ecclesiæ

libertate, ad sedem apostolicam confugere quasi nudus, Canonici Portugalensis Ecclesiæ, quos ejus, utpote boni patris, oppressionibus compati decuisset, non solùm filialis compassionis dicuntur ei subtraxisse solatium, quin immo tanto nocentiores aliis quanto pejus familiaris solet lædere inimicus, sæviendi adversùs ipsum temeritate sua præbuisse videntur extraneis incentivum, dum tam ipsi quàm Ecclesiæ memoratæ portionarij excommunicationi subjecti divina non erubuerunt officia celebrare, contempto temerè interdicto primò vel secundò per eundem Episcopum promulgato, super quo non relaxando ad sedem fuerat apostolicam appellatum, & perjurio nihilominus vilipenso quod iidem Canonici dinoscuntur circa præsens negotium incurisse. Nolentes igitur tantam præsumptionis audaciam relinquere incorrectam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quòd inquisita & cognita veritate, si rem inveneritis ita esse, Canonicos & portionarios memoratos sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo beneficiis ecclesiasticis & officiis spolietis; nisi forsan ad interventum & consilium præfati Episcopi temperandum duxeritis hujus canonicæ disciplinæ rigorem. Volumus insuper & præcipimus ut circa omnia quæ præmissa sunt, tam super principali quàm super incidenti appellatione postposita procedatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani III. Idus Maij, anno tertiodecimo.

BVRGENSI EPISCOPO.

Epist. 58. De libertate monasterij Onensis. Vide infrà epist. 59. & 69.

ORta inter te & monasterium Onense super statu ipsius monasterij quæstione, cùm venerabilis frater noster Segobiensis Episcopus & dilectus filius Palentinus electus eam de nostro examinassent mandato, ipsamque sufficienter instructam ad nostrum remisissent examen, nos tandem instrumentis, attestationibus, confessionibus, & allegationibus diligenter auditis & perspicaciter intellectis, de communi fratrum nostrorum consilio te ac L. monacho procuratore prædicti monasterij consensum præbentibus, ita duximus providendum ut Burgensis Episcopus singulis annis semel ad idem monasterium causa visitationis accedat; ubi devotè receptus, & per diem unum honestè de bonis ipsius monasterij procuratus, Capitulum intret, & habito ad Abbatem & fratres exhortationis sermone, de statu ejusdem diligenter inquirat, ac super his quæ in eo reformanda vel ordinanda cognoverit, Abbas Episcopi salubre consilium studeat adimplere; si verò infra octo dies illud exequi non curaverit, totius negotij veritatem idem Episcopus Romano Pontifici per litteras suas studeat fideliter intimare. Ipse tamen nec in Abbatem nec in conventum excommunicationis vel suspensionis aut interdicti sententiam hac vel alia occasione inconsulto Romano Pontifice ferre præsumat; sed mandatum ipsius Romani Pontificis expectetur, ut in eodem negotio juxta quod ipse mandaverit procedatur. Et si Abbas fuerit inventus culpabilis super eo quòd Episcopi consilium non admisit, satisfaciat ei de moderatis expensis quas propter hoc eum fecisse constiterit nuntium ad sedem apostolicam destinando. Cùm autem post consecrationem suam prima vice Burgensis Episcopus ad monasterium ipsum accesserit, recipiatur ab Abbate ac monachis cum processione solemni, & si voluerit, celebret ibi Missam. Quotiens etiam invitatus accesserit pro exhibendis ecclesiasticis sacramentis, procuretur ab eis; ita quòd nunquam numerum personarum & evectionum excedat in Lateranensi Concilio diffinitum. Omnia siquidem ecclesiastica sacramenta, quotiens indiguerint, ab eodem & non ab alio Episcopo exigant & recipiant; dummodo gratiam apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis voluerit exhibere. Alioquin liceat illis quemcunque maluerint catholicum adire Pontificem, qui ea sibi apostolica fretus auctoritate concedat. Onensis autem electus à Burgensi Episcopo benedictionem reverenter exposcat; quam ipse illi gratanter impendat, difficultatem aut moram nullatenus ingerendo; nisi forsan ex publica fama vel manifesta causa seu denuntiatione canonica rationabile quid obsistat. Et tunc etiam Romanus Pontifex consulatur, & ipsius beneplacitum expectetur. Ita quòd si constiterit Episcopum fuisse culpabilem super eo quòd benedictionem impendere noluisset electo, justas ei refundat expensas quas fecisse probabitur sedem apostolicam consulendo. Cùm autem ab eo fuerit benedictus, reverentiam ei super his tantummodo quæ præscripta sunt repromittat, professione hujusmodi super altare in scriptis oblata. In ceteris autem præfatum monasterium plena gaudeat libertate. Ne igitur quod à nobis pro parte tam Burgensis

Ecclesiæ quàm monasterij Onensis salubriter est provisum, occasione qualibet in posterum possit infringi, præsentium auctoritate statuimus ut contra præscriptam formam nulla summorum Pontificum privilegia vel secularium Principum scripta, nulla denique munimenta vel argumenta valeant prævalere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani x. Kal. Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ZAMORENSI ET LEGIONENSI Episcopis.

Dist. 19. De eadem re. vide epist. seq.

SVscitata super diversis articulis inter venerabilem fratrem nostrum Burgensem Episcopum & Onense monasterium quæstione, cùm venerabilis frater noster Segobiensis Episcopus & dilectus filius T. Palentinus electus, quibus auctoritate nostra dicta fuit causa commissa, eam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remisissent, nos eidem Episcopo & L. monacho monasterij procuratori, qui propter hoc ad sedem apostolicam venerant, audientiam concessimus liberam & benignam. Qui cùm cœpissent principaliter litigare super statu monasterij memorati, quod ad se de jure communi sperare dictus Episcopus proponebat, utpote in sua dioceſi constitutum, cujus juris usum Burgensem Ecclesiam longis retroactis temporibus habuisse firmabat, & ex parte monasterij diceretur illud per Principes seculares & Romanos Pontifices ab antiquo libertate donatum, & ipsum longissimo tempore usum fuisse plenaria libertate, nos auditis utrinque propositis, de voluntate partium demum ex providentia inter eas duximus componendum; prout in aliis nostris litteris super hoc confectis pleniùs continetur. Postmodum verò partibus super subjectione ac libertate membrorum ejusdem loci, monasteriorum videlicet, capellarum, cellarum, & prioratuum, persequentibus quæstionem, quatuor sibi dictus Episcopus in præfatis locis ad se de jure communi spectantibus, ut dicebat, cujus juris usum habuerat ab antiquo, specialiter vendicabat, eorundem locorum Clericos asserendo teneri ad Episcoporum, Archidiaconorum, & Archipresbyterorum Burgensium accedere synodos, excommunicationis vel interdicti servare sententias promulgatas ab eis, procurationes annuas exhibere, ac singulos aureos solvere Burgensi Episcopo noviter substituto; ad intentionem propriam roborandam super primis tribus articulis jus commune, secundùm quod dictos Clericos, sicut & alios suæ dioceſis, ad prædicta teneri dicebat, ac juris ipsius usum liberum ab antiquo, & super quarto antiquam & approbatam consuetudinem allegando. De quibus omnibus per depositiones testium fidem factam esse dicebat. Verùm pars altera proposuit ex adverso supradicti monasterij membra, sicut & ipsum cœnobium, ab antiquo fuisse secularium Principum & Romanorum Pontificum Vrbani II. Paschalis II. Eugenij III. & Alexandri III. privilegiis libertate donata, & longis retroactis temporibus hujusmodi fuisse libertate gavisa; sicut per ipsa privilegia exhibita coram nobis, ac instrumentum Victoris quondam Burgensis Episcopi, & suorum depositiones testium manifestè constare dicebat. Nos igitur auditis & intellectis quæ utraque pars proposuit coram nobis, super quatuor præmissis capitulis monasterium Onense de consilio fratrum nostrorum justitia condemnavimus exigente. Sententia verò lata procurator præfatus ad probandam præscriptionem, tam super quatuor articulis prænotatis, quàm etiam super quibusdam decimis post transactionem acquisitis á monasterio, Ecclesiis & colonis ipsius ex Episcopi parte petitis, quarum controversiam volebamus sententiæ calculo terminare, & in qua fuerat coram judicibus supradictis concluſum, restitutionem in integrum nomine monasterij postulavit. Et cùm super hoc coram nobis fuisset aliquandiu litigatum, nos deliberatione præhabita, restitutionem in integrum ad præscriptionem probandam, tam super quatuor articulis prænotatis, quàm etiam super controversia decimarum, eidem procuratori nomine monasterij duximus indulgendam; tibi, frater Zamorensis, & dilectis filiis magistris Mauricio Archidiacono Toletano & Michaëli Canonico Segobiensi dantes nostris litteris in mandatis ut recipiatis testes quos pars monasterij ad probandam præscriptionem legitimam super quatuor articulis sæpedictis & super capitulo decimarum, vel etiam Episcopus ad interruptionem probandam duxerit producendos; & si de partium voluntate processerit, causam ipsam appellatione remota fine debito terminetis; alioquin

remittatis eandem ad nos sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent sententiam dante Domino recepturæ. Ne verò per excogitatam malitiam, sicut ex quibusdam præsumptionibus pluribus videbatur, effectum sententiæ in damnum Episcopi contingeret impediri, neve monasterium per executionem sententiæ propter ipsas suspiciones incurreret detrimentum, nos æquitate pensata ita duximus providendum, ut ante omnia supradicta sententia à nobis prolata per vos executioni mandetur. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus sententiam ipsam sublato appellationis obstaculo executioni mandantes, faciatis eandem inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Quòd si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani VIII. Kalen. Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ZAMORENSI EPISCOPO, & magistris Mauricio Archidiacono Toletano & Michaëli Canonico Segobiensi.

Epist. 60. De eadem re. Cap. Sulcitatà. De in int. restitut.

SVscitata super diversis articulis &c. *in eundem modum ut in alia per totum usque* duximus indulgendam. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus recipiatis testes quos pars monasterij ad probandam præscriptionem legitimam &c. *ut in alia usque* à nobis prolata sublato appellationis obstaculo executioni mandetur, cujus executionem tibi, frater Zamorensis, & venerabili fratri nostro Legionensi Episcopo duximus committendam. Volumus nihilominus & mandamus ut ab Episcopo recipiatis idoneam cautionem quòd si monasterium in causa ipsa per sententiam prævaluerit, uniuersa quæ medio tempore ipsius sententiæ occasione percepit monasterio restituat memorato. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 61. De negotio Capellæ S. Mariæ de castro Soris.

CVm in causa quæ inter Burgensem Ecclesiam & Clericos sanctæ Mariæ de castro Soris super quibusdam Ecclesiis & rebus aliis vertitur, ad dilectum filium Abbatem de Retorta & Priorem de Corrubiis fuerint à sede apostolica litteræ impetratæ, ipsi reputantes venerabilem fratrem nostrum Burgensem Episcopum contumacem, in rerum petitarum possessionem causa rei servandæ partem induxerunt adversam. Verùm cùm super eorundem processu, quem memoratus Episcopus, utpote post appellationem ad nos legitimè interpositam attentatum, revocari petebat, inter ipsum & .. partis adversæ procuratorem fuisset in nostra præsentia diutiùs litigatum, taliter fuit demum à nobis de ipsorum voluntate provisum, ut tam super dictarum rerum omnium possessione quàm etiam fructibus, quos nunc possunt dicti Clerici restituere, præfato Episcopo restitutis, de restituendis aliis, quàm citò se facultas obtulerit, idoneam exponant dicti Clerici cautionem; ad quod eos, si necesse fuerit, per vos volumus & mandamus, appellatione remota, ecclesiastica censura compelli. Postmodum autem Episcopus petiit coram nobis ut Clericos ejusdem Ecclesiæ, qui post interdicti ab eodem Episcopo & excommunicationis sententias à Palentino electo & suis conjudicibus delegatis à nobis propter eorum contumaciam rationabiliter promulgatas divina præsumpserant officia celebrare præfatis sententiis vilipensis, pœna dignaremur canonica castigare, ac quorundam eorum corpora faceremus de cimiterio ecclesiastico exhumari, quæ interim fuerant tumulata. Procurator verò prædictus tam super libertate liberè sibi eligendi prælatum quàm etiam super tertiis ipsius Ecclesiæ, medietate domorum, molendinorum, vinearum, terrarum, & hortorum ad ipsam Ecclesiam in eodem castro spectantium, & Ecclesiarum ac terrarum ejusdem castri & circumadiacentium heremitarum, item sancti Nicolai, sancti Dominici, sanctæ Cæciliæ, sancti Iacobi, sancti Stephani, sancti Iohannis, sancti Michaelis, & sanctæ Eulaliæ Ecclesiarum & heremitarum circumadjacentium eis, rursum sancti Michaelis de Tavanera, sancti Stephani de Castriello, sanctæ Mariæ de Villafilos, sancti Martini & sancti Andreæ Ecclesiarum, cum adjacentibus eis heremitoriis universis, terrarum quoque ac vinearum & molendinorum medietatis & de Arnelas & de Palatios & de Fitero Ecclesiarum, necnon & de Pontefitero, & de Feneiosa, & Villæ viridis, & de Alcobella, & sancti Cypriani Ecclesiarum, ac heremitarum omnium circumadjacentium eis, procurationum quoque & obedientiarum & interdictorum de Valbonella, de Fonte Lesina, & de Valvinchera, & de Valvas Ecclesiarum, & medietatis de solaribus, hortis, terris, vineis, molendinis Ecclesiarum

de villa Serigo, & circumadjacentium heremitarum, de Villimara & de Villaquiran Ecclesiarum, terrarum & vinearum Ecclesiæ de Valdemoro, cum adjacentibus eis heremitoriis universis, de Quintanella quoque & de Fontan, de Castellanos & de Villa Aios Ecclesiarum, medietatis insuper de solaribus, terris, hortis, vineis, & molendinis Ecclesiæ de Fanos, & de Fenestrosa, cum heremitorio, & de Pedrosa, cum circumadjacentibus heremitoriis sanctæ Eugeniæ & sancti Iohannis de Pisverga Ecclesiarum, ac instituendi Prælatos & Archipresbyteros in eisdem, & hereditatis cujusdam apud Ormaza restitutionem humiliter postulavit. Petiit quoque ut quasdam res mobiles, scilicet thuribulum & scyphum argentea, mulam & mulum, centum oves, & tria juga boum cum apparatibus suis, duodecim porcos, & sex modios panis, dolium vini, gallinarum quoque & anserum, ac valentiam annonarum quæ prædictus Burgensis Episcopus per tres menses in quindecim equitaturis expendit, tapeta duo, linteamina tria, & totidem pulvinaria, mantas tres, culcitram unam, mantilia quatuor, sogam carralem de corio, ferrum caldararum, acetrum, tres aczados, totidem aczadas, quatuor cistas scutellis plenas, quatuor fulchra, & auricularia tria, coopertorium unum, necnon & lectum de corio, cuppam de Villa Aios ad villam de Silos tunc temporis deportatam, duas cuppas alias de civitate Burgensi ablatas, & aliam venditam in Levis, scamna tria, carrum ferratum, quibus omnibus pars sua spoliata fuerat, ei restitui mandaremus. Adjecit insuper quòd dictus Burgensis Episcopus claves Sacristæ abstulit violenter, codicemque privilegiorum ablatum non reddidit donec ea quæ contra ipsum & suam Ecclesiam in eo continebantur abrasit; quædam nihilominus detinens quæ delegati à nobis judices sub excommnnicationis pœna restitui præceperunt. Quæ omnia sibi procurator prædictus cum fructibus perceptis ex eis restitui postulabat, & super his satisfactionem sibi congruam exhiberi. Lite igitur coram nobis super præmissis legitimè contestata, quia super utrinque propositis nobis non potuit fieri plena fides, causam ipsam de ipsorum Episcopi & procuratoris assensu vobis duximus committendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus absolutis clericis ejusdem Ecclesiæ ad cautelam, audiatis causam, & eandem, si de partium voluntate processerit, appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin ipsam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui repræsentent justam auctore Domino sententiam recepturæ. Testes autem qui ab utraque parte fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes his exequendis &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum quarto Kal. Maij, anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 61. De causa monasterij de Ortega.

BVrgensi Capitulo dudum ad nos suam querimoniam destinante quòd monasterium sancti Iohannis de Ortega ad Burgensem Ecclesiam pertinebat, cui G. Martini sacerdos & quidam alij debitam recusabant obedientiam exhibere, violenter ipsum monasterium detinentes, nos bonæ memoriæ Episcopo & dilectis filiis Archidiacono & Thesaurario Palentinis commisimus causam ipsam. Coram quibus P. Iohannis Burgensis Ecclesiæ procurator contra Petrum Bartholomæi, Petrum Iohannis, Dominicum Martini, Iohannem & Gundisaluum, singulariter videlicet contra quemlibet, suam exercuit quæstionem; & possessorium judicium intentando, proposuit ab eisdem violentiam Burgensi Ecclesiæ fuisse illatam, restitutionem portionis unius Canonici petens à quolibet prædictorum; postulans nihilominus ut expellerentur à monasterio memorato, utpote violenter intrusi, & propter inobedientiæ vitium pœna canonica punirentur. E contrà prædicti Canonici prorsùs inficiantes se aliquam Burgensi Ecclesiæ violentiam intulisse aut extitisse inobedientes eidem aliquatenus vel rebelles, dixerunt quòd cùm essent Canonici regulares, nihil penitùs possidere poterant vel agere seu etiam respondere absque sui Prioris licentia & mandato. Adjecerunt insuper quòd cùm divisæ non essent in præfata sancti Iohannis Ecclesia portiones, ipsi, cùm nihil certum penitùs possiderent, etiam si essent Clerici seculares, ad restituendam aliquam portionem non poterant condemnari, nec à præfata Ecclesia supradicta occasione depelli. Iudices verò

utriusque partis attestationibus & allegationibus diligenter inspectis, in tribus primis capitulis, super quibus fuerat possessorium intentatum, antefatos quinque Canonicos absolverunt, condemnantes eosdem ad canonicam obedientiam Burgensi Episcopo exhibendam. A qua sententia cùm Burgensis Episcopus appellasset, nos venerabili fratri nostro Oscensi Episcopo & dilectis filiis Tirasonensi Decano & Præposito Iaccensi dedimus in mandatis ut in appellationis causa legitimè procedentes, eandem sententiam sicut justum esset confirmare vel infirmare curarent. Qui utriusque partis confessionibus & rationibus intellectis, & advertentes supradictas petitiones ex parte Burgensis Ecclesiæ contra præfatos Clericos nimis ineptè ac irrationabiliter fuisse conceptas, antedictam sententiam confirmarunt, verba in eadem expressa tenori suæ sententiæ annectentes: qui sententia in scriptis redacta, & in ejusdem serie annis incarnationis dominicæ annotatis, hujusmodi clausulam subjecerunt: *Præterea de illata Burgensi Ecclesiæ violentia, & interdicto à prædictis quinque Clericis non servato, ac expensis à procuratore Clericorum de Ortega petitis, reservamus nobis licentiam cognoscendi.* Cùm autem nuper venerabilis frater noster Burgensis Episcopus & supradictorum Clericorum procurator in nostra præsentia super præmissis aliquandiu litigassent, nos utrinque propositis intellectis, sententiam ultimorum judicum in eo duximus sententialiter confirmandam in quo supradictorum judicum dinoscuntur sententiam confirmasse. In eo verò quòd jam lata sententia sibi licentiam cognoscendi super quibusdam articulis reservarunt, dictum eorum decrevimus irritum & inane. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus supradictam sententiam auctoritate apostolica confirmatam faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Quia verò super libera administratione monasterij memorati & rebus ejusdem, quibus Burgensem Ecclesiam dicebat Episcopus spoliatam, & super fructibus & rebus aliis quas Canonici ab eodem Episcopo repetebant, lis coram nobis fuit solemniter contestata, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus recipiatis testes quos utraque pars duxerit producendos, & causam ipsam, si de partium voluntate processerit, sublato appellationis obstaculo fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent sententiam dante Domino recepturæ. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Kal. Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS Ecclesiæ Narbonensis.

CVm talis esse debeat ars eorum quibus regendæ animæ committuntur ut non solùm à dominico grege subductas sollicitudine pastorali reducere, verùm etiam reductas ad ipsum paterna in eo studeant mansuetudine confovere, proculdubio nobis & vobis est sollicitè providendum ut dilecti filij Durandus de Osca & Guillelmus de sancto Antonino cum sociis suis reconciliatis ecclesiasticæ unitati taliter foveantur in ipso quòd cùm ipsi se lætabuntur ibidem invenire favorem speratæ dulcedinis, alij eorum inducantur exemplo errorem suæ deserere cœcitatis. Quapropter fraternitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus ipsos, procedentes secundùm Deum, caritativè tractantes, non permittatis eos aut illos qui suum ipsis intuitu caritatis impenderint beneficium in vestris diocesibus constitutos hujus occasionis prætextu à quoquam temerè molestari, contradictores ecclesiastica censura appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. singuli vestrum in diocesi sua ea nihilominus exequantur. Datum Laterani IV. Idus Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo & suffraganeis Ecclesiæ Tarraconensis. Datum ut in alia per totum. In eundem modum scriptum est Archiepiscopo Mediolanensi & suffraganeis ejus. Datum ut in alia per totum.

PRIORI

PRIORI ET CAPITVLO beatæ Mariæ de Salis Bituricenſis.

Epiſt. 64. Confirmat ſtatuta Eccleſiæ de Salis.

SOlet annuere ſedes apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Sanè, ſicut ex tenore veſtrarum litterarum accepimus, vos ad diſſenſionis materiam amputandam, quæ pro donationibus præbendarum Eccleſiæ veſtræ ſæpius emergebat, de aſſenſu venerabilis fratris noſtri Guillelmi Bituricenſis Archiepiſcopi communiter ſtatuiſtis quòd poſtquam Eccleſiæ veſtræ præbendæ ad duodenarium devenerint numerum, qui per ipſum Archiepiſcopum & vos etiam in veſtra eſt Eccleſia inſtitutus, præbendas quæ vacaverint Bituricenſis Archiepiſcopus, qui pro tempore fuerit, perſonis quibus voluerit ſecundùm Deum conferat & aſſignet, ita quòd is qui ab eodem fuerit inſtitutus, Priori obedientiam faciat, & circa eum Prior correctionem habeat, quemadmodum circa tales habere hactenus conſuevit. In hominibus verò, terris Eccleſiæ, ac omnibus aliis, Prior & Capitulum debitam juriſdictionem obtineant, & hactenus conſuetam. Vacante verò Bituricenſi Eccleſia, ſi quam in Eccleſia veſtra præbendam vacare contigerit, illam abſque contradictione cujuſquam conferat ſolus Prior. Cedente verò vel decedente Priore ipſius Eccleſiæ, Canonici ejuſdem loci liberam eligendi Priorem habeant facultatem, & illa in hoc articulo gaudeant libertate qua Eccleſiæ aliæ in Bituria poſitæ gaudere noſcuntur. Hoc etiam conſtitutum ſacroſanctis tactis evangeliis ſervaturos vos in perpetuum promiſiſtis. Nos igitur veſtris precibus inclinati, ſtatutum ipſum, ſicut piè ac providè factum eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Salvo in omnibus apoſtolicæ ſedis mandato. Nulli ergo &c. hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani VII. Idus Aprilis, anno tertiodecimo.

ILLVSTRI REGI Danorum.

Epiſt. 65. Recipitur ſub protectione ſedis apoſtolicæ. Vide lib. 12. epiſt. 103. 104.

QVòd orthodoxæ fidei zelo ſuccenſus ad laudem divini nominis & Chriſtianæ religionis honorem ſigno crucis aſſumpto, ad reprimendam feritatem incredulæ nationis regalis exerere decreviſti gladium poteſtatis, pium devotionis tuæ propoſitum in Domino commendamus; illudque favoris apoſtolici gratia proſequentes, perſonam & regnum tuum cum omnibus bonis tuis ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ſtatuentes ut quandiu vacaveris operi hujuſmodi pietatis, integra maneant, & à cujuſlibet temeritatis incurſu quieta conſiſtant. Verùm tuam regalem prudentiam commonemus ut ita providè tibi & tuis caveas undecunque, ne, quod abſit, ſub noſtræ protectionis prætextu quamlibet te contingat ſuſtinere jacturam. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

ILLVSTRI REGINÆ Francorum.

Epiſt. 66. De cauſa divortij. Vide ſuprà lib. 10. epiſt. 176. lib. 11. epiſt. 180. 181. 182. 183.

SVper amaritudine in qua es paterno tibi compatientes affectu, ſerenitatem tuam conſolando monemus ut quæ alios cum Rege conſorte tuo per matrimonialem ipſius copulam acceſſiſti rectura, veneranda Regina tui, te regas in imminentis pugnæ moleſtia, per quam Deus tuam voluit examinare virtutem; ſic in omnibus quæ adverſa videntur & dura te formans ut plus ex formidine mentis ea quàm ex neceſſitatis inſtantia perferendo, non tam pareas quàm ſuper his aſſentias voluntati divinæ, nec unquam triſtis excipiens quod acciderit contra votum, tributum tuum hilaris, non invita, perſolvas; attendens quòd univerſa quæ in miſeriæ hujus mundo à quocunque penduntur, quaſi quædam neceſſaria ſunt humanæ vitæ tributa, quorum immunitatem nemo poterit cum effectu vel petere vel ſperare. Quapropter, cariſſima in Chriſto filia, de tua te conſolare fortuna, & animum induendo virilem, ab ipſius conſtantia non recedas; ut quaſi de proprio fato conqueſta, illud tibi gemas accidere quod multis indignioribus non videris evenire. Cùm enim ſine adverſario virtus marceat, quæ quanta ſit, aut quid valeat, tunc apparet cùm illam patientia manifeſtat, in exaggerationem doloris nequaquam eſt pervertendum quod veriùs poteſt ad conſolationis materiam imputari. Pater quippe cœleſtis carnalium more parentum, non educantium filios in deliciis, quos intendunt ad virtutem componere, te per hæc voluit experiri, & ſibi, non tamquam delicatam, ſed ſicut electam filiam præparare. Qua de re periculoſiùs reputans quòd in reprobis alitur audacia per licentiam quàm quòd virtus per diſciplinam proficit in electis, patientiam tuam feras humiliter exerceri, & quia patientibus patienter paſſio non eſt pati, ſic æquanimiter ſuſtineas univerſa quòd ille in cujus

manu cor Regis est, & quocunque voluerit vertet illud, humilitatis tuæ merito provocatus, non solùm adversitatis causa submota, conciliando tibi animum viri tui, tuam remuneret patientiam, verùm etiam gratia sui [spiritus,] qui verus sponsus est fidelium animarum, expectationis tuæ angustiam recompenset; secura de nobis quòd in quibus oportuerit & decuerit, nequaquam tibi suffragium favoris apostolici subtrahemus. Datum ut in alia per totum.

EBORACENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 67. De negotio Eboracensi. *Vide lib. 11. epist. 87. & Matth. Paris ad. an. 1207.*

DOmus Domini comedit nos tunc zelus & igne illo succendimur vehementer quem filius hominis mittens in terris voluit ut arderet cùm hi contra ecclesiasticam libertatem insurgunt qui, si se recolerent, ut deberent, à Domino susceptisse ad malefactorum vindictam gladij potestatem, illam deberent pro viribus defensare, ut passeres spirituales videlicet nidificarent in eos velut in cedros Libani plantatos à Domino, & turtur nidum ubi suos pullos reponeret inveniret. Sanè gravis ex parte tua nobis est oblata querela quòd cùm Iohannes Rex Angliæ ab Ecclesiis & domibus eleemosynariis Eboracensis provinciæ tertiam decimam disposuisset recipere, tu id præsentiens, pro ecclesiastica libertate tuenda sedem apostolicam appellasti, te ac tua & universos ejusdem provinciæ Clericos nostræ protectioni supponens. Verùm Rex ipse à proposito quòd præconceperat non recedens, non solùm de demanio tuo & à te tenentibus, sed etiam à religiosis & plerisque Clericis Eboracensis provinciæ tertiam decimam proventuum eorundem extorsit contra ecclesiasticam libertatem. Cùmque tu, hæc ferre non prævalens, recessisses de partibus Anglicanis, ad nostram præsentiam accessurus, idem Rex te ac tuos temporalibus mobilibus & immobilibus spolians, jurisdictionem tuam circa spiritualia multipliciter juxta suæ voluntatis arbitrium impedivit, & possessiones & nemora tua in grave præjudicium Eboracensis Ecclesiæ distrahi faciens, in plurimis aliis tibi & tuis injuriosus extitit admodum & molestus. Cùm igitur tantam Dei & Ecclesiæ suæ injuriam, non tantum propter dispendium temporalium quantum propter periculum animarum, nequeamus conniventibus oculis pertransire, qui, si necessitas id exposceret, pro tuenda ecclesiastica libertate non dubitaremus exponere nosmetipsos, licèt super hoc venerabilibus fratribus nostris Heliensi, Vuigornensi, & Herefordensi, & postmodum Londonensi & Roffensi Episcopis, & dilecto filio Decano Lincolniensi litteras nostras duxerimus destinandas, nihilominus tamen fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus Regem eundem moneri facias efficaciter & prudenter induci ut suæ saluti consulens & honori, tam tibi quàm Ecclesiis & aliis ad te spectantibus ablata restituat universa, & de damnis & injuriis irrogatis satisfaciat competenter. Alioquin prædictis litteris non obstantibus, per quas nondum extitit plenè in negotio ipso processum, tu propter hoc officij tui debitum in Eboracensi provincia exequaris, quod per appellationis objectum nolumus impediri. Datum Laterani 11. Non. Maij, anno tertiodecimo.

EPISCOPO, ET ABBATI sancti Iohannis in Vineis, & Decano Suessionensi.

Epist. 68. Eis committitur causa super beneficio Canonicatus.

DIlectus filius Bartholomæus Canonicus Casletensis in nostra proposuit præsentia constitutus quòd cùm Præpositus Casletensis Morinensis diocesis, qui filiis, nepotibus, & cognatis Ecclesiæ suæ conferre præbendas quasi jure hereditario consuevit, præbendam.. filij sui defuncti à sua nolens cognatione disjungi, eam.. nato.. filiæ suæ tunc lactenti dedisset, nos venerabili fratri nostro Silvanectensi Episcopo & conjudicibus suis dedimus in mandatis ut præbendam eandem, utpote de jure vacantem, apostolica sibi auctoritate conferrent. Ad quorum impediendum processum dictus Præpositus & quidam de Canonicis ipsi animo & parentela conjuncti, frustratoriè nostram audientiam appellantes, appellationem emissam persequi non curarunt; excepto quòd unus eorum, R. videlicet pueri dicti pater, tandem ad præsentiam nostram accedens, coram bonæ memoriæ Matthæo sancti Theodori Diacono Cardinali, à nobis sibi auditore concesso, ad hoc se asseruit non venisse. Quare dicto Præposito & Capitulo Casletensi per scripta nostra mandavimus ut eidem præscriptam præbendam sine difficultate conferrent, dilectos filios Abbatem sancti Auberti Cameracensis & collegas ipsius executores sibi nihilominus concedentes. In quorum præsentia pars adversa comparens, litteras quasdam exhibuit continentes quòd præbendam Præposito confirmaveramus eandem, sicut ipsam justè ac pacificè possidebat; per quas ipsum ab in-

tentione sua excludere nitebatur. Verùm judices attendentes confirmationem hujusmodi non valere, cùm præbendam illam Præpositus possidere non posset, & procedentes in nostri executione mandati, in corporalem possessionem præbendæ ipsum inducere curaverunt. propter quod pars adversa vocem ad nos appellationis iteratò emisit, quam, sicut & primam, persequi non curavit. Cùmque occasione illius possessionem ipsius Canonici per annum & amplius multipliciter perturbasset, idem ad Abbatem sancti Nicasij Remensis & conjudices suos nostras litteras impetravit. Qui ex Capituli relatione comperto quòd sibi periculosum existeret in Ecclesia residere, ipsi fecerunt securitatem præstari firmatam præstito juramento. Qua recepta, cùm crederet se securum, Præpositus & complices ejus in fratrem ipsius in Ecclesia coram altari astantem in die cœnæ Domini manus sacrilegas injecerunt, & tumultu exorto, auxilio Canonicorum & Presbyterorum astantium vix manus ipsorum effugere potuerunt. Ceterùm cùm coram dicto Abbate sancti Nicasij suisque collegis super hoc persequeretur jus suum, idem Præpositus ad Abbatem de Bergis & conjudices suos, nulla de ipso vel negotio memorato habita mentione, nostras litteras impetravit. Quos idem Canonicus habens certa ratione suspectos, utpote quorum unus Præposito erat affinis, & alter in eadem causa ipsius extiterat advocatus, eumque ad loca suspecta vocantes frequenter, præcipitabant sententiam excommunicationis in eum per contumaciam non absentem, & prædictum Præpositum à præfatis judicibus excommunicatum pro eo justitia exigente absolverant, licèt standi mandatis eorum cautionem juratoriam præstitisset, & nolebant supersedere negotio ad mandatum ipsorum, cùm super hoc nullam jurisdictionem habebant, ad nostram duxit audientiam appellandum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus si est ita, revocato in irritum quicquid occasione litterarum illarum, quæ per veritatem tacitam fuerant impetratæ, ab eisdem judicibus in ejus præjudicium inveneritis attentatum, memoratum Canonicum faciatis ejusdem præbendæ auctoritate nostra pacifica possessione gaudere, ac de damnis & injuriis irrogatis eidem satisfactionem debitam exhiberi, tam præfatum Præpositum quàm contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes. Non obstantibus aliquibus litteris quæ de his omnibus non faciant mentionem, & in quibus non contineatur insertum quòd de nostra certa scientia emanarint. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Laterani VIII. Kal. Maij, anno tertiodecimo.

FRATRIBVS MONASTERII Onienſis.

Epiſt. 69. Confirmatur concordia facta inter Episcopum Burgenſ. & monaſterium Onienſe. *Vide ſupra epiſt. 58. 59. & infra epiſt. 70.*

HIs nos convenit robur apostolicum impertiri quæ semel in contentionem deducta, judicio sunt vel concordia terminata; ne sopitæ querimoniæ revivisc ant, & relabantur iterum in recidivæ scrupulum quæstionis. Sanè cùm olim inter Ecclesiam vestram & bonæ memoriæ Victorem Burgensem Episcopum super tertiis decimarum quæstio suborta fuisset, tandem inter eos hujusmodi compositio intercessit, quòd videlicet memoratus Episcopus de suorum Canonicorum assensu concessit & confirmavit Iohanni tunc Onensi Abbati ejusque catholicis successoribus in perpetuum tertias decimarum in omnibus Ecclesiis suis quas idem Abbas eo tempore possidebat, necnon decimas quas usque tunc in villis de Arenis, Sant. Tamaio, Terminon, Ventretea, Solas, & Pelluegas recipere consueverat Episcopus memoratus. Præfatus verò Abbas, cum Capituli sui consensu, prænominato Episcopo & successoribus ejus villam Ribillam cum omnibus pertinentiis suis concessit perpetuò possidendam. Cùm autem nuper venerabilis frater noster Gar. Burgensis Episcopus & Lupus procurator vester, inter alias quæstiones utrinque propositas coram nobis, cœpissent super præfatis decimarum tertiis litigare, tandem compositionem præfatam memoratus Episcopus recognovit, eandem se velle servare proponens. Nos igitur vestris precibus inclinati, compositionem jam dictam, sicut piè ac providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, ad exemplar bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO ZAMORENSI, & Mauricio Archidiacono Toletano, & magistro Michaeli Canonico Segobiensi.

Epist. 70. De recipiendis testibus super præscriptione. *Vide suprà epist. 69.*

CVm Lupus procurator monasterij Oniensis proposuisset inter alia coram nobis ad illud in suis Ecclesiis ratione cujusdam transactionis inter ipsum & bonæ memoriæ Victorem Burgensem Episcopum olim initæ parrochiale jus integrè pertinere, ac venerabilis frater noster Burgensis Episcopus, successor ipsius, in eisdem quædam sibi jura parrochialia vendicaret, nos eandem causam sententiæ curavimus calculo terminare, prout in aliis litteris ad vos directis pleniùs continetur. Sed cùm lata sententia, procurator ipse ad probandum præscriptionem super quibusdam articulis fuisset à nobis per beneficium in integrum restitutionis admissus, cœpit nobis humiliter supplicare ut per in integrum restitutionis auxilium eum ad probandum admittere dignaremur quòd Burgensis Ecclesia ratum habuit & consensit ut Oniense monasterium in omnibus Ecclesiis quas tunc temporis possidebat, jus parrochiale in integrum obtineret, sicut per quandam transactionem asserebat sibi fuisse concessum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus recipiatis testes quos utralibet pars super prædicto ratihabitionis consensu duxerit producendos; & depositiones eorum super jamdicto recipientes articulo, quas per vos nulli penitùs volumus revelari, penes vos reservetis fideliter consignatas, donec negotio super ceteris ventilato, de ipsius processu per vos redditi fuerimus certiores, & per nostræ responsionis oraculum qualiter in ipso procedendum sit declaretur; cùm non hoc ipso quòd testes super dicto capitulo taliter recipi volumus ad cautelam intendamus adhuc in integrum restitutionis auxilium monasterio indulgere. Volumus etiam & mandamus quòd si causam eandem ad nostrum remiseritis examen instructam, attestationes hujusmodi simul ad nos cum aliis remittatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

AVRELIANENSI EPISCOPO, & Eleemosynæ Cisterciensis & Bonævallis Abbatibus.

Epist. 71. De electione Abbatissæ S. Aviti.

CVm post alia circa quæ super correctione monasterij sancti Aviti de mandato nostro providè processistis, Abbatissam ejusdem loci, prout erat exigente justitia faciendum, ab administratione suspensam excommunicationis quoque vinculo curaveritis innodare, ad depositionem ipsius, quamvis expedire plurimùm videretis, propter appellationem quæ ab ipsa dicitur interposita, sine conniventia nostra, sicut accepimus, procedere dubitastis. Quia igitur intelleximus Abbatissam prædictam à monasterio ipso meritò amovendam, eaque ibi præsidente vel residente, statum præfati monasterij commodè reformari non posse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eidem ab ipso prorsùs amotæ, juxta quod ordini & statui suo congruit, auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo provideri alibi facientes, injungatis sororibus monasterij supradicti ut per regularem electionem sibi præficiant personam idoneam in rectricem. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Laterani v. Nonas Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

HERVEO TRECENSI EPISCOPO.

Epist. 72. De quibus præbendis Trecensi. Cap. Dilecto. De præbend.

DIlecto filio nostro Petro tituli sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinale dilectis filiis R. de Avalon Cellarario Senonensi & R. de Noa Clerico procuratori tuo auditore concesso, idem Cellararius proposuit corã eo quòd cùm bonæ memoriæ Guillelmus Remensis Archiepiscopus, tunc apostolicæ sedis Legatus, ad Trecensem accessisset Ecclesiam, in qua G. nepoti suo præbendam concedere intendebat, cùm nulla penitùs vacaret ibidem, dictus Cellararius, non tam ei quàm nobis etiam cupiens in hac parte placere, præbendam quam in ipsa obtinebat Ecclesia in ejus manibus resignavit. Qui liberalitati ejus volens postmodum grata vicissitudine respondere, de Capituli Trecensis assensu, præsente quoque venerablili fratre nostro Senonensi Archiepiscopo, tam præfatum nepotem suum quàm etiam Cellararium in Canonicos Trecenses instituit; & ambobus idem Capitulum stallum in choro & locum in Capitulo assignavit. Quibus idem Remensis Archiepiscopus fructus supradictæ præbendæ tamdiu dividendos communiter assignavit donec præfatus G. integrum esset præbendale stipendium assecutus, in eos qui contravenire præsumerent excommunicationis sententia promulgata, quorum receptionem generalis procurator bonæ memoriæ prædecessoris tui in Constantinopolitanis partibus

tunc agentis postmodum approbavit. Vnde dictus Cellararius in eadem Ecclesia lectiones & evangelium in hebdomada sua postea legisse dinoscitur, & tam Decani quàm Episcopi electioni & aliorum negotiorum tractatibus sicut Canonicus Trecensis interfuit, & domum quandam per Capitulum memoratum obtinuit quæ non nisi Canonico consueverat assignari. Tu quoque cùm ad eandem accessisti Ecclesiam consecratus, dictum Cellararium cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cùm tamen tunc temporis nonnisi Canonici ad osculum admittantur, & eidem super prædictis non movisti per biennium quæstionem. Vnde petiit ut te ab ipsius super hoc molestatione indebita compescere dignaremur. Verùm dictus R. procurator tuus proposuit ex adverso quòd cùm idem Cellararius præbendam suam in præfati Remensis Archiepiscopi manibus resignasset, ipse de * medietate illius nepotem suum, & de medietate alia dictum Cellararium investivit; quam adhuc detinere præsumit in tuum præjudicium & gravamen, non permittens te liberè de ipsa disponere, prout ad te dinoscitur pertinere. Et licèt ad dilectos filios Decanum & magistros G. Cornutum Parisiensem & S. Remensem Canonicos super hoc nostræ fuerint litteræ impetratæ, Cellararius demum ad nos frustratoriè appellavit, ut te posset gravare laboribus & expensis. Idem quoque proposuit procurator quòd cùm in Trecensi Ecclesia institutus olim fuerit certus Canonicorum numerus & Capituli juramento firmatus, supradictus Archiepiscopus, qui etsi Legatus fuisset in Theutonia, in Senonensi tamen provincia eidem non fuit officium legationis injunctum, institutionem hujusmodi facere non potuit ut Legatus; quin immo etsi Legatus in eadem provincia extitisset, ad unicum tamen spirituale jus, quod vacabat ibidem, duos insimul Canonicos instituere sibi non licuit contra canonicas sanctiones. Nam si duo unicam præbendam haberent, id esset contra Turonense Concilium, quod præbendarum inhibet sectionem. Si verò duobus in Canonicos & fratres receptis, uni tantummodo præbenda daretur sub expectatione, alius contra Lateranense Concilium remaneret. Præterea, licèt in Ecclesia in qua non est certus numerus præbendarum, nulla etiam præbenda vacante, in Canonicum quis possit assumi, cùm intelligatur ad quoddam jus eligi quod ex electorum assensu de novo creatur, & cum electo in Canonicum nascitur, & desinit cum defuncto, in Ecclesia tamen quæ determinatum habet numerum præbendarum, uno duntaxat individuo jure vacante, duo insimul eligi non possunt ad illud, cùm hujusmodi spirituale jus dividi seu communicari nequeat inter eos. Quamquam interdum ij ad quos spectat electio, de communi consensu augmentare valeant numerum præbendarum, quoddam jus spirituale de novo creando; nisi fortè statutum aliquod obviaret, quod esset juramento firmatum, vel cui sedis apostolicæ confirmatio accessisset, hujusmodi clausula prohibitionis adjecta, ut si quicquam contra id fieret non valeret. Propter quod institutionem præfatam nullam fuisse dictus asseruit procurator, cùm in Trecensi Ecclesia, sicut præmissum est, certus sit præbendarum numerus, quem Capitulum vel Legatus augmentare minimè intendebat, vel jus aliquod de novo creare. quod ex eo argui proponebat, quia non fuit unus ad vacantem præbendam & alius simpliciter institutus, sed ad præbendam unicam supradicto modo vacantem extiterunt ambo recepti. Sed nec Trecense Capitulum, ad quod præbendarum collatio nullatenus pertinebat, vel dictus procurator prædecessoris tui, receptionem hujusmodi approbare potuit, utpote contra canones attentatam. Tibi quoque nequaquam obfuisse dicebat quòd Cellararium præfatum ad osculum inter Canonicos Trecenses admiseras, vel quòd aliquanto tempore super hoc negotio siluisti, cùm tunc temporis Ecclesiæ tuæ consuetudines, & quæ in ea minùs legitimè facta fuerant, ignorares. Ad hæc autem Cellararius sic respondit, quòd cùm idem Archiepiscopus in Trecensi Capitulo suæ legationis litteras legi fecerit, & Legatus eo tempore ab omnibus haberetur, an Legatus in illa provincia fuerit, non debebat ulteriùs in dubium revocari; maximè cùm tu in prædictis litteris, quas obtinueras contra eum, memoratum Archiepiscopum Legatum duxeris nominandum. Adjecit insuper, quòd licitè quis ad spiritualem fraternitatem eligi potest in Canonicum & in fratrem, nulla etiam præbenda vacante, argumentum ad hoc cujusdam epistolæ decretalis inducens, in qua legitur quòd cùm T. Clericus, nulla in Lingonensi Ecclesia præbenda vacante, ab Episcopo & Canonicis Lingonensibus supradicti Archiepiscopi judicis delegati à nobis interveniente auctoritate in Canonicum receptus fuisset & fratrem, ita quòd nullius

* In quart. coll. medietate una dictum G. nep.

Cap. Dilectus. De præbendis.

præbendæ fructus perciperet nisi loco proximo vacaturæ, nos attendentes quòddictum T. in Canonicum & fratrem recipi non occurrebat canonicis institutis & vacaturam expectare præbendam Lateranensi Concilio non esset dubium obviare, illicito reprobato, quod licitum erat duximus approbandum. Vnde cùm videretur indignum ut is qui receptus erat in Canonicum & in fratrem, præbendæ beneficio fraudaretur, Episcopo & Canonicis Lingonensibus dedimus in mandatis ut si res taliter se haberet, eidem T. præbendam, cùm se facultas offerret, assignare curarent. Allegavit insuper quòd ab apostolica sede frequenter hujusmodi litteræ impetrantur, ut in Ecclesia, in qua certus est numerus præbendarum, nulla præbenda vacante recipiatur quis in Canonicum & fratrem, & eidem præbenda, cùm se facultas obtulerit, conferatur. Item licèt Turonense Concilium sectionem inhibeat præbendarum, nihilominus tamen Romana Ecclesia receptionem eorum qui ad dimidias præbendas assumpti sunt in Canonicos approbando, nonnunquam sectas præbendas eis præcipit integrari. Sed ad hoc fuit ex adverso responsum quòd etsi Romanus Pontifex dimidiatam quoad temporales proventus præbendam contra Concilium Turonense illi quandoque præcipiat integrari cui jus spirituale vacans fuerat cum debita integritate collatum, pro eo tamen quòd ad hujusmodi jus dimidium de facto, cùm de jure non valeat, est receptus, id mandare minimè consuevit, & ex plenitudine potestatis ad unicum jus spirituale non vacans aliquem recipi utilitate vel necessitate pensata valeat indulgere; sicut de Augustino in canone invenitur, qui novo modo provectus & consecratus Episcopus, incolumi Valerio Episcopo Ecclesiæ Hipponensi accessit in cathedra, non successit. Et sicut de non vacante præbenda, concessa tamen & confirmata per Romanum Pontificem, cuidam Clerico in Ecclesia Lingonensi & per executorem ipsius ad eandem etiam non vacantem recepto, in præallegata legitur decretali, præfatus tamen Archiepiscopus, qui et si Legatus fuisset in provincia, absque nostra saltem licentia speciali contra juris scripti tenorem ad unicum jus spirituale quod vacabat in Ecclesia supradicta, in qua certus erat numerus præbendarum, instituere non potuit nepotem & Cellararium supradictos, cùm hoc non solummodo Turonensi sed etiam Lateranensi Concilio obviaret; maximè cùm nec novum jus creare intenderet, nec præbendarum numerum augmentare. quod inde colligitur, quia resignatione Cellararij procurata, eosdem instituit ad unicam præbendam vacantem. Vnde nos his & aliis intellectis, Cellararium antedictum, quem præfatam præbendam constitit priùs liberè resignasse, ad restitutionem eorum quæ ratione supradictæ investituræ tenebat de consilio fratrum nostrorum sententialiter duximus condemnandum, ei super præbenda ipsa vel ejus parte silentium imponentes; ita quòd per hoc supradicto G. nullum præjudicium generetur, maximè cùm res inter alios acta non noceat regulariter aliis juxta canonicas & legitimas sanctiones. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c. *usque* incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Kalen. Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Cap. *Non autem.* 7. q. 1. c. 12.

EPISCOPO, ET I. ARCHIDIACONO, & magistro N. de Duaco Canonico Catalaunensi.

Dilecto filio nostro Petro tituli sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali dilectis filiis R. de Avalon Cellarario Senonensi & R. de Noa Clerico procuratori venerabilis fratris nostri Trecensis Episcopi auditore concesso &c. *ut in alia usque* bonæ memoriæ prædecessoris supradicti Episcopi Trecensis Constantinopolitanis partibus &c. *ut in alia usque* assignari. Episcopus quoque, cùm ad eandem accessit Ecclesiam consecratus, dictum Cellararium cum Canonicis aliis ad osculum dinoscitur recepisse, cùm tamen &c. *ut in alia usque* super prædictis non movit per biennium quæstionem. Vnde petiit ut Episcopum ipsum ab ipsius super hoc &c. *usque* dignaremur. Verùm dictus R. procurator ejusdem Episcopi proposuit ex adverso quòd cùm &c. *ut in alia usque* præsumit in memorati Episcopi præjudicium & gravamen, non permittens eum liberè de ipsa disponere, prout ad se dinoscitur pertinere. Et licèt &c. *usque* frustratoriè appellavit, ut Episcopum ipsum posse &c. *usque* vel dictus procurator prædecessoris ipsius Episcopi receptionem hujusmodi &c. *ut in alia usque* attentatam. Ipsi quoque Episcopo nequaquam obfuisse dicebat &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* duxerit nominandum. Adjecit insuper &c. *ut in alia per totum usque* sanctiones. Quocirca

discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod est à nobis sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Quòd si omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum ut in alia per totum.

ROFFENSI ET SARESBERIENSI Episcopis.

Epist. 74. De dotalitio B. Reginæ Anglorum. Vide lib. 12. epist. 125 124.

VTinam [carissimus in Christo filius noster] Iohannes [Rex] Angliæ, nostris acquiescens monitis & consiliis, sic regeret semetipsum ut nos, qui de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta ejus salutem diligimus & honorem, in ipsum non cogeret ecclesiasticam exercere censuram, nec contra se divinam iracundiam provocaret illis injurias inferendo quibus impertiri deberet gratiam & favorem. Compellimur etenim vel inviti scribere contra eum, qui toties nostra monita præteriit aure surda, ut querela carissimæ in Christo filiæ Berengariæ quondam Anglorum Reginæ illustris indicat sæpe sæpius nostris auribus inculcata; à cujus clamore nec possumus nec debemus avertere aures nostras, qui sumus omnibus in justitia debitores; illius vicem, licèt immeriti, gerentes in terris qui hominis personam non accipit, sed cum tranquillitate judicans, facit misericordiam & judicium omnibus injuriam patientibus, & reddit retributionem superbis. Sæpe namque ipsum recolimus monuisse ut suæ saluti consulens & honori, eidem Reginæ super dotalitio suo, medietate mobilium inclitæ recordationis Regis Richardi fratris sui, & quibusdam aliis quæ ipsa sibi competere asserit, satisfaceret competenter. Sed quia nec id curavit efficere, nec coram judicibus illis quibus negotium ipsum pluries dinoscimur commisisse, ipsi justitiam exhibuit super eis, nos tandem ipsi dedimus in mandatis ut usque ad festum nativitatis beatæ Mariæ proximò tunc venturum per procuratorem idoneum nostro se conspectui præsentaret, exhibiturus præfatæ Reginæ vel procuratori ejusdem super præmissis & aliis, si qua fortè adversùs eum duceret proponenda, quod ordo posceret rationis. Ipse verò, licèt dilectus filius Prior Wigornienſis de mandato venerabilis fratris nostri Wigornienſis Episcopi exhibitis ei litteris nostris præfatum terminum ex parte nostra sibi peremptorium assignarit, sicut venerabilis frater noster Elienſis & præfatus Wigornienſis Episcopi, quibus super hoc direximus scripta nostra, per suas nobis litteras intimarunt, id tamen facere contempsit omnino, procuratore ipsius Reginæ ad prædictum terminum ad sedem apostolicam accedente, ac per quatuor menses & ampliùs expectante. Nos igitur in nostræ salutis dispendium nolentes ulteriùs deferre homini contra Deum, ipsum per litteras nostras monuimus & exhortati sumus attentiùs, in virtute spiritus sancti eidem firmiter injungentes ut usque ad sex menses post susceptionem litterarum nostrarum aut præfatæ Reginæ satisfaceret congruè de prædictis, aut componeret, si fieri posset, amicabiliter cum eadem, vel per sufficientem & idoneum responsalem apostolico se conspectui præsentaret, exhibiturus eidem vel ejus procuratori super his & aliis quæ adversùs eum duceret proponenda justitiæ complementum. Alioquin ex tunc civitates, villas, castra, & maneria quæ ad dotalitium præfatæ Reginæ spectare noscuntur, in ipsis litteris suis nominibus annotata, licèt ex alia causa suppositа sint sententiæ interdicti, propter hoc tamen pari sententia specialiter decrevimus alligata; ut in omnibus illis nequaquam interdicti sententia relaxetur, donec super hoc idem Rex satisfecerit competenter. Dantes vobis districtè nihilominus in præceptis ut humana gratia & mundano timore postpositis eandem publicaretis sententiam, & faceretis sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo auctoritate nostra firmiter observari. Vos autem, licèt pridie Idus Iulij proximò præterito, sicut ex litteris vestris accepimus, nostras curaveritis eidem litteras præsentare, & ipsarum continentiam sibi exposueritis diligenter, & idem nec præfatæ Reginæ satisfecerit, nec amicabiliter composuerit cum eadem, nondum tamen ad publicationem ipsius sententiæ processistis, pro eo quòd vobis non constitit Regem præfatum infra sex menses non direxisse, juxta nostri mandati tenorem, ad nostram præsentiam responsalem. Cùm igitur à tempore quo sibi nostras litteras præsentastis novem mensium spatium & ampliùs sit elapsum, nec Rex idem ad præsentiam nostram propter hoc aliquem direxerit responsalem, procuratore Reginæ diutiùs expectante, ac eadem per decennium & ampliùs post nos clamaverit incessanter, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus humano favore ac timore postpositis, ad pu-

blicationem ejusdem sententiæ ac observationem ipsius, juxta priorum continentiam litterarum, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo procedatis; præceptum nostrum taliter impleturi quòd plus Deo quàm homini deferre probemini, & vestra possit inde obedientia meritò commendari. Qualiter autem in executione præcepti apostolici processeritis, tam nobis quàm sæpefatæ Reginæ curetis litteris vestris fideliter intimare. Quòd si non ambo &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani IV. Idus Maij, anno tertiodecimo.

EPISCOPO, ET MAGISTRO Florentio Archidiacono Zamorensi, & Abbati de Morerola Zamorensis diœcesis.

Epist 75. Scribitur pro Episcopo Portugalensi. *Vide supra epist. 57.*

GRaves oppressiones & enormes injurias à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Portugallensi venerabili fratri nostro Portugalensi Episcopo irrogatas nec ipse propter hoc ad sedem apostolicam coactus confugere quasi nudus præ ipsarum multitudine facilè nobis potuit viva voce sub compendio brevitatis exponere, neque nos vobis præsenti pagina recensere. Cùm enim super variis gravaminibus quæ præfatus Rex exercuerat in eundem, dudum compositio inter eos mediantibus delegatis nostris celebrata fuisset, quam idem Rex, sicut patet ex authentico suo scripto, promisit se fideliter servaturum, ipse demum super articulis contentis in ea veniens contra ipsam, adversùs memoratum Episcopum graviores innovavit calumnias, & sæviores angustias instauravit. Indignatus siquidem ei pro eo quòd illicitis nati sui nuptiis interesse ac eidem transeunti per civitatem processionem facere denegavit, post appellationem ad nos interpositam domos quorundam Canonicorum ipsi Episcopo assistentium fecit dirui, ac eis præbendas & equitaturas auferri, seras portarum Ecclesiæ violari, excommunicatos in Ecclesiam intromitti, defunctorum in interdicto corpora sepeliri, & eundem Episcopum ac Decanum aliosque tribulationis suæ consocios in episcopali domo quinque penè mensibus per portarium suum & burgenses Portugalenses sic atrociter obsideri ut non solùm facultatem exeundi de ipsa, verùm etiam superveniente infirmitate ad confitendum & adorandum sacerdotis & crucis copiam nequiverit obtinere, donec multis dehonestatus opprobriis, & magnis periculis circumseptus, inter hæc omnia Canonicis & Portionariis Portugalensis Ecclesiæ post interdictum in appellationis nostræ contemptum ad cumulum doloris sui divina solemniter celebrantibus, compulsus est nuntiis Regis dicere quòd se illius exponeret voluntati. Qui sic demum à custodia liberatus, intelligens quòd Rex eum ad compositionem iniquam & appellationum renuntiationem intenderet coarctare, nocturnæ fugæ præsidio, recursurus ad nos, regni sibi præclusos exitus vix evasit. Præfatus autem portarius bona episcopatus invadens & in suos ac regios usus expendens, hominem quem dictus Episcopus ad necessaria sibi deferenda transmiserat carceravit. Cùm igitur hæc & alia quæ contra sæpefatum Episcopum & Ecclesiam, immo Deum, per eundem Regem enormiter attentata dicuntur, ex injuncto nobis apostolatus officio corrigere teneamur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus ipsum ad restitutionem ablatorum & satisfactionem injuriarum super his & aliis tam debitam quàm plenariam Episcopo, Decano, & aliis ejus sociis impendendam, necnon etiam observandam compositionem prædictam monere prudenter & efficaciter inducere procuretis. Qui si forsan infra tempus quod ei duxeritis præfigendum id non curaverit adimplere, ex tunc eidem ingressum Ecclesiæ ac universa interdicatis ecclesiastica sacramenta, prohibentes in locis ad quæ ipse devenerit, eo præsente divina officia celebrari. Et si nec sic duritia sua poterit emolliri, per litteras vestras hoc nobis intimare curetis; ut si morbum, quod absit, contigerit aggravari, ad curationem ipsius graviori medicina, quemadmodum expedierit, insistamus. Dictum autem portarium & M. Martini ac G. servientes ipsius, necnon I. Album, P. Feudum. Tirou. & omnes alios quos constiterit præfatum Episcopum ac Decanum & ejus socios inclusos in domo sua temerè tenuisse, cùm & idem portarius quendam ejusdem Episcopi Subdiaconum vinctum catena ferrea tenuisse dicatur, tamdiu denuntietis excommunicationi subjectos & ab omnibus faciatis tanquam excommunicatos arctiùs evitari donec passis injuriam satisfecerint competenter & cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem accesserint apostolicam absolvendi; sententiam ipsam singulis diebus dominicis ac festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per totam Portugalensem diœcesim facientes solemniter innovari,

innovari, sollicitè providendo ut præceptum apostolicum taliter impleatis quòd Deum videamini potiùs quàm hominem revereri; ne, si aliter ageretis, negligentiam vestram cum exactissima pœna requirere cogeremur. Volumus insuper & præcipimus ut circa omnia quæ præmissa sunt, tam super principalibus quàm super incidentibus, appellatione postposita procedatis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani III. Idus Maij, anno tertiodecimo.

PORTVGALENSI EPISCOPO.

Epist. 76. De eadem re.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter te ac carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Portugalensem super articulis comprehensis in ipsa mediantibus venerabili fratre nostro Zamorensi Episcopo & collegis ipsius delegatis à nobis providè celebratam & ab utraque parte sponte receptam, sicut in authentico scripto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. cujus » tenor est talis. SANCIUS Dei gratia Portugalensis Rex M. eadem Zamorensi Episcopo & magistro P. Legionensi & I. Zamorensi Decanis salutem & sinceram dilectionem. A memoria vestra non credimus excidisse quòd super negotio quod inter me & Portugalensem Episcopum vertitur, in hunc modum mihi litteras destinastis. Illustrissimo ac venerabili Domino Sancio Dei gratia Portugalensi Regi M. eadem Zamorensis Episcopus & magister P. Legionensis & I. Zamorensis Decani salutem & promptum devotionis famulatum. Notum facimus excellentiæ vestræ quòd nos, mediantibus procuratoribus vestris, Portugalensem Episcopum ad talem induximus compositionis modum, inspecto priùs diligenter summi Pontificis rescripto, ut vos priùs ipsum Episcopum & suos in plenitudine gratiæ vestræ bona fide recipiatis, super quo ei tam apertas litteras quàm alias similes judicibus transmittatis, & episcopatum suum cum debita integritate eidem & patrimonium suum cum inde ablatis restituatis; de causis religiosorum & quorumcunque Clericorum episcopatus sui vos non intromittetis per vos vel per homines vestros, nisi requisitus ab eo, & ab omni ipsorum gravamine deinceps desistetis; & si causam vel querimoniam adversùs aliquem de prædictis habueritis, non per vos, sed per eum, justitiam consequemini; si autem adversùs Episcopum vel adversùs suos per Archiepiscopum vel per summum Pontificem tantùm, si ad eum appellatum fuerit, vobis, nisi cum eo aliter conveneritis, satisfaciet; & vobis non recipientibus in protectione vestra contra eum aliquem de suis subditis, nec in aliquo amodo eum gravantibus, neque impedientibus, omnia quæ ad eum & ad officium ejus & ad jus Ecclesiæ suæ pertinent habeat, liberè exerceat & quietè. Statuimus præterea cum præfato Episcopo ut vos ei, quum ad excellentiam vestram destinaverit, equitaturas suas & supellectilia & alia quæ in civitate Portugalensi & ejus patrimonio inventa fuerint ad ipsum & ad suos pertinentia restitui, & P. Roderici Militem absolvi facietis. De his verò quæ ad præsens inveniri non poterunt, quæ ad ipsum vel ad suos spectare noscuntur, sic dispositimus; ut à die qua vos viderit, vel vobis innotuerit per nuntium ejus ipsum Portugalensem civitatem intrasse, quando & ipse debet pro se & pro judicibus episcopatum ab interdicto absolvere, usque ad duos menses ipsi Episcopo & suis plenariam restitutionem, nam jura sic postulant, facietis. De satisfactione verò sibi exhibenda celsitudinis vestræ discretioni committet, si circa restitutionem sibi faciendam & alia quæ diximus vos promptum invenerit & benignum; ut vestra honestate ac sua pensata, & Dei timore præ oculis habito, quomodo satisfaciendum videritis satisfactionem exhibere curetis. Et si prædicta, quæ pro bono pacis & honestate regia tractavimus, majestati vestræ placuerint, per litteras vestras apertas nobis & per alias Domino Portugalensi voluntatem vestram intimare omnino non postponatis. Si autem placuerint, & aliquod de præmissis per vos, quod non credimus, omissum fuerit, apostolici rescripti coërtio, circa ea quæ defectum patientur, in suo statu apud nos interim perdurabit; ita ut medio tempore nec vobis nec ipsi liceat super causa quæ inter vos & ipsum vertitur ad appellationis diffugium convolare. Addidimus etiam præterea, ut fabricam ipsius Ecclesiæ cum omnibus pertinentiis suis Ecclesiæ liberè relinquatis. Ipsa enim Ecclesia debet de ipsa fabrica disponere prout viderit expedire.] Vestram igitur discretionem

» indubitanter certifico quòd omnes prædi-
» ctos articulos compositionis inter me &
» Portugalensem Episcopum factæ admitto
» gratanter & approbo, & promitto firmiter
» me in omnibus & per omnia sine dubio fi-
» deliter servaturum. Si verò, quod Deus
» avertat, à die qua ipse intraverit super his
» quæ inventa non fuerint in episcopatu con-
» tentio aliqua de restitutione facienda e-
» merserit, concedo ei securitatem bona fi-
» de & hominibus atque rebus ejus eundi &
» redeundi ad vos, quotiens voluerit, pro
» sua justitia super restitutione illorum quæ
» defuerint consequenda.] Nulli ergo omni-
no hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DVRANDO DE OSCA, & Willelmo de S. Antonino, eorumque fratribus in fide catholica permanentibus.

Epist. 77. De negotio Durandi de Osca & sociorum. *Vide supra epist.* 63. *& infra epist.* 78. 94.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate præsentium inhibemus ut nullus vobis qualibet violentia vel surreptionis astutia in Præpositum præferatur nisi quem vos cum consilio diocesani Episcopi, virum quidem idoneum, in fide recta, sana doctrina, & honesta conversatione probatum, duxeritis eligendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS Terraconensis Ecclesiæ.

Epist. 78. De eadem re.

CVm inæstimabile pretium sanguinis Iesu Christi teneamur in animabus redemptis ex injuncto nobis apostolatus officio custodire, non solùm veraciter pœnitentibus clementer impendere veniam nos oportet, verùm etiam pertinaciter delinquentes instanter ad pœnitentiam provocare; ne si vel his paternam consuetudinem, vel illis sollicitudinem subtraxerimus pastoralem, tot videamur ejusdem pretij redemptioni subtrahere quot in salvatione ipsius nostra potuissemus vigilantia conservare. Quapropter venientes dudum ad apostolicam sedem dilectos filios Durandum de Osca & Guillelmum de sancto Antonino & Iohannem de Narbona & Ermengaudum & Bernardum Biterrenses & Raymundum de sancto Paulo & Ebrinum ac socios eorum paterna benignitate suscepimus, & ea quæ nobis tam pro se quàm pro fratribus suis exponere curaverunt pleno concepimus intellectu. Ex his ergo quæ nobis de articulis fidei & sacramentis Ecclesiæ diligenter examinati dixerunt cognovimus eos fidem sapere orthodoxam & catholicam astruere veritatem. Ad majorem tamen expressionem, appositis evangeliis, & scripto confessionis eorum imposito super illa, recepimus ab eis hujusmodi juramentum. *Ego*, inquit *Durandus de Osca* &c. *ut suprà lib.* XI. *epist* CXCVI. Scriptum autem confessionis eorum est tale. *Pateat omnibus fidelibus &c.* ut suprà paucis mutatis, quæ illic adnotata sunt in margine, usque *Ecclesiæ debitas persolvendo.* Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio, per apostolica vobis scripta mandavimus ut recepto à ceteris fratribus simili juramento, reconciliaretis eos ecclesiasticæ unitati, & denuntiaretis eos verè catholicos ac rectè fideles, in præscriptis & aliis ipsos secundùm Deum ab omni scandalo & infamia servantes immunes, & in litteris testimonialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer juvaretis. Quia verò, sicut accepimus, occasionis prætextu quòd mandatum hujusmodi communiter suscepistis, ad reconciliationem illorum qui sub præscripta forma reconciliari Ecclesiæ poposcerunt nondum à vobis fuit processum, uno se per alium excusante, qua de causa multi qui humiliter petierunt intrare, hactenus remansisse foras Ecclesiam asseruntur, nolentes, sicut etiam nec velle debemus, ut qui trahi gratia divina creduntur, per duritiam vestram ab infinita Dei misericordia repellantur, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu, frater Archiepiscope, cum quolibet aliorum constitutos in Terraconensi provincia hujusmodi pœnitentes juxta præscriptam formam appellatione remota reconciliare procures; circa præfatum Durandum de Osca & Vuillelmum de sancto Antonino ac eorum socios secundùm præmissum mandatum nihilominus procedendo, eis autem in fide recta & sana doctrina

manentibus exhortandi licentiam tribuentes competentibus horis & locis. Datum Laterani 1 v. Idus Maij, anno tertiodecimo.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo & suffraganeis Ecclesiæ Narbonensis. Datum ut in alia per totum.

PRIORI ET CANONICIS sanctæ Catharinæ Waterfordensis.

Epist. 79. Recipiuntur sub protectione apostolicæ sedis. Vide infrà epist. 91.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam sanctæ Catharinæ Waterfordensis & personas ibidem Domino famulantes, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam atque institutionem fratrum domus sancti Victoris Parisiensis in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Specialiter autem insulam extra muros Waterfordiæ, in qua sita est Ecclesia ipsa, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Kiloteran cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Inesbrie cum Killolonan & una carrucata terræ ac aliis pertinentiis suis, Ecclesiam de Kilcronete cum omnibus pertinentiis suis, Mullochpissi cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Baliclierechan cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Fidum cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Kilmedimoc cum omnibus pertinentiis suis, & omnia ecclesiastica beneficia de Odagatha Omilim cum omnibus pertinentiis suis, & unam piscariam in Odagatha Omilin, & duas piscarias apud Fidum, & unum mesuagium cum horto suo, & quandam terram apud Inesbric ad grangiam construendam, quam nobilis vir Helias filius Normanni pia vobis liberalitate concessit, sicut in ipsius authentico plenius continetur, & Capellam de Radlathgenam cum pertinentiis suis, & unum mesuagium cum sex acris terræ, & duo curtilagia inter insulam & muros Waterfordiæ, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani 11. Idus Maij, anno tertiodecimo.

HVGONI RAYMVNDI Canonico Ebredunensi.

Epist. 80. Absolvitur ab impetitione cujusdam mulieris.

CVm M. mulier Bononiensis, quæ te in præsentia dilecti filij nostri Gualæ sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, quem ipsi & tibi concessimus auditorem, petebat in virum, tandem post altercationes multiplices coram venerabili fratre nostro Tusculano Episcopo libera & spontanea voluntate continentiæ votum emiserit, & tu militaturus Domino in clericali proposueris ordine permanere, à nobis humiliter postulasti ut tibi super hoc paterna dignaremur in posterum sollicitudine providere. Volentes igitur quieti & honestati tuæ de consueta sedis apostolicæ providentia præcavere, tam votum mulieris prædictæ quàm propositum tuum gratum habentes & ratum, & cùm pro matrimonio, quod te secum contraxisse dicebat, nihil coram auditore probaret, te ab impetitione absolventes ipsius, ne occasione hujusmodi matrimonij molesteris ulteriùs ab eadem, auctoritate apostolica inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei ausu &c. Si quis autem hoc &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 1 v. Nonas Iunij, anno tertiodecimo.

ROBERTO ABBATI Monasterij sancti Martini Troarnensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 81. Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Martini de Troarno, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem

temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, burgum Troarnense cum honore ac omnibus appendiciis suis, Ioanvillam, sanctum Paternum, cum Ramat, Toffrevill, Salnervill, Lirrosa, Bures, cum mariscis, boscis, terrariis, piscariis, pasnagiis, vineis, pascuis, pratis, guarandis, mercatis, teloneis, nundinis, molendinis, & aliis libertatibus, immunitatibus, consuetudinibus, & pertinentiis suis, Ecclesias de sancta cruce, de sancto Ægidio Troarnensi, de Ioanvilla, de sancto Paterno de Toffrevill, de Salnervil, de Lirrosa, de Buris, & de sancto Silvino, & Capellas de Reinerij Manill & de Folletot ab episcopali jurisdictione per amicabilem compositionem exemptas, Ecclesias de Fontenet, de Varavill, & de Castrovir, & quicquid ex concessione venerabilium fratrum nostrorum S. Sagiensis & L. prædecessoris ipsius ac bonæ memoriæ .. Baiocensis Episcoporum habetis in eis. Ecclesiam, decimam, & burgum sancti Samsonis, prioratum de Deserto, maneria de Tallevill, de Diva, de Olnebach, de Cantapia, de Clevill, de Caigneio, de Raimbhom cum tota insula, de Goleto, & de Rigisvill. Et in Anglia, maneria de Horseleia & de Rongentõn, cellas, Capellas, redditus, & proventus, ac alia, quæ scilicet prædictorum maneriorum ratione ad vestrum monasterium spectare noscuntur, cum omnibus libertatibus & immunitatibus suis. Ecclesiam de Airam, Ecclesiam de Lengronia, Ecclesiam de Trumo, Ecclesiam de Croceio, Ecclesiam de Piru, Ecclesiam de Grantevill, Ecclesiam de Gisnervill, Ecclesiam de Dumovill, Ecclesiam de Han, Ecclesiam de Calidoloco, Ecclesiam de Agerneio cum duabus garbis decimę ipsius villæ, Ecclesiam de Milleio, Ecclesiam de Campegnol, Ecclesiam de Beneio, Ecclesiam de Retuleio, Ecclesiam de Praeriis, Ecclesiam de Muscampis, Ecclesiam sancti Hippolyti, Ecclesiam de Burceio, & Ecclesiam de Caravill cum decimis, Capellis, obventionibus, & aliis quæ habetis in ipsis, Capellam sanctæ Margaritæ de Ponceio, Capellam de Roca, Capellam sancti Thomæ, Capellam sancti Michaëlis de Bosco, & Capellam sancti Blasij de Vlmo, cum adjacenti grangia, & aliis pertinentiis earundem. Ecclesiam de Caigneio, cum quibusdam terris & decimis. In Anglia Ecclesiam de Weneloch, Ecclesiam de Malpedra, & Ecclesiam sancti Andreæ de Witeherst, cum decimis & aliis pertinentiis suis, grangiam de Malni, grangiam de Casteller, & grangiam de Clevill, Capellam de Deserto, cum decimis & aliis pertinentiis suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, de claustro vestro discedere. Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne ullus in vos vel monasterium vestrum excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa proferre seu novis & indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano susciptietis Episcopo; siquidem catholicus fuerit, & communionem & gratiam sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea voluerit vobis sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem communionem & gratiam apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parrochiæ vestræ nullus sine assensu Episcopi diocesani & vestro Capellam seu oratorium de novo construere audeat. Salvis privilegiis Pontificum Romanorum. In parrochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam

animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars major consilij sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica inhibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Libertates quoque & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas & hactenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Kalend. Iunij, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertiodecimo.

GNEZNENSI ARCHIEPISCOPO, & universis suffraganeis ejus.

Epist. 82. De statuto quodam facto à Duce Poloniæ.

SIgnificavit nobis dilectus filius nobilis vir Dux Zlesiæ quòd cùm [Boleslaus] quondam Dux Poloniæ certam dederit singulis filiorum suorũ in Polonia portionem, principalem civitatem Cracoviæ majori natu reservans instituit ut semper qui esset de ipsius genere prior natu, civitatem teneret eandem; ita quòd si major decederet, vel cederet juri suo, qui post eum de toto genere major esset, ipsius civitatis possessionem intraret. Hoc autem perpetuis temporibus observari præcipiens, per sedem apostolicam obtinuit approbari, omnes illos faciens excommunicatione percelli qui statutum hujusmodi auctoritate apostolica roboratum præsumerent violare. Vnde nobis humiliter supplicavit ut nostris vobis daremus litteris in mandatis quòd nec vos ipsi statutum violaretis hujusmodi, nec permitteretis ab aliis violari, illos qui contravenire præsumerent anathematis sententia ferientes. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus institutionem de majoritatis præminentia, sicut ad utilitatem & pacem totius provinciæ dinoscitur esse facta, faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari, contradictores censura simili compescentes. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus nostri no tertiodecimo.

Vide Dlugossum lib. 4. hist. Polonica pag. 405. & lib. 6. pag. 536.

FREDERICO ILLVSTRI Regi Siciliæ.

Epist. 83. Vt Cathan. Episcopum recipiat in gratiam.

CVm jam annos pueriles evaseris, decet te, fili carissime, actus deserere pueriles; & quanto tibi & regno tuo majora pericula imminent, tanto studiosiùs debes intendere ad illa fortiter evitanda. Consilia quoque discretorum & te diligentium debes diligenter amplecti, & inter ingratos ac bene notos discernere te oportet; ne minùs diligentes plus diligas, & qui te ferventiùs diligunt, illos remissioris caritatis brachiis amplexeris. Cùm enim venerabilis frater noster Cathanensis Episcopus regni Siciliæ Cancellarius te custodierit hactenus & nutrierit, ac pro defensione tua & regni tui labores & angores, anxietates & necessitates multiplices sustinuerit, nunc, si verum est quod asseritur, tot beneficiorum oblitus, à tua ipsum fa-

miliaritate recedere permisisti in scandalum & odium pariter plurimorum. Propter quod alij regni nobiles, dum eundem multis meritis præditum debita intellexerint remuneratione fraudatum, in tua fidelitate lentescent, & nonnulli se à tuis obsequiis subtrahent, qui ad ea ex ipsius poterant retributionibus provocari. Ex his enim quæ post ejus sunt sequuta recessum satis apparet utrum ejus præsentia tibi fuerit opportuna, & nisi quantocius revocetur, sequutura dispendia te plenius edocebunt. Vbi namque sunt illi qui tibi mendaciter suggerebant quòd illo repulso multi converterentur ad te qui propter familiarem ejus præsentiam à tuis se obsequiis subtrahebant? Vnde nisi hæc & alia quæ de te non absque dolore frequenter audimus celeriter reformare studueris, temetipsum ad uberioris frugis exercitium erigendo, non solùm tu gravia detrimenta percipies, sed & nos, licèt invitos, oporteret super hoc aliud cogitare, ne ob tuam negligentiam vel defectum Romana, quod absit, Ecclesia graviter læderetur, quæ pro te non solùm aliis, sed etiam Imperatori, se potenter opponit. Quocirca serenitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, sub obtentu gratiæ nostræ firmiter injungentes quatinus Cancellarium memoratum ad familiaritatem tuam nullatenus differas revocare, omnimoda sibi, quem sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, securitate provisa, ejusque consiliis devotus intendas; ut & ipse tot & tanta pro te sustinuisse se gaudeat, & alij ad similia provocentur; provisurus attentiùs ne quid à quolibet contra salutem & honorem ipsius valeat attentari: quia cùm nos ei districtè præcipiendo mandemus ut ad tuæ familiaritatis obsequium revertatur, si quid contra eum fieret à quocunque, nobis reputaremus inferri. Datum Laterani VII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CONSTANTIÆ ILLVSTRI Reginæ Siciliæ.

Epist. 84. De donatione ei facta propter nuptias.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tamquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Sanè cùm carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris, sicut in ipsius authentico super hoc confecto plenius contineri perspeximus, in dodarium seu donationem propter nuptias in Sicilia Carinum, quod in partibus Panormitanis existit, cum omnibus casalibus, tenimentis, & pertinentiis suis, in valle Demensi Caroniam, sanctum Filadellum, & sanctam Mariam cum omnibus casalibus, pertinentiis, & tenimentis eorum, necnon & omnia casalia in eadem valle Demensi consistentia quæ ad suum demanium pertinere noscuntur, insuper Oliverium & Montem Albanum cum omnibus casalibus & tenimentis eorum, in servitio verò sanctum Petrum de Ficara & castrum Ficariæ, Galatum, & Militellum, item Tauromenium cum omnibus tenimentis & pertinentiis suis tàm demanij quàm servitij, in partibus verò Apuliæ totum honorem comitatus Montis sancti Angeli, cum omni honore, jure, tenimentis & pertinentiis suis tam demanij quàm servitij, videlicet quod in demanio, in demanium, & quod in servitio, in servitium, in demanio siquidem Montis sancti Angeli, Siponti & Veste civitates atque Casale novum, in servitio autem omnia castra, villas, terras, casalia, & totum aliud quod ad honorem ipsius Montis dinoscitur pertinere, liberaliter tibi duxerit concedenda, nos tuis precibus inclinati, ad supplicationem ejusdem Regis concessionem ipsam, sicut providè facta est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XV. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

TVRONENSI ET BVRDEGALENSI Archiepiscopis, & Episcopo Pictavensi.

Epist. 85. Redditur pœnitens Presbyter pœnitenti.

EIus exemplo qui cùm iratus est, non obliviscitur misereri, nec suas continet miserationes in ira, sed postquam infuderit vinum, superinfundit & oleum vulneribus sauciati, & post virgam correctionis adhibet manus dulcedinis, quæ cum tabulis legis divinæ in arca fœderis reservantur, nos, qui dilectum filium Robertum de Sepulchro Presbyterum ex severitate percussimus, volentes ex benignitate sanare, cùm longo jam tempore impositam sibi pœnam in multa cordis & corporis humilitate portaverit, non sine magnis laboribus & angustiis, gravi pressus onere

paupertatis, apud sedem apostolicam misericordiam expectando, hanc cum eo duximus misericordiam faciendam ut ad executionem restituatur officij, & si beneficia quæ priùs habuerat non sunt aliis rite collata, reddantur eidem, nec ex lata in ipsum impediatur sententia quò minùs ad obtinenda ecclesiastica beneficia possit assumi, & tam in civitate ac diocesi Nannetensi quàm in aliis liberè conversari. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus circa eum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo quæ præscripta sunt exequi procuretis, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compescendo; non obstante quòd in his litteris totius negotij series non narratur, cùm hac ad cautelam utamur ex certa scientia brevitate. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani x. Kalend. Iulij, anno tertiodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI de Monteforti, Comiti Lecestriæ, Vicecomiti Biterrensi & Carcassonensi.

Epist. 85. Confirmat ei civitatem Albiensem.

HAbuisse bajulos dominici verbi fidem ad sinapis evangelicæ quantitatem felix tuæ translatio promotionis ostendit, dum nominationis tuæ non solùm sed & denominationis vocabula bonis interpretatus operibus, in auditu auris obedisti secundùm nomen tuum in locum peregrinationis exire, ac sicut mons infirmas partes Ecclesiæ muniturus, ad verbum prædicatorum fidelium es translatus &c. *in eundem modum ut in alia littera quæ scripta est in*ultimo quaterno regesti duodecimi anni usque* cùm in manibus tuis, quem zelus Domini contra fidei subversores armavit, idem Dominus civitatem tradiderit Albiensem, nos super hoc in Domino gratulantes, civitatem ipsam cum omnibus pertinentiis suis, sicut tibi est ad divinæ majestatis honorem pro tutela pacis & fidei defensione concessa, tibi & heredibus tuis in fide catholica & devotione sedis apostolicæ permanentibus auctoritate apostolica confirmamus &c. *ut in eadem per totum usque.* Ad indicium autem quòd terram ipsam in devotione apostolicæ sedis &c. *usque in finem.* Datum Laterani IV. Kal. Iulij, anno tertiodecimo.

* id est, lib. 12. epist. 122.

REGENSI EPISCOPO ET Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 87. Eis committit vices suas in causa fidei.

VT hi qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem vivificæ crucis characterem assumpserunt eò ferventiùs publicam causam gerant quò se viderint proximorum subsidiis efficaciùs adjuvari, à vobis & à nonnullis aliis nobis fuit sæpe suggestum &c. *sicut continetur in* penultimo quaterno regesti duodecimi anni, de data Viterbij, per totum in eundem modum usque*, ad explendum obsequium Iesu Christi, in Burdegalensi, Bisuntina & Viennensi provinciis, necnon Pampilonensi, Lemovicensi, Claromontensi, Aniciensi, Mimatensi, Caturcensi, & Ruthenensi episcopatibus super hoc committendas vobis duximus vices nostras &c. *ut in eadem per totum usque in finem.* In aliis verò provinciis monitis & precibus insistatis ut ad tantum fidei Christianæ negotium consummandum de bonis sibi à Deo collatis subsidia conferant opportuna. Datum Laterani v. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

* id est, lib. 12. epist. 87.

EISDEM.

Epist. 88. Eis committitur accusatio adversùs Archiepiscopos Narbon. & Auxitanum. *Vide suprà lib. 10. epist. 63. lib. 14. epist. 32 & lib. 16. epist. 5.*

IN tantum clamor qui dudum ascendit contra Narbonensem & Auxitanum Archiepiscopos invalescit quòd dissimulare ipsum ulteriùs sine periculo non valemus. Ne igitur ex nequitia sua possint commodum aliquod reportare, cùm non solùm negligentes sint, ut asseritur, sed etiam pestilentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super omnibus quæ proponuntur contra eos diligentiùs veritate, ac habentes præ oculis solum Deum, quod super hoc canonicè fuerit statuendum sublato appellationis obstaculo statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani IV. Kalen. Iulij, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI.

Epist. 89. De Ecclesia construenda in fundo Romanæ Ecclesiæ.

VEniens ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Herde Comes de Similione quendam fundum suum beato Petro Apostolo & Romanæ Ecclesiæ obtulit humiliter & devotè; in quo ad honorem ejusdem Apostoli Ecclesiam ædificare disponit, & eidem nonnullas de suis possessionibus assignare. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes, præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus venerabilem fratrem nostrum

Cenadiensem Episcopum loci diocesanum monere prudenter & efficaciter inducere non postponas ut pro suis justitiis, quas de ipsis esset possessionibus percepturus, ab eodem Comite moderatam recompensationem recipiat, & superabundantem gratiam recognoscat quam ei facimus in hac parte, cùm in hujusmodi fundo absque omni recompensatione libera posset Ecclesia fabricari, sicut Hospitalariis & Templariis aliisque nonnullis per privilegia est concessum. Quòd si monitis tuis memoratus Episcopus acquiescere fortè nollet, tu id auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequi non omittas, recipiens in utroque casu præfatum fundum in jus & proprietatem apostolicæ sedis per publicum instrumentum, & concedens eidem ædificandi Ecclesiam in eodem liberam facultatem. Præterea cùm idem Comes decimas quas præfato Episcopo persolvere consuevit, eidem Ecclesiæ cupiat assignari, compensatione propter hoc ipsi exhibita competenti, volumus & mandamus ut eundem Episcopum monere ad hoc prudenter & efficaciter inducere non retardes. Datum Laterani II. Kal. Iulij, anno tertiodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Germani de Pratis Parisiensis.

Epist. 90. De muris urbis Paris.

CVm per medium vinearum vestrarum infra parrochiam sancti Sulpicij positarum, quæ ad vestrum monasterium pertinet pleno jure, ad munitionem civitatis Parisiensis construantur de novo muri, sicut ex vestra insinuatione didicimus, provideri super hoc vobis auctoritate apostolica petiistis. Ne igitur hujusmodi occasione murorum parrochiale jus in monasterij vestri dispendium immutetur, præsentium vobis auctoritate concedimus ut idem jus in ædificiis ejusdem parrochiæ construendis & ipsorum habitatoribus habeatis quod in ipsius veteribus ædificiis & habitatoribus eorundem dinoscimini hactenus habuisse. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 91. Confirmatur eis privilegium Lucij Papæ.

QVanto specialiùs monasterium vestrum beati Petri juris existit, & majorem devotionem apostolicæ sedi sæpius exhibetis, tanto celeriùs, ubi cum Deo possumus, petitiones vestras admittimus, & indemnitati monasterij vestri volumus attentiùs providere. Eapropter ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica prohibemus ne illi qui terras, vineas, aut domos censuales nomine vestro tenent, aliis ad majorem censum sine assensu vestro concedant, neque alienis personis vel Ecclesiis in eis sine vestra licentia pensionem aliquam annuatim solvendam assignent, per quæ monasterio vestro dispendium valeat provenire. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ prohibitionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani V. Kal. Iulij &c.

SANCTÆ MARIÆ DOLENSIS & sancti Iohannis Angeliacensis Abbatibus Bituricensis & Xanctonensis diocesum, & Archidiacono Bituricensi.

Epist. 92. Scribitur de versis Episcopum Pictavensem.

EX parte venerabilis fratris nostri Burdegalensis Archiepiscopi per dilectum filium G. procuratorem ejusdem fuit propositum coram nobis quod cùm venerabilis frater noster Turonensis Archiepiscopus de mandato nostro insisteret, & tam gravamen Petragoricensis Ecclesiæ metropolitico sibi jure subjectæ, quæ magnis dispendiis & laboribus diutiùs fuerat fatigata, quàm consueta quorundam malitia consecrationem Petragoricensis Episcopi volentium impedire, accelerandam ipsius consecrationem Episcopi perurgerent, & nonnisi tres tantùm Episcopi essent in Burdegalensi provincia tunc præsentes, venerabili fratri nostro Pictavensi Episcopo, qui ex quo promotus fuit in Episcopum, nunquam metropolitanam Ecclesiam postmodum visitavit, licèt pluries vocatus fuerit ad eandem, in virtute obedientiæ ac sub debito juramenti quo Ecclesiæ Burdegalensi tenetur, pœna suspensionis adjecta, præcepit ut ad consecrationem ipsius Episcopi properaret. Et ut omnis occasionis materia tolleretur, licèt nullum periculum immineret, cùm generales treugæ inter Francorum & Angliæ Reges initæ servarentur, tam per litteras Senescalci Regis Angliæ, qui regalium negotiorum procurationem habebat in eisdem partibus generalem, quàm per venerabilem fratrem nostrum Henricum Episcopum Xanctonensem, qui eum securum ducere ac reducere promittebat, securum conductum præparavit eidem. Sed idem & venire postposuit, & suspensionis sententiam non servavit. Cùmque postmodum idem Archiepiscopus ad locum quem de nuntiorum ipsius Episcopi voluntate in Pictavensi

diocesi

dioceſi aſſignarat, ut tunc ſaltem præcedentem inobedientiam per obedientiam redimeret ſubſequentem, præfixo termino cum aliis Epiſcopis conveniſſet, idem Pictavenſis venire contempſit. Vt autem idem Archiepiſcopus omnem ipſius contumaciam ſuperaret, diem & locum alium in Pictavenſi dioceſi aſſignavit; ubi cùm ceteri ſuffraganei eidem Pictavenſi Metropolitani ſui exponerent queſtionem, ipſe quòd venire non omiſerat propter contemptum vel odium Eccleſiæ vel perſonæ, ſed propter metum Regis Angliæ ſe obtulit juraturum. Sed cùm hoc memoratus Archiepiſcopus ſibi ab eiſdem ſuffraganeis expoſitum acceptaret, idem Pictavenſis ſe obtuliſſe juramentum hujuſmodi contradixit. Propter quod & latam in eum per ipſum ſuſpenſionis ſententiam confirmari & debitam ſibi pœnam infligi pro tanta contumacia poſtulabat. Procurator verò ejuſdem Epiſcopi propoſuit ex aduerſo quòd licèt olim dicto Archiepiſcopo dederimus in mandatis ut ad loca ſuſpecta eundem Epiſcopum non vocaret, ipſe tamen mandato noſtro contempto ad ea loca pro conſecratione ipſius Petragoricenſis vocabat eundem ad quæ, propter Brabantionum & capitalium inimicorum ſuorum inſidias, ſine proprij corporis periculo accedere non audebat. Vnde tam propter hæc quàm propter alia quæ inferebat gravamina noſtram audientiam appellavit, tam per litteras ſuas quàm per W. Archidiaconum ſuum & alios Clericos ſuos legitimè ſe excuſans. Cùm autem apud Cheſeium, ubi de venerabilium fratrum noſtrorum Xanctonenſis & Engoliſmenſis Epiſcoporum conſilio Archiepiſcopus & ipſe convenerant, excuſationes ſuas eſſe juſtas per teſtes omni exceptione majores fuerit probare paratus, & idem Archiepiſcopus hoc recipere noluiſſet, ſuper hoc ab eo exigens juramentum, ipſe appellationem primò interpoſitam innovavit; ſed Archiepiſcopus, appellatione contempta, ſuſpenſionis ſententiam protulit in eundem. Vnde tam dictam ſententiam quàm quicquid poſt appellationem in ejus eſt præjudicium attentatum petiit irritari. Cùm autem nobis non conſtiterit de præmiſſis, contentionem hujuſmodi de procuratorum conſenſu tali providimus moderamine ſopiendam, ut præfatus Epiſcopus coram vobis exhibeat juramentum quòd nec in contemptum Archiepiſcopi memorati nec ut ipſius ſe juriſdictioni ſubduceret, ſed propter metum hoſtilem, ad conſecrationem Petragoricenſis Epiſcopi accedere detrectavit. Quo præſtito coram vobis, latam in ipſum ſuſpenſionis ſententiam revocari faciatis per præfatum Archiepiſcopum ad cautelam, nec ei deputetur ad pœnam quòd poſt ſuſpenſionem hujuſmodi divina officia celebravit. Alioquin uſque ad ſatisfactionem idoneam dicta ſuſpenſionis ſententia inviolabiliter obſervetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus quod à nobis taliter eſt proviſum, faciatis per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota executioni mandari; nullis litteris obſtantibus, ſi quæ apparuerint à ſede apoſtolica præter aſſenſum partium impetratæ. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani VI. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epiſt. 91. Adversus eundem Epiſcopū.

SIgnificante venerabili fratre noſtro Burdegalenſi Archiepiſcopo nos accepiſſe noſcatis quòd cùm venerabili fratri noſtro Pictavenſi Epiſcopo ſuffraganeo ſuo ad querelam ſubditorum ipſius pœna ſuſpenſionis adjecta inhibere curaſſet ne pecuniarias procurationes ab Eccleſiis quas non viſitabat exigeret, vel collectas majores quàm prædeceſſores ſui facere conſueverant, in ſubditis ſibi Eccleſiis exerceret, idem, ejus inhibitione contempta, & pecuniam pro procurationibus & collectas ſolito majores exegit, ſuſpenſionis ſententiam, in quam propter hoc incidit, non obſervans. Ad expellendum quoque Ruptarios & Bramantiones de Burdegalenſi provincia ſibi auxilium, prout præſtita fide promiſerat, non impendit, inhibens & impedieus ne ipſe Pictavenſem dioceſim ex officio ſuo viſitans procurationibus conſuetis & debitis honoretur. Clericos quoque quos dictus Archiepiſcopus ad præſentationem vicarij ſui, eodem Epiſcopo non exiſtente in dioceſi, ordinarat, ab ordinum ſuſceptorum ab eo executione ſuſpendit, nec voluit ad mandatum ipſius eandem ſuſpenſionis ſententiam relaxare, ſententias excommunicationis ab eodem Epiſcopo in ſubditos ſuos latas, quas idem Archiepiſcopus auctoritate metropolitana juſtitia exigente confirmat, eo inconſulto, nullaque ſuper hoc obtenta poteſtate, relaxans. Quandam inſuper pecuniæ quantitatem ab Helia prædeceſſore ſuo mutuatam Epiſcopo Pictavenſi & in ultima ejus voluntate ad fabricam Burdegalenſis Ec-

clesiæ deputatam sibi restituere contradicit, in his & multis aliis contra juramentum Burdegalensi Ecclesiæ ac prædecessori suo præstitum temerè veniendo. Ex parte verò ipsius Episcopi fuit propositum ex adverso quòd intrans idem Archiepiscopus annis singulis pluries diocesim Pictavensem non vocatus ab eo vel à terræ Principe invitatus, nullaque necessaria causa tractus à suis subditis frequentiùs debito, de leuga ferè in leugam dietas faciens, exigit procurari, correctiones tamquam ordinarius faciens per totam diocesim Pictavensem, in qua ipse, præter ordinariam, delegatam à nobis super correctionibus obtinet potestatem. Sententias quoque in raptores & alios qui injuriantur Ecclesiis vel personis ecclesiasticis, sive illis qui sub Ecclesiæ protectione consistunt, ab eo exigente justitia promulgatas, juris ordine prætermisso relaxans, tractat causas in eadem diocesi & committit, licèt ad eum non fuerit appellatum. Qui, eo quondam apud sedem apostolicam existente, ad Ecclesiam Pictavensem accedens, & in ejus & subditorum suorum gravamen procurationes ibidem recipiens, quosdam diocesis suæ Clericos, licèt super hoc ab eo mandatum non habuerit, ordinavit. Et licèt componentibus inter eos venerabili fratre nostro Nannetensi Episcopo & Decano Pictavensi aliisque pluribus, idem Archiepiscopus promisisset quòd nihil unquam contra eum vel honorem suum machinari de cetero attentaret, nisi forsan ipsi primitus requisiti terminare non possent si quid adversùs eum proponeret quæstionis, multa tamen, contra compositionem eandem & promissionem suam temerè veniens, in ejus & honoris sui dispendium attentavit, super his & aliis injuriosus existens eidem plurimùm & molestus. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ de procuratorum utriusque partis assensu per apostolica scripta mandamus quatinus competenti loco partibus convocatis, & rationibus hinc inde plenius auditis & cognitis, si de partium processerit voluntate, causam ipsam appellatione remota fine canonico decidatis & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin eandem sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittentes, præfigatis partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent recepturæ judicium æquitatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XIV. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis ad quos litteræ istæ pervenerint.

CVm inæstimabile pretium sanguinis Iesu Christi &c. *Require* * *suprà in littera scripta eodem quaterno per totum usque.* Quapropter venientes ad apostolicam sedem dilectos filios Bernardum Primum & Willelmum Arnaldi & quosdã alios paterna benignitate suscepimus ac ea quæ nobis &c. *ut in eadem usque* intellectu, eosque diligenter examinatos atque correptos hoc modo reconciliavimus ecclesiasticæ unitati. *Ego*, inquit, *Bernardus Primus, appositis evangeliis, & scripto confessionis impositio super illa, hoc præsto inter manus tuas, summe Pontifex, juramentum, Deum invocando testem in animam meam, quòd ita &c.* sicut in ipsa usque *pro posse resistam. Hoc autem profiteor non esse juramentum quale Christus legitur ptohibuisse in evangelio, sed quale à sanctis doctoribus Augustino & aliis perhibetur esse præstandum causa necessitatis cum veritate & justitia & judicio.* Scriptum autem confessionis est tale. PATEAT omnibus fidelibus quòd ego Bernardus Primus & omnes fratres mei propositis nobis sacrosanctis evangeliis corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, & simplicibus verbis, id est, sine duplicitate, fideliter affirmamus patrem & filium & spiritum sanctum tres personas esse, unum Deum, & sicut in *Credo in Deum*, & in *Credo in unum Deum*, & in *Quicunque vult* continetur, confitemur esse per omnia sentiendum. Item corde credimus & ore confitemur patrem & filium & spiritum sanctum unum Deum, de quo nobis est sermo, esse creatorem & gubernatorem ac dispositorem omnium rerum visibilium & invisibilium, corporalium & spiritualium. Item corde credimus & ore confitemur patrem & filium & spiritum sanctum unum Deum, legem Moysi dedisse, & ipsum in Prophetis locutum fuisse, & Iohannem Baptistam ab ipso missum esse sanctum & justum & in utero matris suæ spiritu sancto repletum. Item corde credimus & ore confitemur incarnationem Domini nostri Iesu Christi, ut qui erat filius Dei in diuinitate, patri

* Ibid. in De negot. Valentin. conscient. * ad ult. p. 78.

Vide lib. 1 epist. 23.

» æqualis, fieret homo in utero sanctæ Ma-
» riæ matris suæ, veram carnem assumens
» ex visceribus matris, qui natus est vera car-
» nis nativitate, & manducavit, & bibit &c.
» dormivit, & fatigatus ex itinere quievit, &
» passus est vera carnis suæ passione, & mor-
» tuus est vera carnis suæ morte, & resurre-
» xit vera carnis suæ resurrectione; in qua
» postquam veraciter manducabit & bibit,
» ascendit in cælum, & sedet ad dexteram
» Dei patris omnipotentis, inde venturus est
» judicare vivos & mortuos. Item corde cre-
» dimus & ore confitemur unam esse Eccle-
» siam catholicam & apostolicam, sanctam
» & immaculatam, extra quam neminem
» salvari fatemur. Sacramenta verò quæ in
» ea celebrantur, inæstimabili atque invisi-
» bili virtute spiritus sancti, licèt à peccato-
» re sacerdote ministrentur, dum Ecclesia
» eum recipit, in nullo reprobamus, neque
» ecclesiasticis officiis vel benedictionibus
» ab eo celebratis detrahimus, sed benivolo
» animo, tamquam à justissimo, amplecti-
» mur. Approbamus quoque baptismum in-
» fantium; & si defuncti fuerint post baptis-
» mum, antequam peccata committant, fa-
» temur eos salvari. Confirmationem quo-
» que ab Episcopo factam, id est impositio-
» nem manuum, sanctam & venerandè ac-
» cipiendam esse censemus. In sacrificio eu-
» charistiæ, quæ fuerant panis & vinum an-
» te consecrationem, post consecrationem
» esse corpus & sanguinem Iesu Christi sim-
» pliciter affirmamus & credimus; in quo
» nihil à bono majus nec à malo minus perfi-
» citur sacerdote. Peccatores veraciter pœ-
» nitentes veniam à Deo consequi concedi-
» mus, & eis libentissimè communicamus.
» Vnctionem infirmorum cum oleo conse-
» crato veneramur. Conjugia carnalia esse
» contrahenda secundùm Apostolum Pau-
» lum non negamus; legitimè verò contra-
» cta disjungere omnino prohibemus. Ordi-
» nes ecclesiasticos, id est episcopatum &
» presbyterium ac ceteros, & omne quod
» in Ecclesia ordinabiliter sancitum legitur
» aut canitur, humiliter collaudamus, & fi-
» deliter veneramur. Item corde credimus
» & ore confitemur resurrectionem hujus
» carnis quam gestamus, & non alterius, &
» vitam æternam, & unumquemque homi-
» nem secundùm opera sua esse recepturum.
» Eleemosynas, & sacrificium, ceteraque
» beneficia fidelibus defunctis prodesse non
» dubitamus. Et quia fides sine operibus
» mortua est, ut dicit Apostolus Iacobus
» seculo abrenuntiavimus, & quæ habeba
» mus, velut à Domino consultum est, pau
peribus erogavimus, & pauperes esse de-
crevimus. Ita quòd solliciti esse de crasti-
no non curamus, nec aurum vel argentum
vel aliquid tale præter vestimentum & vi-
ctum quotidianum à quoquam accepturi
sumus. Consilia quoque evangelica velut
præcepta servare proposuimus. Rema-
nentes autem in seculo, & sua possidentes,
& hanc fidem supradictam firmiter & in-
tegrè credentes, præceptaque Domini
servantes, salvari fatemur. Ad hæc in no-
mine patris & filij & spiritus sancti & bea-
tissimæ virginis Mariæ, ad ædificationem
universalis sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad sa-
lutem animarum omnium ad quorum aures
pervenit, sicut fideliter credimus corde,
fidem prædictam ore firmiter confiteri &
nuntiare proposuimus, & usque ad ani-
mam & sanguinem adversùs omnes sectas
hæresium defendere viriliter. Consistentes
sub magisterio & regimine unius & veri
magistri Domini nostri Iesu Christi ac piis-
simi Vicarij ejus Papæ Innocentij & suc-
cessorum ejus, semper permanentes tam
corpore quàm spiritu in communione
sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ,
quam sanctam & catholicam, & apostoli-
cam suprà diximus quia credimus esse,
omnes baptisatos in nomine patris & filij
& spiritus sancti, nisi à supradicta fide re-
cesserunt, ubi boni cum malis conveniant,
permixta quippe est diversitate filiorum;
cui Ecclesiæ præfatum Dominum Inno-
centium Papam credimus præesse pasto-
rem, & ipsum & omnes Episcopos & sa-
cerdotes & ceteros ordinatos fidem supra-
dictam tenentes, in ipsa Ecclesia ministros
esse fatemur & credimus. Idcirco ab ip-
sis, & non ab aliis, petimus & cupimus
suscipere ecclesiastica sacramenta. Specia-
liter autem de fractione panis, super qua
infamati sumus, diximus & dicimus quia
nunquam factum fuit causa præsumptio-
nis, nec causa contemptus sacrificij sacer-
dotis, sed causa ardoris fidei & caritatis
& causa deliberationis, ne indurarentur
simplices fideles inter hæreticos permanen-
tes, & sacramentum eucharistiæ non reci-
pientes; sed nunc & in perpetuum abdica-
mus & abicimus & abdicabimus à nobis &
ab omnibus nobis credentibus, secundùm
nostrum posse, ab opere & à credulitate,
corde credentes & ore confitentes sacra-
mentum corporis & sanguinis Christi nec
esse conficiendum nec posse confici nisi à
sacerdote per impositionem manus visibilis
Episcopi secundùm morem Ecclesiæ visi-
biliter ordinato. Habemus autem manda-

» tum orare ut Deus mittat operarios in messem suam, id est, prædicatores in populum » suum, qui debent benignè & humiliter impetrare sibi dari ex licentia summi Pontifi» cis & Prælatorum Ecclesiæ ut possint ad» monere & exhortari in doctrina sana & ad» versùs omnes hæreticos, gratia Dei ad» juvante, cum omni virtute animi & studio » ut eos ad fidem catholicam convertant, » desudare, & credentes eorum privatis & » publicis admonitionibus, sicut decet, ab » eorum credulitate & hæresi separare, & » Ecclesiæ supradictæ incorporare, & ab » omnibus vitiis & peccatis compescere tam » se ipsos quàm suos auditores; à superbia » scilicet, & inani gloria, invidia, ira, cu» piditate, & avaritia, gulositate, luxuria, » mendacio, detractione, blasphemia, odio, » fraude, perjurio, & homicidio. Et quam» vis ista nos prædicemus, tamen potestatem » secularem secundùm leges officium suum » in malefactores peragentem non judica» mus, neque ob hoc damnandam esse dici» mus vel credimus. Veruntamen, sicut filij » Ecclesiæ, reos sanguinis defendimus piis » interventionibus, quia scriptum est. Reos » sanguinis defendat Ecclesia. Quamvis au» tem propter vitandum perjurium non sit » appetendum juramentum, jurantes tamen » ex deliberatione causa necessitatis cum ve» ritate & judicio & justitia non culpamus, » neque propter hoc credimus condemnan» dos. In omnibus verò episcopatibus, dio» cesibus, vel parrochiis in quibus sumus vel » fuerimus, dispositimus jejunare secundùm » morem & consuetudinem Prælatorum & » catholicorum virorum orthodoxorum illa» rum provinciarum, tam in vigiliis quàm in » jejuniis quatuor temporum & quadragesi» mæ. Denique licèt dicat Christus, Opor» tet semper orare & non deficere, & Apos» tolus, sine intermissione orate, tamen qui» dam nostrorum per viginti quatuor vices » inter diem ac noctem, alij quindecies, alij » duodecies, qui autem minùs, septies pro » omnibus hominibus secundùm eorum gra» dus orant. Et quamquam officium nos» trum sit præcipuè ut omnes discant, & » omnes qui sunt idonei exhortentur, tamen » cùm tempus ingruit, propriis manibus la» boramus, ita duntaxat ne pretium accipia» mus conventum. Qui autem nobis cre» dunt, à quibuscunque aliquid per aliquam » fraudem habuerint, necesse est, si potue» rint, & nobis acquiescere voluerint, ut » ipsis & non aliis restituant. Decimas siqui» dem & primitias & oblationes & cetera se» cundùm usum locorum servitia Prælatis & aliis Clericis sub quorum dioceſibus vicitaverint fideliter persolvant: quod omnibus fidelibus Christianis efficaciter suademus.] Licèt autem in subscriptis articulis, sicut a quibusdam accepimus, assererentur errasse, quòd videlicet soli Deo esse obediendum, & si homini, soli justo, qui Deum habet in se, ac licere laico ac litterato sine licentia cujuslibet hominis prædicare, bonumque laicum conficiendi eucharistiam potestatem habere, malum autem sacerdotem nequaquam, & ejus orationes aut Missas vivis vel mortuis non proficere, ac Romanam Ecclesiam nequaquam Ecclesiam Dei esse, necnon etiam juramentum in quolibet articulo sub Ecclesiæ forma factum peccatum esse mortale dogmatisasse dicantur, ipsi tamen ex præscripta confessione, in qua tanguntur articuli prænotati, super his suam innocentiam excusarunt, illud inficiantes omnino, quòd videlicet mulieribus evangelium in Ecclesia licitum esse docere, ac indulgentias quæ fiunt à summo Pontifice vel aliis Episcopis non proficere, justumque laicum confitentes sibi absolvere posse, quidam eos referunt astruxisse. Ceterùm super eo quòd nonnullos Clericorum scandalizasse dicuntur, eis in plurimis detrahendo, ipsos asperè redarguimus, in virtute obedientiæ quam præstiterunt nobis districtiùs injungentes eisdem, quod & ipsi sub eadem servare obedientia promiserunt, ut Clericos in omni qua convenit habentes reverentia & honore, ab eorum omnino infamatione seu detractione desistant; præcipientes eisdem ne passim sibi præsumant prædicationis officium arrogare, sed præterquam Ecclesiarum rectores in fide recta & sana doctrina noverint esse probatos, licentiam eis tribuant exhortandi competentibus horis & locis; cùmque continentiam repromiserint, suspectum mulierum consortium prorsùs evitent; qui super his & aliis promiserunt devotam & debitam nobis obedientiam exhibere. Nos igitur, habito fratrum nostrorum consilio, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus recepto à ceteris fratribus simili juramento, ecclesiasticæ unitati reconcilietis eosdem, & denuntietis ipsos verè catholicos ac rectè fideles, in præscriptis & aliis eos secundùm Deum ab omni scandalo & infamia servantes immunes, & in litteris testimonialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adjuvetis. Datum Laterani x v i i i. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DECANO ET CANONICIS Waterforden.

Epist. 95. Recipiuntur sub protectione apostolicæ sedis. Vide supra epist. 79.

SAcrosancta Romana Ecclesia humiles & devotos filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tamquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino fiiij, devotionem quam erga beatum Petrum & nos ipsos habere dinoscimini attendentes, personas vestras & universa bona quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem locum in quo Ecclesia vestra sita est cum pertinentiis suis, Ecclesiam de Kilros, Ecclesiam de Kilmelassi, Ecclesiam de Cluoneda, Ecclesiam de Tibrada, Ecclesiam de Kilimelach, Ecclesiam de Kilmaclug. cum omnibus pertinentiis suis, decimas piscium in Waterford, beneficia terrarum Ricc. Scadan. & Terri, villam de Corbali, villam de Balikassin, villam de Tachethen, terram de Kaldebech, terram Roberti le Franceis juxta Kilmemilog. cum omnibus pertinentiis suis, & omnia bona communitati & sustentationi vestræ nihilominus assignata, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani vi. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI SANCTÆ MARIÆ Rotundæ.

Epist. 96. Pineta ei adjudicatur.

OLim causam quæ inter te ac commune Ravennæ super pineta & quibusdam aliis vertebatur venerabili fratri nostro Cæsenatensi Episcopo duximus committendam. Qui licèt cum dilecto filio Pomposiano Abbate, quem sibi postmodum in causæ cognitione adjunximus, usque ad receptionem testium & publicationem attestationum processerit in eadem, quia tamen ad sententiam per triennium procedere distulit, venerabili fratri nostro Populiensi Episcopo & dilecto filio Abbati sancti Laurentij Cæsenatensi mandavimus ut in ea juxta formã priorum procederent litterarum. Verùm quoniam ad Ravennatum instantiam eis tandem dedimus in mandatis ut ad nos instructam remitterent causam, iidem gesta omnia sub sigillis suis cum procuratoribus partium ad nos remittere curaverunt, per quæ cognovimus manifestè quòd inter partes de pineta Palazoli & vargo Badareni possessione, in qua fit forum, & sale monasterij, quem commune mutuò acceperat, fuit actum. Nam super vargo Badareni commune petebat ne quid nomine pedagij tuum monasterium à Ravennatibus extorqueret: sed illud ad se pertinere pars ejusdem monasterij respondebat, & se ibi hactenus pedagium accepisse. Ceterum possessionem in qua forum fiebat, dictum monasterium asserens suam esse, ne in ea præter ejus assensum forum de cetero fieret, & quod commune exinde perceperat, sibi restitui cum instantia postulabat. Sed commune dicebat quòd nec ad monasterium tota illa possessio pertinebat, nec si pertineret, etiam quò minùs in ea forum fieret, commune debebat aut poterat prohiberi; cùm hujusmodi tam in Ecclesiarum quàm privatorum possessionibus exercere soleant in partibus illis communia civitatum. Verùm cùm commune certam summam salis, quam centum & sexaginta libris emeras, à te mutuò recepisset, ad restitutionem ipsius se obligans juramento, quia pro eo nonnisi centum reddiderat, petebas reliquum tibi reddi. Sed ad hoc pars altera respondebat quòd facta ratione salis ad pretium quod valebat quando solutio pecuniæ facta fuit, triginta vel quadraginta solidos eidem Ecclesiæ solverat ultra id quod sal tunc temporis vendebatur. Licèt autem utraque partium possessionem pinetæ multipliciter nisa fuerit comprobare, asserente parte communis & ostendente per testes quòd pro facto suo de arboribus ejus quotiens fuerat opus acceperant & donarant, quòd bannierant etiam silvam ipsam & fecerant custodiri, & Ravennates ad enucleandas pinos in hebdomada Natalis & portandos truncos arborum, quos ipsi zoccos vel capitones appellant, accedere consueverant annuatim, & quòd servientes custodum, quos nominant partiates, pinetam pro communi custodire jurabant, pars tua per testes similiter sufficienter ostendit quòd pro necessitatibus monasterij liberè acceperat, dederat, & vendiderat de lignis pinetæ, quòd partiates per monasterium certum numerum trabium in feudum percipiebant de silva, & juramento fidelitatis eidem propterea tenebantur, & quòd servientes eorum jurabant pro monasterio silvæ custodiam in Abbatis præsentia, &

amovebantur ad ejus arbitrium quando circa custodiam delinquebant, & quòd ad Abbatis & partiatum instantiam eam bannierant Ravennates, & qui venabantur in ipsa reddebant eidem annis singulis spallam porci, & cultores agrorum decimas, & gregum pastores certos redditus exolvebant. Addebat etiam pars communis quòd cùm partes intentionem suam sufficienter utrinque fundassent, utramque poteramus immo debebamus in sua de jure possessione tueri, cùm * tantam rem diversi possent quoad diversos usus & varios possidere. Nos igitur attestationibus diligenter inspectis, intelleximus quòd monasterium per testes plures numero & aptiora negotio & vero proximiora in suis depositionibus exprimentes possessionem pinetæ respectu præteriti temporis & præsentis evidentiùs & generaliùs ostendebat, & cùm per privilegia tam Archiepiscoporum Ravennatis Ecclesiæ quàm Pontificum Romanorum ipsam ad se pertinere monstraret, illud justè possedisse constabat, & commune, quod nullum suæ possessionis ostendebat titulum, aliqua in eadem contra justitiam per impressionem vel potentiam usurpasse, cùm eandem rem non possint diversi eodem modo in solidum possidere. Vnde cùm probationes monasterij existerent potiores, & sic per consequentiam ipsum esse in interdicto superiùs, Yconomum communis Ravennæ Yconomo monasterij super eadem pineta, quantum ad possessorium, decrevimus condemnandum, & imponendum perpetuum silentium Yconomo Ravennati, & prohibendum eidem ne monasterium sæpedictum super ea præsumat ulteriùs molestare. Iterum cùm vargum Bardareni ad monasterium pertinere testes utriusque partis ostendant, super eo Yconomum monasterij ab impetitione Yconomi Ravennatis statuimus absolvendum. Et cùm per testes sit sufficienter ostensum quòd super sale sufficienter satisfactum fuit monasterio quoad pretium quo solutionis tempore vendebatur, nec viros religiosos deceat inhiare lucris secularibus & cum alterius jactura ditari, Yconomo monasterij super hoc silentium decrevimus imponendum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Nonis Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

* *In Bullario Casin.* eandem

EPISCOPO CARDICENSI.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu persequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, personam & Ecclesiam tuam, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ protectionis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Nonas Iulij, anno tertiodecimo.

Epist. 37. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

GRavem venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & dilectorum filiorum aliorum Prælatorum imperij tui recepimus questionem quòd tu & Barones tui in eorum inhibuisti gravissimum detrimentum ne quis de possessionibus suis in vita sua conferat, vel in extremo articulo condat Ecclesiis testamentum. Cùm igitur ex inhibitione hujusmodi & Ecclesiarum dispendium & inhibentium interitus procuretur, excellentiam tuam monemus attentiùs & hortamur quatinus hujusmodi pravam inhibitionem & tu ipse relaxes & à tuis Baronibus facias potestate tibi tradita relaxari. Datum Laterani VI. Idus Iulij, anno tertiodecimo.

Epist. 38. De libera potestate testandi in favorem Ecclesiarum. Vide infrà epist. 110. & lib. 11. epist. 22. & seqq.

EIDEM.

SIgnificantibus venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis ac Prælatis aliis Constantinopolitani imperij nos accepisse cognoscas quòd cùm Barones, Milites, & alij nobiles Romaniæ monasteria, possessiones, homines, decimas tam Græcorum quàm Latinorum, & alia bona Ecclesiarum suarum contra justitiam detinerent, eos per venerabiles fratres nostros Larissenum Archiepiscopum & Davaliensem Episcopum ad restitutionem integram detentorum censura mandavimus ecclesiastica coercendos. Qui licèt propter expeditionem ad quam properabant proponerent quòd tunc non poterant quod injungebatur implere, quidam tamen in judicum & Prælatorum manibus resignarunt, promittentes firmiter quòd residua in integrum post reditum restitue-

Epist. 39. De restitutione ablatorum facienda Ecclesiis.

rent & ab eis ad quos pertinent pacificè possideri permitterent restituta. quod non observarunt postmodum redeuntes; immo detinentes prædicta omnia sicut priùs, ea restituere contradicunt. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris Thebano & Neopatrensi Archiepiscopis dedimus nostris litteris in mandatis ut detentores eosdem ad restitutionem integram detentorum cum satisfactione perceptorum fructuum competenti monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota compellant. Quocirca excellentiam tuam monemus attentiùs & hortamur quatinus detentores prædictos ad hoc tradita tibi potestate compellas. Datum ut in alia per totum.

In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc usque restituere contradicunt. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus detentores eosdem ad restitutionem integram detentorum cum satisfactione perceptorum fructuum competenti monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. Testes autem &c. *usque* prohibere. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VI. Idus Iulij, anno tertiodecimo.

EIDEM.

Epist. 100. De eodem argumento.

AD ecclesiastica bona manus extendere non deberes, cùm Ecclesiæ sponsus Christus ampliaverit tibi manus, nec gravare debes Ecclesias, quarum credis ministrorum precibus flecti Christum, ut te ab hostium gravaminibus tueatur. Inde est quòd imperialem celsitudinem rogandam duximus & monendam quatinus restituens Ecclesiæ Lariſſenæ si qua de ipsius bonis detines minùs justè, permittas venerabilem fratrem nostrum Lariſſenum Archiepiscopum & suffraganeos ejus Ecclesias, abbatias, Clericos, & possessiones, decimas, & alia jura quæ ad Ecclesias pertinent eorundem, pacificè possidere. Datum Laterani Nonis Iulij, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Priori sancti Demetrij Thessalonicensis, & Procuratori episcopatus Dimicensis.

Epist. 101. Scribitur pro Episcopo Cardicensi. Vide infrà epist. 119.

LAcrymabilem venerabilis fratris nostri Cardicensis Episcopi recepimus quæstionem quòd cùm obtentas à nobis litteras, rediens post labores, captiones, & angustias plurimas quas sustinuit Romaniam, præsentari fecerit fratribus Hospitalis sancti Iohannis Ierosolymitani, qui episcopatum ipsius cùm Cardicensi castro & res alias detinentes nec restituere volunt ei, nec de perceptis à promotionis suæ tempore proventibus, quos in usus proprios converterunt, in aliquo subvenire, ipsi earum latore gravissimè verberato, turpiter ipsas litteras projecerunt, & comminantes ipsum interficere, asseverant quòd pro nullis litteris vel mandato episcopatum prædictum ei resignabunt aliquatenus vel dimittent; qui præter hæc quandam in Armiro cum suis pertinentiis, in qua propriam mansionem faciunt, detinent abbatiam, quam nos ei duximus concedendam. Propter quod idem Episcopus factus pauper, & ad extremam deductus inopiam, exul ab episcopatu suo compellitur mendicare. Verùm quia venerabiles fratres nostri Athenienſis & Thebanus Archiepiscopi & Episcopus Fermopilensis, quibus Episcopus ipse causam super hoc obtinuit delegari, pro eo sententiam protulerunt fratres ipsos super restitutione castri prædicti & pertinentiarum ipsius ac casalium omnium & possessionum omnium pertinentium ad Ecclesiam Cardicensem prædicto Episcopo condemnatos, quia contumaciter resistebant, excommunicationis vinculo innodantes, nobis humiliter idem Episcopus supplicavit ut tam diffinitivam quàm excommunicationis sententiam rite latas auctoritate dignaremur apostolica roborare. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus diffinitivam, sicut est justa, per censuram ecclesiasticam, excommunicationis verò sententiam, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam auctoritate nostra faciatis appellatione remota inviolabiliter observari; attentiùs provisuri ut fructus Ecclesiæ suæ, quos iidem fratres percepisse dicuntur, & castrum prædictum, quod detinetur ab ipsis, eidem sublato appellationis obstaculo restitui cum integritate debita faciatis; contradictores censura ecclesiastica compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani V. Idus Iulij, anno tertiodecimo.

In margine istius epistolæ scriptum erat antiquitus: VACAT. Quo vocabulo ostenditur illam hoc loco esse inutilem & alibi meliùs haberi, nimirum infrà num. CXIII.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Episcopo Davalienſi, & Avalonenſi electo.

Epiſt. 102. Vt bona ablata reſtituantur Eccleſiis.
** Cod. Colbert.* Plarrio

COnqueſti ſunt nobis venerabiles fratres noſtri Lariſſenus Archiepiſcopus & ſuffraganei ejus quòd Abbas de *Plaerio, nobilis vir Comeſtabulus Romaniæ, W. de Lariſſa dominus de Armiro, Balivus cariſſimi in Chriſto filij noſtri Conſtantinopolitani Imperatoris illuſtris, Dominus de Valeſtino, & quidam alij Lariſſenæ dioceſis monaſteria, abbatias, Eccleſias, & poſſeſſiones alias ad eos de jure ſpectantes contra juſtitiam detinent occupatas, ſe habere jus patronatus in monaſteriis, abbatiis, & Eccleſiis aſſerentes; qui etiam quoſdam laicos Latinos & Græcos ſuæ dioceſis nolentes debitas ſibi decimas exhibere ſuper hac nequitia confouent & tuentur: contra quos licèt pluries obtinuerint ſcripta noſtra, non potuerunt juſtitiam obtinere, cùm illi quibus ſuper hoc ſcripſimus, poſtponentes humano timori divinum, plus hominibus quàm Deo duxerint deferendum, proceſſum ſuper injuncto ſibi negotio non habentes. Ne igitur jura eccleſiaſtica pereant per inſolentiam laicorum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus Abbatem & nobiles memoratos & alios, ut detenta cum integritate reſtituant, & ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani Nonis Iulij, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Nazoreſcenſi & Citrenſi electis.

Epiſt. 103. Scribitur pro Archiepiſcopo Lariſſeno. Vide infrà epiſt. 112. & lib. 11. epiſt. 151.

IAm ſemel, ſecundò, & tertiò dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri relictæ bonæ memoriæ Marchionis Montiſferrati noſtras dicimur litteras deſtinaſſe ut epiſcopatus, abbatias, & alia jura eccleſiaſtica quæ ad venerabilem fratrem noſtrum Lariſſenum Archiepiſcopum pertinentia detinet occupata reſtitueret Eccleſiæ Lariſſenæ. Sed ipſa nec ad monitiones venerabilium fratrum noſtrorum Athenienſis & Thebani Archiepiſcoporum, per quos eam ad hoc mandavimus præmiſſa monitione compelli, voluit reſtituere ſupradicta. Quinimmo non ſolùm ea detinet, verùm etiam quoſdam Epiſcopos Græcos ſuffraganeos ejus & alios Abbates & Clericos nolentes ſibi exhibere reverentiam manutenet, favorem eis ſuper tanta eorum nequitia exhibens contra ipſum. Nolentes igitur ſuſtinere quòd per eandem nobilem defraudetur idem Archiepiſcopus jure ſuo, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ipſam ut & detenta reſtituat & ab hujuſmodi præſumptione deſiſtat moneatis attentiùs & efficaciter inducatis, ipſam ad hoc, ſi neceſſe fuerit, cenſura eccleſiaſtica ſublato appellationis obſtaculo, ſicut juſtum fuerit, compellentes, ac cogentes cenſura ſimili Epiſcopos, Abbates, & Clericos ſupradictos ad debitam obedientiam eidem Archiepiſcopo exhibendam. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani VI. Nonas Iulij, anno tertiodecimo.

SYDONIENSI ET CARDICENSI Epiſcopis, & electo Nazoreſcenſi.

Epiſt. 104. Vt Dimicenſis Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam redeat cogatur.

SIgnificarunt nobis venerabilis frater noſter Lariſſenus Archiepiſcopus & dilecti filij procurator & Canonici Dimicenſis Eccleſiæ quòd venerabilis frater noſter Epiſcopus Dimicenſis poſt tertium conſecrationis ſuæ diem ab Eccleſia Dimicenſi recedens, bona ejus, quæ ad ipſum ſpectant, reliquit in manibus nobilis viri Comeſtabuli Romaniæ; ad quam redire, cùm jam trium annorum ſpatium præterierit, hactenus non curavit; propter cujus defectum ad tantam devenit eadem Eccleſia paupertatem quòd vix poſſunt in ea tres Clerici ſuſtentari. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi eſt ita, Epiſcopum ipſum ut ad ſuam Eccleſiam revertatur, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani III. Nonas Iuiij, anno tertiodecimo.

NOBILIBVS VIRIS Comeſtabulo Romaniæ, W. de Lariſſa domino de Armiro, & Domino de Valeſtino, & aliis Baronibus ac Militibus provinciæ Lariſſenæ.

Epiſt. 105. Scribitur ut reſtituant bona Eccleſiæ Lariſſenæ.

AD eccleſiaſtica bona manus extendere minimè deberetis, cùm Eccleſiæ ſponſus Chriſtus adampliaverit vobis manus, nec gravare deberetis Eccleſias, quarum creditis miniſtrorum precibus flecti Chriſtum, ut vos ab hoſtium gravaminibus tueatur. Inde eſt quòd nobiliſtatem veſtram rogandam duximus & monendam quatinus reſtituentes Eccleſiæ Lariſſenæ ſi qua de bonis ipſius minùs licitè detinetis, permittatis

permittatis venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Lariſſenum & ſuffraganeos ſuos Eccleſias, abbatias, Clericos, poſſeſſiones, decimas, & alia jura quæ ad Eccleſias pertinent eorundem pacificè poſſidere. Datum Laterani Nonis Iulij, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO.

Epiſt. 106. Vt ſublevet paupertatem Epiſcopi Cardicenſis.

CVm venerabilis frater noſter Cardicenſis Epiſcopus multa laboret inopia, multaque paupertate prematur, cùm ex Eccleſiæ ſuæ redditibus vix poſſet ſimplex Clericus ſuſtentari, fraternitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatinus ipſius paupertati compatiens, ejuſque indigentiam miſeratus, ei procures in aliquo providere, ut mendicare in clericalis ordinis vituperium non cogatur. Datum Laterani III. Nonas Iulij, anno XIII.

COMESTABVLO ROMANIÆ, Domino de Armiro, A. de Plaerio, & aliis Baronibus & populis Latinis & Græcis in Cardicenſi dioceſi conſtitutis.

Epiſt. 107. Scribitur pro eodem.

SAnctam Dei Eccleſiam ſponſam Chriſti honorare vos convenit, non gravare; ne forſan Chriſtus Dominus ſponſus ejus, ipſius gravamine provocatus, vos aggravet, & dum auferre ſibi modicum quod habet intenditis, plura perdere vos contingat. Cùm igitur venerabilis frater noſter Epiſcopus Cardicenſis quædam Eccleſiæ ſuæ jura vos aſſerat minùs licitè detinere, univerſitatem veſtram monemus atque exhortamur in Domino quatinus detenta omnia divinæ conſiderationis obtentu & pro ſedis apoſtolicæ reverentia eidem Eccleſiæ reſtituere cum integritate debita procurantes, non impediatis quò minùs idem Epiſcopus abbatias, Eccleſias, poſſeſſiones, decimas tam Græcorum quàm Latinorum, & alia Eccleſiæ ſuæ jura valeat pacificè poſſidere. Datum Laterani II. Nonas Iulij, anno tertiodecimo.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epiſt. 108. De ablatis reſtituendis Epiſcopo Citrenſi. Vide infrà epiſt. III.

COnqueſtionem dilecti filij Citrenſis electi nobis accepimus præſentatam quòd nobilis vir V. Alemannus & quidam alij milites & homines tui Eccleſias Citrenſem & Platamonenſem, caſtellum etiam de Citro, decimas tam Latinorum quàm Græcorum, ac poſſeſſiones alias ad ipſum & Eccleſias memoratas rationabiliter pertinentes per violentiam invaſerunt, & detinent contra juſtitiam occupatas. Ideoque imperialem excellentiam monemus & exhortamur in Domino quatinus eos ut Eccleſias & poſſeſſiones eaſdem ac decimas electo reſtituant memorato, & de perceptis ſatisfactionem exhibeant competentem, tradita tibi à Deo poteſtate compellas. Datum Laterani VI. Idus Iulij, anno tertiodecimo.

EPISCOPO SIDONIENSI, & electo Nazoreſcenſi, & procuratori Dimicenſi.

Epiſt. 109. De ablatis reſtituendis Eccleſiæ Cardicenſi.

COnqueſtus eſt nobis venerabilis frater noſter Epiſcopus Cardicenſis quòd nobilis vir Comeſtabulus Romaniæ, Dominus de Armiro, A. Plaerio, Dominus de Valeſtino, Balivus cariſſimi in Chriſto filij noſtri Conſtantinopolitani Imperatoris illuſtris, & quidam alij Cardicenſis dioceſis monaſteria, abbatias, Eccleſias, decimas tam Latinorum quàm Græcorum, & poſſeſſiones alias ad ipſum de jure ſpectantes contra juſtitiam detinent occupatas, ſe habere jus patronatus in monaſteriis, abbatiis, & Eccleſiis aſſerentes; qui etiam quoſdam laicos Latinos & Græcos ipſius dioceſis nolentes decimas ſibi debitas exhibere ſuper hac nequitia confovent & tuentur; contra quos licèt pluries obtinuerit ſcripta noſtra, non potuit juſtitiam obtinere, cùm illi quibus ſuper hoc ſcripſimus, poſtponentes humano timori divinum, plus hominibus quàm Deo duxerint deferendum, proceſſum ſuper injuncto ſibi negotio non habentes. Ne igitur jura eccleſiaſtica pereant per inſolentiam laicorum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus nobiles prædictos & alios, ut & integrè detenta reſtituant, & ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant, monitione præmiſſa, cenſura eccleſiaſtica appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO THEBANO, & Davalienſi & Sydonienſi Epiſcopis.

Epiſt. 110. De libera poteſtate teſtandi in favorem Eccleſiarum. Vide ſuprà epiſt. 98.

VEnerabilium fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ac dilectorum filiorum aliorum Prælatorum Conſtantinopolitani imperij gravem nuper accepimus queſtionem quòd nobilis vir Otto de Roca Dominus Athenarum & alij Barones & Milites ipſius imperij communiter inhibuarunt in eorum graviſſimum detrimentum ne quis de poſ-

sessionibus suis in vita sua conferat, vel in extremo articulo condat Ecclesiis testamentum. Cùm igitur ex inhibitione hujusmodi & Ecclesiarum dispendium & inhibentium interitus procuretur, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus illos ut eandem inhibitionem relaxent moneatis attentiùs & efficaciter inducatis, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia.

SYDONIENSI ET CARDICENSI Episcopis, & electo Nazorescenſi.

Epist. 111. De ablatis restituendi Ecclesiæ Citrensi. *Vide suprà epist.* 108.

COnquestionem dilecti filij Citrensis electi nobis accepimus præsentatam quòd nobiles viri V. Alemannus & quidam alij Citrensis diocesis Ecclesias Citrensem & Platamonensem, castellum etiam de Citro, decimas tam Græcorum quàm Latinorum, ac possessiones alias ad ipsum & Ecclesias memoratas rationabiliter pertinentes per violentiam invaserunt, & detinent contra justitiam occupatas. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus illos ut Ecclesias, decimas, & possessiones easdem electo memorato restituant, & de perceptis satisfactionem exhibeant competentem, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione remota cogatis perhibere testimonium veritati. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Episcopo Davalienſi, & electo Cytrenſi.

Epist. 112. De decimis solvendis. *Vide suprà epist.* 163.

COnquesti sunt nobis venerabiles fratres nostri Lariſſenus Archiepiscopus & suffraganei ejus quòd nobilis mulier relicta bonæ memoriæ Marchionis Montisferrati decimas ipsis debitas nec ipsa persolvit, nec ab hominibus suis Græcis videlicet & Latinis permittit exolvi. Cùm igitur decimæ, quæ tributa sunt egentium animarum, à laicis sine salutis periculo detineri non possint, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eandem nobilem, ut debitas decimas & ipsa persolvat eisdem, & ab aliis persolvi permittat, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia &c.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI & Priori sancti Demetrij Thessalonicensis, & procuratori episcopatus Dimicensis.

Epist. 113.

LAcrymabilem venerabilis fratris nostri Cardicensis Episcopi &c. *ut suprà epist. C I. per totum.* Datum Laterani No. nis Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

In veteri exemplari sequens nota adjecta erat in margine superioris epistolæ & duarum quæ sequuntur. Istæ litteræ fecerunt rescriptæ, & sic correptæ, postquàm fuerunt ambæ bullatæ.

CARDICENSI, SYDONIENSI, & Fermopilenſi Episcopis.

Epist. 114. De filiopatione monachi de Sam.

DIlecti filij Prior & Capitulum dominici sepulchri suam nobis obtulere querelam quòd cùm dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, qui tunc in partibus Romaniæ legationis officio fungebatur, monasterium sancti Lucæ de Sciro cum pertinentiis suis ipsis & eorum Ecclesiæ pia devotione duxerit concedendum, Abbas & monachi ejusdem monasterij Græci Davalensis diocesis dicti Cardinalis concessioni temerè obviantes, fulti quorundam auctoritate potentum, debitam eisdem obedientiam & reverentiam contumaciter denegant exhibere, & tam ipsi quàm prædicti potentes ipsis super eodem monasterio graves molestias inferre præsumunt. Nolentes igitur prædictos Priorem & fratres in sua pati justitia læsionem, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus Abbatem & monachos memoratos, ut ipsis Priori & Capitulo debitam exhibeant obedientiam & honorem, & laicos, ut ab eorum molestationibus indebitis penitùs conquiescant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Idibus Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epist. 115. De eodem.

SI te servum recognoscis illius per quem datur potentialiter omnis honor & conceditur principatus, honorare te condecet sanctam Dei Ecclesiam, sponsam Christi, & ejus ministros sceptro tuæ potentiæ ab hostium incursibus defensare; ut dum commoditatibus summi Regis piè intenderis

miniſtrorum, in temporali regno te ipſius dextera tueatur. Sanè, ſicut à dilectis filiis Priore ac Capitulo dominici ſepulchri nobis extitit reſeratum, cùm eiſdem monaſterium ſancti Lucæ de Sciro cum pertinentiis ſuis auctoritate ſedis apoſtolicæ ſit conceſſum, imperialis excellentia ſuper eodem monaſterio ipſis non exhibet, prout convenit, ſe benignam, ſed potiùs permittit eos ab aliis indebitè moleſtari. Propter quod nobis humiliter ſupplicarunt ut pro eis tibi ſcribere dignaremur. Nos igitur ipſorum ſupplicationibus inclinati, ſerenitatem tuam monemus attentiùs & exhortamur in Domino quatinus divinæ conſiderationis obtentu, & pro ſedis apoſtolicæ reverentia, & te ipſis exhibeas ſuper eodem monaſterio favorabilem & benignum, ac eorum moleſtatores ab ipſorum vexationibus deſiſtere compellas tibi tradita poteſtate, non impediens aliquatenus quò minùs iidem dictum monaſterium valeant pacificè poſſidere. Datum Laterani Idibus Iulij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

ARCHIEPICOPO NEOPATRENSI, & Epiſcopo Sydonienſi, & electo Nazoreſcenſi.

Epiſt. 116. Datur conſervatores Epiſcopo Cardicenſi.

CVm venerabilem fratrem noſtrum B. Cardicenſem Epiſcopum & Eccleſiam ſibi commiſſam ſub protectione ſedis apoſtolicæ receperimus, nolumus, ſicut nec velle debemus, ut à quoquam temerè moleſtetur. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus non permittatis eum contra tenorem protectionis noſtræ ab aliquo indebitè moleſtari. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani VI. Idus Iulij, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epiſt. 117. De tuitione Epiſcopi Cardicenſis.

QVerelam venerabilis fratris noſtri Cardicenſis Epiſcopi recepimus continentem quòd dilecti filij fratres hoſpitalis Ieroſolymitani ſub tua juriſdictione morantes ei ſuper caſtro Cardicenſi, Eccleſiis, poſſeſſionibus, & rebus aliis violentiam inferunt & gravamen, quamvis prædicta ſint ipſi Epiſcopo per judices à ſede apoſtolica delegatos ſententialiter reſtituta. Ideoque imperialem excellentiam monemus & hortamur in Domino quatinus prædictum Epiſcopum, ne ab aliquibus ſuper his quæ ipſi ſunt ratione prævia reſtituta indebitè moleſtetur, poteſtate tibi tradita tuearis. Datum Laterani &c. ut in alia.

SALZEBVRGENSI ET Magdeburgenſi Archiepiſcopis, & Abbati de Pigavia Merſeburgenſis dioceſis.

Epiſt. 118. De matrimonio filiæ Marchionis Miſnenſis. *Vide ſupra epiſt. 50.*

DIlectus filius nobilis vir Dux Auſtriæ per ſuas nobis litteras intimavit quòd cùm inſignitus ſit charactere crucifixi, cum multitudine armatorum proficiſci diſponens in ſubſidium terræ ſanctæ, ac filium in ætate tenera conſtitutum & terram ſuam nulli commodiùs quàm nobili viro Marchioni Miſnenſi valeat commendare, per ſuos & ejuſdem Marchionis amicos habitus eſt tractatus de matrimonio inter filium ſuum & ejuſdem Marchionis filiam contrahendo; ut hoc facto ſecuriùs ei committeret terram ſuam. Verùm nonnullis firmiter aſſerentibus quòd in quinto & quarto conſanguinitatis gradu ſe dicti pueri contingebant, non fuit ulteriùs in eodem facto proceſſum. Vnde tam ſupradicti nobiles quàm multi magnates alij per ſuas nobis litteras humiliter ſupplicarunt ut multiplici utilitate penſata quæ ſperatur ex hujuſmodi copula proventura, diſpenſare cum prædictis perſonis ex benignitate apoſtolica dignaremur, quatinus eiſdem matrimonialiter copulari ex noſtra permiſſione liceret. Quocirca præſentium vobis auctoritate mandamus quatinus de gradibus conſanguinitatum utrinque ac univerſa genealogiæ ſerie, à ſtipite ſcilicet uſque ad perſonas illas de quarum conjunctione tractatur, & an ſcandalum ex hoc facto valeat ſuboriri, & de neceſſitate urgente ac evidenti utilitate, quæ diſpenſationis gratiam ſolent in hujuſmodi ſuadere, inquiratis diligentiſſimè veritatem, & quod inveneritis per veſtras litteras fideliter intimetis; ut per vos certiores effecti, prout expedire viderimus in eodem negotio procedamus. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani II. Kal. Auguſti, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Ieroſolymitani Hoſpitalis.

Epiſt. 119. Confirmat donationem factam à Rege Armeniæ.

EX litteris cariſſimi in Chriſto filij noſtri Leonis Armeniæ Regis illuſtris accepimus quòd ipſe ob reverentiam apoſtolicæ ſedis & noſtram, & quia neceſſarium ei contuliſtis adversùs barbarorum multitudinem regnum ejus volentium intrare ſuccurſum, civitatem Saleph, caſtellum novum, & Camard. cum omnibus ipſorum pertinentiis & diviſionibus aſſignatis, & cum omni jure ad ea terra & mari ſpectante, ſicut in privilegio confecto ſuo ex-

inde continetur, domui contulit hospitalis. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, prædicta omnia, sicut justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem domus vestræ cautelam, ejusdem Regis litteras de verbo ad verbum præsentibus duximus litteris inserendas: quarum tenor est talis. REVERENDISSIMO in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici Leo per eandem & Romani* imperij gratiam Rex Armeniæ, sanctitatis suæ servus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ nova, devota, & obediens planta, cum omnimoda reverentia grata servitia & pedum oscula. Reverendæ ac recolendæ dominationi vestræ cupimus innotescat venerabiles magistrum & conventum sanctæ domus Hospitalis præterita æstate, mense videlicet Augusto, sanctæ sedis apostolicæ amore atque reverentia, non solùm nobis, verùm etiam universæ Christianitati magnum & necessarium contulisse succursum contra infinitam paganorum barbariem super nos & regnum nostrum aggregatam, quam Deus disperdat. Pro quo à beatitudine vestra, tamquam viri strenui vicem Machabæorum gerentes, promeruerunt digniùs commendari. Eapropter, reverende Pater & Domine celeberrime, pro tam fortunato ac necessario succursu nobis & Christianitati ab eisdem collato, Deo, à quo bona cuncta procedunt, sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis ipsius vices dignè gerenti copiosas exolvimus gratiarum actiones & à beatitudine vestra illos petimus inde regratiari. Vnde quia dignus est operarius mercede, ex regalis largitatis nostræ munificentia, pro salute animæ nostræ nostrorumque omnium progenitorum, habentes præ oculis cordis quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum, donamus & concedimus sanctæ domui Hospitalis amodo in perpetuum, respectu & reverentia sanctæ sedis apostolicæ, atque bonorum meritorum suorum exigentia, civitatem Saleph, castellum novum, & Camard. cum omnibus pertinentiis ipsorum & divisionibus signatis, & cum omni jure per terram, per mare sibi pertinente, secundùm continentiam scripti inde privilegij sigillo nostro regali muniti & corroborati. Insuper de sanctitate ac religione eorum plenam habentes spem & fiduciam, venerabilibus fratribus Garino de Monte Acuto magistro & conventui sanctæ domus hospitalis specialiter personam nostram & personam dilecti nepotis nostri Raymundi Rupini legitimi heredis nostri & totam terram nostram, quam modò habemus, & quam Deo dante acquisituri sumus, post Deum & Dominum nostrum in vita nostra & post decessum nostrum attentiùs recommendamus. Cujus donationis & concessionis nostræ beneficium & recommendationem factam venerabilibus prædictis confratribus à circumspecta dominatione vestra flagitamus per apostolica privilegia confirmari & corroborari, ut ne quis deinceps cognito hujus nostræ donationis, concessionis, & recommendationis tenore auctoritate apostolica confirmato, in aliquo ausu temerario contraire præsumat. Datum Tharsi Ciliciæ medio mense Aprilis.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Nonas Augusti, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

* Vide gesta Innoc. III. cap. 116.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Priori sancti Demetrij Thessalonicensis, & procuratori episcopatus Dimicensis.

LAcrymabilem venerabilis fratris nostri Cardicensis Episcopi &c. *ut suprà epist. C I. usque* Fermopilensis, quibus Episcopus ipse causam super hoc obtinuit delegari, eum in possessionem castri prædicti & pertinentiarum ipsius ac casalium omnium & possessionum pertinentium ad Ecclesiam Cardicensem causa rei servandæ miserunt, fratres ipsos, quia contumaciter resistebant, excommunicationis vinculo innodantes, nobis humiliter idem Episcopus supplicavit ut eandem excommunicationis sententiam auctoritate dignaremur apostolica roborare ac ratum habere processum judicum prædictorum. Ceterùm quidam de fratribus dicti Hospitalis coram dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinale, quem eis dedimus auditorem, mandatum ab eorum magistro procuratorium exhibentes, proposuerunt è contrà quòd idem Episcopus super præmissis composuerat cum eisdem, nobis humiliter supplicantes ut compositionem ipsam auctoritate curaremus apostolica confirmare. Præfatus verò Episcopus humiliter supplicavit ut quia eadem compositio redundat in enorme damnum Ecclesiæ Cardicensis & sine consensu Capituli facta fuit, pro qua etiam compositione irritanda nuntius & procurator Ca-

Epist. 110. Cōmittitur ex causa Episcopi Cardicensis solvendis Hospitalarios.

pituli ad hoc specialiter destinatus nobis humiliter supplicavit, illam irritare auctoritate apostolica dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam auctoritate nostra facientes appellatione remota inviolabiliter observari, causam convocatis partibus audiatis, & quod canonicum fuerit appellatione postposita decernentes, faciatis quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; attentiùs provisuri ut fructus Ecclesiæ suæ, quos iidem fratres percepisse dicuntur, & castrum prædictum, quod detinetur ab ipsis, eidem sublato appellationis obstaculo restitui cum integritate debita faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani XIX. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

MABILIÆ MVLIERI *Ianuensi.*

Ex ipsi. 121. Vi fructus pignoris in sorte computentur.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, sententiam quam dilectus filius noster Pelagius sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconus Cardinalis pro causa quæ vertebatur inter te ac dilectum filium Henricum Mallon. super medietate domus & turris de Moneta, terra de Sauri, & quadam summa pecuniæ, de mandato nostro rationabiliter promulgavit, sicut est justa, & in ipsius Cardinalis authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. cujus tenor est talis. PELAGIVS Dei gratia sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconus Cardinalis, dilectæ in Christo Mabiliæ mulieri Ianuensi salutem in omnium salvatore. Cùm olim ab Ottone judice sexaginta libras mutuò accepisses, Henrico Mallon. fratre tuo & duobus aliis, præter obligationem aliam, fidejussoribus sibi datis, licèt sub pœna dupli eos indemnes promiseris conservare, adveniente solutionis termino non solvisti, propter quod præfatus Henricus frater tuus, creditore sibi suam contra te actionem cedente, in sexaginta libris satisfecit eidem. Cùmque post annum, quo in mora fuisti solvendi, dictus Henricus te coram Consulibus Ianuensibus convenisset, centum viginti libras à te nomine sortis & pœnæ seu damni petens, tu sexaginta libras te sibi debere, quas idem pro te creditori solverat, recognoscens, alias sexaginta negasti, asserens nullum eum ex hoc damnum aliquatenus incurrisse. Demum Cardinale marito tuo, quem procuratorem institueras, nec pignus banni dare Consulibus nec respondere volente, iidem Consules laudaverunt quòd idem Henricus valens centum viginti libras in tuis bonis haberet, per civitatem præconisari nihilominus facientes quòd quicunque medietatem domus & turris de Moneta & terram de Sauro ad te pertinentem vellet emere, cum prædicto Henrico de pretio conveniret. Interim autem à te ac marito tuo pro centum viginti libris possessionibus quibusdam distractis, memorati Consules auferentes vobis sexaginta de illis, memorato Henrico solverunt, pignoribus eidem pro sexaginta libris tantummodo remanentibus obligatis. Ceterùm post biennium elapsum à sententia Consulum prædictorum, idem Henricus pignora, quæ ducentas quinquaginta libras communi extimatorum extimatione valebant, duobus consanguineis suis pro libris sexaginta distraxit, pro eadem summa recomparans postea eadem ab eisdem. Qui cum processu temporis à sæpedicto Cardinale marito tuo super restituendis prædictis possessionibus & usuris fuisset coram venerabili fratre nostro Archiepiscopo Ianuensi conventus, ad sedem apostolicam appellavit. Vbi cùm de communi assensu partium ad eundem Archiepiscopum litteræ fuissent obtentæ, idem Archiepiscopus auditis hinc inde propositis, Consulum sententiam confirmavit, actione de fraude venditionis eidem Cardinali servata; qui ab eodem Archiepiscopo reputans se gravatum, ad sedem apostolicam appellavit. Eodem itaque Cardinale ac B. adversæ partis procuratore in nostra præsentia ex delegatione apostolica constitutis, idem B. ab observatione judicij memorati petiit se absolvi, cùm causa ipsa, sicut idem conabatur astruere, civilis esset & inter personas laicas agitata, & ipsius cognitio ad Ecclesiam nullatenus pertineret; maximè cùm jam dudum pro H. fuerit sententia lata, quæ in auctoritatem rei transiit judicatæ. Ex tua verò fuit parte propositum quòd cùm causa eadem de utriusque partis procura-

„ torum assensu fuerit Archiepiscopo memo-
„ rato commissa, & ab eodem pro Henrico
„ sententia lata, quam etiam idem H. sub
„ eo litigans approbavit, viginti sex libras
„ sex solidis minùs, quæ sorti sibi debitæ
„ minùs licitè accesserunt, percipiens ultra
„ sortem adjudicatam eidem, jure ad judi-
„ cium ecclesiasticum pertinebat. Nos igitur
„ utriusque partis allegationibus, instrumen-
„ tis, concessionibus, & rationibus aliis di-
„ ligenter inspectis & cognitis, quod à sæ-
„ pedicti Henrici procuratore de ecclesiasti-
„ ca jurisdictione proponitur omnino frivo-
„ lum reputantes, cùm idem H. in judicium
„ Ecclesiæ consenserit sua sponte, de pru-
„ dentum virorum consilio sententiam Con-
„ sulum confirmamus. Verùm cùm post so-
„ lutionem sexaginta librarum, quas Con-
„ sules eidem H. fecerunt persolvi, nonnisi
„ pro residuis sexaginta memorata pignora
„ remanserint obligata, nec Consulum in-
„ tentio fuerit quòd res ducentas quinqua-
„ ginta libras valentes eidem H. pro sexa-
„ ginta cederent in solutum, sed satisfacto
„ sibi de ipsis, idem eas restituerit debitori,
„ & eidem H. viginti sex libras sex solidis
„ minus ante distractionem rerum ex fructi-
„ bus perceperit earundem, quas in sorte
„ debuit computare, cùm fructus à credito-
„ re seu fidejussore percepti secundùm jura
„ civilia extenuent debiti quantitatem, te ad
„ supplementum sexaginta librarum, viginti
„ sex libris sex solidis minùs perceptis ex fru-
„ ctibus computatis in eis Henricum & eun-
„ dem Henricum tibi ad restitutionem su-
„ pradictæ medietatis domus & turris de Mo-
„ neta cum terra de Sauro sententialiter
„ condemnamus.] Nulli ergo omnino ho-
minum liceat hanc paginam nostræ confir-
mationis infringere vel ei ausu temerario
contraire. Si quis autem hoc attentare
præsumpserit &c. *usque* incursurum. Da-
tum Laterani xv. Kal. Septembris, pon-
tificatus nostri anno tertiodecimo.

CATHOLICO, ARCHIEPISCOPIS & Episcopis per Armeniam constitutis.

Epist. 122. Datur eis privilegium.

CVm juxta canonicas & legitimas san-
ctiones sententia quæ à non suo ju-
dice fertur in quemquam, nec nomen
sententiæ mereatur habere, præsentium
auctoritate statuimus ut nullus omnino qui
ordinariam vel delegatam jurisdictionem
in vos vel vestros subditos non habuerit,
sententiam ferre præsumat; quæ si forsan
lata fuerit, ipsam decernimus irritam &
inanem. Firmiter etiam inhibemus ne quis
jurisdictionem in vos vel subditos vestros
habens, vos aut ipsos injustè molestet.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostræ constitutionis & inhibi-
tionis infringere, vel ei ausu temerario
contraire. Si quis autem hoc attentare
præsumpserit &c. *usque* incursurum. Da-
tum Laterani xiii. Kal. Septembris, pon-
tificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO CREMONENSI.

Epist. 123. De controversia pro principatu Antiocheno. *Vide lib.* 2. *epist.* 252. 253. *& lib.* 12. *epist.* 45. *& gesta innoc.* III. *cap.* 111. *& seqq.*

OCcasione discordiæ quæ inter caris-
simum in Christo filium nostrum
Leonem illustrem Regem Armeniæ nomi-
ne R. nepotis sui ex parte una & dilectum
filium nobilem virum Comitem Tripolita-
num ex altera super principatu Antioche-
no agitari dinoscitur, gravia personarum
& rerum hactenus pericula provenerunt,
& nisi fuerit judicio vel concordia termi-
nata, graviora timentur proculdubio pro-
ventura. Vnde nos, qui juxta verbum A-
postoli facti sumus sapientibus & insipien-
tibus debitores, & de regno Dei tollere
scandala ex debito tenemur officij pasto-
ralis, diversis personis sæpe super ipso ne-
gotio direxisse meminimus scripta nostra.
Sed humani generis inimico, qui paci fide-
lium invidet, faciente, idem non potuit
negotium terminari, sed necdum auspicia
judicialis conditionis accepit. Nuper au-
tem præfatus Rex, dilectis filiis Abbate
sanctæ Mariæ trium arcuum & Arcivardo
Milite & Bovone Latino Cancellario suo
ad sedem apostolicam destinatis, per eos-
dem nobis humiliter supplicavit ut cùm
ejus desiderii votum existat ut contra Chri-
stianos nullatenus arma sumat, sed acies
suas dirigat contra inimicos fidei Christia-
næ, supradicto pupillo nepoti suo super
principatu jamdicto justitiæ faceremus ple-
nitudinem exhiberi. Cùm igitur plenam
geramus de tua discretione fiduciam, &
ejusdem negotij merita ex magna tibi par-
te sint nota, de fratrum nostrorum consi-
lio causam ipsam sub hac forma tibi duxi-
mus committendam, per apostolica scrip-
ta mandantes quatinus cùm ad partes illas
Deo duce perveneris, ad concordiam
utramque partem moveas efficaciter & in-
ducas. Quæ si fortè nequiverit provenire,
tu associatis tibi duobus viris providis &
honestis in quos partes convenerint, au-
dias causam ipsam, & eandem cum ipsis
vel eorum altero, si ambo nequiverint in-
teresse, sublato cujuslibet contradictionis
vel appellationis obstaculo fine debito ter-
minare procures, illud idem neutro eorum
interesse valente facturus nihilominus per

re ipsum. Quòd si partes in hujusmodi viros nequiverint convenire, venerabilem fratrem nostrum Ierosolymitanum apostolicæ sedis Legatum & Antiochenum Patriarchas in collegas assumas, cum quibus vel eorum altero secundùm præscriptã formam eandem causam appellatione remota decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticã firmiter observari. Si verò alterutra partium duxerit resistendum, tam per indigenas terræ quàm etiam peregrinos rebellionem ejus facies edomari. Provisò prudenter ut interim nulla penitùs inter dictos Regem & Comitem guerra fiat, sed treugæ ad invicem observentur, ad quas utramque partem volumus & mandamus, si fuerit necesse, compelli, cùm simul non sit & armis & legibus contendendum. Ceterùm si quicquam humanitus tibi contigerit, propter quod mandatum non possis apostolicum adimplere, illud ipsum duo pariter Patriarchæ freti auctoritate præsentium exequantur. Datum Laterani &c. per totum ut in alia.

VNIVERSIS ABBATIBVS nigri ordinis per Rothomagensem provinciam constitutis.

Epist. 124. De Capitulo celebrando semel in anno.

ORdinem religionis plantare ac fovere plantatum ex officij nostri debito provocamur, & sic religiosorum petitionibus apostolicum nos convenit præbere patrocinium & favorem quòd sub regimine ac gubernatione nostra valeant assiduis proficere incrementis. Sanè gaudemus in Domino, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, quòd divinitus inspirati ad corrigendos excessus qui aliquando in vestris monasteriis, suadente inimico humani generis, committuntur, studium efficax adhibetis ut inquinamentis malitiæ ac dissolutionis vitiis abdicatis, efficaciùs possitis vos divinæ subdere servituti, & per opera pietatis gratiorem præstare altissimo famulatum. Vt autem per favorem apostolicum regularia suscipiant instituta vigorem, neque possint per alicujus insolentiam enervari, ut liceret vobis de nostra permissione petistis semel in anno sub aliquo Abbate religioso & humili ejusdem provinciæ Capitulum celebrare: ubi per consultationem omnium, tam Abbatum excessus quàm dissolutiones monachorum, salvo per omnia jure Prælatorum comprovincialium, compescantur; volentes de quarto in quartum annum per vos vel nuntios vestros ad Apostolorum limina visitanda teneri; recepturi à nobis salubria monita & præcepta, quibus vigor religionis monasticæ foveatur. Nos verò vestris postulationibus annuentes, caritati vestræ concedimus ut hoc salutare propositum incipiatis exequi diligenter, & quid ex ipso proveniat nobis fideliter intimetis; ut si viderimus quòd per executionem ipsius religionis honestas suscipiat incrementum, quod ad robur perpetuæ firmitatis super eo fuerit statuendum, securiùs & cautiùs statuamus. Datum Laterani XIII. Kal. Septembris, anno tertiodecimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Hospitalis Theutonicorum Acconensi.

Epist. 125. Ne alba pallia deferant.

SVam nobis dilecti filij fratres militiæ Templi querimoniam obtulerũt quòd cùm in primordio institutionis ordinis sui eis fuerit ab apostolica sede concessum ut in religionis signum milites militiæ Templi albis palliis uterentur ad differentiam aliorum, vos, in confusionem ordinis supradicti, nuper alba pallia portare cœpistis. Nolentes igitur ut ex hoc inter vos & ipsos æmulationis seu discordiæ materia suscitetur, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus vestro contenti habitu existentes, hujusmodi alba pallia, quæ, sicut præmissum est, in signum religionis concessa fuerunt Templariis antedictis, nullatenus deferatis. Alioquin venerabili fratri nostro Patriarchæ Ierosolymitano apostolicæ sedis Legato nostris damus litteris in mandatis ut inquisita plenius & cognita veritate, id appellatione remota super hoc statuat quod religioni pariter & saluti viderit expedire. Datum Laterani VI. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

IEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ apostolicæ sedis Legato.

Epist. 126. Super eodem.

SVam nobis dilecti filij &c. *in eundem modum ut in alia usque* ad differentiam aliorum, dilecti filij Magister & fratres Hospitalis Theutonicorum Acconensis in confusionem ordinis supradicti nuper alba pallia portare cœperunt. Nolentes igitur ut ex hoc inter prædictos fratres æmulationis seu discordiæ materia suscitetur, eisdem Magistro & fratribus Hospitalis dedimus in præceptis ut suo contenti habitu existentes, hujusmodi alba pallia nullatenus deferant, quæ, sicut præmissum est, in religionis signum concessa fuerunt Templariis antedictis. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita plenius & cognita veritate, id

ſuper hoc ſtatuas appellatione remota quod religioni pariter & ſaluti videris expedire, faciens quod ſtatueris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Datum ut in alia per totum.

ROTOMAGENSI Archiepiſcopo.

Epiſt. 127. Reſponſet ad ejus conſulta. Cap. Cùm contingat. De ætate & qual. ord.

CVm contingat interdum quòd laici ad monaſteria convolantes, à ſuis Abbatibus tonſorentur, apoſtolicæ ſedis oraculum requiſiſti an clericatus ordo in tonſura hujuſmodi conferatur. Super quo fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm in ſeptima ſynodo ſit ſtatutum ut lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio monaſterio ſolummodo faciendi, dummodo ipſi ab Epiſcopo, ſecundùm morem perficiendorum Abbatum, manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere ſacerdotem, per primam tonſuram à talibus Abbatibus juxta formam Eccleſiæ datam clericalis ordo confertur. Præterea cùm quidam ſuper aliquo litigantes, ad diverſos judices litteras impetrant, quorum quidam obtenti à parte altera tibi mandant ut partem adverſam denunties excommunicationis ſententiæ ſubjacere, aliis judicibus tibi poſtmodum injungentibus ut eandem denunties abſolutam, quæris à nobis an utriſque, vel neutris, vel alterutris ſaltem obedire debeas in hac parte. Super quo tuæ prudentiæ reſpondentes, credimus diſtinguendum an cùm primum mandatum recepiſſe dinoſceris, tibi forſan innotuit inter illos & alios ſuper juriſdictione diſcordiam ſuſcitatam, an ſuper hoc nihil omnino ſciviſti. Et quidem ſi ſuper contentione hujuſmodi nihil tibi penitùs innoteſcit cùm primum mandatum recipere te contingit, illud debes humiliter executioni mandare. Sed ſi poſtea contrarium tibi ab aliis demandetur, tunc litterarum ad utroſque à ſede apoſtolica obtentarum copia poſtulata, quas auctoritate præſentium diſtrictè præcipimus exhiberi, ſi ex ipſarum tenore deprehenderis evidenter, ita quòd non ſit aliquatenus hæſitandum, quòd litteræ quæ ad illos à quibus ſecundum mandatum receperis impetratæ noſcuntur, expreſsè revocent litteras aliorum, tu illud intrepidus exequaris quod ſecundo tibi loco mandatur. Si verò ex litterarum inſpectione * manifeſtè tibi conſtet quòd litteræ obtentæ ad illos qui primum dedere mandatum per alias minimè revocantur, ſecundum mandatum nullatenus exequaris.

Cap. Cùm contingat. De reſcript.

** In quarta collect. manifeſtiſſimè*

Quòd ſi ſuper hoc tibi fuerit meritò dubitandum, ad exequendum ſecundum mandatum te procedere non oportet donec juxta cujuſdam noſtræ conſtitutionis tenorem inter eos hujuſmodi contentio ſopiatur. Et id ipſum facere debes, ſi primo mandato recepto, & nondum executioni mandato, tibi forſitan innotuerit quòd inter ſe, ſuper juriſdictione videlicet demandata, cœperint diſceptare. Ceterùm in his omnibus puram & providam te convenit intentionem habere, ne vel ad declinandum mandatum dubitare te dicas ubi dubitandum non eſt, vel ad mandatum etiam exequendum te aſſeras eſſe certum ubi certus eſſe non debes. Licèt autem ex his certa tibi detur doctrina qualiter in hujuſmodi debeas te habere, nulla tamen attribuitur poteſtas ut inter delegatos aut partes de juriſdictione debeas judicare. Inſuper requiſiſti, cùm quis conqueritur in ſe à ſuo Epiſcopo poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam vel aliàs injuſtè excommunicationis ſententiam promulgatam, & nos judicibus damus noſtris litteris, in mandatis ut ſi ita eſt, vel juxta formam Eccleſiæ illis beneficium abſolutionis impendant, vel eandem ſententiam denuntient nullam eſſe, ac Epiſcopus paratus ſit probare ſe in illum, antequam vocem appellationis emitteret, vel aliàs juſtè hujuſmodi ſententiam protuliſſe, an probationibus non admiſſis, judicibus liceat excommunicatum abſolvere, vel denuntiare ſententiam nullam eſſe. Ad quod tibi taliter reſpondemus, quòd ſuper jamdicto caſu non conſuevimus, ſi bene meminimus, ſub præſcripta forma judicibus ſcribere, ſed ſub iſta; ut videlicet, ſi excommunicationis ſententiam poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam * invenerint eſſe latam, ipſam denuntiantes penitùs nullam eſſe, audiant ſi quid fuerit quæſtionis; alioquin recepta juxta formam Eccleſiæ cautione impendant abſolutionis beneficium conquerenti; & injuncto ſibi quod de jure fuerit injungendum, audiant cauſam, & eandem fine debito terminare procurent. Sed ſi forſan appareat nos in jamdicto caſu ſub prænotata quandoque forma ſcripſiſſe, & in altero utique caſuum prædictorum, cùm videlicet quis conqueritur ſe poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam excommunicatione fuiſſe notatum, ſemper utriuſlibet partis probationes ſunt admittendæ antequam ad decernendum ſuper hoc aliquid procedatur; per quas denique apparebit an abſolutione

Cap. Paſtoralis. De reſcript.

Cap. Cùm contingat. De ſenſa. peſſiſ.

** In quarta collect. inventoris, & denuntiatis, & audiatis*

absolutione indigeat conquerens, vel denuntiandus sit potiùs non ligatus. In reliquo verò casu, cùm videlicet excommunicatum quis se asseverat injustè, vix * unquam ejus est, antequam absolutus fuerit, probatio admittenda; nisi tunc tantùm cùm asserit in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum. ad quod probandum admittitur antequam absolutionis gratiam consequatur. Verùm si proponat se simpliciter excommunicatum injustè, ac Episcopus ad probandum quòd justè ipsum excommunicaverit suas postulet probationes admitti, non est ante absolutionem illius aliquatenus audiendus; cùm etsi pro certo constaret in illum rationabiliter excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus ei esset absolutio secundùm * formam Ecclesiæ impendenda humiliter postulanti. Et ideo in hoc casu illum credimus juxta formam Ecclesiæ protinus absolvendum; ut sic demum probationibus utriusque partis admissis, utrum justè an injustè ligatus fuerit decernatur. Datum Laterani Kal. Septembris, anno tertiodecimo.

* Cod. Colbert. vix aut nunq.

* Cod. Colbert. Ro. Ec. confirmationem imp.

GNESNENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 128. De Pressis novitiis conversis. Vide lib. 15. epist. 145. 146.

COelestis agricola Iesus Christus semetipsum vitem veram & fertilem in vinea sua electa plantavit; ex qua multitudo palmitum prodiens, non solùm illam amœnam viroribus, verùm etiam fructibus redderet gratiosam. Ex ista nimirum vite tot quotidie palmites pullulant quòd in ecclesiasticæ unitatis radice fundati, ad sanctæ conversationis studium extendentes se per opera pietatis, non solùm internæ gratiæ virore turgescunt, sed etiam laudabili exercitatione fructificant in profectibus proximorum. In hac siquidem laborare vinea dilecti filij Christianus, Philippus, & quidam alij monachi pio desiderio cupientes, illius dudum amore succensi qui neminem vult perire, ad partes Prussiæ de nostra licentia in humilitate spiritus accesserunt, ut ibidem semen verbi dominici seminando, in umbra infidelitatis & tenebris ignorantiæ positos ad semitam reducerent veritatis; quod cùm in terram bonam & fertilem cecidisset, fructum protulit opportunum; & ejus gratia præeunte qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, & ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, quidam magnates & alij regionis illius sacramentum baptismatis receperunt, & de die in diem proficere dinoscuntur in doctrina fidei orthodoxæ; sicut iidem monachi nuper ad sedem apostolicam venientes nostro apostolatui reserarunt. Cùm igitur hujusmodi novella plantatio beneficio irrigationis indigeat, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandadamus quatinus eisdem monachis & fratribus suis necnon & aliis ad fidem de novo conversis in ecclesiasticis sacramentis & aliis quæ ad ampliandum Christianæ religionis cultum spectare noscuntur tamdiu curam officij pastoralis impendas donec, divina faciente clementia, adeo ibidem numerus fidelium augeatur ut proprium possint * Episcopum obtinere. Episcopos etiam & alios Ecclesiarum Prælatos ac terræ magnates moneas sollicitiùs & inducas ut pro Deo & propter Deum eis propitij ac favorabiles existentes, ubi dignum fuerit gratiam, solatium, & humanitatem impendant. Datum Laterani 11. Nonas Septembris, anno tertiodecimo.

Vide Raynald. an. 1210. §. 27. & an. 1212. §. 5.

* Eis postea idem Christianus datus est Episcopus. Vide Bzovium ad an. 1220. §. 5.

IOHANNI EPISCOPO Albanensi.

Epist. 129. Confirmat quandam sententiam.

HIs quæ judicio sunt vel concordia terminata decet nos robur apostolicum impertiri; ne sopitæ querimoniæ reviviscant, & relabantur iterum in recidivæ scrupulum quæstionis. Cùm igitur dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis causam quæ inter te ex parte una & monasterium Criptæ ferratæ ex altera vertebatur super institutione ac destitutione Presbyteri Ecclesiæ sancti Nicolai de Neptuno sententiæ calculo duxerit terminandam, nos tuis justis precibus inclinati, eandem sententiam, exigente justitia promulgatam, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus; cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus adnotari. IN NOMINE patris & filij & spiritus sancti. Amen. Cùm causam quæ super Ecclesia sancti Nicolai de Neptuno inter Dominum Iohannem Albanensem Episcopum ex una parte & Abbatem de Cripta ferrata ex altera vertebatur nobis Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali Dominus Papa mandaverit audiendam, procurator Episcopi pro parte sua contra Abbatem coram nobis proposuit quòd Abbas & monachi de Cripta ferrata privaverant administratione Presbyterum Ecclesiæ prænominatæ, quem ad repræsentationem Abbatis & monachorum jamdictus Episcopus investiverat & instituerat pro persona in jamdicta Ecclesia, & idem Presbyter eidem, ut suo Episcopo,

» fidelitatis more solito præstiterat juramen-
» tum. Vnde cùm prædicta Ecclesia de
» Neptuno sit præfato Episcopo diocesana
» lege subjecta, petebat restitui sacerdotem
» ad administrationem & personatum, ut &
» eidem Episcopo de spiritualibus, monachis
» verò de temporalibus responderet. Yco-
» mus verò monasterij è contrà respondebat
» administrationem tam in temporalibus
» quàm in spiritualibus & Ecclesiam sæpe-
» dictam ad monasterium tantummodo per-
» tinere, nec in aliquo Episcopo teneri, cùm
» sit ipsum monasterium Romanæ Ecclesiæ
» speciale, ac exemptum tam in capite quàm
» in membris, quod probare per sua privile-
» gia intendebat, quæ post multas inducias
» & terminos peremptorie sibi datos ad pro-
» bandam suam intentionem coram nobis
» exhibere in judicio non curavit. Dicebat
* tantùm » *tandem, de longa consuetudine Abba-
» tem & monachos habere potestatem in Ec-
» clesiis suis administratorem temporalium li-
» berè ordinare. Quod cùm probare noluis-
» set, idem yconomus postmodum confessus
» fuit in nostra præsentia quòd Episcopus
» præfatum sacerdotem in supradicta Eccle-
» sia ad repræsentationem Abbatis & mona-
» chorum instituit & confirmavit. Nos verò
» visis & auditis allegationibus hinc inde pro-
» positis & confessionibus utriusque partis,
» dicimus Presbyterum sæpedictum resti-
» tuendum ad administrationem & persona-
» tum Ecclesiæ memoratæ.] Nulli ergo om-
nino hominum liceat hanc paginam nos-
træ confirmationis infringere, vel ei &c.
usque incursurum. Datum Laterani 11. Kal.
Septembris, anno tertiodecimo.

EPISCOPO PARISIENSI.

Epist. 130. Vt præbenda reservata conferatur consanguineo Papæ.

AD signandum devotionis affectum quam erga nos te non ignoramus habere, præbendam in Ecclesia Parisiensi vacantem in manu propria reservasti, cuicunque vellemus, sicut per tuas nobis intimasti litteras, conferendam, habiturus gratissimum si alicui de sanguine nostro conferre dignaremur eandem, quem ob nostram reverentiam & amorem honoraturum te asseris & sinceriss imè dilecturum. Super quo liberalitatem tuam in Domino commendantes, de tantæ devotionis indicio gratiarum tibi referimus actiones. Dignum itaque reputantes ut de tuo munere tuo satisfiat affectui, præbendam ipsam dilecto filio Benedicto consanguineo nostro, adolescenti siquidem bonæ indolis, quem non minùs signa virtutum, quæ in tenera videntur ætate præludere, quàm sanguis aut caro nobis reddunt acceptum, duximus concedendam, sperantes quòd tunc maximè prælibatam præbendam ordinatam esse gaudebis ad votum cùm per ipsum & ex ipso Domino concedente videbis tibi & Ecclesiæ tuæ gratum provenire profectum. Quocirca fraternitatem tuam monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus dilectum filium magistrum Peregrinum Capellanum nostrum vice ac nomine præfati Benedicti ad eandem præbendam recipi facias in Canonicum & in fratrem, & stallo Chori ac loco Capituli sibi assignato, de more ipsum in corporalem ejusdem præbendæ possessionem inducas, & inductum facias eam pacificè possidere. Nos enim eundem Benedictum ad te, opportunitate recepta, dante Domino transmittemus. Datum Laterani Idibus Septembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

MAGISTRO PEREGRINO Capellano nostro.

Epist. 131. Super eod.

AD signandum devotionis affectum quam venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum erga nos non ignoramus habere &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* profectum. Vnde ipsi per scripta nostra mandamus ut te vice ac nomine præfati Benedicti ad eandem præbendam recipi faciat in Canonicum & in fratrem, & stallo Chori ac loco Capituli tibi assignato, de more te in corporalem ejusdem præbendæ possessionem inducat, & inductum faciat pacificè possidere. Nos enim eundem Benedictum ad ipsum, opportunitate reperta, dante Domino transmittemus. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus super hoc quod ad te pertinet exequaris. Datum &c. *ut in alia per totum.*

TVRONENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Engolismensi, & Abbati Gratiæ Dei Cistercienſis ordinis.

Epist. 132. Sententia excommunicationis contra Cellenses.

DEtestabile facinus & piaculare flagitium quod à quibusdam filiis Belial, nonnullis Canonicis Cellensis Ecclesiæ instigantibus, sicut nobis venerabilis frater noster Pictavensis Episcopus intimavit, nuper extitit in Cellensi Ecclesia perpetratum, maximam non immeritò menti nostræ amaritudinis causam ingessit, dum viperea soboles in proprij parentis necem exarsit, & perditionis filij sui patris interitum inofficioso non sunt veriti malignitatis studio machinari. Quem siquidem tam

crudelis horror & horribilis crudelitas audita non moveat, dum pastori ab ovibus, magistro à discipulis, & patri à filiis mortis dispendia procurantur? In hac nimirum parricidij horrendi atrocitate naturalis affectionis juri detrahitur, vituperatur ministerium clericale, ac regularis reverentiæ puritas dissipatur. Sicut enim tenor litterarum ejusdem Episcopi nos edocuit, sibi & Capitulo Pictavensi multis Abbatibus & aliis viris peritis præsentibus est relatum quòd Iohanne Cantore, A. Eleemosynario, Guillelmo de Lobea & Guillelmo de sancto Leodegario Canonicis Cellensibus procurantibus, à quatuor sicariis, qui ab illis ob hoc sexaginta libras acceperant, Abbas Cellensis, vir providus & honestus, dum ad matutinas accederet, nequiter extitit interfectus, quadraginta plagis & amplius inflictis eidem. Cùm autem hæc vera esse, non solùm per bonos viros & sacerdotes, verùm etiam per eosdem sicarios, qui dum in carcere principis tenerentur, coram nuntiis suis & multis aliis ea publicè confessi fuerant, præfatus Episcopus didicisset, & deliberasset cum viris prudentibus & discretis qualiter esset in hoc negotio procedendum, diversa reperit consilia diversorum; nonnullis asserentibus hujusmodi perversitatis actores, non per seculare brachium, sed per ecclesiasticum judicium puniendos; aliis affirmantibus ipsos propter enormitatem criminis relinquendos curiæ seculari, ut ultore materiali gladio, pœnam exciperent sibi dignam. Alios quoque Canonicos illius malignitatis ignaros asseverabant aliqui in detestationem criminis de ipsa Ecclesia depellendos; ut secundùm evangelicam veritatem malis malè perditis, vinea Domini Sabaoth bonis agricolis locaretur; maximè cùm paucis quandoque peccantibus, ira Dei desæviisse legatur in multos. Quidam verò dicebant quòd culpa suos tenere debebat auctores, ne ultra progrederetur pœna quàm inveniretur delictum, cùm nullius crimen maculet nescientem. Licèt autem in tanta varietate consilij cœperit jam dictus Episcopus fluctuare, attendens tamen exẽplo pernicioſum existere si omitteretur tantum facinus impunitum, & quòd Canonici supradicti longè antè incorrigibiles fuerant & rebelles, & commonitionis suæ iteratæ sæpius contemptores, quòdque essent fornicatores, adulteri, negotiatores, & usurarij manifesti, tandem consilium hoc providit, ut universis Canonicis ab Ecclesia memorata depulsis, loco eorum sancti Victoris Parisiensis Canonici subrogentur, hoc ipsum in suspenso tenendo donec super eo nostræ recipere beneplacitum voluntatis. Volentes igitur ut in tanti criminis pœna discant alij à consimili culpa cessare, communicato fratrum nostrorum consilio, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus illos quos vobis constiterit hujus fuisse iniquitatis actores ab omni ordine clericali sublato cujuslibet appellationis obstaculo degradetis, eosdem, si grave scandalum non timetur, apud aliqua monasteria singillatim in arctis carceribus concludentes, in quibus pane tribulationis & aqua doloris ad agendam perpetuam pœnitentiam sustententur. Si verò grave scandalum formidetur, quod minimè conquiescat postquam etiam reos sanguinis vestris curaveritis intercessionibus defensare, vos eosdem publicè degradatos, ad pœnitentiam studiosè commopitos, relinquatis curiæ seculari juxta constitutiones legitimas puniendos. Quòd si alij Canonici hujus criminis inscij incorrigibiles hactenus extiterunt, & prælibatis sunt criminibus irretiti de quibus in suis fecit memoratus Episcopus mentionem, volumus & mandamus ut per ordinem sancti Victoris Cellensis Ecclesia reformetur; quem si aliqui ex prædictis Canonicis recipere voluerint humiliter & servare, vos eosdem ibidem remanere sinatis. Alioquin ad arctiora monasteria transmittatis eosdem; contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XIII. Kalend. Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

vide tom. 4. Gall. Christ. pag. 357.

PETRO NIGRO CANONICO sancti Vrsini Bituricensis.

Epist. 1534. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum præstante Domino justis modis poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem præbendam sancti Vrsini Bituricensis, sicut eam justè possides & quietè, tibi auctori-

tate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani x. Kal. Octobris, anno tertiodecimo.

*NOVARIENSI *ELECTO.*

* Eidem inscripta est epistola 15. lib. 12. *Epist.* 134. De causa Episcopi Albiganensis. *Vide lib.* 11. *epist.* 187.

EX litteris venerabilis fratris nostri Patriarchæ Antiocheni, tunc Yporiensis Episcopi, & tui tunc de Tilieto Abbatis, meminimus recepisse quòd cùm dudum ad Albiganensem Ecclesiam unà cum venerabili fratre nostro Pisano Archiepiscopo, tunc Episcopo Vercellensi, accessissetis, visitationis officium impleturi, Albiganensis Episcopus, inter cetera quæ proposita fuerant contra ipsum, hoc vobis ore proprio est confessus, quòd cùm quidam in villa quadam ad ipsius jurisdictionem spectante infamaretur de furto, & idem illud inficiaretur omnino, offerens quòd candentis ferri judicio se purgaret, adiciendo ut suspendio puniretur si deficeret in eodem, dictus Episcopus à judice requisivit quid super hoc videretur eidem, & cùm judex respondisset ut fieret prout fur ipse petierat, ferrum candens in ipsius Episcopi præsentia est allatum; quod cùm arripuisset fur ille, combustus est. Vnde judex expavefactus, quid sibi super hoc videretur Episcopum consuluit memoratum; qui respondit quòd si fur sic evaderet, malum esset; quamquam per litteras quas nobis tunc idem direxit Episcopus affirmarit se talibus verbis usum fuisse: *Auditis quantus est clamor populi, omnes dicunt quòd malum est si evaserit impunitus.* & sic Episcopus & judex eandem villam cum multitudine populi sunt egressi; in quorum præsentia fur prædictus ipsius fuit Episcopi auctoritate suspensus. propter quod eundem cum vestris litteris ad nostram præsentiam destinastis; sed ipse nihil unquam super his proposuit coram nobis. Quinimmo statim ut dictus Archiepiscopus ad apostolicam sedem accessit, qui nobis rei seriem plenariè indicavit, idem Episcopus à nostra discessit præsentia, & perquisitus non potuit inveniri. Vnde nos cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti, quia sæpefatum Episcopum, non solùm in candentis ferri judicio, verùm etiam in furis suspendio graviter intelleximus deliquisse, cùm his non tantùm auctoritatem præstiterit, sed etiam præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum reputavimus ministerio altaris indignum. Et quia pontificale officium absque altaris ministerio non poterat adimplere, supradicto Patriarchæ ac tibi tunc dedimus in mandatis ut ad cessionem eundem Episcopum moneretis; alioquin auctoritate nostra ipsum ab Albiganensi Ecclesia sublato appellationis obstaculo amoventes, faceretis eidem de persona idonea per electionem canonicam provideri. Dictus verò Episcopus postmodum ad sedem apostolicam rediens, apud quam moram fecisse dinoscitur diuturnam, & se multipliciter satagens excusare, inter cetera proposuit coram nobis quòd aliter rei veritas se habuerat quàm in litteris fuerit supradictis expressum. quod se proposuit opportuno tempore probaturum. Quocirca devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus auditis quæ super præmissis idem Episcopus duxerit proponenda, & probationibus ejus admissis, si de his tibi per probationes legitimas sufficiens fuerit facta fides per quæ constet veritatem rei se aliter habuisse quàm in litteris fuerit supradictis expressum, & super præmissis innocentem Episcopum extitisse, cùm per sententiam ad falsam suggestionem latam eidem præjudicari non debeat, tu eum super præmissis absolvens, officium suum exequi liberè permittas eundem. Alioquin quod à nobis dudum super hoc extitit diffinitum facias appellatione remota executioni mandari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censura ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Datum Laterani Kal. Octobris, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Magdeburgensi.

Epist. 13 Confirmat quædam ordin.

CVm dilectus filius nobilis vir Albertus de Harnesten ad sedem apostolicam accessisset, litteris tuis & aliorum, frater Archiepiscope, qui simul interceſſere pro ipso, nobis humiliter præsentatis, absolutionis munus suppliciter postulavit & clementer obtinuit juxta formam Ecclesiæ, super eo quòd ex violenta detentione dilecti filij Præpositi Odonis Subdiaconi nostri ecclesiasticam se dolebat incurrisse censuram. Licèt autem se multipliciter excusaret, quòd videlicet nec ex malitia præconcepta, nec ex præcogitato consilio, sed ex subita moti pectoris levitate ac repentino cordis ad prolationem quo-

rundam verborum inflammati calore id fuerit perpetratum, demum tamen ad compositionem hujusmodi pro satisfactione Subdiacono ipsi præstanda spontanei devenerunt, ut videlicet idem nobilis honorificentiam illi & sibi verecundiam faciendo, cum ducentis militibus à loco in quo præfatum Subdiaconum captivavit usque ad civitatem Magdeburgensem & per omnes conventuales Ecclesias portet opprobrium quod harmiscare vulgariter appellatur, detque sibi centum milites in vassallos, qui nunquam à sua fidelitate recedant, ac turris in qua fuerat carceratus, funditus destruatur, & quinque libras usualis monetæ cui vel quibus Ecclesiis voluerit Subdiaconus antedictus, assignet annualiter in perpetuum exolvendas, petatque ab ipso veniam cum viginti nobilibus, reverentiam corporalem exhibendo de more; cum quibus etiam ipse juret se nequaquam præconcepisse in persona vel rebus eidem Subdiacono læsionem inferre, sed ex quadam vehementia & calore animi quod factum fuerat evenisse; quæ omnia infra sex hebdomadas postquam fuerit à prædicto commonitus Subdiacono, nisi forsan ipse majus spatium ei duxerit indulgendum, procurabit implere. Cùm igitur idem Subdiaconus ad preces & præceptum nostrum hæc ei de præscripta forma duxerit remittenda, ut nec turris in qua detentus extitit diruatur, nec memoratus nobilis reverentiam corporalem, quam sibi apud sedem exhibuit apostolicam, per se cogatur iterum exhibere, ipsum & socios suos qui cum eo ad sedem apostolicam accesserunt ad vos cum gratia & benedictione nostra duximus remittendos; injuncto sibi sub debito præstiti juramenti ut præscriptam compositionem observet, quam spontaneus noscitur iniisse; hanc etiam sibi gratiam ad preces ejusdem Subdiaconi facientes, quòd ceteri ejus socij, qui propter hoc fuerint absolvendi, pro absolutionis munere obtinendo laborare ad sedem apostolicam non cogantur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum nobilem de cetero propter hoc nec vos in aliquo molestetis, nec permittatis ab alio molestari, & tu, frater Archiepiscope, absolvendos ipsius socios secundùm Ecclesiæ formam absolvens, injungas eisdem quòd ex tenore compositionis prædictæ videris injungendum. Datum Laterani v. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ATHENIENSI ET NEOPATRENSI Archiepiscopis, & Episcopo Davaliensi.

Epist. 136. Scribitur pro Templariis.

GRavem dilectorum filiorum fratrum militiæ Templi recepimus quæstionem quòd cùm nobilis vir G. Marchio Pelavicinus & Meboffa Comestabulus quondam Marchionis Montisferrati quendam locum qui Sydonius dicitur, pertinentem ad ipsos, jamdictis fratribus concesserint intuitu pietatis, & ipsi quoddam castrum ibidem ad defensionem terræ construxerint non absque gravibus laboribus & expensis, carissimus in Christo filius noster Imperator Constantinopolitanus illustris castrum ipsum cum pertinentiis suis & quædam alia eis pro suæ abstulit arbitrio voluntatis, quæ quidam nobilis R. de Trabalia Citrensis diocesis ejus nomine in ipsorum fratrum detinet præjudicium & gravamen: qui licèt sæpius super hoc obtinuerint scripta nostra, suam tamen ob ipsius Imperatoris favorem & potentiam supradicti R. nequiverunt hactenus consequi rationem. Cùm igitur dictos fratres, qui pro servitio Iesu Christi multis laboribus se exponunt, nolimus ab aliquibus indebitè prægravari, per apostolica vobis scripta mãdamus quatinus detentorem ejusdem castri & aliarum rerum monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ac, si necesse fuerit, per excommunicationis in ipsum & in jamdictum castrum interdicti sententias, sublato appellationis obstaculo, compellatis ea omnia, sicut justum fuerit, fratribus restituere memoratis; supradicto Imperatori ex parte nostra nihilominus intimantes ut detentori prædicto vel aliis in eorundem fratrum injuriam vel gravamen nullum impendat auxilium vel favorem, cùm ex hoc graviter oculos divinæ majestatis offendat. Alioquin, quantumcunque sibi, utpote carissimo in Christo filio, deferre velimus, cùm eorundem fratrum tantam dissimulare injuriam nequeamus, in ipsum etiam officij nostri debitum exequi cogeremur. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani xv. Kal. Octobris, anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 137. De eodem argumento. Vide lib. 14. epist. 109.

DIlectorum filiorum fratrum militiæ Templi exposita nobis querimonia patefecit quòd cùm claræ memoriæ Bonifacius Marchio Montisferrati eis Ravennicam cum omnibus pertinentiis, honoribus, & juribus suis pia devotione contulerit ad subsidium terræ sanctæ, prout in ejus

authentico super hoc confecto plenius continetur, & eandem terram in vita Marchionis ipsius pacificè possiderint & quietè, postmodum carissimus in Christo filius noster Imperator Constantinopolitanus illustris ad partes illas accedens, supradictam terram eisdem abstulit violenter, quam quidam nobilis R. de Tribalia Citrensis dioecesis ejus nomine detinere præsumit in eorum præjudicium & gravamen; & licèt propter hoc sæpius miserimus scripta nostra, dicti tamen fratres suam nequiverunt hactenus consequi rationem. Cùm igitur dictos fratres, qui pro servitio Iesu Christi multis laboribus se exponunt, nolimus ab aliquibus indebitè prægravari, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus detentorem ejusdem castri & aliarum &c. *per totum ut in alia usque in finem.* Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

CAPITVLO THEBANO.

Epist. 138. De electione Archiepiscopi Thebani.

THebana dudum Ecclesia viduata pastore, A. Archidiaconus vester cum Gerardo de Besentun. & I. cognato suo propria vota direxit in venerabilem fratrem nostrum Davaliensem Episcopum pro vestro Pontifice postulandum, appellationem ad sedem apostolicam interponens ne ceteri Canonici procederent ad electionem aliam faciendam. Qui tandem convenientes in unum, appellatione hujusmodi pro inutili reputata, dilectum filium A. Capellanum carissimi in Christo filij nostri Constantinopolitani Imperatoris illustris concorditer in Archiepiscopum elegerunt. Postmodum autem electione ipsius venerabili fratri nostro Constantinopolitano Patriarchæ præsentata de more, cùm sibi demum per testes ab Archidiacono & ejus sociis introductos de appellatione interposita constitisset, negotium ipsum ad nostram præsentiam destinavit. Constitutis itaque partibus coram nobis, & quæ fuerunt hinc inde proposita plenius intellectis, postulationem de memorato Episcopo tantummodo factam à tribus, quamquam persona commendabilis haberetur, non duximus admittendam, electionem verò de Capellano præfato à sedecim regulariter celebratam, quia studiis & meritis potioribus juvabatur, justitia confirmavimus exigente. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus eidem electo tam in spiritualibus quàm temporalibus reverentiam & obedientiam debitam impendatis. Datum Laterani IV. Nonas Octobris, anno tertiodecimo.

CASTORIENSI ET ZARATORIENSI Episcopis Ecclesiæ Thebanæ suffraganeis.

Epist. 139. Venerabili Thebano electo reverentiam præstare.

THebana dudum Ecclesia viduata pastore, A. ipsius Ecclesiæ Archidiaconus cum Gerardo de Besentun. & I. cognato suo propria vota direxit in venerabilem fratrem nostrum Davalienſem Episcopum pro Thebano Pontifice postulandum, appellationem &c. *ut in alia per totum usque* exigente. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo reverentiam & obedientiam debitam impendatis. Datum ut in alia pet totum.

PRIORI SANCTI IOHANNIS in Monte Bononiensi, & Archipresbytero de Campo Gallano Mutinensis dioecesis, & G. Doctori decretorum Bononiæ Commoranti.

Epist. 140. Abbatem sancti Bartholomæi Ferrariæ.

EX litteris piæ memoriæ Huguccionis Episcopi & dilectorum filiorum Archipresbyteri & Præpositi Ferrariensium intelleximus quòd cùm olim inter B. tunc Abbatem & monachos sancti Bartholomæi de Ferraria gravi dissensione suborta, ipsi omnes communicato consilio in eundem Episcopum compromiserint, jurantes in omnibus ejus observare mandata, quæcunque faceret pro statu ipsius Ecclesiæ reformando, proponentibus demum monachis & conversis quòd sub ejusdem Abbatis cura nunquam proficere posset Ecclesia memorata, idem Abbas in manu ipsius Episcopi administrationi & abbatiæ spontaneus resignavit, assentiens quòd alius eligeretur ad ipsam. Ejus itaque cessione recepta, dictus Episcopus annuam sibi præbendam cum consensu constituit monachorum, quandam nihilominus ei Capellam assignans, & curam sibi conferens animarum. Cùmque postmodum Capitulum vota sua in duos fratres & præfatum Episcopum contulisset, ipsi sancti spiritus gratia invocata dilectum filium Iohannem tunc Priorem sancti Danielis, virum idoneum, elegerunt concorditer in Abbatem; sub cujus tandem regimine cùm Ecclesia proficere incepisset, memoratus B. diabolica suggestione compulsus ad abbatiam cui sic renuntiarat aspirans, litteras apostolicas ad Archipresbyterum de Greczano subripuit, facti præmissi tacita veritate. Qui rationabiles substituti Abbatis exceptiones recusans admittere per procu-

ratorem suum probare volentis litteras ipsas fuisse per mendacium impetratas, post appellationem ab eodem procuratore ad nostram audientiam interpositam, lite non contestata, pro sæpedicto B. temerariam sententiam promulgavit, præcipiens eam per Abbatem Nonantulanum & quosdam alios executioni mandari. Et licèt idem Abbas appellationem suam postmodum prosecutus, ad Abbatem sancti Michaelis apostolicas litteras obtinuerit, super ea nihilominus tamen præfatus B. ipsum non desiit per quasdam litteras molestare quas super confirmatione prælibatæ sententiæ se à nobis obtinuisse dicebat. Quapropter ad præsentiam nostram memoratus Iohannes Abbas accedens, non tam sibi quàm commissæ sibi Ecclesiæ petiit provideri, quæ hujus occasionis prætextu graviter læsa est & graviùs lædenda timetur. Volentes igitur indemnitati & paci ejus, sicut tenemur, adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, si dictum B. taliter abbatiæ ipsi renuntiasse constiterit, revocantes in irritum quicquid per litteras per ipsum vel pro ipso subreptas inveneritis attentatum, silentium super hoc ei perpetuum imponatis, & pro eo quòd abusus gratia sibi facta, repetendo improbè prælaturam cui spontaneè resignarat, Ecclesiam suam enormiter asseritur offendisse, compellatis eundem, præbenda & Capella memorata dimissa, vacare arctiùs regularibus disciplinis, ac prædictum Abbatem administrationis & loci sui faciatis pacifica possessione gaudere; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani III. Idus Octobris, anno tertiodecimo.

AL. RIGENSI EPISCOPO.

Epist. 141. Confirmatur quidam compositio.

CVm inter te ac fratres militiæ Christi super sorte terrarum quæ per gratiam sancti spiritus nuper sunt ad cultum fidei Christianæ conversæ sub examine nostro controversia verteretur, mediantibus demum nobis ad hanc concordiam deveniistis, ut videlicet ipsi fratres tertiam partem earundem terrarum, Lectiæ scilicet ac Livoniæ, teneant à Rigensi Episcopo, nullum sibi ex ea temporale servitium præstituri nisi quòd ad defensionem Ecclesiæ ac provinciæ perpetuò contra paganos intendent, verùm magister eorum qui pro tempore fuerit obedientiam semper Rigensi Episcopo repromittet; sed fratres aut Clerici qui eis spiritualia ministrabunt, nec decimas nec primitias nec oblationes nec cathedraticum ei solvent; coloni verò prædictæ sortis, de parte proventuum ad ipsos spectante decimas Ecclesiis suis reddent; de quibus quarta pars eidem Episcopo persolvetur, nisi hoc idem Episcopus, inspecta necessaria & rationabili causa, sponte duxerit remittendum; ipsi autem fratres & successores eorum jus habebunt ad præfatas Ecclesias, cùm vacaverint, Rigensi Episcopo personas idoneas præsentandi, quas ipse de cura investire non differet animarum. Ceterùm cùm tu ac tuorum quilibet successorum ipsos duxeritis visitandos, in domo sua cum viginti evectionibus semel vos procurabunt in anno; in plebatibus autem suis bis in anno vos exhibere curabunt. De terris verò quas amodo extra Livoniam seu Lectiam cum auxilio Dei dicti fratres acquirent, Rigensi Episcopo minimè respondebunt, nec ipse de illis eos aliquatenus molestabit; sed cum Episcopis creandis ibidem quoquo rationabili modo component, vel observabunt quod apostolica sedes super hoc providerit statuendum. Regulam quoque fratrum militiæ Templi servantes, aliud in habitu signum præferent, ut ostendant se illis nequaquam esse subjectos. Sepulturam quoque ad opus fratrum & familiæ suæ, necnon etiam & eorum qui apud ipsos elegerint sepeliri, liberam prædicti fratres habebunt; salva canonica portione ipsarum Ecclesiarum à quibus assumuntur corpora mortuorum. Nos igitur compositionem approbantes eandem, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kalen. Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

WOLCVINO MAGISTRO & fratribus militiæ Christi in Livonia constitutis.

CVm super sorte terrarum &c. *ut in alia usque* conversæ inter vos & venerabilem fratrem nostrum Rigensem Episcopum sub examine nostro controversia verteretur, mediantibus demum nobis ad hanc concordiam deveniistis, ut videlicet vos tertiam partem earundem terrarum, Lectiæ scilicet ac Livoniæ, ab eodem Episcopo teneatis, nullum sibi &c. *ut in alia usque* provinciæ contra paganos

Epist. 142. Super eodem.

perpetuò intendetis. Verùm magiſter veſter qui pro tempore fuerit &c. *ut in alia per totum uſque* duxerit remittendum. Vos autem & ſucceſſores veſtri jus habebitis ad Eccleſias ipſas vacantes Rigenſi Epiſcopo perſonas idoneas præſentandi, quas ipſe de cura inveſtire non differet animarum. Ceterùm cùm ipſe vos duxerit viſitandos, in domo veſtra cum viginti evectionibus ſemel in anno eundem curabitis procurare; in plebatibus autem veſtris eum exhibebitis bis in anno. De terris verò quas amodo extra Livoniam ſeu Lectiam cum Dei auxilio acquiretis Rigenſi Epiſcopo minimè reſpondebitis &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque in finem.* Datum ut in alia per totum.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ Templi.

Epiſt 143. Confirmatur eis Eccleſia data à Legato.

CVm à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis petitionibus annuentes, Eccleſiam ſanctæ Luciæ quæ Fotae Græco vocabulo nuncupatur, extra Thebarum poſitam civitatem, cum pertinentiis ſuis, quam dilectus filius noſter Benedictus tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyter Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus in partibus Romaniæ, vobis ad terræ ſanctæ ſubventionem liberaliter aſſignavit, ſicut eam juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos domui veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani xv. Kal. Octobris, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epiſt. 144. Confirmat diverſas poſſeſſiones.

IVſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus inclinati, conceſſionem terræ de Rupo & Iohannis filij Nicolai de Vianet cum fratribus & ſororibus ſuis ac poſſeſſionibus & rebus aliis eorundem à nobilibus viris Rolandino de Canuſa & Albertino germano ejus necnon à bonæ memoriæ Hugone de Colongi vobis factam intuitu pietatis, ſicut piè ac providè facta eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmarionis &c. *uſque* incurſurum. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

ANnuere conſuevit ſedes apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, domum Philocali apud Theſſalonicam cum pertinentiis ſuis, quam dilectus filius noſter Benedictus tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyter Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus in partibus Romaniæ, vobis ad terræ ſanctæ ſubventionem liberaliter aſſignavit, ſicut eam juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos domui veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

SOlet annuere ſedes apoſtolica &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus annuentes, domum Nigripontis cum his quæ habet in Nigroponte, & domum de Lageran, & caſale de Oizparis, cum eorum pertinentiis, ac alia quæ tenetis in inſula Nigripontis, à nobili viro Ravano & bonæ memoriæ Iacobo de Avenn. & Guberto vobis pia devotione conceſſa, ſicut ea omnia juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos domui veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino &c. hanc paginam noſtræ confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum ut in alia per totum.

FRATRIBVS MILITIÆ Templi in Romania.

IVſtis petentium deſideriis &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis precibus inclinati, viridarium quod eſt à bonæ memoriæ Thebano Archiepiſcopo, tunc electo, pia vobis devotione conceſſum, ſicut illud juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos domui veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 148. Confirmat domum Pasalani.

IVstis petentium desideriis &c. *ut in alia usque* vestris justis precibus inclinati, casale quod dicitur Pasalan cum suis pertinentiis à nobili viro Guillelmo de Resi vobis pia devotione concessum, & à Goffrido de Villa-Arduini postea confirmatum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIV. Kal. Octobris, anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 149. Confirmat domum Paliopolin.

IVstis petentium desideriis &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, casale quod Paliopolin dicitur cum suis pertinentiis à nobili viro Hugone de Bezenson vobis pia devotione concessum, & à Goffrido de Villa-Arduini postmodum scripto authentico confirmatum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 150. Confirmat casale Laffustan.

IVstis petentium desideriis &c. *ut in alia usque* vestris justis precibus inclinati, casale quod dicitur Laffustan cum pertinentiis suis à bonæ memoriæ Guillelmo Campanensi pia vobis devotione concessum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIV. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

FERMOPILENSI EPISCOPO, & electo Citrensi, & Priori sancti Demetrij Thessalonicensis.

Epist. 151. Scribitur pro Templariis adversus Episcopum Citonensem.

DIlectorum filiorum fratrum militiæ Templi in Romania recepimus quæstionem quòd Episcopus Citonensis in quendam Capellanum eorum, pro eo quòd ad porrigendum viaticum cuidam confratri eorum accesserat, manus iniciens, calicem cum eucharistia ei abstulit violenter, & ipsum turpiter ac inhonestè tractatum in fovea quadam inclusit in clericalis opprobrium honestatis; præterea cuidam eorum famulo posito in extremis in ipsorum injuriam denegari fecerit ecclesiastica sacramenta; unde absque pœnitentia & viatico diem clausit extremum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, & inquisita super præmissis & cognita plenius veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum &c. Datum ut in alia.

LARISSENO ET NEOPATRENSI Archiepiscopis, & electo Citrensi.

Epist. 152. Pro iisdem adversùs Marchionissam Montisferrati.

INter ceteros religiosos viros, quos quemlibet convenit divinæ retributionis intuitu honorare, dilecti filij fratres militiæ templi tanto debent speciali gratia confoveri quanto majoribus laboribus se exponunt pro servitio Iesu Christi, ac favorem apostolicum meruisse plenius dinoscuntur. Verùm dilecta in Christo filia nobilis mulier relicta claræ memoriæ Marchionis Montisferrati, sicut ex ipsorum gravi conquestione didicimus, eos super possessionibus & rebus aliis à claræ memoriæ viro suo de ipsius conniventia & consensu ipsis pia devotione concessis multipliciter aggravat & molestat. Vnde nos eidem nobili per scripta nostra mandamus ut ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ab eorundem fratrum super præmissis indebita molestatione desistat. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictam nobilem ad id, monitione præmissa, districtione qua convenit, appellatione remota cogatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in aliis per totum.

Scriptum est eidem nobili mulieri super hoc.

DAVALIENSI ET ZARATORIENSI Episcopis, & electo Nazorescensi.

Epist. 153. Pro iisdem adversùs dominum Nigripontis.

SVam ad nos dilecti filij fratres militiæ Templi querimoniam transmisere quòd nobilis vir Ra. dominus insulæ Nigripontis quasdam possessiones à Iacobo quondam domino de Avenis pietatis intuitu concessas eisdem in animæ suæ dispendium detinere præsumit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictum nobilem ut easdem possessiones sine qualibet difficultate fratribus memoratis assignet monere prudenter & efficaciter inducere procure-

tis, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram canonicam, sicut justum fuerit, sublato appellationis obstaculo compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani IV. Nonas Octobris, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI & Episcopo Davalienſi, & Nazorescenſi electo.

Epist. 154. Pro iisdem.

EXposita nobis dilectorum filiorum fratrum militiæ Templi petitio continebat quòd nobilis vir Ni. de sancto Amero diocesis Thebanæ su er quibusdam terris à Rolandino & Albertino fratre ipsius in eleemosynam concessis eisdem ipsos contra justitiam aggravat & molestat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum nobilem ut ab ipsorum fratrum super eisdem terris indebita molestatione desistat, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XII. Kal. Octob. anno tertiodecimo.

*CARDICENSI ET DAVALIENSI Episcopis, & electo * Zaratorienſi.*

* *Infrà lib. 14. epist. 111. dicitur*, Nazorescenſi.

Epist. 151. De causa Templariorũ cum Archiepiscopo Patracenſi.

CVm olim causam quæ inter dilectos filios fratres militiæ Templi ac venerabilem fratrem nostrum Patracensem Archiepiscopum vertebatur super domo de Geracomita & rebus mobilibus ad valentiam duorum millium & sexcentorum decem octo hyperperorum, quibus dicti fratres per eundem se querebantur Archiepiscopum contra justitiam spoliatos, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Athenienſi & Fermopilenſi Episcopo duxerimus committendam, iidem reputantes Archiepiscopum contumacem, memoratos fratres in ipsius domus possessionem causa rei servandæ inducendos sententialiter decreverunt. Licèt autem prædicti fratres nuper in nostra præsentia super præmissis cum eodem Archiepiscopo litigantes, & proponentes se, ipso mandato judicum renitente, corporalem ipsius domus possessionem apprehendere nequivisse, petierint auctoritate nostra in eandem induci, quia tamen idem Archiepiscopus standi juri sufficientem exposuit cautionem, petitionem fratrum in hoc nullatenus admittentes, de ipsius Archiepiscopi & alterius partis procuratoris assensu per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si dicti fratres domo & rebus aliis supradictis se probaverint contra justitiam spoliatos, vos eisdem, sicut justum fuerit, restitutis, audiatis si quid fuerit quæstionis, & illud appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. *usque* appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VII. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 152. Executio appellationis.

CVm inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Patracensem & dilectos filios fratres militiæ Templi super abbatia quæ Provata vocatur, de qua per dilectum filium electum Montanensem & Archidiaconum Andrevillæ delegatos à nobis jam quædam fuerat contra ipsos Templarios sententia promulgata, sub examine nostro controversia verteretur, auditis & intellectis quæ proposita hinc inde fuerant, sententialiter duximus decernendum ut idem Archiepiscopus possessionem ipsius obtineat abbatiæ, reservata prædictis fratribus facultate probandi, sicut dicebant, eam sibi à domino terræ, accedente postmodum consensu Archiepiscopi, concessam fuisse. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus dictam abbatiam facientes ab Archiepiscopo ipso pacificè possideri, probationes fratrum admittere procuretis. Quòd si legitimè præscripta probaverint, eundem Archiepiscopum districtione qua convenit, appellatione remota, cogatis abbatiam ipsam cum fructibus medio tempore perceptis ex ea fratribus restituere memoratis, in pace perpetuò possidendam. Quòd si præfatus Archiepiscopus infra mensem post susceptionem præsentium per se vel responsalem idoneum propter hoc coram vobis non curaverit comparere, vos nihilominus, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, procedatis, cùm lis jam fuerit contestata; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

EPISCOPO ET CANTORI Zamorenſi, & Abbati de Moreóla dioceſis Zamorenſis.

Epiſt. 157. Confirmatur electio Cantoris. Cap. Dilecto filio. De ſupp. neglig. prælat.

DIlecto filio noſtro Petro tituli ſancti Marcelli Preſbytero Cardinale bonæ memoriæ A. Theſaurario Salamantino Paſchaſij & Dominico Garſiæ Clericorum procuratoribus apud ſedem apoſtolicam conſtitutis auditore conceſſo, idem Theſaurarius propoſuit coram eo quòd cùm in Salamantina Eccleſia, in qua Cantoris electio ad Epiſcopum & Capitulum communiter pertinet, cantoria vacante dictum Capitulum ſæpius Epiſcopum monuiſſet ut ad celebrandam Cantoris electionem cum eo pariter conveniret, eodem Epiſcopo infra ſemeſtre tempus id facere negligente, Capitulum uti cupiens jure ſuo, in Eccleſiæ memoratæ Capitulo, ſicut eſt moris, ſupradictum Paſchaſium ejuſdem loci Canonicum in Cantorem elegit, ne quid in ejuſdem electionis præjudicium fieret appellando, quam ſupradictus Theſaurarius auctoritate petiit apoſtolica confirmari, ac electionem quam venerabilis frater noſter Compoſtellanus Archiepiſcopus poſt appellationem hujuſmodi de G. Clerico multis criminibus irretito ac tunc temporis vinculo excommunicationis aſtricto fecerat, tamquam minùs canonicè celebratam caſſari. Dictus verò Dominicus propoſuit ex adverſo quòd emenſo ſex menſium ſpatio, infra quod ad Epiſcopum & Capitulum Cantoris electio pertinebat, Decanus & quidam Canonici Salamantini, Epiſcopo, Archidiacono, & nonnullis Canonicis, qui præſentes in civitate aderant, inconſultis, non conſueta hora, vel in Capitulo juxta morem, ſed in Eccleſia potiùs, quibuſdam laicis advocatis, ſtultè & inordinatè nimis eligere præſumpſerunt, & cùm jam dicti Archiepiſcopi, qui eoſdem propter hoc * evocaverat, adire præſentiam noluiſſent, ipſe intelligens eligendi auctoritatem ad ſe juxta Lateranenſis ſtatutum Concilij devolutam, ſupradictum G. in Cantorem elegit, & eundem fecit de cantoria coporaliter inveſtiri. Poſtmodum autem Decanus & ſui complices nobis, de his mentione non habita, ſuggerendo quòd Epiſcopus, qui monitus ſæpius infra ſex menſes eligere noluerat in Eccleſiæ detrimentum, Cantore, qui ab eodem Decano cum majori parte Capituli inſtitutus fuerat, ſpoliato, alium inſtituerat in Cantorem, ad Decanum, Archidiaconum, & Archipreſbyterum Abulenſes noſtras litteras impetrarunt: quarum auctoritate cùm ſupradictus G. ab eiſdem fuiſſet judicibus evocatus, eiſdem inhibuit ne per dictas litteras procederent contra eum, cùm in eis de ſua electione facta per Archiepiſcopum nulla mentio haberetur, & cùm propter hoc, tum etiam quia prima citatione ad loca remota peremptoriè citatus extiterat; tum etiam quia judices quoſdam ex electoribus dicti Paſchaſij conſanguinitatis linea contingebant, ad ſedem apoſtolicam appellavit. Sed judices nihilominus ad Salamantinam accedentes Eccleſiam, ſæpedictum P. in cantoriæ poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ contra juſtitiam induxerunt. Cùm igitur ſuper his & aliis coram eodem Cardinale procuratores ipſi aliquandiu litigaſſent, & ipſe nobis fideliter retuliſſet quæ propoſita fuerant coram eo, quia nobis conſtitit à ſupradicto Decano & ejus ſequacibus poſt elapſum ſex menſium ſpatium infra quod Epiſcopo & Capitulo memoratis, prout communiter ſpectabat ad eos, procedere ad Cantoris electionem neglexerant, electionem ſupradicti P. minùs canonicè celebratam, eandem decrevimus irritam & inanem, & appellationem ab eodem Decano & ſuis fautoribus interpoſitam, factum Archiepiſcopi, ad quem jam erat eligendi auctoritas devoluta, nequiviſſe aliquatenus impedire. Quia verò contra perſonam ipſius G. quædam objecta fuerunt de quibus nobis non potuit fieri plena fides, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, niſi jam dicto G. aliquid canonicum obviet, electionem de ipſo factam ſublato appellationis obſtaculo confirmetis, facientes ipſum ejuſdem cantoriæ pacifica poſſeſſione gaudere; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcentes. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Kal. Novembris, anno tertiodecimo.

* In quarta collect. excommunicaverat, etiam in codice Colbertino.

MINDENSI ELECTO, ET Abbati Lesburnenſi Monaſterienſi dioceſis, & Cuſtodi Monaſterienſi.

Epiſt. 158. De tranſlatione Epiſcopi Osnaburgenſis. *Vide lib. 10. epiſt. 209. 215. lib. 11. epiſt. 173. lib. 14. epiſt. 63. & lib. 15. epiſt. 3.*

VEnerabiles fratres noſtri Lubicenſis & Livonenſis Epiſcopi & dilectus filius major Decanus cum ceteris Canonicis Bremenſis Eccleſiæ ſuis nobis litteris intimarunt quòd cùm olim Waldemarum quondam Sleuvicenſem Epiſcopum à nobis in Archiepiſcopum poſtulaſſent, quia id non potuit effectui mancipari, quidam ex eis electionis ſuæ vota in dilectum filium

B. ejusdem Ecclesiæ majorem Præpositum contulerunt, verùm quia ipsius non extitit electio confirmata, ipsi, quantum in eis extitit, de alia persona tractantes, Ecclesiæ suæ consulere curaverunt; propter quod non tantùm rerum, verùm etiam personarum, à laicis adhuc adhærentibus propter diversas causas Waldemaro prædicto graves jamdudum persecutiones sunt & impedimenta perpessi, & adhuc etiam patiuntur. At quoniam mora præteriti temporis Ecclesiæ viduatæ ad nihilum ferè redactæ fuit quamplurimùm huc usque damnosa, & futuri protractio pernicioſa poterat magis esse, iidem in manus hominum incidere potiùs eligentes quàm pro domo Dei murum non opponere se ac sua, rei quam inceperant insistere fortiter necessarium decreverunt. Vnde tam ipsi quàm dictus Præpositus per suas litteras speciales à nobis humiliter postularunt ut venerabilem fratrem nostrum Osnaburgensem Episcopum, eisdem vicinum, & per omnia cognitum, ipsis in Archiepiscopum concedere dignaremur: per quem, cùm sit vir nobilis, & scientia præditus, ac generis nobilitate præclarus, & Ecclesiam sibi commissam hactenus viriliter defensarit, præfata Ecclesia poterit in statum pristinum reformari, & compesci nihilominus insolentia laicorum. Nos igitur consuli volentes Ecclesiæ diutiùs desolatæ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super his & cognita veritate, si res ita se habet, auctoritate nostra eidem Episcopo injungatis ut ad præfatam Ecclesiam Bremensem accedat, ejusdem regimen in nomine Domini recepturus; cum quo, propter necessitatem temporis, hanc gratiam duximus faciendam ut usque ad susceptionem pallei Osnaburgensem Ecclesiam sicut proprius pastor retineat & gubernet; injungentes nihilominus clero, ministerialibus, & populo Ecclesiæ memoratæ quòd eidem usque ad susceptionem pallei tamquam pastori proprio intendant ut hactenus & exhibeant obedientiam debitam & honorem; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nos enim venerabilibus fratribus nostris suffraganeis & dilectis filiis Capitulo ac ministerialibus Bremensis Ecclesiæ nostris damus litteris in mandatis ut postquam idem de mandato nostro per vos sibi facto ad sæpedictam Ecclesiam accesserit gubernandam, tamquam pastori suo ipsi obedientiam & reverentiam debitam exhibentes, eidem intendant humiliter & devotè. Ad hæc, volumus & mandamus ut contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censura simili appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. tu ea, fili electe, cum eorum altero nihilominus exequaris, etiamsi jam fueris in Episcopum consecratus. Datum Laterani III. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Scriptum est ipsis suffraganeis & aliis supradictis hoc modo. Ex litteris vestris, fratres Lubicensis & Livonensis Episcopi, & filij Decane ac Capitulum, nostro est apostolatui relatum quòd cùm olim Waldemarum quondam Sleuvicensem Episcopum in Archiepiscopum postulassetis à nobis, quidam vestrum electionis suæ vota in dilectum filium B. Ecclesiæ vestræ majorem Præpositum contulerunt, verùm quia ipsius non extitit electio confirmata, vos, quantum in vobis extitit, de alia persona tractantes, eidem Ecclesiæ consulere curavistis; propter quod &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* diutiùs desolatæ, dilectis filiis Mindensi electo & Abbati Lesbernensi Monasterijensis diocesis & Custodi Monasterijensi nostris dedimus litteris in mandatis ut inquisita super his & cognita veritate, si rem invenerint ita esse, dicto Episcopo auctoritate nostra injungant ut ad præfatam Ecclesiam Bremensem accedat, ejusdem regimen in nomine Domini recepturus &c. *ut in alia usque* gubernet; injungentes nihilominus clero, ministerialibus, & populo Osnaburgensis Ecclesiæ quòd eidem Episcopo &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* honorem; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus postquam idem de mandato nostro sibi facto per executores eosdem ad sæpedictam Bremensem Ecclesiam accesserit gubernandam &c. *ut in alia usque* eidem intendatis humiliter & devotè. Alioquin dictis executoribus nostris damus literis in mandatis ut contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Datum ut in alia per totum.

Scriptum est Episcopo Osnaburgensi super hoc in eundem ferè modum ut in prima usque recepturus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus cùm à præfatis executoribus tibi fuerit injunctum, accedas ad Ecclesiam memoratam, & in Christi nomine regimen ejus suscipias

ac fideliter exequaris. Nos enim tecum propter necessitatem temporis specialem gratiam &c. *ut in alia usque* gubernes; dantes supradictis executoribus in mandatis ut injungant clero &c. *usque* compescendo. Præterea suffraganeis & Decano & Capitulo & nobilibus viris ministerialibus Bremensis Ecclesiæ nostris duximus litteris injungendum ut &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque in finem.* Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Epist. 159. Vt Canonicos S. Ruffi instituat in Ecclesia Patracens.

CVm Ecclesia cathedralis extra civitatem posita Patracensem, occasione secularium clericorum, qui jam in ea pluries ordinati, motu demum propriæ voluntatis dereliquerunt eandem, debito servitio fraudaretur, nobis humiliter supplicasti ut licentiam instituendi conventum regularium Canonicorum in ipsa de collegio sancti Ruffi tibi concedere dignaremur: quibus ita es pollicitus providere. In primis siquidem terras eis & vineas assignabis de quibus frumentum & annona sufficiens quinquaginta & vinum sufficiens sexaginta personis percipiant, sine suis laboribus aut expensis in eorum cellarium deferenda. Præterea statues ut eis pisces & sal ad sufficientiam sine pretio ministrentur, daturus ipsis nihilominus olivetum de quo percipiant oleum quod ad opus Ecclesiæ necnon etiam ad victum sexaginta sufficiat personarum; conferens eis quoque villanos trecentas gallinas, ducentas oves, triginta porcos, & centum libras ceræ ipsis annualiter tributuros; in præsentiarum ipsis ducentos porcos & oves largiens septingentas; pro vestibus autem assignabis eis in certis locis ducentos *perperos annualiter persolvendos. Ceterùm pro recipiendis pauperibus & hospitibus dabis eis quinquaginta carrugatas bonæ terræ, quadraginta boves, & totidem vaccas, bubulosque triginta, & tantum vineæ de qua vinum pro decem personis proveniat annuatim; assignans nihilominus eis rusticos qui sine mercede vel expensis eorum in domo sua labores exerceant universos; omnium proventuum archiepiscopatus in decimis, mortuariis, & eleemosynis eisdem medietate concessa. Quòd si hæc omnia non duxerint acceptanda, dimidiabis cum eis cunctas possessiones Ecclesiæ Patracensis; sic tamen quòd ipsi persolvant crosticam annuatim quam Principi terræ ipsa Ecclesia persolvere consuevit. Nos igitur piis tuis precibus inclinati, considerato quòd non solùm Ecclesia memorata poterit in religione sic in se plantanda proficere, verùm etiam ad alias quæ nuper sunt ad ritum Latinitatis adductæ propagationis suæ palmites dilatare, de consilio fratrum nostrorum hoc tibi duximus concedendum; ita nimirum ut si qui de Canonicis secularibus qui sunt ad præsens in ipsa voluerint ordinem suscipere regularem, hoc eis liberè concedatur, illis autem qui ordinem ipsum suscipere recusaverint, dummodo per continuam residentiam Ecclesiæ ipsi curaverint deservire, provideatur de proventibus ejus in congrua portione. Ad hæc, præsentium auctoritate statuimus ut fratres ipsi tantùm Priorem sibi regulariter eligentes, ipsum tibi vel tuis repræsentent successoribus confirmandum, jure apud ipsos in perpetuum residente Patracensem Archiepiscopum secundùm statuta canonum eligendi. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

* hyperpetos

ABBATI ET CONVENTVI sancti Ruffi.

Epist. 160. Super eodem.

CVm Ecclesia cathedralis &c. *ut in alia usque* fraudaretur, venerabilis frater noster Patracensis Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit ut licentiam &c. *ut in alia usque* de collegio Ecclesiæ vestræ sibi concedere dignaremur; quibus ita est pollicitus providere. In primis siquidem terras eis & vineas assignabit, de quibus &c. *usque* deferenda. Præterea statuet ut eis pisces &c. *usque*. Pro vestibus autem assignabit eis in certis locis &c. *usque* pauperibus & hospitibus dabit eis quinquaginta carrugatas &c. *ut in alia per totum usque* acceptanda, dimidiabit cum eis cunctas possessiones &c. *usque* consuevit. Nos igitur piis ejus precibus inclinati &c. *usque* de consilio fratrum nostrorum hoc sibi duximus concedendum, ita nimirum &c. *usque* regulariter eligentes, ipsum sibi vel suis repræsentent successoribus confirmandum &c. *usque* eligendi. Quocirca devotionem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus hujusmodi propositum prompto prosequentes favore, conventum de fratribus vestris eidem Archiepiscopo in suis deducendum expensis propter hoc assignare curetis. Datum ut in alia per totum.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO, & Episcopo Cithonienſi.

Epist. 161. Contra nobiles Achaiæ detinentes bona ecclesiastica.

EXpoſuit nobis venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Patracenſis quòd nobilis vir .. Dominus Achaiæ & quidam alij Latini habentes in illa terra dominium corporale poſſeſſiones quas Eccleſiæ ſub annua certa penſione conſueverant Græcorum temporibus retinere, per violentiam auferentes, ſecundùm curię ſuæ judicicium ipſas ordinant & diſponunt, cogentes Eccleſiarum prælatos de litigioſis poſſeſſionibus in foro contendere ſeculari & conſuetudinibus ac inſtitutionibus quas illic ipſi noviter creavere ſubeſſe, nullam inter laicos & Clericos aut Eccleſias differentiam faciendo. Negotia verò eccleſiaſtica quæ vel apoſtolicæ commiſſionis auctoritate, vel juriſdictionis ordinariæ ratione, à viris eccleſiaſticis ſunt tractanda, ſine licentia ſua terminari non ſinunt; quæ ſi forſan præter voluntatem eorum deciſa fuerint, quod ſtatuitur non ſervatur. Qui etiam propriis Epiſcopis inconſultis abbatias, Eccleſias, ac præbendas, necnon etiam quælibet eccleſiaſtica beneficia laicis & Clericis indifferenter tribuunt ſicut volunt, & vacantes Eccleſias per proprium ordinari prælatum minimè permittentes, Canonicos quoque in nonnullis Eccleſiis intrudere non verentur, excommunicatos tam Clericos quàm & laicos in ſua pertinacia confovendo. Cùmque dudum ad bellum contra Michalicium proceſſuri, recipientes corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, omnes pariter promiſiſſent, quin immo per votum obligaverint ſe ſolemne, quòd de ipſo prælio redituri, decimas Eccleſiis ſuis ſolverent, & ſubditos ſuos tam Latinos quàm Græcos cogerent ad ſolvendum, id poſtmodum efficere non curarunt. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus Latinos hujuſmodi, ut decimas Eccleſiis ſuis ſolvant, ſicut ex communi jure ac ſpeciali quoque voto tenentur, necnon etiam ſuper univerſis prænotatis abuſibus à ſua præſumptione deſiſtant, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis; ipſos ad hoc, ſi opus fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellentes. Si quid autem recurrerit quod apoſtolica indigere providentia videatur, illud ad noſtram audientiam referatis. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 162. Super eodem.

VEnerabilis frater noſter Archiepiſcopus Patracenſis in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus quòd cùm .. quondam Conſtanti. Imperator abbatiam Pantocraton in urbe Conſtantinopolitana feciſſet, redditum viginti quinque librarum perperorum, quem antiquitus Patracenſis Eccleſia pro quibuſdam poſſeſſionibus imperiali cameræ perſolvebat, eidem contulit abbatiæ; ſed cùm tempore procedente difficile foret Eccleſiæ memoratæ pro poſſeſſionibus ipſis quantitatem exolvere prætaxatam, ad hanc demum compoſitionem cum eadem abbatia devenit ut pro poſſeſſionibus prædictis quinque tantummodo libras perperorum ſibi redderet annuatim, & ſic poſſeſſiones eaſdem recuperavit & habuit uſquequo in Achaiam intravere Latini, per quos illis fuit contra juſtitiam deſtituta. Vnde nobis idem Archiepiſcopus ſupplicavit ut detentores prædictarum poſſeſſionum reſtituere cogeremus eaſdem Eccleſiæ Patracenſi ſub præſcripto quinque librarum redditu retinendas. Quia igitur nobis non conſtitit de præmiſſis, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vocatis quos propter hoc noveritis eſſe vocandos, audiatis cauſam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione remota cogatis veritati teſtimonium perhibere. Nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis. Datum Laterani IV. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 163. Ejusdem argumenti. Vide infra epist. 165.

QVerelam venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Patracenſis recepimus continentem quòd cùm nobiles viri Guiardus & Guillelmus quicquid juris habebant in feudo quod in Conſtantinopolitanæ urbis acquiſierant captione, uni eorum octingentis ob hoc perperis ab eodem Archiepiſcopo perſolutis, Patracenſi Eccleſiæ contuliſſent, nobilis vir Gaufridus de Villa-Arduini Achaiæ Dominus feudum ipſum auferens Eccleſiæ memoratæ, illud cuidam Militi pro ſua voluntate conceſſit. Ideoque fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus tam eundem Gaufridum quàm præfatum Mili-

tem ad restituendum idem feudum, sicut justum est, cum fructibus inde perceptis Ecclesiæ supradictæ monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Testes autem &c. Datum ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 164. Super eodem.

EXposuit nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Patracensis quòd cùm à prima institutione Patracensis Ecclesiæ in Ecclesia beati Theodori archiepiscopalis consueverit sedes esse, in qua novi Pontifices primò inthronisari solebant, ac certam ibi mansionem necnon etiam sepulturam habere, ædificato castro circa ipsam, non solùm ossa tumulatorum ibi Pontificum sunt effossa, verùm etiam sedes eadem ipsi Archiepiscopo est ablata. Vnde nobis humiliter supplicavit ut detentores prædictæ sedis ad ejus restitutionem compelli & Ecclesiæ ipsi competens spatium in circuitu dimitti liberè mandaremus. Volentes igitur Archiepiscopo memorato in Ecclesiæ suæ jure, sicut tenemur, adesse, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus detentores prædictos ad restitutionem præfatæ sedis, prout justum fuerit, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellentes, faciatis in canonico circa ipsam spatio provideri. Datum ut in aliis.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Epist. 165. Eadem argumenti cum epist. sequ. 165.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus inclinati, concessionem Dimossarij Patracensis & totius Autumpnæ ac omnium casahum de Exafilina, quæ nobiles viri Guiardus & Guillelmus in captione Constantinopolis acquisisse noscuntur, Ecclesiæ Patracensi liberaliter factam ab ipsis, sicut piè ac providè facta est, tibi ac per te ipsi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DECANO, ARCHIDIACONO de Losco, & magistro Hugoni Canonico Cabilonensi.

Epist. 166. De libero accessu laicorum ad ordinem Cisterciensem.

DIlecti filij Abbas & conventus Cistercienſis transmissa nobis petitione monstrarunt quòd quidam rectores Ecclesiarum provinciæ Lugdunensis ab eis qui vivi & incolumes ad eorum ordinem transeunt, sibi fieri exigunt testamentum, & in eos quos iidem relinquunt in seculo, propter hoc ecclesiasticam exercent censuram, ac capitulum illud quo eis à sede apostolica indulgetur ut licitè liberos & absolutos à seculo fugientes recipiant interpretantes sinistrè, asserunt eos, licèt alias absoluti existant & liberi, sine ipsorum licentia non posse ad religionem transire, pro eo quòd jure parrochiali eisdem obligati tenentur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præsumptores prædictos à præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IX. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

PATRACENSI Archiepiscopo.

Epist. 167. De sustentatione Ballivi. *Vide infrà epist.* 171.

CVm S. Ballivo quondam tuo, qui pro eo quòd jura Ecclesiæ tuæ fideliter defendebat, non solùm naso est mutilatus, verùm etiam graves alias jacturas incurrit, de bonis Ecclesiæ tuæ disponas liberaliter providere, sicut ex tua insinuatione didicimus; nos in hac parte pium tuum propositum in Domino commendantes, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus de bonis Ecclesiæ tuæ sibi ad sustentationem suam decenter providere procures. Datum Laterani Nonis Novembris, anno tertiodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Aliæcumbæ.

Epist. 168. De monachis mittendis ad Archiepiscopum Patracensem.

CVm nobilis vir Gaufridus de Villa-Arduini dominus Achaiæ ad suggestionem venerabilis fratris nostri Patracensis Archiepiscopi, sicut ipse proposuit coram nobis, multas possessiones & alia bona vobis duxerit concedenda, de quibus conventus valeat sustentari, devotioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus hujusmodi propositum prompto prosequentes favore, conventum de fratribus

veſtris eidem Archiepiſcopo, in ſuis deducendum expenſis, propter hoc aſſignare curetis. Datum ut in alia.

NOBILI VIRO GAVFRIDO Principi Achaiæ.

Epiſt. 169. De munienda Eccleſia Patracenſi.

AD tuitionem Eccleſiarum tanto te intendere convenit quanto ex hoc Regi Regum dinoſceris complacere. Cùm igitur Eccleſia Patracenſis, in maris littore conſtituta, incurſibus pateat piratarum, & venerabilis frater noſter Patracenſis Archiepiſcopus eam intendat ædificiis neceſſariis communire, ut Clerici & ſervitores ipſius tutè ibidem valeant commorari, nobilitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus ſuper hoc Archiepiſcopum non impedias memoratum. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris Lariſſeno Archiepiſcopo & Epiſcopo Cithonienſi damus noſtris litteris in mandatis ut te ad hoc, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, juſtitia mediante, compellant. Datum ut in alia.

Scriptum eſt ipſis ſuper hoc.

LARISSENO ARCHIEPISCOPO, & Epiſcopo Cithonienſi.

Epiſt. 170. Vt Archiepiſcopus Patracenſis fruatur terra de Larſa.

EX inſinuatione venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Patracenſis accepimus quòd cùm bonæ memoriæ Willelmus Campanienſis, dudum in Apuliam tranſiturus, nobilem virum Hugonem de Cham. ſuum Ballivum & procuratorem fecerit generalem, promittens firmiter ut quicquid diſponeret vel donaret, ratum haberet & firmum, ſigillum ſibi proprium committendo, idem Hugo poſitus in extremis terram de Larſa Eccleſiæ Patracenſi reliquit, & licèt id poſtmodum nobilis vir Gaufridus Princeps Achaiæ approbaſſet, ſpontanea voluntate dictum Archiepiſcopum de terra illa inveſtiens coram multis, cùm tamen idem Archiepiſcopus ad percipiendos fructus illius terræ ſuum deſtinaſſet Ballivum, nobilis vir P. de Becciniaco, aſſerens ſe terram ipſam auctoritate Principis poſſidere, Ballivum ipſum fructus percipere non permiſit, eoſdem occupans pro ſuæ arbitrio voluntatis. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus Principem & nobilem memoratos, ut ab ejuſdem Archiepiſcopi ſuper hoc indebita moleſtatione deſiſtant, permittentes eundem terram ipſam pacificè poſſidere, ac eidem de fructibus perceptis ex ea ſatisfactionem idoneam exhibentes, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipſos ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellentes. Teſtes autem qui fuerint nominati &c. Datum Laterani Nonis Novemb. pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epiſt. 171. De ſatisfactione faciendæ Archiepiſcopo Patracenſi. Vide ſupra epiſt. 167.

CONqueſtionem venerabilis fratris noſtri Patracenſis Archiepiſcopi recepimus continentem quòd C. Miles & quidam ſocij ſui Patracenſis dioceſis in domum ſuam nequiter irruentes, manus in ipſum temerarias injecerunt, ac Ballivum ſuum, quem inter brachia contra eorum ſævitiam tuebatur, per violentiam capientes, pro eo quòd jura Eccleſiæ fideliter defenſabat, naſum ei crudeliter amputarunt. Per ipſius quoque Militis ſervientes idem Archiepiſcopus captus fuit, & per quinque dies in carcere diro retentus, multis aliàs eidem ab eodem Milite ac ſuis complicibus damnis & injuriis irrogatis. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus dictum Militem & alios, ut eidem Archiepiſcopo ſuper datis damnis & irrogatis injuriis ſatisfactionem exhibeant competentem, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Teſtes autem &c. Datum ut in alia.

EISDEM.

Epiſt. 172. De reverentia exhibenda Prælatis.

VEnerabilis frater Patracenſis Archiepiſcopus propoſuit coram nobis, quòd domini terræ illius, pro eo quòd ſacerdotes & monachos Græcos angariare nituntur, eoſdem non permittunt ſibi & aliis Latinis Prælatis debitam obedientiam & reverentiam exhibere in animarum ſuarum diſpendium & gravamen. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus dictos dominos, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellatis. Teſtes autem &c. Datum Laterani VIII. Idus Novembris, anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epiſt. 173. Vt poſſeſſiones reſtituantur Eccleſiæ Patracenſi.

CVm nonnullæ poſſeſſiones ac jura & pertinentiæ quas Græcorum temporibus habuit Eccleſia Patracenſis, quarum etiam poſſeſſione in ingreſſu Latinorum in Achaiam gaudebat, eidem per Latinos aſſerantur eſſe ſubtracta, fraternitati veſtræ per

scripta mandamus quatenus si eam vacare ac de ipsius provincia esse constiterit, curam ejusdem dilecto filio Varisiensi electo auctoritate apostolica committatis, ut eam teneat commendatam donec de illa nos vel successores nostri aliter duxerimus disponendum; ita quòd distrahendi vel alienandi quoquo modo possessiones ipsius nullam habeat penitùs potestatem. contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum ut in alia per totum.

SALIMBRIENSI EPISCOPO.

Epist. 186. De dividendis proventibus ecclesiasticis. Vide supra epist. 44.

CVm Clerici præ nimia paupertate non valeant, sicut dicitur, apud Constantinopolim remanere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus decimas & quintas decimas inter venerabilem fratrem nostrum Constantinopolitanum Patriarcham & ipsos Clericos dividi congruè faceremus, ut de ipsis valeant sustentari. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus duobus tecum assumptis, quorum unus ab eodem Patriarcha & alter ab ipsis Clericis eligatur, componas unà cum illis super his, si fieri poterit, infra mensem amicabiliter inter eos; alioquin ex tunc tu & illi usque ad adventum Legati, quem ad partes illas in brevi proponimus destinare, super eis auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo, de plano, sine strepitu litis, providè arbitremini quod utrique parti videritis expedire; ita quòd si non omnes potueritis concordare, quod duo vestrum statuerint robur obtineat firmitatis. contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si alterutra partium noluerit eligere arbitrium, tu nihilominus cum eo qui fuerit electus à reliqua præscripto modo procedas. Datum Laterani VII. Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

PALENTINO ET BVRGENSI Episcopis, & Abbati de Morimundo Cisterciensis ordinis.

Epist. 187. De benedictione monialium & prædicatione verbi Abbatissis. Cap. Nova quidam. De pœn.

NOva quædam nuper, de quibus miramur non modicùm, nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ videlicet in Burgensi & Palentinensi diocesibus constitutæ moniales proprias benedicunt, ipsarumque confessiones criminalium audiunt, & legentes evangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit pariter & absurdum, nec à nobis aliquatenus sustinendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ne id de cetero fiat, auctoritate curetis apostolica firmiter inhibere: quia licèt beatissima virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni cœlorum commisit. Datum Laterani III. Idus Decembris, anno tertiodecimo.

NOBILI VIRO COMITI Tolosano.

Epist. 188. Vt hæreticos de terris suis ejiciat.

NOn decet tanti nominis virum super justis promissionibus suis desistere vel tepere quin eas sic studiosus adimpleat prout factas sibi desiderat promissiones impleri. Cùm igitur de terris tuis hæreticos promiseris amovere, miramur non modicùm & dolemus quòd ipsi adhuc in terris eisdem, sicut accepimus, tua faciente negligentia, ne te permittente dixerimus, commorantur. Quia verò præter animæ tuæ periculum, quod ex hoc posses incurrere, grave famæ tuæ dispendium pateris, nobilitatem tuam rogamus, monemus attentiùs, & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus exterminare à terris eisdem hæreticos, prout te coram nobis promisisse recolimus, non postponas. Alioquin exterminatoribus eorundem terras ipsorum noveris esse concessas divino judicio possidendas. Datum Laterani XVI. Kalend. Ianuarij, anno tertiodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI Comiti Leicestriæ, Domino Montisfortis.

Epist. 189. Vt censum exigat apostolicæ sedi debitum.

VT tuæ nobilitatis devotio, quam expertam habemus in multis, nobis sit semper obnoxior, ea tibi duximus committenda per quæ nobis & apostolicæ sedi possis & debeas ampliùs complacere. Ideoque nobilitati tuæ, de qua plenè confidimus, per apostolica scripta mandamus quatenus cùm fideliorem te non possimus in ipsis partibus invenire, istud onus pro nobis assumas ut censum trium denariorum quos de unaquaque domo de terra contra hæreticos acquisita sedes apostolica debet recipere annuatim fideliter colligas & reserves, ipsum nobis per fidelem nuntium transmissurus; vel assignaturus eis quibus per nostras litteras tibi duximus injungendum. Datum Laterani XV. Kal. Ianuarij, anno tertiodecimo.

Vide lib. 12. epist. 108. 109. 122.

PHILIPPO ILLVSTRI Regi Francorum.

Epist. 190. Vt regalia restituat Episcopis Aurelian. & Autissiodorensi. Vide lib. 10. epist. 195. lib. 14. epist. 52. 162. 106. 107. & lib. 15. epist. 39. 40.

CVm alij Reges & Principes rationes & libertates ecclesiasticas persequuntur, nos, fili carissime, te illis obicimus in exemplum quòd eas in regno tuo custodis illæsas; propter quod & Dominus justus judex te ac regnum tuum hactenus custodivit illæsum, quin etiam magnificè augmentavit, nec augmentare ac custodire desistet quandiu tu & heredes tui fideliter curaveritis in hoc laudabili proposito permanere, quod & apud Deum est meritorium & apud homines gloriosum. Nam si ad regna vicina pariter & remota oculos tuæ considerationis extendas, manifestè videbis quàm graviter Deus illa contriverit quorum [Reges & Principes] rationes & libertates ecclesiasticas infringere præsumpserunt. Nuper autem, quod dolentes referimus, nostris estauribus intimatum quòd tua regalis sublimitas contra venerabiles fratres nostros Antisiodorensem & Aurelianensem Episcopos indignata remagi præcepit nonutique sui moris, sed nec etiam sui juris, dum eorum saisiri fecisti regalia, immo etiam quædam alia præter illa; cùm nedum de aliquo forisfacto confessi fuerint vel convicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti vel inducti; levi occasione prætensa, quòd quidam eorum milites in tuo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperas ire cum aliis noluerunt, absentibus eisdem Episcopis per licentiam à te liberaliter impetratam. Et cùm tam per se ipsos quàm etiam per venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum & coepiscopos suos tibi humiliter supplicaverint ut faceres eis reddi regalia sic subtracta, paratis postmodum curiæ tuæ subire judicium, sicut in talibus fieri consuevit, tu supplicationes eorum admittere noluisti, sed cogis eos miserabiliter exulare. propter quod ipsi de prudentum virorum consilio terram tuam in eorum diocesibus constitutam supposuerunt ecclesiastico interdicto; sed nec sic potuerunt à te satisfactionem aliquam obtinere. unde coacti sunt apostolicum patrocinium implorare. Quocirca serenitatem tuam rogandam duximus & monendam, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus pro divini nominis gloria & apostolicæ sedis honore facias præfatis Episcopis subtracta restitui universa, & eos secundùm consuetudinem approbatam justè ac modestè tractari; donando nobis intercedentibus pro Deo & propter Deum si quam præfati Pontifices adversùm te commiserunt offensam, ne hac occasione contingat inter regnum & sacerdotium scandalum exoriri; quia nos in majoribus tibi curabimus grata, favente Domino, vicissitudine respondere. Datum Laterani XVII. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS Ecclesiæ Senonensis.

Epist. 191. Super eodem.

SCribimus carissimo in Christo filio nostro Philippo illustri Regi Francorum quòd cùm alij Reges & Principes rationes & libertates ecclesiasticas persequuntur, nos eundem Regem illis obicimus in exemplum quòd eas in regno suo custodit illęsas; propter quod & Dominus justus judex ipsum &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque in finem.* Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatum Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis quòd super his Deo & Ecclesiæ satisfaciat ut tenetur, impendentes, auctoritate nostra suffulti, prædictis Episcopis in jure suo consilium & auxilium opportunum, ne vigor ecclesiasticæ libertatis per novæ præsumptionis insolentiam violetur. Datum ut in alia per totum.

ATHENIENSI, NEOPATRENSI, & Larisseno Archiepiscopis, & Davaliensi, Fermopilensi, Avalonensi, Sydoniensi, Castoriensi, & Zaratoriensi Episcopis, & Thebano, Citrensi, Nazorescensi, & Valacensi electis.

Epist. 192. De resignationibus Ecclesiarum factis per nobiles Thessalonicensis.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabiles fratres Archiepiscopi & Episcopi, & dilecti in Domino filij electi, vestris justis precibus inclinati, resignationem Ecclesiarum, monasteriorum, possessionum cum pertinentiis suis, necnon etiam Presbyterorum & ecclesiasticarum personarum cum omni jure suo, quam nobiles viri Principes & Barones commorantes à confinio Thessalonicensis regni usque Corinthum in manus venerabilis fratris nostri Constantinopolitani Patriarchæ, consentiente ac approbante carissimo in Christo filio nostro Henrico Constantinopolitano Imperatore illustri, (salvo tamen terrarum censu qui crustica Græco vocabulo nuncupatur, & dudum solvebatur à Græcis) unanimi voluntate

lasset, ei demum in nostra præsentia constituto dilectum filium Angelum Subdiaconum & Capellanum nostrum concessimus auditorem. Et quia quædam quæ contra prælibatam sententiam opponebat asseruit se coram eo probare non posse, idem Subdiaconus probationes suas recipiendas Pratensi Præposito suoque collegæ commisit, nihilque coram ipsis probato, partes denuo ad ipsius Subdiaconi præsentiam redierunt. Et prædictorum Plebani & Clericorum procuratore petente præfatam sententiam confirmari, eò quòd idem Presbyter in probatione defecerat objectorum, ipso autem Presbytero in contrarium asserente quòd probationes suas producere coram eodem Præposito & collega ipsius ex causa rationabili recusarat, eò quòd contra mandatum suum procurator ejus convenerat in judicem in quem non debuit convenire, Subdiaconus ipse, ad convincendam ejus astutiam, alias ei duxit inducias concedendas, infra quas probaret, si vellet, coram aliis judicibus ea quæ coram prioribus non probarat. Super quo dictus Presbyter apud Subdiaconum memoratum, proprio procuratore dimisso, recessit. Sed hujusmodi procurator, licèt vellet in judices convenire, litteras tamen accipere denegavit. Interim autem sæpefato Presbytero in urbe callidè latitante, procurator supradictæ plebis apud Subdiaconum sæpedictum diù fatigatus instabat ut procederet contra illum; sed respondente ipso quòd jam esset officio suo functus, dilectus filius Alatrinus Subdiaconus & Capellanus noster denuo sibi concessus auditor à nobis citari jussit Presbyterum memoratum; eoque coram ipso minimè comparente, cùm nec procurator ejus sæpius requisitus litteras vellet accipere deferendas ad judices coram quibus objecta contra sententiam probarentur, præmissa nobis ex ordine recitavit. Nos autem Priori sanctæ Reparatæ ac M. Canonico Lucanis injunximus ut eandem sententiam, quemadmodum erat justa, executioni mandarent. Sed idem Presbyter ex illa clausula, *quemadmodum erat justa*, diffugij occasionem assumens, ad sedem apostolicam appellavit. Propter quod sententia ipsa non extitit executioni mandata. Cùm autem postea coram dilecto filio G. Subdiacono & Capellano nostro ad impugnandam supradictam sententiam quasdam exhibuisset litteras venerabilis fratris nostri Episcopi Florentini, ex quibus colligi videbatur quòd prædictus magister Zenobius tempore latæ sententiæ fuerat excommunicationis sententia innodatus, litteris tamen circa tenorem atque sigillum appensum habitis manifestè suspectis, pronuntiavit Subdiacouus antedictus de consilio sapientium sæpedictum Presbyterum, qui diutiùs super ipso negotio litigando hujusmodi litteras nunquam duxerat exhibendas, contra supradictam sententiam nullatenus ulteriùs audiendum, perpetuum super hoc eidem silentium imponendo. Et licèt eidem Presbytero ab ipsa sententia provocanti dilectus filius S. Subdiaconus & Capellanus noster fuerit post hæc concessus auditor, nunquam tamen per se aut procuratorem idoneum, expectatus diutiùs, comparuit coram eo. Nuper etiam, licèt quidam laicus, cui pro Presbytero memorato clamanti dilectum filium Rainaldum Acolythum & Capellanum nostrum concessimus auditorem, quoddam coram eo exhibuerit instrumentum, in quo in verbo veritatis idem Presbyter fatebatur se illa corporis infirmitate gravatum quòd sedem non poterat apostolicam visitare, ad defensionem tamen illius nihil aliud allegavit. Volentes igitur finem imponi hujusmodi controversiæ totiens suscitatæ, ne sæpedictus Presbyter lucrum de tanta tergiversatione reportet, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Presbyterum contra dictam sententiam nullatenus audientes, sententiam ipsam appellatione remota executioni mandetis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Datum Laterani XVI. Kalen. Decembris, anno tertiodecimo.

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 179. De reducendis monialibus in monasterium de Lorbano.

CAusam quæ vertebatur inter Abbatem & monachos de Lorbano ac illustrem Reginam Tarasiam post multas commissiones tibi duximus delegandam; qui diligenter in illa procedens, eam nobis remisisti sufficienter instructam. Nos igitur utriusque partis attestationibus & allegationibns intellectis, ita duximus sententialiter providendum, ut quia constitit nobis præfatos Abbatem & monachos per vim & metum fuisse coactos monasterium de Lorbano deserere disponendum prædictæ Reginæ, quæ, sicut conata fuerat ab initio, sic demum quasdam in illud monachas introduxit, quas tamquam propriam familiam ibi continet & gubernat, illis honestè remotis ab ipso, iidem Abbas & monachi reducantur in illud & restituantur ad plenum, ita quòd ejus bona dilapidare

non poſſint, debitis tamen ab ipſa Regina ſolutis quæ propter juſtas & moderatas expenſas neceſſariò contraxerunt. Cùm autem plenam fuerint reſtitutionem adepti, quia probatum eſt evidenter prædictum monaſterium per eoſdem Abbatem & monachos multis & magnis criminibus irretitos in ſpiritualibus & temporalibus eſſe collapſum, ipſi de illo protinus excludantur, & per monaſteria quæ bene ſint ordinata ſinguli collocentur; ut & locus inquinatus ab ipſis ab eorum ſpurcitiis emundetur, & ipſi in locis aliis dignam agant pœnitentiam pro peccatis; quatinus, hac adhibita providentia, nec libertas eccleſiaſtica per ſecularem inſolentiam ancilletur, nec enormes exceſſus remaneant incorrecti. Monaſterio denique ſic vacante, ſi ſæpedicta Regina fervore religionis accenſa voluerit illud, à debitis liberando, tam in officinis quàm aliis neceſſariis taliter præparare quòd conventus quadraginta monialium poſſit in eo ſecundùm ſtatuta Ciſtercienſis ordinis congruè ſuſtentari, moniales prædictæ de noſtra licentia reducantur in illud, & ſecundùm inſtitutiones prædicti ordinis diſponantur. Alioquin per honeſtos monachos nigri ordinis de diverſis monaſteriis aſſumendos idem monaſterium reformetur. Volentes igitur ut hæc quæ providè ſunt ſtatuta per ſollicitudinem tuam fideliter impleantur, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus ea ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo facias adimpleri, contradictores, ſi forſitan apparuerint, ſive mulieres fuerint, ſive viri, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quòd ſi prædicti Abbas & monachi ſecundùm præſcriptam formam redire noluerint, tu in ceteris mandatum apoſtolicum proſequaris. Datum Laterani XVII. Kal. Decembris, anno tertiodecimo.

NOBILI MVLIERI Blanchæ Comitiſſæ Campaniæ.

Epiſt. 180. Confirmatur compoſitio facta cum Rege.

IVſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Eapropter, dilecta in Chriſto filia, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, compoſitionem inter te ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem ſuper cuſtodia nati tui, & ab ipſo nato eidem Regi hominio faciendo, & quibuſdam aliis articulis initam, ſicut providè facta eſt & ab utraque parte ſponte recepta & juramento firmata, & in authenticis exinde confectis pleniùs continetur, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani X. Kal. Decembris, anno tertiodecimo.

EPISCOPO TIBVRTINO.

Epiſt. 181. Quòd filius conſendus eſt quem pater & mater publicè recognoverit. Cap. Per tuas De probat.

PEr tuas nobis litteras intimaſti quòd cùm T. Tiburtinus civis quandam per ſeptennium habuerit concubinam, nec prolem interim ſuſceperit ex eadem, ac ipſa poſtmodum divertens ab eo, ad ipſum poſt non multum temporis rediiſſet, filium quem reverſa in domum ipſius peperit, ex eo ſe aſſeruit ſuſcepiſſe. Qui licèt à principio dixerit illum nequaquam filium ſuum eſſe, cùm mulier illa per ſeptennium eidem cohabitans ex eo minimè concepiſſet, mulieris tandem & aliorum devictus inſtantia, eum ſuum filium recognovit, Rainaldum eum nomine appellando. Cùm autem idem Rainaldus ad virilem perveniſſet ætatem, ac domum Saturnellæ ſororis ipſius T. frequentaret, quæ ipſum nepotem ſuum publicè nominabat, & Sophiam ipſius Saturnellæ filiam, cum qua quotidianam converſationem habuerat, in vinea inveniſſet, arravit & carnaliter cognovit eandem. Quod cùm perveniſſet ad notitiam Saturnellæ, acriter increpavit urrumque; & apud ſe filiam retinens, ſupradictum R. removit à domo. Cùm autem mater ipſius Rainaldi accepiſſet quòd * pater ejuſdem Sophiæ dicto R. graviter minabatur, in civitatis platea juravit publicè coram multis quòd Rainaldus ſupradictam Sophiam propinquitatis linea minimè contingebat, affirmans ſub virtute præſtiti juramenti ſe de alio quàm de ſupradicto T. antefatum ſuſcepiſſe Rainaldum. Cùm ergo nos duxeris conſulendos an mulieris aſſertioni ſtandum ſit in hac parte, & an memoratus R. ſupradictam Sophiam habere valeat in uxorem, inſinuatione tibi præſentium reſpondemus quòd cùm idem Rainaldus, quem dicta mulier filium dicti T. primitus conſtanter aſſeruit, & ille, ipſius præcipuè devictus inſtantia, ipſum ſuum filium publicè recognovit, filius dicti T. nominatus communiter fuerit & habitus ab ambobus, ejuſdem mulieris jurationi poſtmodum in contrarium præſtitæ non eſt ſtandum; cùm nimis indignum ſit, juxta * legitimas ſan-

* In quarta collect. vix ejuſmodi.

* Vide l. Com-

ctiones, ut quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. Vnde apparet per consequentiam quòd prædictus R. memoratam Sophiam, cujus prima facie præsumitur consobrinus, habere non potest aliquatenus in uxorem. Datum Laterani v. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI SANCTI VICTORIS, Cancellario, & Decano sancti Marcelli Parisiensis.

Epist. 182. Confirmatur epistola 147. libri 12.

CVm causam quæ inter monasterium sancti Martini de Campis & Archipresbyterum Ecclesiæ sancti Iacobi Parisiensis, cujus jus patronatus ad ipsum monasterium pertinet, super medietate proventuum ejusdem Ecclesiæ, quam in ea sibi monasterium vendicabat, dilecto filio Abbati sancti Iohannis de Valleia, Archidiacono & Cantori Carnotensibus olim duxerimus committendam, ipsi demum de meritis causæ redditi certiores, habito prudentum consilio, supradictum Archipresbyterum ad reddendum annuatim monasterio antefato medietatem omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi condemnarunt. Super qua sententia cùm tam coram judicibus delegatis à nobis quàm coram nobis diutiùs fuerit litigatum, nos demum iis quæ utraque pars proposuit intellectis, de fratrum nostrorum consilio sententiam prædictorum judicum approbantes, Archipresbyterum antedictum super medietate omnium proventuum Ecclesiæ suæ annuatim monasterio sancti Martini reddenda sententialiter meminimus condemnasse, dilectis filiis Abbati & Priori sancti Germani de Pratis & magistro Roberto de Corzon Canonico Parisiensi nostris dantes litteris in mandatis ut quod fuit à nobis sententialiter diffinitum facerent appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Cùm autem Archipresbyter, sicut executores ipsi per suas nobis litteras intimarunt, sæpedictam proventuum medietatem monasterio integraliter solvere detrectaret, & ad querimoniam monasterij ejus sæpius iteratam ipsi Archipresbyterum pluries monuissent ut apostolico mandato parendo, à monasterij super hoc inquietatione cessaret, ac eidem satisfaceret de subtractis, & id postea sub excommunicationis pœna ei sæpe mandassent, quia tamen Archipresbyter, eorundem monitis vilipensis, nostræ præsumebat sententiæ obviare, parrochianos suos contra monachos sancti Martini ad Ecclesiam sancti Iacobi pro suis accedentes justitiis nequiter incitando, eum excommunicationis vinculo innodarunt, facientes per dilectum filium Archidiaconum Parisiensem in universis Parisiensibus Ecclesiis excommunicatum publicè nuntiari. Vnde cùm nuper idem Archipresbyter ad nostram præsentiam accessisset, recepto ab ipso corporaliter juramento, juxta formam Ecclesiæ ipsi fecimus beneficium absolutionis impendi; firmiter injungentes eidem sub debito præstiti juramenti ut medietatem omnium proventuum Ecclesiæ sancti Iacobi, nulla prorsùs vel pro expensis vel pro alia causa deductione facta, reddat integraliter annuatim monasterio memorato. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus faciatis idem sublato appellationis obstaculo adimpleri; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescentes; ita videlicet quòd si dictus Archipresbyter mandato nostro præsumpserit ulteriùs obviare, tam pro perjurio quàm pro præsumptione hujusmodi ipsum appellatione remota pœna canonica castigetis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani 11. Kal. Decembris, anno tertiodecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS per Hispaniam constitutis.

Epist. 183. De subsidio præstando Regibus adversùs Sarracenos. *Vide infrà lib. 14 epist. 3. 4. 154. 155. lib. 15. epist. 15. & lib. 2. Miscellaneor. nostror. pag. 251.*

SIgnificavit nobis dilectus filius Fernandus primogenitus carissimi in Christo filij nostri Aldefonsi illustris Regis Castellę quòd ipse militiæ suæ primitias omnipotenti Deo desiderans dedicare, ad exterminandum inimicos nominis Christiani de finibus hereditatis ipsius, quam impiè occuparunt, intentionis studium toto conamine satagit impertiri, suppliciter postulans & devotè requirens ut ei ad hoc opus fideliter consummandum & nos ipsi apostolicum impendamus suffragium & ab aliis faciamus opportunum subsidium exhiberi. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus Reges & Principes vestros, qui non sunt cum illis ad treugas observandas astricti, ad opus simile peragendum sedulis exhortationibus inducatis, monentes ex parte Dei & nostra subditos vestros, & in remissionem eis omnium peccaminum injungentes, quatenus tam præfato primogenito Regis Castellæ quàm aliis Regibus & Principibus

vestris ad hoc opus salubriter intendentibus necessarium impendant auxilium in rebus pariter & personis; ut per hæc & alia bona quæ fecerint, cœlestis regni gloriam consequi mereantur. Pari quoque remissione gaudere concedimus peregrinos qui propria devotione undecunque processerint ad idem opus fideliter exequendum. Taliter autem studeatis exequi quod mandamus ut sollicitudo vestra clareat in effectu, nosque devotionem vestram valeamus meritò commendare. Datum Laterani IV. Idus Decembris, anno tertiodecimo.

CONSTANTINOPOLITANO *Patriarchæ.*

Epist. 184. Ne Græci faveant Michalicio.

EX litteris carissimi in Christo fili nostri Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris nostro est apostolatui reseratum quòd Michalicius, fidelitate quam eidem præstiterat Imperatori contempta, hominibus ejus minimè diffidatis, & spreto nihilominus juramento quod eidem Imperatori & E. fratri ejus, cui idem Michalicius filiam suam primogenitam tradiderat in uxorem, præstiterat, A. imperij Comestabulum cum Militibus & aliis usque centum in dolo capiens, quosdam flagellavit ex ipsis, quosdam retrusit in carcerem, & quibusdam nequiter interfectis, Comestabulum ipsum cum tribus aliis & Capellano suo, quod est horribile dictu, suspendit in cruce. His autem ad nequitiam postmodum animatus, Latinorum fretus potentia, qui cupiditate cœcati ad ipsum Michalicium confugerunt, castra ejusdem Imperatoris obsedit, villas combussit, & omnes Latinos Presbyteros quos capere potuit, & quendam electum in Præsulem & etiam confirmatum, fecit capitibus detruncari. Præterea Lascarus, qui pro Imperatore se gerit, stipatus viribus Latinorum, qui postpositis Dei timore ac hominis reverentia, spretis etiam stipendiis quæ idem Imperator ipsis poterat exhibere, ab inimicis ejus recepere majora quàm ipse illis valeat erogare, quendam de principibus ejus cepit, &, ut dicitur, excoriari fecit eundem. Quia verò si Græci recuperarent imperium Romaniæ, terræ sanctæ succursum penè penitùs impedirent, ne occasione succursus ipsius iterum perderent locum & gentem, cùm & antequam idem imperium à Græcis translatum fuerit ad Latinos, ipsi à nobis sæpe moniti & rogati nunquam terræ sanctæ voluerint subvenire, quin etiam Isachius Imperator ob gratiam Saladini fieri fecerit in urbe Constantinopolitana meskitam, & quia si possent exterminare Latinos, in apostasiæ suæ vitio fortiùs perdurarent in odium Latinorum, quos etiam nunc canes appellant, sicque novissimus error fieret pejor priore, cùm submurmurare non cessent quòd per apostolicæ sedis ingenium exercitus Latinorum in Constantinopolim declinaverit captivandam, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Latinos diligenter moneas, inducas, & eis sub pœna excommunicationis injungas ne Græcis, & præsertim præfato Michalicio, qui faciendo necari Presbyteros laqueum excommunicationis incurrit, contra Imperatorem prædictum vel fideles ipsius auxilium præbeant vel favorem; commonens nihilominus Imperatorem eundem ut ipsis congrua stipendia subministret, ne se ad Græcos transferre præ inopia compellantur; illos autem qui tua monitione contempta Græcis contra eundem Imperatorem & fideles ipsius præsumpserint adhærere, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescere non postponas; ita quòd sententias quas propter hoc tuleris in eosdem nullus relaxare præsumat, nisi de mandato sedis apostolicæ speciali. Datum Laterani VII. Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Vide lib. II. epist. 47.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis universis Prælatis Romaniæ per totum usque captivandum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* compescatis; ita ut si qui propter hoc laqueum excommunicationis incurrerunt, & postmodum redierint ad eor, offerentes se mandatis Ecclesiæ parituros, auctoritate præsentium juxta formam Ecclesiæ ipsis absolutionis beneficium impendatis. Datum Laterani VII. Idus Decembris, anno tertiodecimo.

SALIMBRIENSI EPISCOPO, *& sanctæ Mariæ de Blakerna & sancti Georgij de Mangonia Decanis Constantinopolitanis.*

Epist. 181. De unione Ecclesiæ Medensis cum Latinis Eccl.

CVm Ecclesia Verisiensis, quæ metropolitica est prædita dignitate, in redditibus sit exilis, ne præ nimia paupertate in ea nomen episcopale vilescat, nobis fuit humiliter supplicatum ut Medensem Ecclesiam in ejus provincia constitutam eidem adjungere dignaremur, cùm nondum quisquam ejus regimini sit præfectus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica

apostolica scripta mandamus quatenus detentores earum, ut ipsas restituant venerabili fratri nostro Archiepiscopo Patracensi, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Datum ut in alia.

MONOTHONENSI ET AMICLIENSI Episcopis.

Epist. 174. De piis legatis Ecclesiæ Patracensis.

VEnerabilis frater noster Patracensis Archiepiscopus nobis exposuit conquerendo quòd domini terræ illius Ecclesiis suæ diocesis ea quæ à Christi fidelibus in ultima voluntate legantur, eisdem contra justitiam auferre præsumunt in suum & Ecclesiæ præjudicium & jacturam. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictos dominos, ut ab hujusmodi præsumptione desistant, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellentes. Testes autem &c. Datum Laterani Nonis Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DE CLAROMARISCO ET de Longovillari Abbatibus Cisterciensis ordinis, & Decano Mosteroli, Morinensis & Ambianensis diocesum.

Epist. 175. De reformatione monasterii S. Iudoci. De monasterio S. Iudoci vide Notas ad Lupii Iurar. p. 349.

SIcut per vestras nobis, filij Abbates, litteras intimastis, cùm vobis dederimus in mandatis ut ad monasterium sancti Iudoci supra mare personaliter accedentes, corrigeretis in capite ac in membris quæ limam correctionis exposcerent, vos, filij Abbates, te, fili Decane, tuam absentiam excusante, accedentes ad locum, nostris obtemperantes mandatis, tam Abbatem quàm universum Capitulum invenistis, duobus duntaxat exceptis, Ingelranno & Clalbordo monachis, qui cùm essent suis exigentibus culpis per Abbatem & conventum ipsius loci excommunicationis vinculo innodati, duos alios seducentes, quos viros perniciosos, rebelles, & contumaces attestatione plurium didicistis, rejecto habitu monachali contumaciter recesserunt, correctione domus nullatenus expectata. Vos autem Capitulo convocato, cùm Abbas juxta mandatum vestrum universis & singulis fratribus in virtute obedientiæ ac animarum suarum periculo injunxisset ut super conversatione ipsius & statu Ecclesiæ dicerent veritatem, vos singulariter examinantes eosdem super his quæ personam contingebant Abbatis, laudabile omnium testimonium invenistis; sed laudabilius juxta nonnullorum assertionem invenissetis, si se circa quosdam perversos & contumaces severiùs habuisset. Invenistis præterea sub ejusdem Abbatis regimine, qui oppressiones multiplices est perpessus, imminutum Ecclesiæ debitum & redditum augmentatum, & tam in ædificiis quàm aliis necessariis domus expensas factas, sicut oculata fide perpenditur, quæ usque ad mille librarum Parisiensium summam excrescunt. Conventui quoque, qui major est solito, ac hospitibus & pauperibus abundantiùs & honestiùs quàm consueverit providetur. Licèt autem omnibus inquisitis quædam, prout expedire vidistis, ibidem curaveritis ordinare, quia tamen inevitabilis necessitas vos trahebat accedendi ad Capitulum generale, de nonnullis disponere in vestro reditu statuistis. Cùm autem Abbas & monachi supradicti propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, & iidem monachi humiliter petiissent absolvi per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Tusculanum Episcopum, recepto priùs ab eis corporaliter juramento, juxta formam Ecclesiæ ipsis fecimus beneficium absolutionis impendi. Quia verò in multis eosdem culpabiles deprehendimus, nec speratur quòd ipsis præsentibus idem locus debita possit pace gaudere, de consilio fratrum nostrorum eos ad vos remittendos duximus in districtioribus monasteriis singulariter collocandos, in quibus in humilitate spiritus sua possint peccata deflere. Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eisdem ad vos redeuntibus injungatis sub debito præstiti juramenti, & eos, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis ut ad loca quæ singulis deputaveritis transeant, victuri regulariter in eisdem. Abbates quoque ac monachos eorundem locorum ad suscipiendum eos censura simili, si necesse fuerit, appellatione remota cogatis. Volumus nihilominus & mandamus ut ad sæpedictum monasterium accedentes, corrigatis diligentissimè quicquid adhuc inveneritis corrigendum, & ita, Deum habentes præ oculis, ordinetis ut locus ipse debita de cetero valeat tranquillitate lætari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VI. Idus Novembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI monaſterij ſanctæ Mariæ de Carrazeto Ciſtercienſis ordinis.

Epiſt. 176. Confirmat conceſſionem Regis Legionenſis.

CAriſſimus in Chriſto filius noſter A. Rex Legionenſis illuſtris ſuis nobis litteris intimavit quòd cùm caſtrum de Ventoſa, ex parte in poſſeſſionibus monaſterij veſtri ſitum, quod deſertum fuerat ab antiquo, reædificare ac in eodem populum congregare cœpiſſet, idem attendens quòd caſtro populato prædicto, tam vos quàm alia loca religioſa vicina & villæ nihilominus adjacentes ex eo paterentur non modicam læſionem, pœnitentia ductus, deſtitit ab incepto, vobis & aliis locis religioſis ac adjacentibus villis concedens ne unquam in poſterum ibidem populus collocetur, ſuper hoc vobis & aliis fieri faciens publicum inſtrumentum. Qui etiam nobis humiliter ſupplicavit ut ad ſtabilitatem perpetuam conceſſionem ipſius apoſtolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur paci & quieti monaſterij veſtri providere volentes, ac devotionem regiam commendantes, conceſſionem eandem ad perpetui roboris firmitatem auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis infringere vel ei &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani VI. Kal. Novembris, anno tertiodecimo.

ADVLPHO QVONDAM Colonienſi Archiepiſcopo.

Epiſt. 177 Conceduntur ei quædã gratiæ. *Vide lib 10. epiſt. 19. & lib. 11. epiſt. 88. & lib. de negotio imper. epiſt. 9. 11. 16 39. 55 67. 80. 100. 112. 115. 116. 117. 144. 165.*

AD hoc exemplaria cæleſtis imaginis in divinis voluminibus ſunt deſcripta ut ea non ſolùm venerari curemus, ſed etiam imitari, non tam auditores verborum quàm rerum factores effecti: quia non auditores legis, ſed factores, juſti ſunt apud Deum. Sacra quippe ſcriptura docente didicimus quòd in arca fœderis Domini cum tabulis legis virga continebatur & manna: quoniam in pectore ſummi Pontificis, quod per arcam fœderis deſignatur, cum ſcientia legis divinæ debet virga correctionis & manna dulcedinis contineri; ut ſciat vulneribus ſauciati oleum infundere ſuper vinum, & quem novit ex rigore percutere, ſciat etiam ex benignitate ſanare, humiliando ſuperbos, & humiles erigendo. Hinc eſt igitur quòd licèt in eo non parum deliqueris quòd ſine noſtra licentia ſpeciali, quin etiam contra noſtram prohibitionem expreſſam, Ottone dimiſſo, adhæſiſti Philippo, quia tamen impoſitam tibi propter hanc culpam à ſede apoſtolica diſciplinam patienter hactenus & humiliter ſupportaſti, dignam pro meritis pœnitentiam peragendo, ac per hoc quòd idem Otto contra nos indignè ſe gerit, qui eum toto conamine ſtuduimus promovere, validiſſimè præſumatur quòd etiam contra te indignè ſe geſſit, qui promotionis ipſius inter homines fueras prima cauſa, poſt rigorem juſtitiæ tibi rorem miſericordiæ inſtillare volentes, fraternitati tuæ auctoritate præſentium indulgemus ut cùm de mandato noſtro non fueris à pontificali ordine degradatus, ſed ab officio tantùm pontificali remotus, liceat tibi cum pontificalibus celebrare, palleo duntaxat excepto, & ex permiſſione Pontificis vel Abbatis in cujus dioceſi vel cœnobio fueris conſtitutus, Clericos vel monachos tibi canonicè præſentatos ad minores ordines promovere, benedicere veſtes, & vaſa ſacrare. In quibus omnibus illam te cuſtodire volumus honeſtatem & modeſtiam adhibere ut ſcandalum evitando ſic interdum prodeſſe poſſis aliquibus ut nullis omnino velis obeſſe. Ad hæc etiam tibi concedimus ut ſi citra curam pontificalis officij evocatus fueris ad aliquam eccleſiaſticam dignitatem, licenter illam aſſumas; ſed ſi ad præſulatum fueris poſtulatus, illum ſuſcipere non præſumas niſi de alia Romani Pontificis indulgentia ſpeciali, qui ſuper hoc ſuo diſcreto conſilio providebit quod viderit expedire. Tu ergo talem te ſtudeas in omnibus exhibere ut gratiæ tibi factæ aut etiam faciendæ non reddaris ingratus, ſed ad hæc & alia fortè majora dignus & idoneus comproberis. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani II. Idus Novembris, anno tertiodecimo.

MAGISTRIS PALMARIO & Ricardo Canonicis Lucanis.

INter dilectos filios Plebanum & Clericos de villa Baſilica ex una parte ac forenſem Preſbyterum Lucanæ dioceſis ex altera ſuper Eccleſia ſancti Geneſij de Bocellio dudum quæſtione ſuborta, cùm dilecti filij Prior & magiſter Zenobius Subdiaconus noſter Canonicus ſancti Fridiani Lucani de noſtro eam examinaſſent mandato, tandem de meritis ipſius ſufficienter inſtructi, electionem rectoris ipſius Eccleſiæ, cum aliis quæ in eorum ſententia continentur, plebi ſupradictæ villæ adjudicare curarunt, dictum Preſbyterum ab eadem ſententialiter removentes. Qui cùm ab eorum ſententia noſtram audientiam appel-

luntate fecerunt, ſicut providè facta eſt, & vos eam juſtè ac pacificè obtinetis, vobis & per vos Eccleſiis veſtris auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani XII. Kal. Ianuarij, anno tertiodecimo.

S. G. POTESTATI, CONSILIARIIS, & univerſo populo Piſano.

Epiſt. 193. Ne Ottoni Imperatori excommunicato. deat favorem.

PEr veſtras nobis litteras intimaſtis quòd cùm ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus & per omnia fideliſſimi extiteritis hactenus, & illæſa modis omnibus ſervaveritis jura ejus, credere non debuimus quòd apoſtolicæ ſedis jura velletis, ſicut nec convenit, uſurpare, ad cujus honorem atque profectus tanto vos decet intendere quanto civitas veſtra per eam majora dinoſcitur commoda recepiſſe; adicientes quòd mirari non debuimus vel moveri ſi nobilem virum Marchionem Calaritanum, quem ad juriſdictionem diximus apoſtolicam pertinere, ſuper quæſtionibus quæ pro parte communitatis vel ſpecialium perſonarum contra ipſum plerunque moventur, ad examen noſtrorum [non] permiſiſtis judicum evocari. Nam idem Marchio, cùm veſter civis exiſtat, & de veſtra ſit civitate, in qua domicilium obtinet, oriundus, & pater ac avus ejus veſtri concives extiterint, ſuper quibuſdam conventionibus quas cum pleriſque veſtris civibus Piſis fecit, fori præſcriptione nequaquam oppoſita, nec aliquo privilegio allegato, coram veſtræ civitatis judicibus voluntariè ſuſcepit judicium ſicut civis, & lite poſtea conteſtata, ſponte ſubivit calumniæ juramentum; ita quòd mutuis interrogationibus & reſponſionibus interpoſitis, aliquatenus habuit dicta cauſa proceſſum. Vnde cùm de juriſdictione Sardiniæ nulla fuerit quæſtio ab ipſius Marchionis parte tractata, & non ſuum judicem quiſque ſuum faciat ejus ſponte judicium ſubeundo, non eſt veriſimile quòd coactus extiterit ſub veſtrorum examine judicum ſuper aliquibus quæſtionibus reſpondere: propter quod juxta quod ſcripſimus non creditis nos ſcripſiſſe, ſi quæ præmiſſa ſunt ad noſtram notitiam perveniſſent. Cùm itaque de noſtra miſericordia, ſicut filij & famuli fideliſſimi, ſuper his omnibus confidere vos dicatis, nobis humiliter ſupplicaſtis ut aures noſtras veſtris precibus inclinantes, ſuper his quæ venerabili fratri noſtro Florentino Epiſcopo ſuper facto dicti Marchionis injunximus, vobis & civitati veſtræ dignaremur taliter providere quòd in excommunicationis ſententiam incidere non poſſetis, & promptiſſimos vos ſemper inveniremus ad noſtra mandata & beneplacita exequenda. Ex his itaque, quod gaudentes referimus, ſi dictis facta reſpondeant, intelleximus evidenter quòd beneficiorum apoſtolicæ ſedis eſſe non vultis ingrati, nec juriſdictionem vobis in Sardiniam vendicare, ſeu etiam excommunicationis ſententia innodari. Verùm ſi propoſito illi duxeritis inſiſtendum ut contra nos & Romanam Eccleſiam Ottoni dicto Imperatori excommunicato & maledicto, qui qualem poſt factum benefactoribus ſuis vicem rependat opera manifeſtant, impenderitis auxilium ad regnum Siciliæ occupandum, nec ingratitudinis vitium neque pœnam ob hoc contra vos & civitatem veſtram ſtatutam nec etiam excommunicationis ſententiam poſſetis proculdubio evitare. Quocirca devotionem veſtram rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus tam ſaluti veſtræ quàm famæ necnon etiam utilitatibus veſtris providè conſulentes, taliter in devotione Romanæ Eccleſiæ perſiſtere ſtudeatis, ab ejuſdem excommunicati vos auxilio ſubtrahendo, à cujus fidelitate jam eſtis per cenſuram canonicam & denuntiationem apoſtolicam abſoluti, ut nec notam ingratitudinis nec excommunicationis ſententiam ſeu pœnam aliam incurratis. Nos enim non mutamus, ſed roboramus ſententiam quam per alias vobis litteras fecimus intimari. Super eo verò pro quo nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper mandato quod dicto Epiſcopo fecimus dignaremur, ita duximus providendum, quòd eidem Epiſcopo noſtris damus litteris in mandatis ut audiat ſuper excuſationibus veſtris & his quæ propoſita fuerint ex adverſo quæ utraque pars duxerit proponenda, & illa nobis, dummodo interim vos contra mandatum noſtrum minimè procedatis, fideliter intimare procuret; ut utriuſque partis rationibus intellectis, quod ſtatuendum fuerit ſtatuamus. Illud autem pro certo noveritis, quia ſicut juriſdictionem noſtram nobis ſubtrahi nolumus, ita rationem veſtram vobis volumus conſervari; ne fortè, quod abſit, inde naſcantur injuriæ unde jura naſcuntur. Datum Laterani XI. Kalend. Ianuarij, anno tertiodecimo.

Scriptum eſt ſuper hoc Epiſcopo Florentino in eundem ferè modum ut in alia uſque in fi-

nem, verbis competenter mutatis. Alioquin in negotio ipso procedas juxta quod per alias tibi litteras est injunctum.

* *Cod. Colbert.* Guirando

* *GIMMVNDO MILITI Alatrino.*

Epist. 194. Clerici defuncti patrimoniũ pertinet ad ejus heredes.

CVm inter yconomum sancti Stephani de Alatro ac te nomine bonæ memoriæ Heleazari Canonici sancti Pauli Alatrini super acquisitionibus præfati Heleasari coram venerabili fratre nostro Verulano Episcopo ex delegatione nostra quæstio verteretur, idem auditis hinc inde propositis, receptis testibus, & eorum depositionibus publicatis, causam ipsam ad nostrum remisit examen sufficienter instructam. Tibi ergo & procuratori præfati yconomi in nostra præsentia constitutis dilectum filium nostrum A. Subdiaconum & Capellanum nostrum concessimus auditorem. Coram quo proposuit procurator yconomi antedicti, sicut & propositum fuerat coram Episcopo memorato, quòd cùm Heleazarus memoratus administrationem & prælaturam habuerit in præfata Ecclesia sancti Stephani, de bonis ejus disponens pro suæ arbitrio voluntatis, & antequam in ipsa Ecclesia fuerit institutus, pauper extiterit, & postmodum acquisierit plurima, dives factus, præsumi non immeritò poterat quòd de bonis ipsius Ecclesiæ illa fuerant acquisita. quod tam per depositiones testium, qui dixerunt dictum Heleazarum defraudasse plura de bonis Ecclesiæ supradictæ ac ea in suis acquisitionibus erogasse, quàm etiam per famam publicam astruere nitebatur. Vnde dicebat ea quæ dictus Heleazarus acquisierat, ad eandem Ecclesiam pertinere, postulans illa, terras videlicet de Pede montis in Acolis, de Torreta, & ante sanctum Quintianum à flumine, ac domum quam tenet Grimaldus, adjudicari eidem. Quia etsi expressè illa in initio causæ petita non fuerint, quia tamen ea constat sæpedictum Heleazarum habuisse, cùm ipsius acquisita petita extiterint, & hæc acquisisse de bonis Ecclesiæ præsumatur, ea meritò intelliguntur fuisse petita. Nec obstare dicebat quòd dictus He. fuerat ad Ecclesiam sancti Pauli translatus, cùm simplex tantùm Canonicus ibidem existens, in tantum tenues redditus receperit ab ipsa quòd ex ipsis vix sibi poterat in necessariis providere, nedum quòd exinde potuerit tot & tantas possessiones emisse; adiciens etiam privatæ personæ prodesse non posse, si de bonis secundæ Ecclesiæ fuerunt aliqua acquisita. Porrò ex parte tua fuit propositum ex adverso quòd super petitione incerta certa sententia non poterat promulgari, sed potiùs debebas absolvi, cùm contra te probatum non extiterit quicquam certum. Nam quid vel quantum de bonis Ecclesiæ sancti Stephani præfatus Heleazarus in suis acquisitionibus erogarit, nec per testes nec modo aliquo est ostensum. Præterea cùm sæpedictus Heleazarus à supradicta Ecclesia sancti Stephani fuerit ad Ecclesiam sancti Pauli translatus, & quoddam feodum obtinuerit ab eadem, in qua per triginta ferè annos permansit, & in quibusdam bonis successerit patri suo, ex quorum proventibus possessiones aliquas comparavit, sicut testes tui deposuerant evidenter, elisa erat præsumptio quam opposuit pars adversa, cùm constet eundem Heleazarum aliunde bona quæ habuit acquisisse, præsertim cùm eum habuisse vel acquisisse aliquid non probetur dum in prima Ecclesia resideret, sed eo potiùs tempore quo in secunda permansit. Vnde si pro aliqua illarum Ecclesiarum præsumi deberet, præsumendum esset potiùs pro secunda. propter quod ab ipsius impetitione postulabas absolvi. Nos igitur his & aliis quæ fuerant proposita coram auditore prædicto per relationem ipsius pleniùs intellectis, te ab impetitione yconomi memorati & ipsius Ecclesiæ sancti Stephani super acquisitionibus memoratis sententialiter absolventes, perpetuum illis silentium imponimus super eis. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XII. Kalend. Ianuarij, anno tertiodecimo.

* *Cod. Colbert.* Laonensi

* *LAONIENSI ET FINDBARENSI Episcopis, & Abbati de Magio Limiticensis diocesis.*

Epist. 195. Cassat electionem Episcopi Ymilicensis. *Cap. Dilectus. De tempor. ordinandor.*

DIlectus filius W. Ymilicensis Canonicus nostro dudum apostolatui reseravit quòd Ymilicensi Ecclesia suo viduata pastore, concanonici sui de substituendi pastoris electione tractantes, ipsum unanimiter elegerunt. Qui cùm esset citra sacros ordines constitutus, venerabilis frater noster Cassellensis Archiepiscopus Metropolitanus eorum Episcopo Roffensi mandavit ut eum uno eodemque die ad tres sacros ordines promoveret. Quod cùm ille non ausu proprio, sed de mandato ipsius Archiepiscopi perfecisset, demum idem Archiepiscopus requisitus, consecrationis ei munus, hujusmodi ordinationis occa-

sione prætensa, impendere recusavit. Unde fuit nobis humiliter supplicatum ut super hoc circa præfatum W. dignaremur de benignitate sedis apostolicæ dispensare; maximè cùm ad ordines ita susçipiendos non ex voluntatis propriæ diceretur festinantia properasse, sed tam de magna necessitate quàm de utili providentia penè omnium ibi præsentium se permiserit taliter ordinari, pro eo quòd Ecclesiæ Ymilicensi multiplex periculum imminebat si ejusdem W. citra presbyteratus officium ordinatio differretur. Licèt autem contra normam ecclesiasticam in facto ipso enormiter fuisset excessum, de misericordia tamen, quæ superexaltat judicio, venerabili fratri nostro Armachano Archiepiscopo & Episcopo Midensi & dilecto filio Archidiacono Armachano dedisse recolimus in mandatis ut inquisita super præmissis diligentiùs veritate, si rem invenirent taliter se habere, ac eundem W. aliàs idoneum & utilem Ecclesiæ Ymilicensi, dispensativè ipsi tribuerent licentiam consecrandi, & quicquid in hoc per eundem invenirent Archiepiscopum attentatum per suas nobis litteras intimarent; ut per eorum relationem certiores effecti, providere in eo, sicut esset expediens, curaremus. Ipsi verò vocatis quos noverant evocandos, & investigata plenius veritate, depositiones testium productorum utrinque ad nostram præsentiam transmiserunt. Quibus inspectis, intelleximus evidenter quòd celebrata de prædicto W. electione, cùm die sequenti fuisset idem W. à supradicto Roffensi Episcopo ad ordinem subdiaconatus promotus, idem Episcopus Archidiacono & Canonicis Ymilicensibus seorsim vocatis, dicens quòd propter turbationem terræ ac multos malivolos, qui eidem W. insidias præparabant, nolebat ipsum citra ordinem presbyteratus relinquere, juramento firmavit id supradictum Archiepiscopum tam metu mortis ipsius W. quàm propter imminens periculum Ymilicensis Ecclesiæ præcepisse, & quòd officialis ejusdem Archiepiscopi ex parte ipsius Episcopo memorato inhibuit ne jam dictum W. jam in Subdiaconum ordinatum, tunc ad ulteriores ordines promoveret. Cui eodem Episcopo respondente quòd plus Archiepiscopo, qui hoc ei ore suo mandaverat, quàm illi crederet in hac parte, extensa super altare manu per sacrosancta juravit quòd id mandaverat Archiepiscopus sæpedictus; & sic in Diaconem & Presbyterum Vv. sæpedictum promovit. Probatum insuper sufficienter invenimus quòd dictus Archiepiscopus Iohanni Decano de Hely injunxit ut præfato Episcopo inhiberet ne dictum Vv. eo die quo ad tres ordines promotus extitit, nisi ad subdiaconatus ordinem promoveret, eidem Vv. nihilominus inhibendo ne se promoveri ulteriùs pateretur. Verùm cùm idem Decanus ad Ymilicensem Ecclesiam accessisset, tam sæpedicto Episcopo, qui jam Subdiaconos ordinarat, vocatis his qui erant in Diaconos promovendi, & silentio cunctis indicto, ex parte Dei ac Archiepiscopi Cassellensis inhibuit ne jamdictum Vv. ad ulteriores ordines promoveret, quàm præfato Vv. ne se promoveri ulteriùs sustineret. Constitit quoque nobis ex litteris judicum prædictorum quòd sæpefatus Episcopus interrogatus in jure respondit quòd Archiepiscopus non mandarat eidem ut Vv. eodem die ad tres ordines promoveret, sed ex verbis Archiepiscopi eum credidit illud velle. Hoc idem etiam dictus Episcopus per suas nobis litteras intimavit. Præterea ex ipsorum judicum litteris intellexi-mus quòd idem Episcopus ultro juravit in jure quòd universa quæ continebantur in ejusdem W. attestationibus vera erant. Ex litteris quoque tam supradicti Archiepiscopi quàm Capituli Ecclesiæ Ymilicensis accepimus quòd cùm tam super electione ac ordinatione sæpedicti W. quàm etiam super quibusdam ejus excessibus in Concilio apud Kelmoelloco celebrato coram præfato Archiepiscopo inter dictum W. & Canonicos quæstio suborta fuisset, & demum ab utraque parte ad nostram audientiam appellatum, idem W. non expectato termino quem appellationi suæ duxerat præfigendum, supradictas à nobis litteras veritate tacita impetravit. Cùm igitur ex præmissis nobis constiterit sæpedictum Roffensem Episcopum in pluribus deliquisse, tum quia sine mandato Archiepiscopi, sicut ipse confessus extitit, ad hujusmodi ordinationem inordinatè processit, tum quia etsi de Archiepiscopi mandato constaret, cùm illi hujusmodi dispensatio à canone minimè sit permissa, quam ad solum Romanum Pontificem non est dubium pertinere, ipsi obtemperare non debuit in hac parte, tum etiam quia cum reatu perjurij sæpius variavit, jurando priùs quòd Archiepiscopus id præceperat, & postea quòd illud non mandaverat in judicio confitendo, ipsum de fratrum nostrorum consilio tamdiu ab ordinandi suspen-

dimus potestate donec nostram meruerit gratiam obtinere. Sæpedictum quoque W. per falsitatis suggestionem & suppressionem etiam veritatis litteras supradictas à nobis intelleximus extorsisse. Suggessit siquidem nobis supradictum Archiepiscopum Episcopo memorato mandasse ut ipsum uno die ad tres ordines promoveret, de quo nobis non extitit facta fides; quin immo contrarium, quòd videlicet Archiepiscopus id prohibuerit, fuit manifestè probatum. Nonnulla quoque vera suppressit, quòd videlicet tam Episcopo memorato quàm sibi fuerit ex Archiepiscopi parte prohibitum ne promoveretur nisi ad subdiaconatus ordinem illo die, quòdque coram Archiepiscopo super electione ac ordinatione ipsius quæstio mota fuisset, & ram à se ad certum terminum quàm ab Ymilicensibus Canonicis appellatum. Sed nec, sicut asseruit, quòd urgens necessitas Ymilicensis Ecclesiæ id exposceret demonstravit. Cùm igitur illa expresserit & suppresserit quæ si fuissent tacita vel expressa tales litteras minimè dedissemus, per quod apparet ipsum extitisse indignum gratia quam duxeramus ei ex benignitate apostolica faciendam, & eundem constet nimis præsumptuosè ad supradictos ordines irrepsisse, ab executione diaconatus & presbyteratus ordinum, donec à nobis misericordiam obtinuerit, decrevimus manere suspensum, super electione de ipso ad Ymilicensem Ecclesiam illicitè celebrata perpetuum illi silentium imponentes. Quia verò præfatum Archiepiscopum circa hæc non invenimus deliquisse, ipsius innocentiam commendamus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EPISCOPO, & GERVASIO Archidiacono Suessionensi, & Abbati Vallis Claræ Cistercienſis ordinis Laudunensis dioceſis.

*Epist. 196. Prorumpens contra judicē, arbitrio superioris puniatur. Cap. Dilectus. De pœnis. * In quart. coll. G. Decan. Morin. &*

Dilectus filius Iacobus electus sancti Petri ad montes ad apostolicam sedem accedens, gravem querelam contra dilectos filios *Molismensem Abbatem & I. Archidiaconum Cathalaunensem exposuit, asserens eos adversùs ipsum in causa sua, quæ fuerat illis commissa, perperam processisse. Cùmque dilectus filius T. Clericus Cathalaunensis dioceſis cum litteris eorundem continentibus causæ processum ad nostram præsentiam accessisset, & idem Iacobus niteretur processum ipsum multipliciter improbare, relationem eorum in quibusdam asserens esse falsam, nos, quia præfatus Clericus non habebat nisi ad contradicendum vel impetrandum mandatum, ad majorem cautelam processum ipsum nec confirmandum decrevimus nec cassandū, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, si præfatos judices inveneritis rationabiliter processisse, ipsorum confirmetis processum, & faciatis illum per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari. Alioquin eo, sicut justum fuerit, irritato, juxta formam priorum litterarum in causa procedatis eadem, facientes quod decreveritis firmitatem debitam obtinere. Si quos autem ex monachis propter hoc inveneritis excommunicationis vinculo innodatos, secundùm formam Ecclesiæ absolvatis, injungentes eisdem quod de jure fuerit injungendum. Quia verò sæpe contingit quòd contra falsam assertionem iniqui judicis innocens litigator veram non potest negationem probare, cùm negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio, ne falsitas veritati præjudicet aut iniquitas prævaleat æquitati, necessarium videtur & æquum ut cùm quis legitimam exceptionem opponit, illam probare paratus, vel ad declinandum judicium vel ad intentionem alterius elidendam, si forsan verbo vel facto ab illa recesserit, vel eam non probaverit infra terminum competentem à judice præfigendum, modestus judex non antè procedat quàm super hoc instrumentorum vel testium cautelam adhibeat opportunam, per quam, si necesse fuerit, possit de veritate constare; ut si contra relationem seu processum ipsius fuerit suborta contentio, hujusmodi probationibus ipsius judicis possit assertio roborari: quatenus hoc adhibito moderamine, sic honestis & discretis deferatur judicibus quòd per improbos & iniquos innocentum justitia non lædatur; & ne judicialis vilescat auctoritas, cùm de litigatoris improbitate constiterit adversùs assertionem judicis temerè prorumpentis, juxta superioris arbitrium digna poterit animadversione puniri. Testes autem &c. per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope cum

eorum altero &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij, anno tertiodecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS sanctorum quatuor Coronatorum.

Epist. 197. Confirmatur concordia. Vide lib. 15. epist. 79.

CVm super usu & jure parrochiæ inter vos & Priorem ac conventum Lateranensem controversia verteretur, dilectum filium nostrum C. tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyterum Cardinalem dedimus partibus auditorem. Qui petitiones audivit, & testes utrinque recepit, ac demum attestationibus publicatis, & exhibitis instrumentis, nos ad talem concordiam vos & ipsos induximus; ut videlicet vos non extendatis jus & usum parrochiæ citra Ecclesiam sancti Nicolai de formis ex parte illa, nec citra arcum Iohannis Basilij ex parte altera intra formam, & ipsi similiter ultra eosdem terminos versus vos jus & usum parrochiæ non extendant. Hanc ergo concordiam à nobis pro bono pacis provisam, & à vobis & illis sponte receptam, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus; ita ut per eam non derogetur in aliis limitationi parrochiæ quam felicis memoriæ Calixtus Papa suo privilegio designavit. Statuentes ut nulli omnino &c. nostræ provisionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ Templi in Vngaria constitutis.

Epist. 198. Confirmatur commutatio.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus inclinati, commutationem inter vos & venerabilem fratrem nostrum Zagabriensem Episcopum super quibusdam decimis & aliis rebus initam, sicut piè ac providè facta est, & in authentico super hoc confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XI. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 199. Confirmantur ea donationes factæ à Rege Vngariæ.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus inclinati, locum sancti Martini cum appendiciis suis, villas, possessiones, & alia vobis à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Vngariæ pia devotione collata, sicut ea justè ac pacificè possidetis, & in ipsius authentico super hoc confecto plenius continetur, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI Simigiensi.

Epist. 200. Recipiuntur sub protectione B. Petri.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & Simigiense monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, libertates & immunitates à Regibus & Principibus monasterio vestro concessas, dignitates quoque, ac antiquas & rationabiles consuetudines obtentas & hactenus observatas, auctoritate vobis apostolica confirmantes. Ad indicium autem hujus nostræ protectionis & confirmationis perceptæ fertonem auri gratis oblatum nobis & successoribus nostris annis singulis persolvetis. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VII. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

MAGISTRO PETRO BOIOL Canonico Lemovicensi.

Epist. 201. Confirmatur ei præbenda.

PRopositisti dudum coram dilecto filio Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinale, quem tibi & Pœnitentiario Lemovicensi concessimus auditorem, quòd cùm dilecto filio nostro Gualæ sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali tunc in partibus illis apostolicæ sedis Legato quidam de Lemovicensibus Canonicis supplicassent ut in eorum Ecclesia, quæ debito fraudabatur servitio, Clericos ordinaret, pro te ac magistro Andrea scriptore nostro preces specialiter porrigentes, ipse Lemovicensem civitatem ingressus, Canonicos interpositis precibus monuit ut vos reciperent in socios & in fratres; maximè cùm quinque præbendæ vel quatuor ab ultima ipsius Ecclesiæ ordina-

tione vacassent. Qui monitione ipsius devotè susceptа, deliberatorias inducias petierunt: post quas primò & secundò concessas, eis non curantibus respondere, de præbendis Lemovicensibus vos investivit Cardinalis prædictus, stallum in choro & locum in Capitulo vobis præcipiens assignari. quod quorundam impediente malitia non extitit executioni mandatum. Vnde cum instantia postulasti ut quod à Legato factum fuerat faceremus firmitatem debitam obtinere. Verùm Pœnitentiarius proposuit ex adverso quòd antequam Legatus præbendas contulisset easdem, Lemovicense Capitulum ab ejus gravamine appellavit, tam Episcopi quàm multorum Canonicorum Lemovicensium qui erant in exercitu contra hæreticos absentiam allegando. Asseruit insuper facultates Ecclesię diminutas, & vos sufficienter in aliis Ecclesiis præbendatos, proponens te fore simoniacum & ingratum Lemovicensi Ecclesiæ, ac eo tempore quo fueras de præbenda Lemovicensis Ecclesiæ investitus, excommunicatum ab eodem Episcopo extitisse. His autem & aliis per Cardinalis relationem auditis, cùm conveniissemus postmodum eundem Pœnitentiarium per nos ipsos, per responsiones ipsius cetera esse frivola, præter id quod de sententia excommunicationis contra te proposuerat, intelleximus evidenter. Vnde venerabili fratri nostro Archiepiscopo & dilectis filiis magistro M. Canonico Bituricensi & H. Cellarario sancti Frontonis Petragoricensis dedimus in mandatis ut nisi Pœnitentiarius infra mensem post commonitionem eorum te legitimè à sæpefato Episcopo tempore investituræ tuæ excommunicatum fuisse probaret, quod per dictum Legatum de te factum extiterat sublato appellationis obstaculo confirmarent; si verò probaret te excommunicatum tunc temporis extitisse, non postponerent quod de te factum foerat revocare. Qui mandatum apostolicum exequentes, utriusque partis receptis testibus, & confessionibus ac allegationibus intellectis, eandem causam sufficienter instructam ad nostrum remiserunt examen. Cùm autem propter hoc nuper tam tu quàm dilectus filius G. Lemovicensis Capituli procurator in nostra fuissetis præsentia constituti, & acta ipsa inspici fecerimus diligenter, per Pœnitentiarij testes intelleximus factam fidem quòd Lemovicensis Episcopus pluribus annis antequam tu de præbenda jamdicta fueris investitus, Clericos & burgenses castri Lemovicensis, & te nominatim, quem eorum dicebat consiliarium & fautorem, vinculo excommunicationis astrinxit. Per testes verò tuos extitit manifestè probatum quòd etsi dictus Episcopus in burgenses & eorum fautores excommunicationis sententiam tulerit, & tu apud sedem apostolicam adjutor extiteris eorundem, idem tamen Episcopus generaliter universos burgenses & eorum fautores tam Clericos quàm laicos ante tres annos absolvit, quibusdam Presbyteris usque ad certum tempus retentis qui contra interdicti sententiam præsumpserant celebrare, quòdque idem Episcopus tibi communicavit postea in Ecclesia & in mensa. His igitur & aliis quæ fuerunt hinc inde proposita intellectis, quia juxta mandati nostri tenorem te investituræ tuæ tempore à præfato excommunicatum Episcopo extitisse dictus Pœnitentiarius, sicut obtulerat, non probavit, cùm ex adverso de absolutione ac communione dicti Episcopi fuerit facta fides, quod per dictum Legatum de te factum est de fratrum nostrorum consilio per diffinitivam sententiam duximus approbandum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IX. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum Decano & Subdecano Pictavenensi & magistro Americo de Longovado Canonico Petragoricensi. Proposuit olim dilectus filius magister Petrus Boiol Clericus venerabilis fratris nostri Episcopi Tusculani coram dilecto filio Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono Cardinali, quem sibi & Pœnitentiario Lemovicensi &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* approbandum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, eidem magistro P. stallum in choro & locum in Capitulo assignantes; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani VI. Kalend. Februarij, anno tertiodecimo.

MAGISTRO ANDREÆ scriptori nostro Canonico Lemovicensi.

Epist. 102. Super eodem.

PRoposuit dudum dilectus filius magister P. Clericus venerabilis fratris nostri Episcopi Tusculanen. &c. *ut in prima usque* ordinaret, pro te ac eodem magistro preces specialiter porrigentes &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* intelleximus evidenter. Cùm ergo dilectus filius G. Lemovicensis Capituli procurator propter hoc nuper apud sedem apostolicam constitutus contra te nihil prorsùs objecerit, nos quod per dictum Legatum de te factum esse dinoscitur, de fratrum nostrorum consilio duximus per diffinitivam sententiam approbandum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Scriptum est super hoc majori Archidiacono, Cantori, magistro Manfredo Canonico Bituricensi. Proposuit olim dilectus filius magister P. Clericus &c. *ut in alia in eundem ferè modum usque* evidenter. Cùm ergo dilectus filius G. Lemovicensis Capituli procurator propter hoc nuper ad sedem apostolicam constitutus contra prædictum magistrum Andream nihil prorsùs objecerit, nos &c. *ut in alia usque* approbandum. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis &c. *ut in alia usque* observari, eidem magistro Andreæ stallum in choro &c. *ut in alia usque* compescendo. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum ut in prima præcedenti per totum.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Stephani Divionensis Lingonensis diœcesis.

Epist. 103. Adversùs Herveum Canonicum Divionen.

CVm Herveus & R. Canonici Ecclesiæ vestræ pro se ac dilectus filius magister Hugo procurator vester pro vobis in nostra essent præsentia constituti, nos intellecto inquisitionis processu quæ contra ipsum Herveum ad venerabilem fratrem nostrum Lingonensem Episcopum & dilectum filium Virziliacensem Abbatem emanarat à nobis, ab ipso Herveo, pro eo quòd erat vinculo excommunicationis astrictus, quòd nostris mandatis pareret recipi fecimus corporaliter juramentum, & eidem injunximus viva voce ut ad monasterium sanctæ Genovefæ Parisiensis accederet; quatinus in eo dignos pœnitentiæ fructus perageret, & etiam regularia, quæ nondum plenè novit, disceret instituta, emendando in melius vitam suam. Quod licèt idem primitus acceptarit, spiritu tamen postmodum suo ductus, à nobis illicentiatus recessit ad præfatum sanctæ Genovefæ monasterium, à nobis super receptione sua litteris non obtentis. Nos igitur quieti monasterij vestri paterna volentes sollicitudine præcavere, ipsum Herveum à præfato monasterio, prioratibus, & ejus obedientiis removentes, vos & monasterium ipsum, obedientias ac prioratus pertinentes ad illud, ab impetitione dicti R. tam super receptione sua quàm expensis & aliis super quibus vos hactenus fatigavit decernimus absolutos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VII. Kal. Februarij, anno tertiodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Beriini.

Epist. 104. Nihil esse dandum pro benedictione Abbatum.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus ne vel Episcopo aut Archidiacono seu Capitulo Morinensi pro consequenda benedictione Abbatis monasterij vestri, qui benedicendus pro tempore fuerit, capam sericam, palefridum, pastum, & his similia, seu aliam consuetudinem persolvatis; districtiùs inhibentes ne ipsi à vobis ea exigere vel extorquere præsumant, sed munus benedictionis Abbati ab eodem Episcopo gratis & sine pravitate qualibet impendatur. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate ipsi electo munus benedictionis impendat. Ita tamen quòd per hoc nullum Morinensi Ecclesiæ in posterum præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhi

bitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani 11. Kalend. Februarij, anno tertiodecimo.

EISDEM.

Epist. 205. Ne beneficia non vacantia promittantur. Vide lib. 14. epist. 12, 26. 27. 161.

CVm ex injuncto nobis apostolatus officio Ecclesiarum omnium sollicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet quæ interdum in gravamen ipsarum temerè seu etiam improvidè attentantur. Sanè ad audientiam nostram vobis referentibus est delatum quòd ad importunam instantiam nobilium & potentium, & etiam Prælatorum, quibusdam beneficia non vacantia promisistis, annuam pensionem eisdem ipsorum nomine concedentes in vestri monasterij læsionem. Quia igitur id contra statuta Lateranensis Concilij noscitur attentatum, promissiones hujusmodi decernentes irritas & inanes, & pensiones concessas beneficiorum non vacantium nomine non solvendas, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne contra præfatum Concilium beneficia promittere non vacantia vel pensionem cuiquam taliter assignare de cetero præsumatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhibitionis infringere, velei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani &c. ut in alia per totum.

EISDEM.

Epist. 206. Confirmat quasdam possessiones.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, terragium & decimam de Felchinel, quæ vobis R. de Alneto Miles pia liberalitate donavit, terram quoque quam à G. Bacon laico acquisistis, terram etiam & mansuras monasterio vestro in eleemosynam à Gi. de Clusa collatas, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum ut in alia per totum.

VNIVERSIS MONACHIS obedientiarum monasterij Saxivivi.

QVantum & quandiu laboraverimus pro reformando statu monasterij Saxivivi vestra devotio non ignorat. Licèt etiam ad id dilectus filius Abbas vester operam adhibuerit diligentem & non parum profecerit super eo, quorundam tamen habitantium in eodem impediente nequitia, qui ei non solùm inobedientes & rebelles existere præsumpserunt, contra ipsum multa nequiter machinando, verùm etiam mortis periculum detestandis conspirationibus intentarunt, non potest perficere quod incepit. Vnde non absque dolore dicere possumus cum Propheta, *Curavimus Babylonem, & non est sanata*; quia impij cùm venerint in profundum peccatorum contemnunt; ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. Cùm igitur dictus Abbas in præfato monasterio Saxivivi proficere nequeat, illorum, tamquam olla succensa, subbulliente malitia qui cùm sint origine Fuliginates, confisi de potentia propinquorum, non verentur contra stimulum calcitrare, excutientes à cervicibus jugum obedientiæ insolenter, de fratrum nostrorum consilio ita duximus providendum, ut ad aliquam ejusdem monasterij obedientiam ad hoc aptam cum deliberatione seniorum & saniorum ejusdem cœnobij monachorum se transferre procuret, illis secum in Dei servitio aggregatis qui sub jugo monasticæ regulæ dignum Deo cupiunt impendere famulatum: cui omnes ejusdem professionis & ordinis fratres tamquam Abbati suo intendant humiliter & devotè in loco hujusmodi de nostra licentia commoranti; aliquos verò de gravioribus fratribus dimittat apud Ecclesiam Saxivivi, per quos locus ipse regatur. Supradictæ verò perversitatis actores tamdiu tamquam anathematisatos & maledictos ab omnibus volumus & mandamus arctiùs evitari & à monasterio supradicto manere dejectos donec illam eidem Abbati satisfactionem obtulerint quam de graviorum ipsius fratrum consilio meritò valeat acceptare. Ita videlicet quòd postquam eadem fuerit, prout decet, exhibita, ipsos in loco quem elegerit secum, vel etiam in Ecclesia Saxivivi commorari nullatenus patiatur; sed eosdem in aliis locis collocet,

in

in quibus sua possint peccata deflere. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod à nobis est provida deliberatione provisum, vos prompta devotione servetis, & præfato Abbati vestro in loco quem elegit ad exhibendum dignum Domino famulatum obedientiam & reverentiam impendatis tam debitam quàm devotam. Datum Laterani XII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI DE RIEVALLIS Cistercienſis ordinis Eboracenſis dioceſis, & Decano & Theſaurario Eboracenſibus.

Epiſt. 108. Eccleſia quædam deputatur uſibus hoſpitalitatis.

CVm dilecti filij Prior & Canonici Giseburnenses, qui, sicut ex multorum testimonio litterarum accepimus, omni petenti se tribuunt, & bona sua hospitalitatis usibus applicant incessanter, ita quòd nullus recedit vacuus ab eisdem, ut hospitalitatis uberiùs exequantur officium, nobis humiliter supplicarint ut Ecclesiam de Hesel, quam de mandato nostro bonæ memoriæ magistro Britio Subdiacono & Notario nostro liberaliter contulerunt, deputare hospitalitatis usibus dignaremur, nos eorum precibus inclinati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm per vicinitatem loci veritatem possitis super hoc pleniùs indagare, dictam Ecclesiam, si sine scandalo fieri poterit, auctoritate nostra hospitalitatis usibus, sublato appellationis obstaculo, applicetis, ministro ejusdem congrua sustentatione de ipsius proventibus reservata. Contradictores autem, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Idibus Decembris, anno tertiodecimo.

MORINENSI EPISCOPO, & Morinenſi & ſancti Audomari Morinenſis dioceſis Decanis.

Epiſt. 109. De congrua portione danda Capellanis.

EX parte dilecti filij Abbatis & conventus sancti Bertini fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm quædam parrochiales Ecclesiæ ipsis fuerint in eleemosynam assignatæ ut in usus suos & pauperum proventus cederent earundem, & ipsæ ante paucos annos ita pauperes fuerint quòd ipsorum monasterium in eisdem servientibus necessaria ministrarit, & nunc, divina disponente clementia, frequentatione ac multiplicatione hominum valde sint in temporalibus augmentatæ, ipsos faceremus divitiarum esse participes qui fuerunt socij paupertatis. Cùm igitur satis congruat rationi ut sint emolumenti participes qui oneris fuere consortes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus earundem Ecclesiarum facultatibus diligenter inspectis, secundùm eas ipsarum servitoribus assignetis ad sustentationem eorum honestam & congruam sublato appellationis obstaculo portionem, ut reliquum ad usum prædictorum fratrum cedat & pauperum juxta desiderium & voluntatem illorum qui eis præfatas Ecclesias contulerunt; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani XII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

APPENDIX
LIBRI TERTII DECIMI.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSI & ſuffraganeis ejus.

Epiſt. 110. Adversùs Otonem Imper. *Vide ſuprà epiſt.* 177. 193.

DEo & vobis de Imperatore conquerimur, qui beneficiorum nostrorum ingratus, & promissionum suarum oblitus, retribuit nobis mala pro bonis, odium pro dilectione, offensam pro gratia, injuriam pro honore; tamquam filius indevotus, à persecutione piæ matris incepit, quæ ipsum contra communem penè omnium voluntatem toto conamine studuit ad imperium sublimare, sicut vobis & aliis est plenissimè manifestum; multis insultantibus nobis quòd meritò ea patimur, cùm nos fecerimus gladium de quo graviter vulneramur. Sed insultatoribus nostris respondeat pro nobis altissimus, qui puritatem animi nostri plenè cognoscit, nec sine causa legitur de se ipso dixisse: *Pœnitet me fecisse hominem.* Illudque debet ab omnibus iniquum & impium reputari quòd ad occupandum regnum Siciliæ manus extendit, quòd à nobis carissimus in Christo filius noster Rex Fridericus illustris, orphanus & pupillus, obtinet ex successione materna; tamquam sibi nequaquam sufficiat quòd ejus patrimonium injustè detinet occupatum. Quis ergo de cetero sibi credat, aut quis de ipso confidat, quandoquidem nobis fidem non servat, qui, licèt indigni, locum Christi tenemus in terris,

qui tot & tanta sibi contulimus beneficia? &c. Datum Laterani IV. Non. Martij, anno tertiodecimo.

AVTISSIODORENSI Episcopo.

Epist. 211. De erectione novarum parrochiarum.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Sanè, sicut ex tua insinuatione recepimus, cùm in tribus capellis quæ sunt apud burgum de Caritate unicus consueverit Presbyter ministrare, ut multitudini populi ejusdem loci exhiberi possent commodiùs ecclesiastica sacramenta, maximè cùm idem locus infectus dudum fuerit fermento hæreticæ pravitatis, de tuo & Prioris atque conventus de Caritate consensu extitit constitutum ut in quacunque capellarum ipsarum sacerdos proprius ministraret, certis parrochianis earum cuilibet assignatis. Nos igitur tuis precibus inclinati constitutum ipsum, sicut piè ac providè factum est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XIII. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Vide lib. 2. epist. 63 99. & lib 10. epist. 206.

GVILLELMVS Dei gratia Autissiodorensis Episcopus omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Vniversitatem vestram scire volumus quòd cùm villa de Caritate ab antiquo non habuisset nisi unicam parrochialem Ecclesiam, tamquam novella plantatio quæ paucos habebat inhabitatores, tandem crescente multitudine plebis in tantum quòd unius non sufficiebat ad eam regendam sollicitudo pastoris, de assensu & voluntate dilecti filij Gaufridi Prioris & conventus ibidem constituimus tres parrochiales Ecclesias, scilicet Ecclesiam beatæ Mariæ, Ecclesiam sancti Petri, & Ecclesiam sancti Iacobi, salvo jure monachorum, videlicet ut id juris habeant in singulis trium quod habebant in una, tam in præsentationibus personarum quàm in aliis. Quod ut ratum sit & firmum, præsentem chartam fecimus sigillo nostro firmari. Actum anno gratiæ MCC. nono, IV. Kal. Martij.

FINIS LIBRI XIII.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER DECIMVS QVARTVS.

EPISCOPO BASILIENSI, ET DE LVZILA & de Tannibach Abbatibus Cistercienſis ordinis Conſtantienſis & Baſilienſis dioceſum.

Epiſt. 1. Confirmat electionem Præpoſiti Conſtantienſis.

DILECTVS filius Walterus Conſtantienſis Præpoſitus nuper propoſuit coram nobis quòd Conſtantienſi præpoſitura vacante, cùm ejuſdem Canonici ad celebrandam electionem Præpoſiti convenìſſent, vota dividi contigit eorundem, & tredecim ex præſentibus Canonicis, quorum erant quinque Preſbyteri, ac tres Diaconi, & quinque Subdiaconi, eundem Vvalterum concorditer eligentibus, ſex alij, quorum unus erat Decanus & Preſbyter, & quatuor Subdiaconi, ac unus Acolythus, vota ſua in A. Præpoſitum de Sindolvingen & Eccleſiæ ſupradictæ Canonicum contulerunt, & ſubſequenter prædictus A. vocem ad nos appellationis emiſit, ne venerabilis frater noſter Conſtantienſis Epiſcopus ad examinandam ſeu confirmandam electionem ipſius Vvalteri procederet inhibendo. Sed Epiſcopus electionem ipſam, utpote à majori parte Capituli celebratam, nihilominus confirmavit. Cùm autem dictus Vvalterus nuper electionem ipſam auctoritate peteret apoſtolica confirmari, præfatus A. quaſdam cauſas propoſuit propter quas eandem aſſeruit reprobandam; quia videlicet electores ipſius Vvalteri non fuerant, juxta Eccleſiæ conſuetudinem, in virtute obedientiæ requiſiti, & quia idem Vvalterus erat ultimus in Capitulo, & nondum integrum ſtipendium obtinebat, nec etiam ad diſpenſationem præpoſituræ videbatur idoneus, cùm nondum domui ſuæ bene præpoſitus extitiſſet, & quoniam ad carnales preces Epiſcopi fuerat nominatus; item quia poſt appellationem ad nos interpoſitam ejus fuerat electio confirmata, & ipſe ante confirmationem obtentam ſtallum ſibi Præpoſiti uſurpavit. Ad hæc autem ex ipſius Vvalteri fuit parte reſponſum quòd etſi Canonici non fuerint adjurati, ex eo tamen ejus non debebat electio vitiari, quæ aliàs fuerat canonicè celebrata. Sed nec id ei nocere debebat quòd

fuerat ultimus in Capitulo, cùm & inferiores loco, dummodo aliàs reputentur idonei, ad dignitates elegi non sit in sacris canonibus interdictum; maximè cùm dictus Vv. illius ætatis existat quæ in eo sufficeret si fuisset ad episcopatum electus; qui curam quoque rei familiaris providè habuisse dinoscitur, dum scholasticis studiis laudabiliter insudavit. Nec preces ab Episcopo memorato interpositæ carnales sunt reputandæ, quas pro digno dinoscitur porrexisse. Propter appellationem etiam interpositam minimè videbatur confirmatio Episcopi revocanda, cùm id ei licere prima facie videretur, ex eo quòd à majori & saniori parte Capituli eadem videbatur electio celebrata; cùm in Lateranensi Concilio inveniatur expressum ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum, semper appellatione remota prævaleat & suum consequatur effectum quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. Quin immo etsi Episcopus minùs providè processisset, id eidem Vv. officere non debebat. Præterea etsi processus Episcopi foret per appellationem hujusmodi retractandus, eadem tamen electio, utpote à majori & saniori parte Capituli celebrata, à nobis confirmari debebat. His igitur & aliis intellectis quæ utraque pars proposuit coram nobis, de fratrum nostrorum consilio electionem de ipso Vv. celebratam duximus confirmandam, memorato A. super hoc silentium imponentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Cap. *Cùm in cunctis*. De his quæ si à ma. par. Capit.

* *Cod. Colbert.* Vvoltero

* *WALTERO PRÆPOSITO Constantiensi.*

Epist. 2. Super eodem.

IN nostra nuper proposuisti præsentia constitutus quòd Constantiensi præpositura vacante, cùm ejusdem Canonici ad celebrandam electionem Præpositi convenissent, vota dividi contigit eorundem, & tredecim ex præsentibus Canonicis, quorum erant quinque Presbyteri, ac tres Diaconi, & quinque Subdiaconi, te concorditer eligentibus &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* silentium imponentes. Nulli ergo &c. diffinitionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO TOLETANO, & Tirasonensi, Colimbriensi, & Zamorensi Episcopis.

Epist. 3. De subsidio præstando Regibus advenis Sarracenos.

SIgnificavit nobis dilectus filius F. primogenitus &c. *ut suprà lib.* XIII. *epist.* CLXXXIII. *usque* exhortationibus inducere minimè postponatis, monentes ex parte Dei & nostra subditos vestros, in remissionem eis omnium peccaminum injungendo, ut tam præfato primogenito Regis Castellæ &c. *usque* exequendum. Ceterùm ne ipsius F. laudabile propositum ab aliquo possit temerè impediri, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatenus si fortè aliquis Regum Hispaniæ, cum quo prædictus Rex Castellæ treugam vel pacem firmavit, tempore quo idem Rex vel filius ejus Sarracenos impugnant, ipsum præsumpserit violare, vos eum per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

In hunc etiam ferè modum scriptum est pro carissimo in Christo filio Petro illustri Rege Aragonum quibusdam Prælatis Hispaniæ.

ALDEFONSO ILLVSTRI Regi Castellæ.

Epist. 4. Super eodem.

CVm personam tuam inter Christianissimos Reges & catholicos Principes specialis dilectionis prærogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, & ad ea gratanter intendimus quæ serenitati regiæ novimus placere. Sanè venientem ad apostolicam sedem dilectum filium Palentinum electum nuntium tuum, virum utique providum & honestum, benignè recepimus, & petitiones quas nobis ex parte tua porrexit libenti animo curavimus promovere. Super eo autem quòd ex parte tua Legatum requisivit à nobis ad partes Hispaniæ destinandum, ad præsens propter tempora impacata nequivimus regiæ satisfacere voluntati; sed opportunitate accepta, petitioni regiæ dante Domino satisfiet. Nos verò ne laudabile tuum & F. filij tui propositum valeat ab aliquibus aliquatenus impediri, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Toletano, & Zamorensi, Tirasonensi, & Colimbriensi Episcopis nostris damus litteris in mandatis ut si quis Regum Hispaniæ, cum quo treugam vel pacem firmasti, tem-

pore quo tu vel filius tuus Sarracenos impugnatis, ipsam præsumpserit violare, ipsi eum per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compescant. Monemus igitur serenitatem regiam attentiùs & hortamur quatenus in devotione nostra & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ firmiter perseveres: quia nos in his quæ à nobis secundùm Deum duxeris postulanda, regiæ serenitati assensum apostolicum libenti animo impendemus. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

F. PRIMOGENITO CARISSIMI in Christo filij nostri A. illustris Regis Castellæ.

Epist. 5. super eodem.

CVm personam tuam inter Christianissimos Principes speciali prærogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, & ad ea gratanter intendimus quæ devotioni tuæ novimus complacere. Sanè venientem ad apostolicam sedem &c. *ut in alia usque* promovere Nos verò ne laudabile tuum & patris tui propositum valeat ab aliquibus aliquatenus impediri &c. *usque* Hispaniæ, cum quo idem pater tuus treugam vel pacem firmavit, tempore quo ipse vel tu Sarracenos impugnatis &c. *usque* compescant. Monemus igitur discretionem tuam &c. *ut in alia usque* postulanda, tibi assensum apostolicum libenti animo impendemus. Datum Laterani VIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ECCLESIÆ SANCTÆ crucis sitæ super fluvium Engliæ juxta oppidum ejusdem nominis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 6. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & sanctissimæ crucis Ecclesiam à bonæ memoriæ Isemberto quondam Pictavensi Episcopo & matre ejus Theberga ejusque fratribus Senebaldo & Manasse constructam ad exemplar piæ recordationis Vrbani Papæ secundi prædecessoris nostri, cujus privilegium inspeximus, licèt in parte corrosum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis idem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo Ecclesia ipsa sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Sancti Martini, beatæ Mariæ, & sancti Petri Ecclesias in Englia, cum omnibus pertinentiis suis. Sancti Mauricij & sancti Leodegarij Ecclesias de Vico, cum suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Petri de Buxeria sitam super fluvium Gartimpæ cum pertinentiis suis, sancti Aniani de Rampeio, sancti Martini de Tornum & de Izorio Ecclesias sitas super fluvium Crosæ cum omnibus pertinentiis suis, sancti Petri de Capella rubea & sancti Petri de Longoprato Ecclesias cum omnibus pertinentiis suis, de Ecclesia sancti Nicolai de Letone septem solidos censuales Pictavensis monetæ, in Ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ de Ruffiaco decem solidos Andegavensis monetæ, in Ecclesia sancti Vincentij de Noum quinque solidos Andegavensis monetæ, decimas de campagnia Fontisterlandi, de Tornum, de Izorio, & de Vico, decimas de Exodun, de Podio Ergnos, de Saleriis, de Lestap, de Closo Petri, de Cenius, & de Closo Samuelis de Thaeco, molendina de Tornum & de Beraut, grangias de Monte alto, de Berault, de Villena, de Bileteria, de Fontanis, de Rocha, & de Pererio, cum omnibus pertinentiis suis. Præpositum autem seu Abbatem vel cujuslibet dispensationis ecclesiasticæ ministrum, nisi quem suæ professionis communis electio fratrum vel pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Augustini regulam elegerit, vobis præferri auctoritate apostolica prohibemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc præfatam Ecclesiam temerè perturbare &c. *usque* profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura &c. *usque* inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in

Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VIII. Idus Martij, Indictione XIV. incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quartodecimo.

RAYNALDO BRANCALEONI Sitino.

Epist. 7. Recipitur sub protectione beati Petri.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: Specialiter autem possessiones tuas, sicut eas justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI Portugalensi.

Epist. 8. Redarguitur de quibusdam excessibus. *Vide infrà epist. 58. 60.*

SI te diligenter attenderes, ut deberes, quòd cùm ejus sponsam offendis qui te ad regni solium sublimavit, sponsi etiam indignationem incurris, Ecclesias, quarum sponsus est Christus, vel ministros earum nullatenus aggravares, ne dum eas ancillare niteris & redigere sub tributo, ob ingratitudinis vitium Dominus in servitutem redigat regnum tuum, & in potestatem antiqui te tribuat exactoris; quia non oppressor esse debes, sed defensor potiùs earundem; utpote qui ad malefactorum vindictam, laudem verò bonorum suscepisti gladium bajulandum. Verùm, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri Episcopi Colimbriensis accepimus, tu hæc prout convenit non attendens, nec saluti tuæ consulens & honori, omissa reverentia redemptoris, te de rebus ecclesiasticis plus debito intromittens, Ecclesias & ecclesiastica beneficia confers quibusvis personis & aufers, destituendo illos qui sunt canonicè per dictum Episcopum in Ecclesiis suæ diœcesis instituti, ac per proprios homines proventus earum faciens occupari, baliστarios, canes, aves, & equos tuos in illis, quarum nulli vel pauci sunt redditus, introducis, ut ipsis provideatur de proventibus earundem. Præterea Clericos capi faciens & publicæ custodiæ mancipari, eos coram te & tuis judicibus secularibus litigare compellis, atque ipsos in exercitum tecum trahis, eisdem injurias & opprobria multa inferens & gravamen, &, quod sine dolore non dicimus, pro diro reputans nonnunquam augurio cùm tibi vides religiosum aliquem vel Clericum occurrentem. Ceterùm in animæ tuæ periculum detinens phitonissam, excommunicatos defendis & usurarios atque Ecclesiæ inimicos, continentes viduas invitas hominibus tuis tradens, & liberos nihilominus deputans perpetuæ servituti, personas insuper ecclesiasticas à regno exire prohibes & intrare; & si fortè illarum aliqua licentiam tinet exeundi, ne ad apostolicam sedem accedat priùs præstat corporaliter juramentum, & si secùs attentet agere, capitur, spoliatur, & publicæ custodiæ mancipatur. Quæ omnia dictus Episcopus personaliter est expertus. Cùm enim super his non immeritò fueris redargutus ab eo, & monitus diligenter ut dimitteres phitonissam, quam quotidie consulebas, ita quòd licèt vocatus ob hoc ad te accedere noluisset, tu quærens malignandi occasionem in eum, dari tibi in quadam villula Ecclesiæ suæ ab eo procurationem indebitam petiisti: quam cùm præstare renuerit, sicuti nec debebat, tam suam quàm Canonicorum ejusdem loci domus dirui faciens, atque equitaturas eis proprias auferens, Ecclesiam, quam jam pro magna parte spoliaveras, eis quæ remanserant fecisti bonis omnibus spoliari. Quare idem suam diœcesim sententiæ suppositit interdicti, & ne Bracarensis electus ipsam præsumeret relaxare, vocem ad nos appellationis emisit. Quod cùm ad tuam notitiam perveniisset, more solito quoslibet hujusmodi sententiam observantes & nolentes etiam celebrare mandasti rebus omnibus spoliari, illos tuos reputans inimicos & etiam proditores qui quemlibet illorum recipere attentarent. Postmodum verò præfatus electus ipsum, missis ei suis & tuis litteris de conductu, apud Bracaram evocavit, promittens quòd ibidem ipsi & Ecclesiæ satisfacere competenter. Qui cùm ad ejus præsentiam accessisset, & dictus quæsivisset electus ab eo quare protulisset sententiam supradictam, idem innovans appellationem emissam, ei causas prædictas pro quibus hoc fecerat explicavit. Die verò sequenti electus à te cautione recepta, mandavit eidem ut dictam sententiam relaxaret, quod

idem efficere noluit, præsertim cùm nulla esset satisfactio de tot & tantis injuriis subsecuta, nec tu etiam ab inceptis quiescere; licèt ipsam postmodum, pro eo quòd Clericos ad mandatum electi, qui eam relaxare volebat, celebrare nolentes coram propriis parentibus & amicis, ut asserebatur eidem, exoculari mandaveras, & crudelitates alias exerceri, ne punirentur insontes, ad tantum evitandum periculum relaxarit, in his & aliis damna plurima sustinens & gravamen; & ut adderes afflictionem afflicto, eundem pro gravaminibus ipsis volentem ad sedem apostolicam properare feciſti sub publica custodia detineri. Hæc autem de tua regali magnificentia non facilè crederemus, nisi nuper quasdam nobis litteras indiscretione plenas & præsumptione non vacuas direxisses; quibus inter cetera quæ non sunt digna relatu, hæc nobis scribere præsumpsisti, quòd cuilibet de te sinistra suggerenti aurem libenter apponere consuevimus, & coram omnibus contra te non erubescimus in verba prorumpere inhonesta. quod nostram non illustrat providentiam, sed obfuscat; quia sancti successores Petri non consueverunt inferre convitia, sed ea exemplo Christi cum patientia sustinere. Sanè nullus Principum, quantumlibet magnus, nisi forsan hæreticus aut tyrannus, tam irreverenter & arroganter nobis aut prædecessoribus nostris scribere attentavit, propter ejus reverentiam & honorem cujus repræsentamus in apostolatu personam. Sed & illud quod in eisdem litteris subscripsisti non sapit catholicam puritatem, sed hæreticam videtur perfidiam exhalare; quòd videlicet nullatenus in eis qui religionem simulant, & maximè in Prælatis & Clericis, meliùs potest frangi vel comminui simulachrum luxus atque superbiæ quàm si eis nimia superabundantia temporalium, quam à te habent & patre tuo in regni tui ac successorum tuorum maximum præjudicium, subtrahantur, & filiis tuis ac regni defensoribus in multis patientibus indigentiam assignetur. Nobis autem pro minimo est ut à te vel ab humano die, sicut dicit Apostolus, judicemur, quoniam qui nos judicat Dominus est; nec agere desistemus quod idem Apostolus ait: *Argue, increpa, obsecra, in omni patientia & doctrina.* Quare arguentes & increpantes more pij patris, qui filium quem diligit corripit, obsecramus te, fili carissime, per misericordiam Iesu Christi quatinus illa mensura contentus quam Deus tibi donavit, ad ecclesiastica jura non extendas aliquatenus manus tuas, sicut nec nos ad regalia jura manus nostras extendimus; relinquens nobis judicium Clericorum, sicut & nos laicorum judicium tibi relinquimus: quia secundùm Apostolum servus suo domino stat aut cadit; ne si alienum tibi officium usurpaveris, exemplo Oziæ Regis divinam sentias ultionem. Quoniam igitur excessus hujusmodi multipliciter apud homines obnubilant famam tuam & conscientiam maculant apud Deum, serenitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, salubriter consulentes, quatenus habens respectum ad illum cui nuda sunt quælibet & aperta, qui etiam nec falli poterit nec corrumpi, prædictum Episcopum propriæ restituens libertati, ablata eidem restituas universa, & de damnis, injuriis, & gravaminibus sibi & Ecclesiæ irrogatis satisfaciens competenter, ab eisdem & similibus sic desistas ut majestatem divinam, quam propter hoc graviter offendis, valeas complacare, ac cùm defeceris, in tabernacula recipiaris æterna. Alioquin, quantumcunque te in Domino diligamus & honori tuo deferre velimus, quia magis est Regi Deo quàm Regi homini deferendum, noveris quòd in jure suo non deerimus Episcopo memorato, qui sumus omnibus in justitia debitores. Datum Laterani VII. Kal. Martij, anno quartodecimo.

COMPOSTELLANO Archiepiscopo.

Epist. 9. Super eodem.

VEhementer nos comedit zelus domus Dei, ad cujus sumus, licèt immeriti, custodiam deputati, cùm ab illis affligitur qui eam deberent potiùs confovere, ac gravatur ab eis per quos deberet ab aliis defensari: quibus paterno compatientes affectu, non minùs urimur pro eisdem quàm pro domo Domini quam affligunt. Sanè, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri Episcopi Colimbrienſis accepimus, carissimus in Christo filius noster Rex Portugalensis illustris hoc prout convenit non attendens, nec saluti suæ consulens & honori, omissa reverentia redemptoris, se de rebus ecclesiasticis plus debito intromittens, Ecclesias & ecclesiastica beneficia confert quibus vult personis & aufert, destituendo illos qui sunt canonicè per dictum Episcopum in Ecclesiis suæ diocesis instituti &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* detineri. Quapropter dilectum filium M. Capellanum suum, qui cum ipso in hujusmodi tribulationibus spe-

cialiùs permanebat, de nocte latenter mutato habitu quasi nudum ad sedem apostolicam destinavit. Cùm autem dictus Episcopus appellationem interpositam per procuratorem idoneum memoratum Capellanum suum fuerit prosecutus, dictus Rex non curavit idoneum mittere responsalem; licèt quidam simplex nuntius ipsius P. dictus Abbas nobis ex parte sua litteras minùs providas præsentarit. Quia verò quanto prædictum Regem ampliori caritate diligimus, tanto majori dolore turbamur quotiens nobis ea de ipsius actibus referuntur quæ famam ejus obnubilant apud homines & conscientiam maculant apud Deum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eundem Regem moneas attentiùs & efficaciter inducere non postponas ut memoratum Episcopum propriæ restituat libertati, ablata eidem restituens universa, & de damnis, injuriis, & gravaminibus supradictis sibi & Ecclesiæ irrogatis satisfaciens competenter, ab eisdem & similibus de cetero sic desistat quòd offensam divinæ majestatis evitet, quam propter hoc creditur incurrisse, & apud homines ejus opinio, quæ per prædicta maculata fuerat, relevetur. Alioquin, quantumcunque ipsius velimus honori deferre, quia tamen homini contra Deum deferre nolumus aliqua ratione, omni gratia, timore, ac amore postpositis ipsum ad hoc per illam quam magis videris expedire censuram & per pœnam in compromisso statutam, qua se, sicut ex litteris Bracarensis electi nuper accepimus, voluntariè obligavit, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellere non postponas. Datum ut in alia per totum.

EIDEM.

Epist. 10. De negotio Episcopi Colimbriensis cum Egitaniensi.

LIcèt venerabilis frater noster Colimbriensis Episcopus, pro eo quod inter ipsum & Egitaniensem Episcopum suffraganeum tuum super limitatione episcopatuum suorum & quibusdam aliis quæstio ventilatur, te in causa sua possit judicem recusare, nos tamen de discretione tua ac prudentia plenè confisi, causam suam, quam habet contra carissimum in Christo filium nostrum Regem Portugalensem illustrem, tibi de certa scientia duximus committendam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus habens præ oculis solum Deum, taliter in negotio ipso procedas quòd & idem Episcopus suam & Ecclesiæ suæ justitiam prosequatur, & nos devotionem tuam possimus exinde meritò commendare. Cererùm quia, sicut accepimus, Cancellarius ejusdem Regis litteras nostras vel delegatorum nostrorum, quæ mittuntur eidem, ob favorem ipsius aut interpretatur aliter quàm se habeant, aut omnino subticet quod noscit regiis auribus displicere, volumus & mandamus quatinus litteras quas super eodem negotio ipsi Regi dirigimus, per tuum Clericum ei præsentari facias, & legi etiam continentiam earundem; ipsum Cancellarium monens auctoritate nostra pariter & inducens ut sicut divinam non vult & nostram indignationem incurrere, ab opere tam iniquo de cetero conquiescat. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO ET suffraganeis Ecclesiæ Senonensis.

Epist. 11. De Clericis promotis à Episcopo suo suis.

ADversùs quosdam Clericos vestrarum diocesum, qui dudum ad sedem apostolicam accedentes, à vicinis Episcopis, Castellano videlicet, & Ortano, Sutrino, & Nepesino, temerè se fecerunt ad sacros ordines promoveri, gravi fuimus indignatione commoti, pro eo maximè quòd quosdam eorum per falsas litteras & simoniacam pravitatem accepimus fuisse promotos. Vnde ordinatores à potestate suspendimus ordinandi, & ordinatis executionem interdiximus ordinum taliter susceptorum, super hoc vobis litteras apostolicas destinantes. Nuper autem multi de ipsis ad nostram præsentiam revertentes, cum multo fletu & ejulatu quotidie non cessabant ad nos opportunè importunè clamare, suppliciter obsecrantes ut cum eis misericorditer agere dignaremur. Quibus diù nos difficiles exhibuimus & severos in tantum quòd eis sub pœna excommunicationis injunximus ut redirent, nec nos super hoc diutiùs molestarent. Sed nec sic quidam eorum ab obsecrationis instantia desistere voluerunt, quò magis repellebantur à nobis, eò magis apud nos ut misereremur instantes. Ejus denique nos exemplo qui cùm iratus fuerit non obliviscitur misereri, rigorem mansuetudine providimus temperandum; cùm & ipsi, exemplo Iacob luctantis cum angelo, nullatenus nos dimitterent, nisi eis benedicere curaremus. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus his qui de prædictis duobus criminibus canonicè se purgaverint, falsitate videlicet litterarum & simoniaca pravitate, suspensionis sententiam quam in eos tulimus relaxetis;

relaxetis; ut si aliàs digni sint & idonei, & vos eis concedere volueritis, in vestris possint diocesibus ministrare. Ad hæc, per dioceses vestras ex parte tam nostra quàm vestra publicè ac districtè vetetis ne quis ulteriùs se faciat taliter ordinari. Et ne facultas veniæ incentivum tribuat delinquendi, quicunque de cetero fuerit taliter ordinatus, eo ipso se noverit ab ordinis executione suspensum. Datum Laterani II. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATISSÆ ET MONIALIBVS Aurigniacensibus.

Epist. 12. Ne beneficia non vacantia promittantur.

CVm ex injuncto &c. *ut suprà lib.* XIII. *epist.* CCV. *usque* attentantur. Sanè, te, filia Abbatissa, referente ad nostram audientiam est delatum quòd Abbatissa quæ te præcessit & vos ad multorum instantiam importunam quibusdam non vacantia beneficia promisistis, pensionem eisdem ipsorum nomine concedentes in vestri monasterij læsionem. Quia igitur id contra statuta &c. *ut suprà usque* incursurum. Datum Laterani VI. Nonas Martij, anno quartodecimo.

HENRICO ELECTO SANCTI Stephani Herbipolensis.

Epist. 13. Ejus electio confirmatur. Cap. Cùm in præsentia. De sent. & re jud. in 4. collect.

* In quart. coll. C. etiam in cod. Colbertine.

OLim in dilecti filij nostri Benedicti tituli sanctæ Susannæ Presbyteri Cardinalis, quem tibi & * O. procuratori venerabilis fratris nostri Wirzeburgensis Episcopi auditorem concessimus, præsentia constitutus, proponere curavisti quòd cùm in Abbatem monasterij sancti Stephani fuisses electus, & electionem tuam prædictus noluisset Episcopus confirmare, ad venerabilem fratrem nostrum Heistetensem Episcopum & dilectum filium Abbatem * Halsbrunensem commissionis litteras impetrasti, cùmque coram ipsis inter te ac quosdam monachos adversarios tuos lis fuisset legitimè contestata, quoniam pars adversa non solùm comparere noluit in terminis peremptoriò etiam assignatis, sed quendam alium in prædictum monasterium intrusere, judices receptis ex parte tua quibusdam testibus, te in possessionem causa rei servandæ mittentes, eum quem adversarij tui duxerant in monasterio intrudendum cum omnibus fautoribus suis excommunicationis sententiæ subjecerunt. Ad hæc autem respondebat Episcopi procurator quòd & tu per falsi suggestionem prædictas litteras impetraveras, & inordinatè processerant judices memorati: quia cùm inter te ac Episcopum fuisset causa commissa, ipsi, Episcopo non citato, contra prædictos monachos, de quibus in commissione mentio non fiebat, post appellationem ad nos interpositam præsumpserant judicium exercere. Nos igitur his & aliis quæ coram eodem Cardinale proposita fuerant pleniùs intellectis, tam id quod de illo extiterat attentatum qui lite pendente per adversarios tuos intrusus fuerat in Abbatem, quàm illud quòd te in possessionem causa rei servandæ judices induxerant memorati, decrevimus irritum & inane, ac de consensu partium venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis majoris Ecclesiæ & sanctæ crucis Præpositis Augustensibus dedimus in mandatis ut vocatis ad præsentiam suam quoscunque noscerent evocandos, te ac sociis tuis ad stipendia restitutis, & absolutis secundùm formam Ecclesiæ absolvendis, audirent causam, & tam recipiendis attestationibus quàm receptis legitimè publicatis, eam fine canonico sublato appellationis obstaculo terminarent. Ipsi verò receptis per quosdam viros discretos testibus, & per se tandem attestationibus publicatis, post multas exceptiones & alia utrinque proposita, quia quidam testes eis contrarij videbantur, causam ad nos remiserunt instructam, vigiliam beati Andreæ partibus terminum præfigentes quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Quamvis autem tu propter hoc ad sedem apostolicam accessisses, pro parte tamen altera nullus comparuit responsalis. Quare te oportuit diutiùs expectare. Tandem verò, ne pars altera lucrum de contumacia reportaret, sed ejus absentia Dei præsentia suppleretur, aperiri gesta fecimus & examinari omnia diligenter. Contra te igitur videbatur propositum & probatum quòd cùm juri eligendi renuntiatum in Episcopi manu fuisset, ipse monachis sub hac forma licentiam tribuerat eligendi si possent in personam idoneam de gremio ipsius Ecclesiæ convenire, alioquin, ne sine ipso vel nuntio suo procedere attentarent districtiùs curaverat inhibere. Ipsis ergo super electione tractantibus, in quatuor arbitros fuit ab omnibus compromissum, sic videlicet ut si unus etiam ab aliis discordaret, quod tres facerent non valeret. Qui cùm in quadam camera convenissent, nec potuissent adinvicem concordare, sed recessissent de loco ipso discordes, Iohannes cum sociis suis accedens ad eos, ex Episcopi parte prohibuit ne ulte-

* In quart. coll. Aspertinen.

riùs ad arbitrium conſederent, quia ipſi de cetero eorum arbitrium non ſervarent. Ceterùm tres eorum prohibitioni factæ minimè deferentes, contradicente quarto, abſentia Iohannis & Cononis captata, te ſibi eligere præſumpſerant in Abbatem. Quare quod ab eis factum fuerat, videbatur penitùs non valere: quia cùm in manu Epiſcopi renuntiatum juri eligendi fuiſſet, & ſub hac forma duntaxat electionis reſtituta facultas ſi poſſent unanimiter convenire, ipſi non fecerant electionem concordem, ſed contra formam præſcriptam convenerunt in arbitros, quorum tres contra compromiſſi tenorem, contradicente quarto, & arbitrandi licentia revocata, contemptis abſentibus, te, qui bona cellarij, cujus adminiſtrationem priùs habueras, aſſerebaris enormiter diſſipaſſe, in Abbatem præſumpſerant nominare. Verùm ad hoc fuit ex tua parte reſponſum quòd non fuerat ſufficienter oſtenſum vos juri eligendi renuntiaſſe in manu Epiſcopi, quod ipſis ſecundùm canones competebat; præſertim cùm nullus teſtium quòd tu cum parte tua renuntiaveris auſus fuerit affirmare, licèt aliquis dixerit ſe ab Epiſcopo ſic audiſſe. Præterea ſi fuiſſet renuntiatum ab omnibus, Epiſcopus tamen facultatem reſtituerat eligendi ſi poſſent concorditer convenire. Ipſi quoque quatuor arbitros concorditer aſſumpſerunt, qui etiam intelligendi ſunt concorditer proceſſiſſe; cùm etſi quartus dixerit quòd te, obſtante juramento quod Abbati præmortuo de te non eligendo præſtiterat, eligere non valebat, perſonam tamen tuam multipliciter commendarit & ſibi dixerit complacere. Præterea concorditer illud intelligitur eſſe factum à quo non poterant obſtante juramento ab omnibus unanimiter præſtito reſilire, cùm fuiſſet juratum ab omnibus quòd eum in quem quatuor vel tres arbitri convenirent, etiamſi quartus contradiceret, reciperent in Abbatem. Eadem quoque ratione dicebas quòd arbitrandi ſeu eligendi facultas revocata non fuerat, nec potuerat revocari; præſertim cùm etſi arbitri nondum publicaſſent arbitrium, jam tamen in te pariter conveniſſent. Nec nocet in aliquo quòd quibuſdam abſentibus arbitri proceſſerunt; cùm Iohannes, qui abfuiſſe dicitur, ſtaret præ foribus, & Cono ſcienter ſe duxerit abſentandum, illaque hora inſtaret qua electionem publicare debebant, & qua elapſa, eligendi arbitrium expiraſſet. Super dilapidatione verò etſi nihil contra te fuerit ſufficienter oſtenſum, per teſtes tamen tuos erat apertè probatum quòd officium tuum melioratum reliqueras, & de omnibus ſufficientem reddideras rationem. Nos igitur his & aliis diligentiùs & pleniùs intellectis, electionem de te factam auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani VI. Idus Martij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

RATISPONENSI EPISCOPO, & de ſancto Emmeranno Ratiſponenſi & Prvveningenſi Ratiſponenſis dioceſis Abbatibus.

OLim dilectus filius Henricus electus monaſterij ſancti Stephani Herbipolenſis in dilecti filij noſtri Benedicti tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyteri Cardinalis, quem ſibi & O. procuratori venerabilis fratris noſtri Wirſeburgenſis Epiſcopi auditorem conceſſimus, præſentia conſtitutus proponere curavit quòd cùm in Abbatem ejuſdem monaſterij fuiſſet electus, & electionem ſuam prædictus noluiſſet Epiſcopus confirmare &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* examinari omnia diligenter. Itaque contra eundem electum videbatur propoſitum & probatum &c. *uſque* manu fuiſſet, ipſe monachis dicti monaſterij ſub hac forma &c. *uſque* captata, eum ſibi eligere preſumpſerant in Abbatem. Quare &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* contemptis abſentibus, ipſum, qui bona cellarij, cujus adminiſtrationem priùs habuerat, aſſerebatur enormiter diſſipaſſe, in Abbatem præſumpſerant nominare. Verùm ad hæc fuit ex ſua parte reſponſum quòd &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* pleniùs intellectis, electionem de dicto electo factam auctoritate apoſtolica per diffinitivam duximus ſententiam confirmandam. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſententiam ipſam executioni mandantes, eundem Henricum in corporalem abbatiæ poſſeſſionem inducere procuretis, & ab univerſis monachis ei faciatis obedientiam exhiberi; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum ut in alia per totum.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI, & Nivernensi Episcopo, & magistro Roberto de Corzon Canonico Parisiensi.

Epist. 15. De Presbytero Lingonensi accusato de hæresi.

VEnerabilis frater noster Lingonensis Episcopus quædam nobis contra G. Canonicum Lingonensem Presbyterum de Mussiaco per suas litteras intimavit quæ sapere præsumuntur hæreticam pravitatem; quarum tenorem de verbo ad verbum vobis sub bulla nostra remittimus intercluſum. Vnde cùm dictus Episcopus eundem G. suspectum de hæresi habuisset, coëgit eundem cautionem tam juratoriam quàm fidejussoriam exhibere quòd terminis quos sibi præfigeret ejus se conspectui præsentaret, prout deceret super his omnibus responsurus. Sed cùm dictus Episcopus apud Barrum super Secanam die quo terminum assignarat sibi cum multis viris religiosis & prudentibus, quos ad hoc convocaverat, conuenisset, idem. G. juramenti religione contempta, nec comparuit, nec suam absentiam excusavit. Quare sæpedictus Episcopus, pensatis omnibus quæ tam prima die quàm secunda servato juris ordine, ac præ oculis habito Dei timore, acta fuerant coram eo, & toto processu diligenti deliberatione pensato, de consilio & consensu tam religiosorum quàm jurisperitorum omnium qui assistebant eidem, sæpedictum G. super his de quibus fuerat accusatus pro convicto decrevit habendum, ipsum sententia diffinitiva pronuntians tamquam hæreticum condemnandum, & sententiam in scriptis redigi faciens, & multorum sigillis, Episcoporum videlicet, Abbatum, & Archidiaconorum, reservari munitam. Dictus autem G. in nostra præsentia constitutus proposuit quòd præfatus Episcopus eum post appellationem ad nos interpositam ceperat, & præfatam præstare compulerat cautionem, nitens se multipliciter excusare. Nos igitur attendentes quòd ea quæ circa ipsum fuerint inquirenda vos pleniùs poteritis indagare, illum ad vos duximus remittendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatinus nisi usque ad festum Pentecostes comparuerit coram vobis, super his quæ sapiunt hæreticam pravitatem suam sufficienter, si poterit, innocentiam ostensurus, vos sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exerceatis in ipsum rigorem ecclesiasticæ disciplinæ; quòd si se ostenderit inculpabilem, ejus innocentiam opprimi non sinatis, cum sincera diligentia & diligenti sinceritate in negotio fidei processuri. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno quartodecimo.

MAGISTRO GILIBERTO Canonico sanctorum Apostolorum Constantinopolitano.

Epist. 16. Confirmatur ei præbenda.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & voquæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, præbendam quam in Ecclesia sanctorum Apostolorum Constantinopolitana es canonicè assecutus, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XI. Kal. Aprilis, anno quartodecimo.

A. CANONICO SANCTÆ Sophiæ Constantinopolitano.

Epist. 17. De eodem argumento.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, præbendam quam in Constantinopolitana Ecclesia obtines, sicut eam &c. *ut in alia usque* incursurum. Datum ut in alia per totum.

HVGONI ABBATI monasterij sancti Salvatoris Karroffensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 18. De confirmatione privilegiorum.

VEnerabilium locorum cura nos admonet de eorum perpetua securitate tractare, & quæ pro ipsorum quiete rectè statuta sunt cooperante Domino stabilire. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Salvatoris, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri secundi, Vrbani secundi, Calixti, Lucij secundi, Anastasij, & Alexandri tertij, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus &c. *usque* perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum &c. *usque* per-

maneant. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, burgum videlicet ipsi cœnobio adjacentem cum Ecclesiis & parrochiis suis, Ecclesiam de Aneis, de Plevilia, de Genuliaco, de Suiriaco, de Lubiliaco, sancti Martini Arsi, de Enerciaco, cum terra de Podio calvo, Ecclesias de Meleu, de Masserant, de Marceliaco, de Bellomonte, de Argentunio, de Clareia, de Parisiaco, de Goia, de Chel, de Exactiis, de Malopresbytero, de castro Garnerij, de Solmeria cum Brenaco, de Siurim, de Benajas, de Loa, de Claromonte, de Belloloco, de Camboira, & de Adaco, Ecclesias sancti Fermerij, sancti Maxentij, sanctæ Mariæ, & sanctæ Sophiæ de Niorto cum parrochia sua, sancti Leodegarij, sancti Cirici, sanctæ Mariæ de Cornu cum Ecclesiis suis & parrochia, sancti Nicolai de Monte Maurilij, sancti Martini de Heremo, de Turfarco, & de Basiano. In Lemovicensi episcopatu monasterium castri de Rupe Cavardi cum cimiterio & pertinentiis suis, monasterium sancti Angeli cum castro & Ecclesiis sibi pertinentibus, Ecclesias de Colongia, de Magnaco, de Monasterio, & de Cella, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Tellicio cum appendiciis suis, de Oratorio, & de Asneriis, Ecclesias sanctæ Eulaliæ & sancti Vincentij de sancto Germano, cum Capella de Insula, castrum de Nuntronio & monasterium cum Ecclesiis suis, oratorium sancti Laurentij de Tilia cum villis de Arbergiis, de Pollac, de Gaschonholas, de Brillac, & de Campellis; cum terris, vineis, decimis, redditibus, nemoribus, & aliis pertinentiis suis, oratorium sancti Nicolai de Aubis, cum vineis, terris, pratis, molendinis, & aliis pertinentiis suis. In Xantonensi dioceſi Ecclesiam de Iarniaco cum villa & aliis pertinentiis suis, Ecclesias de Marviaco, de Claun, de Cadenaco, de Fornes, de Solunianes, de Cressiaco, de Colunes, & de Avia, cum pertinentiis suis, Ecclesias sanctæ Columbæ & sanctæ Leverinæ, cum decimis, redditibus & aliis pertinentiis suis, Ecclesias de Macovilla, de Ribaniaco, cum terris & aliis pertinentiis suis, Ecclesias sancti Florentij & sancti Bibiani, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Petragoricensi monasterium sancti Petri de Sorziaco, cum villa, terris, vineis, decimis, molendinis, & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Moscidanio cum decimis & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Medardi cum villa & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam sanctæ Columbæ cum pertinentiis suis, Ecclesiam novam de Fractojoco, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Capella Fulcherij cum pertinentiis suis, Ecclesias de Ladas & sancti Præjecti de Faugas & de Paracollo cum villa & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam de Cosa cum altaribus & aliis pertinentiis suis. In dioceſi Caturcensi monasterium de Monte-Pesato cum decimis & aliis pertinentiis suis, Ecclesias de Bonoloco & de Misericordia Dei cum pertinentiis suis. In episcopatu Agennensi Ecclesiam de Vitraco cum appendiciis suis, Ecclesias de Artaldo, de Margarola, & de Bertinio, cum pertinentiis suis. In Engolismensi dioceſi Ecclesiam de Voerta cum villis, decimis, & aliis pertinentiis suis, Ecclesias de Fontaniliis, de Canumet, de Sargucoco, de Donazaco, de Suriaco monasterio, & de Caleias, cum pertinentiis suis. In Burdegalensi dioceſi Ecclesiasde Tella & de Ribaniaco cum pertinentiis suis. In Andegavensi dioceſi Ecclesiam sancti Saturnini cum appendiciis suis. In Belvacensi dioceſi Ecclesiam de Fraxineto cum villa, terris, decimis, redditibus, & altari suo de Oddonis curte, & aliis pertinentiis suis, domum de Audecuria cum villa, vineis, & aliis pertinentiis suis. In Remensi dioceſi Ecclesiam de villa dominica cum altari & aliis pertinentiis suis. In Morinensi dioceſi abbatiam quæ dicitur Ham, statuentes ut Abbatis qui in eodem loco successerit electio in Karrofensis Abbatis provisione consistat: quia ab ipso penè fundationis exordio Hamensis Ecclesia Karroffensi monasterio oblata, Karroffensium fratrum studio & expensis excreviſſe cognoscitur. Abbatiam de Andria, Ecclesiam de Beureria, cum terris, pratis, & aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Aloannia, cum villa, terris, & aliis pertinentiis suis. In Anglia, in episcopatu Lincolniensi, monasterium de Dardunaco cum pertinentiis suis, Ecclesias de Tantunaco, de Cantunaco, de Cauffo, & de Canturbeio. In Bituricensi dioceſi Ecclesiam sancti Vincentij de Monz, cum villa, terris, molendinis, & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Monsterolo cum villa, pratis, molendinis, & omnibus pertinentiis suis. In Claromontensi dioceſi castellum sancti Ivonij, abbatiam Vvodorensem, Ecclesias de Cadilogio, de Morengia, de Nobiliaco, de Grossogilo, de Perusia, de Gadiniaco, & de Plevis, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Dionysij

de Laſceſas, Eccleſiam ſancti Petri de Noallac, Eccleſias de Ambernac, unam beatæ Mariæ, alteram beati Petri, Eccleſiam ſancti Martini de Ambazac ſuper fluvium Dronæ, Eccleſiam de Macovilla, & Eccleſiam de Cella, cum omnibus pertinentiis ſuis. In Rothomagenſi dioceſi Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Alneto cum decimis & aliis pertinentiis ſuis. In Ambianenſi dioceſi Eccleſiam de Boareſſia cum villa, terris, decimis, nemoribus, & Eccleſia ſanctæ Mariæ de Formariis cum tertia parte decimarum totius parrochiæ. Ad hæc, ſupradictorum patrum veſtigiis inſiſtentes interdicimus ne dioceſis ipſius Epiſcopus, niſi ab Abbate invitatus fuerit, in eodem monaſterio Miſſas publicas aut conſecrationes vel ordinationes quaſlibet agat, neque * ſanctiones indicat, neque paratas vel manſionaticos exinde requirat, ſalva hoſpitalitatis gratia competenti. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem recipere & eos in veſtro monaſterio abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in loco veſtro profeſſionem fas ſit abſque licentia Abbatis ſui, niſi obtentu arctioris religionis, diſcedere. Diſcedentem verò abſque communium litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere. In parrochialibus verò Eccleſiis quas tenetis liceat vobis ſacerdotes eligere & Epiſcopis præſentare: quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopi curam animarum committant; ita ut de plebis quidem cura ipſis, vobis verò pro temporalibus debeant reſpondere. Interdicimus etiam ne in altare Eccleſiæ veſtræ, quòd prædicti anteceſſoris noſtri Vrbani manibus conſecratum eſt, ſecundùm conſtitutionem ejus quiſquam præter apoſtolicæ ſedis Pontificem vel ejus Legatos excommunicationis vel interdictionis audeat proferre ſententiam. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate, &c. *uſque* providerint eligendum: qui à dioceſano Epiſcopo benedicatur, ſiquidem gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habuerit, & ſi benedictionem gratis ac ſine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis pro benedictione eadem catholicum quem malueritis adire antiſtitem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones &c. *uſque* profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona &c. *uſque* ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus &c. *uſque* inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XII. Kal. Aprilis, Indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCCX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno XIV.

* faciones

HVGONI ABBATI ET Conventui Karroſenſi.

Epiſt. 19. De electione Abbatis Andrenſis. Vide lib. II. epiſt. 205.

INter Eccleſiam veſtram & Andrenſe cœnobium ſuper jure eligendi Abbatem Andrenſem dudum quæſtione ſuborta, poſtquam ſuper ea fuit in noſtra præſentia diutiùs diſceptatum, dilectis filiis Decano Sareſberienſi & Archidiacono & magiſtro P. Pulverel Canonico Pariſienſi dedimus in mandatis ut auditis hinc inde propoſitis, ſi ex parte veſtra talis foret conſuetudo probata quæ juri communi præjudicaret, meritò in hac parte ipſi ſecundùm conſuetudinem eandem decernerent electionem Andrenſis Abbatis ulteriùs faciendam; quòd ſi talis conſuetudo, per quam in hoc caſu præjudicaretur juri communi, minimè probaretur, ipſi Andrenſibus monachis jus eligendi Abbatem, ſublato appellationis obſtaculo, adjudicare curarent; ut ſic poſtmodum obtinerent liberam facultatem vel de Eccleſiæ ſuæ gremio vel etiam aliunde per electionem canonicam eligendi perſonam idoneam in Abbatem, præſentandam Capitulo Karroffenſi, ut ſi eſſet canonica, confirmaretur ab ipſis; quòd ſi forſitan partes mallent ut nobis ſententia ſervaretur, ipſi cauſam inſtructam ad noſtrum examen remittere procurarent, præfigentes partibus terminum competentem quo in noſtra comparerent præſentia recepturæ judicium æquitatis; quòd ſi omnes his exequendis intereſſe non poſſent, duo eorum ea nihilominus exequi procurarent. Qui poſtmodum teſtibus utriuſque partis receptis, & tam inſtrumentis & rationibus quàm confeſſionibus & allegationibus etiam diligenter inſpectis, cùm judices ſuper ſententia proferenda tractarent, & unus eorum, videlicet Decanus, aſtrueret ſibi de cauſæ meritis non liquere, quam ad noſtrum cupiebat examen remitti, reliqui duo judices, ſicut ex litteris intelleximus eorundem, cupientes negotium expedire, prout partes pluries inſtanter petierant, poſtquam in cauſa renuntiatum fuerat & concluſum, auditis ſpecialiter poſtea quæ fuerunt à partibus propoſita coram eis, cùm jam ſen-

tentiam quam de consilio peritorum conscripserant intenderent promulgare, Andrensis monasterij procurator quasdam suspicionis causas proposuit contra eos, de quibus antè nullam fecerat mentionem, & ad cognoscendum de ipsis, arbitris non petitis, recessit ab eis. Sed dicti judices nihilominus sententialiter decreverunt ut cùm in Andrensi cœnobio immineret Abbatis electio facienda, Andrenses monachi ab Abbate & Capitulo Karroffensi eligendi Abbatem licentiam peterent, & eligerent postmodum personam idoneam de gremio & professis Ecclesiæ Karroffensis, ita quòd in Capitulo Karroffensi eligere minimè tenerentur. Cùm autem nuper dilecti filij Gaufridus Daubis monachus vester & Willelmus Andrensis Ecclesiæ procuratores propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, & super antedicta sententia litigassent aliquandiu coram nobis, nos, qui ex officij nostri debito his quæ pacis sunt tenemur insistere, compositionem amicabilem & utrique monasterio utilem fecimus inter eos, quam ipsi demum pariter acceptarunt; ut videlicet Andrenses monachi qui nunc sunt, & qui pro tempore fuerint, Karroffensi Abbati professionem faciant apud Andrense cœnobium, promittendo eidem obedientiam & reverentiam regularem. Cùm autem in Andrensi Ecclesia occurrerit electio facienda, Andrenses monachi de professis monasterij Karroffensis, sive de suo, sive de monasterij Karroffensis collegio, personam idoneam liberè sibi eligant in Abbatem. Electus verò Karroffensi præsentetur Abbati; qui electionem de illo factam confirmare vel infirmare procuret, sicut de jure fuerit faciendum. Confirmatus autem à diocesano benedicatur Episcopo, & singulis trienniis monasterium visitet Karroffense, ac census nomine viginti solidos sterlingorum annuatim persolvat eidem. Præterea Karroffensis Abbas annis singulis, si voluerit, per se ipsum vel per duos ex suis monachis Andrense monasterium visitet; cui Andrensis Abbas in choro, Capitulo, refectorio, & aliis locis, utpote Patri Abbati, cedat. Qui cum consilio Andrensis Abbatis corrigat si quid in membris Andrensis cœnobij fuerit corrigendum. Quòd si quicquam corrigendum fuerit in Abbate, id cum seniorum & saniorum fratrum ipsius loci consilio Abbas corrigat Karroffensis. Nos igitur compositionem eandem à præfatis procuratoribus approbatam de communi fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes eandem perpetuis temporibus inviolabiliter observandam. Nulli ergo &c. confirmationis & constitutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x. Kal. April. pontificatus nostri anno quartodecimo.

FRATRIBVS MILITIÆ Templi sancti Philippi de Plano Auximanæ diocesis.

Epist. 11. De controversia inter Episcopum & Templarios Auximanos.

INter vos ac venerabilem fratrem nostrum Auximanum Episcopum super quibusdam mortuariis, decimis, synodalibus, & aliis episcopalibus juribus, ac super eo quòd excommunicatos & interdictos reciebatis, ut idem Episcopus asserebat, ad divina officia & ecclesiasticam sepulturam, venerabilibus fratribus nostris, Esino, Anconitano, & Fanensi Episcopis dedisse recolimus in mandatis ut auditis utrinque propositis, causam ipsam ad nos remitterent sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Cùm autem partes comparuissent postmodum coram eis, prædictus Episcopus per procuratorem suum in sancti Philippi, sanctæ Mariæ, ac sanctæ Marinæ Ecclesiis episcopale sibi jus vendicando, tam sextam partem Ecclesiæ sancti Philippi, quam ex donatione Ecclesiæ sancti Coronati asserebat ad se de jure spectare, quàm tertiam mortuariorum quæ vobis obveniunt in diocesi Auximana, necnon fructuum quarundam terrarum decimam, quas vos obtinetis ab ipso, ratione terragij sibi debitam postulavit, & ut tam decimas sanctæ Mariæ ac sanctæ Marinæ Ecclesiarum sibi huc usque subtractas quàm etiam cathedraticum, quod integrè sibi hactenus solutum non fuerat, vos restituere cogeremini & compelli ad præstandum de cetero integraliter supradicta. Institutionem præterea & destitutionem etiam Clericorum in præfata sancti Philippi Ecclesia vendicavit, petens vobis nihilominus inhiberi ut excommunicatos & interdictos ab eo non reciperetis ad divina officia vel ecclesiasticam sepulturam. Quadringentos quoque perperos pœnæ nomine petiit, quam ex eo dicebat esse commissam quòd vos contra conventionem inter vos & ipsum initam venientes, circa culturam agrorum, quos in emphyteosim ab Ecclesia tenetis ipsius, non impenderatis operam diligentem, & castellanos atque villanos suos in suum receperatis præjudicium & grava-

men, postulans vos ad illos dimittendum compelli ac compesci, ne illos absque ipsius reciperetis de cetero voluntate. Verùm vos tam decimas à rivo montis Marij usque in flumen & pontem Consæ ac usque ad Planum, quàm etiam quasdam terras ac pascua quæ vobis concessisse dinoscitur, necnon etiam pratum de Vvalvadrono, & campos Rigibertæ & Aternani, præter quatuor araturas, quibus per ipsum spoliatos vos contra justitiam querebamini, vobis restitui postulastis. Iudices verò, receptis super his testibus ab utraque parte productis, eandem causam ad nos remiserunt sufficienter instructam. Cùm autem propter hoc nuper vester & alterius partis procuratores in nostra præsentia constituti super præmissis aliquandiu litigassent, nos utriusque partis inspectis attestationibus diligenter & rationibus intellectis, de communi fratrum nostrorum consilio vos super sexta parte Ecclesiæ sancti Philippi duximus absolvendos: quia etsi per testes ipsius Episcopi fuerit facta fides quòd Ecclesia sancti Coronati eandem sibi sextam partem donaverit, ex aliorum tamen testium depositionibus constitit quòd anteriori tempore vobis donaverat partem illam. Decrevimus etiam ut quarta mortuariorum quæ in ipsius dioceſi vobis obveniunt debeat manere contentus, armis & equis ex eadem quarta deductis, quæ juxta indulgentias Romanorum Pontificum vobis indultas retineri debent in subsidium terræ sanctæ. Et ut vos pro singulis Ecclesiis supradictis unum quartum grani & unum annonæ pro decimationis quarta, & duos solidos usualis monetæ annis singulis eidem Episcopo pro cathedratico persolvatis. Inhibentes vobis ut excommunicatos & interdictos ad divina non recipiatis officia vel ecclesiasticam sepulturam. salvis indulgentiis super hoc vobis ab apostolica sede concessis. Super institutione verò & destitutione Clericorum in Ecclesiis supradictis vos ab impetitione absolvimus Episcopi memorati, cùm in Romanorum Pontificum privilegiis vobis indultis id occurreret manifestè. Ad restitutionem quoque prati & camporum supradictorum, quibus vos probastis contra justitiam spoliatos, sæpedictum Episcopum sententialiter condemnavimus, super proprietate sibi defensione legitima reservata. Quia verò procurator ipsius Episcopi requisitus à nobis prætaxatā pœnam vobis sponte remisit, dummodo vos castellanos & villanos suos sine difficultate dimittere curaretis & illos absque sua non reciperetis de cetero voluntate, ac procurator vester à petitione subtractarum vobis hactenus decimarum destiterit, dummodo ipsas de cetero idem Episcopus percipere vos permittat pacificè, nos in hac parte ipsorum desideriis concurrentes, & vos ab impetitione ipsius Episcopi super prædicta pœna & eundem Episcopum super decimis vobis subtractis duximus absolvendos, firmiter injungentes ut & vos castellanos & villanos illius absque ipsius recipiatis minimè voluntate, ac ipse vobis prædictorum locorum spirituales percipere decimas sine difficultate permittat, salvo prædicto decimo quod ipsi Episcopo terragij ratione debetur. Nulli ergo &c. *usque* diffinitionis, constitutionis, & inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

CANTORI, MAGISTRO. E. de Hennin. & Her. Pediargenti Canonicis Attrebatensibus.

Epist. 22. De quadam præbenda Arienſi. *Vide lib.* 11. *epist.* 255.

Dilectus filius magister Vvibertus Presbyter coram dilecto filio nostro Iohanne sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinale, quem sibi & I. nuntio Decani & Capituli Ecclesiæ Arienſis Morinensis dioceſis auditorem concessimus, proponere procuravit quòd cùm ei sacerdotalis præbenda in eadem Ecclesia dudum canonicè collata fuisset, ac Decanus & Capitulum memorati nollent ei postmodum fructus reddere præbendales, ad conquestionem ipsius dilectis filiis magistro scholarum & Vvaltero & Iohanni de Albengi Canonicis Morinensibus commisimus causam ipsam. Qui Decano & Capitulo Arienſi, postquam citati sæpius & demum edicto peremptorio evocati comparere noluerant coram eis, inhibere curarunt ne quid in apostolici mandati elusionem vel supradicti magistri gravamen quæstione pendente super eisdem fructibus innovarent. Verùm in præsentia eorundem judicum postea partibus constitutis, cùm præfatus magister suam edidisset super eisdem fructibus actionem, Vvillelmus de Duaco Capituli procurator respondit quòd quæstio super fructibus coram eisdem judicibus procedere non debebat donec causa super concessione sex sacerdotalium præbendarum, de quarum numero erat præbenda illa quæ præfato dinoscebatur magistro collata, quæ venerabili fratri nostro Episcopo Atrebatensi & conjudicibus suis auctoritate nostra fuerat commissa, utpote

præjudicialis, finem debitum sortiretur. Cùm autem judices de partium voluntate quorundam peritorum consilium, an illa quæstio præjudicialis existeret, requirere studuissent, nondum ab eisdem recepto responso Præpositus Ariensis B. Clerico primam tantummodo tonsuram habenti præbendam supradictam concessit, cujus fructus magister petierat memoratus, ejusdem præbendæ fructibus post inhibitionem judicum assignatis eidem, contra Ecclesiæ privilegia temerè veniendo. Post hæc verò judices memorati causam Atrebatensibus judicibus delegatam quæstioni sibi commissæ nequaquam præjudicialem existere, prout in consilio receperant à peritis, per interlocutoriam sententiam declararunt: à qua non fuit pro parte Capituli provocatum, sed lite super quæstione fructuum contestata, utraque pars præstitit calumniæ juramentum. Cùmque privilegiorum transcripta magister obtulerit supradictus, per quæ fidem facere intendebat quòd præbendam illam canonicè fuerat assecutus, procurator Capituli ea esse vera privilegiorum transcripta coram judicibus recognovit. Quibus procuratori mandantibus ut authentica privilegia exhiberet, ipse certum ad hoc diem sibi petiit assignari, quem obtinuit, & recessit. Et licèt procurator ipse postea sæpefato magistro præscriptionem objecerit decennalem, & ad illam probandam dies sibi fuerit assignatus, illam tamen seu aliam exceptionem legitimam ille vel alius procurator Capituli non probavit. Quinimmo magister Ingebertus ultimus Capituli procurator, constanter affirmans illa vera transcripta privilegiorum existere, ac ea rata grataque haberi à Capitulo Ariensi, ut secundùm ea procederent judices ad sententiam postulavit. Vnde ipsi habito consilio sapientum, sæpedicto magistro per diffinitivam sententiam fructus adjudicavere prædictos; quam idem magister petiit auctoritate apostolica confirmari, relationem judicum exhibendo supradicta & alia plenius continentem. Ad hoc nuntius proposuit memoratus quòd processus illorum debebat non immeritò retractari; tum quia in litteris obtentis ad eos de prioribus litteris ad Atrebatenses judices impetratis super sex præbendarum collatione, de quarum numero fuerat dicta præbenda cujus fructus idem magister petiit, mentio non fiebat; tum quia illa quæstio, videlicet de præbendarum concessione, utpote præjudicialis alterius, fuerat primitus diriemenda, cùm & causa fructuum quæstionis super præbenda sit accessoria, & causarum continentia non sit juxta sanctiones legitimas dividenda; tum etiam quia idem magister nunquam ad eandem fuerat præbendam admissus. Verùm ad hoc pars altera respondebat, allegationes hujusmodi ex eo esse supervacuas judicandas, quia judicum prædictorum examen partes sponte subjerunt. Proposuit insuper idem nuntius dictos judices minùs rite ob causas alias processisse; quia videlicet in causa spirituali præstari fecerant calumniæ juramentum, & Capitulo memorato mandaverant sua coram eis privilegia exhibere, in Decanum ob hoc excommunicationis & in Capitulum suspensionis sententias proferendo, cùm nemo ad fundandam adversæ partis intentionem suas teneatur edere rationes; item, quia nullo pro Capituli parte præsente, post appellationem ad nos interpositam, non in procuratorem sed in Capitulum sententiam protulerunt; adiciens quòd nequaquam relationi judicum standum erat, quæ cùm in publicam non sit redacta scripturam, non in prima persona sed tertia dinoscitur esse concepta; præsertim cùm asserant judices se privilegiorum tenore cognito processisse, quæ minimè inspexerunt. Ceterùm ad prædicta pars adversa respondit quòd in præfata quæstione fructuum, utpote temporali, non incompetenter præstari potuit calumniæ juramentum; sed & mandari à judicibus potuit privilegia exhiberi, quorum transcripta per magistrum memoratum oblata vera esse procurator Capituli fatebatur, cùm & ultimus procurator ipsius petierit secundùm ea negotium terminari. His igitur & aliis quæ coram eodem Cardinale utrinque proposita fuerant per ejusdem relationem plenius intellectis, cetera hinc inde propoſita frivola reputantes, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus supradicto Clerico convocato, seu aliis qui fuerint evocandi, inquisita plenius & cognita veritate, si vobis constiterit quòd præfato B. lite pendente præbenda concessa fuerit memorata, vel quòd præbenda ipsa, quæ sacerdotibus duntaxat consueverat assignari, eidem collata fuerit in sacris nondum ordinibus constituto, vel aliud canonicum obviet propter quod præbendam ipsam nequeat obtinere, vos supradictam sententiam pro eodem magistro super fructibus latam à judicibus sæpedictis faciatis appellatione remota firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam

siasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Fossænovæ.

Epist. 22. Confirmatur compositio facta cum Pipernensibus.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter &c. *usque* assensu, compositionem seu transactionem inter vos ex parte una & Consules ac populum Pipernensem ex altera super possessionibus constitutis in loco qui Laurentij vulgariter appellatur amicabiliter initam, sicut providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in instrumento publico exinde confecto pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum. IN NOMINE Domini. Amen. Anno ejus millesimo centesimo nonagesimo tertio, anno tertio Domini Celestini Papæ III. Indictione II. mense Augusto, die tertia. Quoniam ea quæ refutationibus sive transactionibus vel aliis conventionibus inter homines fiunt, plerunque memoriæ commendari non possunt, idcirco ego Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius transactionem sive refutationem vel etiam conventionem inter fratres Fossænovæ & populum Pipernensem habitam rogatus in hoc publicum scriptum reduco; ut si de ea dubitatum fuerit, per hoc scriptum veritas rei ostendatur. Conventio itaque sive transactio vel refutatio talis est. Fratres Fossænovæ dant Pipernensibus centum tres libras bonorum Provesinorum pro molendinis communibus recolligendis, quæ pignori tenebantur. Et Consules Piperni, scilicet Petrus Domini Leonis, Belbellus, Transmundus Donnæ Nuvæ, Philippus Domini Gregorij Milites, Roscemannus, Staldo, Iordanus, Roffridus, Guastapane, Massarij nomine universitatis refutant monachis omnem litem & querimoniam & omnem actionem quam habebant vel habere possent in Laurentiis, scilicet inter hos fines sicut vadit in directum à Gorga Palumbi in Mazoclam, & inde pergit per Mazoclam usque ad aquam quæ descendit de fontana de Ficu, sine omni conditione, & inde ascendit usque in lacum. Concedit etiam populus quicquid juris habet commune inter fontanam de Ficu, & Lirecaduti; salvo unicuique jure proprietatis, si quis ibi aliquid habet. Concedunt etiam à Gorga Palumbi inferiùs ut sandalariam faciant sine contradictione aliqua usque flumen majus, sicut meliùs viderint expedire: quæ tamen sandalaria communis erit & fratribus & civibus. Silva quæ est à fontana Gricilli usque ad Recaduti est monachorum absolutè, sicut hactenus fuit; præter consuetudinem quam habet in ea populus in venando, pascendo, ligna cædendo, & salva consuetudine tabulandi. Silvam quæ est à fontana de Ficu usque ad Recaduti non incidant monachi ad cæsas faciendas studiosè, sed remanebit ad communes usus & civium & monachorum ad ligna cædenda, & ad venandum, & pascendum. Si tamen aliquo modo pervenerit quòd sit apta ad agriculturam, monachorum erit. Piscaria lacus libera est monachorum, sicut hactenus fuit. Per sandalariam totam liberum erit omnibus Pipernensibus sine apparatura aliqua piscari, non in illis locis ubi & monachi & certæ personæ civitatis habent suas proprietates. Et quidem non licebit alicui nisi monachis aliquod ædificium facere ad piscandum à Gorga Palumbi usque ad lacum; pœna trecentarum librarum Provesinorum ab utraque parte promissa, si aliqua pars contra hanc conventionem vel refutationem seu etiam transactionem amicabili pace firmatam venire voluerit vel etiam observare noluerit; & pœna soluta, hæc charta conventionis sive transactionis in sua stabilitate perpetuò perseveret. Vnde rogati sunt testes, Gregorius Paganus, Rainone sancti Laurentij, Ioel de Sitio, Bertraymus Laudini, Berardus Romane, Guido de Arnaria. Ego Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Piperni Scriniarius interfui & subscripsi.] Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kal. Aprilis, anno quartodecimo.

PRIORI ET CONVENTVI Andrensi.

Epist. 23. De fidejussione vetita monachis.

CVm à nobis petitur quod justum est, & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis monachus sive conversus sub professione vestræ domus astrictus sine consensu & licentia Abbatis & majoris partis vestri Capituli pro aliquo fidejubeat,

vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat ultra pretium Capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quòd si facere fortè præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimoquarto.

EISDEM.

Epist. 24. Vt eis liceat divina officia celebrare tempore interdicti.

SOlet annuere &c. *usque* impertiri. Eapropter &c. *ut in alia usque* assensu, ut quotiescunque terram nobilis viri Comitis Gisnensis patroni monasterij vestri pro suis excessibus, debitis, aut aliquibus causis aliis subici contigerit ecclesiastico interdicto, juxta quod vobis est à felicis recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro indultum, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina vobis liceat officia celebrare, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus. Decernimus ergo &c. nostræ concessionis &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Auberti Cameracensis.

Epist. 25. Confirmat eorum possessiones.

CVm à nobis petitur &c. *ut in alia usque* assensu, altare sanctæ Bovæ vobis à bonæ memoriæ Vu. Rotomagensi Archiepiscopo de assensu Capituli sui collatum, altaria de Wildebroc & de Vrimede, quæ bonæ memoriæ R. Cameracensis Episcopus, & altare de Herentoth, quod venerabilis frater noster I. successor ipsius in eleemosynam consentiente Cameracensi Capitulo vestro monasterio canonicè contulerunt, decimas de Crievecuer, Barastro, & de Hapelaincort ad ipsum monasterium de manu laica rationabiliter consensu ipsius Cameracensis Episcopi revocatas, & partem decimæ de Kion, & omnia alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimoquarto.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Quintini Belvacensis.

Epist. 26. Ne beneficia non vacantia promittantur.

CVm ex injuncto nobis apostolatus officio Ecclesiarum omnium curam & sollicitudinem gerere teneamur, ea in ipsis corrigere nos oportet quæ in gravamen earum noscuntur plurimùm redundare. Sanè ad nostram audientiam vobis referentibus est delatum quòd tam vos quàm vestri prędecessores ad multorum instantiam importunam quibusdam promissiones, de non vacantibus Ecclesiis facientes, pensiones eisdem quasdam interim contulistis. Quia igitur id contra statuta &c. *ut suprà lib.* XI. *epist.* CCV. *usque* auctoritate vobis apostolica districtiùs inhibemus ne contra &c. inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Eligij Noviomensis.

CVm ex concessa nobis à Domino potestate ad omnium Ecclesiarum curam aciem nostræ considerationis extendere teneamur, ea corrigere nos oportet quæ interdum in ipsarum gravamen temerè attentantur. Sanè ad nostram audientiam vobis referentibus est delatum quod &c. *ut in alia per totum usque in finem.* Datum &c.

PETRO ILLVSTRI REGI Aragonum.

CVm donationes nonnullas infra ætatis tuæ legitimæ tempora te fecisse proponas in enorme tui dispendium redundantes, majorem partem tuorum reddituum sic donando, nec expedire te nimis egere, quem oportet graves & grandes expensas subire in expugnando Christiani nominis inimicos, præsentium tibi auctoritate concedimus ut omnes donationes prædictis temporibus illicitè à te factas legitimè valeas revocare. Hoc expresso specialiter ad cautelam, ut donationes factæ Ecclesiis vel aliis piis locis, si quæ fuerint revocandæ, per ecclesiasticum judicem revocentur. Datum Laterani 11. Idus Aprilis, anno quartodecimo.

EPISCOPO LINGONENSI, & nobili viro Duci Burgundiæ.

SIcut ex litteris dilectorum filiorum Abbatis & conventus sancti Benigni Divionensis diocesis Lingonensis accepimus, cùm tu, frater Episcope, in tuæ promotionis initio ad monasterium eorundem, de cujus miserabili lapsu multa didiceras, accessisses gratia visitandi, memoratus conventus in te ac eundem Abbatem & Priorem ejusdem loci necnon & duos alios Clericos super reformatione domus tam in

capite quàm in membris compromittere curaverunt, promittentes interpoſito juramento ſe ordinationi veſtræ humiliter parituros. Vos autem compromiſſioni hujuſmodi à feſto ſancti Remigij tunc proximò affuturo uſque ad annum terminum præfigentes, communiter ſtatuiſtis ut quod ſuper debitorum ſolutione à vobis ordinaretur, interim ſervaretur; & Capitulo inter cetera injungentes ut ordo monaſticus, qui relaxatus ibidem aliquatenus fuerat, diſtrictiùs ſervaretur, duo milia librarum & eo ampliùs infra annum pro debitis monaſterij perſolviſtis. Appropinquante verò termino compromiſſioni præfixo, cùm fuiſſet à vobis primitus conſtitutum ut omnes obedientiarum proventus inſimul adunati ad ſolutionem cederent debitorum, quòdque obedientiarij, ne ſtatutum hujuſmodi præpedirent, ad ſuas obedientias mitterentur earundem proventus fideliter ſervaturi, ipſi proventus illius anni in uſus proprios vel potiùs in abuſus nequiter converterunt. Vnde cùm adhuc multa debita ſupereſſent, pro quibus nondum fuerat ſatisfactum, quæ nonniſi cum multarum poſſeſſionum diſtractione ac maximo Eccleſiæ detrimento poterant expediri, & malitia creditorum nonniſi per te, fili Dux, cujus juriſdictionis exiſtunt, poſſet ulteriùs refrænari, vobis pariter extitit ab eiſdem Abbate ac fratribus cum inſtantia ſupplicatum ut aſcito vobis tertio viro provido & potente, in manu veſtra tamdiu poſſeſſiones Eccleſiæ teneretis donec abſque rerum Eccleſiæ venditione ſeu obligatione aliqua ipſius debita ſolverentur, & quinquaginta monachis faceretis honeſtè in eadem Eccleſia juxta loci conſuetudinem provideri; ipſique ad prædicta ſervanda ſe juramento præſtito aſtrinxerunt, tibi, frater Epiſcope, patentes ſuper hoc litteras concedentes. quod vos demum eorum devicti precibus acceptaſtis. Cùm igitur idem Abbas & fratres devotè nobis duxerint ſupplicandum ut quod præmiſſum eſt auctoritate dignaremur apoſtolica confirmare, cùm ad præſens alio modo nequeat monaſterio conſuli memorato, nos, qui ſuper ejuſdem loci ſumus reformatione ſolliciti, proviſionem hujuſmodi ratam habentes & gratam, cùm credamus eandem ad ipſius monaſterij commodum redundare, devotionem veſtram rogandam duximus & monendam, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatinus ſupraſcripta taliter ad honorem Dei & utilitatem monaſterij ſupradicti ad debitum perducatis effectum, quæ ad reformationem loci ſtatuta ſunt facientes in ſuo robore perdurare, ut diligentiæ veſtræ ſtudium clareat in effectu, ac divinam & apoſtolicam gratiam propter hoc vobis uberiùs comparetis; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles tu, frater Epiſcope, cenſura eccleſiaſtica, & tu, fili Dux, ſi neceſſe fuerit, poteſtate tibi tradita, ſublato appellationis obſtaculo compeſcentes. Datum Laterani XVI. Kal. Maij, anno quartodecimo.

LINGONENSI EPISCOPO.

Epiſt. 30. Super eodem.

CVm, ſicut noſtris eſt auribus intimatum, Willemus de Bregdum monachus, qui ſeditioſus & dilapidator exiſtit, à multis retro diebus cum quibuſdam ſuis fautoribus, qui ab aliis monaſteriis ad ſancti Benigni cœnobium convolarunt, irregulariter vixerit, contra juramentum proprium, quod ſuper ſervanda proviſione ipſius Eccleſiæ præſtiterat, veniendo, nec eiſdem præſentibus pax poſſit in eodem monaſterio reformari, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus, ſi eſt ita, ſupradictum Vv. & ejus complices ab eodem monaſterio & membris ejus ſublato appellationis obſtaculo penitùs amovendo, ipſos in aliis monaſteriis ejuſdem obſervantiæ collocare procures, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compeſcens. Datum ut in alia per totum.

MAGISTRO NICOLAO Miſnenſi & Arnaldo de Stendal. Halberſtatenſis dioceſis Canonicis.

Epiſt. 31. Ejuſdem argumenti cum epiſtola 49. libri 13.

CAuſam quæ inter dilectos filios Ottonem Subdiaconum noſtrum & Walterum, qui pro Præpoſito Magdeburgenſi ſe gerit, ſuper Magdeburgenſi præpoſitura dinoſcitur agitari, tibi dudum, fili magiſter Nicolae, & bonæ memoriæ Broccardo Vvrcinenſi Canonico de partium voluntate ſub certa forma meminimus commiſiſſe, vobis inter cetera injungentes quòd ſi quicquam humanitus alterutri veſtrum contingeret, ut mandato noſtro fideliter exequendo, ſicut uterque veſtrum juramento præſtito tenebatur, uſque ad Kalendas Octobris proximò præteritas intereſſe non poſſet, ex tunc dilectus filius Florentius Abbas de Sichem, omni contradictione vel appellatione ceſſante, quæ vobis injuncta fuerant cum reliquo veſtrum earundem litterarum auctoritate exequi procuraret. Interim verò prædicto Broccardo

subtracto de medio, Subdiaconus memoratus nobis exposuit se habere præfatum Abbatem certa ratione suspectum, nobis humiliter supplicans ut loco præfati B. subrogare alium dignaremur. Nos igitur attendentes nullum ex hoc præjudicium parti alteri generari, ut judicium sine suspicione procedat, te, fili magister Arnalde, obtentu prædicti O. loco præfati B. duximus subrogandum, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatinus in ipso negotio juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quòd si alteruter vestrum his exequendis noluerit vel nequiverit interesse, loco ejus à parte sua infra triduum alius eligatur; & si pars illa noluerit eligere, vel electus ab ea procedere non curaverit, residuus nihilominus in causa procedat. Nisi verò tu, fili Arnalde, simile præstiteris juramentum, tu, fili magister Nicolae, à juramento quod præstitisti te noveris absolutum. Datum Laterani II. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quartodecimo.

AVXITANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 32. Vt cedat oneri episcopali. *Vide lib. 5. epist. 96. & lib. 16. epist. 5.*

SIcut is qui sufficiens est ad curam sollicitudinis pastoralis, si forsan episcopatum affectet, desiderat bonum opus, sic is qui non sufficit ad hujusmodi oneris sarcinam supportandam, utiliter sibi consulit, si eandem priùs cautè deponat quàm sub ea in suum & aliorum dispendium comprimatur. Cùm igitur ad pontificalis curam regiminis cognoscere te debeas minùs aptum, fraternitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus salutem tuam & aliorum lucris temporalibus anteponens, & compatiens nihilominus contritioni Ecclesiæ Auxitanæ, quæ sub tuæ provisionis umbra in temporalibus & spiritualibus grauiter est collapsa, pontificalem curam spontaneus resignare procures, ut ex hoc divinam & apostolicam gratiam tibi valeas comparare. Alioquin, cùm tam tuæ saluti quàm Ecclesiæ memoratæ utilitati ex apostolicæ teneamur servitutis officio providere, super hoc, prout expedire viderimus, disponemus. Datum Laterani XVII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

In eundem modum scriptum est Episcopo Valentinensi. Scriptum est etiam in eundem ferè modum venerabili fratri Vticensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis, ut dictum Archiepiscopum ad id moneant efficaciter & inducant. Datum ut in alia.

Epist. 9. Super [illegible]

IN *eundem modum scriptum est sicut in prima Episcopo Ruthenensi usque* procures, cùm jam dudum ad tuam instantiam cedendi tibi licentiam per nostras duxerimus litteras concedendam. Alioquin, ne videaris nobis forsitan illusisse, venerabili fratri nostro Vticensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis litteris nostris injungimus ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis Legatis in eundem ferè modum super hoc. Quòd si non ambo &c. alter &c. Datum ut in alia.

VTICENSI EPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 10. De electione Episcopi Carcassonensis.

CVm venerabilis frater noster Carcassonensis Episcopus, supportare nequiens sarcinam sollicitudinis pastoralis, multis incommodis & defectibus præpeditus, officij sui curam resignare disponat, sicut per tuas litteras nobis intimasti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cessionem ipsius accipiens vice nostra, ipsum à cura Ecclesiæ Carcassonensis absolvas, ejusdem Ecclesiæ Capitulo injungendo ut infra octo dies post commonitionem tuam cum tuo consilio talem sibi personam eligant in pastorem per quam hoc tempore maximè Carcassonensi Ecclesiæ utiliter consulatur, alioquin ex tunc personam idoneam appellatione remota præficias Ecclesiæ memoratæ; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum ut in alia.

Scriptum est super hoc Carcassonensi Capitulo in eundem ferè modum usque compescendo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus talem vobis personam juxta præscriptam formam eligatis canonicè in pastorem quæ tanto congruat oneri & honori. Datum ut in alia.

VTICENSI EPISCOPO & Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 11. Vt comitatum Melgoriensem recipiant.

PRæsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatinus comitatum Melgoriensem, qui beati Petri juris existit, in vestris recipiatis manibus, & tamdiu faciatis fideliter custodiri donec super eo nostræ rescripserimus beneplacitum voluntatis. Datum ut in alia.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. 36. De sententia lata contra Comitem Tolosanum.

CVm expectaverimus hactenus ut nobilis vir Raymundus Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera commonitionum nostrarum rivulis irrigata, fructus ederet opportunos, & tamquam princeps catholicus honoraret sanctam Ecclesiam sponsam Christi, ipse pravo circumventus consilio, non solùm damna sterilitatis incurrit, ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ expectatos fructus nullatenus producendo, verùm etiam dispositionibus ecclesiasticis nequiter se opponit, contra promissa & juramenta sua veniens impudenter. Vnde cùm in ipsum à venerabili fratre nostro Episcopo Vticensi & dilecto filio Cisterciensi Abbate apostolicæ sedis Legatis de multorum Prælatorum consilio sententia promulgata fuerit ob ejusdem contumaciam manifestam, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter promulgatam publicari per vestras dioceses faciatis, & appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

EISDEM.

Epist. 37. Super eodem.

CVm expectaverimus &c. *usque* manifestam, & nos mandemus eandem sententiam usque ad satisfactionem condignam appellatione remota firmiter observari, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ad recuperanda castra & alias possessiones & terras quæ ab Ecclesiis vestris tenet insistatis viriliter & prudenter.

VIVARIENSI EPISCOPO.

Epist. 38. Super eodem.

CVm expectaverimus hactenus ut nobilis vir R. Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque in finem.* Datum ut in alia per totum.

VTICENSI EPISCOPO & Abbati Cistercienſi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 39. Ne indebita pedagia exigantur.

CVm in nobiles viros Comitem Folcalcarienſem, G. Ademari, Lambertum de Montilio, Dominos & Dominas Castri novi & Dozaræ, Silvium de Crista, Alasiam de Roca, Præpositum Valentinenſem, Artaldum de Russillon, .. fratrem ipsius, & quosdam alios, propter pedagia, exactiones indebitas, & alias iniquitates quas in stratis publicis & fluminibus committere non verentur, à te, fili Abbas, de multorum Prælatorum consilio sententia fuerit promulgata, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter latam faciatis appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

EISDEM.

Epist. 40. De sententia lata contra Roncelinum.

CVm in Roncelinum apostatam & perjurum & cives Massilienses, pro eo quòd ei obediunt & favent in suis abominationibus manifestè, à vobis de multorum Prælatorum consilio &c. *ut in alia usque in finem.* Datum Laterani x v i i. Kal. Maij, anno quartodecimo.

CAPITVLO ECCLESIÆ Romanensis.

Epist. 41. Confirmantur eis regalia dona.

IVstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, regalia vobis ab Imperatoribus & aliis Principibus secularibus, in foro videlicet & in nundinis, necnon & transitu fluminis Isaræ, pia vobis devotione concessa, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x i i i. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EISDEM.

Epist. 42. Confirmantur eorum statuta.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, laudabiles & honestas consuetudines ac statuta quæ ad Ecclesiæ vestræ utilitatem providè facta esse noscuntur, sicut hactenus pacificè sunt obtenta, & in authenticis super his confectis pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia per totum.

GNEZNENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 43. De confirmatione privilegiorum.

CVm illius locum, licèt immeriti, teneamus in terris qui sanctam Ecclesiam sponsam suam absque macula & ruga conservat, his nos convenit ex officij nostri debito robur apostolicum impertiri quæ ad statum ipsius pertinent & quietem & ad conservationem ecclesiasticæ libertatis. Cùm igitur dilecti filij nobiles viri Lesco, Conradus, & Vvadislavus Oddonis, Duces Poloniæ, tibi & suffraganeis Ecclesiæ tuæ necnon & successoribus vestris privilegium super ecclesiastica libertate pia devotione ad statum debitum revocando concesserint, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsorum, sicut piè ac provide facta est, ac in authenticis continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Quia verò in eodem privilegio est expressum ut si aurum vel argentum sive pretiosas vestes aut palafridos decedentium Episcoporum supradicti Duces invenerint, & Episcopus decesserit intestatus, in usus suos omnia convertantur, dum tamen hoc ipsum eis à nobis fuerit vel à Legato nostro concessum, dictis Ducibus consulimus & mandamus ut nequaquam in usus suos supradicta convertant, cùm id in suæ salutis cederet detrimentum, sed Ecclesiæ cui defunctus Episcopus præfuit illa faciant integraliter assignari. Nulli ergo &c. confirmationis & jussionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO QVONDAM Halberstatensi, & Abbati de Sichem.

Epist. 44. Scribitur ei pro Archiepiscopo Gneznensi.

IS qui paci ecclesiasticæ invidet & quieti quam in cœlis non potuit sua præpediente malitia retinere, non solùm adversarios manifestos sæpe concitat contra ipsam, verùm etiam proprios filios ad molestationem ipsius nonnunquam instigat, à quibus defensionis præsidia expectabat; ut eo dispendiosior sit illius infestationis offensa, quò minùs de ipsius molestia timebatur. Sanè, sicut venerabilis frater noster Gneznensis Archiepiscopus gravi nobis conquestione monstravit, nobilis vir Vvadislavus Dux Poloniæ, qui diuturnis eum injuriis & molestiis lacessivit, dudum thesaurum Gneznensis Ecclesiæ occupavit, ex hoc damna ipsi gravia inferendo, quasdam insuper villas Ecclesiæ memoratæ combussit, & quibusdam aliis nequiter devastatis, multa Canonicis & hominibus Gneznensis Ecclesiæ damna & injurias irrogare præsumpsit; homines quoque de Gnezna ad eandem Ecclesiam pertinentes bonis suis per violentiam spoliavit postquam idem Archiepiscopus iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi. Cùm igitur dissimulare tot ejusdem Ecclesiæ gravamina nequeamus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatinus eosdem Archiepiscopum atque Ducem personaliter, secundùm quòd in prioribus litteris nostris vobis injunximus, adeuntes, dictum Ducem ut eidem Archiepiscopo & suis hominibus super datis damnis & injuriis irrogatis satisfaciat competenter, ablatis omnibus restitutis, monere prudenter & inducere procuretis, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita ratione prævia compellentes. Testes autem &c. *usque* perhibere. Datum ut in alia per totum.

ABBATISSÆ AVREGNIACENSI.

Epist. 45. Ne monasterium tuum excommunicetur.

EX assuetæ benignitatis officio sedes apostolica consuevit eas quæ montana religionis ascendunt, ut cum Maria secus pedes Domini sedeant, confovere, ac illis, ne cujusquam temeritatis incursu quies vel profectus impediatur earum, apostolicum præsidium impertiri. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuæ ac monasterij tibi commissi tranquillitati paterna volentes sollicitudine præcavere, auctoritate præsentium inhibemus ne diocesanus Episcopus vel Archidiaconus loci seu quilibet alius ordinarius judex sine manifesta & rationabili causa in te vel monasterium tibi commissum excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare præsumat, statuentes ut si te in aliquo gravari persenseris, liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare. Si quis verò post appellationem ad nos legitimè interpositam in te vel Ecclesiam tuam excommunicationis vel interdicti sententias contra præscriptam formam præsumpserit promulgare, ipsas decernimus non servandas. Nulli ergo &c. inhibitionis & constitutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v. Kal. Maij, anno quartodecimo.

ABBATISSÆ AC CONVENTVI Auregniacensi.

Epist. 46. Ne quid exigatur præbendictione Abbatissæ &c.

IVstis petentium desideriis &c. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate præsentium inhibemus

ne pro consequenda benedictione vel installatione Abbatissæ monasterij vestri, quæ benedicenda pro tempore fuerit, consecrationibus altarium vel Ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento diocesanus Episcopus vel Archidiaconus loci sub obtentu consuetudinis vel quolibet modo alio quicquam exigere vel extorquere præsumant; sed hæc omnia gratis & sine pravitate qualibet vobis impendant. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum ut in alia per totum.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Quintini Belvacensis.

Epist. 47. De electione Abbatis.

IVstis petentium &c. Cùm igitur, sicut ex parte vestra nostro est apostolatui reseratum, à felicis recordationis Alexandro & Clemente Romanis Pontificibus vestro monasterio sit indultum ut obeunte ipsius loci Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum, & inter vos ac venerabilem fratrem nostrum Belvacensem Episcopum super possessione electionis Abbatis in monasterio vestro dudum quæstione suborta, & per dilectos filios Abbatem de Briostel Cisterciensis ordinis, M. Præpositum Remensem, R. Meldensem Decanum ex delegatione dilecti filij nostri Gualæ tituli sancti Martini Presbyteri Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati de voluntate ipsius Episcopi taliter extiterit causa ipsa sopita, ut eligendi Abbatem plenam habeatis & liberam facultatem, petita tamen priùs à Belvacensi Episcopo licentia eligendi, nos vestris precibus inclinati, quod per eosdem judices super hoc est cum Episcopi memorati assensu deliberatione provida diffinitum, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus; inhibentes ne quis contra diffinitionem hujusmodi super Abbatis electione vos audeat molestare. Nulli ergo &c. confirmationis & inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO BRIXINENSI, & Aquilegensi Decano, & magistro Hug. Canonico Ratisponensi.

Epist. 48. De causa Capituli Gurcensis. Vide lib. 10. epist. 54. & lib. 11. epist. 99.

DIligenter auditis & perspicaciter intellectis quæ à dilecto filio procuratore venerabilis fratris nostri Salzeburgensis Archiepiscopi ex parte una & procuratore Gurcensis Capituli ex parte altera super excommunicationis sententia quam idem Archiepiscopus in ipsum Capitulum promulgavit fuere proposita coram nobis, sic duximus providendum, ut cùm à tribus ex majoribus ipsius Ecclesiæ Canonicis fuerit requisitus, infra quindecim dies ipsum Capitulum absovi faciat ad cautelam, mittens aliquem ad Gurcensem Ecclesiam qui recepta secundùm formam Ecclesiæ juratoria cautione quòd nostro vel vestro mandato parebit, eidem Capitulo beneficium absolutionis impendat; exceptis Præposito & V. & F. Canonicis, qui de mandato nostro fuerunt apud sedem apostolicam absoluti; ac deinde coram vobis, quibus hoc negotium duximus committendum, tam de principali causa quàm de ipsa sententia necnon & de Ecclesia sancti Laurentij, qua post commissionem factam à nobis & post appellationem ad nos interpositam spoliati fuerunt per nuntios ipsius Archiepiscopi, cognoscatur, & si de partium voluntate processerit, fine canonico terminetur; alioquin negotium ipsum sufficienter instructum ad nostrum remittatur examen, præfixo partibus termino competenti quo nostro se conspectui repræsentent justam auctore Deo sententiam recepturæ; quòd si infra præscriptum tempus Archiepiscopus ipse non fecerit illos absolvi, per dilectum filium Iunensem Præpositum Aquilegensis diocesis eos absolvi jubemus. Ceterùm interrogatus in judicio coram nobis procurator Gurcensis Episcopi utrum idem Episcopus pro excommunicato se haberet, respondit quòd revera Salzeburgensis Archiepiscopus excommunicavit Episcopum & Capitulum quarta feria, & post tertiam vel quartam diem dedit ipsi licentiam audiendi divina & ut divinis officiis interesset, quia ipse propter debilitatem manus celebrare non potest; & ex tunc divina sibi fecit officia celebrari, & exercuit ea quæ consueverat exercere. Nos autem interloquendo respondimus quòd si res taliter se haberet, Episcopus idem pro absoluto esset habendus, nisi postea excommunicationis sententiam excepisset. Testes autem qui fuerint nominati &c. *usque* perhibere, nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani II. Non. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ABBATI ET CONVENTVI monasterij Caurien sis.

Epist. 49. Recipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, monasterium & personas vestras cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum dante Domino justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem villas sancti Tirsi, sanctæ Mariæ de villa Cibran, sancti Salvatoris de Cinvio, sancti Michaëlis de Varzen, sancti Salvatoris de Bergundio, sancti Michaëlis de Canneru, sancti Antonini de Villanova, sanctæ Mariæ de Miudes, & sancti Salvatoris de Mari mortuo, cum omnibus pertinentiis earundem, & universas possessiones vestras, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus à sede apostolica protectionis & confirmationis perceptæ duos obolos aureos gratis oblatos persolvetis nobis nostrisq; successoribus annuatim. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. confirmationis & protectionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*SORORIBVS DE *MVRCEDO.*

* *Cod. Colbert.* Murdeco.

Epist. 50. Confirmatur quoddam statutum.

IVstis petentium desideriis &c. Cùm igitur dilectus filius Albanensis electus ad locum vestrum, in quo relictis seculi vanitatibus Domino militatis, de mandato nostro dudum accedens, quoddam fecerit institutum, secundùm quod vivere debeatis, nos vestris supplicationibus inclinati, institutum ipsum, sicut piè ac providè factum est, approbantes, illud statuimus robur debitum obtinere, inhibentes ne quis contra illud vos audeat molestare. Nulli ergo &c. constitutionis & inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VII. Idus Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NOBILI VIRO WLADISLAO nato quondam nobilis viri Oddonis Ducis Poloniæ.

Epist. 51. Recipitur sub protectione beati Petri.

CVm à nobis petitur &c. Eapropter, dilecte in Domino fili, devotionis tuæ sinceritatem quam circa libertatem ecclesiasticam geris, & quam Ecclesiis & personis ecclesiasticis in tuo ducatu recognovisse dinosceris, attendentes, ut ab Ecclesia protectionis gratiam sentias quam satagis honorare, personam tuam cum universis bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus à sede apostolica protectionis perceptæ quatuor marcas gratis oblatas singulis trienniis nobis nostrisque successoribus persolves. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Idus Maij, anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI & suffraganeis ejus.

Epist. 52. De regno Philippi relatum & Ambasiatoribus. Vide l. 1. epist. 190. 96.

ILle sinceræ dilectionis affectus qua carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris zelamur salutem nos vehementer inducit ut si quando contra rationes & libertates ecclesiasticas, quas in regno suo illæsas hactenus custodivit, aliquid dicitur commississe, apud ipsum opportunè importunè monitis & precibus insistamus; quatinus illius intuitu in cujus oculis nuda sunt omnia & aperta, qui propter progenitorum suorum devotionem & suam Ecclesiæ suæ reverenter exhibitam regnum suum custodivit illæsum, quin etiam magnificè augmentavit, contritis graviter regnis illis quorum Reges rationes & libertates ecclesiasticas infringere præsumpserunt, illud corrigat & emendet, vincens salubriter semetipsum pro Deo & propter Deum; cùm sic vinci sibi non cedat ad dedecus, sed potiùs ad honorem, sitque nihilominus sibi apud homines magis quàm vincere gloriosum. Sanè cùm dudum nostris fuisset auribus intimatum quòd ipse contra venerabiles fratres nostros Antisiodorensem & Aurelianensem Episcopos indignatus, rem agi præceperit non utique sui moris, sed nec etiam sui juris, eorum faciens saisiri regalia, necnon etiam quædam alia præter illa, licèt nondum essent confessi de forisfacto aliquo vel convicti, nec ad satisfaciendum commoniti vel inducti, pro eo quòd quidam Milites eorundem in suo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperat cum aliis accedere recusarunt, absentibus ipsis Episcopis per licentiam ab ipso liberaliter impetratam, ac super his ipsorum & vestris supplicationibus minimè acquiescens coegerit eos miserabiliter exulare, nos serenitatem suam rogandam duximus & monendam, & in remissionem sibi suorum injunximus peccatorum, ut pro divini nominis gloria

&

& apostolicæ sedis honore faceret præfatis Episcopis subtracta restitui universa, & eos secundùm consuetudinem approbatam justè ac modestè tractari, donando nobis intercedentibus pro Deo & propter Deum si quam præfati Pontifices adversùs eum commisissent offensam, ne hac occasione contigeret inter regnum & sacerdotium scandalum suboriri, quia nos in majoribus curaremus grata eidem faciente Domino vicissitudine respondere. Ipse verò inter cetera per suas litteras se excusavit quòd alia quàm regalia saisiri non fecerat, nec ipsos coëgerat exulare, cùm libere possent in suis diocesibus commorari, & si super his curiæ suæ vellent subire judicium, quod quandoque acceptarent audire, ob reverentiam nostram condonare paratus erat emendam, si forsitan tenerentur sibi aliquam exhibere. Licèt autem iidem Episcopi in regno suo liberè commorentur, ex eo tamen exules possunt dici quòd à propriis domibus sunt ejecti & rebus aliis spoliati. Alia etiam quàm regalia saisisse videtur, cùm domos episcopales, quæ eadem immunitate qua Ecclesiæ gaudent, & eorum utensilia & mobilia undecunque deducta fecerit occupari. Iudicium autem spoliati subire non debent, cùm ex generali, sicut accepimus, consuetudine regni sui fidelis à domino sine judicio spoliatus nec diem ab ipso super spoliatione sua vel alio teneatur recipere, nec in ipsius curia experiri, nec etiam vinculum fidelitatis servare. Cùm igitur super prædictis se duxerit excusandum, & illud silendo transierit quòd eorum fecit saisiri regalia, cùm necdum de aliquo forisfacto confessi fuerint vel convicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti vel inducti, tacitè id concessisse videtur. Quod etiam ex tenore litterarum suarum, quas præfatis Episcopis direxit, evidenter apparet; in quibus continetur expressè quòd militibus eorum præceperat ut irent cum Baronibus illis quos ad quendam locum duxerat destinandos; & quia illi ad præceptum ipsius illuc accedere noluerunt, dixit ipsos Episcopos erga se de exercitu defecisse, & propterea illorum saisivit regalia & illa quæ in eis pertinent ad jurisdictionem terrenam. Vnde præsumitur qnòd in causa & modo minùs ordinatè processerit contra eos, cùm pro aliena culpa, videlicet militum, si qua fuit, spoliasset eosdem non convictos nec monitos vel citatos. Verùm quia suæ saluti magis expedit & honori ut intuitu pretiosi sanguinis Iesu Christi, quo sibi sponsam suam, Ecclesiam videlicet, desponsavit, eidem condonet si ab ipsius ministris in ipsum aliquid sit commissum quàm illi molestiam inferat indebitam vel gravamen, apud eum iterata partium instantia duximus insistendum, excellentiam regiam rogantes attentiùs & monentes, hoc à sua magnificentia petentes in donum, ut pro reverentia nostra judicio super sedeat, salvo jure tam illorum quàm suo, illosque restituat, donata nobis emenda, sicut per litteras suas promisit, si quam sibi exhibere tenentur; ut ex quo intendit facere nobis gratiam, faciat eam plenam, prout eum facere ac nos recipere decet; ita quòd propter hoc magnificentiæ suæ grata teneamur vicissitudine respondere. Credentes igitur prudentiam & sollicitudinem vestram apud eundem Regem posse proficere in hac parte, fraternitati vestræ per iterata scripta præcipiendo mandamus quatinus dictum Regem ad ea quæ pacis sunt sollicitè ac prudenter rogantes, ipsum sedulis exhortationibus & monitionibus inducatis ut nostris precibus acquiescens exequatur promissa liberaliter ac libenter, ut ex hoc divinam consequatur gratiam in præsenti & gloriam in futuro; exhibentes auctoritate nostra suffulti prædictis Episcopis auxilium & consilium necessarium ad libertatem ecclesiasticam conservandam; ita ut non debeatis de timiditate vel remissione redargui, sed de rigore ac sollicitudine commendari. Datum Laterani II. Idus Maij, pontificatus nostri anno XIV.

Scriptum est in eundem ferè modum super hoc Regi usque grata teneamur vicissitudine respondere. *In eundem ferè modum ut suprà scriptum est Carnotensi & Trecensi Episcopis & dilecto filio Willelmo Archidiacono Parisiensi usque* gloriam in futuro, ac sollicitudo & diligentia vestra clareat in effectu, cumulusque vobis ex hoc æternæ retributionis accrescat, & nos devotionem vestram possimus non immeritò commendare. Datum ut in alia.

TVRRITANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 53. Datur Episcopo Sorrano facultas cedendi.

SVpplicavit nobis venerabilis frater noster Sorranus Episcopus ut ei cedendi licentiam concedere dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si videris expedire, cùm etiam dilectus filius nobilis vir Turritanus judex sæpius hoc per suas litteras nos rogarit, eidem auctoritate nostra licentiam cedendi concedas, injungens eidem ut ad claustrum suum redeat & ibi-

dem suum impendat Domino famulatum. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Reomensi.

Epist. 54. Adversùs exactiones Episcoporum. *Vide infrà epist. 56.*

CVm à nobis petitur quod justum est &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, præsentium auctoritate districtiùs inhibemus ne venerabiles fratres nostri Lugdunensis Archiepiscopus & Episcopus Lingonensis vel aliquis vester Prælatus procurationes aut exactiones indebitas à vobis extorquere præsumat, sed his quæ juxta Lateranensis statuta Concilij debentur eisdem contenti existant; statuentes ne aliquis in vos vel villas vestras sine manifesta & rationabili causa excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam audeat promulgare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. inhibitionis & constitutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VIII. kalen. Iunij, anno quartodecimo.

ABBATI THEOLOGI, & Priori Cistercienſi.

Epist. 55. De reformatione monasterij Reomensis. *Vide infrà epist. 61.*

QVotiens per suggestionem falsitatis & veritatis suppressionem circumvenire nos aliqui satagunt, circumveniunt potiùs semetipsos: quia cognita veritate, quicquid taliter impetrant, nullius decernitur esse valoris, cùm mendax precator carere debeat impetratis. Sanè cùm olim ad nostram audientiam pervenisset quod Reomense monasterium tam in spiritualibus quàm in temporalibus non modicùm foret collapsum venerabili fratri nostro Eduensi Episcopo & dilecto filio Abbati de Buxeria dedimus in mandatis ut ad idem monasterium accedentes, quæ ibidem corrigenda essent corrigerent tam in capite quàm in membris. Ipsi verò, sicut ex litteris eorum accepimus, mandatum apostolicum exequentes, ad locum personaliter accesserunt, & inquisitione præhabita diligenti, præfatum monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus invenerunt multò meliùs se habere quàm se longè retroactis temporibus habuisset. Quosdam etiam de fratribus, qui cum dilecto filio ejusdem cœnobij Abbate discordes erant, ad veram pacem & firmam concordiam revocarunt. Nuper autem nuntius venerabilis fratris nostri Episcopi Lingonensis ad præsentiam nostram accedens, à nobis inquisitionem contra dictum Abbatem ad vos, prædictorum mentione non habita, impetravit. Cùm igitur, sicut ex multorum religiosorum virorum testimonio necnon & Capituli Reomensis accepimus, idem Abbas monasterium ipsum, sicut vir providus & discretus, tam in spiritualibus quàm in temporalibus per Dei gratiam non modicùm augmentarit, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus supersedentes negotio memorato, in facienda inquisitione auctoritate litterarum nostrarum nullatenus procedatis, ne innocentia confundatur aut veritas conculcetur. Datum ut in alia per totum.

SANCTÆ COLVMBÆ Senonensis & sancti Germani Antisiodorensis Abbatibus, & Decano Antisiodorensi.

Epist. 56. Epistolam quæ sequitur cum prædicta.

CVm dilectis filiis Abbati & monachis Reomensibus duxerimus indulgendum ne venerabiles fratres nostri Lugdunensis Archiepiscopus & Episcopus Lingonensis vel aliquis eorum Prælatus procurationes aut exactiones indebitas ab ipsis extorquere præsumat, & districtiùs inhibuerimus auctoritate apostolica statuendo ne aliquis in eos vel villas ipsorum sine manifesta & rationabili causa excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiam audeat promulgare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus illos qui contra inhibitionem & constitutionem nostram duxerint temerè veniendum, ut ab hujusmodi præsumptione desistant, censura canonica sublato appellationis obstaculo compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XVI. Kal. Iunij, anno XIV.

TOLETANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 57. Exercite se quod compellat de primatu judicant. *Vide lib. 6. epist. 5.*

QVòd petitiones quas obtulisti nobis per M. Clericum tuum super negotio primatiæ nondum admisimus, non ex duritia, sed ex providentia noveris processisse, cùm & in his & in aliis opportuno tempore te velimus, quantum cum Deo possumus, exaudire. Sed cùm ex Sarracenorum incursu grave nunc timeatur Hispaniæ dispendium imminere, non oportet occasione hujusmodi primatiæ aliud in Hispania modò scandalum suscitari; præsertim cùm tibi jus tuum minimè negligenti providentiam ipsam nolimus esse damnosam. Ejus igitur exemplo qui ait, *Cùm accepero tempus, ego justitiam judicabo*, cùm opportunum tempus advenerit, tibi judicium & justitiam faciemus. Datum La-

terani Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI Portugaliæ.

Epist. 58. Confirmat ejus testamentum. Vide infrà epist. 60. 113. & 122.

IS qui tangit montes & fumigant cor tuum tetigisse videtur ad pœnitentiam salutarem, dum corporali ægritudine te affligens, ad sanandas spirituales ægritudines te induxit; quatinus recogitando annos tuos, in amaritudine animæ tuæ pro excessibus tuis, quibus creatorem tuum multipliciter offendisti, offerres ei sacrificium vespertinum. Vnde licèt infirmus corpore, animo tamen sanus, legitimum condidisti, sicut accepimus, testamentum; in quo, pro tuorum remedio peccatorum, piis locis & viris religiosis necnon infirmis & indigentibus multa legasti; de filiis & filiabus, nepotibus & neptibus tuis, necnon & aliis quibusdam personis, ac etiam ipso regno provida deliberatione disponens. Quæ omnia suppliciter postulasti per sedem apostolicam confirmari, sicut in scriptis authenticis continentur expressa. Nos autem ipsius seriem testamenti coram nobis perlegi fecimus diligenter, & intelleximus omnia rite disposita; illis duntaxat exceptis quæ de quibusdam monasteriis disponere præsumpsisti, nisi forsan de jure intellexeris patronatus, cùm juxta canonicas sanctiones nulla sit laicis de rebus ecclesiasticis attributa facultas disponendi. Quare tuis supplicationibus inclinati, testamentum ipsum in ceteris omnibus approbantes, illud juxta finale tuæ dispositionis arbitrium statuimus & præcipimus inviolabiliter observandum. Nulli ergo &c. approbationis, constitutionis, & præceptionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VI. Kalen. Iunij, anno quartodecimo.

SANCIO ILLVSTRI REGI Portugalensi.

Epist. 59. Super eodem & alia. Vide supra epist. 1. & lib. 1. ep. 59. & lib. 2. ep. 24.

EX tenore litterarum tuarum accepimus evidenter quòd cùm apostolica sedes inclitæ recordationis Adelfonsum progenitorem tuum nomine regio ac regalibus insigniis decorarit, & ipsum ac successores suos adoptans in beati Petri filios speciales, eos & regnum Portugalense specialibus privilegiis suaque protectione curaverit communire, tu in regno Domino disponente succedens eidem, ad clementiam ejus recurris sub confidentia speciali, non hæsitans ullo modo te ab ipsa in justis petitionibus exaudiri. Inde est quòd volens animæ tuæ saluti & regni tibi commissi tranquillitati consulere, necnon in posterum tuo generi providere, ne intestatus decederes, de rebus tuis mobilibus & immobilibus testamentum, Episcoporum & Baronum terræ tuæ consilio, ac assensu etiam primogeniti filij tui, qui tibi debet in regno succedere, condidisti, postulans illud per sedem apostolicam confirmari, ne ipsum cujusquam temeritas violare præsumat. Et quoniam ex humana fragilitate pro violenta Clericorum & religiosorum virorum captione in canonem sæpius incidisti sententiæ promulgatæ, in gravi adeo ægritudine constitutus quòd de proprij corporis salute desperas, à venerabili fratre nostro Bracarensi electo absolutionem humiliter postulasti; qui tibi eandem impendit juxta formam Ecclesiæ consuetam. Verùm quia nullatenus dubitas quin quod in excessibus hujusmodi & aliis quampluribus, quæ instigante humani generis inimico te commisisse vehementissimè doles, divinam gravissimè offenderis majestatem, nobis humiliter supplicasti ut pœnitentiam tibi à præfato electo injunctam & absolutionem impensam ratam dignaremur habere, teque absolvere à debito quo teneris pro excessibus memoratis apostolicam sedem adire. Nos igitur existimantes præfatum electum, utpote virum providum & honestum, circa te in prædictis providè processisse ac maturitatem debitam observasse, processum ejus ratum habentes, serenitati tuæ duximus injungendum ut injunctam tibi ab eo pœnitentiam salutarem humiliter exequaris. Et quoniam saluti tuæ credimus expedire ut ea quæ pro tuorum peccatorum remedio in testamento legasti, te vivente facias erogari, excellentiæ tuæ consulimus bona fide ut id adimpleri facias cùm præsens vita vegetat tuos artus, non expectans ut post mortem tuam ea alij exequantur quæ potes facere per te ipsum. Datum Laterani VII. Kalen. Iunij, anno quartodecimo.

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO, & Bracarensi electo, & Zamorensi Episcopo.

Epist. 60. Vt faciant observari testamentum Regis.

IS qui tangit montes & fumigant cor carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Portugaliæ tetigisse videtur ad pœnitentiam salutarem; dum ipsum affligens ægritudine corporali, eundem ad sanandas ægritudines spirituales induxit; quatinus &c. *in eundem ferè modum ut in* prima usque* illis duntaxat exceptis quæ de quibusdam monasteriis ordinare præsumpsit, nisi for-

* Supra ep. 58.

san de jure intellexerit patronatus, cùm juxta canonicas sanctiones &c. *in eundem ferè modum ut in eadem usque* inviolabiliter observandum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus testamentum ipsius faciatis auctoritate nostra firmiter observari, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescendo. Quòd si non omnes &c. singuli vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani VI. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

GVIDONI ABBATI MONASTERII sancti Iohannis Reomensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 61. De confirmatione privilegiorum. *Vide supra epist. 54. & segq.*

DEsiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, actore Deo sine aliqua est dilatione complendum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum beati Iohannis monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, glorioſorum virorum Clodouei & Karoli & aliorum Regum Francorum præceptis munitum, & fratrum nostrorum Segoaldi, Brunonis, Ioceranni, Guillenci, & aliorum Lingonensium Episcoporum scriptis roboratum, ad exemplar patrum & prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis * Alexandri, Innocentij, & Eugenij Romanorum Pontificum, cum possessionibus & bonis suis sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum &c. *usque* illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam videlicet de villa quæ dicitur Corpus sancti, Ecclesiam Atreiensem, Ecclesiam sancti Georgij de Simiriaco, Ecclesiam de Birriaco, Ecclesiam de Vineis, Ecclesiam de Trultriaco, Ecclesiam de Asiaco, Ecclesiam de Niudis, Ecclesiam de Asinariis, Ecclesiam de Cortemmiaco, Capellam Montis Barri, Ecclesiam de Buciaco, Ecclesiam de Riciaco, Ecclesiam de * Villiaco, Capellam sancti Medardi, Ecclesiam de Scolis, Ecclesiam Estivei, Ecclesiam Camedonensem, Ecclesiam de * Stez, Ecclesiam de Beleun cum Capella de Reu, Ecclesiam de Barro cum Capella de Torceio, quicquid juris habetis in villis sancti Remigij, videlicet Betfontis, Visarnei, Teleliaci, quicquid etiam frater noster Godefridus Lingonensis Episcopus vobis justè concessit & scripto suo firmavit. In Eduensi episcopatu Ecclesiam de Ionaio, Ecclesiam de Suinciaco, Ecclesiam de sancto Germano de * Mondavit, Ecclesiam de Tisiaco, Ecclesiam sanctæ Magnentiæ, Capellam de Rouredo, Ecclesiam de Cadriaco cum Capella ejusdem villæ, Ecclesiam sancti Medardi, Ecclesiam sanctæ Mariæ in villa Iovis. In episcopatu Matisconensi, in Saturniaco Ecclesiam sancti Andreæ cum Capella sancti Leodegarij, Ecclesiam sancti Martini de Cereis cum Capellis ad eam pertinentibus, Capellam de * Bucheriis cum appendiciis suis. In episcopatu Nivernensi monasterium sancti Petri de Glanno. In Tullensi episcopatu Ecclesiam sancti Stephani. Concordiam præterea inter vos & sorores Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Rubeomonte de parrochia Asiaca à fratre nostro Gottefrido Lingonensi Episcopo utriusque partis assensu rationabili providentia factam favoris nostri munimine roboramus. Ex donatione Galteri quondam Lingonensis Episcopi Ecclesiam de villa Morien. cum appendiciis suis. Ex donatione Manasserij quondam Lingonensis Episcopi Ecclesiam de Marmajaus, Ecclesiam de Santingne, Ecclesiam de Pise cum appendiciis suis, Capellam sancti Thomæ apud * Montem Barrum, Ecclesiam de Columble. Ex donatione Hilduini quondam Lingonensis Episcopi domum Dei de Espessia. Ex donatione Hugonis quondam Ducis Burgundiæ gestium quod habebat in villa monasterij sancti Iohannis, & domum beati Thomæ juxta Capellam apud Montem Barrum, furnagium hominum ultra pontem manentium, jus quòd nullus ibi furnum ædificet præter vos, pressoria Montis Barri, & proventus ipsorum. Ex donatione Oddonis Ducis Burgundiæ filij prædicti Hugonis gestia quæ habebat in villis, scilicet Vineis, Barro, & Atheis, tam in hominibus vestris quàm in hominibus quorumlibet aliorum. Ex donatione Galteri quondam Lingonensis Episcopi, in Ecclesia de Espoſſe quatuor libras, in Ecclesia de Pise quatuor libras, in Ecclesia de Columble quadraginta solidos monetæ * Divionensis. Compositionem quoque inter vos & Canonicos de Espissia super decem libris censualibus usualis monetæ per terram nobilis viri Ducis Burgundiæ & aliis rebus, sicut in authentico Hilduini quondam Lingonensis Episcopi continetur, ra-

* *Apud Rocuinum pag. 141. Innoc. Eng. Alexandri & alior. Pont.*

* Iulliaco

* Eſſet

* Mondeu

* Bucheris

* Tuit

* Diuio. Co

tionabili providentia factam, necnon & compositionem inter vos & nobilem virum Guidonem de Capis super Capella quam idem nobilis construxit apud * Iuleium, sicut providè factæ sunt & ab utraque parte sponte receptæ. Ad hoc etiam prohibemus ne aliquis monachus vel conversus sub professione &c. *ut suprà epist.* XXIII. *usque* respondere. In parrochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere & diocesano Episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat; ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. *usque* providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica *usque* æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij II. Kal. Iunij, Indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCCXI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimoquarto.

* Iuliacum

GVIDONI ABBATI monasterij sancti Michaelis de Tornodoro, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. ea. lege eodem.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter &c. *usque* clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentij, Lucij, & Clementis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præfatum monasterium sancti Michaëlis de Tornodoro, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona &c. *ut in alio privilegio usque* illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum terris, hominibus in eodem burgo manentibus, & aliis omnibus suis pertinentiis. Quicquid Guillelmus filius Guidonis quondam Comitis & Mathildis Comitissæ Nivernensis in eodem burgo liberè vobis concessit, scilicet totum territorium quod infra metas continetur. Decem libras censuales, & ventas illius terræ, de qua census colligitur in villa Tornodori. Ecclesiam sancti Ambrosij de Atheiis, cum terris, decimis, & pertinentiis suis. Ecclesiam de Laniaco villa cum pertinentiis suis, & tertiam partem decimæ de Laniaco castro. Capellam & villam de Scisciaco cum pertinentiis suis, Capellam de Melleniaco cum pertinentiis suis, Ecclesiam de Valle Pelletana cum terris & molendino, Capellam de Floigniaco, & villam & molendinum, cum justitia, terris, & appendiciis suis. Villam quæ Carriacus dicitur, cum molendinis, terris, & justitia. Ecclesias & villas de Cariaco, cum justitia & appendiciis suis. Ecclesiam de Spinceolo cum duabus partibus decimæ, & decimam molendini Camelli. Ecclesiam sanctæ Columbæ cum decimis & appendiciis suis. Capellam sancti Winemari, cum decimis & redditibus suis. Ecclesiam de Anziaco servili, cum tertia parte decimæ & tertia parte molendinorum, & molendinum quod juxta castrum situm est, cum terris & possessionibus suis. Ecclesiam de Pinella, & villam, cum justitia & omnibus appendiciis suis. Decimam finagij de Passum, & tertiam partem ejusdem nemoris, cum terris & justitia. Ecclesiam de Crusiaco, cum decimis & redditibus suis. Ecclesiam de Puteis, cum domo. Ecclesiam & villam de Curtegradu, cum justitia & omnibus appendiciis suis. Ecclesiam de Ebroillo, & medietatem decimæ, tertias & redditus, cum pertinentiis suis. Ecclesiam de Turgeio, cum tertia parte decimæ, cum terris, pratis, & silvis. Ecclesiam sancti Laurentij de Corz, & tertiam partem decimæ. Vsuarium silvarum de Wanlai & de Turceio & de Ebroiolo ad omnes usus & officinarum Ecclesiæ sancti Michaelis, & molendinorum de burgo Tornodori, & ad omnes usus domus & furni de Curtegradu, & pasturam animalium ejusdem villæ, & pastiaticum sexaginta porcorum, duas partes decimæ de villa quæ dicitur Viros. Quicquid juris habetis in Ecclesia de Lentagio tam in redditibus quàm in decimis. Ecclesiam de Prataleno, cum tertia parte decimæ, terris & possessionibus suis. Decimam finagij quod Stet dicitur. Ecclesiam sanctæ Trinitatis de Barro supra Secanam, cum terris & molendinis ad eandem Ecclesiam pertinentibus, & nundinis festivitatis sanctæ Trinitatis, id est, Dominica, secunda & tertia feria, & tertiam partem molendino.

rum de Villa Morini, cum terris & pratis. Terras & redditus de Valeriis & de Chaale & de Eſtorviaco. Terras cum pratis & redditibus de ſanctis Virtutibus. Capellam de Monaſteriolo, cum terris, pratis, ſilvis, cum tertia parte juſtitiæ. Capellam & medietatem villæ Campaniaci, cum juſtitia, terris, aquis, ſilvis ad eandem villam pertinentibus. In epiſcopatu Trecenſi Eccleſiam ſancti Petri in villa quæ dicitur Iaſſanz, cum decimis, terris, molendinis, pratis, & omnibus appendiciis ſuis. Et in eadem parrochia, in villa quæ Trena dicitur, Capellam ſancti Michaelis. Molendina de burgo Beraldi & de burgo Tornodori, & molendina Bernerij. Duas partes ſedis molendini quod Chamelli dicitur. Capellam de Capa, & totum finagium, cum juſtitia & vineis. Et terram quæ dicitur Charum, & campum Bamfredi, & tertiam partem communis juſtitiæ Vallis Planæ. Sanè novalium veſtrorum &c. *uſque* exigere ac extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem &c. *uſque* diſcedere. Diſcedentem verò &c. *uſque* retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. *uſque* officia celebrare. In parrochialibus verò Eccleſiis quas habetis liceat vobis &c. *ut in alio privilegio uſque* debeant reſpondere. Statuimus præterea ut quicunque in caſtro Tornodori & in parrochia ſancti Aniani moriuntur, ſicut antiquitus obtentum eſt & hactenus pacificè obſervatum, non alibi quàm ad veſtrum monaſterium deferantur, niſi ſui compotes alibi elegerunt ſepulturam. Indulgemus etiam vobis ut in toto caſtro Tornodori nulli liceat cimiterium benedicere ſeu Eccleſiam vel oratorium de novo conſtruere. ſalvis tamen privilegiis Romanorum Pontificum. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate &c. *uſque* providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. *ut in alio uſque* profutura. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum &c. *in eundem modum ut in alio uſque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Kalend. Iunij, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno MCCXI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quartodecimo.

ELECTO ET CLERO Laudunenſi.

SIc nervo eccleſiaſticæ diſciplinæ coërceri debet inſolentia perverſorum ut eo non opprimantur inſontes, cùm cenſura eccleſiaſtica non debeat eſſe innocentum oppreſſio, ſed correctio delinquentum; ut ſervus amputata ſibi auricula dextera, gladio quem Petrus per ſe ipſum exerit fiat Malchus ſe gerens & dirigens in Dei ſemitam mandatorum. Sanè dilectis filiis Majore, Iuratis Scabinis, & univerſitate communiæ Laudunenſis conquerentibus, noſtro eſt apoſtolatui reſeratum quòd vos & alij viri eccleſiaſtici ſæpe in eos & in terras ac familias eorum excommunicationis & interdicti ſententias ſine cauſa rationabili ac prætermiſſo juris ordine promulgatis, ipſos per hujuſmodi ſententias multipliciter contra juſtitiam aggravantes; licèt ſuper his de quibus impetuntur à quoquam ſint exhibere parati quod poſtulat ordo juris. Nolentes igitur eoſdem eccleſiaſtica diſtrictione indebitè prægravari, cùm ex apoſtolicæ ſervitutis officio ſublevare teneamur injuſtè depreſſos, vobis & aliis auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus ne in ipſos vel eorum quemlibet ſeu terras aut familias eorundem ſine manifeſta & rationabili cauſa excommunicationis vel interdicti ſententias proferatis; decernentes hujuſmodi ſententias, ſi quæ poſt appellationem ad nos propter hoc legitimè interpoſitam fuerint promulgatæ, penitùs non tenere. Datum Laterani III. Kalend. Iunij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO, apoſtolicæ ſedis Legato.

CVm inter Armeniæ Regem illuſtrem & dilectos filios Magiſtrum & fratres militiæ Templi ſuper caſtro Gaſtonis & rebus aliis quæſtio verteretur, tibi noſtris dedimus litteris in mandatis ut quæſtionem ipſam concordia vel judicio terminares, faciens quod ſtatueres per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Cùm igitur quidam ex fratribus ipſis ad hoc à Magiſtro & aliis fratribus conſtituti fuiſſent ut in eiſdem cauſis agendo contra ipſum Regem, ac eidem reſpondendo, procederent, & parati eſſent hæc omnia, prout eis injunctum fuerat, adimplere, idem Rex reſpondere noluit quibuſdam petitionibus eorundem; & ſic judicio non recepto, ad quod ſe Templarij offerebant, bona ipſo-

rum quæ habebant in portu Bonelli & aliis Armeniæ locis, ex quibus pro majori parte sustentabantur fratres deputati ad subsidium terræ sanctæ, per violentiam occupavit, ponens in domibus eorum custodes, qui suis rebus illos uti more solito prohiberent. Ceterùm quia neque precibus neque monitis idem Rex ab hujusmodi proposito potuit revocari, eidem Regi ex parte nostra & auctoritate qua fungebaris mandasti ut custodibus à domibus & rebus Templariorum amotis, eosdem circa dispositionem rerum suarum consuetæ restitueret libertati. Sed quia nec sic aliquatenus flecti potuit aut induci, diem præfixisti eidem infra quem desisteret ab hujusmodi malè cœptis, & res suas dimitteret pacificè possidendas; quia paratus eras, si quid adversùs eos vellet proponere quæstionis, exhibere ipsi quod postulat ordo juris; alioquin si duceret in sua injustitia persistendum, se sciret excommunicationis sententiæ subjacere. Cùmque ipse in sua contumacia perduraret, ac tu eundem excommunicationis vinculo innodasses, auctoritate Dei & nostra omnibus indigenis & peregrinis in Ierosolymitanis partibus commorantibus districtiùs inhibere curasti ne ipsi Regi ad faciendam aliquam injuriam vel violentiam Templariis vel rebus eorum impenderent auxilium vel favorem; alioquin, postquam ad eorum notitiam perveniret, cum ipso Rege pariter se scirent excommunicationis vinculo innodatos. Propter quod contra Templarios magis ipsius Regis ira desæviit. Nam cunctis possessionibus earumque fructibus, quas in regno habebant Armeniæ, sunt iidem fratres ipso auferente privati; exceptis duabus illorum munitionibus, quas dictus Rex non potuit obtinere. Vt autem ipse illos ampliùs affligeret & gravaret, cùm ad partes Antiochenas jamdicti Templarij accessissent ad arces suas, quas ad huc in illis partibus obtinent, victualibus necessariis muniendas, idem Rex, sicut ex litteris tuis accepimus, destruxit penitùs casalia eorundem, quæ ad huc integra permanebant, licèt ad ipsum omnes eorum redditus devenirent; & sic cultoribus effugatis ipsorum, usque hodie deserta & absque habitatore perdurant. Alia quoque vice cùm iviſſent sæpedicti Templarij ut unam de suis arcibus victualibus communirent, homines Regis aggressi sunt eos in quibusdam locorum angustiis constitutos, & Magistrum ac plures de fratribus & suis sociis vulnerarunt, unum ex eisdem fratribus crudeliter occidentes; præter alia damna rerum, quæ tunc ipsis gravia irrogarunt. Nos igitur sustinere nolentes ut sæpefati fratres suis possessionibus spolientur, quæ ad defensionem terræ sanctæ sunt potissimùm deputatæ, præsertim cùm ipsi semper parati fuerint eidem Regi justitiam exhibere, ac ipse contempta justitia possessiones easdem per violentiam occuparit, venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Antiocheno & Archiepiscopo Tyrensi, & Sidonensi, Tripolitano, Anteradensi, Nimocensi, & Famagustanensi Episcopis nostris damus litteris in præceptis ut auctoritate nostra prædictam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos quàm apud indigenas terræ solemniter publicantes, eandem faciant per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Carissimum quoque in Christo filium nostrum Iohannem Regem Ierosolymitanorum illustrem per scripta nostra monendum duximus & hortandum, universis etiam tam indigenis quàm peregrinis in Ierosolymitanis partibus commorantibus dedimus in mandatis ut pro reverentia beati Petri & nostra nec non & intuitu terræ sanctæ fratribus ipsis, quorum subsidium eidem terræ noscitur non modicùm profuturum, juxta quod tuo consilio discreto duxeris providendum, ad recuperandum jura sua præstent suum auxilium & favorem. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus tam prædictum Regem Ierosolymitanum quàm alios ad prædicta efficaciter adimplenda moneas diligentiùs & inducas. Datum Laterani x v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PATRIARCHÆ Antiocheno.

Epist. 65. De eadem re.

CVm inter Armeniæ Regem illustrem &c. *ut in alia usque* quæstio verteretur, venerabili fratri nostro Ierosolymitano Patriarchæ apostolicæ sedis Legato nostris dedimus litteris in mandatis ut quæstionem ipsam concordia vel judicio terminaret, faciens quod statueret per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Cùm igitur &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* per violentiam occuparit, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus prædictam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos quàm apud indigenas terræ solemniter publicans, eandem facias auctoritate nostra

usque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Datum ut in alia per totum.

In eundem ferè modum scriptum est Archiepiscopo Tyrensi & Episcopo Sydonensi. In eundem modum scriptum est Tripolitano & Anteradensi Episcopis. In eundem modum scriptum est Nimocensi & Famagustano Episcopis.

IOHANNI REGI Ierosolymitano illustri.

Epist. 66. Super eodem.

CVm inter Armeniæ Regem illustrem &c. *in eundem ferè modum ut in littera Patriarchæ Antiocheni usque* occuparit, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Tyrensi & Sidonensi Episcopo nostris damus litteris in præceptis ut auctoritate nostra prædictam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos quàm apud indigenas terræ solemniter publicantes, eandem faciant per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Quocirca serenitatem regiam monemus attentiùs & hortamur quatinus pro reverentia beati Petri & nostra necnon & intuitu terræ sanctæ fratribus ipsis, quorum subsidium eidem terræ noscitur non modicùm profuturum, ad recuperandum jura sua regium præstes auxilium & favorem, juxta quod supradictus Patriarcha suo discreto consilio duxerit providendum. Datum Laterani XIV. Kal. Iunij, anno quartodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc. In eundem modum ut in littera Regis Ierosolymitani scriptum est universis tam indigenis quàm peregrinis in Ierosolymitanis partibus commorantibus usque observari. Quocirca universitatem vestram rogamus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus &c. *ut in eadem Regis Ierosolymitani usque* jura sua vestrum præstetis auxilium & favorem, juxta quod supradictus Patriarcha suo discreto consilio duxerit providendum. Datum ut in alia per totum.

DECANO ET CONVENTVI Casinensi.

Epist. 67. De electione Abbatis Casinensis.

CVm electionis confirmatio postulatur, is qui præsidet examinare debet & processum eligentium & personam electi; ut si canonicum processum invenerit & personam idoneam, electionem ritè celebratam confirmet; quandoquidem unum sine altero non sufficiat, sed necessarium sit utrumque. Licèt ergo dilectum filium Adinulphum Casertanensem omnes pariter elegeritis in Abbatem, quia tamen in ejus electione præter formam quam vobis præfiximus processistis, & ipse, quamvis de industria plurimùm commendetur, nobis tamen ad plenum cognitus non existit, volentes & traditionem canonicam & consuetudinem apostolicam observare, tam processum eligentium quàm personam electi examinare disposuimus diligenter. Verùm cùm temporis instantis necessitas hoc exposcat ut ipse, qui de nostro consilio & mandato rector est vestri monasterij constitutus, ad ipsius regimen diligenter intendat, ne absente pastore vicinus lupus gregem invadat, volumus & mandamus ut urgente hujus necessitatis articulo, se à provisione monasterij Casinensis personaliter non absentet, sed eò prudentiùs ad ejus gubernationem intendat quò propensiùs propter electionem de ipso factam ad ejus obsequium obligatur. Nos enim, cùm viderimus opportunum, ex causa quam vobis magis subintelligendam quàm exprimendam relinquimus, tam ipsum quàm quosdam è vobis ad nostram præsentiam curabimus evocare; ut diligenti examinatione præmissa, in hoc negotio procedamus sicut Domino inspirante noverimus procedendum; id vobis ex speciali gratia intimantes, quòd quantum cum Deo poterimus, vestris desideriis concurremus. Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus in vestro laudabili proposito persistentes, & contra electionem ipsam nihil penitùs attentantes, taliter illi adesse curetis, reverentiam & obedientiam ei debitam impendendo, quòd ipse vestro suffultus auxilio commissum sibi officium utiliter exequatur, & nos interim prudentiam & honestatem ipsius valeamus plenius experiri. Datum Laterani II. Nonas Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI * AVOGVIÆ.

* Cod. Colleg. Anagnin. Epist. 68. Hortatur ad defensionem terræ sanctæ.

REx noster potentissimus Iesus Christus, qui dominatur à mari usque ad mare & à flumine usque ad terminos orbis terræ, postquam pro redemptione humani generis semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & mortis demum angustias spontanea voluntate subivit, in cruce positus sacratissimi sui corporis brachia expansa tenuit, ad signandum quòd non solùm postquam assumptus esset, omnia, prout

prout promiserat, traheret ad seipsum, verùm etiam suæ fidei sectatores in hereditatis suæ subsidium, in qua salutem fuerat operatus, assidua imitatione vocaret; ut ad ipsius patrimonium defensandum anxia devotione concurrerent, pro quorum redemptione pretiosissimi sui sanguinis pretium ineffabili pietate persolvit. Propter quod universos Principes Christianos, qui sub ipsius tuitionis umbraculo salubri dispositione proficiunt, tanto sollicitiùs ad terræ Ierosolymitanæ subsidium intendere convenit quanto ex eo quòd inimici Christianæ fidei conculcantur, non tam apud homines tituli eis laudis accrescunt quàm apud cælestem dominum, cui militant, æternæ retributionis præmia cumulantur. Cùm igitur, progenitorum tuorum vestigiis inhærendo, ad patrimonium Iesu Christi contra perfidos detentores ipsius tam devotè quàm potenter insistas, propter quod devotionis tuæ propositum dignis in Domino laudibus commendamus, celsitudinem tuam rogamus attentiùs & monemus, in remissionem tibi & tuis peccaminum injungentes quatinus inspiratum tibi divinitus tuæ salutis propositum perampliùs & perfectiùs prosequaris ad paganorum perfidiam comprimendam; ut per inquietudinem sollicitudinis temporalis, æternæ felicitatis quietem tibi valeas comparare, ac is pro cujus obsequio laboras in terris, in participium sui regni te admittat in cælis. Datum Laterani VII. Idus Iunij, anno quartodecimo.

NOBILI VIRO SOLDANO de Alapia, ad veritatis pervenire notitiam, & in ea salubriter permanere.

Epist. 69. Commendat ei Patriarcham Antiochenum.

SIcut veridica multorum relatione didicimus, etsi nondum Christianæ religionis susceperis sacramenta, fidem tamen catholicam veneraris, in multis Christi fidelibus deferendo. Vnde de illius immensa pietate confidimus quòd te suæ visitationis radiis illustrabit; ut gratia divinæ cognitionis accepta, ad cultum æterni & veri Dei, qui pro salute hominum factus est temporaliter verus homo, devotus aspires. Quapropter in nomine Iesu Christi te attentiùs exhortamur quatinus justitiam excolas & diligas veritatem, quæ in salutis semitam dirigent gressus tuos, & venerabilem fratrem nostrum Antiochenum Patriarcham, quem suæ probitatis intuitu inter ceteros fratres & coëpiscopos nostros sincera diligimus in Domino caritate, habens ob reverentiam nostram propensiùs commendatum, ipsum & Ecclesiam ejus non permittas, quantum in te fuerit, ab aliquibus indebitè molestari, quin immo eidem exhibeas auxilium & consilium opportunum; ut per hoc divinæ majestatis gratiam & apostolicæ sedis favorem tibi valeas comparare. Datum Laterani VII. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PETRO PATRIARCHÆ Antiocheno.

Epist. 70. Vt duas præbendas creare possit in sua Ecclesia.

CVm præter decem & octo præbendas, quæ in Ecclesia tua esse noscuntur, duas de novo de redditibus mensæ tuæ creare disponas & de tuorum Canonicorum assensu statuere, ut vicesimo Canonicorum numero eadem Ecclesia sit contenta, fraternitati tuæ, de cujus discretione plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus id super his, sublato cujuslibet appellationis & contradictionis obstaculo, de tuorum Canonicorum assensu constituas quod animarum saluti & ejusdem Ecclesiæ utilitati videris expedire. Datum ut in alia.

EIDEM.

Epist. 71. De possessionibus dandis in emphyteosin.

CVm quædam possessiones Ecclesiæ tuæ deterioratæ sint plurimùm propter guerras, & concedendi eàsdem in emphyteosin vel ad firmam à nobis licentiam duxeris postulandam, fraternitati tuæ, de cujus discretione plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus super his ad Ecclesiæ tuæ commodum cum Capituli tui assensu facias quod videris expedire. Datum ut in alia per totum.

EIDEM.

Epist. 72. Hortatur eum ad constantiã.

SI terra illa, in qua vera pax nostra Dominus Iesus Christus, qui fecit utraque unum, pro salute humani generis nasci dignatus est, illo perturbante qui noviter universa penè orbis terræ fundamenta commovit, pressuris diversis exponitur, perturbationibus conquassatur, & impugnatur etiam ab inimicis nominis Christiani, non sic tuus animus debet pro his deici & interiùs commoveri quin te taliter per spiritus fortitudinem ad tentationes exponas quòd idem circa tribulationes hujusmodi potiùs dilatetur, in infirmitatibus gloriando, quia fidelis Deus, qui non patitur servos suos ultra posse tentari, te ac alios, quorum fidem per instantem tentationem examinat, consolabitur citiùs quàm creda-

tur, & sustinentium se timoribus in abundantia votivæ securitatis occurret. Vasa namque figuli probat fornax, & justi opera tribulationibus enitescunt; & unde justitia interdum extingui creditur, roboratur. Monemus igitur fraternitatem tuam & in Domino propensiùs exhortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus in illo sperans qui servos suos edocuit, cùm audirent seditiones & prælia, non terreri, & altissimum refugium tuum ponens, in tribulationibus, quæ tibi cedent ad gloriam, non deficias, sed conforteris in eo qui bella conterit, & cui nomen est Dominus, quique multorum superbiam paucorum humilitate prostravit; sicut vir strenuus & robustus dans studium diligens & operam adhibens cum aliis fidelibus efficacem ad eliminandam à terra sancta, divina præeunte potentia, spurcitiam paganorum, de gratiæ nostræ favore securus quòd apostolicum tam tibi quàm illi terræ non deerit auxilium in his quæ viderimus expedire ac nobis divina misericordia ministrabit. Quia verò dilectus filius S. Thesaurarius Antiochenus se multis pressuris exposuit pro tuis negotiis apud sedem apostolicam laborando, & ea tamquam vir prudens exequutus est diligenter, ipsum tibi apostolicis litteris duximus commendandum, rogantes quatinus ob reverentiam beati Petri & nostram taliter habeas commendatum eundem quòd idem apostolicas preces apud te sibi sentiat profuisse, ac alij exemplo ipsius ad tua & Ecclesiæ Antiochenæ obsequia fortiùs animentur. Ad hæc, de cruce aurea & diaspro nobis ex parte tua per eundem liberaliter præsentatis gratiarum tibi referimus actiones. Datum Laterani VII. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. 73. Super dissensione de regno Norvvagiæ.

AA nostram noveritis audientiam pervenisse quòd obeunte Svvero, qui Norvuagiæ regno præsederat, fautores ejus, qui Birkibani dicuntur, quendam ipsius nepotem Ingonem nomine sublimare nitebantur in Regem. Quorum conatibus viri prudentes & nobiles, qui genus regium Norvuegiæ plenè noverant, resistentes, juvenem quendam Philippum nomine, à claræ memoriæ Magno & Ingone antiquis & catholicis Norvuegiæ Regibus trahentem originem, insignem genere, ac morum honestate præclarum, in Regem concorditer elegerunt. Ipsis itaque pro regno certantibus & destruentibus malè terram, tandem divina ex alto prospiciente clementia per tuam, frater Archiepiscope, ac venerabilis fratris nostri Aloensis Episcopi sollicitudinem & operam diligentem sic sunt inter eos pacis fœdera reformata ut utroque dignitatem & nomen regium retinente, si hoc tamen ex dispensatione noster approbaret assensus, Ingo in quadam, Philippus verò in altera Norvuegiæ parte regnet. His igitur ita dispositis contigit quòd idem Philippus, ad quem regnum, sicut accepimus, hereditario jure spectat, cum adversariis suis colloquium habiturus accessit; quem iidem adversarij sui cum innumera multitudine circumdantes, licèt priùs fuerit datis obsidibus diffinitum cum quantis deberent utrique copiis convenire, asserebant firmiter se cum ipso Philippo pacis fœdus nullatenus inituros, nisi à se nomen regium abdicaret. Qui constitutus in arcto, ne nobilitatem sui generis macularet infamia & fœdus pacis initæ violaret, ad appellationis remedium convolavit, committens causam suam nostro arbitrio terminandam; ut videlicet quem magis idoneum judicaremus, ille regio sublimaretur nomine ac honore. Quod principes Birkibanorum penitùs renuentes, se nostro nunquam stare velle judicio proponebant. Licèt autem super his quorundam testimoniales litteræ nobis fuerint destinatæ, quia tamen per eas non est facta nobis sub tali & tanto negotio plena fides, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatinus Deum habentes præ oculis, inquiratis super his plenissimè veritatem, & eam nobis per litteras vestras fideliter intimetis; ut per vestram relationem instructi, securiùs in ipso negotio procedere valeamus. Datum Laterani VII. Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NEAPOLITANO Archiepiscopo.

Epist. 74. Quid sacrum tempore interdicti.

EX parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm civitatem Neapolitanam supposueris interdicto, & credatur à pluribus quòd secundùm tenorem litterarum nostrarum, quæ continent excommunicationem Ottonis dicti Imperatoris & ejus sequacium, civitas ipsa non debuerit interdici, tibi exponere dignaremur utrum illud debeat observari. Ad quod tibi breviter respondemus quòd cùm Neapolitani, jurando & præstando favorem eidem, sententiam excommunicationis incurre-

rint, & excommunicatis sint absque dubio interdicta divinia officia & ecclesiastica sacramenta, illud est usquequaque ad satisfactionem idoneam observandum, nec morientes sunt ad pœnitentiam admittendi, nisi jurent se mandatis Ecclesiæ parituros, & abjurent dicto Imperatori præstita juramenta; nec, etiamsi juraverint, tradi debent ecclesiasticæ sepulturæ, si absque excommunicatorum & interdictorum obsequio nequeunt tumulari. Ad hoc autem, utrum pueri, cùm patrimi excommunicationi sint & interdicto suppositi, debeant baptisari, fraternitati tuæ taliter duximus respondendum quòd cùm baptismus sacramentum necessitatis existat, propter patrimorum delictum illud non debet talibus denegari. Datum Laterani XVI. Kal. Iulij, anno quartodecimo.

CYRINO SCRINIARIO Vrbis

Epist. 75. Ne gravetur ob aliquo ob alia supra jussa Papæ.

SVper commissa nobis Ecclesiarum cura, & earum specialiter quæ in urbe consistunt, quarum debemus potissimùm indemnitatibus præcavere, gerentes sollicitudinem, prout convenit, diligentem, tibi dedimus in præceptis ut dicta quæ super locatione ab Abbatissa monasterij sancti Cyriaci de urbe de bonis ipsius monasterij consanguineis suis facta confeceras, destrueres & deleres. Ne igitur tibi propter hoc, vel ab illis quibus locatio facta fuit, aut etiam à senatu, sive à quolibet alio, aliquo tempore gravamen aliquod inferatur, præsentium auctoritate statuimus, sub excommunicationis pœna districtiùs inhibentes, ne quis te super hoc præsumat aliquo tempore molestare. Nulli ergo &c. institutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Idus Iulij, anno quartodecimo.

CREMONENSI EPISCOPO, & Albanensi electo apostolicæ sedis Legato, necnon & Abbati de Columba.

Epist. 76. Vt Ferrarienſi Eccleſiæ idoneum paſtorem præficiant.

PEr litteras quas nobis olim vos, frater Cremonensis & fili Abbas, transmittere procurastis, intelleximus evidenter vos gratum & acceptum pariter habuisse quòd de eligendo in Ecclesia Ferarienſi pastore, nominando sancti Iohannis Priorem, Archidiaconum Parmensem & magistrum Iordanum Rheginum Doctorem, aut quemlibet alium secundùm quòd vobis melius videretur, benigna vos instructione curavimus erudire. Vos autem cupientes mandatum nostrum executioni mandare, quia Priorem & Archidiaconum præficere nimis grave propter consanguineos uni parti contrarios videbatur, ad promovendum illorum aliquem cautiùs evitastis; Iordanum verò apud Rheginum Doctorem neminem invenire valentes, fratrem Iordanum Paduanum, quem sciebatis opere ac sermone potentem, elegistis concorditer in pastorem. Verùm cùm hoc idem penitùs recusarit, & Estensis Marchio capta Ferraria instanter peteret dilationem hujus electionis propter novitatem eventus nostris auribus intimandam, cùmque præterea quidam assererentur parati obicere vos vestro esse functos officio, quia vobis magis congruum videbatur ut cautionem reciperetis de rebus episcopij gubernandis ac disponendis, eidem electioni supersedere curastis, & quid superesset agendum, nostræ reliquistis beneplacito voluntatis. Nolentes igitur ut dicta Ferrarienſis Ecclesia diutiùs pastoris solatio defraudetur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ante omnia Deum præ oculis habentes, eidem Ecclesiæ provideatis personam idoneam in pastorem, ut ex hoc apud Deum & homines debeatis meritò commendari. Quòd si non omnes &c. tu, fili electe, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani VII. Idus Iunij, anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO Ravennati.

Epist. 77. Vt castrum Argentæ custodiat.

FRaternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus castrum Argentæ taliter custodire studeas & munire quòd ex eo non possis incurrere aliquod detrimentum. Si verò id non poteris efficere per te ipsum, à dilecto filio nobili viro Marchione Estensi sufficienti cautione recepta quòd ipsum fideliter custodiat ad opus Ecclesiæ Ravennatis, illud eidem committere non postponas. Datum Laterani II. Non. Iunij, anno quartodecimo.

ALBANENSI ELECTO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 78. De excommunicatione Ottonis Imperat.

CVm Otto dictus Imperator, maledictus & excommunicatus, non cesset Romanam Ecclesiam impugnare, venerabilibus fratribus nostris Aquilegensi & Gradensi Patriarchis, Ravennati & Ianuensi Archiepiscopis, eorumque ac Mediolanensis Ecclesiæ suffraganeis, nostris damus litteris in mandatis & in virtute obedientiæ districtè præcipimus ut excommunicationem in ipsum & fautores ejus pro-

latam postposita omni occasione solemniter innovent & à suis faciant subditis innovari. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si aliquis eorum, quod non credimus, mandati nostri extiterit negligens executor, tu eum, appellatione remota, canonica pœna percellas. Datum Laterani VII. Idus Iunij, anno quartodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc.

POTESTATI ET POPVLO Bononiensi, spiritum consilij saniorũ.

Epist. 79. Vt relinquant partes Ottonis.

MIrari cogimur & moveri quòd cùm Otto dictus Imperator, excommunicatus & maledictus, non cessèt Romanam Ecclesiam impugnare, vos non tantùm ei sed & fautoribus ejus, qui sunt excommunicati cum ipso, vestrum impenditis auxilium & favorem. Quocirca universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus ab hujusmodi proposito desistentes, nullum sibi vel suis auxilium aut consilium impendatis. Alioquin noveritis nos dilecto filio Albanensi electo apostolicæ sedis Legato nostris dedisse litteris in mandatis ut personas excommunicationi & terram subiciat interdicto; quòd si nec sic duxeritis resistendum, scholas de ipsa faciat civitate transferri. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsi super hoc in eundem modum.

ALBANENSI ELECTO, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 80. De ædificatione castri Ferrariæ.

DIlectus filius nobilis vir Marchio Estensis nobis humiliter supplicavit ut in Ferrariensi civitate construendi castrum, per quod ipsam meliùs defendere valeat & ad fidelitatem Romanæ Ecclesiæ conservare, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur id tuæ prudentiæ committentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus super hoc statuas ad honorem & profectum Ecclesiæ quod videris expedire. Datum Laterani VII. Idus Iunij.

EPISCOPO CAPDAQVENSI, & Abbati Cavensi Salernitanæ diœcesis.

Epist. 81. De electione Episcopi Policastrensis.

POlicastrensi Ecclesia dudum proprio viduata pastore, cùm ipsius Capitulum, sicut pro ejus parte fuit propositum coram nobis, obtenta licentia eligendi dilectumfilium Archipresbyterum de Saponaria in Episcopum unanimiter elegissent, quosdam ex Canonicis in Siciliam transmiserunt ad assensum regium obtinendum. Vnde cùm Rex nec super hoc nec super quibusdam personis aliis postea, quod non licuit, nominatis ad eorum potuisset desiderla inclinari, & ex parte ipsius Regis suggestum fuisset eisdem, comminationibus intentatis, ut Iacobum ejus Medicum nominarent, ipsi Regis metuentes indignationem incurrere, dolentes pariter & inviti, dictum Iacobum elegerunt, qui cum dilecti filij nostri Gregorij tituli sancti Theodori Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati & Regis litteris ad venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Salernitanum accessit pro confirmationis & consecrationis gratia obtinenda. Sed Archiepiscopus priùs quàm in negotio ipso procederet, nostræ responsionis oraculum requisivit. Cui dedisse recolimus in mandatis ut super electionibus in Policastrensi & Sarnensi Ecclesiis celebratis procedere retardaret, cùm disponeremus ad Regis præsentiam nostros nuntios destinare, per quos super his & quibusdam aliis nostram pleniùs intelligeret voluntatem. Vnde cùm Archiepiscopus memorato Iacobo responsum apostolicũ rescripsisset, propriis litteris nostrarum tenore litterarum inserto, idem commotus dicitur respondisse: *Revertar ad Regis curiam, & ab his qui eligi me fecerunt, super consecratione meæ favorẽ & auxilium obtinebo.* Verùm eodem postmodum apud Regis curiã multipliciter laborante pro consecrationis munere obtinendo, supradicti Capituli nuntij Cardinali præfato mandatum nostrum ad Archiepiscopum memoratum directum exponere curaverunt; & supplicantes eidem ne dicto Iacobo ad consecrationis gratiam obtinendam auxilium vel favorem impenderet, ad sedem apostolicam appellarunt. Cùm autem Cardinalis nostras ab eis litteras quæsivisset, & ipsi earum penes se authenticum non haberent, ipse inducias eisdem indulsit, infra quas dictas ei litteras vel earum tenorem sub sigillo supradicti Archiepiscopi præsentarent. Quorum recessu propter turbationem temporis retardato, ad Cardinalis præsentiam redeuntes, cùm peterent inducias prorogari, Cardinalis ipse respondit se nullum eis terminum assignare, sed ipsi bona fide quàm citò possent ad ipsius præsentiam cum nostris litteris vel earum transcripto redire curarent. Cùmque maris turbatione pacata se ad iter accingerent redeundi, in ejusdem Cardinalis præsentia

provocationem primitus interpositam innovarunt. Dictus verò Iacobus apud Messanensem remanens civitatem, per venerabiles fratres nostros Tarentinum & sanctę Severinæ Archiepiscopos & Episcopum Gerontinum de mandato Cardinalis ipsius obtinuit consecrari; & prædictis Canonicis reversis ad propria, è vestigio subsecutus, ad Policastrensem Ecclesiam consecratus accessit; quamquam eum Policastrenses Canonici tamquam Episcopum recipere renuissent. Porrò cùm iidem nobis postmodum supplicassent ut quod de dicto Iacobo tam perperam factum fuerat auctoritate dignaremur apostolica retractare, venerabili fratri nostro Cusentino Archiepiscopo & dilecto filio Abbati Floris dedimus in mandatis ut tam sæpedicto Iacobo & Policastrensi Capitulo quàm etiam Salernitano Archiepiscopo evocatis, ut comparerent per se vel responsales idoneos coram eis, inquirerent super præmissis plenius veritatem, & quod invenirent per suas nobis litteras fideliter intimarent; ut per ipsos certiores effecti, prout expediret in eodem negotio procedere curaremus. Vnde Archiepiscopus, conjudice non valente propter guerrarum pericula interesse, de ipsius tamen consensu in negotio jam dicto procedens, admissis testibus super ipso productis, indagavit diligentiùs veritatem, quam sub suo sigillo ad nostram præsentiam destinavit. Cùm autem propter hoc nuper procuratores partium ad sedem apostolicam accessissent, per dilectum filium nostrum Benedictum tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem ipsis auditorem concessum acta inspici fecimus diligenter. Qui cùm nobis quæ invenerat explicasset, intelleximus per depositiones testium & litteras Cardinalis prædicti coram Archiepiscopo Cusentino exhibitas manifestè probatum quòd Ecclesia Policastrensi vacante, de præfato Archipresbytero concors fuerat electio celebrata, & quòd nuntij destinati ad assensum regium obtinendum, illum cum instantia requisitum obtinere minimè potuerunt, quòdque per Regis familiares ipsius cognita voluntate quòd prædictum Iacobum eligi cupiebat, eum postmodum nominarunt; item quòd postquam innotuit dicto Iacobo per apostolici rescripti tenorem eidem ab Archiepiscopo Salernitano transmissum quòd Archiepiscopo memorato à nobis inhibitum fuerat ne super electionibus Policastrensis & Sarnensis Ecclesiarum procederet, ipse ad Regis curiam rediit pro consecrationis munere obtinendo; rursum quòd postquam Cardinali præfato hujusmodi prohibitio extitit per Policastrensis Ecclesiæ nuntios reserata, & dilatio ad nostras super hoc litteras vel earum tenorem sub sigillo Salernitani Archiepiscopi exhibendas ab eodem nuntiis ipsis indulta, necnon post appellationem ad nos interpositam, dictus Iacobus fuerat in Episcopum consecratus. Cùm ergo nobis constiterit electionem ipsius Iacobi non solùm contra statuta canonica, verùm etiam contra constitutionis tenorem inter Romanam Ecclesiam & illustris memoriæ Imperatricem Constantiam super Episcoporum electionibus initæ; quæ procul dubio dicto innotuit Cardinali, cùm & nos illam sibi miserimus, & ipse in litteris quas Cusentino Archiepiscopo destinavit, de illa fecerit mentionem, minùs canonicè celebratam, alia non cassata, de consilio fratrum nostrorum, inquisitione super gravibus quæ in personam ipsius Iacobi publicè dicebantur omissa, cùm factum in se ipso existeret vitiosum, electionem ipsam irritam decrevimus & inanem, interdicentes eidem executionem pontificalis officij non rite suscepti; Policastrensi Capitulo nostris litteris injungendo ut in electionis negotio de præfato Archipresbytero celebratæ concorditer procedentes, eandem Metropolitano suo præsentare procurent confirmandam vel infirmandam ab ipso prout de jure fuerit faciendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter diffinitum, faciatis appellatione remota firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani x v. Kal. Iulij, anno quartodecimo.

Vide lib. 1. epist. 410. 411. 412. & lib. 11. epist. 208. & gesta Innoc. III. cap. 21.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum Policastrensi Capitulo. Ecclesia vestra dudum &c. *usque* de jure fuerit faciendum. Datum Laterani &c.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Salernitano Archiepiscopo. Datum &c.

EPISCOPO VTICENSI apostolicæ sedis Legato, & P. de Monte-Lauro Aquensi Archidiacono, & magistro Thedisio nuntio nostro Canonico Ianuensi.

CVm super reformatione monasterij Massilliensis, de cujus lapsu multa nobis fuerant intimata, venerabilibus fratribus nostris Tolosano & Aurasicensi Episco-

a *Epist.* 82. De reformatione monasterij Massiliensis.

pis & dilectis filiis Priori sancti Honorati Arelatensis dudum direxerimus scripta nostra, priusquam fuisset illorum auctoritate in negotio memorato processum, D. monachus Massilienſis ad sedem apostolicam veniens, pro se ac magna parte conventus nobis denuntiando monstravit quòd cùm in eodem loco videret per Abbatis incuriam enormia quamplurima committi, utpote furta, perjuria, simonias, & dissolutionem ordinis miserabilem, bonaque ipsius loci multiplici nihilominus dilapidatione vastari, & alia plurima fieri contra monasticam honestatem, & apud Abbatem, quem super his caritativè monuerat, nullatenus profecisset, ad sedem apostolicam appellavit. Vnde venerabilibus fratribus nostris Regensi, Massilienſi, & Auraſicensi Episcopis dedimus in mandatis ut ad monasterium ipsum personaliter accedentes, inquirerent super præmissis & aliis plenius veritatem, & appellatione remota corrigerent tam in capite quàm in membris quæ corrigenda viderent. Interim autem priores judices ad monasterium accedentes, cum multorum discretorum virorum consilio inter Abbatem & monachos ejusdem loci amicabiliter componere curaverunt, interposito à monachis juramento ut contra compositionem hujusmodi non venirent, & si quas litteras dictus D. reportaret, qui ad sedem apostolicam venerat, essent cassæ. Cùm autem postea iidem Massilienſis & Auraſicensis Episcopi, cùm interesse tertius nequivisset, litteris nostris acceptis, quas præfatus monachus reportavit, procedere vellent super articulis in eisdem expressis, ejusdem loci monachi ad nostram audientiam appellarunt. Abbas quoque post citationes multiplices in eorum comparens præsentia, vocem ad nos appellationis emisit, allegans quòd illæ litteræ nullius prorsùs erant momenti, in quibus de prioribus, quarum auctoritate compositio inter Abbatem & monachos facta fuerat, mentio non fiebat. Sed cùm judices, exceptionem hujusmodi ac quasdam alias frivolas reputantes, intenderent in inquisitione procedere ac recipere à fratribus juramenta, major Prior & quidam alij responderunt se super hoc nullum posse juramentum præstare, utpote qui se juramento astrixerant compositionem interpositam observare ac non uti litteris à præfato monacho impetratis. Vnde judices, propter exceptiones propositas & intricationem negotij dubitantes procedere in eodem, nos super ipso consulere curaverunt; nosque dilecto filio Arelatensi Præposito, qui ob hoc nostram præsentiam adiit, dicimur respondisse quòd propter causas hujusmodi judices supersedere negotio non debebant. Qui amissis in via litteris quas super hoc à nobis recepisse proponitur, tam viva voce quàm suis litteris dictis judicibus nuntiavit ut nonobstantibus exceptionibus supradictis, in negotio procederent memorato. Vnde judices in negotio procedentes, receptis testibus super articulis prænotatis, Abbatem ipsum tandem ab abbatiæ regimine removerunt. Porrò dilectis filiis P. Camerario Arcellæ & S. Priore Muræ ejusdem Abbatis & B. Priore de Tritis ac D. monacho partis adversæ procuratoribus propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, petierunt procuratores Abbatis processum judicum prædictorum, qui contra eum sententiam tulerant, irritum judicari; tum quia post appellationem ad nos interpositam per antedictas litteras, in quibus de prioribus mentio non fiebat, tum quia consultatione ad nos directa, priusquam apostolicæ responsionis oraculum per nostras litteras recepissent in eodem negotio processerunt, cùm assertioni dicti Præpositi judices minimè stare debuerint in hoc casu, super quo nostræ responsionis litteras expectabant; tum etiam quia conspiratores, excommunicatos, perjuros, & capitales etiam inimicos, in testimonium adversùs Abbatem admiserant memoratum. Sed ad hæc procuratores partis responderunt adversæ quòd cùm priores litteræ super lapsu monasterij generales fuerint, & posteriores extiterint super certis excessibus speciales, in subsequentibus non oportuit fieri de præcedentibus mentionem, cùm speciale mandatum deroget generali; adiciens quòd etsi consultatione ad nos delata, non fuerit super responsione nostra supradicti Præpositi verbo standum, quia tamen juramento quod monachi super servanda compositione præstiterant juramentum quod super illis excessibus præstabatur nullatenus occurrebat, nec promissio quam de non utendo litteris à dicto D. monacho impetratis mandatum nostrum potuit impedire quod super inquisitione dictorum excessuum feceramus, iidem judices de consilio peritorum non immeritò procedere in negotio potuerunt; & asserens nihilominus falsùm esse quòd conspiratores, excommunicati, perjuri & capitales inimici adversùs Abbatem admissi fuerint memoratum. His igitur & aliis quæ fuerunt coram nobis

utrinque propoſita intellectis, quia cognovimus dictum cœnobium in ſpiritualibus & temporalibus graviter collapſum exiſtere, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus quatinus cùm providendum ſit non tam perſonis in Eccleſiis quàm Eccleſiis in perſonis, ſi per hanc viam faciliùs & utiliùs ad reſtaurationem ipſius monaſterij poterit perveniri, ut videlicet de alia perſona idonea jam probata eidem monaſterio conſulatur, vos auctoritate noſtra ſuffulti, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, id exequi procuretis. Alioquin præfatum reſtituatis Abbatem; & in utroque caſu excluſis de ipſo cœnobio perſonis indignis, quas meritò videritis excludendas, inducatis in illud ex aliis monaſteriis perſonas idoneas, per quas idem monaſterium debeat reformari; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles appellatione remota cenſura eccleſiaſtica compeſcendo. Taliter autem mandatum apoſtolicum exequamini ut in noviſſimo diſtricti examinis die ſuper hoc dignam Deo poſſitis reddere rationem. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum Laterani VII. Idus Iunij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

PRIORI SANCTI HILARII de Cella, & B. ſancti Petri & magiſtro Stephano Gaſchet ſanctæ Mariæ Majoris Canonicis Pictavenſibus.

Poſſ. 81. Et quodam ſuperedo in Canonicum.

ACcedentibus ad apoſtolicam ſedem dilectis filiis R. Rozelini dilecti filij P. Xantonenſis Decani procuratori & magiſtro R. Bovi pro ſe dilectum filium noſtrum Benedictum tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyterum Cardinalem conceſſimus auditotem. Coram quo dicti Decani propoſuit procurator quòd cùm idem magiſter obtentu mandati noſtri præbendale beneficium obtinuerit olim in Eccleſia Xantonenſi, & in receptione ipſius juramento firmarit ſe nihil unquam ulteriùs in eadem Eccleſia petiturum, proceſſu temporis ingratus gratiæ ſibi factæ, ac præſtiti juramenti oblitus, à dilecto filio noſtro Guala tituli ſancti Martini Preſbytero, tunc ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali & apoſtolicæ ſedis Legato, litteras impetravit, nulla in eis de juramento præſtito habita mentione; per quas importuna moleſtabat inſtantia Eccleſiam memoratam, ut ex eo quòd præbendæ integræ commodum adeptus fuerat, in eadem jus obtineret Canonici & honorem; ſumens inde materiam jurgij unde devotior erga ipſam Eccleſiam effici debuiſſet. Ceterùm cùm dictus magiſter per litteras Cardinalis ipſius in hac parte nequiviſſet conſequi ſuæ voluntatis effectum, ſub venerabilis fratris noſtri Epiſcopi & quorundam Canonicorum Xantonenſium nomine ſuper canonicatu præmiſſo litteras apoſtolicas, tacita de juramento præſtito veritate, ad Decanum Burdegalenſem & ſuos conjudices poſtmodum impetravit; quas procurator jamdictus aſſerebat ratione multiplici non valere; tum quia in ipſis talis extiterat veritas occultata qua expreſſa obtentum reſcriptum apoſtolicum non fuiſſet, tum etiam quia quorundam Canonicorum litteræ, quas prænominatus magiſter ſe noſtro apoſtolatui exhibuiſſe aſſeruit, per falſi ſuggeſtionem & circumventionem quandam obtentæ fuerant ab eodem mendaciter aſſerente quòd ad ipſum canonicandum dictorum Canonicorum vota convenerant ſingulorum. Sed falſum id eſſe procurator jamdictus ſe propoſuit probaturum. Præterea prætaxatus magiſter præmiſſis aliquatenus non contentus, infra decem dies à prioris impetratione reſcripti ad B. Canonicum Pictavenſem & ſuos collegas ſuper eodem canonicatu apoſtolicas litteras obtinuit delegari, quæ nullam faciebant de prioribus mentionem. Propter quod aſſerebat ipſas procurator prædictus pluribus de cauſis nullius eſſe valoris quoad antefatum Decanum, magiſtrum ſcholarum, & contradictores ceteros Xantonenſis Eccleſiæ compellendos; tum quia priorum juriſdictio judicum minimè fuerat per ſecundas litteras revocata; tum etiam quia per illam generalem clauſulam I. Canonicus & quædam perſonæ majores aliæ Xantonenſes vocari ad judicium non debebant, necnon & dictus Decanus ad ſedem ſuper hoc apoſtolicã provocarat. Vnde ipſorum factum erat meritò irritandum, & ſæpedictus magiſter carere debebat utriuſque reſcripti commodo, in quorum altero de alio mentio non fiebat, poſtulans ob hæc & alia Decanum, magiſtrum ſcholarum, & contradictores prædictos ab ipſius magiſtri ſuper hoc impetitione prorſùs abſolvi. Ad hæc præfatus magiſter ex adverſo reſpondit quòd cùm ad Xantonenſes Canonicos noſtrarum precum & mandati primitias de conferenda eidem præbenda integra reportaſſet, ipſi Canonici medietatem tantùm ipſius, in eluſionem mandati apoſtolici potiùs quàm ex devotione quam haberent ad illud, eidem magiſtro, ſicut rei effectus indicat, contulerunt. Et licèt idem

nullum tunc beneficium obtineret, præfati tamen Canonici eundem sic jurare fecerunt quòd nihil ulteriùs ab ipsis absque communi totius voluntate Capituli postularet, quemadmodum nominatus Decanus ad mandatum venerabilis fratris nostri Bituricensis Archiepiscopi & suorum à nobis delegatorum conjudicum coram dilectis filiis Cantore ac Priore sancti Viviani Xantonensis firmavit proprio juramento. Sanè quia ipsius præbendæ medietatem relinquam ad interventum prædicti Xantonensis Episcopi, post præstationem juramenti jamdicti, eidem magistro prænominati Canonici unanimiter contulerunt, cùm ipsi temporali spirituale beneficium sit annexum, licitè illud memoratus magister se posse petere proponebat, præsertim cùm nec etiam postulet, sed petatur potiùs ab universis ferè Canonicis antedictis, sicut per viginti trium ipsorum, Episcopi, Archidiaconorum, & Cantoris litteras, & relationes prænotatorum judicum evidentissimè ostendebat, subjungens quòd cùm plures vacent in Xantonensi Ecclesia canoniæ, ac nullus sit de tanto numero qui posset in perceptione spiritualium, si receptus fuerit, prægravari, nec alius appareat in hujusmodi contradictor, prænominatus Decanus, qui aliquando consenserat in eundem, prout coram judicibus Pictavensibus confessione propria propalarat, solus in hac parte non debebat audiri, maximè cùm ad exceptiones probandas, si quas vellet contra ipsum proponere, fuisset pluries evocatus, nec ex ipsis aliquas, sicut promiserat, probavisset, nec etiam usus fuerit apostolicis litteris quas super hoc impetraverat contra eum. Verùm cùm idem magister ad canoniam ipsam vocetur per Capitulum sæpefatum, sicut ipsorum litteræ clariùs manifestant, nullusque per nos canonicatus fuerit in Ecclesia supradicta de novem Clericis pro quibus nostras litteras jam recepit nisi magister C. Natalis, qui per Episcopum & Archidiaconum specialiter obtinuit canoniam, & ad id obtinendum apud sedem apostolicam per annorum quatuordecim spatium undecies accesserit personaliter laborando, nobis humiliter supplicabat ut suis laboribus providere misericorditer dignaremur. Nos igitur intellectis per Cardinalem prædictum quæ proposita fuerant coram eo, de consensu partium discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus si vobis infra tres menses post harum susceptionem legitimè constiterit ipsum magistrum simpliciter & absolutè juravisse quòd nihil ampliùs peteret in Ecclesia Xantonensi, eidem super petitione sua silentium imponatis. Alioquin, cùm major & sanior pars Capituli suum ipsi præstet assensum, nonobstante contradictione paucorum, eundem recipi faciatis in Canonicum & in fratrem, ipsi stallum in Choro & locum in Capitulo, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, assignantes; & Decanum in expensis factis pro negotio isto condemnetis eidem, ipsumque ut eas præfato magistro restituat per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis; contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles, remoto appellationis obstaculo, censura simili compescendo; nullis litteris obstantibus à sede apostolica præter assensum partium impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani XII. Kalen. Iulij, anno quartodecimo.

ANDREÆ ILLVSTRI REGI Vngariæ.

Epist. 12. De diversis inter Regnum & Colocen. Archiep. quæst. 13. & 14.

REceptis & intellectis litteris regiis, hoc tibi, fili carissime, duximus respondendum, quòd si forsan inter Strigonienſem & Colocensem Ecclesias super dignitatibus suis aliqua pullulat dissensionis materia, gratum nobis existet ut tu cum Prælatis ac suffraganeis & Capitulis earundem ad amicabilem secundùm Deum compositionem intendas sine præjudicio utriusque; in qua si ex privilegiis quæ alterutri sunt Ecclesiæ ab apostolica sede concessa quicquam difficultatis occurrerit, quia de ipsis nobis est solummodo judicium reservatum, illud ad nostrum referatur examen. Nos enim, qui pacem eorum & tranquillitatem tuam & regni tui ferventi desiderio affectamus, ad eam, quantum cum ratione poterimus, impedemus operam efficacem. Datum Laterani Idibus Iulij, anno quartodecimo.

VLTRASILVANO EPISCOPO.

Epist. 13. Confirmat electionem Scibinien. Archidiaconi in Episcopum.

SIgnificatum est nobis quòd Scibiniensi præpositura vacante, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, dilectus filius magister R. cui honesta merita suffragantur, ad eam canonicè est electus. Vnde supplicatum est nobis ut electionem ipsius auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus veritate diligentiùs inquisita, si rem inveneris ita esse, ipsam auctoritate nostra

noſtra confirmes, eique concedas ut in ſpiritualibus adminiſtret. Datum ut in alia.

NOBILI VIRO PETRO Anibaldi Seneſcalco noſtro.

Epiſt. 86. Concedit ei dominium & regimen caſtri Corani.

CVm dilecti filij Conſules populuſque Corani per litteras ſuas & nobiles viros Rainaldum Conſulem & Albericum Militem inſtantiſſimè nos rogaſſent ut pro ipſorum defenſione, qua plurimum indigebant, te illis in dominum & rectorem concedere dignaremur, nos devotionem & fidem quam erga nos & Romanam Eccleſiam habere dinoſceris attendentes, eique volentes nihilominus providere, de commun fratrum noſtrorum conſilio juſtitias & rationes quas habemus in caſtro Corano tibi pro illorum regimine duximus concedendas, quandiu Romano Pontifici complacebit. Tu igitur ita ſemper proficere ſtudeas circa obſequium apoſtolicæ ſedis ut apud eam te non ſolùm hoc ſed majori beneficio dignum reddas. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani XI. Kalend. Auguſti, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

HVGONI ABBATI ET conventui majoris monaſterij Turonenſis.

Epiſt. 87. Confirmat eis monaſterium Fontis Giardi.

CVm cauſam quæ inter dilectos filios heremitas Fontis Giardi ex parte una & vos & Iuellum de Meduana patronum Fontis Giardi Cenomanenſis dioceſis ſuper eodem loco ex altera vertebatur dilectis filiis Abbati de Chalocheio, G. Archidiacono & B. magiſtro ſcholarum Andegavenſibus olim duxerimus committendam, partibus in ipſorum præſentia conſtitutis, ipſius Fontis Giardi fratres ejuſdem dioceſis coram eis exponere curarunt quòd cùm ab inſtitutione ipſius domus ſecundùm beati Auguſtini regulam converſantes vixiſſent ibidem vita & habitu in ordine regulari, venerabilis frater noſter Hamelinus Cenomanenſis Epiſcopus vos introduxit pro ſuæ voluntatis arbitrio in eandem, quibuſdam ex ipſis fratribus per violentiam conſentire compulſis, aliis per ſimoniacas & illicitas pactiones à vobis inductis ut ordinem ſuſciperent monachalem, nonnullis de ipſo collegio reclamantibus & invitis, propter quod petebant ſe ac domum ſuam in ſtatum priſtinum auctoritate apoſtolica reformari. Ad quæ à parte veſtra fuit è converſo reſponſum quòd cùm olim præmiſſa domus tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus ob vitam & converſationem in eadem habitantium inhoneſtam ferè ad nihilum deveniſſet, jamdictus Epiſcopus, ejuſdem domus conſentientibus fratribus, vos ibidem ſtatuit in humilitatis ſpiritu Domino ſervituros, domum ipſam aſſignans vobis cum ſuis pertinentiis univerſis. Sed his poſtmodum coram ipſis judicibus propoſitis, ſeriatim de cauſa mutationis illius, & an fratres Fontis Giardi conſenſiſſent ſpontanei vel inviti; necnon & de aliis circumſtantiis, ex parte ipſorum fratrum extiterunt producti teſtes in præſentia eorundem. Quorum tandem atteſtationibus publicatis, quia eiſdem judicibus arduum negotium & ad expediendum per ipſos difficillimum quodam modo videbatur, ſicut eorum tranſmiſiſſæ nobis litteræ continebant, cauſam ipſam cum atteſtationibus, actis, & inſtrumentis ad nos dicti judices tranſmiſerunt. Cùmque demum dilecti filij Gaufridus & Galterus monachi veſtri & I. fratrum de Linceio procuratores propter hoc ſe noſtro conſpectui præſentaſſent, dilectum filium L. Capellanum noſtrum eis conceſſimus auditorem. Coram quo prædicti procuratores veſtri proponere curarunt quòd is qui ex parte dictorum heremitarum unà cum Priore de Linceio ſe ſibi contrarium opponebat, non erat idoneus procurator, cùm eſſet à fratribus de Linceio tantùm conſtitutus in lite quæ à prædictis fratribus Fontis Giardi fuerat conteſtata, licèt illorum nullum poſſet exhibere mandatum. Nam quamquam locus ille, Linceius videlicet, Fonti Giardi tamquam capiti ſit ſubjectus, & de ipſo commiſſionis litteræ faciant mentionem, quia tamen actum extitit ſuper capite atque membris, procurator membri non poterat agere pro capite ubi lis per caput extiterat conteſtata; nihilominus hac ſalva exceptione iidem procuratores adicientes nihil horum fuiſſe probatum de his quæ fuerant in litteris commiſſionis expreſſa: quia cùm ſuper hoc eſſent litteræ impetratæ quòd præfati fratres Fontis Giardi fuerant, ut dicebant, violenter ejecti, lis extitit ſuper aliis prorsùs coram ipſis judicibus quàm ſuper ejectione ac violentia conteſtata, & teſtes etiam omnino de aliis deponebant; procurator verò à vobis conceſſus ad cauſam coram ſæpedictis judicibus peragendam in his videbatur tantummodo inſtitutus quæ in litteris fuerant commiſſionis expreſſa, unde ſi ſuper aliis lis extitit conteſtata, non potuit illorum judicum juriſdictio prorogari. Et propter id firmiter aſſerebant judices

ipſos minùs ordinatè in eodem negotio ac perperam proceſſiſſe. Quare vos ab ipſis judicibus ad noſtram audientiam poſtmodum appellaſtis; licèt teſtes qui fuerant ab adverſa parte producti, tam ſuper metu quàm illicita pactione deponere videbantur, eſſent in ſuo teſtimonio ſingulares. Proinde cùm nihil eſſet de alterius intentione probatum, & ex litteris bonæ memoriæ Willelmi Cenomanenſis Epiſcopi manifeſtè conſtaret, confirmationibus quoque felicis recordationis Eugenij & Alexandri prædeceſſorum noſtrorum Pontificum Romanorum poſtmodum ſubſecutis, ſæpefatum locum cum pertinentiis ſuis de conſenſu fratrum habitantium in eodem monaſterio veſtro fuiſſe collatum, & præmiſſus Hamelinus Cenomanenſis Epiſcopus modernis temporibus, pro eo quòd loci ejuſdem fratres vitæ ac converſationis extiterant diſſolutæ, duorum confirmationibus Metropolitanorum obtentis, eundem locum de conſenſu fratrum veſtro monaſterio conceſſiſſet, prædicti procuratores veſtri à nobis poſtulabant inſtanter ut ſæpefatis Fontis Giardi fratribus perpetuum ſilentium imponere dignaremur. Ad hæc autem pars adverſa reſpondit quòd prædictus procurator fratrum de Linceio ſatis erat idoneus ad agendum, cùm reſcriptum illud tam nomine ipſorum de Linceio quàm Fontis Giardi fratrum fuiſſet communiter impetratum; præſertim cùm aſſereretur domus eadem unum corpus, & cauſa inter eos proponeretur communis; allegans illud firmiter non obſtare quod à parte veſtra extitit tunc objectum, procuratorem dictum, à vobis videlicet conſtitutum, non potuiſſe litem ſuper aliis conteſtari quæ non fuerant in litteris commiſſionis annexa, nec judices etiam partes ſuas interponere potuiſſe, cùm ad ipſos nequiverit juriſdictio prorogari. Nam cùm lis per principales perſonas conteſtata fuiſſet, ſicut in relatione judicum conſpicitur contineri, nec in litis conteſtatione nec poſt publicationem teſtium id extitiſſet objectum, nec quod per procuratorem eundem factum fuerat, à vobis protinus contradictum, hujuſmodi objectio debebat frivola reputari. Demum autem ex parte dictorum fratrum Fontis Giardi in modum exceptionis extitit allegatum quòd litteræ præmiſſi Willelmi Cenomanenſis Epiſcopi erant falſæ, pro eo ſcilicet quòd ſigillum ejus erat poſitum ex tranſverſo, petens ad id probandum judices ſibi dari. quam exceptionem, quia fruſtratoria videbatur, nullatenus duximus admittendam. Nos igitur intellectis his & aliis per prædictum Capellanum quæ à partibus propoſita fuerant coram eo, & habito cum fratribus noſtris diligenti tractatu, vos & monaſterium veſtrum ab impetitione præmiſſorum fratrum Fontis Giardi prorsùs abſolvimus, perpetuum ipſis ſuper hoc ſilentium imponentes. Donationem verò bonæ memoriæ Guillelmi Cenomanenſis Epiſcopi à felicis recordationis Eugenio & Alexandro noſtris prædeceſſoribus confirmatam, necnon & conceſſionem quam prædictus Hamelinus Cenomanenſis Epiſcopus cum aſſenſu fratrum & I. patroni Fontis Giardi fecit, confirmatam poſtmodum à Gaufrido quondam Turonenſi Archiepiſcopo & Iohanne ſucceſſore ipſius, ratam habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. diffinitionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani 11. Idus Iulij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

EPISCOPO ET DECANO & Cantori Andegavenſibus.

Epiſt. 11. Super eum

CVm cauſam quæ inter dilectos filios heremitas Fontis Giardi ex parte una & Abbatem & conventum majoris monaſterij Turonenſis & Iuhellum de Meduana patronum Fontis Giardi Cenomanenſis dioceſis ſuper eodem loco ex altera vertebatur &c. *in eundem ferè modum ut in alia uſque* confirmamus. Volentes igitur ut quod à nobis eſt ratione prævia diffinitum debitam obtineat firmitatem, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus id faciatis auctoritate noſtra firmiter obſervari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero ea &c. Datum ut in alia per totum.

HENRICO GNEZNENSI Archiepiſcopo.

Epiſt. 11. De electione Epiſcopi Posnanienſis. Vide Dlugoſſa lib. 6. hiſt. Polon. pag. 504.

CVm Poſnanienſes Canonici electionem quam de dilecto filio magiſtro Paulo celebraſſe noſcuntur auctoritate peterent apoſtolica confirmari, dilectus filius S. Cantor Poſnanienſis Eccleſiæ pro ſe ac procuratorio nomine pro G. ejuſdem loci Præpoſito petitioni hujuſmodi ſe oppoſuit, proponendo electionem ipſam fuiſſe poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam celebratam. Cùm enim ad nos fuerit appellatum ut nonniſi de Eccleſiæ gremio

& in loco tuto electio fieret, supradicti Canonici non solùm de persona extranea, verùm etiam in loco non tuto, electionem celebrarunt eandem: quia dum dominus terræ, persecutor & impugnator ecclesiasticæ libertatis, in civitate tunc temporis esset præsens, libera ibidem non poterat electio celebrari. Proposuit insuper idem Cantor quòd se ac Præposito memorato contemptis, in eadem fuerat electione processum, & electores tunc temporis excommunicationis erant vinculo innodati. Cùm enim tu, [Philippo] quondam Episcopo &.. Decano Posnanensibus necnon & suffraganeis plerisque præsentibus, V. Cancellarium Posnanensem in plena synodo vinculo excommunicationis astrinxeris, iidem Canonici diutiùs communicaverunt eidem, quamquam ipsis non licuerit ignorare sententiam in provinciali Concilio solemniter promulgatam. Sed ad hæc fuit ex adverso responsum quòd contra provocationem prædictam nihil fuerat attentatum, cùm & de Canonico ipsius Ecclesiæ, & in loco consueto & tuto, videlicet in Ecclesia cathedrali, electio celebrata fuisset. Licèt enim Dux in civitate præsens extiterit, nullam tamen vim sive impressionem Canonicis intulit, sed pro quibusdam tantummodo preces fudit. Unde tanta in electione usi sunt Canonici libertate quòd omissis his pro quibus Dux preces porrexerat, supradictum magistrum liberè elegerunt. Duo quoque Canonici, qui electioni contradixere præfatæ, liberè recesserunt sine quibuslibet injuriis & jacturis. Dictus autem Cantor contemptus non fuerat, ut dicebat; cùm, sicut ipsemet proposuit coram nobis, tribus hebdomadibus ante electionem de provincia exiens, iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi; maximè cùm juxta confessionem suam, etiamsi præsens in provincia tunc fuisset, propter metum Principis ad præfatam nullatenus accessisset Ecclesiam, etiam evocatus. Sed nec Præpositus dicendus erat fuisse contemptus, quem ad electionem Canonici vocaverunt. Sicut enim Lambertus & Matthias Posnanienses Canonici apud sedem apostolicam interposito juramento dixerunt, Geras eorum concanonicus per tres dies ante electionem extitit ad vocandum Præpositum destinatus: qui rediens, in Capitulo constanter asseruit quòd Præpositus venire nolebat, eò quòd ibat in Calis, ubi Capellam & fratrum regimen obtinet, sed consensum & verba sua in ore Decani ponebat, & loco Præpositi postmodum Decanus elegit. Unde cùm Decanus vice ipsius elegerit, ipse per illum præsens intelligitur elegisse. Insuper ad Canonicorum notitiam non pervenerat hactenus excommunicatio Cancellarij supradicti, de qua nuper iidem Lambertus & Matthias mentionem apud sedem apostolicam audierunt; cùm etiam præfatus Episcopus usque ad mortem suam & Decanus usque nunc in ipsius Cancellarij communione permanserint, qui dicuntur in præfata synodo fuisse præsentes. Sed etsi dictos Canonicos excõmunicato communicasse constaret, cùm per hoc nonnisi minori essent excommunicatione ligati, non ideo esset eis actus legitimus interdictus. In personam quoque prædicti magistri objectum extitit quòd excommunicatus erat pariter & perjurus, quia præfato Duci, non solùm in verbo, sed & in crimine communicaverat contra ecclesiasticam libertatem, & quia cùm excommunicatis se non communicaturum juraverit, contra proprium veniens juramentum, eidem Duci excommunicato communicare præsumpsit. Fuit insuper propositum contra eum quòd ante confirmationem obtentam receperat anulum & baculum pastoralem. Pro eo verò fuit responsum ad primum quòd præfato Duci nequaquam communicaverat, nisi tantùm in his quæ ad correctionem spectabant ipsius, ut videlicet ab Ecclesiæ persecutione desistens, ad tua mandata rediret. Sed etsi communicasset eidem in aliis, ex eo tamen esset non immeritò excusandus quòd idem Dux per omnes Ecclesias cathedrales Poloniæ fecerat nuntiari, priusquam in eum excommunicationis sententia promulgata fuisset, se ad sedem apostolicam appellasse. Unde meritò potuit opinari quòd non fuerit sententia supradicta ligatus, cùm & adhuc super hoc controversia ventiletur. Sed nec illud poterat magistro sæpedicto nocere quòd ante confirmationem receperat anulum & baculum pastoralem; cùm non hoc ex ambitione factum fuerit, sed cautelà. Cùm enim Dux episcopatum consueverit pro sua voluntate conferre, insigniis hujusmodi assignatis, ad hujusmodi consuetudinem immo corruptelam potiùs abolendam super altare posita fuerunt insignia supradicta, ne ad illa Dux manus extendens, electionem ipsam, quæ ibidem tunc primò celebrata regulariter fuerat, impediret: quæ postmodum magister exinde Decano porrigente recepit, ne Dux illa præcipiens secundùm consuetudinem sibi tradere nite-

retur abusum. Proposuit insuper dictus Cantor quòd cùm electionis decretum nobis minimè offerretur, petitioni hujusmodi annuere nullatenus debebamus. Ad quod altera pars respondit ex ejusdem S. confessione constare quòd decretum confectum fuerat & oblatum tibi apud Bononiam constituto, à quo ad nostrum examen fuerat idem negotium per appellationem delatum. Supradicti quoque Lambertus & Matthias jurati dixerunt quòd viginti unus ex Canonicis Posnaniensibus qui præsentes electioni consenserant, subscripserant in decreto; uno tantùm excepto, qui recedens proposuit se nolle propter tuam offensam in Capitulo remanere. Contra quod pars altera replicavit quòd decretum hujusmodi nullius momenti extitit, cùm illo non fuerit sigillo munitum quod Capitulum consuevit habere. Sed ad hoc pars adversa respondit quòd etsi sigillo absque litteris uti consueverit Capitulum memoratum, quod non Canonicorum sigillum sed potiùs jumentorum cauterium videbatur, habito tamen ab ipsis ante electionem de illo innovando tractatu, post electionem extitit innovatum, & sic electionis decretum novo sigillo postea munierunt. His igitur & aliis intellectis quæ utrinque fuere proposita coram nobis, licèt electio supradicta suspecta nobis quodam modo prima facie videretur ex eo quòd tuum ei favorem impendere noluisti, præsertim cùm eò ampliùs in his & aliis disponamus favorem tibi apostolicum exhibere quò promptiùs, propria quiete postposita, multis laboribus & periculis te exponis ob defensionem ecclesiasticæ libertatis, quia tamen cum Posnaniensi Ecclesia, quæ in electione prædicta nova cœpit libertare gaudere, benignè agere nos oportet, postquam probationibus & allegationibus fuit renuntiatum hinc inde, admonitione multiplici immo districta jussione præmissa, ut idem electus ad libertatem ecclesiasticam conservandam assistere tibi studeat fideliter & devotè, de fratrum nostrorum consilio electionem ipsam sententialiter duximus confirmandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus eundem electum devotè tibi obsequi cupientem habens ob nostram reverentiam commendatum, circa eum tempore opportuno quæ ad tuum officium pertinent exequaris. Nos enim tam Posnaniensi Capitulo quàm clero & populo civitatis & diocesis Posnaniensis nostris damus litteris in mandatis ut eidem tamquam electo suo reverentiam & obedientiam exhibentes, ejus intendant salubribus monitis & mandatis. Datum Laterani XVI. Kal. Augusti, anno quartodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Capitulo Posnaniensi. Cùm electionem quam de dilecto filio magistro Paulo noscimini celebrasse &c. *usque* novo sigillo postea communistis. His igitur &c. *in eundem ferè modum usque* confirmandam. Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta mãdamus quatinus eidem tamquam electo vestro reverentiam & obedientiam exhibentes, ejus intendatis salubribus monitis & mandatis. Nos enim præfato Archiepiscopo litteris nostris injungimus ut eundem electum devotè sibi obsequi cupientem habens ob nostram reverentiam commendatum, circa eum tempore opportuno quæ ad suum officium pertinent exequatur. Datum ut in alia per totum.

In eundem ferè modum scriptum est clero & populo civitatis & diocesis Posnaniensis. Cùm Posnanienses Canonici electionem &c. *in eundem ferè modum ut in prima usque* confirmandam. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem tamquam electo vestro &c. *sicut in secunda usque in finem.* Datum &c.

EPISCOPO SALIMBRIENSI, & Varisiensi electo, & Theoderico Canonico Constantinopolitano.

Epist. 10. Confirmat electionem Episcopi Nicomediensis.

TAm ex litteris dilectorum filiorum Capituli Nicomediensis Ecclesiæ quàm carissimi in Christo filij nostri illustris Constantinopolitani Imperatoris accepimus quòd.. ejusdem loci electo viam universæ carnis ingresso, iidem Capitulum convenientes in unum, dilectum filium S. ejusdem Ecclesiæ Thesaurarium, sancti Spiritus gratia invocata, elegerunt unanimiter in pastorem; sed cùm electionem ipsam à bonæ memoriæ Patriarcha Constantinopolitano petierint confirmari, ipse nihil obiciens quare id fieri non deberet, eandem confirmare penitùs recusavit. Vnde cùm tam à prædicto Imperatore quàm aliis exoratus ipsam hujusmodi adjecta conditione voluerit postmodum confirmare ut sibi partem possessionum ejusdem Ecclesiæ retineret, ipsi deliberatione præhabita id facere penitùs recusantes, dictum S. ad sedem apostolicam destinarunt, electionem ipsam auctoritate postulantes apostolica confirmari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si electionem eandem de

persona idonea repereritis canonicè celebratam, vos eam auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo confirmetis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani VII. Kalen. Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

FRATRIBVS MILITIÆ Templi de Aventino.

Epist. 91. Confirmatur eorum translatio.

EXaminata causa quæ inter vos ex una parte ac dilectos filios Abbatem & monachos Criptæ ferratæ ex altera super Ecclesia sanctæ Mariæ de Sorresco cum pertinentiis suis in nostra præsentia vertebatur, testibus & instrumentis utrinque productis, tandem inter vos & eos compositio nobis mediantibus intervenit, ut vos Ecclesiam memoratam cum omnibus ad ipsam spectantibus perpetuò habeatis liberè ac quietè, quibus Abbas & monachi supradicti omni liti & petitioni cedentes remiserunt quodlibet jus quin etiam concesserunt quod habere videbantur in eis; ita quòd vos triginta solidos Provenienſium Senatus, census nomine, annuatim eisdem in festo Assumptionis beatæ Mariæ persolvatis in urbe. Nos igitur compositionem ipsam ab utraque parte sponte receptam auctoritate apostolica confirmantes, eandem decernimus inviolabiliter observari. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Non. Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET MONACHIS Criptæ ferratæ.

Epist. 92. Super eodem.

EXaminata causa quæ inter vos ex una parte ac dilectos filios fratres militiæ Templi de Aventino ex altera &c. *per totum ut in alia usque* intervenit, ut iidem fratres Ecclesiam memoratam cum omnibus ad ipsam spectantibus perpetuò habeant liberè ac quietè, quibus vos omni liti & petitioni cedentes remisistis quodlibet jus quin etiam concessistis quod habere videbamini in eisdem; ita quòd dicti fratres triginta solidos Provenienſium Senatus, census nomine, annuatim vobis in festo Assumptionis beatæ Mariæ persolvant in urbe. Nos igitur &c. *per totum ut in alia usque in finem.* Datum ut in alia per totum.

PATRIARCHÆ GRADENSI, & Episcopo Castellano.

Epist. 93. De electione Episcopi Durachiensis.

EX litteris dilectorum filiorum Capituli Durachiensis accepimus quòd bonæ memoriæ M. ipsorum Archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, iidem, ne dicta Ecclesia, quæ jamdudum per tempora ex defectu pastoris lapsum gravem senserat & ruinam, patris absentiam diutiùs deploraret, convenientes in unum, & spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium A. Constantinopolitanum Præpositum Venetiis existentem sibi elegerunt concorditer in pastorem, nobis humiliter supplicantes ut quia Constantinopolitana Ecclesia noscitur nunc vacare, à qua fuerat confirmationis gratia expetenda, & ipsam electionem confirmare auctoritate apostolica dignaremur, & electo faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquiratis de ipsa electione diligentiùs veritatem, & si eam inveneritis canonicè de persona idonea celebratam, ipsam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis, electo consecrationis munus postmodum impendentes. Datum Laterani I V. Non. Augusti, anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO HERACLIENSI, & Decano sanctorum quadraginta Constantinopolitano.

Epist. 94. De ablatis Ecclesiæ S. Sophiæ restituendis.

DIlecti filij Capitulum sanctæ Sophiæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ nostris auribus intimarunt quòd nobilis vir Comes Bertoldus ac nobilis mulier relicta Marchionis Montis ferrati & quidam alij Constantinopolitanæ ac Thessalonicensis diocesum quasdam possessiones Ecclesiæ suæ, de quibus ipsis debent necessaria ministrari, in ipsorum detinent præjudicium occupatas. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus detentores prædictos ad restitutionem debitam detentorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui fuerint nominati, &c. *usque* testimonium perhibere. Datum Laterani II. Non. Augusti, anno quartodecimo.

EBREDVNENSI ARCHIEPISCOPO, & Vticensi apostolicæ sedis Legato & Regensi Episcopis.

Epist. 95. De absolutione Roncelini.

CVm Roncelinus, qui habitu monachali rejecto Massilienſis civitatis do-

Vide lib. 12. epist. 106 107.

minium sibi temerè usurparat, propter apostasiam, perjurium, & incestum, necnon rapinas, & quædam alia dudum à nobis & postmodum à te, frater Regensis, & bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro tunc apostolicæ sedis Legatis excommunicatus extiterit, tam civitate Massiliensi quàm universa terra ipsius ecclesiastico supposita interdicto, sano consilio tandem ductus, .. nobili muliere dimissa, rejectum habitum reassumpserit humiliter & devotè, ac à te, frater Vticensis, excommunicationis & interdicti sententias petierit relaxari, tu sufficienti ab ipso cautione recepta, in civitate Massiliensi relaxasti sententiam interdicti, eidem R. firmiter injungendo ut per se ipsum vel per fidelem nuntium, si forsan infirmitate vel alia justa causa personaliter ad nos accedere non valeret, nostro se curaret conspectui præsentare, apostolicæ benignitatis misericordiam petiturus. Qui humiliter tuis mandatis obtemperans, laborem subiit ad sedem apostolicam veniendi; sed tam propter viarum pericula quàm propter invalitudinem corporis præpeditus, procedere non potuit ultra Pisas. Propter quod exinde dilectos filios P. de Montelauro Aquensem Archidiaconum & Cellarium monasterij sancti Victoris & V. Canonicum Massiliensem procuratores suos ad nostram præsentiam destinavit; per quos fuit nobis humiliter supplicatum ut & absolutionis beneficium dicto R. faceremus impendi, & patrimonij sui curam habere permitteremus eundem, tam tuis, frater Vticensis, & Metropolitani ac Abbatis sui quàm venerabilis fratris nostri Episcopi, Capituli, ac Militum, & universi populi Massiliensis, necnon & aliorum quamplurium prælatorum nobis super hoc litteris præsentatis, qui nos ad id triplici præcipuè ratione inducere satagebant. Cùm enim nullus præter ipsum in domo sua masculus sit superstes, si terræ suæ hominibus, qui eundem sincerissimè diligunt, non præesset, Ecclesiis, piis locis, & aliis gravia possent dispendia provenire. Cùm etiam multas violentias commiserit & rapinas, & magna subierit hactenus onera debitorum, si prohiberetur eidem provisio terræ suæ, vix quisquam inveniretur qui satisfaceret de prædictis, & multi multipliciter, non absque gravi scandalo, suis justitiis fraudarentur. Quoniam igitur sacrosancta Romana Ecclesia nulli humiliter redeunti gremium suum claudit, nos illius exemplo qui non vult mortem peccatoris, sed potiùs ut convertatur & vivat, cùm majus gaudium sit angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super nonaginta novem justis qui se credunt pœnitentia non egere, de jamdicti R. pœnitentia exultantes, qui diù fuerat in vanitatibus seculi evagatus, venerabili fratri nostro Pisano Archiepiscopo dedimus in mandatis ut ipsi juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendat, & injungat eidem ut mandatis vestris humiliter pareat quæ super prædictis ipsi duxeritis facienda. Porrò super patrimonij sui cura ita duximus ex benignitate apostolica providendum, ut idem R. cum comparticipibus suis priùs dividat totam terram infra civitatem & extra, & de portione quæ ipsum de jure continget, cum Abbatis sui conniventia & assensu eidem cœnobio alia congrua portio designetur, de residuo verò cum vestro & ejusdem Abbatis consilio pro prædictorum omnium satisfactione disponat prout meliùs videbitur expedire. Portionis verò monasterio designandæ provisio, propter necessitatem urgentem & evidentem utilitatem, eidem R. à suo committatur Abbate; ita quòd ipse ob gratiam sibi factam novæ conversationis studio se reddere studeat omnibus gratiosum, tam in habitu quàm in aliis nihil prorsùs attentans contra monasticam honestatem. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus juxta formam præscriptam in ipso negotio sublato appellationis obstaculo procedatis, contradictores censura ecclesiastica compescendo. Datum Laterani 11. Non. Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

CVm Roncelinus &c. *ut in alia usque* à nobis & postmodum à venerabili fratre nostro Regensi Episcopo & bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro &c. *usque* humiliter & devotè, ac à venerabili fratre nostro Vticensi Episcopo apostolicæ sedis Legato excommunicationis & interdicti sententias petierit relaxari, memoratus Legatus sufficienti ab ipso cautione recepta in civitate Massiliensi relaxavit sententiam interdicti, eidem R. firmiter injungendo &c. *usque* petiturus. Qui humiliter Legati mandatis obtemperans &c. *per totum ut in alia usque* permitteremus eundem tam supradicti Legati & Metropolitani ac Abbatis sui &c. *per totum ut in alia usque* in vanitatibus seculi evagatus,

Epist. 14. Super eodem.

fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi juxta formam Ecclesię beneficium absolutionis impendas, & injungas eidem ut mandatis venerabilis fratris nostri Ebredunensis Archiepiscopi ac dictorum Vticensis & Regensis Episcoporum, quibus super hoc dirigimus scripta nostra, humiliter pareat quæ super prædictis ei duxerint facienda. Datum ut in alia per totum.

CAPITVLO SANCTÆ SOPHIÆ, ac universis Prælatis conventualium Ecclesiarum Constantinopolitanarum.

Epist. 97. De electione Patriarchæ Constantinopolitani.

PEr litteras vestras, filij Prælati, nostro nuper apostolatui reseratis quòd bonæ memoriæ Thoma Patriarcha Constantinopolitano apud Thessalonicam extrema ægritudine laborante, vos, ne circa Patriarchæ substituendi electionem vobis præjudicium fieret metuentes, in Ecclesia sanctæ Sophiæ, Decano & Canonicis ejusdem præsentibus, nostræ constitutionis authenticum, quod super forma electionis in Constantinopolitana Ecclesia celebrandæ à nobis dudum obtentum fuerat, perlegistis, sed cùm propter quorundam Canonicorum absentiam certum recipere nequiveritis tunc responsum, auctoritate studuistis apostolica prohibere ne super electione in vestrum præjudicium sive contra mandati nostri tenorem aliquid fieret, ad sedem apostolicam appellantes, cùmque die tertia pro recipiendo responso, prout condictum fuerat, venissetis, multitudinem Venetorum in eandem Ecclesia invenistis tam in stallis quàm circa altare irreverenter armatam, & eis qui electioni se Venetorum opponerent, membrorum truncationem ac mortem non absque multis clamoribus intentantem. Vobis autem expectantibus deforis, quædam Venetorum Canonicorum pars prosiliens subitò de conclavi, ubi fuerant obserati, nonnullis ex Canonicis aliis recedentibus à consilio eorundem, Decanum ejusdem Ecclesiæ nominavit. Quod vos extrinsecus positi sentientes, electioni hujusmodi studuistis contradicere juxta posse, in crastino appellationem priùs ad nos interpositam coram Constantinopolitani cleri multitudine innovando. Postmodum verò tres personas, videlicet venerabilem fratrem nostrum Cremonensem Episcopum & dilectos filios Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem & magistrum Robertum de Corzon Canonicum Parisiensem, unanimiter nominantes, easdem à sede apostolica postulastis ut earum aliqua juxta nostræ voluntatis arbitrium præficeretur Ecclesiæ memoratæ. Cùm autem nuper utriusque partis procuratoribus propter hoc ad sedem apostolicam constitutis super electione ac postulationibus memoratis inquisissemus plenius veritatem, licèt ex parte vestra, filij Capitulum, propositum fuerit quòd priùs quàm statutum apostolicum vobis ostensum aut aliqua prohibitio facta fuerit, tractatus habitus fuerat super prædicti electione Decani, quæ nondum extiterat publicata, quia nobis constitit evidenter electionem ipsam à vobis, filij Capitulum, post statutum apostolicum vobis ostensum & appellationem ad nos legitimè interpositam, quibusdam exclusis atque contemptis qui volebant & debebant pariter interesse, minùs canonicè celebratam, ut de ceteris quæ tam contra electionis processum quàm contra personam electi fuere proposita taceatur, & ad postulationes præfatas à vobis, filij Prælati, inconsultè processum, tam illam quàm istas de fratrum nostrorum consilio duximus reprobandas, devotioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes quatinus omni vitio simultatis exploso, tam loco quàm voto convenientes in unum, & sancti spiritus gratia invocata, talem vobis personam eligatis canonicè in pastorem quæ scientia, vita, & fama præpolleat, tanto congruat oneri & honori, ut vestris parcatis laboribus & expensis, & apostolicum vobis favorem ex hoc valeatis plenius comparare; pro certo scientes quia si vel persona non esset idonea vel forma canonica, nos defectum vestrum auctoritate apostolica suppleremus. Datum Laterani Non. Augusti, anno quartodecimo.

EPISCOPO ZARATONIENSI, & Decano Thebano, & Cantori Davalienſi.

Epist. 98. Delegat inquisitionem contra Episcopum Neopatrensem.

DIlecti filij Decanus & Capitulum Neopatrensis Ecclesiæ nobis denuntiando monstrarunt quòd venerabilis frater noster .. eorum Archiepiscopus antequam ad dignitatis apicem ascendisset, licèt esset in sacerdotali officio constitutus, comam tamen nutriens, contra Latinos in Græcorum auxilium cum Arguro quondam Corinthi Domino tamquam laicus pariter arma sumpsit, & circa eundem in Militis officio per annum & amplius serviens, nonnullos Latinos dicitur occidisse. Verùm cùm postmodum per electionem quo-

rundam Canonicorum, qui ejusdem flagitia penitùs ignorabant, adeptus fuit regimen Ecclesiæ memoratæ, abjecta penè penitùs modestia pastorali, neglexit prorsùs consulere famæ suæ; sed ipsam potiùs evacuans vivendo perversè, contemnit tamquam hæreticus celebrare ac audire divina, nec, ut tenetur, per seipsum horas canonicas Deo reddit, nec coram eo ipsas facit per ministros Ecclesiæ decantari, bona ipsius Ecclesiæ dilapidans enormiter pro suæ voluntatis arbitrio & devastans. Præter hæc autem, cùm in præsentia bonæ memoriæ Thomæ Constantinopolitani Patriarchæ præstitisset astantibus pluribus corporaliter juramentum quòd tam possessionum quàm proventuum ipsius Ecclesiæ portionem, per eundem Patriarcham sententialiter adjudicatam eisdem, ipsos permitteret pacificè possidere, nec super ea eosdem aliquatenus molestaret, ipse suis perversitatibus volens iniquitatum cumulum aggregare, dicto Patriarcha carnis debitum exolvente, præfatos Canonicos eadem portione auctoritate propria spoliavit, contra juramentum proprium temerè veniendo. Insuper etiam idem Archiepiscopus quendam monachum in habitu monachali & quendam alium sacerdotem, quem ad presbyteratus officium fecerat promoveri, & tres alios laicos homines Ecclesiæ supradictæ per quosdam servientes suos suspendio jussit tradi, funem qua idem extiterunt suspensi eisdem servientibus manu propria tribuendo, & ipsos compellendo ad hoc flagitium in salutis suæ dispendium & scandalum plurimorum. Vnde nobis dicti Canonici humiliter supplicarunt ut ad excessus hujusmodi corrigendos manus nostras apponere dignaremur. Nolentes igitur hæc, si vera sunt, conniventibus oculis pertransire, qui nedum arbores extirpare inutiles, verùm etiam plantare fructiferas in dominico agro tenemur, discretioni vestræ per apstolica scripta mandamus quatinus inquiratis super præmissis diligentissimè veritatem, & quæ inveneritis fideliter redigentes in scriptis, ea nobis sub sigillis vestris transmittatis inclusa; ut per vestram relationem instructi, securiùs in his procedere valeamus. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum apud Criptam ferratam XII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI de Flore.

Epist. 31 Confirmat eis Ecclesiæ Calabromariæ.

INter vos & monachos Curacenses super Ecclesia Calabromariæ, quam ipsi cum suis pertinentiis ad suum monasterium de jure spectare dicebant & à vobis minùs licitè detineri, diù est quæstio agitata, sed tandem venerabilibus fratribus Squillacensi & Marturano Episcopis & dilecto filio Abbati Sambucinæ de consensu partium à nobis sub hac forma commissa, ut partibus convocatis audirent hinc inde proposita, & usque ad calculum diffinitivæ sententiæ appellatione postposita procedentes, si de partium voluntate existeret, causam ipsam fine debito terminarent, alioquin eandem sufficienter instructam sub sigillis suis nobis transmittere procurarent, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in ipsorum præsentia constitutis, proposuerunt Curacenses monachi coram ipsis quòd cùm ipsi pro notitia mutua & caritate fraterna quam cum Abbate ac monachis Calabromariæ habuerant, eisdem Abbati & monachis penuria laborantibus opportuna frequenter subsidia ministrassent, demum eodem Abbate defuncto, yconomus ejusdem & monachi, tum quia eorum monasterium collapsum erat in rebus temporalibus, tum quia ob paucitatem eorum illud per ipsos regi non poterat opportunè, dictum monasterium, quantum eisdem licuit, obtulerunt Cellario Curacensi, recipientes ab ipsis postmodum per eorum yconomum tam indumenta, calciamenta, corrigas, quàm etiam alia necessaria, præter victum, qui suppetebat eisdem monachis competenter. Sed quia id sibi absque Regis consensu, quem asserebant patronum ipsius Ecclesiæ principalem, ad vendicandum prorsùs ipsam Ecclesiam sufficere non credebant, carissimi in Christo filij nostri Frederici Siciliæ Regis illustris privilegium per manus venerabilis fratris nostri Gualteri de Palearia regni Siciliæ Cancellarij super eadem Ecclesia impetrarunt, confirmationem Capituli sanctæ Severinæ, in cujus diocesi dictum monasterium est constructum, super eodem per litteras pòst obtenta. Insuper etiam adjecerunt ipsi monachi Curacenses quòd Metropolitanus eorum, videlicet Archiepiscopus sanctæ Severinæ, secundo die post consecrationem suam factum præfati Capituli & dictam eisdem Ecclesiam confirmavit, ipsis exinde

privilegio

privilegio assignato. Et cùm hæc omnia per testes ab eis sint sufficienter probata, super proprietate Ecclesiæ memoratæ proponebant suam his pleniùs intentionem esse fundatam. Præter hæc autem Curacenses ipsi adversùs vos etiam intentarunt quòd cùm vobis in his omnibus suum consilium propalarint, & vos super narratis fraternum eisdem auxilium & consilium promiseritis impensuros, vestræ postmodum promissionis obliti, ad nobilem virum Petrum Guiscardi, qui erat illius terræ dominus, accedentes, monasterium illud ab eo concedi vobis cum instantia postulastis. Sed cùm idem id vobis primitus denegasset, interventu conjugis suæ tandem benivolè annuit votis vestris. Eo itaque sic obtento, jamdictæ sanctæ Severinæ Canonicos pro ipsa vobis Ecclesia conferenda precibus propulsastis. Super quo licèt emissæ preces, pro eo quòd electus eorum erat apud sedem apostolicam constitutus, à principio frustrarentur, comminationibus tamen ejusdem nobilis de propriis eis auferendis uxoribus, cùm sint Græci, sibi acriter intentatis, ipsam vobis Ecclesiam iidem postremùm confirmaverunt inviti. Post hæc verò prænominato electo à sede apostolica redeunti extra sedem propriam occurristis, prædictam ab eo Ecclesiam petituri. Sed cùm repulsam pateretur vestra petitio in hac parte, pro eo quòd idem electus nondum sedem propriam visitarat, per impressionem tandem & violentiam nobilis memorati prædictam vobis Ecclesiam compulsus est confirmare. Ad hæc autem vos in nostra præsentia respondistis è contrà quòd licèt Ecclesia ipsa per yconomum & monachos supradictos concessa fuisset monasterio Curacensi, prout ipsius monachi astruebant, concessionem talem his rationibus dicebatis penitùs non tenere; tum quia per illos eadem facta fuerat qui personæ non extiterant principales, Ecclesia tunc vacante; tum etiam quoniam longè antè per Kirolum quondam dicti loci Calabromariæ Abbatem, de consensu & voluntate suorum fratrum, tempore bonæ memoriæ * Ioachim primi Abbatis vestri, dicta Ecclesia vobis concessa fuerat, & post ipsius Kiroli obitum per ejusdem monachos ipsius concessio extiterat pluries innovata, processu temporis, primò quidem Capituli, & secundò electi confirmationibus accedentibus, non per impressionem vel violentiam nobilis antedicti, sed potiùs mera eorum & libera voluntate; assignando nihilominus rationes quòd privilegium antedictum Curacensibus non suffragaretur in aliquo, quia prædicta concessio, quæ facta fuerat minùs justè, per illud non intelligitur rationabiliter confirmata; maximè cùm notam expressæ cõtineat falsitatis, cùm legatur in ipso quòd Panormi per manus jamdicti Cancellarij eo tempore datum fuerit quo idem utique non Panormi sed alibi longè à Panormo manebat, & Rex, cujus auctoritate fieri videbatur, tunc temporis non custodiretur ab ipso, sed à Guillelmo Capparone temerè teneretur, qui etiam verum sigillum detinebat ipsius. Ad excusandum nempe privilegium supradictum præmissis pars monachorum Curacensium replicando respondit quòd cùm dictus Cancellarius à claræ memoriæ Constancia Imperatrice ordinarius totius regni & Regis administrator extiterit constitutus, id potuit facere ipsius Regis auctoritate licenter, utpote qui vices gerebat regias in hac parte. Insuper etiam Curacenses monachi addiderunt quòd etsi dictum privilegium per manus Cancellarij ob præmissa obtinere non posset robur debitæ firmitatis, censeri debebat validum pro eo quòd dictus Rex illud ex certa scientia postmodum confirmavit, cum ratihabitio retrotrahatur & mandato comparetur juxta legitimas sanctiones; nihilominus proponentes quòd etsi neutrum privilegiorum deberet legitimum judicari, ultimum debebat eis sufficere, quod idem Rex, postquam uxorem reduxit, super eadem Ecclesia concessit monasterio Curacensi. Ceterùm pars vestra ex adverso respondit quòd si confirmationem aliquam obtinuerunt de privilegio supradicto monachi Curacenses, ipsa nullius erat roboris vel vigoris; quia cùm ipsum privilegium à principio irritum extitisset, rata esse non poterat obtenta taliter confirmatio; super eo assignantes talem de privilegio ultimo rationem quòd de ipso non emolumentum sed pœnam deberent ipsi monachi potiùs reportare: quia cùm jam quæstio ipsius Ecclesiæ ad nostrum fuerit examen deducta, petierunt sibi rem litigiosam per potestatem secularem concedi seu etiam confirmari. Contra confirmationem autem seu concessionem Archiepiscopi allegastis quòd rem à vobis possessam, & ab eodem etiam confirmatam, ipse illis concedere vel confirmare non debuit; maximè postquam in litem deducta extitit, & ad censuram examinis nostri perlata. Vnde concessio vel confirmatio hujusmodi nullius debebat censeri valoris. Propter quæ

* Is est Ioachim Abbas cujus vaticinationem celebres sunt.

Vide gesta Innoc. III. cap. 23. 36.

super Ecclesia supradicta silentium imponi Curacensibus monachis & ab ipsorum impetitione absolvi penitùs petebatis. Cùm verò dicti judices super causæ meritis adinvicem discordarent, & partes causam ipsam nostro potiùs quàm eorum optarent judicio terminari, tam ipsam causam quàm partes cum rationibus quæ pertinebant ad eam juxta mandati nostri tenorem ad nostram præsentiam remiserunt. Demum itaque dilectis filiis Nicolao Curacensi & Hugone Priore sancti Georgij & Ioseph vestris monachis nostro conspectui præsentatis, & quæ acta fuerant coram judicibus supradictis & rationes alias nobis exponere procurantibus, nos illis diligenter auditis & perspicaciter intellectis, vos ab impetitione Curacensium super eadem Ecclesia per diffinitivam sententiam prorsùs absolvimus, eisdem super ipsa perpetuum silentium imponentes; præsertim cum illis regulam & institutionem Cisterciensis ordinis ab ipsa monasterij fundatione professis, absque superioris dispensatione non extiterit ad obtinendum sic Ecclesiam laborare. Nulli ergo &c. diffinitionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum apud Criptam ferratam 11. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

ARCHIEPISCOPO ET Decano & Cantori Cusentinis.

Epist. 100. Super eodem.

INter dilectos filios Abbatem & conventum de Flore ac monachos Curacenses super Ecclesia Calabromariæ, quam ipsi cum suis pertinentiis &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* laborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter diffinitum, vos per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo faciatis inviolabiliter observari. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum ut in alia per totum.

NOBILI VIRO C. IVDICI Turritano.

Epist. 101. Adversùs Ottonem Imper. Siciliæ inhiantem.

CVm Pisani contra prohibitionem & excommunicationem nostram Ottoni dicto Imperatori ad impugnandum regnum Siciliæ, quod Ecclesiæ patrimonium esse dinoscitur, navalem exercitum destinarint, & sit tibi & aliis Sardiniæ Principibus sollicitè præcavendum ne si forsan contra vos vel aliquem vestrum, paci quorum invident & quieti, vellent aliquid machinari, vos inveniant imparatos, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs, per apostolica scripta præcipiendo mandantess quatinus si dicti Pisani Sardiniam ingredi attentarint, tu ipsis unà cum aliis magnatibus Sardiniæ totis viribus resistere non omittas. De terra verò Galuari quam tenes, nullum cum Pisanis vel aliis sine nostro speciali mandato contractum inire præsumas. Datum apud Criptam ferratam 111. Non. Septembris, pontificatusnostri anno decimoquarto.

In eundem ferè modum scriptum est nobili viro Hugoni de Basso usque non omittas. Datum ut in alia per totum.

TVRRITANO ET ARBORENSI Archiepiscopis.

Epist. 102. Quòd [illegible] Calaritanus.

FRaternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatinus auditis his quæ dilectus filius nobilis vir W. Iudex Calaritanus super negotio Arborensi vobis duxerit proponenda, & pensatis prudenter circumstantiis rerum & personarum, temporum & locorum, salutare sibi consilium auctoritate apostolica tribuatis. Datum ut in alia.

TVRRITANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 10. De [illegible] judicis.

DIlectus filius nobilis vir W. Calaritanus judex petitorio nobis oblato suggessit quòd inter ipsum & nobilem mulierem G. filiam Comitis Guidonis, quam duxerat in uxorem, illa consistit linea parentelæ quæ inter eos legitimum existere conjugium non permittit. Vnde nobis humiliter supplicavit ut super hoc apostolico dignaremur ei suffragio providere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus assumptis venerabili fratre nostro Arborensi Archiepiscopo & alio viro prudente quem dicta mulier duxerit eligendum, audias causam cum illis vel eorum altero, si ambo nequiverint vel noluerint interesse, & eam appellatione remota canonico fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quòd si præfata nobilis infra terminum quem duxeris præfigendum tibi neglexerit conjudicem assignare, tu nihilominus secundùm formam præscriptam in causa procedas; præsertim si carnalis commixtio, sicut accepimus, inter eos non fuerit subsecuta. Datum ut in alia.

IEROSOLYMITANO Patriarchæ apostolicæ sedis Legato.

Epist 104. De causa Constabuli regis Cypri.

GRavi nobis dilectus filius nobilis vir G. Montis-Beliardi regni Ierosolymitani Comestabulus conquestione monstravit quòd cùm ipse carissimum in Christo filium nostrum Hugonem Cypri Regem illustrem & regnum ejus sicut bajulus fideliter custodierit, idem Rex, postquam ad legitimam pervenit ætatem, ipsi pro bonis mala retribuens, eundem & suos, licèt in ipsum defectum aliquem non invenerit, sine judicio curiæ à regno ejus ejecit, & sibi abstulit terram suam. Licèt autem dictus nobilis viribus, sicut asserit, jus suum recuperare potens existat, ob reverentiam tamen apostolicæ sedis & terræ sanctæ necessitatem, cui ex hoc posset periculum imminere, viribus adhuc uti noluit contra eum, sed potiùs ratione. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Regem efficaciter moneas & prudenter inducas ut pro reverentia apostolicæ sedis & nostra necnon terræ sanctæ subsidio, in quo idem nobilis strenuè proponitur laborare, ipsum in gratiam suam recipiens, sine difficultate sibi restituat jura sua; injungendo nihilominus nobili memorato ut eidem Regi servitium exhibeat & honorem. Licèt autem non intelligamus ad præsens super hoc aliud expressiùs injungendum, tibi tamen, de quo plenè confidimus, vices nostras duximus committendas ut prævia ratione procedas sicut providentia dictaverit procedendum. Datum Laterani VIII. Kal. Octobris.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENO.

Epist. 105. De revocanda usura O. de Dempera. * in Cod. Coll. de Impera

QVerelam dilecti filij nobilis viri O. * de Dempera recepimus continentem quòd licèt ipse nobilem mulierem E. sororem carissimi in Christo filij nostri Hugonis Cypri Regis illustris legitimè duxerit in uxorem, & inter eos matrimonium consummatum extiterit commixtione carnali, nobilis tamen vir R. nepos illustris Regis Armeniæ sibi eandem illicitè copulans, in animæ suæ periculum ipsam detinere præsumit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audias causam, & si de partium fuerit voluntate, ipsam canonico fine decidas; alioquin inquisita super his plenius veritate, nobis eam fideliter nuntiare procures, ut de vultu nostro judicium prodeat æquitatis. Datum Laterani VIII. Kalend. Octobris.

PRIORI ET FRATRIBVS sancti Bartholomæi de Trisulto Cartusiensis ordinis tam præsentibus quàm futuris heremiticam vitam professis in perpetuum.

Epist 106. De confirmatione privilegiorum.

VInea culturæ cælestis, in qua manu divina Cartusiensis est ordo plantatus, ita jam palmites suos longè latèque diffudit flores producentes & fructus uberes ac suaves ut eorum delectati fragrantia decreverimus juxta nos ipsius desiderabile germen habere, non solùm ut ejus intercessionibus apud Dominum efficaciùs adjuvemur, verùm etiam ut ipse ordo ex apostolicæ sedis vicinitate familiariùs sibi jungatur in visceribus caritatis. Vnde nos Ecclesiam sancti Bartholomæi de Trisulto jamdudum ordini vestro concessimus, facientes ibidem construi monasterium secundùm ipsius ordinis instituta. Vestris igitur justis precibus annuentes, præfatum sancti Bartholomæi monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut heremiticus ordo, qui secundùm Deum & institutionem Cartusiensium fratrum in eodem loco per nos institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum rationabiliter obtinet, aut in futurum &c. *usque* consistant. Terminos autem qui domui vestræ providè sunt statuti, auctoritate apostolica confirmamus. Qui profectò sunt hi; videlicet Rivus veniens de Guarcino usque dum jungitur flumini Colopardi apud sanctum Calixtum de Antonna, inde tenditur circumeundo per sanctum Gregorium de Obscurano, per Lavacellum, per sanctum Ægidium de colle, per collem de Arella, inde descenditur ad rivum Vallis ex parte Casemarij, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ de Macena. Ibi ex altera parte vallis incipiunt quædam montana usque contra Petramalam pervenientia per hæc loca, videlicet sanctum Iohannem de Pratellis, sanctum Angelum de Mortaria, vallem Fraxinorum. A Petramala itur circumeundo per montana usque dum venitur ad Campum vanum supra Guarcium; & inde descenditur per vallem citra Guarcinum usque ad rivum ejusdem castri in principio nominatum. Ad instar quoque felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui capitula subsequentia ordini vestro

concessit, sicut in ejus privilegio nos ipsi perspeximus contineri, auctoritate apostolica interdicimus & sub interminatione anathematis prohibemus ne quis infra prædictos terminos domus vestræ hominem capere, furtum seu rapinam committere, aut ignem apponere, vel homicidium perpetrare audeat, aut homines venientes ad domum vestram vel redeuntes ab ea quomodolibet perturbare; ut ob reverentiam Dei & domus vestræ infra præfatos terminos non solùm vos & fratres vestri, sed etiam alij plena pace gaudeant & quiete. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem vestram recipere, & eos absque ullius contradictione in vestro collegio retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem absque licentia sui Prioris fas sit de claustro vestro discedere. Discedentem verò absque litterarum communium cautione nullus audeat retinere. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis &c. *usque* præsumat. Adicientes quoque statuimus ut infra dimidiam leugam à terminis possessionum vestrarum nulli religioso liceat quodlibet ædificium de novo construere vel possessiones acquirere sine vestro consensu vel Romani Pontificis licentia speciali. Consecrationes verò altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipiatis Episcopo communionem & gratiam apostolicæ sedis habente, si ea vobis gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate vobis quod fuerit postulatum impendat. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne diocesanus Episcopus vel alia quæcunque persona vos ad synodos vel conventus ire forenses, seu judicio seculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domum vestram non vocatus ratione ordinis celebrandi, causas tractandi, vel aliquos publicos convocandi conventus venire præsumat, nec regularem electionem vestri Prioris impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cartusiensis ordinis se aliquatenus inrromittat. Porrò si diocesanus Episcopus vel alij Ecclesiarum rectores in monasterium vestrum &c. *usque* decernimus irritandam; nec litteræ illæ habeant firmitatem quas tacito nomine Cartusiensis ordinis contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Statuimus etiam ut propter interdictum terræ commune monasterium vestrum, excommunicatis & interdictis exclusis, à divinis non cogatur officiis abstinere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. Cunctis autem eidem loco &c. *usque in finem.* Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij 11. Kal. Octobris, Indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCCXI. pontificatus verò Dñi Innocentij Papæ III. anno XIV.

PRIORI ET FRATRIBVS Cartusiensibus.

Decr. 20. De Presbyt. qui amasiam habuit. Cap. Sicut. Innocent. à domino.

SIcut ex vestrarum tenore perpendimus litterarum, cùm quidam Presbyter vestri ordinis, qui priùs fuerat niger monachus, quandam mulierem prægnantem, cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, & quæ asserebat se concepisse ab eo, per zonam arripuerit quasi ludens, ipsa postmodum mulier sic ex eo se asserit fore læsam quòd occasione hujusmodi abortivit. Propter quod idem Presbyter proborum virorum usus consilio, se ipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum. Quare nobis humiliter supplicastis ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos verò devotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus quòd si nondum erat vivificatus conceptus, potest ministrare; alioquin ab altaris officio debet abstinere. Datum Laterani IV. Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis ad quos litteræ istæ pervenerint.

Decr. 21. De summa data pro ordine Cartusiensium & confirmatione.

CVm inter omnes religiosos nostri temporis viros Cistercienses & Cartusienses ordinum fratres magna per Dei gratiam polleant honestate, si quam forsitan inter eos, humani generis inimico disseminante zizania, materia litis exoritur, per quam apud eos sanctæ quietis otium perturbetur, nos, qui puritatem religionis ipsorum ferventi caritate zelamur, non possumus non moveri, scientes quòd contentiones hujusmodi, à suo proposito alienæ, religionis maculant puritatem, cùm secundùm Apostolum servum Dei non oporteat litigare. Vt igitur diabolicæ frau-

dis astutia, quæ ut in eis religionem commaculet, lites suscitat inter ipsos, per apostolicæ sollicitudinis studium celeriter elidatur, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus cùm in diocesibus vestris aliqua fuerit inter eos materia litis exorta, vos sine mora partes vestras interponatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam. Quòd si forsan hoc modo provenire non poterit, sine sumptu & strepitu causam inter eos mediante justitia terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo firmiter observari. Datum Laterani IV. Non. Octobr. pontificatus nostri anno quartodecimo.

CARISSIMO IN CHRISTO filio nostro Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 109. Vt castrum de Sinum restituat Templarios. Vide lib. 13. epist. 135.

GRave gerimus & molestum quòd cùm tu & alij crucesignati ad hoc debueritis circa captionem & detentionem imperij Romaniæ intendere principaliter ut per illud subveniretis commodiùs terræ sanctæ, tu non solùm eidem nullum curasti adhuc subsidium ministrare, verùm etiam fratribus militiæ Templi, qui pro ipsius terræ defensione totis viribus elaborant, infers molestias & jacturas, castrum de Situm super Ravenica cum pertinentiis suis ipsis auferens pro tuæ arbitrio voluntatis. Et licèt jam sæpe pro restitutione ipsius tibi direxerimus scripta nostra, tu tamen preces nostras pertransisti hactenus aure surda, prout debueras non attendens quàm benignè ac efficaciter tuas preces curaverimus exaudire, quantumve nostrum auxilium tibi fuerit hactenus opportunum: quod si tibi forsan, tua promerente duritia, duxerimus subtrahendum, experimento cognosces quantum tibi utile fuerit, quantumve subtractum afferat detrimentum. Quocirca serenitatem tuam rogamus atque monemus & exhortamur in Domino quatinus castrum præfatum cum pertinentiis ejus sine difficultate restituas fratribus antedictis, & nullam super eo de cetero ipsis molestiam inferas vel gravamen. Alioquin, cùm eis ulteriùs nolimus, sicuti nec debemus, in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, pro certo cognoveris quòd super hoc officij nostri debitum exequemur. Datum Laterani III. Non. Octobr. pontificatus nostri anno quartodecimo.

THEBANO CAPITVLO.

Epist. 110. Confirmat remissionem crusticæ.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quòd cùm vos nobilibus viris Oddoni de Roca Domino Atheniensi & G. nepoti ejus trecenta viginti hyperpera & ampliùs teneremini nomine crusticæ reddere annuatim, dictus Oddo medietatem ipsius crusticæ pertinentem ad ipsum vobis pia liberalitate remisit; pro remissione verò medietatis alterius præfato G. quingenta hyperpera solvere certo termino promisistis. Vnde cùm nobilis vir Gaufridus Princeps Achaiæ, ad quem ratione feudi dicta crustica pertinebat, remissionem hujusmodi liberaliter acceptarit, nobis humiliter supplicastis ut remissionem eandem dignaremur vobis auctoritate apostolica confirmare. Nos igitur vestris precibus inclinati, remissionem crusticæ memoratæ, sicut piè ac providè facta est, & in authenticis inde confectis pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Kal. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET DILECTIS filiis Decano & T. Canonico Thebanis.

Epist. 111. Ejusdem argumenti cum epistola 155. libri 13.

VEnerabiles fratres nostri Davaliensis & Cardicensis Episcopi per suas nobis litteras intimarunt quòd cùm causam quæ super domo de Iheracomite ac rebus aliis valentibus duo millia sexcenta & decem & octo hyperpera inter dilectos filios fratres militiæ Templi ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Patracensem Archiepiscopum ex altera vertebatur, eis & dilecto filio * Nazarocensi electo duxerimus committendam, ipsi, cùm idem electus eis commiserit vices suas, & eisdem constiterit pleniùs prædictos fratres rebus præfatis fuisse contra justitiam spoliatos, possessionem earum, salva quæstione proprietatis, de prudentum virorum consilio sententialiter adjudicarunt eisdem, & condemnantes præfatum Archiepiscopum in moderatis expensis, in eos qui præsumerent eorum sententiæ contraire excommunicationis sententiam promulgarunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus prædictas sententias, diffinitivam videlicet, sicut est justa, per censuram ecclesiasticam, & excommunicationis, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam faciatis auctoritate nostra sublato appella-

* Supra lib. 13. epist. 155. Zaratorien.

tionis obstaculo firmiter observari. Quòd si non omnes &c tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani 11. Kal. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

AVELONENSI EPISCOPO, & dilecto filio Thesaurario & T. Canonico Thebanis.

Epist. 111. Confirmatur compositio facta inter Archiepiscopum & Capitulum Atheniense.

Dilecti filij Athenienſe Capitulum nobis humiliter ſupplicarunt ut compoſitionem inter eos ex parte una & venerabilem fratrem noſtrum eorundem Archiepiſcopum ex altera ſuper ipſius Eccleſiæ redditibus ac facultatibus amicabiliter initam auctoritate dignaremur apoſtolica confirmare. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus compoſitionem ipſam, ſicut ad utilitatem Eccleſiæ ſine pravitate providè facta eſt & ab utraque parte ſponte recepta, ac in authentico inde confecto pleniùs continetur, faciatis per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota firmiter obſervari. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Epiſcope, eum eorum altero ea &c. Datum Laterani 11. Kalend. Octobris, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

ARCHIPRESBYTERO SANCTI Laurentij, Abbati ſancti Gemini & ſanctæ Mariæ Novæ & ſancti Angeli de Spata, ſancti Stephani de Platea Fraianorum.

Epiſt. 113. Confirmatur eis relaxatio procurationũ.

Cvm à nobis petitur &c. *uſque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, relaxationem procurationum quam venerabilis frater noſter Raynerius Viterbienſis Epiſcopus ſponte ac providè vobis indulſit, ſicut piè ac providè facta eſt, & in inſtrumentis publicis noſcitur contineri, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. *uſque* noſtræ confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani v111. Idus Octobris, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

ABBATI SANCTI STEPHANI Bononienſis, & magiſtro Gregorio decretorum Doctori Bononiæ commoranti.

Epiſt. 114. Vt ſuſpendant Epiſcopum Alexandrinum.

Illius teſtimonium invocamus qui teſtis eſt in cœlo fidelis quòd quantum ipſe nobis donare dignatur, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, negotia quæ ad ſedem apoſtolicam perferuntur cum puritate ac honeſtate tractare ac expedire curamus, venalitatis vitium, quod ex cupiditate procedit, quæ radix eſt omnium vitiorum, omnimodis deteſtantes; ſicut etiam illi poſſunt perhibere teſtimonium veritati qui pro diverſis negotiis exequendis ad Romanam Eccleſiam frequenter accedunt, quam per divini muneris gratiam ab hujuſmodi labis contagio ſervare ſatagimus expiatam; ut quod gratis accepimus, gratis demus, nullatenus ſuſtinentes quòd in cauſis eccleſiaſticis aliqua pactio vel conventio ſeu etiam promiſſio intercedat: quatinus ſi quid interdum poſt finem negotij fuerit exhibitum, non per neceſſitatem extortum, ſed per devotionem appareat eſſe collatum. Verùm mirari cogimur & moveri ſuper eo quod ab Alexandrino Epiſcopo didicimus attentatum, ex juramento quod ipſemet præſtitit in cauſa quæ inter ipſum & quoſdam mercatores Romanos coram vobis ex delegatione noſtra extitit ventilata; qui cùm ab eo quandam repeterent pecuniæ quantitatem, quam Romæ ſuis procuratoribus mutuaverant litteras ejus habentibus de mutuo contrahendo, ipſe ſuum recognoſcens eſſe ſigillum, quod litteris erat impreſſum, ſed negans eas de ſua conſcientia proceſſiſſe, conſtanter aſſeruit quòd centum libras eis ſolverat pro expenſis, & poteſtatem illis conceſſerat ut ſi poſſent forſitan obtinere quòd Eccleſiæ quæ ad Alexandrinam Eccleſiam, ſicut olim ſtatutum fuerat accedebant, ire ad eam minimè tenerentur, & quòd idem Epiſcopus octo locorum Eccleſias pacificè poſſideret, uſque ad centum quinquaginta libras mutuum contrahere liceret eiſdem; ſi verò impetrare poſſent ut omnes poſſeſſiones Eccleſiæ ſancti Martini de Foris ad Alexandrinam Eccleſiam pertinerent, uſque ad trecentarum librarum ſummam poſſent liberè à mercatoribus mutuare. Ex his quidem evidenter apparet quid de nobis idem Epiſcopus ſenſerit, quos ad bona eccleſiaſtica concedenda per interventum pecuniæ induci poſſe putabat, quidve dari mandaverit pro bonis eccleſiaſticis obtinendis, cùm expreſsè taxaverit quantam pro iſtis & quantam pro illis poſſent pecuniam mutuare. Quia verò non ſolùm à malo ſed ab omni ſpecie mali præcipit Apoſtolus abſtinere, nos zelo eccleſiaſticæ honeſtatis accenſi, tantæ præſumptionis ac turpitudinis malum corrigere cupientes, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus quatinus auctoritate noſtra ſuffulti præfatum Epiſcopum ab executione pontificalis

& sacerdotalis officij, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, publicè suspendatis, ut ejus exemplo similia ceteri agere pertimescant, facientes sententiam suspensionis hujusmodi per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani IV. Idus Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NOBILI MVLIERI M. filiæ Sancij quondam Regis Portugalensis.

Epist. 115. Recipiunt sub protectione sedis apostolicæ. Vide supra epist. 58.

OLim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij patris tui Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia dubitas ne super his quæ tibi eodem testamento legavit ab aliquibus tibi molestia inferatur, nobis humiliter supplicasti ut eadem tibi auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Nos igitur tuis precibus inclinati, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus; & tam Baucias, Tuias, & Aoruca cum pertinentiis suis, quæ jamdictus pater & mater tua cum omnibus filiis & filiabus suis tibi donavit, quàm hereditates quas tibi nobilis mulier V. Egee nomine, quæ te nutrivit & adoptavit in filiam, hereditario tibi jure concessit, sicut justè ac pacificè possides, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrociniocommunimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Idus Octobris, pontificatus nostri anno XIV.

ARCHIEPISCOPO Compostellano, & Vlixbonensi & Egitaniensi Episcopis.

Epist. 116. Super eodem.

OLim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia nobilis mulier M. filia Regis ipsius dubitat ne super his quæ sibi eodem testamento legavit ab aliquibus ei molestia inferatur, nobis humiliter supplicavit ut eadem sibi confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius precibus inclinati, personam suam cum omnibus bonis &c. *ut in confirmatione in eundem ferè modum usque* sicut ea justè ac pacificè possidet, eidem curavimus auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si quis prædictam nobilem super bonis prædictis præsumpserit temerè molestare, vos illum à præsumptione sua per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo ratione prævia compescatis. Quòd si non omnes his exequendis, &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Nonis Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NOBILIBVS MVLIERIBVS Tarasiæ Reginæ & S. filiabus S. quondam Regis Portugalensis.

Epist. 117. Super eodem.

OLim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij patris vestri Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia dubitatis nè super his quæ vobis eodem testamento legavit ab aliquibus vobis molestia inferatur, nobis humiliter supplicastis ut eadem vobis confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur vestris precibus inclinati, personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & castrum Montismajoris & villam Hisguerra, quod tibi Reginæ Tarasiæ, & castrum de Alanquer, quod tibi S. cum pertinentiis eorundem dictus pater cum omnibus filiis & filiabus suis donavit, sicut ea justè ac pacificè possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

COMPOSTELLANO Archiepiscopo, & Zamorensi & Astoricensi Episcopis.

Epist. 118. De eodem.

OLim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constititutus duximus confirmandum. Verùm quia nobiles mulieres Tarasia Regina & S. filiæ Regis ipsius dubitant ne super his quæ sibi dictus Rex eodem testamento legavit ab aliquibus eis molestia inferatur, nobis humiliter supplicarunt ut eadem eis confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsarum precibus inclinati, personas suas cum omnibus bonis &c. *ut in confirmatione in eundem ferè modum usque* sicut ea justè ac pacificè possident, ipsis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

curavimus auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si quis prædictas nobiles super bonis prædictis præsumpserit temerè molestare, vos illum à præsumptione sua per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo ratione prævia compescatis. Quòd si non omnes &c. nihilominus exequantur. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

PRIORI ET CONVENTVI sancti Vincentij Vlixbonensis.

Epist. 119. Confirmatur compositio facta cum Episcopo Vlixbonensi.

CVm à nobis petitur quod justum est, & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, &c. *usque* assensu, compositionem quam dilecti filij F. Prior & P. Cantor Alcobatiæ judices à sede apostolica delegati super libertate, exemptione, ac aliis rebus monasterij vestri inter vos & venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vlixbonensem fecerunt, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in eorum authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI, SVPERIORI, ET Sacristæ Alcobatiæ Vlixbonensis diocesis.

Epist. 120. Super eodem.

DIlecti filij Prior & conventus monasterij sancti Vincentij Vlixbonensis à nobis humiliter postularunt ut compositionem quam dilecti filij F. Prior & P. Cantor Alcobatiæ judices à sede apostolica delegati super libertate, exemptione, ac rebus aliis ejusdem monasterij inter ipsos & venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vlixbonensem fecerunt, prout in eorum authentico continetur, apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Quòd si non omnes &c. *usque* exequantur. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Rigensi.

Epist. De simonia per fals.

AD nostram noveritis audientiam perveniſſe quòd Strango civis Lundensis per suggestionem fallitatis & veritatis suppressionem in quarto affinitatis gradu, quo suam contingit uxorem, à nobis dispensationis litteras impetravit. Asserunt namque quòd ante contractum matrimonium gradum affinitatis ejusdem ignorarat omnino, ac sibi vitæ periculum imminebat nisi cohabitaret eidem. quod utique à veritate, sicut accepimus, est penitùs alienum. Quin potiùs, si hujusmodi copula permitteretur, quamplures exemplo ipsius ad contractus illicitos aspirabunt, nec ab eis poterunt cohiberi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, si præmissis veritas suffragatur, cùm intentionis nostræ non fuerit hujusmodi precatori mendaci dispensationis beneficium indulgere, litteris illis nequaquam obstantibus, quod canonicum fuerit sublato appellationis obstaculo statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani VII. Idus Novemb. pontificatus nostri anno quartodecimo.

CESARAVGVSTANO ET Tyrasonensi Episcopis, & R. Lain Archidiacono Iaccensi Oscensis diocesis.

Epist. De divortio Episcopi Pampilonensis.

NE vinea Domini Sabaoth redigatur in solitudinem ex neglectu, & uvas non valens producere, tribulos germinet atque spinas, oportet nos in eam mittere operarios, cùm ipsam personaliter excolere non valeamus, qui extirpatis nocivis & amputatis superfluis, ac propaginibus subrogatis, ad fructus producendum optatos habilem eam reddant. Sanè ex litteris Pampilonensis conventus nostris est auribus intimatum quòd cùm venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filij de * Aoeies Archidiaconus Oscensis & Decanus Tyrasonensis judices delegati à nobis, Iohannem quondam eorum Episcopum à Pampilonensi Ecclesia removissent, ac sub pœna excommunicationis injunxissent eisdem ut electionem de persona idonea celebrarent, ipsique carissimo in Christo filio illustri Regi Navarræ mandatum hujusmodi ostendissent, idem id non sustinens patienter, ad sedem apostolicam appellavit, & inhibuit eis ne aliquatenus eligerent sine ipso, graves minas intentans tam illis qui

* Aquil. Ac. epist. 111. Auens

qui eligerent quàm ei qui electionem reciperet de se factam. Propter quod ipsi ultra terminum ad eligendum sibi præfixum eligere differentes, excommunicationis sententiam incurrerunt. Postmodum verò redeuntes ad cor, & Deum homini præferentes, absolutionis beneficium impetrarunt, juratoria juxta formam Ecclesiæ præstita cautione; ex qua sumpta occasione Rex idem totum ferè conventum, præter septem qui favebant eidem, & divina officia celebrarant excommunicationis sententia parvipensa, à regno suo profùs ejecit, personatus eorum, beneficia, ac quælibet bona Ecclesiæ, quæ ad dispositionem pertinebant illorum, pro suæ occupans arbitrio voluntatis. Præterea idem Episcopus, defuncto bonæ memoriæ P. Eximinij mensæ ipsorum Archidiacono archidiaconatum illius fretus Regis potentia eisdem contradicentibus occupavit, ipsum M. Petri post interpositam ad nos appellationem assignans; licèt de antiqua & approbata consuetudine Pampilonensis Ecclesiæ assignatio archidiaconatus ejusdem simul ad Episcopum & Capitulum pertineret. Propter quod non modicum scandalum est exortum; quia, sicut fama publica protestatur, dictus M. pro collatione archidiaconatus illius quatuor millia præfato Episcopo præstitit obolorum, & conventus nihil de sua mensa recepit à tempore quo dictus archidiaconatus fuit collatus eidem. Vnde non immeritò metuunt quòd bona mensæ ad nihilum redigi debeant, si dictus M. non removeatur ab illo. Ipse namque eleemosynæ ac infirmariæ bona destruxit dissolutè vivendo, & archidiaconatum sanctæ Gemmæ, cui tunc temporis præsidebat, ignorante Capitulo pro magna pecuniæ quantitate pignori cuidam Militi obligavit, quem jam per octo annos detinuit & adhuc detinet idem Miles. Idem quoque Episcopus ad alienationes illicitas manus extendens, castra de Huarch & Montejardin, quæ inter bona Pampilonensis Ecclesiæ pretiosissima reputantur, irrequisito Capitulo prædicto Regi concessit, qui ea detinet violenter in enorme ipsius Ecclesiæ detrimentum. In cujus præjudicium præfatus Episcopus, ante latam in eum remotionis sententiam, multa de bonis ejus illicitè alienare præsumpsit, non solùm Capituli verùm etiam illorum irrequisito assensu quos ei coadjutores duximus deputandos. Porrò præfatus M. quia idem conventus mandato prædictorum judicum paruerunt, in eorum Ecclesia seculares Clericos introduxit, qui spreta sententia judicum eorundem, in ipsa cum excommunicatis præfatis diuina non metuunt celebrare. Cùm igitur sæpedicta Ecclesia sit adeo, sicut assertur, desolata quòd nisi ei per nostræ sollicitudinis studium succurratur, vix adicere valeat ut resurgat, & excommunicatorum illorum malitia faciente quasi redacta in solitudinem, spinas & tribulos jam cœperit germinare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus ad præfatam Ecclesiam personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, ac super statu ipsius inquisita plenius & cognita veritate, auctoritate nostra, gratia, odio, & mundano timore postpositis, ex ea evellatis nociva, & plantetis utilia, ac revocatis ejectis, detis Capitulo eligendi sibi Pontificem liberam facultatem, injungentes eisdem ut vobis præsentibus electionem de persona idonea canonicè satagant celebrare; ea verò quæ de bonis ipsius Ecclesiæ tam ab ipso Episcopo quàm ab aliis alienata inveneritis illicitè vel distracta, ad jus & proprietatem ipsius legitimè revocantes, & illa quæ sunt per violentiam occupata cum fructibus perceptis ex eis, sicut justum fuerit, Capitulo restitui facientes, super mensæ archidiaconatu prædicto quod canonicum fuerit statuatis. in his omnibus appellatione postposita processuri. contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Non. Novemb. pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO, ET DILECTIS filiis Abbati sancti Victoris & Cancellario Parisiensi.

Epist 125. Scribitur pro monachis Vezeliacensibus. Vide infrà epist. 126.

Dilecti filij Abbas & conventus Virziliacensis sua nobis insinuatione monstrarunt quòd cùm nobilis vir Comes Nivernensis ab eorum monasterio pro ipsius custodia duas procurationes, in Pascha videlicet & festo beatæ Mariæ Magdalenæ, exigeret annuatim, & in receptione ipsarum ipsum monasterium enormiter aggravaret maxima Militum & servientum multitudine constipatus, iidem mille quingentas marcas argenti super procurationibus illis ei tali conditione mutuò concesserunt ut in unaquaque prædictarum solemnitatum, si Virziliacum accederet, quinquaginta libris Altisiodorensis monetæ pro

moderata esset procuratione contentus, nec plus pro illa posset exigere donec ipsi monasterio redderet prætaxatam pecuniæ quantitatem. Verùm nunc, sicut dicitur, ut dictum possit monasterium in præfatis procurationibus aggravare, terræ suæ questam indixit pro eadem pecunia persolvenda. Cùm igitur jus suum in injuriam convertere non debeat idem Comes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus si forsitan sæpedictum monasterium per immoderatam procurationem gravare voluerit, vos ipsius immoderantiam, gratia, odio, & timore postpositis, redigatis ad justum sublato appellationis obstaculo moderamen, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani 11. Idus Novembris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

EPISCOPO, ET DILECTIS filiis Abbati sancti Lupi, & Decano Trecensi.

Epist 124. Pro iisdem.

CVm, sicut dilectis filiis Abbate & conventu Virziliacensibus intimantibus nostro est apostolatui reseratum, nobilis vir Dux Burgundiæ gravia eis damna & injurias inferens, ter vel quater in anno villas eorum faciat deprædari occasione cujusdam consuetudinis quam in eisdem villis falsò asserit se habere, & nimis dispendiosum esset & grave fratribus antedictis pro singulis querelis totiens apostolicam sedem adire, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus cùm ab eis fueritis requisiti, dictum Ducem, ut eis de damnis & injuriis irrogatis coram vobis exhibeat justitiæ complementum, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, jurisdictione hujusmodi usque ad biennij tempus usuri. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani 11. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

GEBENNENSI EPISCOPO, & dilectis filiis Abbati de Abundantia & Priori de Condamina Gebennensis diocesis.

Epist 125. Committitur eis inquisitio contra Archiepiscopum Bisuntinum.

DIlectis filiis Humberto, Stephano, & Petro Presbyteris Bisuntinæ diocesis denuntiantibus nos accepisse noscatis quòd venerabilis frater noster Bisuntinus Archiepiscopus, qui deberet esse in dignitate pontificali ex susceptæ administrationis officio suis subditis ad exemplum, ipsam non tantùm negligens famam suam evacuat vivendo perversè, verùm etiam probrosis & diversis excessibus factus multarum laqueus animarum, turpiter ac publicè sic coinquinare præsumit quòd candelabro in quo sedet fumum quibus præest emittit in salutis suæ dispendium potiùs quàm splendoren. Nam usque adeo est deditus simoniacæ pravitati quòd penes eum sine ipsa vix Ecclesiæ aliquæ consecrantur vel alicui aliquid spirituale confertur, compellens Clericos in apostolicæ sedis contemptum ad sacros ordines promovendos jurare quòd per litteras aliquas à sede apostolica impetratas aliquod ab eo beneficium petere non præsumant, & illos sustinens qui religionem exeunt, & alios in sacris ordinibus constitutos ac etiam moniales contrahere matrimonium & in seculo seculariter conversari; cujus frater uxorem legitimam, eo sciente, relinquens, cum quadam moniali contraxit, eam in domo publicè detinens ut uxorem; & ut patratum scelus ab alio fratre suo difficilius revocari valeret, relictam ab eo, licèt in litteratam, in cujusdam consecravit monasterij Abbatissam, ipso fratre manente in seculo & continentiam non servante; Presbyteros & Clericos suos exactionibus jugibus adeo defatigans quòd ipsi onere paupertatis depressi, tamquam rustici viliter in ignominiam honestatis ecclesiasticæ incedere compelluntur. Præter hæc autem cuidam Presbytero conferens interveniente pecunia decanatum, quendam Presbyterum qui manus in alium injecerat violentas, & eum custodiæ tradiderat carcerali, sustinet celebrare, scienter communicans & participans capientibus & vendentibus sacerdotes, & legalium matrimoniorum divortium, si pecunia interveniat, celebrari permittens. Et cùm quidam Bisuntini ac ferè omnes Presbyteri civitatis & diocesis suæ publicè detineant concubinas, ipse corrigere illorum aliquem non attentat, graviori contagio maculatus; quia cum Abbatissa Romarici-Montis consanguinitatis eum linea contingente incestum perpetrat impudenter, sicut fama publica ipsum vexat, & prolem à quadam moniali susceptit, cum cujusdam sacerdotis filia quasi publicè fornicando. Et cùm in ejus domo interfectus fuerit quidam Presbyter, nullam suscepit de ipsius interfectoribus, quos bene noverat, ultionem, & excommunicatos in mensa sua recipiens,

ac possessiones laicorum titulo pignoris detinens obligatas, quas recepta sorte reddere contradicit. Incendiarios autem omnes, qui ei pecuniam pollicentur, absolvit, se de absolvendis illis potestatem asserens obtinere; ac nullam vel modicam residentiam faciens in Ecclesia Bisuntina, sæpissime in diebus solemnibus, quibus eandem Ecclesiam sua deberet honorare præsentia, se absentat, sic lubricæ vitæ patenter deserviens & intendens carnis luxui manifestè quòd laici scandalisati ex eo fornicationem non esse peccatum astruunt criminale. Quia verò super his clamor ad nos frequenter ascendit, volentes exemplo Domini descendere ac videre, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inquisita super his & aliis diligentiùs veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, causam ipsam sufficienter instructam ad nostrum remittentes examen, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui repræsententent æquitatis judicium recepturæ. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO, ET DILECTIS filiis Abbati sancti Victoris, & magistro Roberto de Corzon Canonico Parisiensi.

Ref. 116. Scribitur pro monachis Vezeliacensibus. Vide supra epist. 14. & lib. 15. epist. 85.

NOn solùm zelus domus Domini, qui nos comedit quotiens ab illis opprimitur per quos deberet ab opprimentibus extento brachio defensari, nos vehementer inducit, verùm etiam ille sinceræ dilectionis affectus quo dilecti filij nobilis viri Comitis Nivernensis zelamur salutem & honorem diligimus, exhortatur ut si quando nobis aliqua de ipsius actibus referuntur quæ famam suam obnubilant apud homines & conscientiam maculant apud Deum contra libertatem ecclesiasticam attentando, apud eum monitis & exhortationibus insistamus; quatinus prædecessorum suorum sequens vestigia, qui Ecclesiam Dei studuerunt honore congruo venerari, ea pro Deo & propter Deum per se ipsum corrigat & emendet, diligenti meditatione considerans quòd Dominus justus judex principes illos qui se in conspectu ejus humiliant, & Ecclesiæ suæ exhibent se devotos, non solùm glorificat in futuro, verùm etiam magnificat in præsenti, & illorum posteritas est præcisa de terra qui libertatem ecclesiasticam infregerunt. Ad nostram sanè audientiam dilecto filio Gualterio Abbate Virziliacensi significante pervenit quòd cùm Comes præfatus monasterij Virziliacensis defensor esse deberet & pro eodem se murum defensionis opponere ascendentibus ex adverso, ipse non solùm opprimentibus non obsistit, verùm etiam de defensore factus est, quod non sine amaritudine cordis referimus, persecutor, non minùs compatientes eidem quàm monasterio memorato; quia etsi monasterio intulerit damna rerum, sibi tamen damnum innocentiæ, quod est gravius, irrogavit. A quadriennio namque quo ad regimen monasterij assumptus extitit idem Abbas, eundem favorabilem non potuit invenire: quin potius ipsum monasterium in rebus interioribus & exterioribus graviter molestavit, licèt per partes de bonorum virorum consilio in quingentis libris Provenienſium & ampliùs servierit sibi gratis, cùm ad nullum servitium ex debito teneretur, nec novus Abbas, sicut Comes eidem objecerat, aliquod sibi deberet servitium exhibere. His igitur non contentus, cuidam civi Bituricensi nongentas libras, in quibus ei monasterium minimè tenebatur, Abbatem eundem solvere compulit idem Comes, asserens se fidejussorem illi fuisse de prædicta pecuniæ quantitate. Cuidam quoque Iudæo, qui baptismi suscipiens sacramentum præfato monasterio dimiserat centum libras, reverso ad Iudaismum quasi canis ad vomitum, Abbatem ipsum coëgit persolvere præfatam quantitatem pecuniæ pro suæ libito voluntatis, & servientes ipsius prædas, somarios, quadrigas, & res alias ejusdem monasterij & suorum hominum de terra monasterij sæpenumero acceperunt; in quibus etsi per eum illa fuerint restituta, monasterium tamen damnum non modicum noscitur incurrisse. Iidem etiam servientes nemora monasterij pro libito destruunt; & quadrigas ejusdem pro castrorum ipsius Comitis munitionibus capientes, ipsas interdum per tres hebdomadas, & quandoque per mensem detinere præsumunt. Præterea ejusdem monasterij malefactores sæpedictus Comes receptans, ipsius homines contra illud agentes manutenere ac defensare contendit, qui sæpedicti cœnobij jura deberet ubique illibata servare. Et licèt nec ad ejusdem Comitis nec ad alterius curiam idem Abbas & monachi super aliquibus trahi debeant secularem, sicut patet per privilegia Pontificum Romanorum, ipse tamen eosdem ad forum suum super multis

multotiens evocavit, moliens ejusdem infringere monasterij libertatem. Pluries quoque vias & semitas circa Virziliacum fecit arctè adeo custodiri quòd nec ligna nec aqua illuc afferri neque alia necessaria potuerunt, anno præterito locum eundem vindemiarum tempore sic constringens quòd monasterij homines nec ad vindemiandum egredi poterant, nec somarij ad mustum vel ad aliud deferendum, impediendo mercatum, & capiendo somarios victualia & quælibet alia necessaria deferentes. Et cùm ad mandatum carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris à molestatione hujusmodi destitisset, quamplures ipsis & eorum hominibus multas & enormes injurias manifestè ac clanculo intulerunt. Quidam namque prædones per terram ejusdem Comitis ingressum & egressum habentes, qui comedentes in quadam villa ipsius cum præda monasterij sunt inventi, Virziliacum per aliquantulum temporis sic vallarunt quòd nec monachis nec aliquibus hominum monasterij tutus patebat egressus. Porro cùm Iocelinus Miles, homo ejusdem Comitis, equitaturis & rebus aliis quosdam de monachis spoliarit, eisdem opprobria inferendo, quendam prioratum ad ipsum monasterium pertinentem invaserit violenter & subripuerit bona ejus, idem ab eodem Abbate & ipsius fratribus humiliter requisitus, nec illius nec aliorum malefactorum malitiam voluit refrænare, licèt id solo verbo facere potuisset. Quin potiùs afflictionem superaddens afflictis, prioratum de Dornetiaco sasivit ad idem monasterium pertinentem; & bona ipsius per dimidium annum detinens occupata, ipsos decimis ejusdem villæ, quas per annos plurimos possederant, spoliavit; & extendens ad hactenus inaudita postmodum manus suas, molendinorum eorundem ferros per servientes suos fecit exinde asportari. Propter quod cœnobij supradicti conventus adeo fuit arctatus quòd nisi ad preces quorundam virorum bonorum restituisset eosdem, necessitate cogente claustrum fuisset egressus. Ceterùm Iohanni nato quondam Præpositi Asconij, qui hereditario jure in ipsius loci præpositura succedere nititur, qui potiùs deberet obsistere, se favorabilem exhibens idem Comes, Abbatem & conventum prædictos compellere nititur ut eidem in foro civili respondeant super illa; licèt coram civili vel ecclesiastico judice super ipsa cuiquam respondere non debeant nisi de mandato sedis apostolicæ speciali. Verùm cùm ab eis ipse fuerit sæpius requisitus ut super his & aliis injuriis ipsis multipliciter irrogatis satisfieri faceret competenter ab ipsorum indebita molestatione quiescens, preces eorum surdis auribus pertransivit: quin immo Priorem monasterij & quasdam personas alias in stagnum suum est projicere comminatus. Et licèt ferè conventus medietas Nivernum accedens, & coram eo humi prostrata, eidem super hoc humiliter supplicarit, eorum tamen precibus nequivit aliquatenus inclinari. Demum ejus consiliariis præfati monachi supplicarunt ut cum eo tractarent de pace inter se & sæpedictum monasterium reformanda: qui eis, post multos tractatus habitos cum eodem, taliter responderunt, quòd ejus non possent benivolentiam obtinere nisi ab eis sibi & à burgensibus Virzeliaci mille libræ Provenienſium solverentur. quod iidem exequi utique nequivissent sine gravi & enormi monasterij detrimento. Ex hoc siquidem prædicti burgenses perterriti adeo extiterant quòd nisi Abbas præfatus arripuisset propter hoc iter ad sedem apostolicam veniendi, se deserto Virzeliaco in urbibus & oppidis regiis recepissent; præsertim cùm per Archiepiscopos & Episcopos, Abbates, & alios viros religiosos, & per nobilem virum Ducem Burgundiæ ac Barones alios, ac tandem per Regem præfatum moneri eum fecerint & rogari ut ab ipsorum molestatione desistens & satisfaciens eis de damnis & injuriis irrogatis, monasterium ipsum cum villa & suis hominibus manuteneret & defenderet, ut tenetur, nec sic potuerit ad hæc ejus animus inclinari. His etiam non contentus, hoc anno, postquam idem Abbas iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, per ministros suos Comes ipse vindemias Virziliaci fecit adeo impediri quòd ejusdem loci burgenses vindemiare tempore congruo nequiverunt, ipsis ministris mercenarios de vineis expellentibus, & uvas spargentibus per plateas, quampluribus de hominibus monasterij vulneratis, captis somariis & ex eis pluribus interfectis. Vnde idem monasterium damnum ad valentiam quingentarum librarum, & burgenses trium milium marcarum & ampliùs incurrisse dicuntur Illud autem quod monasterium & burgenses de vindemiis habuerunt, Regis prædicti beneficio est obtentum, qui hujusmodi prohibuit malefactum. Præterea iidem ministri molendinum Præpositi ejusdem monasterij confringentes, molas & ferrum ipsius per violentiam asportarunt.

De quibus omnibus tanto graviùs ſumus moti quanto magis ſæpedictum monaſterium majori amplectimur in Domino caritate. Cùm igitur hæc noſcantur in ſalutis ejuſdem Comitis diſpendium redundare, & ejus honori non congruat hoc tempore tam nobile membrum ſedis apoſtolicæ, videlicet ipſum monaſterium, perſequi quo iidem & alij catholici Principes in perſecutione quam Dei Eccleſia patitur à *tyranno, ipſi viriliter adeſſe deberent, ſicut devoti filij piæ matris, nobilitatem ejus per noſtras litteras rogamus attentiùs & monemus & exhortamur in Domino, in remiſſionem ſibi peccaminum injungentes ut ob ejus reverentiam & honorem qui dat humilibus gratiam & ſuperbis reſiſtit, ſe in conſpectu ejus humilians, præfatis Abbati & conventui ſic per ſe ipſum ſatisfaciat de prædictis, ab ipſorum & monaſterij ſui indebita moleſtatione quieſcens, quòd eis de ipſo nulla remaneat juſta materia conquerendi, & divinam, quam in his offendit graviter, majeſtatem valeat complacare, ac per hoc apoſtolicæ ſedis mereatur propenſiùs gratiam & favorem. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatinus niſi Rex præfatus, cui ſuper hoc dirigimus ſcripta noſtra, infra duos menſes pacificare & terminare ſine firmatione duelli ortas inter eundem Comitem & Abbatem & monachos memoratos poterit quæſtiones, vos ex tunc, cognita veritate, ipſum Comitem ad ſatisfaciendum eiſdem de datis damnis & irrogatis injuriis, & ab ipſorum moleſtatione indebita deſiſtendum, per excommunicationis ſententiam in perſonam &, ſi neceſſe fuerit, interdicti in terram ſuam, ſublato appellationis obſtaculo, compellere abſque moræ diſpendio non tardetis; commiſſione iſta, quotiens opus fuerit, uſque ad triennij tempus uſuri, juriſdictionem veſtram ad alia maleficia, ſi qua interim contraidem monaſterium commiſerit, extendendo; ita quòd ea quæ ſibi à ſede apoſtolica ſunt indulta faciatis per diſtrictionem eccleſiaſticam firmiter obſervari. Nonobſtantibus litteris, ſi quæ apparuerint, harum tenore tacito, à ſede apoſtolica impetratæ. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo nihilominus exequantur. Datum Laterani Idibus Novemb. pontificatus noſtri anno quartodecimo.

Scriptum eſt ſuper hoc nobili viro Comiti Nivernenſi. Scriptum eſt ſuper hoc Regi Francorum illuſtri.

Vide Ott. Ottonis Vide lib. 15. epiſt. 20 35. 118.

SENONENSI ARCHIEPISCOPO, & ſuffraganeis ejus.

CVm quieti Virziliacenſis monaſterij, quod ſedem apoſtolicam nullo reſpicit mediante, paterna volentes ſollicitudine providere, inter cetera quæ nos, prædeceſſorum noſtrorum ſequentes veſtigia, eidem monaſterio duximus indulgenda, auctoritate apoſtolica interdicere curaverimus, ſub excommunicationis vinculo inhibentes, ut infra ejuſdem monaſterij pertinentias crucibus terminatas nullus hominem capere, invadere, ſeu bona ſua auferre, ſive aſſultum facere, vel quamlibet offenſionem irrogare præſumat, & nonnulli filij Belial, Dei timore poſthabito, tempore hoc, quo ſuperabundat iniquitas, refrigeſcente caritate multorum, apoſtolica inhibitione contempta, contravenire præſumant immunitatem hujuſmodi ſæpiùs infringendo, ſicut dilectorum filiorum Abbatis & conventus ejuſdem loci nobis conqueſtio patefecit, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatinus cùm ab ejuſdem monaſterij Abbate ac fratribus fueritis requiſiti, quilibet veſtrum parrochianos ſuos, quos conſtiterit immunitatem prædictam temerè infregiſſe, tamdiu faciat, niſi congruè ſatisfecerint, excommunicationis ſententiæ ſubjacere & tamquam excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari donec ſatisfactione de perpetratis exceſſibus exhibita competenti, per eum beneficium abſolutionis obtineant, vel ſi fortè delicti quantitas id exegerit, ad ſedem acceſſerint apoſtolicam abſolvendi. Datum Laterani XIV. Kal. Decembr. pontificatus noſtri anno quartodecimo.

Epiſt. 127. Super eodem.

In eundem modum ſcriptum eſt Lugdunenſi Archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI, & Epiſcopo & dilecto filio Decano Trecenſi.

SIcut dilectus filius nobilis vir Vrſio Camerarius cariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Francorum Regis illuſtris tranſmiſſis nobis ſuis litteris indicavit, cùm à venerabili fratre noſtro Aurelianenſi Epiſcopo ſuper duobus feodis quæ dicebat ad ſe dictus Epiſcopus pertinere coram dilecto filio Decano Carnotenſi & conjudicibus ſuis auctoritate noſtra traheretur in cauſam, memoratus Epiſcopus propoſuit in ipſorum judicum præſentia contra ipſum quòd domum quandam eorum feodorum alteri pertinentem idem Camerarius de-

Epiſt. 128. De negotio Epiſcopi Aurelianenſis & Camerarij Regis.

vastarat, deportans ibidem inventa pro libito violenter, & alterum feodum occupans minùs justè, licèt dictus Episcopus de suis hominibus nunquam sibi debitam justitiam denegasset. Propter quod & domum reædificari destructam cum ablatorum restitutione ac feodum taliter occupatum sibi ab eodem restitui cum instantia postulabat. Sed ad hæc ex parte ipsius responsum fuit taliter ex adverso, quòd non debebat super his coram ipsis judicibus litigare, pro eo quòd si quid in ipsis vel de ipsis feodis fecerat, prætextu castellaniæ de Merevilla potuit fecisse licenter, & id tanto tempore obtinuerat quòd non extabat memoria aliter esse factum. Proposuit insuper quòd ipsam castellaniam de feodo regio possidebat, & tale jus erat castellaniæ ipsius quòd si quis infra ejusdem metas homicidium perpetraret, Dominus Merevillæ in homicidam exercens publicam ultionem, non tantùm bona ipsius capere, verùm etiam suas potest possessiones positas infra metas dictæ castellanæ diripere, sive in feodum sive modo alio illas à quocunque teneat homicida; & id sibi etiam licet illi facere vel inferre qui dicto Domino castri Merevillæ debitam custodiam denegaret. Propter quæ si domum vastaverat memoratam, sibi vendicatis bonis, in homicidam, cujus erat ipsa, vindictam publicam exequendo, & de feodo alio, pro eo quòd ipsi debita dicti castri custodia negabatur, se posuit in saisinam, nullam ob hoc dicto Episcopo injuriam irrogabat, immo in his utebatur potiùs jure suo; præsertim cùm in præsentia dicti Regis de feodo ipso dicto Episcopo justitiæ plenitudinem obtulerit se facturum, & ipsum Regem asserverit inhibuisse sibi ratione dominij viva voce ne de præmisso feodo spectante ad ipsum nonnisi coram eo alicui responderet, exhibens litteras ejusdem Regis monitorias judicibus memoratis ut præfato supersederent negotio, quia paratus erat eidem Episcopo super feodo justitiam exhibere, sed causam ipsam ad eundem Regem remitterent audiendam. Sed ipsi judices, non contestata lite, ipsius Camerarij exceptiones hujusmovi minimè admittentes, terram suam sub interdicti sententia posuerunt. propter quod gravamen idem Camerarius verebatur ne adversùs eum præsumerent graviora. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si vobis constiterit cognitionem & decisionem ipsius negotij, non ad ecclesiasticum, sed ad secularem judicem pertinere, ipsumque Camerarium paratum fuisse hoc in delegatorum præsentia comprobare, vos interdicti sententiam prolatam ab eis in terram ipsius faciatis sublato appellationis obstaculo non servari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea &c. Datum Laterani x v i. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO ESCVLANO.

Epist. 170 Ne Canonici Tarbienses Cap. Ioan. Clericos.

SIcut te accepimus referente, cùm venerabilis frater noster Episcopus Hostiensis olim per tuam transiens civitatem tibi dederit in mandatis ut Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconus, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exercentes, excommunicationis vinculo innodares & eos qui ab illis publica reciperent instrumenta, tu licèt id feceris, ex mandato tamen Episcopi dicti dissimulasti postmodum de Subdiaconis donec qualiter contra ipsos & alios in sacris ordinibus constitutos deberes procedere sedem duceres apostolicam consulendam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus Clericis in sacris ordinibus constitutis tabellionatus officium per beneficiorum suorum subtractionem appellatione postposita interdicas. Datum Laterani v i. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ALBANENSI ELECTO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 171 Vt quum Canonici ad possessionem ecclesiæ pluralitatem habeant prebendarum, illarum tamen Canonici dictum numerum excedentes, plerunque ad unam præbendam plures de suis eligunt consanguineis & amicis: qui cùm sint juvenes & insufficientes ad obsequium earundem, & nolint vel fortè non debeant ad superiores ordines promoveri, contingit ibidem propter eorum schismata idonearum personarum interesse defectum, & maximè sacerdotum. Quare in spiritualibus & temporalibus non modicum sustinent detrimentum. Vnde nobis humiliter supplicasti ut certo numero nonobstante, dictas Ecclesias de personis idoneis, quæ velint & possint onus hujusmodi sustinere, tibi liceat ordinare. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si quos inveneris in ipsis idoneos ad

gradum sacerdotij assumendum, tu illos, ut se ad superiores ordines faciant promoveri, per subtractionem beneficiorum appellatione cessante compellas. Alioquin in præfatis Ecclesiis personas idoneas, per quas hujusmodi possint suppleri defectus, juxta quod videris expedire, appellatione postposita ordines, removendo prorsùs ab illis eos qui ad unam eandemque præbendam contra statuta canonica insimul sunt assumpti, nonobstante contradictione insufficientium vel eorum qui tales eligere vel assumere præsumpserunt. Datum Laterani III. Non. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 131. De libertate tollendi in favorem Ecclesiarum. *Vide supra epist. 110. & infra lib. 15. epist. 76.*

SInceræ caritatis affectio quam erga personam tuam gerimus nos inducit ut quanto propensiùs regium zelamur honorem, tanto sollicitiùs tibi suadere curemus ne quid unquam per te vel tuos erga sanctam Ecclesiam Christi sponsam aut ipsius jura improvidè attententur per quod ei valeat derogari; præsertim cùm illius intuitu à quo ad ipsius defensionem Ecclesiæ gladium susceperisti, eandem tenearis potiùs defensare. Sanè ad nostram noveris audientiam referente venerabili fratre nostro Rothomagensi Archiepiscopo pervenisse quòd justitiarij tui per Normaniam constituti & quidam alij regiæ ditioni subjecti, postponentes penitùs zelum Dei, præpediunt laicos ægritudine laborantes ne de terris suis vel hereditatibus aliquid in eleemosynam alicui largiantur sive pro suarum animarum salute secundùm ecclesiasticam sanctionem, vel condant testamentum exinde in ultima voluntate, imponentes illis post obitum crimen, sicut asserit, usurarum qui pœnitentes judicio Ecclesiæ satisfactione præmissa, viam sunt universæ carnis ingressi, ut prætextu criminis usurarum decedentium bona fisco regio in detrimentum juris ecclesiastici applicentur. Quia igitur te non decet hujusmodi sustinere, cùm hoc vergat in derogationem ecclesiasticæ libertatis, serenitatem regiam rogamus & monemus quatinus executores præfatos taliter ab hujusmodi temeritate tradita tibi potestate compescas quòd moderamine regio hæc detestanda extorsio extirpetur, & præter æternam gloriam, quam ex hoc promereberis in futuro, gratiam tibi Dominus augeat in præsenti. Datum Laterani IV. Non. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Super hoc scriptum est dilectis filiis Abbati sancti Victoris, W. Archidiacono, & Cancellario Parisiensi ut dictum Regem ad hoc efficaciter moneant & prudenter inducant.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Germani de Pratis Parisiensi.

Epist. 132. Confirmatur quædam sententia lata pro eis.

CVm olim ex parte vestra nobis fuisset querimonia præsentata quod nobilis mulier H. de Nongento & filij ejus ac quidam alij Suessionensis diœcesis homines monasterij vestri sua potentia deprimentes carceri manciparent, & eis imponentes exactiones indebitas, prata, vineas, & alias possessiones vestras invaderent violenter, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Decano sancti Frambaldi & magistro I. Canonico Silvanectensi nostris dedimus litteris in mandatis ut præfatam nobilem & alios monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ab hujusmodi præsumptione desistere &, ut tenebantur, restituere occupata. Cùm igitur iidem prædictam nobilem legitimè citavissent, & ipsa per magistrum H. procuratorem suum ipsorum se conspectui præsentasset, super diversis capitulis & querelis quæ in eorundem judicum sententia continentur expressæ hinc inde propositis lis extitit contestata, & legitimis induciis assignatis, testes quos pars utraque pruduxit iidem judices receperunt. Quorum depositionibus postmodum de consensu partium publicatis, & competentibus terminis disputatione pluries habita super eis, tandem partibus injunxerunt ut suas redigerent allegationes in scriptis, & eas sibi termino quem eis assignaverant præsentarent. Verùm procurator nobilis antedictæ statuto termino comparuit coram eis, & temporis præscriptionem allegans, ad probandum eandem inducias postulavit. Iudices verò, quia jam erant depositiones testium publicatæ, interloquendo dixerunt quòd super hoc testes non erant aliqui admittendi, sed si haberet aliqua instrumenta, illa exhibere curaret. At procurator prædictus ab interlocutoria ipsa vocem ad nos appellationis emittens, appellationi suæ certum terminum assignavit. Verùm quia in nostris litteris remotus erat appellationis objectus, dicti judices, habito super hoc juris peritorum consilio, appellationem ipsam frivolam reputantes, & ad proferendam sententiam certum terminum præfigentes, præfatam nobilem peremptoriè citaverunt; in quo vobis comparentibus, ipsa

nec per se nec per aliquem responsalem ipsorum se conspectui præsentavit. Propter quod iteratò illam peremptoriè citaverunt; sed quia tunc comparere contempsit, tertiò peremptoriè evocarunt eandem ad sententiam audiendam. Cùm ergo tunc etiam eorum contempsisset adire præsentiam per se vel idoneum responsalem, ipsi habito prudentum virorum consilio, visis & auditis attestationibus, & utriusque partis rationibus diligenter inspectis, diffinitivam in scriptis sententiam protulerunt. Postmodum verò cùm B. procurator monasterij vestri à nobis postulasset eandem sententiam confirmari, & H. ejusdem nobilis procurator se opposuisset eidem, dilectum filium I. Subdiaconum & Capellanum nostrum eis concessimus auditorem. In cujus præsentia licèt procurator præfatæ nobilis nihil rationabile objecisset, sicut ab eodem didicimus auditore, occultè tamen, ut dicitur, super ipso negotio contra inhibitionem auditoris ejusdem litteras impetravit, & inlicentiatus abcessit. Nos igitur, ne idem ex fraude sua videretur commodum reportasse, dilectis filiis sancti Dionysij & de Strata & sancti Dionysij Prioribus Parisiensis diocesis dedimus in mandatis ut hujusmodi litteris non obstantibus inquirerent de prædicta sententia diligentiùs veritatem, & si justam reperirent eandem, ipsam auctoritate apostolica confirmarent, & facerent per censuram ecclesiasticam appellatione postposita firmiter observari. Partibus igitur in eorum præsentia constitutis, pars vestra postulavit instanter ut juxta mandatum apostolicum inquirerent de sententia memorata, & confirmarent eandem, si justè ac rite cognoscerent promulgatam, ipsam sententiam producens in medium sigillis prædictorum judicum communitam. Ceterùm procurator nobilis fæpedictæ sententiam ipsam sibi petiit exhiberi & terminum assignari infra quem pleniùs super transcripto ipsius deliberare valeret. Quibus ipsi concessis, cùm tandem post altercationes multiplices adinvicem habitas, pluribus terminis partibus assignatis, eædem essent in ipsorum præsentia constitutæ, ac pars vestra in postulatione confirmationis sententiæ perseverans, super ea veritatem petiisset inquiri, judices ipsi à procuratore ipsius nobilis quæsierunt utrum aliquid sententiæ vellet obicere propter quod ad ipsius confirmationem procedere non deberent. Qui se nihil contra sententiam coram eis proponere velle respondens, nec aliquid agere in ipsorum præsentia, in vocem appellationis prorupit, & recessit contumaciter ab eisdem. Ipsi verò eandem nobilem peremptoriè citaverunt. Coram quibus procurator ipsius comparens, appellationem quam priùs emiserat innovavit, recedens ab eorum præsentia contumaciter iteratò. Porrò judices ipsi attendentes quòd hujusmodi frustratoriæ appellationis obtentu non esset negotium differendũ, cùm in nostris litteris appellationis esset diffugium intercluſum, inquisiverunt de præfata sententia, diligenter inspicientes dicta testium corã prioribus judicibus productorum; & cùm nihil rationabile inveniſſẽt propter quod deberet ipsius confirmatio retardari, de prudentum consilio justè ac rite prolatam pronuntiaverunt eandem & auctoritate apostolica confirmarunt, juxta quod in eorum authentico pleniùs continetur. Postmodum autem vos gravem in auditorio nostro fecistis querimoniam recitari quòd cùm super præfatis querelis ad dictum Episcopum & conjudices suos nostras litteras impetraveritis, & ipsi testibus hinc inde receptis, sicut superiùs est expressum, & rationibus utriusque partis pleniùs intellectis, in quibusdam pro dicta nobili & in quibusdam pro monasterio vestro sententiam promulgarint, & præfatus Abbas sancti Dionysij & collegæ ipsius de mandato sedis apostolicæ sententiam confirmarint eandem, præfata nobilis, confisa potiùs de sua potentia quàm de jure, utrique sententiæ se contumaciter opposuerat, nec monasterium vestrum super rebus adjudicatis eidem desierat molestare. Propter quod ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut finem litibus imponentes, quod à prædictis judicibus nostra fuerat auctoritate statutum apostolico dignaremur munimine roborare. E contrà verò R. dictæ nobilis procurator tunc proposuit coram nobis quòd cùm eadem nobilis à primis judicibus manifestè sentiens se gravari, nostram audientiam appellasset, ipsi appellationi ejus minimè deferentes, tam diffinitivam quàm excommunicationis tulerunt sententiam contra eam: quam cùm postmodum per judices posteriores confirmari peteretis instanter, ac ipsa coram eis legitimas exceptiones proponeret, quas offerebat se coram arbitris continuò probaturam, quia ipsi judices hujusmodi noluerunt exceptiones admittere, ab eis, tamquam sibi certa ratione suspectis, nostram iterum audientiam appellavit. Sed ipsi appellatione contempta

tẽpta nihilominus in negotio proceſſerunt. Nos igitur finem litibus volentes imponi, dilectis filiis Decano & magiſtris Gualtero Cornuto & Roberto de Corzon Canonicis Pariſienſibus noſtris dedimus litteris in mandatis ut ſi conſtaret eiſdem poſteriores judices perperam proceſſiſſe, revocato in ſtatum debitum quicquid factum eſſet per eos, ſententiam à prioribus judicibus promulgatam, prout juſtum foret, appellatione remota confirmare vel infirmare curarent, alioquin quod à poſterioribus judicibus auctoritate noſtra providè factum eſſet per cenſuram eccleſiaſticam facerent ſublato appellationis obſtaculo inviolabiliter obſervari. Nullis litteris obſtantibus præter aſſenſum partium à ſede apoſtolica impetratis. Sanè duo illorum, Decanus videlicet, & magiſter Gualterus, tertio collega ipſorum ſe legitimè excuſante, partibus convocatis, examinatis teſtibus, & publicatis atteſtationibus eorundem, ac allegationibus diligenter auditis, juriſque ordine in omnibus obſervato, de prudentum virorum conſilio proceſſum poſteriorum judicum per diffinitivam ſententiam confirmarunt, auctoritate qua fungebantur firmiùs inhibentes ne quiſquam in præjudicium confirmationis ipſius temerè aliquid præſumeret attentare. Tunc verò dicta nobilis per ſuas eſt patentes litteras proteſtata quòd præfatæ ſententiæ parebat atque paret. Demum nos ſæpedictam ſententiam à ſecundis & tertiis judicibus approbatam auctoritate apoſtolica confirmantes, dilectis filiis Abbati ſanctæ Genoveſæ ac Priori ſancti Martini de Campis per ſcripta noſtra mandavimus ut eandem, ſicut eſt juſta, auctoritate noſtra, ſublato appellationis obſtaculo, facerent firmiter obſervari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Qui Willelmum Militem filium ejuſdem nobilis legitimè citaverunt; & eo in ipſorum præſentia conſtituto, ex parte veſtra propoſitum extitit contra eum quòd ipſe contra ſæpedictam ſententiam temerè veniens, non ſervabat eandem, ſed ipſam potiùs per violentiam infringebat. Vnde pars veſtra poſtulavit ut juxta mandatum apoſtolicum ipſum compellerent ad obſervationem ejuſdem. At ipſe contra ſententiam rationabile nihil obiciens, quaſdam oppoſuit exceptiones frivolas ad negotium differendum, aſſerens dictum Priorem ſancti Martini ſibi eſſe ſuſpectum, pro eo quòd tu, fili Abbas, in cauſa ſancti Martini executor tunc eras, quod tamen verum non fuerat, ſicut ex parte veſtra extiterat negatum omnino. Adjecit etiam quòd cùm monachi ſancti Martini accedunt ad monaſterium veſtrum, tamquam fratres recipiuntur in eo, & è converſo monaſterij veſtri monachi recipiuntur ab illis. propter quod ſuper his arbitros poſtulavit. Ad hoc autem ultimum pars veſtra reſpondit quòd non alio fraternitatis vinculo monachis ſancti Martini quàm aliorum monaſteriorum monachis nigri ordinis eratis aſtricti. Prædicti verò judices, licèt hujuſmodi cauſæ frivolæ viderentur, & primam ſcirent penitùs eſſe falſam, ad malitiam tamen ipſius Militis convincendam quæſiverunt ab eo utrum ſe vellet pœnæ alicui obligare ſi forſan in probatione deficeret prædictorum, ſi probandi ſibi hæc concederent facultatem. quod idem facere recuſavit omnino. Vnde judices ipſius evidens ſubterfugium attendentes, auctoritate ſibi apoſtolica præceperunt ut ſæpedictam diffinitivam ſententiam firmiter obſervaret, nec venire præſumeret contra eam; alioquin ipſum & omnes contradictores excõmunicationis vinculo innodabant. Sed idem non ſolùm contra ipſam ſententiam venire præſumpſit, verùm etiam vobis & hominibus veſtris graves injurias irrogavit. Propter quod iidem judices in ipſum, tamquam in rebellem & contumacem, excommunicationis ſententiam proferentes, fecerunt eundem excommunicatum publicè nuntiari, id ipſum ſuis litteris nuntiantes. Ipſe verò iniquitatem iniquitati & contemptui contemptum apponens, monachos veſtros qui apud Nongentum manebant crudeliter pertractavit, & in domibus ſuis detinuit ſic incluſos quòd ipſi nec exire poterant nec ad eos aliqui introire; quos poſtmodum violenter eiciens, rebus ſuis nequiter ſpoliavit, aliàs eis damna & injurias inferendo. Et ut monaſterium veſtrum fatigaret laboribus & expenſis, quaſdam à nobis veritate ſuppreſſa & ſuggeſta nihilominus falſitate ad dilectos filios ſancti Lupi & ſancti Martini Abbates & R. de ſancto Quintino Canonicum Trecenſem fecit literas impetrari; in quibus continebatur quòd cùm vos eum ſuper quibuſdam poſſeſſionibus & rebus aliis coram præfatis Abbate ſanctæ Genoveſæ ac Priore ſancti Martini de Campis auctoritate noſtra traxiſſetis in cauſam, iidem legitimas exceptiones admittere recuſantes, in ipſum & quoſdam homines ſuos excommunicationis & in terram ejus interdicti ſententias poſt appellationem ad nos legitimè

interpositam promulgarant. Propter quod nos præfatis Abbatibus & Canonico nostris dedimus itteris in mandatis ut si sententias ipsas invenirent post appellationem ad nos legitimè interpositam esse latas, denuntiantes eas auctoritate nostra penitùs nullas esse, in causa ipsa procederent juxta priorum continentiam litterarum; alioquin partes remitterent ad judicum priorum examen. Cùm igitur dicti posteriores judices vos ad suam præsentiam citavissent, procurator vestri monasterij in ipsorum præsentia constitutus ne occasione hujusmodi litterarum procederent inhibuit appellando, eò quòd falsa suggestione ac veritate suppressa fuerant impetratæ, cùm de his omnibus quæ superiùs sint expressa nullam facerent mentionem. Quia igitur mendax precator carere debet penitùs impetratis, dilectis filiis A. Archidiacono, Succentori, & Decano sancti Germani Antisiodorensis Parisiensis nostris dedimus litteris in præceptis quatinus prædictis litteris, quas constat veritate tacita impetratas, nequaquam obstantibus, & revocato in irritum si quid occasione ipsarum invenerint attentatum, latam in eum & alios contradictores excommunicationis sententiam tamdiu faciant auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo firmiter observari donec de damnis & injuriis irrogatis monasterio vestro satisfaciat competenter, & sufficienter exhibeat cautionem quòd nec ipse nec ejus heredes contra sæpedictam diffinitivam sententiam venient, sed eam de cetero firmiter observabunt. Ne igitur super sententia totiens confirmata possitis ulteriùs molestari, nos eandem sententiam, veritate perspicaciter intellecta, inviolabili confirmationis munimine roboramus, perpetuum alteri parti silentium imponentes, ac decernentes irritum & inane si quid de cetero apparuerit impetratum. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & constitutionis infringere &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Idibus Decembris, pontificatus nostri anno XIV.

MAGISTRO ROBERTO de Corzon Canonico Parisiensi & conjudicibus suis.

Epist. 133. Dantur indutiæ ad executionem voti.

DIlectus filius nobilis vir Walterus Dominus de Avesnis transmissa nobis petitione monstravit quòd cùm affixo suis humeris signo crucis ad subsidium terræ sanctæ voverit proficisci, & se ad iter peregrinationis accinxerit exequendum, * B. Subdiaconus frater suus Cantor quondam Ecclesiæ Laudunensis, qui devastaverat, Dei timore postposito, & abjecto habitu clericali, hostiliter terram suam incendio multiplici & rapinis, accinctus balteo militari, ab ipso Waltero monitus assecurare noluit usque ad ejus reditum dictam terram, sed ab eo recedens animo indignanti, eidem fratri ac ejus terræ graviter adversatur. Vnde cùm ex discessu suo irreparabile damnum per ipsum B. sibi ac ejus terræ timeat proventurum, nobis humiliter supplicavit ut propter necessitatem hujusmodi ad exequendum votum emissum sibi & familiæ suæ concedere dignaremur inducias competentes. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris Suessionensi & Meldensi Episcopis & dilecto filio Abbati Longipontis Suessionensis diocesis nostris dedimus litteris in mandatis ut auctoritate nostra dilationem exequendi votum peregrinationis prædictæ, quandiu eis constiterit durare hujusmodi absque dolo & fraude necessitatis articulum, concedant eidem, ipsum & familiam suam non permittentes super hoc ab aliquo molestari; ita quòd, eo cessante, ad nostrum consilium & mandatum reddat Domino quod promisit, in terræ sanctæ subsidium properando, & interim ad subventionem ipsius juxta possibilitatem suam, quemadmodum cum fratre Aimaro Thesaurario domus militiæ Templi Parisiensis, cui super hoc scribimus, poterit convenire, competens mittat subsidium; cùm, sicut pro certo didicimus, eo plus solito indigeat ipsa terra. Ne igitur occasione cautionis quam recepistis ab ipso cùm relaxastis excommunicationis sententiam, quam pro eo quòd votum non exequebatur emissum tulistis in eum, mandatum nostrum valeat impediri, præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus permittatis ut juxta præscriptam formam in ipso negotio procedatur. Datum Laterani III. Idus Decembris, annoquartodecimo.

* Bochardus. *Vide Meyer. lib.*

IEROSOLYMITANO Patriarchæ apostolicæ sedis Legato.

Epist. 134. De electione Archiepiscopi Nicosiensis.

PRæsentata nobis electione quam dilecti filij Capitulum Nicosiensis Ecclesiæ de dilecto filio magistro Durando ejusdem Ecclesiæ Thesaurario celebrarunt, licèt ejusdem Capituli & suffraganeorum ac carissimi in Christo filij nostri Cypri Regis illustris & plurium aliorum litteras recepimus super ea, quia tamen nonnisi unus de electoribus se nostro conspectui præsentavit, electionem eandem sufficienter exa-

minare nequivimus secundùm apostolicæ sedis morem. Vnde nec ipsam valuimus confirmare, cùm & nobilis vir Gualterus de Monte-Beliardo, qui dicitur parrochianus ipsius, de persona ejusdem electi per litteras suas quædam nobis suggesserit quæ idem electus asseruit esse malitiosè conficta propter odium quo idem nobilis Regem persequitur memoratum. Verùm quia onerosum esset & grave, propter maris & viarum pericula, ob hoc iteratò ad sedem apostolicam laborare, palleum, insigne pontificalis officij, ad te, tradendum eidem, duximus destinandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatinus si post denuntiationem super hoc à te factam talis infra mensem apparuerit persona quæ legitimè velit & possit aliquod impedimentum canonicum obicere contra ipsum, tu causam audias, & eam appellatione remota canonico fine decidas; & si vel impetitus non fuerit, vel extiterit absolutus, tu ipsum præcipias consecrari, ac deinde conferas ei palleum sub forma quam tibi transmittimus nostris litteris intercluſam. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Vedasti Atrebatensis.

Epist. 135. Confirmatur quædam compositio.

* Extat in probationib. hist. Bethun. pag. 51.

* Leg. Robertum

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus &c. *usque* assensu, * compositionem quæ inter bonæ memoriæ Martinum Abbatem vestrum ex parte una & I. * quondam & ejus heredes Bethunienses Advocatos ex altera super quibusdam transactionibus talliarum, rogationum, violentarum exactionum, & aliarum rerum, in præsentia bonæ memoriæ Samsonis Remensis Archiepiscopi de assensu partium amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, necnon & in ipsius Archiepiscopi super hoc confecto authentico declaratur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IX. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PRÆPOSITO ECCLESIÆ sancti Evasij de Casali, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 136. De confirmatione privilegiorum.

PIæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, petionibus vestris benignitate debita gratum impertientes assensum, præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum bonæ memoriæ Calixti, Paschalis, Innocentij, Lucij, & Vrbani Romanorum Pontificum præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia vestra in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, &c. *usque* illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In eodem loco Casalis, Ecclesiam sanctæ Mariæ, & Ecclesiam sancti Stephani, cum hospitali ibidem ædificato & omnibus suis pertinentiis. Omnes Ecclesias sitas in curia Casalis, cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Hilarij, & domum laboris ecclesiastici. In Paciliano, Ecclesiam sancti Germani, Ecclesiam sancti Michaelis de Casteneto. In loco sancti Georgij, Ecclesiam sancti Martini, sanctæ Mariæ, sancti Hilarij, sancti Vitalis, & sancti Petri. In Cinaglo, Ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani, cum quatuor mansis & omni decima totius loci. In Rodolasco, Ecclesiam sancti Michaelis, cum pertinentiis suis. In Torcello, Ecclesiam sancti Clementis & sancti Nicolai. In loco Casalis, tres mansos terræ quos propriis bubus excolitis, sex jugera vinearum ad proprios labores, mansum Brisce, mansum Gramine, mansum Officiani, mansum Ambrosij Tisinasci, mansum filiorum Gisi, mansum Hilarij, mansum Adæ Duamani, mansum Spatecaldarij, mansum Henrici Fine, mansum Setacharij, mansum Cavatorte, mansum Oberti Prisiliani, mansum Quirici Balde, mansum Radulphi Keke, cum pertinentiis & tertia parte decimarum totius loci

Casalis, & tota decima terrarum familiæ sancti Evasij, & tota decima Braydarum Episcopi, & quicquid Ecclesia de Paciliano de jure vel longa consuetudine vestræ Ecclesiæ facere consuevit. Villam Liuventini, cum decimis & omnibus pertinentiis suis. In sancto Georgio, quatuordecim mansos, sextam decimam partem Torcelli, & tenimentum quondam Petri Crassi, cum omnibus pertinentiis suis. In Monteclo, tres mansos. In Marabello, quinque mansos. In pertinentia Cellæ, septem mansos. In Sermacia, quinque mansos. In Paciliano, quatuor mansos. In vico Borroni, mansum unum. In Luco, mansum unum. In Ageldo, mansum unum. In Ozano, mansum unum. In Rubiano, mansum unum. In Otimiano, mansum unum. In Fraxeneto, mansum unum & dimidium. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sine de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas præsumat auferre. Liceat quoque vobis &c. *usque* in Ecclesia vestra sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper &c. *usque* in loco vestro professionem fas sit absque Præpositi sui licentia de claustro vestro discedere. Discedentem verò sine communi litterarum cautione nullus audeat retinere. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quemcunque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Præposito vel tuorum &c. *usque* providerint eligendum. Decernimus ergo &c. *usque* integra & illibata serventur, eorum pro quorum gubernatione &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. *usque* subjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij III. Kal. Ianuarij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quartodecimo.

CAPITVLO SANCTI EVASII de Casali.

Epist. 117. De subjectione Ecclesiæ Pacilianensis.

CVm dilecti filij V. Ecclesiæ vestræ ac Guaz & A. sancti Germani & communis de Paciliano procuratores ad sedem apostolicam accessissent, nosque illis benignam audientiam dedissemus, prædictus procurator Ecclesiæ vestræ proposuit coram nobis quòd cùm olim inter Ecclesiam vestram ex parte una & Ecclesiam sancti Germani de Paciliano ex altera coram venerabili fratre nostro Patriarcha Ierosolymitano, tunc Episcopo Vercellensi, super subjectione quam vestra Ecclesia petebat ab illa quæstio verteretur, syndicus Ecclesiæ vestræ proposuit coram eo quòd eadem Ecclesia Ecclesiæ vestræ in omnibus debebat esse subjecta, utpote suæ plebi, & tempore solemnis baptismi, videlicet vigilia Paschæ ac Pentecostes, expensis Paciliacensis Ecclesiæ vestræ fontes debebant repleri, ac Presbyter Paciliacensis pro scrutiniis faciendis tempore constituto & pueris baptisandis temporibus supradictis ad Ecclesiam vestram accedere tenebatur, & indifferenter præsentatos sibi pueros baptisare, chrisma sibi suo scholari vel Clerico ministrante; Clerici autem ejusdem Ecclesiæ, qui vellent ad ordines promoveri, ad eos debebant per vestram Ecclesiam præsentari ac vobis omnem reverentiam exhibere; cùm autem Casalensis Præpositus in synodo steterit, Clerici Pacilianensis Ecclesiæ cum eo surgere tenentur & stare quandiu Casalensis Præpositus steterit in eadem. Præpositus verò Pacilianensis proposuit ex adverso quòd Ecclesia sua nullo tempore fuit titulus Ecclesiæ Casalensis, nec unquam tamquam plebi subjecta; sed etsi aliquo tempore rei veritas se aliter habuit, hujusmodi tamen quæstio per bonæ memoriæ Gisulphum Vercellensem Episcopum concorditer extitit terminata: qui statuit ut in tribus solummodo Ecclesia sua esset obnoxia Casalensi, videlicet quòd baptismi tempore unus sacerdos Pacilianensis Ecclesiæ ad fontes interesit cum Clericis Casalensis Ecclesiæ, baptisaturus pueros tantummodo suæ villæ, & qui ordinandi fuerint de Pacilianensi Ecclesia, per Casalensem ad ordines præsententur; nisi forsan Præpositus aut Canonici Casalenses à præsentatione callidè se subtraxerint eorundem; ac in synodo, ubicunque sedeant, surgant surgente Præposito Casalensi, adiciens quòd idem Præpositus chrisma debebat facere ministrari Pacilianensi Presbytero baptisanti. In his ergo tantùm Ecclesia sua Ecclesiæ vestræ & non in aliis tenebatur. Syndicus verò prædictus super hujusmodi prorsùs inficians interveniisse concordiam, instrumentum quod super

hoc Ecclesia Pacilianensis exhibuit, suspectum asseruit falsitatis, adiciens quòd post tempus illud Pacilianenses impleri fecerant fontes Ecclesiæ Pacilianensis. Porrò ex parte fuit Pacilianensis Ecclesiæ replicatum quòd instrumentum prædictum fide dignum & authenticum erat, ac etiam à Vercellensi Capitulo approbatum, & transactionem quæ continebatur in eo bonæ memoriæ Lucius Papa prædecessor noster auctoritate apostolica confirmarat, sicut per ipsius authenticum apparebat. Quòd autem post tempus transactionis aliquando fuerint fontes impleti, ex ignorantia facti processit; cùm postmodum in thesauraria beati Eusebij instrumentum fuerit transactionis inventum, cujus tenorem primitus ignorarant. Et quia istud specialiter in illa controversia fuit antiqua petitum, & omnia remissa fuerant à Casalensibus præter tria prædicta, repletio fontium postmodum indebitè facta non debebat Pacilianensem Ecclesiam ad id præstandum in posterum obligare. Cùm igitur coram Patriarcha prædicto super his fuisset ab utraque parte diutiùs litigatum, idem visis & auditis allegationibus & instrumentis ac depositionibus testium quos pars utraque produxit, habito fratrum suorum & aliorum juris peritorum consilio, sic decrevit, ut Pacilianensis sacerdos tempore solemnis baptismi cum baptisandis pueris terræ suæ ad Ecclesiam Casalensensem accederet & indifferenter quoscunque pueros baptisaret oblatos; ordinandi verò de sæpedicta Pacilianensi Ecclesia per vestram præsententur ad ordines; nisi fortè Præpositus qui pro tempore fuerit, aut Capitulum, à præsentatione ipsorum callidè se duxerint subtrahendos; ita tamen quòd Clericus Pacilianensis qui esset ad ordines præsentandus, præsentatorem procurare minimè teneretur, & si Clericus Casalensis sine dilatione vellet accedere ad præsentandum eundem, præsentandus cum eo accederet sine mora; quòd si præsentator ire differret, ordinandus accederet sine ipso, & usque ad tempus repræsentationis expectaret eundem. Statuit etiam ut Pacilianenses Clerici in synodo surgerent cum Casalensi Præposito, starent cum eo quandiu ipse steterit, sicut Clerici Casalenses. Chrisma quoque idem Præpositus Pacilianensi Presbytero baptisanti sicut aliis sacerdotibus faceret ministrari, & celebrato baptismate, chrisma & oleum sanctum Pacilianenses Clerici de manu Præpositi reciperent sæpedicti. A repletione verò fontium & aliis quæ à vestra Ecclesia fuerant postulata Ecclesiam Pacilianensem prorsùs absolvit. Propter quod ab Ecclesia vestra fuit ad sedem apostolicam appellatum; & eadem prosequente appellationem emissam, bonæ memoriæ Clemens prædecessor noster appellationis causam Mortariensi Præposito & magistro Iacobo Papiensi Canonico delegavit. In quorum præsentia partibus constitutis, magister Garganus syndicus Pacilianensis Ecclesiæ proposuit coram illis quòd à præfata sententia ab Ecclesia vestra nec prima die qua lata fuit coram præfato judice viva voce, nec postmodum infra decem dies in scriptis in ejus præsentia extitit appellatum, & appellationem ipsam Ecclesia vestra non fuerat infra tempus legitimum prosecuta. Vnde ab impetitione ipsius Pacilianensis Ecclesia debebat absolvi. Iudices verò prædicti, visis & intellectis rationibus utriusque partis, & depositionibus testium prædictorum diligenter inspectis, præfato magistro præstante corporaliter juramentum quòd à præfata sententia nec prima die nec infra decem dies, sicut superiùs est expressum, ab Ecclesia vestra fuerat provocatum, eundem magistrum nomine Pacilianensis Ecclesiæ ab impetitione Casalensis Ecclesiæ sententialiter absolverunt, præfatam diffinitivam sententiam confirmantes. Cùm igitur sæpedicti Pacilianenses per decennium & ampliùs præfatæ sententiæ paruissent, & postmodum ipsam servare temeritate propria recusassent, nos Ecclesiæ vestræ querela super hoc proposita coram nobis, venerabili fratri nostro Lothario Pisano Archiepiscopo, tunc Vercellensi electo, nostris dedimus litteris in mandatis ut eos ad observationem ipsius sententiæ per censuram ecclesiasticam, sicut justum esset, compelleret, appellationis diffugio nonobstante. In cujus præsentia partibus constitutis, G. syndicus Ecclesiæ vestræ petiit ut præfatam sententiam à prædicto Episcopo promulgatam & confirmatam per judices à sede apostolica delegatos, sicut per instrumenta publica exinde confecta pleniùs apparebat, faceret executioni mandari. Sed pars altera proposuit ex adverso quòd cùm tam diffinitiva sententia quàm ea quæ lata extiterat pro confirmatione ipsius, sicut nisa est probare per testes, fuerit per appellationem suspensa, præfata diffinitiva non erat executioni mandanda, sed potiùs de causa ex integro cognoscendum. Ceterùm Ecclesiæ vestræ syndicus objectum appellationis in-

ficians, asseruit quòd si fuisset etiam provocatum, nihilominus tamen ipsa sententia in rem transierat judicatam, cùm non solùm biennium, sed decennium etiam fuerit à tempore prolationis elapsum. Nec illud debebat obstare quòd allegaverat pars adversa, videlicet quòd lis quæ speratur in consistorio Principis absque damno moræ manet intacta; eo quòd id locum habet, si postquam ad Principis venit notitiam, causæ tractatum distulerit variis occupationibus præpeditus. Præterea syndicus asseruit memoratus quòd de prædictæ sententiæ viribus non erat amplius inquirendum, cùm Clerici Pacilianensis Ecclesiæ proprio motu in omnibus capitulis paruerint sententiæ memoratæ. quod nisus est testium assertione probare. At Pacilianensis Præpositus id penitùs negans, proposuit quòd hoc verisimile minimè videbatur, cùm semper à longis retro temporibus in sabbatho vigilia Paschæ ac Pentecostes solemne baptismum Pacilianensis Ecclesia celebrarit. quod & voluit probare per testes. adiciens quòd etsi omnia vera essent quæ pro vestra Ecclesia fuerant allegata, parti suæ tamen non debebant obesse; cùm Præpositus vester, vobis assentientibus, super his quæ præfata sententia vel ratione alia vestræ competebant Ecclesiæ transegerit cum eodem, & bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster transactionem super his habitam confirmarit, quasdam litteras nomine ipsius prædecessoris nostri confectas producens in medium ad suam intentionem fundandam. Ad hoc præfatus syndicus Ecclesiæ vestræ respondit quòd hoc nec verum erat nec verisimile videbatur, cùm tempore quo Patriarchà prædictus præfuerat Ecclesiæ Vercellensi plures de Clericis Pacilianensis Ecclesiæ suspensi fuerint pro eo quòd dictam sententiam non servarant, & ab eis usque tunc id non extiterit allegatum, firmiter asseverans instrumentum super transactione confectum & præfatas confirmationis litteras esse falsas. Verùm præfatus Archiepiscopus de litterarum illarum dubitans falsitate, ipsas examinandas ad nostram præsentiam destinavit cum suarum testimonio litterarum. Nos igitur litteris ipsis diligenter inspectis, ipsi rescripsimus quòd eas tam ex dictamine, quod à stilo cancellariæ nostræ discrepabat omnino, quàm ex bulla quæ fuerat extracta ex litteris aliis, & illis fraudulentur inserta, falsas esse comperimus manifestè. Porrò Archiepiscopus memoratus, visis & intellectis his & aliis quæ hinc inde fuere proposita coram eo, & habito prudentum virorum consilio, super præmissis pronuntiavit quemadmodum dictus pronuntiaverat Patriarcha, Ecclesiæ vestræ syndicum sententialiter ab impetitione syndici communis Pacilianensis absolvens super eo quod proposuerat quòd vestra perturbarat Ecclesia quasi possessionem Pacilianensis communis super suorum baptismate parvulorum. Licèt autem præfati Pacilianenses à prædicta sententia postmodum appellarint, iidem tamen appellationem emissam infra biennium prosequi non curarunt, & eis non deferentibus pueros suos ad vestram Ecclesiam baptisandos, juxta quod à Patriarcha & Archiepiscopo memoratis fuerat sententialiter diffinitum, nos super hoc Ecclesiæ vestræ querela recepta, venerabili fratri nostro Papiensi Episcopo dedimus in mandatis ut partibus convocatis, causam audiret & appellatione remota fine debito terminaret. A quo, libello sibi oblato, Ecclesiæ vestræ syndicus postulavit ut cùm commune Pacilianense pueros suos ad Casalensem Ecclesiam baptisandos contemnerent destinare, ipsos ecclesiastica censura compelleret ut tempore solemnis baptismi pueros suos ad eandem Ecclesiam baptisandos transmitterent, ut tenentur. Lite igitur coram eo solemniter contestata, & productis testibus, & exhibitis instrumentis, præfatus Episcopus, visis & intellectis rationibus utriusque partis, & habito prudentum virorum consilio, nonobstantibus litteris quas venerabiles fratres nostri Terdonensis & Alexandrinus Episcopi miserunt eidem, quasque sibi Præpositus Pacilianensis Ecclesiæ in die tertio præsentavit, cùm post impetrationem ipsarum pars Pacilianensis testium depositiones receperit à vestra Ecclesia productorum, & postulatis inductis & obtentis ad faciendos extractus & super depositionibus testium disputandum sibi sua tradiderit instrumenta, depositiones testium & extractus, de præfatis litteris non faciens mentionem, syndicum Pacilianensem communis eorum nomine sententialiter condemnavit ut de cetero singulis annis tempore solemnis baptismi, videlicet vigilia Paschæ ac Pentecostes, parvulos suos ad Ecclesiam vestram mitterent baptisandos. Postmodum autem Pacilianensis Præpositus suam nobis querimoniam destinavit quòd Casalensis Præpositus injuriabatur eidem super quadam pecuniæ quantitate. Verùm nos dilecto filio Ray-

Vide lib. 1. epist. 349. & lib 2. epist. 37. & gesta Innoc. III. cap. 42.

nerio Subdiacono noſtro Aſtenſi Canonico noſtris dedimus litteris in mandatis ut cauſam audiret, & appellatione remota, uſuris ceſſantibus, fine debito terminaret. Quibus in ejus præſentia conſtitutis, B. ſyndicus Pacilianenſis Eccleſiæ oblato libello propoſuit coram eo quòd cùm tranſactionem habitam inter magiſtrum Stephanum Eccleſiæ veſtræ nomine & magiſtrum Gar. tunc ſyndicum Pacilianenſis Eccleſiæ ſuper baptiſmate parvulorum & capitulis aliis minimè ſervaretis, incideratis in pœnam trecentarum librarum Papienſis monetæ, quæ fuerat in compromiſſo expreſſa. Vnde poſtulavit inſtanter ut vos compelleret ad ſolutionem ejuſdem, repetens nihilominus centum quinquaginta libras Papienſes quas præfatus magiſter G. nomine Pacilianenſis Eccleſiæ dederat Eccleſiæ veſtræ pro bono pacis & expenſis quas fecerat ſuper præfatis capitulis litigando; & quòd Eccleſia veſtra teneretur ad hæc niſus eſt probare per teſtes & per publicum inſtrumentum. Syndicus verò Eccleſiæ veſtræ propoſuit ex adverſo quòd inſtrumentum quod idem exhibuerat, erat falſum, & contractus, qui continebatur in illo, nunquam habitus fuerat inter partes, & ſi habitus eſſet, non debebat tenere de jure, eò quòd ſuper ſpiritualibus, quæ remitti non poterant, factus eſſet; nec præfatus magiſter ad pœnam Eccleſiam veſtram quiverat obligare, nec etiam licitum fuerat ſuper re tranſigere judicata. Iudex verò prædictus, auditis his & aliis quæ fuerunt propoſita coram eo, & utriuſque partis rationibus diligenter inſpectis, præfatum Eccleſiæ veſtræ ſyndicum, ipſius Eccleſiæ nomine, ab impetitione partis alterius ſuper prædictæ pecuniæ quantitate per ſententiam diffinitivam abſolvit. Verùm procurator prædictus poſtulavit à nobis ut præfatas ſententias auctoritate dignaremur apoſtolica confirmare, ac ſuper præmiſſis parti adverſæ perpetuum ſilentium imponentes, ipſos nihilominus puniremus pro eo quòd inſtrumentis & litteris pluries in judicio fuerant uſi falſis, eoſque vobis condemnaremus nihilominus in expenſis, revocando in irritum quod per Petracium & Morandum occaſione litterarum falſarum contra Eccleſiam veſtram extiterat attentatum. Ad hæc præfati procuratores Pacilianenſes reſponderunt quòd licèt præfatæ ſententiæ latæ fuerint contra eos, ipſi tamen appellarant ab illis, & eædem iniquitatem nihilominus continebant, & de dolo præſumi poterat manifeſtè, eò quòd contra tranſactionem extiterant promulgatæ. Vnde petebant eaſdem auctoritate apoſtolica irritari, cùm inſtrumentum tranſactionis ipſius ut falſum non fuerit in judicio reprobatum; nihilominus poſtulantes ut, prædictis ſententiis nonobſtantibus, tranſactionem eandem, quæ fuerat pœna pecuniaria & ſacramenti religione firmata, faceremus ſervari, per quam Pacilianenſes & eorum Eccleſia ab Eccleſiæ veſtræ ſubjectione reddebantur immunes. Procurator verò veſter propoſuit ex adverſo quòd de juribus ſententiarum illarum non erat de cetero inquirendum, cùm in rem jam tranſierint judicatam, & licèt pars adverſa, ſicut aſſerit, à ſententia Mortarienſis Præpoſiti & ejus conjudicis appellarit, nihilominus tamen per decennium & amplius ipſi Pacilianenſes præfatæ ſententiæ paruerunt. propter quod & appellationi ſuæ ac tranſactioni, ſi qua facta extitit, renuntiaſſe videntur. Præterea cùm de inſtrumento tranſactionis Archiepiſcopus cognoverit memoratus, & eo nonobſtante pronuntiaverit contra ipſos, illud meritò præſumitur reprobaſſe; & ſi ab ipſius, ut aſſerunt, ſententia provocarunt, appellationem tamen infra biennium non fuerunt poſtmodum proſecuti. Sed à ſententia præfati Papienſis Epiſcopi eis non licuit appellare: quia cùm jam ſecundò appellaverint, ſicut dicunt, in eadem cauſa ipſis provocare tertiò non licebat: contra quos etiam Subdiaconus memoratus, ad quem ipſi noſtras litteras impetrarant, ſuper tranſactione prædicta ſententiam promulgavit, ab impetitione ipſorum veſtram Eccleſiam abſolvendo. Procuratores verò Pacilianenſes replicarunt quòd appellationem quam emiſerant à ſententia quam præfatus Archiepiſcopus tulerat contra eos infra tempus legitimum fuerant proſecuti, ſed eodem impediente Archiepiſcopo, qui tunc temporis apud ſedem apoſtolicam morabatur, non potuerunt aliquid impetrare. Vnde quia lis inferri ſperabatur in conſiſtorium Principis, ſine damno moræ morabatur intacta. Præterea cùm præſentiam judicis formidarent pro falſitate in judicio deprehenſa, & timor talis exiſteret qui cadere poterat in conſtantem, à proſecutione appellationis ipſius meritò poterant excuſari. Ad hæc autem procurator veſter reſpondit non eſſe veriſimile quòd infra biennium appellationem proſequi nequiviſſent: quia licèt aliquando Princeps extiterit occupatus, non tamen conſuevit inſtantibus

justitiam denegare; nec metum quem ob vitium falsitatis incurrebant allegare valebant, cùm iidem hujusmodi incusserant sibi metum, nec ex eo erant aliquatenus excusandi unde debebant potiùs condemnari. Nos igitur his & aliis diligenter auditis quæ partes coram nobis proponere voluerunt, de consilio fratrum nostrorum prædictas sententias, quas manifestè cognovimus esse justas, decrevimus confirmandas. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Non Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO ET CVSTODI Argentinensi.

Epist. 138. Ne vulgaria judicia exerceantur à Presbyteris.

LIcèt apud judices seculares vulgaria exerceantur judicia, ut aquæ frigidæ, vel ferri candentis, sive duelli, hujusmoci tamen judicia Ecclesia non admisit; cùm scriptum sit in lege divina: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc igitur observato, circa purgationem Reimboldi latoris præsentium, qui super hæretica pravitate asseritur infamatus, taliter procedatis quòd morbus iste, qui serpit ut cancer, per vestram sollicitudinem circumspectam perfectè curetur; ita quòd eum nec iniquum gravet judicium, nec misericordia dissoluta confundat. Datum Laterani V. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

P. PRÆPOSITO EBREDVNENSI Subdiacono nostro.

Epist. 139. Recipitur sub protectione B. Petri.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. Eapropter, dilecte in Domino fili, &c. *usque* inclinati, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis dante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione susçipimus. Specialiter autem præposituram & canonicam Ebredunensis Ecclesiæ cum pertinentiis suis, sicut eas justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

P. SVBDIACONO NOSTRO Præposito, & Capitulo Ebredunensi.

Epist. 140. De supplenda negligentia

POstulastis per sedem apostolicam edoceri ut cùm ad vos simul & Archiepiscopum vestrum donatio præbendarum Ecclesiæ vestræ pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remaneat, si eam infra semestre tempus neglexeritis pariter ordinare. Ad quod vobis breviter respondemus quòd cùm vos & idem Archiepiscopus infra tempus præscriptum negligentes existitis circa collationem vacantium præbendarum, sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferendi, sed secundùm statuta Lateranensis Concilij ad superiorem transit donatio earundem; nisi fortè Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus, vobiscum jus habeat conferendi; & in hoc casu, si dolosè forsitan impedierit, dolus ei suffragari non debet. Datum Laterani IV. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Corbeiensi.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus &c. *usque* assensu, sententiam diffinitivam quam pro vobis contra nobilem virum W. Advocatum Bethuniæ super quibusdam talliis & exactionibus quas dictus Advocatus indebitè vestris hominibus imponebat, dilecti filij sancti Martini de Gemellis & sancti Acheloi Abbates & Præcentor Ambianensis, à nobis judices delegati, exigente justitia protulerunt, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communicamus. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

VNIVERSIS EPISCOPIS IN quorum episcopatibus malefactores Corbeiensis monasterij commmorantur.

QVanto ampliùs Corbeiense monasterium ad jus & proprietatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur pertinere, & specialiùs ad ejus curam respicit & tutelam, tanto ad defensionem & conservationem ipsius propensiori cura nos oportet intendere, & ejus jura illibata & integra conservare. Inde est quòd universitati vestræ per apstolica scripta mandamus quatinus illos parrochianos vestros qui possessiones & bona præfati monasterij auferre præsumpserint & ea temerariè molestare, cum omni

omni ſtudeatis diligentia convenire ut & ablata reſtituant & ab eorum moleſtia & infeſtatione deſiſtant. Quod ſi juxta commonitionem veſtram facere fortè contempſerint, eos uſque ad condignam ſatisfactionem cenſura eccleſiaſtica arceatis. Datum Laterani III. Non. Decemb. pontificatus noſtri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI ſancti Maglorij Pariſienſis.

Epiſt. 143. Ne quid exigatur pro inſtallatione Abbatis.

CVm ex injuncto nobis apoſtolatus officio Eccleſiarum omnium ſollicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet quæ interdum contra ſacrorum canonum ſanctiones in eis per ipſarum miniſtros improvidè attentantur. Sanè ad audientiam noſtram vobis referentibus eſt delatum quòd cùm Abbatem veſtrum contingit de novo in ſede, prout moris eſt, collocari, Archidiaconus Pariſienſis pro inſtallatione ipſius centum ſolidos Pariſienſis monetæ à vobis nititur extorquere, hujuſmodi exactionem in jus annuum convertendo. Quia igitur talis exactio eſt rationi contraria & ſanctorum patrum inſtitutionibus inimica, ne id de cetero attentetur, auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus. Nulli ergo &c. inhibitionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani III. Non. Octob. pontificatus noſtri anno quartodecimo.

PRIORI GRANDIMONTENSI.

Epiſt. 144. Confirmantur quædam ſtatuta.

CVm quædam capitula in authentico noſtro contenta per litteras tuas, quæ coram nobis recitatæ fuerunt, ad majorem duxeris evidentiam exponenda, nos attendentes te illa & intellexiſſe fideliter & ſalubriter explanaſſe, devotioni tuæ præſentium auctoritate mandamus quatinus ipſa ſecundùm expoſitionem hujuſmodi facias obſervari. Ad majorem verò cautelam expoſitiones illas de verbo ad verbum præſenti ſcripto juſſimus annotari; quarum tenor eſt talis. Quia de pulſatione ad collationem prima fiebat quæſtio, taliter videtur determinare privilegium, quòd procurator domus ſecundùm tenorem mandati apoſtolici debet propria manu pulſare, cùm in domo præſens fuerit, hora ſtatuta à Priore; niſi infirmitas corporis manifeſta vel neceſſitas inevitabilis ipſum detinuerit, ne collationi valeat intereſſe. Si verò intereſſe nequiverit, alius converſus, quem Prior ſtatuerit, pulſet hora ſtatuta. Ita ſiquidem ut de negligentia jure non valeant reprehendi. Prior autem Clericum inſtituet qui procuratori vel alteri converſo hora ſtatuta præcipiat ut pulſetur; vel ſi Clericus negligens fuerit, hoc idem injungat alius Clericus loco ejus. Per quod manifeſtè datur intelligi quòd Clericus auctoritatem habet injungendi converſo ut pulſet hora ſtatuta, vel ſi fortè hora tranſierit, converſus tenetur pulſare ad denuntiationem Clerici ſine dilatione qualibet vel quæſtione; & ſi quilibet horum negligens fuerit vel contemptor, de mandato ſummi Pontificis tamquam transgreſſor puniatur. Viſitatores computationes audiant de receptis pariter & expenſis, eo modo quo Prior computationes conſuevit audire. quem modum, quamvis ſatis notus ſit univerſis, planè coram omnibus in Capitulo generali expoſuimus. Si Clericis placuerit ut exeant ad laborem, cum converſis exeant, & cum eis pariter revertantur: ſed ſemper hebdomadarius in cella remaneat. cujus nomine intelligimus interiorem ambitum vel clauſuram, vel, ſi clauſura non fuerit, loca adjacentia officinis. Si verò Clerici vel converſi exceſſerint exeundo, quod intelligimus ſi nimis frequenter & ſine cauſa honeſta, in Capitulo proclamentur à Clerico vel converſo, & per hebdomadarium regulariter & rationabiliter judicentur. Cetera verò expoſitione aliqua indigere non videntur, cùm mutationes Clericorum de voluntate Prioris cum conſilio Clericorum diſcretorum fieri debeant, & cùm mutati fuerint, nihil prorſùs ſecum ferre debeant niſi pannos ſimplices, nec ſcripturam, nec quodlibet aliud, nec converſi pariter ſine ſpeciali permiſſione vel mandato Prioris, cùm, ſicut apertè ſonat privilegium, nihil ſibi proprium debeant vendicare. Quia verò computationis Capitulum, fili Prior, minimè fuit in tuis litteris explanatum, illud nos in aliis litteris noſtris plenius duximus explanandum. Datum Laterani IV. Idus Ianuarij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

PRIORI ET CONVENTUI Grandimontenſi.

Epiſt. 145. Super reformatione ejuſdem monaſterij.

VEnientes ad apoſtolicam ſedem aliqui Clerici de quibuſdam cellis ordinis veſtri nobis proponere curaverunt quòd in multis ſtatuta veſtri ordinis violantur; propter quòd ſcandalum oritur inter fratres, & rixæ ac contentiones exinde oriuntur. Nos autem, quia ipſos tu, fili Prior, ſicut per tuas litteras intimaſti, excommunicationis vinculo innodaras, ut

super his quæ proponebant meliùs instrui valeremus, eisdem beneficium fecimus absolutionis impendi, mandantes ut eos in locis suis recipi facias salva ordinis disciplina. Volentes igitur ut si qua in Ecclesia vestra corrigenda sunt, in melius corrigantur, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Bituricensi & dilectis filiis de Pratea & de Varenis Abbatibus Cistercienſis ordinis Bituricensis diocesis dirigimus scripta nostra, ut ad vestram Ecclesiam accedentes, quæ ibidem invenerint contra regulam deformata, nostra freti auctoritate sublato appellationis obstaculo studeant reformare, contradictores censura ecclesiastica compescendo. Tales itaque vos in his exhibere curetis quòd zelari meritò videamini vestri ordinis honestatem, & hujusmodi contentiones & rixæ penitùs sopiantur: quia servos Dei non oportet, secundùm Apostolum, litigare. Illud autem quod in rescripto nostro de computatione annis singulis facienda conditionaliter dicitur, intelligi volumus absolutè; nihilominus injungentes ut clericus sive laicus de ordine vestro, quem constiterit in canonem latæ sententiæ incidisse, tamquam excommunicatus ab omnibus evitetur donec per hebdomadarium sacerdotem vel per te, fili Prior, fuerit absolutus. Datum Laterani IX. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PATRIARCHÆ Alexandrino.

Epist. 146. Consolatur captivos Christianos.

GRatum gerimus & acceptum, & fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quòd, sicut ex litteris tuis nobis directis accepimus, circa illos qui Alexandriæ ac Babyloniæ sunt captivi diligentiam adhibes pij patris, & ad liberationem ipsorum impendis operam diligentem; & ne periculum negationis incurrant, nobis humiliter supplicasti ut calamitates eorum & angustias quas sustinent attendentes, pro liberatione ipsorum fratribus militiæ Templi & Hospitalis necnon Regibus & Principibus orientalis provinciæ scribere dignaremur. Nos autem, qui cum Apostolo dicere possumus, *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror*, etsi in tribulationibus eorundem paterno compatiamur affectu, in eo tamen consolationem recipimus qui secundùm Apostolum pater misericordiarum & totius consolationis est Deus, qui nos in omni tribulatione nostra misericorditer consolatur, illud in eis speranteſimplendum quod veritas, quæ mentiri non novit, in evangelio protestatur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sanè habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, petitionem tam tuam quàm captivorum ipsorum favore perpendimus apostolico prosequendam, venerabili fratri nostro Patriarchæ Ierosolymitano apostolicæ sedis Legato nostris dantes litteris in mandatis quatinus ex parte tam nostra quàm sua præscriptos fratres ac Reges & Principes in nomine Domini exhortetur, consulendo fideliter & efficaciter inducendo ut ad redemptionem illorum per congruam commutationem intendant, & contra persecutores fidei Christianæ his pro fide Christi potentibus armis utantur quibus utique Dominus vim suæ virtutis creditur faciliùs impensurus, cùmque hoc acceptabile opus populus intellexerit Christianus, ad subventionem eorum liberaliùs suas manus extendat, & nos, si devotè fuerimus exauditi, debeamus eos in petitionibus suis plenius exaudire; quicquid autem super hoc actum fuerit idem Patriarcha nobis non differat intimare; ut per suam relationem instructi, juxta quod nobis divina suggesserit inspiratio, procedamus. Cùm igitur tamquam aurum in fornace Dominus suos probet electos, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes quatinus captivos ipsos efficaciter exhorteris ut non deficiant in tribulationibus suis: quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quam in nobis Apostolus asserit revelandam; & fidelis est Deus, qui eosdem supra id quod possunt tentari minimè patietur, sed faciet cum tentatione proventum, ut valeant sustinere. Id enim quod in præsenti sustinent, est utique momentaneum, sed in eis pondus æternæ gloriæ operatur, si tamen usque in finem viriliter in incepto certamine duxerint perstitendum: quia si legitimè consummaverint bonum certamen quod hactenus certaverunt, de reliquo ipsis corona justitiæ reponetur. Quædam autem de ipsis audimus quæ cum dolore referimus & pudore: quia ipsi nonnulla committunt impia & nefanda, per quæ non solùm divinam majestatem offendunt, verùm etiam apud incredulos Christianam religionem infamant. propter quod maximè circa liberationem ipsorum supernæ miserationis retardatur

effectus. à quibus tu eos salubribus monitis & consiliis studeas revocare, talem te ipsum in servitute divina satagens exhibere ut ab his qui sunt intus & ab his qui sunt foris bonum habere testimonium merearis. Ceterùm, sicut nobis scripsisti, præfati captivi non habent nisi quendam vetulum sacerdotem qui eis possit ministrare divina. Vnde fraternitatem tuam humiliter rogaverunt ut unum ex ipsis in ecclesiasticis ministeriis eruditum in Diaconum promoveres, quod tu sine nostra licentia facere noluisti. Nos autem ut in hoc eorum adimpleas desiderium suademus, ordinandi eum tibi liberam concedenres auctoritate apostolica facultatem. Datum Laterani x v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PATRIARCHÆ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato.

Epist. 147. De commutatione captivorum.

REcepimus litteras doloribus plenas & miseriis cumulatas quas apostolatui nostro miserunt venerabilis frater noster Patriarcha Alexandrinus & qui Alexandriæ sunt captivi, ærumnas & pressuras quas sustinent exponentes, & postulantes suppliciter cum gemitu & mœrore quatinus ad liberationem eorum misericorditer intendamus, inducendo fratres Templi & Hospitalis ac Reges & Principes orientalis provinciæ ut per commutationem captivorum ad liberandum illos inclinent animos cum effectu; ne propter acerbitatem pœnarum quas longo tempore sunt perpessi apostatare cogantur, cùm prompto sint spiritu parati tantum illis exhibere servitij quantum solet eisdem ab infidelibus captivis impendi; nihil ampliùs postulantes ab eis quàm quod ipsi sunt soliti hujusmodi exhibere captivis, ut saltem hoc modo periculum negationis evadant. Nos autem super hoc habito cum fratribus nostris diligenti tractatu, petitionem eorum favore perpendimus apostolico prosequendam, cùm ipsi pro defensione fidei Christianæ captivitatem incurrerint & teneantur quasi pro Christo captivi, qui fidelibus suis dicturus est in judicio: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi; quia in carcere eram, & venistis ad me. quandiu enim fecistis hoc uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et è contrà dicturus est reprobis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Quasi diceret manifestiùs: Qui quempiam meorum fidelium à carcere liberaverit, & ego illum eripiam ab inferno, ne cum diabolo & angelis ejus perpetuò crucietur in igne gehennæ, sed cum angelis sanctis in regno Dei perenniter glorietur. Cùm ergo captivis hoc humanitatis solatium & ex officio caritatis & ex præcepto Domini debeatur, transgressores profectò videntur qui nolunt, cùm possint, ad redemptionem intendere captivorum, pro qua secundùm constitutiones canonicas & legitimas distrahi debent ecclesiastica bona, quæ in aliis casibus alienari non licet. Verendum est enim ne secundùm Apostolum non sint justitiæ divinæ subjecti, si qua forsitan contra hoc suam justitiam statuerunt, legem Dei propter traditiones hominum dimittentes, volendo plus rebus consulere quàm personis, pecunias magis quàm animas diligentes. quod irrefragabili videtur argumento convinci, si certè quos liberant pro pecuniis acquirendis, nolint pro redimendis fratribus liberare. Cupientes igitur utrorumque providere saluti, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes quatinus ex parte tam nostra quàm tua præscriptos fratres ac Reges & Principes in nomine Domini exhorteris, consulendo fideliter & efficaciter inducendo ut ad redemptionem illorum per congruam commutationem intendant & contra persecutores fidei Christianæ his pro fide Christi potentibus armis utantur quibus utique Dominus vim suæ virtutis creditur faciliùs impensurus; cùmque hoc acceptabile opus populus intellexerit Christianus, ad subventionem eorum liberaliùs suas manus extendant, & nos, si devotè fuerimus exauditi, debeamus eos in petitionibus suis pleniùs exaudire. Quicquid autem super hoc actum fuerit nobis non differas intimare; ut per tuam relationem instructi, juxta quod nobis divina suggesserit inspiratio procedamus. Datum Laterani Idibus Ianuarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

VNIVERSIS CAPTIVIS in Alexandria & Babylonia constitutis.

Epist. 148. Super eodem.

REcepimus litteras doloribus plenas & miseriis cumulatas quas tam vos quàm venerabilis frater noster Alexandrinus Patriarcha nostro apostolatui direxistis, ærumnas & pressuras &c. *in eundem ferè modum ut in superiori quæ mittitur Patriarchæ Hierosolymitano usque* periculum negationis evadant. Nos autem, qui cum Apostolo

dicere poſſumus, Quis infirmatur &c. *in eundem ferè modum ut in ſuperiori quæ mittitur Patriarchæ Alexandrino uſque.* Cùm igitur tamquam aurum in fornace Dominus ſuos probet electos, univerſitatem veſtram monendam duximus & hortandam quatinus non deficiatis in tribulationibus veſtris &c. *uſque* ſupernæ miſerationis retardatur effectus, à quibus vos ſub obteſtatione divini judicij obſecramus penitùs abſtinere, ne per vos inter gentes ſanctum nomen Domini blaſphemetur. Alioquin fruſtra profectò vel à Deo miſericordiam vel à nobis ſolatium expectatis. Datum Laterani XIV. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ Chriſti in Riga.

Epiſt. 149. Differt erectionem epiſcopalis ſedis.

GRatias eximias bonorum omnium referimus largitori quòd conatus veſter contra barbaras nationes inutilis non exiſtit, ſed de die in diem in veſtris manibus proſperatur; ita ut greſſus veſtros Domino dirigentes, plures vobis ſubjeceritis ex eiſdem, & ad unum adduxeritis cultum Dei, recepto baptiſmatis ſacramento. Verùm dilectus filius.. confrater veſter lator præſentium à nobis cum inſtantia poſtulavit ut in terris illis quas vobis nuper divina præeunte clementia ſubjugaſtis dignaremur Epiſcopum ordinare. Sed preces ipſius, cùm arduum ſit negotium, non duximus protinus admittendas; quin potiùs uſque ad tempus expectandum providimus opportunum; univerſitatem veſtram monentes & exhortantes attentiùs quatinus in Domino confortemini & in potentia virtutis ipſius, prælia Domini viriliter pugnaturi; ſcientes quòd noſtrum vobis non deerit auxilium in quibus cum Domino viderimus expedire. Datum Laterani VIII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

ABBATI SANCTI VICTORIS Pariſienſis.

Epiſt. 150. Interpretatur quoddam privilegium eidem Abbati conceſſum.

SIcut ex litteris tuis nuper accepimus, cùm olim ex parte dilectorum filiorum ſcholarium Pariſienſium nobis fuerit humiliter ſupplicatum ut cùm interdum eorum aliqui ex mutua injectione manuum in canonem incidant ſententiæ promulgatæ, pro qua ſine gravi diſpendio, & præſertim ſine ſcholaſtici ſtudij detrimento, non poſſent ad apoſtolicam ſedem accedere, ſuper hoc dignaremur eiſdem miſericorditer providere, nos tibi dedimus in mandatis ut cùm eſſes à talibus requiſitus, auctoritate noſtra ſuffultus juxta formam Eccleſiæ abſolutionis eis munus impenderes, & injungeres ipſis quod hujuſmodi conſuevit injungi, niſi forſan tam gravis eſſet & enormis exceſſus quòd meritò propter eum deberent ad ſedem apoſtolicam laborare. Tu verò quorundam conſilio aſſerentium beneficia Principum latiſſimè fore interpretanda, ſcholaribus Pariſienſibus qui inciderant in hujuſmodi canonem quocunque loco, iniciendo temerè manus in Clericos violentas, juxta formam præſcriptam abſolutionis beneficium impendiſti. Nos igitur his auditis de tua non potuimus prudentia non mirari, quòd ad ſic intelligendum litteras noſtras tuum animum inclinaſti, cùm in eiſdem litteris non dicatur *inciderint*, ſed *incidant in canonem ſententiæ promulgatæ*; ut de illis ſolis intelligatur ſcholaribus qui Pariſius exiſtentes hujuſmodi committunt exceſſum. Quocirca præſentium tibi auctoritate mandamus quatinus ſcholares illos abſolvere de cetero non præſumas qui alibi quàm Pariſius taliter deliquerunt, ſciens quòd illi pro abſolutis haberi non debent quos alibi delinquentes quàm Pariſius abſolviſti, cùm de talibus nullam acceperis poteſtatem. Datum Laterani X. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

DECANO ET CAPITVLO beati Aniani.

Epiſt. 151. Quis [illegible]

SIcut exhibita nobis ex parte veſtra petitio declaravit, Eccleſia veſtra occaſione cujuſdam conſuetudinis perverſæ ibidem hactenus obſervatæ debito Canonicorum ſervitio ſæpius defraudatur. Cùm enim Ph. quondam Decanus & Capitulum ipſius Eccleſiæ ſtatuiſſent ut illi tantùm præbendarum ſuarum integrè perciperent redditus qui aſſiduum impenderent eidem Eccleſiæ famulatum, adjungentes inſuper quòd tantùm ille diceretur & eſſet aſſiduus qui eidem ſoli Eccleſiæ Canonici ſervitium exhiberet, ſe ſervaturos hæc omnia præſtito juramento firmantes, nonnulli veſtrum exinde occaſione fraudulenter aſſumpta, cùm extra civitatem Aurelianenſem frequenter moram faciant longiorem, ita quòd per totum annum continuè vel interpolatim, dierum numero computato, nec etiam per tres menſes Eccleſiæ ſerviunt memoratæ, integrè fructus ſuarum percipiunt præbendarum, dicentes ſe juxta ſtatutum præfatum aſſiduitatem ſervitij Eccleſiæ impendiſſe. Verùm poſtulaſtis à no-

bis ut nulli Canonicorum veſtrorum præbendæ ſuæ fructus niſi per dimidium annum ad minus, dierum numero interpolatim vel continuè computato, reſidentiam in Eccleſia veſtra fecerit, perſolvatis; cui etiam, niſi matutinalibus horis vel Miſſarum ſolemniis ſeu veſpertinis laudibus perſonaliter interfuerit, dies inutiles computentur. Nolentes igitur Eccleſiæ veſtræ tantum ſuſtinere gravamen, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus id de cetero inter vos firmiter obſervetur. Salvo in omnibus apoſtolicæ ſedis mandato. Datum Laterani XIII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno quartodecimo.

ABBATI SANCTI SALVATORIS de Breda Gerundenſis dioceſis, & magiſtris Vitali Subdiacono noſtro & Arnaldo Canonicis Ilerdenſibus.

Epiſt. 152. Delegat correctionem monaſterij S. Cucufatis.

CVm B. monachus monaſterij ſancti Cucufatis & procurator Abbatis & monachorum ejuſdem monaſterij ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, eis dilectum filium noſtrum Petrum tituli ſanctæ Cæciliæ Preſbyterum Cardinalem conceſſimus auditorem. Coram quo monachus propoſuit antedictus quòd cùm ad venerabiles fratres noſtros Gerundenſem & Vicenſem Epiſcopos & Sacriſtam Gerundenſem à nobis litteras impetraſſent, ut ipſi ad dictum monaſterium perſonaliter accedentes ibidem corrigerent quæ tam in capite quàm in membris corrigenda viderent, ipſi accedentes ad locum, & litteris noſtris in conventus audientia communi perlectis, præſtari ſibi juramenta de dicenda veritate ſuper ſtatu monaſterij exegerunt. Abbas verò & monachi tria objecerunt mendaciter contra ipſum, videlicet quòd excommunicationis vinculo tenebatur, nec ſuper objectis Abbatem præmonuerat & conventum, & quòd ante præſcientiam litterarum ſuos contra ipſum nuntios ad noſtram præſentiam deſtinarant, & ſe ac monaſterium ſub noſtra protectione ponentes, ne contra ipſos procederent, appellarunt. Quorum appellationi cùm unus eorum, videlicet Vicenſis Epiſcopus, detuliſſet, duo reliqui attendentes appellationem fuiſſe in litteris noſtris inhibitam, in eos, quia jurare nolebant, excommunicationis ſententiam protulerunt, ipſos excommunicatos per venerabilem fratrem noſtrum Barchinonenſem Epiſcopum dioceſanum eorum facientes per Barchinonenſem dioceſim nuntiari. Deindè ſex de monachis excommunicationis ſententiam metuentes, coram prædictis Epiſcopo & Sacriſta Gerundenſibus, dicto Vicenſi Epiſcopo appellationi interpoſitæ deferente, de dicenda veritate ſuper ſtatu monaſterij juraverunt: quorum aperiri depoſitiones inſtanter idem monachus & puniri Abbatem & monachos, quia excommunicati divina celebraverant, poſtulabat. Procurator verò Abbatis & conventus propoſuit ex adverſo quòd idem monachus non erat aliquatenus audiendus, cùm propter exceſſus ſuos ſententiam excommunicationis incurrerit priùs etiam quàm inquiſitionis litteras impetraſſet. quod ipſi Abbas & conventus tunc coram dictis inquiſitoribus probaviſſent, niſi fuiſſet eis audientia denegata. Oſtendebat inſuper procurator prædictus cariſſimi in Chriſto filij noſtri Petri Aragonum Regis illuſtris & venerabilis fratris noſtri Terraconenſis Archiepiſcopi & aliorum Epiſcoporum litteras, qui monaſterium ipſum de hoſpitalitate, Abbatem verò de honeſtate vitæ ac multa providentia tam circa ſpiritualia quàm temporalia plurimùm commendabant. Idem quoque B. monachus ab auditore interrogatus eodem, non negavit Abbatem tuliſſe ſententiam excommunicationis in ipſum, licèt eam aſſeruerit poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam eſſe latam. Propter quæ idem procurator poſtulabat inſtanter ut quicquid à prædictis duobus inquiſitoribus poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam factum fuerat caſſaretur. E contra idem B. monachus excomunicationem à procuratore Abbatis ſibi non poſſe obici replicabat, cùm idem Abbas triplici eſſet excommunicationis vinculo innodatus. His igitur omnibus fideliter nobis ab eodem auditore relatis, perlectis quoque atteſtationibus & inſpectis, quia per eas nihil contra Abbatem efficaciter probabatur, attendentes quòd inquiſitores præfati poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam proceſſiſſent auctoritate litterarum quas dictus excommunicatus tacita ſubripuerat veritate, proceſſum caſſavimus eorundem, memoratas atteſtationes deſtrui facientes. Verùm ne curam prædicti monaſterij negligere videamur, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ad ipſum monaſterium perſonaliter accedentes, corrigatis appellatione remota tam in capite quàm in membris quæ ſecundùm Deum & inſtituta canonica ibidem inveneritis corrigenda, & ſtatuatis quod regulare fuerit & ho-

nestum, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram eandem sublato appellationis obstaculo compescentes. Ad hæc, præfatum monachum, si absque scandalo fieri poterit, faciatis recipi, salva ordinis disciplina, in monasterio antedicto. Alioquin ipsum in alio monasterio ejusdem ordinis collocetis. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. *usque* exequantur. Datum Laterani Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ELECTO ET PRÆPOSITO Colocensibus.

Epist. 153. Confirmatur electio Præpositi Cibinien sis. *Vide infrà epist. 85. & infra epist. 156.*

SIcut dilectus filius magister R. nobis exponere procuravit, carissimus in Christo filius noster Vngariæ Rex illustris ipsum ad præpositurum Cibinien sem duxit canonicè præsentandum. Verùm quia præpositura eadem ad nos in spiritualibus nullo pertinet mediante, nobis humiliter supplicavit ut sibi eam in his quæ ad nos pertinent conferremus. Nos autem quod per dictum Regem factum canonicè fuerat approbantes, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus dictum R. in eadem præpositura instituere auctoritate apostolica procuretis. Datum Laterani x v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI CASTELLÆ.

Epist. 154. Consolatur eũ in tribulatione sua, & dat indulgentias.

CVm personam tuam inter catholicos Reges speciali diligamus in Domino caritate, in his quæ secundùm Deum requiris à nobis favorem tibi apostolicũ libenti animo impertimur. De infortuniis ergo quæ nuper serenitati regiæ acciderunt paterno tibi condolemus affectu. Et ut favorẽ apostolicum excellentiæ regiæ sentias non deesse, juxta petitionem tuam & instantiã dilecti filij Segobien sis electi nuntij tui, qui circa promotionem ejusdem negotij extitit sollicitus & attentus, Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ ac Provinciam constitutis nostris damus litteris in mandatis ut subditos suos sedulis exhortationibus moneant & inducant, in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei & nostra verè pœnitentibus injungentes, ut cùm Sarracenis in octavis Pentecosten proximo affuturis campestre bellum indixeris, in hoc tibi necessitatis articulo succurrentes, necessarium impendant auxilium in rebus pariter & personis; ut per hæc & alia quæ fecerint, cœlestis regni gloriam consequantur. Pari quoque remissione gaudere concedimus peregrinos qui propria devotione vndecunque processerint ad idem opus fideliter exequendum. Monemus igitur serenitatem regiam & hortamur quatinus totam spem tuam ponens in Domino Deo tuo, te humilis coram ipso, qui gratiam suam dat humilibus, & reddit retributionem superbis; quia potens est ut te faciat de inimicis crucis Christi magnificè triumphare. Ceterùm quia nunc ferè totus mundus turbatus est & positus in maligno, consulimus & monemus ut si competentes treugas inveneris, ipsas recipias, donec opportunius tempus adveniat quo ipsos valeas securiùs expugnare. Datum Laterani 11. Nonis Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Vide lib. 13. epist. 183. lib. 14. epist. 3. 4. lib. 15. epist. 15.

SENONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. 155. Supersedet. *Vide Innoc. Valer. lib. 3. cap. 15. & 16. lib. 8. ca. & seq.*

REcepimus litteras dolore plenas & timore non vacuas quibus carissimus in Christo filius noster Aldephonsus Rex Castellæ illustris significare curavit quòd Sarraceni hoc anno intrantes Hispaniam in multitudine gravi, quoddam castrum Cistercien sis ordinis fratrum, quod Salvaterra vocatur, hostiliter obsederunt, quod bellicis machinis infestantes ad ultimum occuparunt. Attendens ergo præfatus Rex quòd nisi eis campestri bello fortiter resistatur, ipsi tum propter innumerabilem multitudinem personarum, tum propter irruptionem machinarum durissimam, universas munitiones suæ possint nefandæ subicere ditioni, campestre illis bellum indixit in octavis Pentecosten proximò affuturis, eligens mori potiùs quàm Christianæ gentis mala videre. Vnde nobis humiliter supplicavit quatinus ei necessarium faceremus auxilium impertiri per catholicæ fidei professores. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus subditos vestros sedulis exhortationibus moneatis, in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei & nostra verè pœnitentibus injungentes, ut ei præscripto termino in hoc necessitatis articulo succurrentes, necessarium impendant auxilium in rebus pariter & personis; ut per hæc & alia bona quæ fecerint, cœlestis regni gloriam consequi mereantur. Pari quoque remissione gaudere concedi-

mus peregrinos, qui propria devotione, undecunque processerint ad idem opus fideliter exequendum. Taliter autem studeatis exequi quod mandamus ut sollicitudo vestra clareat in effectu, nosque devotionem vestram valeamus meritò commendare. Datum Laterani 11. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Nulla istius decretalis mentio exstat in codice Colbertino. Et puto addictam à quodâm studioso.

Cùm Iacobus & Marcus viduas matres haberent, uterque matrem alterius duxit legitimè in uxorem, & prolem suscepit ex ipsa. Quæris igitur utrum filius & filia sic suscepti possint adinvicem matrimonialiter copulari. Nos autem breviter respondemus, quòd cùm inter eos consanguinitas primi & secundi gradus existat, legitimè conjungi non possunt.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 156. De concordia inter Ecclesias Strigoniensem & Colocensem.

ILla te, fili carissime, caritatis prærogativa diligimus, cùm inter alios mundi Principes erga personam nostram & sacrosanctam Romanam Ecclesiam devotissimum te sciamus, quòd preces & petitiones ex parte tua nobis oblatas intendimus libenter admittere, quantum cum nostra possumus honestate. Inde siquidem fuit quòd venerabilem fratrem nostrum Vesprumiensem Episcopum ad sedem apostolicam accedentem paterna benignitate suscepimus, & quæ tam per eum quàm per tuas nobis litteras intimasti pleno concepimus intellectu. Qui denique inter cætera proposuit coram nobis quòd cùm de pace perpetuò statuenda inter Strigoniensem & Colocensem Ecclesias diù fuerit te mediante tractatum, tandem venerabilis frater noster Strigoniensis Archiepiscopus de consensu & voluntate suffraganeorum Strigoniensis Ecclesiæ, videlicet Agriensis, Georiensis, & præfati Vesprumiensis Episcoporum ex parte una, & dilectus filius Colocensis electus de voluntate suffraganeorum Colocensis Ecclesiæ, Waradiensis videlicet, Cenadiensis, & Vltrasilvani Episcoporum ex altera, in certam formam concordiæ devenerint, quam per præfatos Georiensem & Vesprumiensem Episcopos redigi mandaverunt in scriptis, cùm illam in scriptis redactam in medium produxissent, & super ea fuisset diutiùs disputatum, tandem ita correcta extitit & conscripta quòd eam pars approbavit utraque, & tam Strigoniensis Archiepiscopus quàm Colocensis electus cum Ecclesiarum suarum suffraganeis ad sancta Dei evangelia juraverunt quòd formam pacis quæ continebatur in illo scripto posito coram eis firmiter observarent, & laborarent ad hoc nihilominus bona fide ut nos compositionem confirmaremus eandem. P. quoque Quinqueclesiensis Præpositus, ab Episcopo suo missus pro eo, & Benedictus Præpositus sancti Thomæ, necnon & Iacobus Scholasticus Strigoniensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ, à quo sub debito juramenti se asseruerunt habere mandatum, & Hubaldus Posoniensis Præpositus, juraverunt etiam illud idem. Pro Colocensi verò Ecclesia Iacobus Colocensis & Hosmundus sancti Laurentij Præpositi præstiterunt consimile juramentum. Vnde præfatus Episcopus ex parte tua nobis humiliter supplicavit ut compositionem eandem, quam sigillorum prædictorum electi & Varadiensis, Cenadiensis, Vltrasilvani, Agriensis, & ipsius Vesprumiensis Episcoporum, necnon Capitulorum Colocensis & Bachiensis nobis exhibuit munimine roboratum, auctoritate dignaremur apostolica confirmare; cujus tenor talis est. IN « NOMINE patris & filij & spiritus sancti. « Amen. Hæc est forma pacis inter Strigo- « niensem & Colocensem Archiepiscopos. « Prima coronatio Regum Vngariæ speciali- « ter spectat ad solam Strigoniensem Eccle- « siam. Veruntamen si Strigoniensis Archie- « vide lib. 13. piscopus non posset vel malitiosè nollet « epist. 42. 43. Regem coronare, vel Strigoniensis Ec- « clesia vacaret, coronet Regem Colocen- « sis, nullum ex tali coronatione jus sibi « vendicando in prima coronatione. Secun- « da coronatio ei deinceps æqualiter perti- « neat ad utramque. De proventu monetæ « decima pertineat ad Ecclesiam Strigonien- « sem, ubicunque in regno Vngariæ cuda- « tur. Quòd si cudi desierit generalis mone- « ta totius Vngariæ, quicquid loco genera- « lis monetæ successerit, decimam habeat « Strigoniensis Ecclesia. Strigoniensis Ar- « chiepiscopus renuntiat omni jurisdictioni « & juri spirituali quod habebat vel habere « videbatur in provincia Colocensi; præter « decimam monetæ, si ibi contingeret fabri- « cari. Iudicium officialium domus regiæ « quilibet Episcopus habeat in sua parrochia. « Exhibitio sacramentorum Regibus & Re- « ginis & eorum liberis tam ad ipsos Archie- « piscopos quàm ad alios Episcopos in suis « parrochiis pertineat pro voluntate Regis. « In omnibus aliis utrique Ecclesiæ jura sua « conserventur illæsa & consuetudines anti- « quæ. Si qua autem privilegia vel rescripta « quandocunque prolata fuerint contra hanc « formam, vires non habeant. salva in om- « nibus auctoritate apostolica. Quòd si Papa «

Vide suprà epist. 14.

» non approbaverit, res sit in eo statu in quo » nunc est. Iuraverunt ambo Archiepiscopi » & eorum suffraganei qui præsentes erant, » necnon & Præpositus Quinqueclesiensis, » qui vice domini sui Episcopi intererat, nec. » non & procuratores Capitulorum utriuſ. » que Ecclesiæ, quòd secundùm formam » præscriptam bona fide pacem præscriptam » observabunt, & sine fraude ad confirma- » tionem laborabunt.] Cùmque super his cum fratribus nostris deliberare vellemus, dilecti filij Iacobus Scholasticus & Nicolaus Canonicus præfati Archiepiscopi nuntij, & M. Thesaurarius & Io. Archidiaconus Strigonienses procuratores ejusdem loci Capituli, petierunt à nobis audientiam sibi dari. Qua ipsis de more concessa, nuntij proposuere prædicti quòd inter præfatos Archiepiscopum & Colocensem electum & eorum suffraganeos talis compositio intervenit, ut prima coronatio Regum Vngariæ, ubicunque in ipso regno eos primùm contingeret coronari, solius Strigoniensis Ecclesiæ juris esset, & monetæ, ubicunque cuderentur in regno, vel illius quod loco colligeretur monetæ decima ad eandem Ecclesiam pertineret; ac tu & cariſſima in Christo filia Vngarorum Regina per vestras à nobis litteras peteretis quatinus primam sedem primamque vocem cum juribus supradictis, quæ tu & dicta Regina necnon & pars Colocensis publicè præfatæ Strigoniensi recognoviſtis Ecclesiæ, ipsi perpetui dignaremur privilegij munimine roborare, super aliis verò de quibus inter eos esse videbatur contentio, propter bonum pacis sic extitit ordinatum, ut nec Colocensis in Srigoniensi provincia, nec Strigoniensis in Colocensi præter prædicta sibi juris aliquid vendicaret, auctoritate in omnibus apostolicæ sedis salva; ita quòd si hæc non approbarentur à nobis, res in eo statu in quo tunc fuerat remaneret. Vnde quicquid sit scriptum vel juratum esse dicatur, hoc actum & intellectum esse à partibus asserebant, & illud ex parte Archiepiscopi confirmari à nobis suppliciter postulabant, asserentes sic actum & intellectum fuisse, idem Archiepiscopus & præfati Agriensis & Geurienſis Episcopi suis litteris declararant. Procuratores verò Strigonienſis Capituli proposuere constanter quòd tam illa compositio, quam redactam in scriptis præfatus Episcopus nobis exhibuit, quàm illa in quam præfati nuntij dixerunt Archiepiscopum consensisse, inita fuerat sine assensu Capituli & in enorme dispendium Strigonienſis Ecclesiæ redundabat. Vnde contradicentes utrique, nobis humiliter supplicarunt ut auctoritate apostolica cassaremus utramque. Nos igitur attendentes quòd olim nobis multa precum instantia supplicaras ut super jure coronandi Reges Vngariæ Strigonienſi Ecclesiæ privilegium concedere dignaremur, nosque tuis precibus inclinati, ei super hoc privilegium concesserimus fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum, considerantes etiam quòd si potestas coronandi Regis Vngariæ penes diversas Ecclesias resideret, toti regno grave periculum & heredibus tuis grande posset dispendium generare, cùm, sicut plenius ipse nosti, frequenter inter Regum Vngariæ coheredes super obtinenda regni corona scandalum sit exortum, quod utique posset facilius suboriri si eos diversos coronatores contingeret invenire, propter contradictiones & rationes præscriptas compositionem hujusmodi non potuimus, sicut nec debuimus, confirmare. Super episcopatu quoque de novo creando apud Cibinienſem Ecclesiam in Vltrasilvana dioceſi, qui metropoli Colocensi subdatur, petitionem regiam nequivimus exaudire; quoniam sive apostolicæ sedi, sicut tu ipse firmiter protestaris, sive Strigonienſi metropoli, sicut procuratores ipsius fortiter asserebant, Cibinienſis præpositura sit in spiritualibus immediatè subjecta, id absque dubio in alterutrius præjudicium redundaret. Sed & quidam qui se nuntium venerabilis fratris nostri Vltrasilvani Episcopi faciebat, contradicebat omnino, gravem & enormem Vltrasilvani episcopatus diminutionem allegans. Serenitatem igitur regiam rogamus, monemus, & exhortamur attentius quatinus ad duritiam nobis non imputes quòd compositioni prædictæ robur non attribuimus firmitatis, sed tam providentiæ quàm justitiæ id ascribas, quibus regni & heredum tuorum indemnitatibus duximus præcavendum & juris ordinem observandum, cùm omnibus facti simus in justitia debitores; sciturus pro certo quòd in nullo unquam à nobis patieris repulsam in quo quisquam Principum debeat exaudiri. Datum Laterani 11. Idus Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Vide lib. 12. epist. 32. 42. 43.

Scriptum est Capitulo Strigonienſi super hoc in eundem ferè modum, videlicet. Venerabilis frater noster Vesprumienſis Episcopus in nostra proposuit præsentia constituras quòd cùm de pace perpetuò statuenda &c. *usque* non potuimus, sicut nec debuimus, confirmare.

In

In eundem ferè modum scriptum est Strigonienſi Archiepiſcopo. Venerabilis frater noſter Veſprumienſis Epiſcopus in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus quòd cùm de pace &c. *uſque* nec debuimus confirmare.

SANCTÆ GENOVEFÆ Pariſienſis & Boni Radij Ciſtercienſis ordinis dioceſis Antiſiodorenſis Abbatibus, & Decano Aurelianenſi.

Epiſt 217. De quadam venditione infirmanda vel confirmanda.

VEnientes ad apoſtolicam ſedem I. ſyndicus & quidam monachi Cluniacenſis cœnobij nobis exponere curaverunt quòd G. Prior & quidam monachi monaſterij de Caritate, Abbatis & conventus Cluniacenſis, ad quod idem monaſterium nullo pertinet mediante, interveniente conſenſu, abſentibus tamen multis ex fratribus de Caritate, quorum intererat, nec vocatis, ac quibuſdam contradicentibus & ad ſedem apoſtolicam appellantibus ex eiſdem, quaſdam poſſeſſiones, redditus, & alia bona militiæ Templi fratribus in gravem ipſius monaſterij læſionem vendiderunt. Vnde nobis ſyndicus & monachi memorati humiliter ſupplicarunt ut vel revocare contractum eundem in dicti monaſterij præjudicium temerè attentatum, vel reſtituere in integrum vice minoris idem monaſterium dignaremur; præſertim cùm Cluniacenſis Abbas Templariis ipſis reſtituere ſolutam ab eis pro prædictis bonis & poſſeſſionibus pecuniam ſit paratus. Dicti verò fratres è contrario reſponderunt quòd petentibus ipſis olim contractum venditionis inter ipſos ex parte una & monachos de Caritate ex altera legitimè ac ſolemniter celebratum auctoritate apoſtolica confirmari, tam Abbate ac conventu Cluniacenſi, quorum ad hoc auctoritas interverat & conſenſus, quàm Priore ac conventu de Caritate per ſuas litteras poſtulantibus illud idem, quia nobis ad plenum de ipſius contractus meritis & circumſtantiis non liquebat, venerabili fratri noſtro Pariſienſi Epiſcopo & ſuis conjudicibus hoc commiſimus inquirendum, facientes in inquiſitionis litteris mentionem de litteris ad venerabilem fratrem noſtrum Senonenſem Archiepiſcopum & conjudices ſuos ſuper lapſu ipſius monaſterij deſtinatis: quorum utrique in executione mandati apoſtolici proceſſerunt. Demum partibus in noſtra præſentia conſtitutis, pars Templariorum contractum ipſum confirmari petebat, parte altera multipliciter impugnante contractum. Contra quod fuit ex adverſo reſponſum quòd communis juris remedium ſuper deceptione malitioſè pars altera implorabat, cùm expreſsè per lationem judicum & depoſitiones teſtium probaretur poſſeſſiones venditas diù & publicè fuiſſe venales, nec uſque tunc temporis emptores occurrerant qui tantum pro ipſis poſſeſſionibus largirentur. Ipſos quoque fratres ad emptionem jamdictam ſola miſericordia & monachorum illorum preces, non cupiditas, induxerunt. Probatum etiam eſſe aſſerebant legitimè dicti fratres quòd venditionis tempore monaſterium de Caritate tanto debito premebatur quòd de omnibus mobilibus pars viceſima non potuiſſet exolvi, in debitorum ſolutionem converſam illam totam pecuniam aſſerentes; ex cujus accelerata ſolutione uſque ad ſummam trium milium librarum & ultrà monachis de Caritate à creditoribus eſt remiſſum. Proponentes inſuper quòd venditionis reſciſſio non expediebat Eccleſiæ memoratæ, cùm vix poſſet tanta pecunia ſine majori gravamine ipſius Eccleſiæ inveniri. Adiciebat præterea quòd monachi reſtitutionis beneficium ex eo implorare non poterant, cùm ſuper hoc mandatum non receperint ſpeciale: quia ſecundùm legitimas ſanctiones petitio reſtitutionis in integrum jure minoris mandato non concluditur generali. Nos igitur intellectis quæ partes voluerunt proponere coram nobis, quia de præmiſſis nobis non potuit fieri plena fides, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus diligenter auditis quæ partes infra quatuor menſes à primæ citationis edicto coram vobis duxerint proponenda, ſi ſufficienter fuerit oſtenſum quòd ex ipſa venditione monaſterium de Caritate ſit enormiter læſum, vos ipſum reſtituentes vice minoris, venditionis contractum legitimè reſcindatis; ita quòd pretium abſque Templariorum gravamine reſtituatur eiſdem ſecundùm terminos quibus ipſi pecuniam perſolverunt, & de melioratione, ſi qua forſan apparuerit, facta per illos eis congruè ſatisfiat; proviſo prudenter ne pro invenienda pecunia eædem poſſeſſiones vel aliæ diſtrahantur, ac recipiatur pecunia ſub voragine uſurarum; ne fortè reſiduum locuſtæ comedat brucus, & unde crederetur adhiberi remedium, inde periculum incurratur. Alioquin præſcriptum venditionis contractum ratum & firmum faciatis haberi, contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo compeſcentes. Teſtes autem qui fue-

rint nominati, tam monachi quàm Templarij & alij, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem eandem appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium à sede apostolica impetratæ. Quòd si non omnes his exequendis &c. duo vestrum &c. *usque* exequantur. Datum Laterani x v. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

AVRELIANENSI ET ANTISIODORENSI Episcopis, & magistro W. de Vienna Canonico Antisiodorensi.

Epist. 158. Beneficiorum superfluitas damnata.

INtellecta ratione quam nobis venerabilis frater noster Remensis Archiepiscopus & ejus condelegati miserunt super controversia quæ de præbenda Trecensis Ecclesiæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Trecensem Episcopum & dilectum filium Cancellarium Senonensem non duximus eidem Episcopo aliud rescribendum nisi quòd idem Episcopus diligenter advertat qua ratione sustinere possemus ut ipse aliquod ecclesiasticum beneficium cuiquam de cetero personæ concedat plura beneficia obtinenti, si propterea nolit ad mandatum nostrum præfato * Cellario in Ecclesia sua conferre præbendam quia plura dinoscitur beneficia obtinere. Licèt enim circa eandem personam beneficiorum sit semper superfluitas improbanda, nonnunquam tamen est toleranda pluralitas, statu personę provida consideratione pensato. Quare idem prudenter attendat utrum magis expediat ut eidem Cellario ex mandato nostro liberalitatem exhibeat conferendo præbendam quàm ex suo judicio necessitatem incurrat ut ultrà non possit alicui plura beneficia obtinenti ecclesiasticum beneficium elargiri, nisi fuerit sufficienter ostensum quòd ipse superflua beneficia secundùm suum statum possideat. Quod ex eo forsan non poterit ostendi de facili; quoniam etsi plures præbendas obtineat, ipse tamen penè nullam habere proponitur cujus proventus liberè possit percipere nisi residentiam in ea faciat personalem. Et ex hoc fortassis pendet judicium utrum & pro Trecensi præbenda condignè recompensatum exiterit in præbenda Remensi. Quicquid ergo super his duxerit faciendum, nobis infra tres menses post susceptionem litterarum nostrarum absque dilatione rescribat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Episcopum ad hoc moneatis attentiùs & efficaciter inducatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. *usque* exequantur. Datum Laterani x v. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

* *suprà* Cancellario

GEBENNENSI EPISCOPO.

TVa nos duxit fraternitas consulendos utrum illorum sufficiat testimonium ad matrimonium dirimendum qui consanguinitatis gradus ab avunculo & nepote, videlicet fratris filio vel sororis, cùm de fratribus vel superioribus nihil noverint vel audierint, inceperint computare. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm conjugium multum favoris obtineat, testes qui ad divortium celebrandum producti consanguinitatis computant gradus, à stipite debent incipere, id est, à parentibus vel germanis, & sic per ordinem distinguere gradus, nominibus propriis vel æquipollentibus indiciis designando personas; præsertim cùm sæpius testimonium perhibeant de auditu, quod quia minùs est validum, non est in articulo hujuscemodi nimiùm laxanda facultas; cùm qua ratione computationem inciperent à secundo, eadem ab ulterioribus possent gradibus inchoare. Consequenter autem quæsisti, ut cùm quidam mulierem quandam aliter inducere nequivisset ut sibi commisceretur carnaliter nisi desponsaret eandem, nulla solemnitate adhibita vel alicujus præsentia dixit illi, *Te Iohannes desponsat*, cùm ipse Iohannes minimè vocaretur, sed finxit se vocari Iohannem, non credens esse conjugium, eò quòd ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantùm extorquendi carnalem, utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum, cùm mulier consenserit & consentiat in eundem, & ille dissenserit & dissentiat, nec aliud quicquam egerit quàm quod superiùs est expressum, nisi quòd cognovit eandem. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd cùm præfatus vir dictam desponsavit mulierem in propria quidem persona, etsi sub nomine alieno, quo tamen vocari se finxit, & inter eos carnalis sit copula subsecuta, videretur fortè pro cõjugio præsumendum, nisi tu nobis expressè scripsisses quòd ille nec proposuit nec consensit illam ducere in uxorem. quod qualiter tibi constiterit non videmus. Nos tamen quid juris sit rescribentes, hoc dicimus, quòd si res ita se habuerit, videlicet quòd ille nec proposuit eam ducere in uxo-

rem nec unquam consensit, inter prædictas personas non deberet ex illo facto conjugium judicari, cùm in eo nec substantia conjugalis contractus nec etiam forma contrahendi conjugij valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus solummodò affuit, & defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale. Tertiò quæsivisti * per sedem apostolicam explicari quid sit de quodam monacho sentiendum qui credens se posse mulierem quandam à gutturis tumore curare, ut chirurgicus cum ferro tumorem illum aperuit, & cùm tumor ille aliquantulùm resedisset, monachus ipse mulieri præcepit ne se vento exponeret ullo modo, ne fortè ventus gutturis apertionem subintrans sibi causam mortis inferret, sed mulier, ejus mandato contempto, dum messes colligeret, vento se exposuit incautè, & sic per apertionem gutturis sanguis multus effluxit, & mulier diem finivit extremum, quæ tamen confessa est quòd quia vento exposuit semetipsam, ipsa sibi dederat causam mortis, utrum videlicet cùm prædictus monachus sit sacerdos, liceat ei sacerdotale officium exercere. Nos ergo tibi taliter respondemus, quòd licèt monachus ipse deliquerit alienum officium usurpando quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis & non cupiditatis id egit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit diligentiam quam debuit adhibere, non est ex eo quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit adeo reprobandus quin post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit ut divina valeat celebrare. alioquin interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore. Ad ultimum ex parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam scholaris metuens, ne latrones in hospitio suo essent, parvo assumpto gladio, ut ignem quæreret, de strato surrexit, & cùm venisset ad ostium, ignarus reperit ibi furem, qui cum scholari incipiens colluctari, non solùm ipsum scholarem prostravit ad terram, verùm etiam penè ad mortem vulneravit eundem. Scholaris verò provocatus ab illo, vim vi incontinenti repellens, extorto latroni gladio, eundem servato juris moderamine repercussit; qui perterritus fugam quàm citò potuit maturavit. Mane itaque lucescente, conscholares latronem quæsierunt eundem, quem vulneratum inventum Potestati Vicentiæ tradiderunt; coram qua constanter negavit quòd præmissa minimè perpetrarat. Verùm præfata Potestas ad eundem scholarem suos nuntios destinavit, ut exponeret si qua sciret de fure prædicto, vel traderet intersignia; qui cultellum quem ipsi latroni abstulerat, & sotulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat sibi ne pedum strepitus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil ampliùs intromittens. Potestas itaque receptis talibus intersigniis, latronem apparitoribus suis tradidit puniendum, qui sibi amputarunt virilia & oculos eruerunt. Latro verò se ad quoddam cœnobium transtulit; & ibi per triduum, ira & dolore commotus, nec potum sumpsit nec cibum, & sic de medio est subtractus. Vnde per nostrum postulas oraculum edoceri utrum præfatus scholaris ad sacros ordines valeat promoveri. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si præfatus scholaris dignis meritis adjuvatur, propter præscriptum eventum à susceptione sacrorum ordinum nullatenus est arcendus. Datum Laterani Idibus Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Cap. Tua nos. De homicid. * In quart. coll. apostolicæ sedis responso expl.

Hoc loco, statim post epistolam CLIX. sequebantur epistolæ duæ scriptæ ad Capitulum Lingonense; sed is qui regestum anni XIV composuit, admonuit illas pertinere ad annum sequentem, in margine earum adscribens vocem VACAT. Eas propterea vir illustris Franciscus Bosquetus, qui primus hunc librum edidit, rejecit in sequentem. Sanè vetus codex MS. bibliothecæ Colbertinæ, in quo descripti sunt tituli istorum regestorum, duæ illæ epistolæ ad Capitulum Lingonense non referuntur in libro XIV. sed in initio sequentis. Vnde apparet rectam fuisse mutationem quam hoc loco fecit idem vir illustrissimus.

EPISCOPO ET DILECTIS filiis & Canonicis Parmensibus.

Epist. 160. De præbenda collationi Papæ reservata.

GRatum gerimus & acceptum quòd, sicut tu, frater Episcope, per tuas nobis litteras intimasti, bonæ memoriæ Gerardus Albanensis electus apostolicæ sedis Legatus auctoritate legationis qua fungebatur, tam suæ quàm nostræ donationi collationem primæ præbendæ in Parmensi Ecclesia vacaturæ, vobis, filij Canonici, consentientibus, reservavit, injungens vobis primitus viva voce, & mandans suis litteris subsequenter, quòd ipsam præbendam, cùm eam vacare contingeret, G. Clerico nato G. quondam germani sui, cui mores laudabiles ac scientia suffragantur, duceretis liberè assignandam. Propter quod tu, frater Episcope, nobis supplicasti humiliter per easdem ut præbendam eandem dicto Clerico de benignitate sedis apostolicæ concedere dignaremur. Nos igitur vestram diligentiam commendantes, & volentes etiam præfati electi super hoc

statutum firmiter observari, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatinus primam præbendam in vestra Ecclesia vacaturam donationi nostræ reservare curetis, personæ idoneæ conferendam. Datum Laterani XVI. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

APPENDIX

LIBRI QVARTI DECIMI.

HVGONI PRIORI ET conventui Andrensi.

Epist. 161. Vt beneficia non vacantia non promittantur. *Vide lib. 13. epist. 205.*

CVm ex injuncto nobis apostolatus officio ad Ecclesiarum profectum & religiosorum locorum commodum aciem nostræ considerationis extendere teneamur, ea corrigere nos oportet quæ interdum in gravamen ipsorum temerè seu etiam improvidè attentantur. Sanè ad audientiam nostram vobis intimantibus est delatum quòd ad multorum instantiam importunam de non vacantibus beneficiis promissiones sæpius facere vos contingit. Vnde nobis humiliter supplicastis ut vobis super his dignaremur misericorditer providere. Volentes igitur vestræ devotioni super hujusmodi gravamine præcavere, ac attendentes quòd id contra statuta Lateranensis Concilij attentatur, promissiones hujusmodi decernimus irritas & inanes, auctoritate vobis præsentium districtiùs inhibentes ne contra præfatum Concilium beneficia promittere non vacantia cuiquam de cetero præsumatis. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Kalendas Aprilis, anno quartodecimo.

EISDEM.

Epist. 162. Confirmat quandam redemptionem reddituum ecclesiasticorũ.

IVstis petentium desideriis dignum est &c. *usque* complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, redditus annuos qui nobili viro Eustachio de Campania & suis prædecessoribus cum quibusdam consuetudinibus onerosis olim à vestro monasterio debebantur, & quos ab ipso nobili & heredibus ejus, accedente assensu nobilium virorum Comitis Gisnensis & Willelmi de Fielnes, de quorum feodo ipsi proveniebant redditus, redemistis, & relaxationem ipsarum consuetudinum, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque in finem.* Datum ut suprà.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Franciæ.

Epist. 163. De negotio Comitis Tolosani.

NOverit regalis prudentia quòd Tolosanus Comes dudum ad præsentiam nostram accedens, se super hæretica pravitate nisus est multipliciter excusare. Vnde nos ad petitionem ipsius Legatis nostris rescripsimus ut denuntiatione solemniter facta, nisi contra eum legitimus accusator infra certum terminum compareret, ipsi congregato Concilio canonicam purgationem indicerent; qua recepta, non permitterent eum super hujusmodi crimine propulsari; alioquin tamquam hæreticum ecclesiastica districtione punirent. Scimus autem quòd purgationem non præstitit; sed utrum per ipsum steterit ignoramus: quamquam universaliter prædicetur quòd ipse in partibus illis pro hæretico habeatur. Vnde terram suam penè totam amisit; nosque Legatis nostris injunximus ut terram ipsam ad eorum quibus pertinet opus diligenter faciant custodiri. Nos igitur ad tuæ petitionis instantiam Legatis nostris super hoc negotio litteras apostolicas destinamus quales ad tuum commodum & honorem credimus expedire. Super negotio quoque venerabilium fratrum nostrorum Antisiodorensis & Aurelianensis Episcoporum hoc tuæ regali prudentiæ innotescat, quòd cùm tu sine curiali judicio nolis remittere pœnam quam eisdem Episcopis intulisti, nec nos absque judiciali cognitione valemus salva justitia revocare sententiam interdicti quam in terram tuam iidem Episcopi protulerunt; sed sicut dudum rogavimus, ita nunc quoque rogamus, ut postposito utrinque judicio, quia certè sic expedit, negotium amicabiliter sopiatur. Veruntamen scribimus super hoc venerabili fratri nostro Archiepiscopo Senonensi secundùm formam quam providimus opportunam. Datum apud Criptam ferratam VIII. Kalend. Septembris, anno quartodecimo.

Vide lib. 12. epist. 131. & lib. 11. epist. 39.

Vide lib. 3. epist. 131. 32.

Vide lib. 13. epist. 141. 142.

DECANO ET CAPITVLO Capellæ Ducis Divionensis.

Epist. 164. Confirmatur eis bona concessa à Duce Burgundiæ. *Vide Cap. Cor. capella. De privil.*

CVm à nobis petitur quod justum est, & honestum &c. *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones, redditus, exemptiones, libertates, & immunitates quas bonæ memoriæ Hugo Dux Burgundiæ prædic-

tæ Capellæ pia liberalitate conceſſit, ſicut ea juſtè ac pacificè obtinetis, & in authentico inde confecto, cujus tenorem præſentibus juſſimus litteris annotari, pleniùs continetur, vobis & per vos eidem Capellæ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem authentici memorati eſt talis. IN NOMINE patris & filij & ſpiritus ſancti. Amen. Ego Hugo Dux Burgundiæ notum eſſe volo præſentibus & futuris quoniam Ieroſolymam proficiſcens, præ nimia maris turbatione & imminentis periculi acerbitate tam ego quàm omnes qui mecum in navigio erant graviter perterriti fuimus. Eapropter votum faciens Deo promiſi me conſtructurum in mea curte apud Divionem Eccleſiam in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ & beati Iohannis Evangeliſtæ. Vnde factum eſt ut in reditu meo Romam veniens, quod voveram, per manum bonæ memoriæ Alexandri ſummi Pontificis Deo obtuli, & apoſtolica auctoritate, quemadmodum in *authentico ſcripto quod ab eo impetravi continetur, confirmari feci. Cùm autem gratia Dei redirem, convocatis amicis meis & multis honeſtis viris, decem Clericos pro remedio animæ meæ & prædeceſſorum ſucceſſorumque meorum ſalute Deo in perpetuum ſervituros apud Divionem inſtitui: quibus, laudante Aalide uxore mea & Odone primogenito meo, in eadem villa in proprios uſus redditus aſſignavi, videlicet quicquid habebam de ventis, & oſtellagium quod mihi debebant panifici & calciamentorum conſtructores, & placitum generale. Conceſſi etiam eiſdem Clericis ut eandem habeant apud Divionem libertatem quam habent Eccleſiæ principales, ſcilicet duæ quæ in ea ſunt, & milites. Quoniam autem Eccleſia iſta ſpecialiter mea eſt & præcipuum tribulationis meæ refugium & oblatio votiva Deo & libertati meæ, conceſſi ei pluſquam ceteris, ut videlicet Clerici ei deſervientes liberum habeant attractum in villa Divionenſi eodem modo quo ego habeo, id eſt, libertatem retinendi homines eandem quam ego habeo in villa Divionenſi. Dedi etiam eiſdem Clericis tres de hominibus meis ad ſufficiendum Eccleſiæ ſuæ thus, oleum, & ceram, quia nullos adhuc habebant homines. Qui videlicet tres homines & ſervientes Clericorum, qui de domo & menſa eorum erunt, alij quoque eorum homines, quos, Deo largiente, prædicto vel alio juſto modo poterunt requirere, ab omni exactione & tallia ſeu quacunque conſuetudine omnimodo liberi erunt, plenarium uſum fori habentes ſicut homines Ducis: quorum videlicet hominum vel ſervientium Clericorum ſi quiſque in cauſam trahatur, non reſpondebit niſi per dominos ſuos: qui ſi culpabilis inveniatur, lex ejus in manu dominorum ſuorum erit. Quicquid verò iidem Clerici de meo caſamento poterunt acquirere, liberum habebunt. Vt verò iidem Capellani mei de menſa mea & domo eſſe manifeſtiùs cognoſcantur, in feſtis annalibus, id eſt, in nativitate Domini, in Paſcha, in Pentecoſten, & in omnium ſanctorum, ſi Dux vel Duciſſa Divioni fuerint, accipient de expenſa curiæ, tamquam commenſales Ducis, in perpetuum duos ſolidos pro pane, quatuor ſextarios vini, quatuor ſolidos pro coquina, vel æquivalens. Oblationes omnes & beneficia Capellæ Ducis & Duciſſæ, ubicunque ſint, ſicut apud Divionem, ex integro ipſorum erunt; nec Capellanus Ducis vel Duciſſæ in eis quicquam habebit niſi jure canonicatus, & non jure capellaniæ; ſiquidem nec Dux nec Duciſſa Capellanum habebit niſi Decanum Capellæ vel aliquem de Canonicis ipſius; qui videlicet Decanus vice Domini Papæ curam animæ Ducis & animæ Duciſſæ debet habere, ſicut in præſenti habet curam animæ meæ Nicolaus Capellanus meus & Decanus Capellæ; quam curam ipſe à Domino Papa Alexandro ſuſcepit. Quoniam igitur Eccleſiam iſtam ad honorem Dei & tutamen animarum Ducum Burgundiæ & ad illuſtrationem domus illorum non dubito pertinere, ipſam tamquam ducatus caput & turrim ſalutis Ducum cupio erigere, poteſtatem Ducum tantum exinde ſperans ampliari quantum ad honorem ſuum retributor omnium honorum eam ab ipſis Ducibus viderit largiùs exaltari. Vnde providè ſtatuo & poſteritati meæ in ſalutem ſuam mando ut quàm citò quis dominium ducatus ſuſceperit, ſtatim tamquam felix operum ſuorum munimentum adeat Eccleſiam ſuam, conſortium ſpirituale Canonicorum ſuorum recipiat, fidelitatem ei & ſtatuta præſentis ſcripti ſe ſervaturum juret, ſingulos Canonicos in ſignum fraternitatis in oſculo ſancto recipiat, tam illos quàm res illorum in ſpeciale tutamen amplectens. Hoc ipſum Duciſſa quoque in initio promotionis ſuæ, quàm citò fuerit Divioni, faciat; ut à ſancto & pio opere incipientibus, cetera agenda auctore Do-

* Extat apud Miræum in Notitia Eccleſiar. Belgij pag. 428.

„ mino deinceps prosperè succedant; Ec-
„ clesiamque istam tamquam cubile & recli-
„ natorium animæ suæ custodiant, ut sicut
„ cetera corpori, ita hæc animæ profectura
„ conserventur. Vt autem hoc in posterum
„ ratum habeatur, præsentem paginam sigilli
„ mei & sigilli Odonis primogeniti mei im-
„ pressione feci muniri. Testes sunt Odo fi-
„ lius meus primogenitus, cujus laude hoc
„ totum factum est, Maria venerabilis quon-
„ dam Ducissa Burgundiæ mater mea, Ay-
„ mo de Divione, Willelmus de Orgeolo
„ Milites, item Bartholomæus Cambellanus
„ meus, Raynaldus de Edua burgensis; de
„ Presbyteris, magister Nicolaus Capella-
„ nus meus & Decanus Capellæ, Vibertus,
„ magister Hugo, magister Guido Maluspa-
„ nis, magister Richardus Diaconus. Actum
„ est hoc anno incarnationis dominicæ mil-
„ lesimo centesimo septuagesimo secundo.]
Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Nonas Decembris, anno decimoquarto.

IOHANNI ABBATI & conventui sancti Pauli.

Epist. 164. De confirmatione privilegiorum.

ILlos Christiana devotio dignissimè veneratur & honorat in terris quos habere desiderat patronos & intercessores in cœlis. Inter quos beatus Paulus Apostolus, vas electionis, & doctor gentium, cujus nos meritis adjuvari & fulciri intercessionibus cupientes, ob ipsius reverentiam & honorem monasterium sancti Benedicti sub Pentoma constructum in territorio Nepesino, quod ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ nullo mediante dinoscitur pertinere, sicut in privilegio bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri continetur expressè, vobis de apostolicæ sedis munificentia duximus concedendum, ut per monachos vestros de cetero idem monasterium ordinetur. Vestris ergo precibus inclinati, prædictum monasterium sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum &c. *usque* illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prædictum monasterium situm est, cum omnibus suis pertinentiis & omnibus aliis quæ idem monasterium habere dinoscitur à via Carraria, quæ pergit ante monasterium supradictæ Ecclesiæ, usque in viam publicam, & via quæ pergit ad Canale & ad Linarium. Omnem competentem portionem in integrum de quatuor fundis, id est, Tetricano, Mione, Anticione, & Romaniano. Salva pensione unius denarij Nepesino Episcopo persolvenda. Fundum de Tuniano in integrum, cum terris, campis, pascuis. Omnem portionem competentem in integrum de fundo Puliano & Solaro, cum casis, terris cultis & incultis. Omnem portionem de fundo Lucrizano. Vnam clausuram vineæ cum omnibus suis pertinentiis in loco qui vocatur Pastina juris Nepesinæ Ecclesiæ, præstantem vini decimas tres. Omnem portionem de fundo Bevicano. Omnem portionem in integrum de fundo Crasiano, cum suis pertinentiis. Sex in integrum uncias de fundo Corliano. Tertiam partem in integrum de fundo Monte Vari, cum omnibus suis pertinentiis, posito in territorio Nepesino & Sutrino, juris sanctæ Mariæ in agro, præstantem solidum unum. Fundum Pulianum, fundum Minianum, & fundum Sulferata in integrum, cum suis pertinentiis, in territorio Nepesino, juris monasterij sancti Adriani & Laurentij, præstantem denarios quinque. Fundum Rotulæ in integrum juxta Sulferatam. Fundum Opplanum in integrum, Casale unum in integrum quod vocatur Burdanum, cum vineis, terris, pascuis, silvis, & molendino uno & dimidio in rivo suo, & aliis suis pertinentiis. In fundo de Valle juxta Insulam terram modiorum quatuor ad sementem. Portionem omnem integram de fundo qui appellatur Insula, & de fundo qui appellatur Scrutano & Antico & Tribuniano, cum omnibus suis pertinentiis, & cum piscaria in Ianula. Fundum Cispano in integrum. Fundum Linianum in integrum, cum omnibus suis pertinentiis, & cum molendino in Treta, seu medietatem ipsius aquæ à loco qui dicitur Mezano usque ad portam castelli de Capracora. Tertiam partem casalis Cisapini, cum omnibus suis pertinentiis, positi territorio Nepesino. Fundum Triquizanum in integrum, cum appendiciis suis, positum territorio Nepesino. De fundo montis Grezani omnem portionem in integrum. Fundum Servilianum in integrum, cum cella sanctæ Mariæ, cum casis, vineis, & terris sibi pertinentibus, positum territorio Collinense. Omnem portionem de fundo Crispoliti in integrum, cum terris & vineis ad ipsum pertinentibus. Medietatem fundi Formicosi in integrum, & omnem portionem de fundo Charano & de fundo Mori-

zano & Casanovula & Cesarano, posita territorio Collinense, via Campana vetere, juris ipsius monasterij. Præterea in civitate Roma trans Tyberim cellam sanctæ Agathæ in integrum, ab uno latere via publica, à secundo latere heredes Sergij, sicut est interpositus murus antiquus, à tertio latere fluvius Tyberis, à quarto latere res juris basilicæ majoris sancti Petri Apostoli. In territorio Castellano casale Simpronianum in integrum, sicut supradicto monasterio obtulit eum Gregorius Dux Gratiani filius, & omnes portiones de casalibus & fundis de loco qui vocatur Transpartana. Fundum Flanarellum, fundum Vinianellum, cum suis pertinentiis in integrum, positum in territorio Sutrino. Cellam sancti Pauli in integrum, cum vineis, terris, & silvis, cum rivo & molendino suo, & omnibus suis pertinentiis, positum territorio Nepesino. Casale unum in integrum in fundo qui vocatur Zinzolia, cum Ecclesia sancti Secundi, cum terris, silvis, & aliis suis pertinentiis, positum in territorio Nepesino. Medietatem in integrum de casale uno qui vocatur Lucilianum, cum vineis, terris, & aliis suis pertinentiis, positum in territorio Nepesino. In Casamala Ecclesiam sanctæ Mariæ, cum vineis, terris, & aliis suis pertinentiis, positam in fundo Cæsano & Altello, & Domoras infra castellum ejusdem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temerè perturbare &c. *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c. *usque* æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij IV. Nonas Ianuarij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quartodecimo.

Quoniam suprà in epistola CXXXIII. *hujus libri agitur de negotio Bochardi de Avesnis, cujus matrimonium cum Margareta sorore Iohannæ Comitissæ Flandrensis passum est multam contradictionem, libuit heic addere aliquot epistolas in eadem causa scriptas ab Innocentio nostro & successoribus ejus, quas invenimus in membranis antiquis & authenticis bibliothecæ Colbertinæ; ex qua etiam habuimus vetera quædam monumenta ad eam historiam pertinentia, quæ illic authentica quoque sunt.*

INNOCENTIVS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo & dilectis filiis Simoni Archidiacono &.. Præposito Atrebatensibus, salutem & apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia nobilis mulier Iohanna Comitissa Flandriæ horrendi facinoris quæstione nuper aures nostras pulsavit, quòd cùm olim Fernandus Comes vir suus B. de Avennis Cameracensis diœcesis, ipsius consanguineum Comitissæ, balivum terræ suæ de Hainonia ordinasset, ac eadem Comitissa nobilem mulierem Margaretam sororem suam parvulam in quodam suo castro morantem præfati consanguinei sui custodiæ fiducialiter commendasset, idem B. agitatus diabolica furia & furore puellam eandem de castro prædicto fraudulenter extractam in alienis partibus præsumit illicitè detinere, asserens se cum ipsa matrimonium contraxisse de facto, cùm de jure non valeat, eò quòd sibi, qui Subdiaconus & Cantor Laudunensis fuisse dinoscitur, proxima consanguinitatis linea est conjuncta. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super hoc diligentiùs veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Tu denique, frater Episcope, super te ipso & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundùm opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani X. Kal. Martij, pontificatus nostri anno septimodecimo.

INNOCENTIVS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Remensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus salutem & apostolicam benedictionem. Horrendum & execrabile facinus auribus nostris insonuit quòd cùm B. de Avesnes quondam Cantor Laudunensis sit in subdiaconatus ordine constitutus, nobilem mulierem Margaretam sororem dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Iohannæ Comitissæ Flandrensis consanguineam suam in quodam castro suæ fidei commendatam non est veritus fraudulenter abducere, & eam detinere non metuit, impudenter mentiens se cum ea matrimonium contraxisse. Cùm igitur ex testimonio plurium Prælatorum & aliorum proborum virorum qui ad sacrum generale Concilium accesserunt constiterit nobis plenè dictum

B. esse Subdiaconum & fuisse Cantorem Ecclesiæ Laudunensis, nos moti pietatis visceribus circa dictam puellam, & volentes exequi debitum pastoralis officij adversùs tam nefandi sceleris præsumptorem, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatinus præfatum B. apostatam, in quem tulimus excommunicationis sententiam sua nequitia exigente, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, cum suis fautoribus faciatis per vestras dioceses tamdiu excommunicatum publicè nuntiari, ab omnibus arctiùs evitandum, loca in quibus prædictus B. præsens fuerit & puella præfata detenta, etiamsi ad partes alias extra vestram provinciam divertere vel illam abducere fortè præsumpserit, faciendo cessare interim à divinis donec idem B. præfatam M. liberam dictæ restituerit Comitissæ congruè satisfaciens de commissis, & humiliter revertatur ad conversationem honestam & observantiam ordinis clericalis. Sic autem universi & singuli hoc exequi efficaciter studeatis quòd diligere justitiam & iniquitatem videamini detestari, nec possitis de inobedientia vel negligentia reprehendi. Datum Laterani XIV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno octavo decimo.

Vide Meiernum & Bucelinum ad an. 1215.

HONORIVS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Remensi & suffraganeis ejus salutem & apostolicam benedictionem. Vtinam apostata ille B. de Avesnis, perfidus, impudicus vel percussus doleret, vel attritus acciperet disciplinam; ut vexatio sibi pareret intellectum, & repleta ejus facie ignominia, verteretur impius, & non esset, ne vituperaretur per eum ministerium ordinis clericalis, nec operiret confusio vultum cleri, sed à voce exprobrantis & obloquentis esset immunis, cùm per illum nomen clericale in gentibus blasphemetur, & vos pro eo de quadam negligentia videamini arguendi. Ille namque dum esset Subdiaconus & Cantor Ecclesiæ Laudunensis, prout notorium esse constat, totus dicatus vitiis, virtutibus abdicatis, proditionem simul commisit & raptum, dum nobilem mulierem Margaretam germanam nobilis mulieris Iohannæ Comitissæ Flandrensis suæ fidei commendatam de quodam castro fraudulenter & violenter abducens, eam matrimonij velamento, quod nequaquam contrahere poterat, illicito sibi commercio copulavit, quam, ut apostasiam proditioni & raptui cumularet, spreto divino timore & abjecta reverentia ordinis clericalis, detinet impudicè in animæ suæ periculum & enorme scandalum plurimorum. Vnde cùm hoc ad audientiam felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri pervenisset ex relatione multorum, immo ex testimonio quamplurium Prælatorum & aliorum fide dignorum qui ad generale Concilium convenerant plenariè constitisset, in præfatum apostatam ore proprio excommunicationis sententiam promulgavit, dans vobis suis litteris in præceptis ut dictum B. cum suis fautoribus singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per vestras dioceses excommunicatum faceretis publicè nuntiari ab omnibus arctiùs evitandum, & loca in quibus præfatus B. moram faceret & puella foret detenta, etiamsi ad partes alias extra vestras dioceses transferretur, sinpponentes ecclesiastico interdicto cessare faceretis interim à divinis, utramque sententiam tamdiu inviolabiliter observando donec idem prædictam M. liberam ipsi restitueret Comitissæ, & congruè satisfaciens de commissis, reverteretur humiliter ad conversationem honestam & observantiam ordinis clericalis. Sed licèt, sicut Comitissa prædicta nostris auribus intimavit, memoratum B. excommunicatum feceritis nuntiari, quia tamen in aliis non minùs necessariis non estis plenariè præceptum apostolicum executi, ille non est reversus ad percutientem se, nec dominum exercituum requisivit; sed cùm sit nervus ferreus, cervix ejus & frons sua ænea, nec divino timore nec humano est pudore percussus ut vel signa prætenderet pœnitentis. Propter quod præfata Comitissa dolore ac rubore confusa gemit se sororem suam non potuisse hactenus rehabere. Vt igitur gravior pœna pungat quem pœnitudo hactenus non compunxit, fraternitati vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus quatinus juxta præcedens prædecessoris nostri præceptum contra sæpedictum apostatam sublato appellationis obstaculo procedatis, ita quòd tot & tanta facinora vos abominari probetis, & Comitissa præfata super hoc non cogatur iterare querelam, nosque rectitudinis vestræ zelum possimus meritò commendare. Datum Anagniæ XVI. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno primo.

HONORIVS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati sancti Bartholomæi, Priori sancti Eligij, & Cantori Noviomensi, salutem & apostolicam benedictionem. Si divinæ pietas immensa benignitas sustineret ut B. de Avesnes apostata, vir iniquus, à somno exsurgeret & obscuratos oculos aperiret ut suam iniquitatem perpenderet, cerneretque spurcitias quibus à planta pedis usque ad verticem capitis est respersus, infixus in limo profundi, laboraret forsan clamans ad Dominum ut ipsum de lacu miseriæ & de fœcis luto educere dignaretur. Veruntamen, quod dolentes referimus, induratum est cor ipsius; quoniam putrescens in stercore sordidus ut jumentum, erecta cervice obturat ad modum surdæ aspidis aures suas, ne disciplinam exaudiat & increpationes advertat quibus à sua deberet nequitia, si datum esset à Domino, revocari. Propter quod potest miser non immeritò formidare ne Deo & hominibus execrabilis contritione duplici conteratur, temporali pœna videlicet & æterna. Iam enim pudor est dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Iohannæ Flandriæ & Haynoniæ Comitissæ totiens repetere scelera quæ in ejus contumeliam dictus apostata in nobilem mulierem Margaretam sororem ipsius exercuit impudenter, dum idem dudum in subdiaconatus ordine constitutus eandem M. linea sibi consanguinitatis conjunctam, in quodam castro suæ fidei commendatam, fraudulenter abduxit, ipsamque detinet inhonestè, mentiendo se cum ea matrimonium contraxisse. Cùm autem ex testimonio plurium Prælatorum & aliorum proborum virorum qui ad sacrum generale Concilium accesserunt felicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro plenè constiterit dictum B. fuisse Subdiaconum & Cantorem Ecclesiæ Laudunensis, idem motus pietatis visceribus circa dictam puellam,

lam, volensque debitum pastoralis officij exequi contra nefandi sceleris præsumptorem; bonæ memoriæ Remensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus suis dedit litteris in præceptis ut prædictum apostatam, in quem ore proprio sua exigente nequitia excommunicationis sententiam ipse tulit, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per suas dioceses facerent cum suis fautoribus excommunicatum publicè nuntiari ab omnibus arctiùs evitandum, loca in quibus prædictus B. moram faceret & puella foret detenta, etiamsi ad partes alias extra ipsas dioceses divertereat, vel ipsam fortè abduceret, facientes cessare interim a divinis donec idem B. præfatam M. liberam ipsi restitueret Comitissæ, congruè satisfaciens de commissis, & rediret humiliter ad conversationem honestam & observantiam ordinis clericalis. Et licèt executores ipsi præceptum præfati prædecessoris & nostrum super eodem negotio postmodum eis directum fuerint executi, quia tamen nobiles viri Vvalerannus, Tiericus de Heusalis, & quidam alij Laudunensis, Cameracensis, & Leodiensis diocesum eundem apostatam, excommunicatum, claves Ecclesiæ penitùs contemnentem, in malitia sua fovent, receptacula in quibus dictam M. detinet aliaque subsidia sibi dando, & nobilis vir Guido germanus ejusdem apostatæ ac quidam alij eorundem diocesum eum pro viribus manutenent, & quidam sacerdotes & clerici eidem & familiæ suæ aliisque ipsius fautoribus in locis in quibus dicta M. detenta extitit, non sunt veriti divina officia temerè celebrare, sæpedictus apostata, quasi delinquens impune, satisfacere penitùs vilipendit, in suæ iniquitatis pertinacia obstinatus. Vnde nobis Comitissa præfata humiliter supplicavit ut ne ipsa inter multas angustias, quibus dinoscitur esse afflicta, ex detentione ac pudore dictæ sororis suæ ignominiosæ confusionis respersa opprobrio, in mœrore deficiat, si non habuerit adjutorem, ad comprimendam apostatæ prædicti malitiam insistere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictam excommunicationis sententiam per singulas circumadjacentes provincias & dioceses singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, tamdiu faciatis auctoritate nostra solemniter publicari, loca in quibus ipse B. moram fecerit & dictam M. detineri contigerit supponentes ecclesiastico interdicto, donec idem vir iniquus ab errore suo, si à Deo datum fuerit, resipiscens, juxta præscriptam formam dictam M. ipsi restituerit Comitissæ, satisfaciens congruè de commissis, & ad conversationem honestam & observantiam ordinis clericalis revertatur. Dictos autem nobiles & alios fautores apostatæ supradicti, necnon & dictam etiam Margaretam, si tanto flagitio inventa fuerit consentire, nec monita studuerit, cùm poterit, à suo recedere corruptore, per excommunicationis nominatim in personas, & in terras & familias eorum interdicti sententias, à favore ipsius sublato appellationis obstaculo compescatis, & faciatis utramque sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; præfatos sacerdotes & clericos & alios, si qui forsan similia perpetrare præsumpserint, pœna canonica sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo percellentes; mandatum nostrum taliter impleturi quòd non possitis de negligentia reprehendi, & nos sollicitudinis vestræ studium dignis possimus in Domino laudibus commendare. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum octavo Kal. Maij, pontificatus nostri anno tertio.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Tornacensi & Cameracensi Episcopis & dilecto filio magistro Girardo Canonico Tornacensi salutem & apostolicam benedictionem. Matrimonij copula, immo verùs contubernij, quod olim inter Buchardum de Avesnis & sororem dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Comitissæ Flandriæ fuit de facto contractum, quondam per bonæ memoriæ Innocentium Papam prædecessorem nostrum exigente justitia reprobata, nos quod super hoc ab eodem prædecessore nostro factum esse dinoscitur approbamus, & prolem ex copula tali susceptam illegitimam esse censemus. Datum Viterbij secundo Kal. April. pontificatus nostri anno undecimo.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quòd nos litteras dilectæ consanguineæ & fidelis nostræ Iohannæ Comitissæ Flandriæ inspeximus sub hac forma. Ego Iohanna Flandriæ & Haynoniæ Comitissa notum facio universis præsentes litteras inspecturis quòd cùm inter me, carissimam sororem meam M. Dominam de Dampetra & filios & filias quos suscepit de viro nobili Guillelmo quondam Domino de Dampetra ex una parte, & virum nobilem Dominum B. de Avesnis & filios quos habet de prædicta M. ex altera, discordia esset orta, tandem mediantibus bonis viris facta fuit bona pax & concordia in hunc modum. De terra quam præfata M. Domina de Dampetra tenet de propria hereditate sua, accipiet ipsa quingentas libratas ad faciendam voluntatem suam; & residuum debet æstimari per bonos viros, & dividi in septem partes æquales; de quibus duæ partes erunt duorum filiorum quos dicta M. habet de Domino B. post decessum ipsius M. & residuæ quinque partes erunt filiorum & filiarum quos suscepit de domino Guillelmo de Dampetra post discessum ipsius similiter. Et illas duas partes quas filij domini B. debent habere debebo assignare ad voluntatem meam, ubi magis videro expedire, infra hereditatem prædictæ sororis meæ. Et si fortè contingeret quòd post diem hujus pacis unus vel plures de filiis aut filiabus prædicti Domini Guillelmi de Dampetra obirent, pars illius vel partes illorum qui ita decederent ad superstites fratres germanos & sorores germanas rediret. Similiter si obire contingeret unum de filiis domini B. pars ejus ad alium fratrem suum germanum rediret. Et nonobstante ista pace & divisione retinet dicta domina M. domina de Dampetra potestatem in hereditate prædicta donandi eleemosynas suas sicut antè habebat; ita tamen quòd si aliquas faceret eleemosynas, irent communiter & æqualiter super septem partes antè nominatas. Pacem istam & concordiam in omnibus firmiter

& fideliter observare præfatus B. de Avesnis & filij sui, priùs sufficienter probata in curia mea ætate filiorum ipsius B. & per judicium hominum nostrorum legitima judicata, laudaverunt & juraverunt coram Dominis suis, videlicet coram me, quæ sum prima & proxima Domina hereditatis prædictæ & feodi, & coram Domino Rege Franciæ, qui superior est Dominus feodi Flandriæ. Et idem debent laudare & jurare coram Domino Episcopo Leodiensi, qui superior est Dominus feodi Haynoniæ. Tali scilicet modo quòd nihil de cetero poterunt reclamare in hereditate jam dicta præter id quod assignatum fuerit eis per pacem & divisionem prædictam, nec guerram movere poterunt contra me vel meos aut contra M. sororem meam, vel contra dictos filios & filias Domini Guillelmi de Dampetra vel suos; sed pacem mihi & meis & dictæ M. dictis filiis & filiabus dicti Guillelmi de Dampetra & suis debebunt in posterum tenere. Et Dominus B. de Avesnis pro se fecit securitatem eandem. Et de his omnibus firmiter observandis Dominus Rex & ego dedimus ad petitionem Domini B. & filiorum ejus litteras nostras, ita quòd si idem B. vel filij sui irent contra pacem prædictam, de cetero non haberent audientiam in curiis nostris de querela de qua pax facta est, sicut est supradictum. Et sub eadem forma dictus B. & filij sui debent quærere litteras Domini Episcopi Leodiensis. Et si unus de ipsis filiis vel etiam ambo venirent contra pacem eandem, ego saisirem partem vel partes illorum assignatas illis vel illi qui contra veniret, ad opus filiorum & filiarum Domini Guillelmi de Dampetra. Pacem istam similiter laudaverunt & juraverunt Dominus B. & filij sui, quantum pertinet ad Christianitatem ipsorum, coram Domino Archiepiscopo Remensi & suffraganeis suis & Domino Episcopo Leodiensi; & eis Christianitates suas taliter obligaverunt quòd si irent contra pacem prædictam, & de hoc constaret per bonam veritatem Domino Archiepiscopo Remensi aut Domino Episcopo Cameracensi aut Episcopo Attrebatensi aut Episcopo Morinensi aut Episcopo Tornacensi, Dominus Archiepiscopus vel Episcopus cui sic de hoc constaret, excommunicaret illum vel illos qui contra pacem venirent sine appellatione, & Archiepiscopus Remensis vel quilibet Episcoporum qui suprà notati sunt daret litteras suas quòd ipsos denuntiarent excommunicatos per suas dioceses ad testimonium & denuntiationem illius Episcopi cui sicut dictum est constaret. Præterea idem Archiepiscopus vel Episcopi debent Domino Papæ scribere & testari quòd Dominus B. & filij sui pacem istam servare in eorum præsentia juraverunt. Insuper Dominus B. juravit quòd bona fide dabit operam ad hoc quòd Dominus Papa confirmet pacem istam, & eidem supplicabit per litteras suas totam pacem continentes ut eam confirmet, & per executores appellatione remota eandem pacem faciat per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Istam pacem tenere similiter juraverunt Th. de Hufalize & Henricus filius ejus, Th. de Vvalecort & duo filij ejus, Nicolaus de Rumygniaco & duo fratres ejus & duo filij ejus majores natu, A. Domina de Roseco & Rogerius filius ejus, Comitissa de Chygniaco soror Domini B. & filiæ ejus, Iacobus de Grandiprato Castellanus de sancto Audomaro & Guillelmus frater ejus, Hugo de Anthonio, Arnulphus de Moretania, Sygerus de Ayghen & duo filij ejus antè nati, Philippus de Orchi & frater ejus major natu post eum, & Arnulphus de Longovillari. Omnes isti suprà nominati juraverunt, ut dictum est, pacem istam tenere; & etiam juraverunt quòd si dictus B. vel duo filij ejus vel alter eorum venirent contra pacem præfatam, eis vel ei qui contra veniret, ut dictum est, non essent in auxilium nec in consilium; & Christianitates suas obligaverunt prædictis Archiepiscopo & Episcopis tali modo, & etiam litteras suas dederunt patentes quòd si fortè contingeret quòd Dominus B. aut filij ejus vel alter eorum iret contra pacem prædictam, & aliquis prædictorum qui pacem juraverunt, ut dictum est, esset eos adjuvans vel confortans, & de hoc constaret per bonam veritatem Archiepiscopo Remensi vel uni de subnotatis Episcopis, videlicet Episcopo Cameracensi, aut Episcopo Attrebatensi, aut Episcopo Morinensi, aut Episcopo Tornacensi, ille cui, sicut dictum est, constaret, excommunicaret eos; & dicti ostagij renuntiaverunt & B. & ejus filij omni appellationi, supplicationi, & omni juris adminiculo; & omnes alij ad testimonium & denuntiationem illius denuntiarent illos vel illum excommunicatum per suas dioceses usque ad satisfactionem condignam. Similiter Dominus Galterus Comes Blesensis promisit in fide quam mihi debet ramquam Dominæ suæ pacem istam tenere, hoc modo quòd si Dominus B. aut filij ejus aut alter eorum iret contra pacem eandem, ipse nec in auxilium nec in consilium eis esset, immo saisiret feodum quod Dominus B. tenet de ipso, nec permitteret eos gaudere eodem feodo vel valorem habere ejusdem quousque hoc emendassent per me vel per meum heredem, & si fortè Comitem Blesensem obire contingeret, heres ejus ad ea facienda quæ dicta sunt teneretur. Petiit etiam dictus Comes ab Archiepiscopo Remensi & Episcopo Silvanectensi, qui erant præsentes, ut omnia quæ promiserat, ut dictum est, suis testificarentur litteris & sigillis. Sciendum similiter quòd ego & prædicta soror mea & amici filiorum & filiarum Domini Guillelmi de Dampetra, videlicet Dominus Archembaldus, Guido frater ejus, Guillelmus de Melloto, & Droco frater ejus, I. Comes Carnotensis, & Dominus G. de Asperomonte, juravimus pacem istam tenere & firmiter observare; ita quòd si dicti pueri vel aliquis eorum iret contra pacem eandem, nos omnes nec in auxilium nec in consilium eis essemus. Dicti quoque filij Domini Guillelmi laudabunt & jurabunt coram Domino Rege & coram me & coram Domino Leodiensi super querela de qua pax facta est, sicut est prænotatum. Et de hoc debent per se vel per amicos suos quærere litteras Domini Regis & aliorum Dominorum qui nominati sunt suprà. Vt autem memoriter teneatur & firmiter observetur continentia dictæ pacis, ego & carissima soror mea, Dominus B. & filij sui eam sicut facta est coram me fideliter & plenè conscriptam propriis confirmavimus sigillis. Actum apud Asneriasanno Domini M. cc. tricesimo quarto, mense Ianuario, die Veneris proxima post festum beati Hilarij. Hac pace, prout superiùs continetur, proposita & à parti-

bus recognita coram nobis, ipsæ partes supplicaverunt nobis ut eam sigilli nostri appensione testificaremur. Ad quarum preces & instantiam in hujus rei testimonium sigillum nostrum præsenti paginæ duximus apponendum. Actum apud Asnerias anno dominicæ incarnationis M. C C. tricesimo quarto, mense Ianuario.

INNOCENTIVS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Abbati Clarifontis Præmonstratensis ordinis Laudunensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Constitutus in præsentia nostra dilectus filius nobilis vir Iohannes de Avesnis Cameracensis diocesis pro se & Balduino fratre suo nobis humiliter supplicavit ut cùm status eorum super natalibus diffametur, ne per hoc posset eis in posterum præjudicium generari, providere ipsis in hac parte paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus nobilem mulierem Margaritam matrem ipsorum ex parte nostra peremptoriè citare procures ut, si voluerit vel sua crediderit interesse, infra mensem post citationem tuam per se vel per procuratores idoneos cum omnibus munimentis & rationibus suis compareant coram nobis, si quid eis super hoc rationabiliter competit ostensuri. Alioquin ex tunc in eodem negotio prout de jure fuerit procedemus. Tu autem infra eundem terminum citationis diem nobis tuis litteris continentibus tenorem præsentium intimare procures. Datum Lugduni XV. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno secundo.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, & ODO eadem gratia Tusculanus Episcopus apostolicæ sedis Legatus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quòd cùm inter liberos nobilis Margaretæ Comitissæ Flandriæ & Haynoniæ, quos de nobili viro Bucchardo de Avesnis susceperat, ex una parte, & eos quos de nobili viro Guillermo de Domnapetra eadem Comitissa susceperat, ex altera, mota esset contentio super eo quòd utraque partium prædictarum comitatus Flandriæ & Haynoniæ & totam terram quam tenet dicta Comitissa dicebat ad se post obitum ipsius matris eorum jure hereditario pertinere, tandem de voluntate & assensu præfatæ Comitissæ & utriusque partis amicorum consilio supradicti liberi in nos duos unanimiter compromiserunt tali modo quòd secundùm formam juris vel judicij non esset in hoc arbitrio procedendum, cùm tota dicta terra per viam juris parti alteri debere cedere dinosceretur, sed de terra prædicta debebamus taliter ordinare quòd utrique partium de dicta hereditate partem assignaremus secundùm quod nobis videretur bonum esse; ita videlicet quòd ambo capita dictorum comitatuum uni eorum dare, vel alterum uni, & reliquum alij, vel partem alteri in comitatu altero vel utroque, prout nobis bonum videretur, possemus assignare. Condictum fuit etiam & concessum quòd si comitatu Flandriæ alteri parti per dictum nostrum assignato, alij vellemus in eodem comitatu partem terræ assignare, ille qui partem illam haberet, comitatum habenti de ea hominagium faceret, & partem illam teneret de eodem. Similiter si comitatu Haynoniæ per dictum nostrum alicui eorum assignato, in comitatu illo alij partem assignaremus, ille qui partem illam in comitatu haberet, comitatum habenti hominagium faceret, & partem suam de illo teneret, nisi terræ consuetudo in contrarium se haberet; quòd si esset, hominagium faceret, & partem suam teneret, secundùm quod terræ requireret consuetudo. Insuper est sciendum quòd partes in hoc unanimiter convenerunt, quòd si sine liberis de uxore sua desponsata procreandis contingeret aliquem prædictorum decedere, frater ejus germanus vel soror ejus germana, si decedens fratrem non haberet germanum, eidem decedenti succederet in tota terra quam haberet. Fuit etiam concorditer concessum quòd si nos O. Legatum iis exequendis contingeret non adesse, vir nobilis Robertus Comes Attrebatensis frater Domini Regis ad hæc exequenda reciperetur sine contradictione aliqua loco nostri. Voluerunt autem partes & concesserunt quòd illud quod ordinaretur fieret salvo honore utriusque partis; ita tamen quòd propter hoc non remaneret quin partes & divisiones terrarum & totius hereditatis prædictæ manerent stabiles & firmæ prout à nobis esset ordinatum. Concesserunt etiam partes quòd contentæ essent divisionibus illis & partibus quas eis assignaremus, nec contra ordinationem nostram venirent aliquo modo, nec unus in parte alij assignanda sive in proprietate sive in possessione aliquid per se vel per alium reclamaret, nec moveret quitquam eorum contra alterum super iis in ecclesiastica vel seculari curia quæstionem aliquo modo vel aliqua ratione juris aut facti. Concessimus autem nos Rex quòd nos reciperemus in hominem de comitatu Flandriæ, vivente dicta Comitissa, si ipsa hoc petierit, illum qui per ordinationem nostram dictum comitatum haberet, salva vita Comitissæ, & salvo in omnibus jure nostro. Propter absentiam autem utriusque partis vel alterius non dimitteremus quin, si vellemus, in eodem arbitrio procederemus, & quicquid fieret vel ordinaretur per nos duos, tantum valeret & ita tenerentur partes firmiter observare ac si ipsis partibus præsentibus factum esset. Hæc autem omnia facta fuerunt, & concessa eo salvo quòd Comitissa prædicta, nonobstantibus dicta compromissione vel arbitrio nostro aut ordinatione quam super his faceremus, plenam quandiu vixerit habeat potestatem & administrationem prædictorum comitatuum & totius terræ suæ, & de ipsis possit pro voluntate sua facere sicut poterat ante compromissionem prædictam. Salvo eo quòd prædicta Comitissa nulli prædictorum liberorum suorum possit terram aliquam seu redditum dare præter partes quæ per nos eis essent assignatæ, nec alicui eorum aliquid dare super partem alteri assignatam. Supradicta autem omnia & singula promiserunt nobis & sibi adinvicem dictæ partes se firmiter servaturas & contra nullo unquam tempore quocunque modo venturas, præstito coram nobis super iis corporaliter juramento. Nos autem in nomine patris & filij & spiritus sancti, amen, in negotio præfato taliter ordinamus, & per dictum nostrum assignamus Iohanni de Avesnis Militi totum comitatum Hagnoniæ cum omnibus pertinentiis, ita quòd Baldoino fratri suo Militi teneatur de eodem comitatu in portione hereditaria providere. Guillelmo verò de Domnapetra Militi assignamus totum comitatum Flandriæ cum om-

nibus pertinentiis, ita quòd fratribus suis germanis, Guidoni scilicet & Iohanni, tenetur de eodem comitatu in portione hereditaria providere. Hæ autem provisiones fient secundùm consuetudines comitatuum prædictorum. Hæc siquidem pronuntiamus, retenta nobis potestate declarandi & exponendi ea quæ in dicto nostro continentur, si fortè inter partes super eo aliqua dubietas oriretur. Prænominatæ autem partes dictum nostrum, sicut prolatum est, approbaverunt & ratum & gratum habuerunt, promittentes se dictum istud fideliter servaturas & nullo unquam tempore contraventuras. Et ad majorem securitatem litteras suas super iis nobis dederunt sigillis suis sigillatas. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Actum Parisius anno Domini millesimo c c. quadragesimo sexto, mense Iulio.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Cameracensi & dilectis filiis Abbati Cistercienſi & Decano Laudunensi salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filij nobiles viri G. Comes Flandriæ & I. dominus de Dampetra fratres nobis significare curarunt quòd nobilibus viris Iohanne de Avesnis & Balduino germanis, dictorum G. & I. fratribus uterinis, intimantibus olim nobis quòd à quibusdam ipsorum æmulis malitiosè, ut à bonis ad eos hereditario jure spectantibus excludi possent, illégitimitatis macula impingebatur eisdem, nos venerabili fratri nostro * Cathalaunensi Episcopo suoque collegæ nostris dedimus litteris in mandatis ut quanto magis possent de plano super causa natalium eorundem nobilium inquirerent veritatem, & quod esset canonicum statuere appellatione remota curarent, nonobstante quòd super hoc inter prædictos I. & B. ex parte una & fratres eorundem ex altera fuerat coram nobis aliquando litigatum & processum, cùm nihil inde terminatum fuisset, sed idem Episcopus & Abbas monasterij de Lessies Cameracensis diocesis, cui dictus collega commiserat, sicut dicitur, super hoc totaliter vices suas, prædictis G. & I. minoribus viginti quinque annis & existentibus in tali loco unde commodè citari poterant & de jure debebant, cùm eos principaliter hujusmodi negotium contingeret, non citatis, nec se occultantibus, neque per contumaciam absentantibus, quondam Vvillelmo germano ipsorum Flandrensi Comite infra annos hujusmodi existente & tunc in ultramarinis partibus terræ sanctæ subsidio insistente, cùm nullus etiam alius legitimè citatus fuerit seu comparuerit qui se Iohanni & Balduino fratribus super hoc opponerent supradictis, in eodem negotio procedentes, & eorundem Iohannis & B. natalia legitima declarantes, ipsos fore legitimos ac legitimè genitos in dictorum G. & I. magnum præjudicium & gravamen per diffinitivam sententiam, ad quam audiendam minimè vocati fuerant, decreverunt, nosque sententiam ipsam auctoritate apostolica dicimur confirmasse, certo super hoc conservatore concesso. Vnde nobis iidem G. & I. humiliter supplicarunt ut cùm ab hujusmodi sententia, postquam ad eorum pervenit notitiam, quamvis nullam eam esse dicerent & protestarentur, ad sedem apostolicam ad cautelam pro sui juris conservatione duxerint appellandum, providere super hoc ipsis apostolica sollicitudine curaremus. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ad locum tutum & securum vocatis qui fuerint evocandi, inquiratis super prædicto processu sollicitè veritatem, nobis quod exinde inveneritis vestris litteris fideliter rescripturi, præfigendo partibus terminum competentem quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent facturæ ac recepturæ super iis quod ordo dictaverit rationis; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; nonobstante indulgentia quibuscunque personis ab apostolica sede concessa quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dictæ sedis non facientes plenam de hujusmodi indulgentia mentionem, seu si tibi, fili Abbas, vel ordini tuo indultum existat quòd de causis tibi à sede committendis eadem cognoscere minimè tenearis, & constitutione de duabus dietis edita in Concilo generali. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Perusij xiii. Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno decimo.

* Extat apud Miræum in codice diplomatum. Belgicor cap 81.

Littera missa Domino Papæ Innocentio IV. pro causa Comitis Guidonis, ut Abbas Cisterij possit committere alicui, & duo procedant sine tertio.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Margarita Flandriæ & Haynoniæ Comitissa, pedum oscula beatorum. Cùm causam quæ inter carissimos filios nostros G. Comitem Flandriæ & I. dominum de Dampetra ex una parte & I. & B. de Avesnis ex alia, quæ super examinatione cujusdam sententiæ quam Cathalanensis Episcopus & ejus collega vel subdelegatus ab eo super declaratione natalium dictorum I. & B. contra naturalem, solitum, & debitam judiciorum ordinem auctoritate apostolica promulgarunt, qui quidem G. Comes & I. dominus de Dampetra ad cautelam pro sui juris conservatione sedem apostolicam appellarunt, venerabilibus Episcopo Cameracensi, Abbati Cistercij, & Decano Laudunensi duxeritis committendam, timentes ne propter debilitatem ejusdem Abbatis & locorum distantiam idem Abbas cognitioni ejusdem sæpius nequeat interesse, ac propter hoc in grave periculum partium, dispendium & gravamen contingat negotium retardari, sanctitatem vestram duximus attentiùs deprecandam quatinus eadem Abbati dignemini per speciales litteras indulgere ut quotiensunque nequiverit interesse examinationi ejusdem causæ, personæ idoneæ sui ordinis vel alij vices suas valeat delegare, nonobstante quòd in vestris litteris contineatur insertum, *Inquiratis sollicitè veritatem*, sanctitati vestræ attentiùs supplicantes ut eidem Episcopo, Abbati, & Decano dare dignemini in mandatis quatinus in eadem causa secundùm juris ordinem procedentes, ipsam fine debito debeant terminare, alioquin eam instructam ad vestræ sanctitatis examen remittere non postponant.

FINIS LIBRI QVARTI DECIMI.

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER DECIMVS QVINTVS.

CAPITVLO LINGONENSI.

Epist. 1. De revocandis poſſeſſionibus Eccleſiæ.

AD hoc ſumus diſponente Domino in plenitudinem poteſtatis aſſumpti ut ſi quando ab his qui ſunt in partem ſollicitudinis evocati, in Eccleſiarum ſuarum diſpendium quicquam perperam fuerit attentatum, per ſollicitudinis noſtræ ſtudium emendetur, & præcaveatur indemnitatibus earundem. Cùm igitur, ſicut vobis intimantibus noſtro eſt apoſtolatui reſeratum, quædam poſſeſſiones Eccleſiæ veſtræ ab Epiſcopis qui pro tempore præfuerunt eidem alienatæ ſint vobis penitùs inconſultis, nos eidem Eccleſiæ paterna volentes ſollicitudine providere, auctoritate vobis præſentium indulgemus quatinus poſſeſſiones ipſius Eccleſiæ, quas ſine aſſenſu veſtro alienare dicti Epiſcopi præſumpſerunt, ad jus & proprietatem illius legitimè revocetis. Nulli ergo &c. conceſſionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani VII. Kal. Martij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

EISDEM.

Epiſt. De electione Decani.

CVm cauſam quæ vertebatur inter dictum filium H. Cantorem Eduenſem & H. Barenſem Archidiaconum ſuper decanatu Eccleſiæ veſtræ, ad quem fuerat electus uterque, dilectis filiis Decano & magiſtris W. de Vienna & Iacobo de Tornodoro Canonicis Antiſiodorenſibus commiſerimus fine debito terminandam, ipſi cognitis cauſæ meritis, de juris peritorum conſilio electionem utramque ſententialiter caſſaverunt. Verùm Cantor præfatus, qui ante prolationem ſententiæ appellarat, ad apoſtolicam ſedem accedens, à nobis audientiam petiit ſibi dari: quam cùm ei duxerimus concedendam, dilectus filius magiſter Hugo Canonicus veſter in noſtra præſentia conſtitutus, licèt procurator non eſſet, quòd tamen de parte altera fuerat, ſe opponens eidem, ſententiam nobis exhibuit cum actis judicij à præfatis judicibus promulgatam. Nos igitur auditis quæ

dictus Cantor proposuit coram nobis, cassationem electionis ipsius justam esse cognovimus, & ideo ipsam auctoritate duximus apostolica confirmandam. Datum Laterani VII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

MAGDEBVRGENSI ET Maguntino Archiepiscopis, & eorum suffraganeis.

Epist. 5. Contra Valdemarum intrusum Bremēsem. *Vide lib. 13. epist. 158. & quintam compilat. decretal. lib. 1. tit. 9.*

SIcut venerabilis frater noster Osnaburgensis Episcopus Bremensis electus nobis intimare curavit, Waldemarus, cùm in profundum jam devenerit peccatorum, contemnit, & non solùm non adicit ut resurgat, verùm etiam, tamquam si ex adipe prodeat ejus iniquitas, adversùs Romanam Ecclesiam supplantationes exampliat, & graviores quàm hactenus præsumptiones intentat; ut in die iræ accumulans iram sibi, damnabili gladio perdatur illius cujus misericordi fuerat studio à duriſſimi damnatione carceris liberatus. Ponens enim, inductus in Bremam per nobilis viri Saxoniæ Ducis potentiam, tamquam ab Aquilone in Bremensi Ecclesia sedem suam, ac sedens super eam, velut super plumbi talentum sedet iniquitas, præter administrationem quam in eadem Ecclesia tam in spiritualibus quàm temporalibus sibi damnabiliter usurpavit, ad Ecclesias & Clericos in reprobum sensum datus manus extendit, ipsorum bona præsumptuosis ausibus occupans ac dividens inter laicos & dispergens; de quorum confidens violentia, facilis est ad scelera, nec quid faciat abhorrescit. Expulsis etenim quibusdam Canonicis & aliis Bremensibus Clericis ab eorum Ecclesiis & præbendis, ipsas præbendas & Ecclesias de facto, cùm de jure non potuerit, quibusdam fautoribus suis contulit, ut eos habeat in malefactis participes quos habet in errore fautores. Licèt autem in Waldemarum eundem per te, frater Magdeburgensis, & venerabiles fratres nostros tuos & Bremesis Ecclesiæ suffraganeos, necnon & per prædictum Osnaburgensem & Monasterienſem Episcopos anathematis vinculo innodatum depositionis & degradationis sententia fuerit auctoritate apostolica promulgata, ipse tamen, qui sub tanta manus divinæ potentia humiliari debuerat, cornua elationis assumens, in eadem pertinaciter persistit sententia, & eam quam saltem timere debuerat vilipendit. Cujus exemplo Decanus & quidam alij sacerdotes Bremenses & Clerici latam in eos super beneficiorum perceptione suspensionis sententiam, [ante quam] communicabant eidem, improvidè contemnentes, et communicare non desinunt, ipsumque fovere in sua nequitia non desistunt. Ne igitur idem Waldemarus & fautores ipsius plenè valeant de sua nequitia gloriari, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus in eos latas sententias singulis diebus dominicis & festivis per vestras Ecclesias innovetis & faciatis per vestras dioceses innovari. Datum Laterani III. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

In eundem ferè modum scriptum est Padeburnensi, Mindensi, Verdensi, & Halberstadensi Episcopis, & dilectis filiis Corbeiensi & de Campo sanctæ Mariæ Abbatibus Monasterienſis & Padeburnensis diocesum usque plenè valeant de sua nequitia gloriari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus infra duos menses post receptionem præsentium ad Bremensem civitatem personaliter accedentes, sive omnes simul, sive singuli, latas in dictum Waldemarum & fautores suos sententias publicè innovetis ibidem, & mandetis per totam Bremensem provinciam innovari. Datum Laterani III. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

EPISCOPO ET CAPITVLO Pictavensi.

Epist. 6. Confirmat quædam statuta.

CAusam quæ vertebatur inter vos ex parte una & dilectos filios Cluniacensem & monasterij novi Pictavensis Abbates & conventus ex altera super exemptione monasterij novi Pictavensis diversis judicibus nos recolimus commisisse. Super qua licèt diversis temporibus fuerit multipliciter laboratum, testes tamen ex mandato nostro ab utraque parte recepti fuerunt, & demum depositiones eorundem apud sedem apostolicam publicatæ. Verùm quia pars monasterij novi privilegia sua tunc præ manibus non habebat, partibus postmodum nostris dedimus litteris in mandatis ut super eadem causa, munitæ privilegiis & aliis rationibus quæ ad ipsius decisionem spectabant, per se vel sufficientes procuratores in festo beati Martini proximè præterito nostro se conspectui præsentarent, tam super prædicta causa quàm super aliis articulis æquitatis judicium dante Domino recepturæ. Demum igitur dilectis filiis magistris Iohanne & Hugone Canonicis sanctæ Radegundis Pictavensis vestris, & Petro, Salatiele, ac Io. mona-

chis prædictorum Cluniacensis & Monasterij novi Abbatum & conventuum procuratoribus in nostra præsentia constitutis, audivimus diligenter quæ voluerunt proponere coram nobis; & cùm hinc inde super præmissis fuisset diutiùs disputatum, tandem idem negotium de consensu partium nobis mediantibus taliter est sopitum. Quòd dicti Abbas & conventus Monasterij novi, ut Pictavensis Episcopus favorabilior sit eis & efficacior ad justitiam de suis malefactoribus faciendam, semel in anno per diem unum cum moderato equitaturarum numero, prout in Lateranensi Concilio est statutum, eundem exhibeant & procurent. In ceteris verò idem monasterium ab ejus jurisdictione sit liberum & exemptum; nisi quòd chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, dedicationes basilicarum, ordinationes monachorum seu Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, necnon & benedictionem Abbatis sine professione aliqua recipiant ab Episcopo memorato; siquidem catholicus fuerit, & gratiam apostolicæ sedis habuerit, ac ea ipsis gratis & sine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat eis quemcunque maluerint catholicum adire antistitem gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate ipsis quod postulatur impendat; sicut in authenticis privilegiis continetur, quæ nos ipsi perspeximus & examinavimus diligenter. Cùm autem Pictavensis Episcopus in civitate Pictavensi generale posuerit interdictum, iidem illud servabunt; ita quòd illo durante non celebrabunt divina nisi clausis januis, non pulsatis campanis, suppressa voce, interdictis & excommunicatis exclusis, quos cautè vitare curabunt. Ad synodum quoque Pictavensis Episcopi Abbas Monasterij novi secundùm generalem consuetudinem regionis accedet ratione Capellarum vel Ecclesiarum suarum quæ ipsi Episcopo sunt subjectæ. Sed si forsitan Capellani ea quæ statuta fuerint in synodo neglexerint aut contempserint observare, non in Abbatem vel monasterium, sed in ipsos Capellanos, Episcopus poterit canonicam exercere censuram. Ne igitur quod nobis mediantibus est statutum valeat ab aliquo temerè violari, illud auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VI. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

In eundem modum scriptum est Cluniacensi & Monasterij novi Pictavensis Abbatibus & conventibus. Causam quæ vertebatur &c. *usque in finem.*

In eundem modum scriptum est super hoc Abbati sancti Sulpicij, Decano, & Archidiacono Bituricensibus. Causam quæ vertebatur &c. *usque* ab aliquo temerè violari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus id observari per censuram ecclesiasticam appellatione postposita firmiter faciatis, contradictores censura simili compescendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. *usque* exequantur. Datum Laterani VI. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ELECTO ET MONACHIS sanctæ Mariæ de Peroallo.

Epist. 5. Recipiuntur sub protectione B. Petri.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas & monasterium vestrum cum omnibus bonis quæ in præsentiarum tationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Libertates præterea & immunitates quas venerabilis frater noster Episcopus Terdonensis cum Capituli sui assensu provida vobis deliberatione concessit ratas habemus, & eas illibatas decernimus permanere. Nulli ergo &c. protectionis & constitutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani V. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

**G. DE VALLIBVS, MAGISTRO. G. & P. de Fimiis Canonicis Laudunensibus.*

**In quart. coll. S.*

Epist. 6. Quòd clausula *si est ita* ad omnia rescripti refertur. *Cap* Olim. *De rescript.*

OLim ex litteris dilectorum filiorum sancti Nicasij Remensis, Igniacensis & Vallis regiæ Abbatum nostris fuit auribus intimatum quòd cùm ad eos semel & iterum à nobis litteræ processissent, super eo videlicet quòd R. Clericus sancti Remigij Remensis parrochiam de Salice sancti Remigij, quam R. de Cruneio Clericus sibi per interpositam personam ab Abbate sancti Remigij collatam fuisse proposuit, detinebat, ipsi partes semel, secundò, & tertiò citaverunt, & dictum R. de sancto Remigio, quia citatus pluries comparere noluit per se vel responsalem aliquem coram eis, excommunicationis

vinculo innodantes, fecerunt fructus ipsius parrochiæ sequestrari, cùmque postmodum idem R. accedens ad eos, se juri promiserit pariturum, ac obtinuerit se absolvi, ipsi absolutionis ei litteras concedentes, diem ei assignarunt & locum quibus coram eis quod promiserat adimpleret; qui diem & locum ex litteris illis radens, in loco rasuræ rescripsit quòd ipsi ei sequestratos fructus exhiberi mandabant. quod demum coram duobus eorum, tertio sui absentiam excusante, per litteras est confessus. Nos igitur, cùm tantæ temeritatis excessus falsitatis scrupulo non careret, vobis dedimus in mandatis ut si res taliter se haberet, ipsi præsumptori super dicta parrochia perpetuum silentium imponentes, præfato R. de Cruncio Clerico assignaretis eandem cum fructibus sequestratis. Verùm, sicut vos filij S. & P. per vestras nobis litteras intimastis, cùm dictus R. de Cruncio rasuram præfatam coram vobis per testes idoneos probavisset, & ob hoc postulasset sibi dictam Ecclesiam assignari, vos utrum clausula illa, *si ita est*, de omnibus superioribus, an de articulo tantùm rasuræ deberet intelligi dubitantes, in negotio ipso procedere ulteriùs distulistis, eligentes secundùm hoc potiùs apostolicæ sedis oraculum implorare quàm aliquid temerè diffinire. Nos ergo diligentiam vestram in Domino commendantes, taliter duximus respondendum, quòd clausula illa debet ad omnia superiora referri, ad hoc ut ipsi præfata Ecclesia conferatur: quia licèt vitium falsitatis ad imponendum illi perpetuum silentium super Ecclesia ipsa sufficiat qui falsitatem hujusmodi perpetrarat, non tamen propter hoc eadem Ecclesia est adversario assignanda, nisi super aliis facta fuerit plena fides. Datum Laterani VI. Non. Martij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

COLOCENSI ELECTO, ET Sokſardienſi & de Sekudvvor Ciſtercienſis ordinis Abbatibus Quinqueccleſienſis dioceſis.

Epist. 7. Dirimit litem inter Episcopũ Vesprimiensem & Abbatem S. Martini.

Cap. Veniens. *De præscript.*

* *Hæc littera addita est ex cod. Colbert.*

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius [*G.] Abbas sancti Martini de Pannonia sua nobis conquestione monstravit quòd venerabilis frater noster Vesprimiensis Episcopus conditionales homines, qui certa ei servitia exhibent, eximit à præstatione integra decimarum, & eos, cùm jurisdictionem in ipsos habeat, ad solvendas integrè sibi prædictas decimas & ad satisfaciendum congruè de subtractis pontificali auctoritate non cogit, præstare sibi recusans consilium & auxilium in expensis & aliis contra silvestres homines in extremis prædictæ parrochiæ finibus commorantes, qui se à solutione subtrahunt decimarum. Quare humiliter postulabat ut ne id de cetero idem Episcopus attentaret injungere sibi auctoritate apostolica dignaremur. Petebat insuper quòd idem Episcopus sacerdotibus illius parrochiæ inhiberet ne quosdam homines, sibi prout tenentur decimas non solventes, servili conditione falsò ad suam excusationem objecta, & ne pulsatores & exequiales in eodem articulo delinquentes recipiant ad divina, vel ab eis percipiant partem aliquam decimarum, ipsi de subtractis satisfactionem congruam impedentes, humiliter supplicans ut hoc per delegatos à nobis judices fieri mandaremus, si dictus Episcopus id efficere non curaret, compellentes eundem ad satisfactionem congruam prædictorum, si auctoritate sua dicti Capellani hoc præsumerent attentare. Postulabat præterea quòd idem Episcopus parrochianos Capellarum suarum in jure spirituali & quarta decimarum recipi ad Capellas alias non permittat, satisfaciens de subtractis eidem, si aliquid est in hoc hactenus ipsius auctoritate præsumptum. Alioquin à suis sibi faciat Capellanis super his satisfactionem congruam exhiberi. Et ne de parrochianis dubitatio aliqua oriretur, sic petiit distinguendo, ut parrochianos de villis Fayz & de Gurbei à Capella Thapey non subtrahat Episcopus memoratus, parrochianos autem de prædio Dominici de Mogh. & de Vdvvormicis Regis & de villa illorum qui dant Regi Martium à Capella de porcorum custodia non subducat, inhibens sacerdotibus ne recipiant capetias aliquas vel cubulos vini à Regis vel Reginæ conditionalibus, qui vulgò regales servi vocantur, ab ipso ea recipi permittentes, cogens insuper Regis sagittarios & bissenos ad decimas integrè persolvendas. Petiit etiam postmodum & humiliter postulavit ut memoratus Episcopus non impediat vel faciat impediri quò minùs omnes qui in Simigiensi parrochia vel comitatu consistunt, de omnibus quæ possident decimas integras sibi solvant; sicut in privilegiis felicis memoriæ Paschalis Papæ & sancti Regis Stephani plenius continetur. Præfatus verò Episcopus in nostra præsentia constitutus è contrario postulavit ut decimas Simigiensis comitatus infra suæ dioceſis terminos *consistentis, quas detinet idem Abbas, sibi restitui faceremus, nisi dictus Abbas aliquo speciali jure se ipsas justè possidere

possidere monstraret, mandantes ipsum per eundem Abbatem, cùm dictum comitatum visitat, in suis Ecclesiis procurari. Petebat insuper deputatam quartam fabricæ sibi restitui ad Ecclesias reparandas. Capellas in villa subulcorum & sancti Ladislai de Fizgoi destrui postulans, tamquam sine auctoritate ac consensu Episcopi diocesani constructas, & petens Ecclesiam de Keurishyg, in qua sibi dictus Abbas spiritualem jurisdictionem usurpat, Ecclesiam etiam de Thapey, in cujus possessione ipsum fuisse idem Abbas confessus fuerat, repetebat. Reconciliationes etiam pœnitentium & ordinationes clericorum ad se asserens pertinere, humiliter postulabat ut chrisma, oleum sanctum, & alia ecclesiastica sacramenta Capellani & homines sancti Martini in Vesprimensi diocesi constituti ab eo tamquam à suo diocesano perciperent, sibi cognitiones causarum spiritualium relinquendo. Nos autem intellectis per venerabilem fratrem nostrum Hugolinum Hostiensem Episcopum, quem partibus concessimus auditorem, quæ proposita fuerant coram eo, objectiones propositas ab Episcopo contra privilegia prædictorum Paschalis Papæ ac sancti Regis Stephani, quibus Abbas sufficienter respondit, invalidas esse decrevimus, ut eis non obstantibus privilegia ipsa valida reputentur, si authenticum prædicti Regis tale repertum fuerit quale nobis rescriptum ipsius sub bulla carissimi in Christo filij nostri Hungarorum Regis illustris extitit præsentatum. Quantum tamen ad fundandam intentionem Abbatis proficiat opportuno tempore decernemus. Interim autem nihil circa statum monasterij secundùm perceptionem decimarum, quam idem monasterium possidet, immutetur. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, Clerici Ecclesiarum vel Capellarum ipsius monasterij quæ sunt in Vesprimiensi diocesi constitutæ à Vesprimiensi Episcopo postulabunt; siquidem catholicus fuerit & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & sine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin ab alio quem maluerint catholico præsule suscipiendi ea liberam habeant facultatem, sicut in privilegiis prædicti Paschalis & bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessorum nostrorum perpeximus contineri. Non obstante privilegio Clementis Papæ, * qui mentionem non fecit de prædictis prædecessorum suorum privilegiis, sed de privilegio sancti Stephani Regis; cui, quantum ad hoc capitulum, per sæpefatos Romanos Pontifices extitit derogatum; præsertim cùm ipse Clemens privilegium illud concesserit salvis institutionibus, non solùm Romanæ Ecclesiæ, sed ipsius etiam Legatorum. Nec obstante præscriptione quam idem Abbas in suum subsidium opponebat: quia si consummata erat præscriptio quando Abbas sancti Martini ab Alexandro Papa privilegium impetravit, juri præscriptionis renuntiasse videtur; præsertim cùm coram nobis privilegio illo sit usus quod suæ intentioni, quantum ad hunc articulum, contradicit. Si verò nondum * consummaverat præscriptionem, sed erat in præscribendo post impetratum hujusmodi privilegium, bonam fidem non habuit, & ideo secundùm canones non præscripsit. Ceterùm interdictos vel excommunicatos Vesprimiensis Episcopi prædicti Clerici studeant evitare, ac parrochianos Ecclesiarum ad eundem Episcopum pertinentes contra voluntatem ipsius ad divina officia non recipiant, nec illis impendant ecclesiastica sacramenta. Super ceteris autem quia nobis non potuit fieri plena fides, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus recipiatis testes quos partes duxerint producendos, & tam attestationes quàm alias prolationes earum fideliter redigatis in scriptis, easque nobis sub vestris sigillis dirigere procuretis, præfigentes eis terminum competentem quo cum ipsis nostro se conspectui repræsentent sententiam auctore Domino recepturæ. Testes autem qui ab utraque parte fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani v. Non. Martij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*In quart. coll. consummata erat præscriptio.

*In quart. coll. per quod privilegiis prædecessorum suor. non extitit derogatum, cùm de ipsis nullâ fecerit mentionem; præsertim cùm &c.

PRIORI ET FRATRIBVS de Balneolis.

IVstis petentium desideriis dignum &c. *usque* effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, domum & redditus à nobili viro Herveo Comite Nivernensi pia vobis liberalitate collatos, sicut eos justè ac pacificè possidetis, & in litteris ejusdem Comitis ac

Epist. 8. Confirmat eorum bona.

nobilis mulieris Mathildis Comitissæ uxoris suæ noscitur contineri, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Non. Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

EPISCOPO MAGALONENSI.

Epist. 9. Vt de terris in comitatu Melgorij cognoscat.

SIcut dilectus filius Iohannes Buccados nobis conquerendo monstravit, quidam potentes super proventibus & rebus aliis sitis in comitatu Melgorij, quos legitimè possidet & quietè, ipsum sine causæ cognitione intendunt nequiter aggravare. Cùm igitur jurisdictio terræ illius ad nos nullo pertineat mediante, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Datum Laterani VII. Idus Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ABBATI ET PRIORI sancti Victoris, & magistro G. Cornuto Canonico Parisiensi.

Epist. 10. De corpore B. Lupi Archiepiscopi Senonensis. *Vide chronicon S. Petri Vivi pag. 726.*

DIlecti filij Abbas & conventus sanctæ Columbæ Senonensis nobis conquerendo monstrarunt quòd licèt in Ecclesia sua totum corpus beati Lupi confessoris Archiepiscopi Senonensis unà cum capite requiescat, sicut per authenticum bonæ memoriæ Hugonis Senonensis Archiepiscopi, qui convocatis quibusdam Episcopis, & clero & populo adunatis, ipsum corpus ac caput omnibus astantibus demonstravit, evidenter apparet, Abbas tamen & monachi sancti Petri vivi Senonensis in ipsorum gravamen per prædicatores suos caput & quædam membra confessoris ipsius esse apud quendam prioratum suum, videlicet sanctum Lupum de Nando, per episcopatus longè latèque diffusos faciunt publicè nuntiari. quod siquidem est à veritate penitùs alienum. Quia igitur falsitas tolerari non debet sub velamine pietatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratos Abbatem & monachos ut ab hujusmodi præsumptione desistant auctoritate nostra moneatis attentiùs & efficaciter inducatis, ipsos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cognita veritate cogentes; cùm nec saluti nec famæ congruat eorundem quæstum acquirere de prædicatione mendacij. Nullis litteris veritati &c. à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani II. Idus Martij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

MORIMONTENSI ET SANCTI Stephani Divionensis Abbatibus Lingonensis diocesis, & majori Archidiacono Lingonensi.

Epist. 11. Vt cognitam de facinore [illegible]

VEnerabili fratri nostro Bisuntinensi Archiepiscopo & dilecto filio, procuratori nobilis viri Comitis Stephani benignam audientiam concedentes, intelleximus evidenter per ea quæ fuerunt coram nobis proposita & ostensa quòd litteræ illæ quæ dilectis filiis sancti Sequani & de Aceio Abbatibus & Priori Cisterciensi super absolutione ipsius Comitis sub nomine nostro fuerunt exhibitæ, sicut in eorum litteris citatoriis de verbo ad verbum erant insertæ, aut falsæ aut falsatæ fuerunt. Et certè si veras litteras accepissent, quales nos eis recolimus destinasse, formam earum in suo processu minimè observassent. Quare nos eorum processum decernentes irritum & inanem, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus litteras illas faciatis vobis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo exhiberi, & inquiratis diligentissimè veritatem quis eas obtinuit vel exhibuit aut falsavit; tam litteras ipsas quàm inquisitam super his veritatem nobis fideliter transmissuri, ut ad hujusmodi puniendum excessum, sicut procedendum viderimus, procedamus. Latam autem in prædictum Comitem excommunicationis sententiam ab Archiepiscopo memorato & interdictum positum in terram ipsius mandetis inviolabiliter observari donec de damnis & injuriis præfato Archiepiscopo ab eodem Comite irrogatis inquisita pleniùs & cognita veritate, faciatis satisfactionem congruam exhiberi; & sic demum præfatas sententias juxta formam Ecclesiæ relaxantes, audiatis si quid inter eos remanserit quæstionis, & appellatione remota mediante justitia decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. *usque* subtraxerint, per censuram eandem cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. *usque* exequantur. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimo quinto.

R. DE BELLOVIDERE Camerario & S. de Berov. & S. de Burgo Guarin. Canonicis Carnotenſibus.

Epiſt. 12. De interdicto prolato ab Epiſcopo Aurelianenſi.

CVm venerabilis frater noſter Aurelianenſis Epiſcopus dioceſim ſuam ſuppoſuerit eccleſiaſtico interdicto, & Capitulum ſancti Aniani illud neglexerint obſervare, ſed interdictos ab ipſo receperint ad divina, ſublimi voce, pulſatis campanis, & apertis januis celebrantes, idem Epiſcopus contra eos ad venerabilem fratrem noſtrum Trecenſem Epiſcopum & conjudices ſuos noſtras litteras impetravit: qui Eccleſiam ſancti Aniani interdicti ſententiæ ſupponentes, Decanum & ejuſdem loci Capitulum ab officio ſuſpenderunt, eoſdem in expenſis quas Epiſcopus fecerat condemnando. Vnde dilectus filius R. de Noa procurator ipſius Epiſcopi poſtulabat ut præfatas ſententias dignaremur apoſtolico munimine roborare. Verùm B. & R. procuratores ejuſdem Capituli ex adverſo propoſuere in noſtra præſentia conſtituti quòd cùm præfata Eccleſia ſedi apoſtolicæ ſit immediatè ſubjecta, ſicut apparet per privilegia Pontificum Romanorum, non tenebantur interdictum ejuſdem Epiſcopi obſervare. propter quod, ne ſuper hoc poſſent ab Epiſcopo prægravari, noſtram audientiam appellarunt. Et licèt non receperint ſcienter ab ipſo interdictum aliquem ad divina, nihilominus tamen Epiſcopus eorum homines & Eccleſias ſuppoſuit interdicto, eis divina penitùs interdicens. Verùm cùm præfatæ litteræ, quas Epiſcopus impetravit ad judices ſupradictos, falſitate ſuggeſta & veritate tacita fuerint impetratæ, & ab eiſdem judicibus legitimas exceptiones admittere recuſantibus fuerit ad ſedem apoſtolicam rationabiliter provocatum, ſententias latas, propter appellationis objectum, petebant penitùs irritari. Nos autem utrique parti providere volentes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus cùm procuratores prædictorum Decani & Capituli promiſerint coram nobis ſub pœna centum librarum, pro qua obligaverunt præbendas ſuas quas habent in Eccleſia memorata, quòd dicti Decanus & Capitulum veſtro parebunt mandato, ſi hoc ipſi ratum habuerint, vos auctoritate noſtra ſublato appellationis obſtaculo relaxetis omnes ſententias in ipſos & Eccleſias & homines eorum hac occaſione prolatas, ac deinde inquiſita & cognita veritate, ſi illos culpabiles inveneritis, faciatis ipſos ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo præfato Epiſcopo ſatisfactionem debitam exhibere; ita quòd interdicto durante alta voce non celebrent, ſed ſubmiſſa, januis clauſis, non pulſatis campanis, ac excommunicatis & interdictis excluſis. Alioquin pœnam promiſſam à dictis procuratoribus exigatis, & ſententias nihilominus uſque ad ſatisfactionem condignam faciatis appellatione remota per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. *uſque* ſubtraxerint, per cenſuram eandem ceſſante appellatione cogatis veritati teſtimonium perhibere. Nullis litteris obſtantibus præter aſſenſum partium à ſede apoſtolica impetratis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea &c. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno decimo quinto.

POTESTATI ORTANENSI.

Epiſt. 13. Contrà nobilem quendam detinentem caſtra Eccleſiæ.

CVm bonæ memoriæ M. ſocer nobilium virorum Cazaguerræ de Orta, B. de Canalio, I. Raynaldi, & P. Iaczonis, caſtra Baſaneili, Palatioli, Baſſani, & Aliani ab Eccleſia Romana in feudum tenuerit, & ex illis perceperit multa bona, ipſi prædicta caſtra poſt ejus obitum pro ſuæ voluntatis arbitrio detinentes, ad noſtram præſentiam, ut nobis reſponderent de ipſis, accedere noluerunt, cùm exinde fecerimus requiri eoſdem. Quia verò id nolumus in patientia ſuſtinere, ne jus Eccleſiæ Romanæ negligere videremur, eiſdem nobilibus noſtris dedimus litteris in mandatis ut uſque ad Cathedram beati Petri proximò præteritam, quem eis terminum peremptorium aſſignavimus, reſponſuri nobis de caſtris ipſis noſtro ſe conſpectui præſentarent, dilecto filio Cynthio de Inſula noſtris dantes litteris in mandatis ut ſi prædicti nobiles eodem termino ad noſtram præſentiam non venirent, eadem caſtra noſtro nomine recipere non differret. Vniverſis inſuper hominibus eorundem caſtrorum injunximus ut eidem ex tunc de caſtris ipſis ad nomen & opus noſtrum reſpondere curarent. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus eidem Cynthio ad mandatum apoſtolicum exequendum tuum præſtes auxilium & favorem. Datum Laterani XIII. Kalend. Aprilis, pontificatus noſtri anno decimo quinto.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 14. Constituitur Legatus apostolicæ sedis.

ILlam de probitate ac honestate tua fiduciam obtinemus ut tibi vices nostras securè in arduis negotiis committamus, sperantes quòd ad divini nominis gloriam & apostolicæ sedis honorem ea satages promovere. Cùm igitur Chirstianæ fidei zelo succensus, ad convertendum circumstantes paganos ab errore ad veritatem non modicùm laboraveris & adhuc laborare disponas, ut hoc plenius & efficaciùs exequaris, nos tibi vices nostras duximus committendas, venerabilibus fratribus nostris Vpsalensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus Episcopis ac aliis Ecclesiarum Prælatis per Daciam & Suethiam constitutis per scripta nostra mandantes ut tibi ad hoc opus fideliter laboranti tamquam Legato apostolicæ sedis intendant, ut eorum adjutus auxilio, talentum tibi commissum cum multiplici nobis lucro resignes, cùm te à prædicationis officio Deo duce contigerit remeare. Nos enim liberam tibi concedimus potestatem ut juxta verbum propheticum evellas & destruas, & ædifices & plantes, prout utrumque secundùm Dominum videris faciendum. Datum Laterani 11. Non. April. pontificatus nostri anno quintodecimo.

TOLETANO ET COMPOSTELLANO Archiepiscopis.

Epist. 15. De bello adversùs Sarracenos. *Vide lib. 14. epist. 3. 4.*

QVanta nunc necessitas terræ Hispaniarum immineat, eò plenius prudentia vestra novit quò ipsam viciniùs experitur. Eapropter fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus Reges Hispaniarum moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut pacem aut treugam servēt adinvicem illibatam, præsertim hac imminenti Sarracenorum guerra durāte; ad quod eos per censuram ecclesiasticam appellatione remota, si necesse fuerit, compelli volumus & mandamus; quin etiam mutuum auxilium sibi præstent adversùs crucis dominicæ inimicos, qui non solùm ad destructionem Hispaniarum aspirant, verùm etiam in aliis fidelium Christi terris comminantur suam sævitiam exercere ac nomen, quod absit, si possint, opprimere Christianum; auctoritate nostra tam ipsis Regibus quàm aliis Christianis omnibus sub pœna excommunicationis & interdicti firmiter inhibentes ne se præsumant jungere Sarracenis, vel contra Christianos illis consilium vel auxilium impertiri. Quòd si fortè Rex Legionensis, de quo specialiter dicitur, sive alius cum Sarracenis offendere præsumpserit Christianos, denuntietis sublato appellationis obstaculo personam ipsius excommunicationis vinculo innodatam & interdicto suppositam terram ejus; hominibus suis, ne in hoc sequantur eundem, sub interminatione anathematis inhibentes; denuntiaturi nihilominus Reges alios & quoslibet Christianos ac terras eorum eisdem sententiis subjacere, si forsitan ipsi præfatum Regem offendere attentarint, homines eorundem ab ipsorum sequela prohibitione consimili retrahendo. Præterea ex parte nostra injungatis eisdem ut si aliquas habent ad invicem quæstiones, propter instantem necessitatem illas ad tempus persequi differant, & tempore opportuno, cùm potentes existant, ad præsentiam nostram tam procuratores quàm testes & alia quæ ad causam fuerint necessaria destinantes, suam coram nobis justitiam prosequantur, cùm per alios ortæ inter eos, quamquam multotiens sit tentatum, terminari nequeant quæstiones, & nos ipsis Deo auctore curabimus justitiæ plenitudinem exhibere. Sic autem præceptum apostolicum circumspectè persequamini ac districtè ut sollicitudo & diligentia vestra clareant in effectu, & reprehendi meritò non possitis de negligentia vel contemptu, sed de studio & obedientia potiùs commendari. Datum Laterani Non. April. pontificatus nostri anno quintodecimo.

PETRO ABBATI MONASTERII sancti Angeli quod situm est in suburbio Pistoriensi, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 16. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Angeli, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem fratrum Vallisumbrosæ in eodem loco institutus esse dinoscitur, per-

petuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem monaſterium &c. *uſque* illibata permaneant. in quibus hæc &c. *uſque* exprimenda vocabulis. Locum ipſum &c. *uſque* pertinentiis ſuis. Maſſaritiam de pecuniis, cum vinea & nemore ac hominibus ad diſtrictum veſtrum pertinentibus. Clauſuras etiam, molendina, caufagium totum, Eccleſiam ſancti Marci prope monaſterium ſitam, cum parrochia & ſepultura omnium tam majorum quàm minorum ibidem commorantium, debitis honoribus, & omni jure ſuo, ſicut ea hactenus à quadraginta annis retro juſtè ac pacificè poſſediſtis. Terram de Moſo, cum clauſura & omnibus pertinentiis ſuis. Redditus de Guliano, & omne jus quod habetis in eadem villa, ſicut in inſtrumentis publicis continetur. Decimas etiam poſſeſſionum veſtrarum, quas à quadraginta annis hactenus pacificè tenuiſtis, vobis auctoritate apoſtolica confirmamus. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, vel de nutrimentis &c. *uſque* extorquere præſumat. Liceat quoque vobis &c. *uſque* contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum veſtrorum &c. *uſque* ſine Abbatis ſui licentia, niſi arctioris religionis obtentu, de eodem loco diſcedere. Diſcedentem verò &c. *uſque* nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum &c. *uſque* divina officia celebrare. Sepulturam præterea illius loci &c. *uſque* nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate &c. *uſque* ſecundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Præterea libertates & immunitates antiquas & rationabiles conſuetudines monaſterio veſtro collatas, ſicut hactenus obſervatæ ſunt, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas manere præſenti decreto ſancimus. Auctoritate quoque apoſtolica interdicimus ne quis infra fines parrochiæ veſtræ, præſertim à ſancto Leonardo uſque ad ſanctam Chriſtinam, ullatenus ſine aſſenſu dioceſani Epiſcopi & veſtro Capellam ſeu oratorium de novo ædificare præſumat. Salvis tamen privilegiis Pontificum Romanorum. Prohibemus etiam ne quis in vos vel monaſterium veſtrum excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententiam ſine manifeſta & rationabili cauſa promulgare præſumat, vel novas & indebitas exactiones vobis vel hominibus veſtris imponat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temerè perturbare &c. *uſque* uſibus omnimodis profutura. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate & Valliſumbroſæ Abbatis debita reverentia. Si qua igitur in futurum &c. *uſque* diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij III. Kal. April. Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno XV.

EPISCOPO LINGONENSI, & Abbati Villarienſi Metenſis dioceſis, magiſtro N. Canonico Virdunenſi.

Epiſt. 17. De quadam præbenda Metenſi.

CVm per alias litteras collationem octo præbendarum quæ in Metenſi Eccleſia tanto tempore vacaverunt quòd juxta Lateranenſis ſtatuta Concilij ad nos eſt earum donatio devoluta ſub certa forma vobis duxerimus committendam, quia nos dilecto filio P. Clerico nepoti bonæ memoriæ Henrici Albanenſis Epiſcopi, qui multorum teſtimonio perhibetur idoneus, unam contulimus earundem, ſicut in eiſdem litteris fecimus mentionem, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus unam de prædictis præbendis ipſi ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo aſſignetis, & faciatis eundem pacifica poſſeſſione gaudere, nonobſtante quòd Metenſe Capitulum dicitur fructus ipſarum uſque ad quadriennium obligaſſe; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Epiſcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Laterani II. Kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

G. THESSALONICENSI ARCHIEPISCOPO ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 18. Eum conſtituit Primatem & Legatum ſedis apoſtolicæ. Vide lib. 5. de concord. ſacerd. & imp. cap. 19. & ſeqq.

QVantæ dignitatis Theſſalonicenſis antiſtes fuerit ab antiquo, per authentica ſcripta prædeceſſorum noſtrorum evidenter apparet. Quod ut pleniùs declaretur, pauca de multis in medium duximus proponenda. Scribens enim ſanctæ memoriæ Leo Papa Anaſtaſio antiſtiti Eccleſiæ Theſſalonicenſis ſic ait: *De perſona conſecrandi Epiſcopi & de cleri plebiſque conſenſu* Leo 1. epiſt. 84.

Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit ſcire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque confirmet auctoritas; quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini diù deſit cura paſtorum. Metropolitano verò defuncto, cùm in loco ejus fuerit alius ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt; ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant ſacerdotes, impleturi vota poſcentium cùm quod ipſis placuit tibi placuiſſe cognoverint. Sicut enim juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi. De Conciliis autem epiſcopalibus non aliud indicimus quàm ſancti patres ſalubriter ordinarunt; ut ſcilicet bini conventus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent judicetur. Ac ſi fortè inter ipſos qui præſunt de majoribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcitur, quæ provinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit inſtruere; ut ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita judicio, ad noſtram cognitionem quicquid illud eſt tranſferatur. Præterea in diffinitione quondam fidei orthodoxæ Iohannes Theſſalonicenſis antiſtes primus poſt apoſtolicæ ſedis Legatos & quatuor Patriarchas, quorum aliqui per ſe ipſos & alij per ſuos vicarios affuerunt, ſic legitur ſubſcripſiſſe: *Iohannes Dei miſericordia Epiſcopus Theſſalonicenſis & Vicarius apoſtolicæ ſedis Romæ Legatus diffiniens ſubſcripſi.* Licèt autem præfatus antiſtes ſatis profectò fuerit ex Eccleſiæ ſuæ dignitate conſpicuus, magis tamen utique fuit ex apoſtolicæ ſedis familiaritate præclarus; ſicut etiam ex ſcriptis oſtenditur Pontificum Romanorum, qui ſæpiſſime vices ſuas eidem antiſtiti commiſerunt. Nicolaus etenim Papa inter cetera ſcribens Michaëli Imperatori Græcorum, ſit ait: *Oportet imperiale veſtrum decus, quod in omnibus eccleſiaſticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem quem noſtra Eccleſia habuit veſtris temporibus reſtaurare dignemini: quatinus vicem quam noſtra ſedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem, qui Romanæ ſedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam Riperenſem, Daciam mediterraneam, Miſiam, Dardaniam, & Prævalim, beato Petro Apoſtolorum principi contradicere nullus præſumat quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celeſtini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicij, Felicis, atque Ormiſdæ ſanctorum Pontificum ſacris diſpoſitionibus agebatur.* Præfatus quoque Leo ſcripſit ſupradicto Anaſtaſio in hæc verba: *Quanta fraternitati tuæ à beati Petri Apoſtoli auctoritate commiſſa ſunt, & qualia etiam noſtro tibi favore ſunt credita, ſi vera ratione perſpiceres, & juſto examine ponderares, multum poſſemus de injunctæ tibi ſollicitudinis devotione gaudere: quoniam ſicut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam univerſis Eccleſiis principaliter & divina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis à nobis provinciis præſentiam quodam modo noſtræ viſitationis impenderes.* Ceterùm etſi præfata Theſſalonicenſis Eccleſia à devotione ac familiaritate ſedis apoſtolicæ ſe ſubduxerit per ſchiſma illud diutinum quo Eccleſia Græcorum à via veritatis ad erroris invium declinavit, quia tamen hoc tempore per Dei gratiam ad devotionem priſtinam eſt reverſa, & ipſam in eadem te ſtudioſiùs operante credimus permanſuram, cùm familiaritatis gratia nobis ſpecialiter tenearis aſtrictus, utpote in Diaconem & Preſbyterum per manuum noſtrarum impoſitionem promotus, & in Epiſcopum noſtræ humilitatis miniſterio conſecratus, necnon & palleo, pontificalis videlicet officij plenitudine, inſignitus, poſtulationem ab eandem Eccleſia de te factam, inquiſitione ſuper ea præhibita diligenti, ratam & gratam habentes, ipſam auctoritate curavimus apoſtolica confirmare. Palleum quoque de corpore beati Petri ſumptum, inſigne pontificalis officij, fraternitati tuæ de apoſtolicæ ſedis liberalitate conceſſimus; quo utique infra tuam Eccleſiam ad Miſſarum ſolemnia uti memineris illis diebus quibus prædeceſſores tuos uſos fuiſſe cognoſcis, videlicet in nativitate Domini, feſtivitate protomartyris Stephani, circumciſione Domini, Epiphania, hypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbatho ſancto, Paſcha, feria ſecunda poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus feſtivitatibus beatæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptiſtæ, ſolemnitatibus omnium Apoſtolorum, commemoratione omnium ſanctorum, dedicationibus Eccleſia-

Concil. v 1. act. 16. & 18.

Nicol. 1. epiſt. 2.

Leo I. Ibid.

rum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, solemnitate beati Demetrij, & consecrationis anniversario tuæ die. Ad hæc ipsi Thessalonicensi metropoli suam confirmamus provinciam; in qua subscriptos episcopatus specialibus nominibus duximus exprimendos, videlicet Citrensem, Beriensem, Campaniensem, Vardariensem, Serviensem, Petrensem, Platomonensem, Langardensem, Adramerinensem, Nerisiensem, & Cassandriensem. Iura quoque ac bona ejus, dignitates & libertates ipsius, necnon antiquas & rationabiles consuetudines auctoritate apostolica roboramus, & tam tibi quàm eidem Ecclesiæ firma & illibata manere sancimus. Cimiteria quoque earumque beneficia nullus hereditario jure possideat. Quòd si quis hoc facere contenderit, censura canonica compescatur. Prohibemus autem ne Presbyteri Capellani Ecclesiarum ad jus Ecclesiæ tuæ pertinentium possessiones earum absque assensu tuo, salvis tamen canonicis institutionibus, distrahere, vendere, vel obligare, seu alio quolibet modo alienare præsumant. Quod si factum fuerit, irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia & consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonicè promulgatam aliquis venire præsumat; nisi fortè periculum mortis immineat, aut dum præsentiam tuam habere nequiverit, per alium secundùm formam Ecclesiæ satisfactione præmissa oporteat ligatum absolvi. Porrò dominicæ crucis vexillum per tuam diocesim & episcopatus tibi subditos ante te deferendi fraternitati tuæ licentiam impertimur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum Thessalonicensem Ecclesiam temerè perturbare &c. *usque* usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Siqua igitur in futurum &c. *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VII. Idus Aprilis, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimoquinto.

EPISCOPO HAVELBERGENSI, & de Sichem & de Lapide sancti Michaëlis Cistercienſis ordinis Abbatibus Alberstatenſis dioceſi.

Epist. 19. De restitutione præbendæ.

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius W. imperialis aulæ Protonotarius sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm æmuli sui, occasione accepta ex eo quod idem ex negligentia potiùs quàm malitia in cerei benedictione commisit, multis suggestis nequiter contra eum, ad venerabilem fratrem nostrum Brandeburgensem Episcopum & dilectos filios Præpositum de Mildens & H. Canonicum sancti Petri Magdeburgensis nostras litteras impetrassent, iidem sancti Nicolai Magdeburgensis ipsum destituere præbenda, & per unius momenti spatium ipsi rescripti apostolici copiam denegantes, postquam fuerunt officio suo functi, cuidam ipsam assignando præbendam, iterum aliquot diebus elapsis eandem cuidam alij contulerũt in ejus præjudiciũ & gravamen. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si eum inveneritis præfata præbenda præter formam mandati apostolici destitutum vel aliàs contra justitiam spoliatum, ipsum sublato appellationis obstaculo restitui faciatis; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compescentes, de prædicta negligentia vel contemptu pœnam ei debitam infligendo. Nos enim ipsum fecimus ad cautelam à vinculo excommunicationis absolvi, & ad vos remittimus absolutum; præsertim cùm, sicut idem asseruit, præfati judices excommunicatum denuntiarint eundem postquam per venerabilem fratrem nostrum Magdeburgensem Archiepiscopum apostolicæ sedis Legatum fuit juxta formam Ecclesiæ ab eodem vinculo absolutus. Testes autem &c. *usque* per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno decimo quinto.

MAGUNTINENSI ET Magdeburgenſi Archiepiſcopis apoſtolicæ ſedis Legatis.

Epist. 20. De conservandis beneficiis eorum qui ab Ottone recedunt.

VT inter devotos & indevotos, obedientes & inobedientes discretio habeatur, oportet quòd agatur severè cum illis, & adhibeatur benignitas circa istos. Cùm igitur quidam in imperiali aula offi-

cia & beneficia obtinentes, ob reverentiam apoſtolicæ ſedis jam receſſerint ab Ottone tyranno, ne ſibi communicando contagione maculentur ipſius, & quidam ſint in proximo receſſuri, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiẽdo mandamus quatinus ne inde jacturam incurrant unde gratiam meruerunt, per totam Theutoniam faciatis auctoritate noſtra diſtrictiùs inhiberi ne aliquis officia & beneficia eorundem præſumat à tyranno recipere memorato. Quòd ſi aliqui ea recipere attentarint, ipſos ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo beneficiis & officiis eccleſiaſticis, ſi qua obtinent, ſpolietis, & faciatis eoſdem tamquam excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quòd ſi non ambo &c. alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani II. Non. April. anno XV.

NOBILI VIRO GAVFRIDO de Villa Arduini Principi Achaiæ.

Epiſt. 11. Scribitur pro Canonicis Patracenſibus. *Vide lib. 13. epiſt. 159.160.*

EX parte dilectorum filiorum Canonicorum regularium Patracenſis Eccleſiæ nobis eſt oblata querela quòd cùm de mandato noſtro & Abbatis ſancti Ruffi cum venerabili fratre noſtro Archiepiſcopo Patracenſi ad partes acceſſerint Romaniæ, præfatus Archiepiſcopus honeſtè locavit eoſdem in Eccleſia Patracenſi, ſed procurantibus Canonicis ſecularibus loci ejuſdem & R. Preſbytero de Supteno ab eadem Eccleſia per laicalem potentiam ſunt ejecti, & præfati ſeculares & quidam alij, quorum quidam fuere monachi, in eadem poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam ſunt intruſi: qui ſtatuentes oculos ſuos declinare in terram, ſpiritualibus non intendunt. Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus, ſi eſt ita, eoſdem reduci facias in Eccleſia memorata, & non permittas ipſos à quoquam, quantum in te fuerit, indebitè moleſtari. Datum Laterani VII. Idus April. pontificatus noſtri anno XV.

In eundem modum ſcriptum eſt Epiſcopo Zaratonienſi. Ex parte dilectorum filiorum &c. *uſque* ſpiritualibus non intendunt. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi eſt ita, revocato in irritum quicquid poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam inveneris attentatum, memoratos Canonicos regulares in præfatam Eccleſiam ſublato appellationis obſtaculo reducere non poſtponas, & facias eoſdem ibidem pacificè commorari; contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

EIDEM.

Epiſt. 11. De poſſeſſionibus reſtituendis Ecclesiæ Landrevillæ.

AD noſtram noveris audientiam pervenisse quòd cùm epiſcopatus de Landrevilla unus ſit de ditioribus & nobilioribus epiſcopatibus Romaniæ, tu & quidam alij poſſeſſiones & alia bona ipſius in animarum veſtrarum periculum detinentes, ibidem Epiſcopum non permittitis ordinari, occaſione ſumpta ex eo quòd dilectus filius noſter Benedictus tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyter Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus, quatuor Canonicos inſtituit in Eccleſia cathedrali, aſſerentes præfatam Eccleſiam ordinari aliter non debere. Quocirca nobilitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus poſſeſſiones & alia bona quæ ad præfatam Eccleſiam pertinere noſcuntur, ei ſine difficultate facias reſignari Nos enim venerabili fratri noſtro Zaratonienſi Epiſcopo noſtris damus litteris in mandatis ut ſuper ſtatu prædictæ Eccleſiæ inquiſita pleniùs & cognita veritate, quod canonicum fuerit ſublato appellationis obſtaculo ſtatuat, & faciat quod ſtatuerit per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Datum Laterani V. Idus Aprilis, anno quintodecimo.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt ſuper hoc Epiſcopo Zaratonienſi. Ad noſtram &c. *uſque* ordinari aliter non debere. Vnde ipſi Principi noſtris damus litteris in mandatis ut poſſeſſiones & alia bona quæ ad præfatam Eccleſiam pertinere noſcuntur, ei ſine difficultate faciat reſignari. Quocirca fraternitati tuæ &c. *uſque* mandamus quatinus ſuper ſtatu &c. *uſque* firmiter obſervari.

CAPITVLO PIVERENSI.

Epiſt. 11. De quadam præbenda.

DIlectus filius W. Clericus veniens ad apoſtolicam ſedem dilectorum filiorum Abbatis & Prioris ſanctæ Mariæ ac Decani ſancti Salvatoris Bleſenſis nobis litteras præſentavit, per quas iidem noſtro apoſtolatui reſerarunt quòd cùm vos auctoritate noſtra monuerint diligenter ut præfato W. pro quo vobis tertiò ſcripſeramus, præbendam, ſi qua in veſtra vacaret Eccleſia, juxta mandatum apoſtolicum liberaliter conferretis, mandantes ut eis ſuper hoc curaretis certo termino reſpondere, & in veſtra Eccleſia quædam præbenda interim vacaviſſet, inhibuerunt vobis ne in eluſionem mandati apoſtolici alij quàm

quàm dicto W. ipsam præsumeretis aliquatenus assignare, ac idem W. id idem vobis inhibuit ad sedem apostolicam appellando. Porrò Cantor & Succentor cum quibusdam aliis Canonicis Ecclesiæ vestræ ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram humiliter consenserunt ut supradictus W. ad eandem præbendam in vestra admitteretur Ecclesia in Canonicum & in fratrem; alij verò ad preces dilecti filij nobilis viri Ludovici nati carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris ad dictam præbendam Henricum Clericum nominarunt, illud magistro Stephano fratre suo ejusdem Ecclesiæ Canonico procurante. Cùm ergo vota vestra divisa essent in partes, P. de Nangevilla Canonicus vester ex parte nostra inhibuit appellando ne quicquam de præfata præsumeretis ordinare præbenda quò minùs posset mandatum apostolicum adimpleri. Petrus quoque Senonensis præfati nobilis nobis porrexit litteras continētes quòd cùm ipse pro præfato Henrico vobis precum suarum primitias porrexisset antequam pro prædicto W. mandatum ad vos apostolicum emanasset, vos, licèt plures vacarint præbendæ in Ecclesia supradicta, nec mandatum nostrum nec preces ipsius effectui mancipastis. Demum cùm quædam vacasset præbenda, minor pars, ut preces, sicut credit, evacuaret ipsius, prætextu litterarum nostrarum in sæpedictum W. consensit, majore ac saniore parte tam mandatum nostrum quàm preces ipsius parata exequi existente. Sed cùm pars adversa non potuisset induci ut ambo ad præbendam admitterentur vacantem, vos in sæpedictum Henricum unanimiter consensistis. Vnde nobis humiliter supplicabat ut de præfata præbenda sic disponere dignaremur quòd preces non evacuarentur ipsius, & mandatum apostolicum nihilominus impleretur. Nos igitur attendentes quòd jam tertiò pro præfato W. vobis direximus scripta nostra, & sagitta Ionathæ non debet redire retrorsùm, sed dirigi potiùs in directum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratam præbendam conferentes eidem, ipsum ad illam in fratrem & Canonicum admittatis. Alioquin noveritis nos dilectis filiis Decano, G. Archidiacono, & magistro Henrico Canonico Trecensibus nostris dedisse litteris in mandatis ut prædicto W. memoratam præbendam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo conferentes, faciant ipsum ad illam in Canonicum recipi & in fratrem, contradictores censura ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Sciturí nihilominus quòd nobis gratum erit pariter & acceptum si præfato Henrico ad preces memorati nobilis in alia præbenda duxeritis providendum. Datum Laterani III. Non. Aprilis, anno XV.

Super hoc scriptum est in eundem ferè modum eisdem usque appellatione postposita compescendo, denuntiaturi nihilominus Capitulo sæpedicto quòd nobis gratum &c. *usque* duxerint providendum. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c.

A. ILLVSTI REGI POTVGALENSI & heredibus ejus in perpetuum.

Epist. 24. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ. Vide lib. 1. epist. 99. 441. 448. 449. & lib. 2. Miscellanear. nostrer. p. 220.

MAnifestis probatum est argumentis quòd inclitæ recordationis Alphonsus avus tuus per sudores bellicos & certamina militaria inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & propagator diligens fidei orthodoxæ, sicut devotus filius & Princeps catholicus multimoda obsequia impendit sacrosanctæ Ecclesiæ matri suæ, dignum nomen & exemplum imitabile posteris derelinquens. Æquum est autem ut quos ad populi regimen & salutem dispensatio cælestis eligit, apostolica sedes sincero prosequatur affectu, & in justis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos tuam attendentes personam ornatam prudentia, justitia præditam, atque ad regni gubernationem idoneam, eam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & regnum Portugalense cum integritate honoris regni & dignitate quæ ad Reges pertinet, necnon & omnia loca quæ cum auxilio cælestis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri, qui hæc præfato avo tuo per privilegij paginam concessisse dinoscitur, tuæ sublimitati concedimus & auctoritate apostolica confirmamus. Vt autem ad devotionem & obsequium beati Petri Apostolorum principis & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vehementiùs accendaris, hæc ipsa heredibus tuis duximus concedenda, eosque super his quæ concessa sunt Deo propitio pro injuncto nobis apostolatus officio defendemus. Tua itaque intererit, fili carissime, ita circa honorem & obsequium matris tuæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ humilem & devotum existere, & sic teipsum in ejus opportunitatibus & dilatandis Christianæ fidei finibus exercere,

ut de tam devoto & glorioso filio sedes apostolica gratuletur, & in ejus amore quiescat. Ad indicium autem quòd præscriptum regnum beati Petri juris existat, pro amplioris reverentiæ argumento, progenitorum tuorum vestigiis inhærendo, statuisti duas marcas auri annis singulis nobis nostrisque successoribus persolvendas: quem utique censum ad utilitatem nostram & successorum nostrorum Bracarensi Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, tu & successores tui curabitis assignare. Decernimus ergo ut nonnulli omnino hominum liceat personam tuam aut heredum tuorum vel etiam præfatum regnum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur &c. *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem regno & Regi sua jura servantibus &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij XVI. Kal. Maij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domni Innocentij Papę III. anno XV.

NOBILI VIRO GVIDONI de Polenta.

Epist. 25. Recipitur sub protectione B. Petri.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter &c. *usque* assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem fundum Burgandent. Frassenetum, Casacutulam, & res alias in Lucensi diocesi constitutas, quas felicis memoriæ Gregorius Papa prædecessor noster tuis progenitoribus intuitu devotionis quam ad Romanam habebant Ecclesiam dinoscitur concessisse, prout in ipsius privilegio continetur, sicut prædicta omnia justè ac pacificè possides, nos tibi sub annuo censu duodecim solidorum Lucensium auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Idus April. anno decimoquinto.

THEBANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 26. De sublevanda paupertate Episcopi Zaratoniensis.

VEnerabilis frater noster Zaratoniensis Episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus quòd Ecclesiæ suæ adeo sunt tenues facultates quòd ex eis vix posset honestè unus Canonicus sustentari. Ne igitur propter inopiam temporalium nomen episcopale vilescat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus eidem provisionem honestam studeas assignare, ut idem curæ populi sibi commissi commodiùs intendere valeat sollicitudine pastorali, nec propter defectum temporalium compellatur se secularibus negotiis implicare. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, anno decimo quinto.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Archiepiscopo Thessalonicensi & Episcopo & Archidiacono Davaliensibus usque secularibus negotiis implicare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Archiepiscopum ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Quòd si non omnes &c. duo &c.

NOBILI VIRO M. DOMINO de Gravia.

Epist. 27. Vt quidam malefactores corrigat.

MAgister Hugo Archidiaconus Dalie nsis gravi nobis conquestione monstravit quòd quidam Græci de Gravia in eum, Dei timore postposito, manus temerarias injecerunt, & sibi graves injurias irrogarunt. Cùm igitur iidem, sicut accepimus, excommunicationis sententiam vilipendant, & iidem, qui spiritualem non metuunt, temporali districtione debeant castigari, nobilitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus malefactores prædictos, ut super his conquerenti satisfaciant competenter, tradita tibi potestate compellas. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Thebanis.

Epist. 28. De non recipiendo excommunicatos.

AD audientiam nostram venerabili fratre nostro Zaratoniensi Episcopo significante pervenit quòd cùm Milites & Latini Zaratoniensis diocesis mansionem habeant apud Thebas, si quando præfatus Episcopus in eos propter suos excessus sententiam excommunicationis promulgat, vos ipsos non facitis evitari. Propter quod idem Episcopus & Ecclesia sibi commissa ex eis suam non potest consequi rationem. Quia igitur non est malitiis hominum indulgendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus parrochianos ipsius Episcopi ab eo excommunicationis laqueo rationabiliter innodatos non præsumatis de cetero recipere ad divina, sed eos faciatis potiùs evitari. Datum Laterani VII. Idus Apri-

lis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

EPISCOPO, DECANO, & Cantori Davalienſibus.

Epiſt. 29. Ut epiſcopo ſibi ſuo ſit contentus.

CVm, ſicut venerabilis frater noſter Zaratonienſis Epiſcopus propoſuit coram nobis, venerabilis frater noſter Archiepiſcopus & Canonici Thebani Zaratonienſem dioceſim, cùm ſit Thebanæ [vicina,] continuò occupare præſumant & eundem Epiſcopum multipliciter indebitè moleſtare, nos volentes ut utriſque jus ſuum conſervetur illæſum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus partibus convocatis, inquiſita pleniùs & cognita veritate, utrumque faciatis ſua dioceſi manere contentum, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem qui fuerint nominati &c. *uſque* perhibere. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI, & electo Detriciacenſi, & Theſaurario ſancti Demetrij Theſſalonicenſis.

Epiſt. 30. Delegat cognitorem de injectione manuum violenta.

VEnerabilis frater noſter Zaratonienſis Epiſcopus nobis conquerendo monſtravit quòd Decanus & Canonici Thebani eum multipliciter moleſtantes, ipſum præſumpſerunt multipliciter infamare quòd bladum comburi fecit eorum, ac manu armata terram intrantes ipſius, & quendam ſuum hominem capientes, ipſum afflictum crudeliter tradiderunt judici ſeculari, qui diù eundem detinuit mancipatum cuſtodiæ carcerali. Præterea dictus Decanus & G. de Beſens & G. de Pictavia Canonici cum G. de ſancta cruce Caſtellano Thebano & quibuſdam aliis laicis Thebanæ dioceſis in domum ipſius Epiſcopi nequiter irruentes, & manus temerarias inicientes in ipſum, quendam hominem ſuum, quem propter eorum ſævitiam brachiis tenebat propriis amplexatum, capere præſumpſerunt & arctæ cuſtodiæ manciparunt. Cùm igitur hæc, ſi vera ſunt, non debeamus conniventibus oculis pertranſire, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inquiſita pleniùs & cognita veritate, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Si verò vobis conſtiterit de injectione manuum violenta, dictos ſacrilegos tamdiu appellatione remota excommunicatos publicè nuntietis & faciatis ab omnibus arctius evitari donec paſſo injuriam ſatisfecerint competenter, & cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad ſedem venerint apoſtolicam abſolvendi. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno decimo quinto.

EPISCOPO TAVRINENSI, & Præpoſito ſancti Gaudentij Novarienſis.

Epiſt. 31. Caſſat Ottonis Imp. ſententiã in Epiſcopum Cumanum.

SIcut ea quæ à catholicis & devotis Principibus rationabiliter ordinantur, firma debent & illibata ſervari, ſic ea quæ à perfidis tyrannis improbè ſtatuuntur, illo maximè tempore quo excommunicationis vinculo tenentur aſtricti, carere debent robore firmitatis, cùm tales legitimè nequeant juriſdictionis officium exercere ab unitate fidelium ſeparati. Cùm igitur Otto, non jam nominandus Imperator, ſed impius perſecutor, cum ſuis fautoribus anathematis ſit vinculo innodatus, & à debito fidelitatis ipſius abſoluti ſint univerſi, nos omnia quæ idem excommunicatus vel aliquis ejus officialis contra Clericos vel Eccleſias ſtatuit aut ſtatuerit, ſive contra Principes aut eorum fautores, qui memorato tyranno ſuum ſubtraxerint obſequium ut libertatem & juſtitiam tam Eccleſiæ quàm imperij tueantur, denuntiamus irrita & inania, eaque de communi fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica omnino caſſamus. Specialiter autem ſententiam quam idem Otto contra venerabilem fratrem noſtrum Cumanum Epiſcopum ſuper cauſa quæ vertitur inter ipſum & Capitaneos de Arzago, pro eo quòd ad ipſius excommunicati præſentiam idem Epiſcopus non acceſſit, cùm vocatus fuiſſet ab eo, nequiter promulgavit, decernimus nullam eſſe, nec per eam aliquod Cumanæ Eccleſiæ in poſterum præjudicium generari. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus Capitaneos ipſos, ut dictum Epiſcopum vel ejus Eccleſiam occaſione ipſius ſententiæ non aggravent vel moleſtent, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani Non. Aprilis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ABBATI MONASTERII sancti Severini, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 32. De confirmatione privilegiorum.

PIæ postulatio voluntatis &c. *usque* indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Severi à bonæ memoriæ Vvillelmo Sancij quondam Vvasconiæ Comite* fundatum, & beato Petro ab eodem Comite perpetuo jure oblatum, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis & Alexandri Papæ prædecessorum nostrorum sub beati Petri & nostra protectione susci pimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. *usque* inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones &c. *usque* illibata permaneant, in quibus hæc propriis &c. *usque* vocabulis. In episcopatu Adurensi, sancti Petri, sancti Iohannis, sancti Germani, & sancti Iohannis, sancti Laurentij, sanctæ Mariæ, sancti Eugenij, & sanctæ Mariæ, sancti Vincentij, sancti Martini, & sancti Vincentij, & sancti Medardi, & aliam sancti Medardi Ecclesias. In episcopatu Aquensi, sancti Martini, sancti Petri, & sancti Martini, sancti Iohannis, sancti Leonis, & sancti Vincentij Ecclesias. In episcopatu Burdegalensi, sanctæ Mariæ, sanctæ Eulaliæ, & sanctæ Mariæ, & sancti Michaëlis Ecclesias. In episcopatu Basatensi, Ecclesiam sancti Laurentij. In episcopatu Agennensi, sancti Felicis, sanctæ Fidis, sanctæ Quintillæ, sancti Christophori, sancti Petri, & sancti Iohannis Ecclesias. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque &c. *usque* quod postulatur impendat. Missas sanè publicas in eodem monasterio per Episcopum fieri vel stationes celebrari præter Abbatis ac fratrum voluntatem omnimodis prohibemus, ne in servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus. Ad hæc adicimus ut alicui personæ magnæ vel parvæ facultas non sit milites vel pedites de villis eidem cœnobio pertinentibus in hostem vel expeditionem ducere, nec de silvis, pratis, landis, piscationibus, pinetis, & vineis censum quærere vel arcetum. In parrochialibus verò Ecclesiis quas habetis &c. *usque* temporalibus debeant respondere. Adicimus autem ut nec Episcopo vel Episcoporum ministris liceat consuetudines novas præter Abbatis ac fratrum voluntatem vel exactiones quaslibet in eodem monasterio ponere. Hoc quoque subjungimus, ut idem monasterium absque Romani Pontificis licentia minimè interdicto vel excommunicationi subdatur. Ad indicium autem hujus à Romana Ecclesia perceptæ libertatis quinque solidos Pictavensis monetæ nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Obeunte verò te &c. *usque* secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XII. Kal. Maij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

* *Vide lib. 13. hist. Bearn. cap. 8. ubi charta fundationis refertur.*

SALIMBRIENSI EPISCOPO.

Epist. 33. Vivianus archidiaconus Salimbriensis postulavit.

CVm Buccæ Leonis & de Blakerna Ecclesiæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertineant mediante, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus chrisma, oleum sanctum, & alia ecclesiastica sacramenta, cùm necesse fuerit, studeas ipsis liberaliter exhibere. Datum Laterani XVIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

DECANO ET CAPITVLO sancti Macuti de Barro.

Epist. 34. Recipunt sub protectione B. Petri.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* ad debitum perducatur effectum. Eapropter &c. *usque* inclinati, personas vestras & Ecclesiam beati Macuti, in qua divino estis obsequio mancipati, cum his quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino &c. *usque* nostra protectione susci pimus. Specialiter autem possessiones quas claræ memoriæ Henricus Comes Trecensis fundator ipsius Ecclesiæ pia liberalitate concessit eidem, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & eidem Ecclesiæ per vos auctoritate apostolica confirmamus &c. *usque* communimus. Libertates quoque ac immunitates, necnon rationabiles consuetudines in eadem Ecclesia hactenus observatas, fir-

mas vobis & illibatas manere sancimus. Nulli ergo &c. protectionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Idus April. pontificatus nostri anno quintodecimo.

PRÆPOSITO, CVSTODI, ET Scholastico Monasterienſibus.

Epiſt. 35. De electione Præpoſiti Bunnenſis.

DIlectus filius F. Bunnensis Canonicus in nostra proposuit præsentia constitutus quòd electione Willelmi quondam in Præpositum Ecclesiæ Bunnensis electi rationabiliter in præsentia nostra cassata, Capitulo ejusdem Ecclesiæ ut ad electionem procederent dedimus in mandatis: qui cùm in diversos contulerint vota sua, & ex hoc quæstio mota fuerit inter eos, causam ipsam I. Archidiacono, tunc Cantori Treverensi, & conjudicibus suis duximus committendam; de quorum assensu, interveniente colludio inter partes; alter electorum duxerit alteri, pecunia mediante, cedendum, præstito tam ab electis quàm ab electoribus, qui de pecunia illa portionem receperant, juramento quòd factum hujusmodi firmiter observarent; licèt dictus Canonicus postmodum contradixerit, & ad nostram audientiam appellarit, præposituram ipsam cum præbendis & obedientiis suis protectioni apostolicæ supponendo. Vnde nobis idem Canonicus humiliter supplicavit ut in irritum revocato quod per pravitatem simoniacam est præsumptum, eligendi potestate Bunnense Capitulum privaremus, supradictum electum canonicè punientes, paratus obligare se ipsum ad pœnam arbitrio judicum moderandam si non probaverit quod intendit. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inquisita super his plenius veritate, causam ipsam sufficienter instructam, si de partium processerit voluntate, ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent æquitatis judicium recepturæ. Alioquin eam, sublato appellationis obstaculo, fine canonico terminetis. Testes autem &c. *usque* subtraxerint, per censuram eandem appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XI. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIDIACONO PAPIENSI.

Epiſt. 36. Ne judices ab Ottone dati procedant.

HOmines de domo Oxole Ecclesiæ Novarienſi subjecti gravi nobis exposuere querela quòd cùm N. de Castello Novariensis diocesis eisdem gravamina plurima & injurias irrogasset, tandem volens addere afflictionem afflictis, ab Ottotone dicto Imperatore anathematisato & maledicto ad quosdam judices commissionem obtinuit contra ipsos. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus dictos judices, ne contra dictos homines occasione ipsius commissionis procedant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellere non omittas. Si verò ipsi judices in contemptum mandati nostri aliter duxerint faciendum, quicquid per eosdem in hac parte fuerit ordinatum decernas auctoritate nostra irritum & inane. Datum Laterani VII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ABBATI DE NONANTVLA Mutinenſis diœceſis.

Epiſt. 37. Confirmat reſervationem vacaturæ præbendæ.

DIlectus filius G. nobilis viri F. de Corrigia natus sua nobis petitione suggessit quòd bonæ memoriæ Gerardus Albanensis electus apostolicæ sedis Legatus eidem carenti omni ecclesiastico beneficio desiderans providere, collationem primæ præbendæ in Bononiensi Ecclesia vacaturæ tam suæ quàm sedis apostolicæ donationi per suas litteras reservavit. Nos igitur volentes quod per eundem Legatum providè factum est in hac parte obtinere debitam firmitatem, per apostolica tibi scripta mandamus quatinus illud facias auctoritate nostra inviolabiliter observari. Datum Laterani X. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

EPISCOPO ET CAPITVLO Xanctonenſibus.

Epiſt. 38. De quadam præbenda Xanctonenſi.

CVm de ordinanda Ecclesia vestra per dilectos filios Archidiaconum & A. Fulcherij Canonicos vestros ex parte una & magistros A. vestrum & P. Decani Ecclesiæ vestræ procuratores ex altera habitus fuisset in præsentia nostra tractatus, ex utriusque partis assertione nobis constitit evidenter decem in eadem Ecclesia vacare præbendas, quarum septem vacavere tamdiu quòd earum ad nos secundùm statuta Lateranensis Concilij est donatio devoluta. Nos ergo unam ex illis dilecto filio

magiſtro Fulcherio Archipreſbytero de Maſtatio conferentes, & facientes ipſum à præfatis procuratoribus in præſentia veſtra recipi ad eandem, ſic duximus ſtatuendum, ut dilecti filij de Talemundo & de Batiaco Abbates Pictavenſis & Xantonenſis dioceſum & Hel. de Græcia Canonicus Engoliſmenſis, quibus ſuper hoc dirigimus ſcripta noſtra, revocato in irritum ſi quid de ipſis, poſtquam ad nos devoluta extitit donatio earundem, invenerint attentatum, reliquas ſex perſonis idoneis conferant & aſſignent, & faciant appellatione remota tam præfatum Fulcherium quàm illos quibus ipſi præbendas eaſdem contulerint pacifica ipſarum poſſeſſione gaudere; quòd ſi tres aliæ per vos non fuerint ordinatæ, nec in ordinatione ipſarum poteritis concordare, ipſas perſonis idoneis ſublato appellationis obſtaculo aſſignare procurent, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatinus quod ab eis de dictis præbendis fuerit ordinatum ratum habentes, ſine contradictione qualibet firmiter obſervetis. Datum Laterani 11. Kal. Maij, pontificatus noſtri anno xv.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epiſt. 39. Scribitur pro Epiſcopis Aurelianenſi & Autiſſiodorenſi. *Vide lib. 13. epiſt. 190. & lib. 15. epiſt. 108. 109.*

EX ſerie litterarum quas ad petitionem cariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris tibi tranſmiſimus pro relaxanda ſententia interdicti quam venerabiles fratres noſtri Aurelianenſis & Autiſiodorenſis Epiſcopi tulerant in dioceſes ſuas perpendere potuiſti, & etiam ipſe Rex ex litteris quas ipſi direximus cognoſcere valuit manifeſtè quòd intentionis noſtræ non fuit ut ſine cauſæ cognitione in negotio ipſo procederes, ſed potiùs utriuſque partis rationibus auditis & cognitis, juxta traditam tibi formam negotio finem imponeres competenter. Verùm quia prætermiſſa forma judicij, ſicut ex parte ipſorum Epiſcoporum fuit propoſitum coram nobis, in eodem negotio procedebas, iidem ad ſedem apoſtolicam appellarunt. Quocirca fraternitati tuę per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus in ſtatum priſtinum revocato ſi quid poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam in eorundem Epiſcoporum præjudicium extitit attentatum, præfatam interdicti ſententiam non permittas à quoquam temerè violari, ſed litteras quas eidem Regi dirigimus tu ipſe ſibi fideliter & prudenter exponas, monens eum efficaciter & inducens ut pro divini nominis gloria & apoſtolicæ ſedis honore pacem in regno ſuo conſervet Eccleſiæ, quæ nunc in multis aliis mundi partibus peccatis exigentibus perturbatur. Datum Laterani III. Non. Maij, pontificatus noſtri anno xv.

PHILIPPO ILLVSTRI Regi Francorum.

Epiſt. 40. Ejuſdem argumenti cum ſuperiore. *Vide lib. 14. epiſt. 32.*

EO te credimus erga Dominum Deum tuum & ſanctam ejus Eccleſiam fervore devotionis accenſum, ſicque libertates eccleſiaſticas illibatas velle, ut virum catholicum, cuſtodire quòd ſi litteræ noſtræ, quas pro venerabilibus fratribus noſtris Aurelianenſi & Autiſiodorenſi Epiſcopis regiæ ſerenitati direximus expoſitæ tibi pleniter ac fideliter extitiſſent, non utique neceſſe fuiſſet nos propter hoc tibi ſcribere iteratò; cùm firmam geramus fiduciam quòd ſi Epiſcopi memorati adversùm te commiſiſſent offenſam, pro Deo & propter Deum nobis donaſſes eandem, in his & majoribus etiam nobis gratiam faciendo, nec illud ad preces noſtras corrigere diſtuliſſes quod contra eos diceris inordinatè feciſſe. Quòd enim inordinatè proceſſeris contra eos ex modo ſpoliandi & cauſa & ex rebus etiam occupatis arguitur multis modis, ſicut nobis eſt ex eorum parte ſuggeſtum. Ex modo ſiquidem, quia nec monitione nec citatione præmiſſa ipſos abſentes nec convictos nec confeſſos de aliquo forisfacto regalibus ſpoliaſti. Ex cauſa verò, quia eadem ſaiſiri feciſti pro facto tantummodo alieno, ſuper quo nec confeſſi fuerant nec convicti quòd factum fuerit per eoſdem; quin immo illud nec conſtat nec conſtitit extitiſſe delictum. Ex rebus etiam occupatis, quoniam quædam * alia quàm regalia occupaſti. quod epiſcopatibus non vacantibus tibi non licuit, etiam ſi Epiſcopi deliquiſſent. Quòd autem eos ſpoliaveris nondum confeſſos, nec convictos, vel ad ſatisfaciendum commonitos, ex tenore litterarum tuarum, quas præfatis Epiſcopis direxiſti, manifeſtè perpenditur: in quibus continetur expreſsè quòd Militibus eorum præceperas ut irent cum Baronibus illis quos ad quendam locum duxeras deſtinandos, & quia illi ad præceptum tuum illuc accedere noluerunt, dixiſti dictos Epiſcopos erga te de exercitu defeciſſe, ac propterea illorum ſaiſiſti regalia & illa quæ in eis pertinent ad juriſdictionem terrenam. Ex eo ergo quòd ipſorum Militibus præcepiſti ut cum aliis irent conſtat quòd Epiſ-

* Epiſcopos falſa ſuggeſſiſſe Papæ patet ex Rigordo ad an. 1203.

copi Milites suos in tuum exercitum destinarunt, nec ex illis vel aliis verbis apparet quòd iidem suis Militibus prohibuerint aliquem tibi servitium exhibere quod facere debuissent. Et ex hoc quòd dixisti eos de tuo exercitu defecisse, quia illorum Milites ad præceptum tuum noluerunt accedere quò mandaras, & propter hoc regalia saisivisti, considera diligenter utrum rectè decreveris adversùs absentes & non monitos vel citatos, quin etiam ignorantes quòd eorum Milites deliquissent; cùm & ipsi se tibi obtulerint juraturos quòd iidem de illo exercitu secundùm suas conscientias servitium tibi fecerant quod debebant, & id idem Milites suos fecisse credebant. Ex eisdem quoque verbis apparet quòd ex causa minùs justa dictos Episcopos spoliasti, quia pro facto Militum, quod nec constat nec constitit fuisse delictum, vel quòd factum fuerit ex Episcoporum mandato. Super quo videris hactenus dubitasse; sicut apparet ex responsione quam in scriptis venerabilibus fratribus nostris Carnotensi & Trecensi Episcopis tradidisti nostro apostolatui transmittendam, quamque ipsi nobis fideliter destinarunt. Super quo etiam à Militibus præfati Aurelianensis Episcopi certiorari petiisti. Sed cùm ipsi dixissent quòd coram domino suo super hoc dicerent veritatem, à curia tua recesserunt immunes, & sic processisti de delicto nescius ad vindictam. Super eo autem quòd te nisus es excusare quòd aliud non saisieris quàm regalia, dicens quòd quàm citò regalia ad manus tuas deveniunt, domos & omnia facis saisiri, illud fortè, cùm sedem episcopalem vacare contingit, fieri tantummodo consuevit, & tunc non solummodo domos, verùm etiam decimas & oblationes, necnon & quæque alia quæ invenis, facis omnino saisiri, & in quibusdam Ecclesiis confers præbendas vacantes. quæ quidem constat non debere regalium nomine nuncupari; ad quæ, etiam si constaret Episcopos deliquisse, sede nequaquam vacante manus non debueras extendisse. Cùm ergo domos & domorum supellectilem ac alia plurima quæ inter regalia numerari non debent saisieris, quorum partem restituisse ac partem adhuc retinere diceris occupatam, ex occupatione quidem rerum ipsarum minùs rationabiliter processisse videris. Præterea ex præfata responsione, quam memoratis Episcopis tradidisti, potest manifestè perpendi quòd eis nec monitis nec citatis nec convictis neque confessis de aliquo forisfacto, ipsorum saisisti regalia, cùm dixeris quòd in te non remansit, immo stetit per eos; quia postquam Milites eorundem defecerunt de servitio exercitus faciendo, emendationem ipsorum vel satisfactionem per quadraginta dies expectare curasti. Ex quibus verbis manifestè præsumitur ipsos citatos vel convictos nullatenus extitisse. Et quamquam per quadraginta dies emendationem vel satisfactionem eorum te asseras expectasse, ipsi tamen ad exhibendum emendationem vel satisfactionem se teneri nullatenus extimabant, eo quòd nec se nec Milites suos credideranr deliquisse; super quo juramentum celsitudini regiæ obtulerunt. Nec etiam videtur quòd per quadraginta dies expectaris eosdem, cùm ad Kalendas Augusti apud Medontam facta fuerit exercitus convocatio, & eodem mense regalia occuparis; sicut ex data litterarum tuarum, quas ipsis Episcopis pro saisina regalium destinasti, evidenter apparet. Cùm ergo taliter processeris contra eos, & iidem tam per seipsos quàm per secretarios tuos necnon venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum & coepiscopos suos te monuerint diligenter, humiliter supplicantes ut faceres eis reddi regalia sic subtracta, paratis postmodum curiæ tuæ subire judicium, sicut in talibus fieri consuevit, & tu supplicationes eorum noluisses admittere, ad sententiam interdicti, quam in terram tuam in eorum diocesibus constitutam tulerunt, videntur non immeritò processisse, cùm jura & libertates Ecclesiarum suarum teneantur juramento præstito defensare. Pro cujus relaxatione non satis videris offerre, cùm tantummodo judicium in curia tua offeras ipsis remanentibus spoliatis, quod utique spoliati non debent de jure subire; cùm etiam ex generali consuetudine regni tui fidelis à domino sine judicio spoliatus nec diem ab ipso super spoliatione sua vel alio teneatur recipere, nec in ipsius curia experiri. Nos ergo serenitatem tuam rogandam duximus & monendam, pro magno dono petentes quatinus pacem Ecclesiæ in tuo regno conserves, hoc maximè tempore quo ipsa in aliis multis regnis nimiùm perturbatur; ita quòd dictis Episcopis restitutis, & interdicti sententia relaxata, nisi hoc nobis velis ex toto donare, in curia tua de ipso negotio secundùm approbatam consuetudinem cognoscatur; cùmque aliis oporteat te intendere quæ ad honorem & commodum tuum magis respiciunt, expedias te ab istis, quæ tibi modicum afferunt utilitatis & laudis;

ne propter tantam patientiæ nostræ moram, ex qua propter favorem tuum dictorum Episcoporum gravamen non solùm dissimulasse verùm etiam neglexisse videmur, apostolicæ auctoritatis cogamur adhibere censuram. Quia quantacunque necessitas nobis immineat, & tibi fortè non minor, nolumus esse, juxta verbum Prophetæ, canes muti non valentes latrare; scientes quòd beati sunt qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nec injuriosum reputes, sed potiùs gloriosum, prudenter corrigere quod improvidè statuisti, quia non viuit homo sub cœlo qui aliquando non excedat. Vnde apud nos dicitur in proverbio generali quòd * humanum est peccare, sed diabolicum perdurare. Datum Laterani III. Non. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

* Ex auctore libri de visitat. infirm. lib. 2. c. 5. inter opera S. Augustini.

ARCHIDIACONO, SVCCENTORI & magistro R. de Remis Canonicis Parisiensibus.

Epist. 41. De jure patronatus Ecclesiæ de Sanctis.

DIlecti filij Abbas sanctæ Genovefæ, Vv. Archidiaconus, & B. Canonicus sancti Marcelli Parisiensis suis nobis litteris intimarunt quòd cùm Prior & monachi de Columberiis nobis conquerendo monstrassent quòd venerabilis frater noster Meldensis Episcopus, tunc electus, dilectum filium B. Diaconum, quem per bonæ memoriæ prædecessorem ejus fecerant ordinari ad Ecclesiam de Sanctis vacantem, in qua ipsi jus obtinent patronatus, ad canonicam præsentationem ipsorum admittere recusarat, quin potiùs S. intrusum tuebatur in ipsa in eorundem præjudicium & gravamen, nos eis dedimus in mandatis ut vocatis quos propter hoc cognoscerent evocandos, audirent causam, & eam appellatione remota fine canonico terminarent. Cùm ergo partes propter hoc in eorum essent præsentia constitutæ, & pars monachorum proposuisset ad se jus patronatus ipsius Ecclesiæ pertinere, postulans præfatum Diaconum, quem jam dudum dicto Episcopo præsentarant, recipi ad eandem, super his & aliis quæ ad causam facere videbantur, & lite solemniter contestata, ipsi receptis testibus, & depositionibus eorum ac instrumentis diligenter inspectis, auditis confessionibus, & utriusque partis rationibus perspicaciter intellectis, de prudentum virorum consilio sententialiter decreverunt jus patronatus Ecclesiæ memoratæ ad præfatos Priorem & monachos pertinere, ipsum Episcopum condemnantes ut memoratum Diaconum præsentatum ab illis reciperet ad eandem. Sed quoniam jamdictus Episcopus sæpius requisitus eorum sententiæ parere contempsit, dicti judices eundem Diaconum qua fungebantur auctoritate ad præfatam Ecclesiam receperunt, ipsum Episcopum à collatione ac institutione ecclesiasticorum beneficiorum, considerata ejus manifesta contumacia, suspendentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus utramque sententiam, diffinitivam videlicet, sicut est justa, per censuram ecclesiasticam, suspensionis verò, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra faciatis sublato appellationis obstaculo firmiter observari, non permittentes eundem Diaconum super receptione sua per judices ipsos facta temerè molestari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani III. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

THESSALONICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 4. Dimitriacensis electus absolvitur à vinculo.

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius B. Thessalonicensis Archidiaconus nobis humiliter supplicavit ut cùm in Dimitriacensem Episcopum fuisset electus, & ipsius electio confirmata, nec episcopatum ipsum posset pacificè obtinere, illum à vinculo quo Dimitriacensi Ecclesiæ tenebatur, absolvere dignaremur. Cùm igitur ibidem proficere nequeat in officio pastorali, quamquam in primis ipsius petitioni non duxerimus annuendum, quia tamen institit vehementer, ipsum à vinculo absolvimus supradicto. Datum Laterani Non. Maij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

CAPITVLO PANORMITANO.

Epist. 4. De electione Episcopi.

CVm nuper Parisius Panormitanus electus cum quibusdam ex fautoribus suis in nostra esset præsentia constitutus & Gentilis de Pretorio concanonicus vester contra factum electionis & personam ipsius postularet audiri, nos eis dilectos filios Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum & Iohannem sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales deputavimus auditores. Coram quibus lite inter eos legitimè contestata, dum vellemus in illa procedere, ipse potiùs abire præsumpsit quàm causæ insistere terminandæ, mandatum nostrum transgrediens, per quod ei districtè præcepimus

pimus ut ad noſtram rediret præſentiam pro expediendo negotio memorato. Conſideratis igitur univerſis quæ circa factum electionis & perſonam ipſius conſideranda cognovimus, ipſum ab Eccleſiæ veſtræ regimine decrevimus amovendum. Et ne ipſa paſtoris ſolatio diutiùs maneat viduata, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus invocata ſpiritus ſancti gratia perſonam idoneam per electionem canonicam præficiatis vobis infra triginta dies poſt ſuſceptionem præſentium in paſtorem. Alioquin dilecto filio noſtro Gregorio ſancti Theodori Diacono Cardinali apoſtolicæ ſedis Legato noſtris damus litteris in mandatis ut ipſe vobis virum idoneum præficiat in paſtorem; contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo compeſcendo. Datum Laterani VI. Idus Maij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

Super hoc ſcriptum eſt eidem G. ſancti Theodori Diacono Cardinali ut ſi prædictum Capitulum mandatum noſtrum neglexerit adimplere, ipſe eis virum idoneum præficiat in Pontificem; contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo compeſcendo.

ATHENIENSI ET THEBANO Archiepiſcopis, & Decano de Thebis.

Epiſt. 44. Vt ablata reſtituatur Eccleſiæ Motonenſi.

VEnerabilis frater noſter Mothonienſis Epiſcopus nobis conquerendo monſtravit quòd T. Miles & quidam alij Mothonenſis, Coronenſis, Amiclenſis dioceſium quædam de terris & poſſeſſionibus Mothonienſis Eccleſiæ, ipſo de licentia noſtra in itinere beati Iacobi conſtituto, in ipſius præjudicium occuparunt. Nolentes igitur ipſum Epiſcopum ſuo jure fraudari, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus invaſores prædictos ad reſtitutionem rerum occupatarum debitam eidem Epiſcopo faciendam, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, ſublato appellationis obſtaculo, compellatis. Teſtes autem &c. *uſque* ſimili diſtrictione ceſſante appellatione cogatis perhibere teſtimonium veritati. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani v. Idus Maij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 45. Adversùs Epiſcopum Burdegalenſem.

DIligenter auditis & perſpicaciter intellectis quæ tu & dilectus filius magiſter Amaneus procurator venerabilis fratris noſtri Burdegalenſis Archiepiſcopi coram nobis proponere voluiſti ſuper ſententia quam auctoritate primatiæ in eundem Archiepiſcopum promulgaſti, ſuſpendendo ipſum ab officio metropoliticæ dignitatis pro eo quòd ad tuum vocatus Concilium accedere non curavit, nec pro ſe aliquem reſponſalem idoneum deſtinare, de communi fratrum noſtrorum conſilio ſententiam ipſam ratam habemus & uſque ad ſatisfactionem idoneam præcipimus obſervari; hoc ad cautelam expreſſo, quòd lis coram nobis non de primatia, ſed de ſententia extitit ventilata. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani XVI. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

Vide infrà epiſt. 130. & lib. 16. epiſt. 65. & tom. 1. Galliæ Chriſt. pag. 174.

EPISCOPO MOTHONIENSI.

Epiſt. 46. De reſidentiâ Canonicorum.

PRopoſuiſti nobis in noſtra præſentia conſtitutus quòd licèt Canonici tui ſuarum percipiant redditus præbendarum, ab Eccleſiæ obſequio ſe ſubducunt, debitam reſidentiam in eadem minimè facientes. Nolentes igitur ipſam Eccleſiam fraudari obſequio ſervitorum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus Canonicos ſupradictos ad debitam reſidentiam in dicta Eccleſia faciendam monitione præmiſſa per ſubtractionem beneficiorum appellatione remota compellas. Datum Laterani v. Idus Maij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI, & Epiſcopo Amiclenſi.

Epiſt. 47. Adversùs Decanum Mothonienſem.

VEnerabilis frater noſter Mothonienſis Epiſcopus nobis denuntiando monſtravit quòd Decanus ſuus, qui reatu perjurij & adulterij publicè irretitur, in quoſdam monachos & Preſbyteros injecit manus temerè violentas, committens præter hæc talia quæ canonicam correctionem expoſcunt, & licèt ſuper his dictus Decanus admonitus extiterit ſæpius ab eodem, ex eo tamen exceſſus proprios aliquatenus non correxit, ſed extrema ipſius deteriora prioribus poſtmodum ſunt effecta. Quia verò hæc, ſi vera ſunt, non debemus clauſis oculis pertranſire, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus partibus convocatis, & inquiſita ſuper præmiſſis & cognita veritate, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Datum Laterani v. Idus Maij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET B. Archidiacono, P. Cantori Thessalonicensibus.

Epist. 48. De causa Ecclesiæ Calidonensis. *Vide lib. 11. epist. 114.*

EXposita nobis venerabilis fratris nostri Sidonensis Episcopi querimonia patefecit quòd cùm venerabilis frater noster Archiepiscopus Larissenus Ecclesiam Calidonensem de mandato nostro concessisset eidem, venerabilis frater noster Episcopus Dimicensis super hoc ad nostram audientiam appellavit, sed appellationem interpositam nec per se nec per alium est legitimè prosecutus. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audiatis causam & appellatione remota fine canonico decidatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Laterani xv. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO ARELATENSI, & sancti Ægidij & Psalmodij Abbatibus Nemausensis dioceseis.

Epist. 49. De electione Abbatis sancti Victoris Massilienfis.

DIlecti filij G. Abbas sancti Pontij & B. monachus procuratores monasterij sancti Victoris Massilienfis ad nostram præsentiam accedentes, postulationem ac electionem quam per se ac alios confratres eorum de Abbate sancti Stephani Bononiensis canonicè celebratam ac approbatam à delegatis à nobis judicibus asserebant, postulabant auctoritate apostolica confirmari, plurimas & diversorum litteras deprecatorias exhibentes, quarum interventu promovere petitionem propositam cum instantia nitebantur; qui nobis demum eorum petitionem non admittentibus in hac parte, cùm fratres ipsos, etsi super hoc zelum Dei, non tamen secundùm scientiam, noverimus habuisse, porrexerunt alias litteras continentes quòd dicti monasterij fratres duas electiones seu nominationes eodem tempore successivè, tamen canonicè ac concorditer, celebrarant, unam videlicet de Abbate prædicto puram, aliam verò de [Bonifilio] Priore sancti Honorati Arelatensis, viro utique honesto, bene litterato, & ad singula circumspecto, conditionem hujusmodi apponentes, si videlicet Abbatem eundem non possent forsitan obtinere. Vnde supplicabant instanter ut cùm conditio jam extaret, eorum à nobis postulatione super dicto Abbate repulsa, electionem Prioris ipsius confirmare misericorditer dignaremur. Eis igitur & B. de Novis quondam monacho & majori Priori dicti monasterij ac aliis duobus monachis qui se super hoc opponebant eisdem electionem ipsam minùs canonicam asserentes, tum quia de persona minùs idonea, tum quia eis absentibus fuerat celebrata, dilectos filios nostros Gualam tituli sancti Martini & Petrum tituli sanctæ Cæciliæ Presbyteros Cardinales concessimus auditores. In quorum præsentia procuratores prædicti processum electionis, sicut dictum est superiùs, proponentes, confirmari præmissam electionem cum instantia postulabant. Monachi verò præfati contra electionem eandem quòd eis absentibus fuerat celebrata, contra personam verò electi quædam honestati contraria proponentes, excommunicationis sententiam à dictis judicibus in se latam ipso jure non tenere dicebant; tum quia post appellationem ad nos legitimè interpositam lata fuit, tum quia ex tribus judicibus quibus fuerat causa commissa, duo tantummodo processerunt, tertio quòd decisioni causæ interesse volebat per suas litteras protestante. Contra quos sic procuratores excipiebant præfati, quòd non tenebantur immo potiùs non debebant super his prædictis monachis respondere, cùm & omnes excommunicationis vinculo tenerentur, & duo ex eis nihil haberent cum monasterio ipso commune, à quo eos sententia judicialis exclusit, sicut ex litteris eorundem judicum & tenore sententiæ apparebat. Ex abundanti tamen ad prædicta taliter respondebant. Primò, quòd ex prædicta causa non poterat nec debebat obesse quòd electioni non interfuerant monachi memorati, consequenter ea quæ in personam electi objecerant penitùs falsa erant, super ipsius honestate ac idoneitate testimonia plurima fide digna & valde idonea in nostra præsentia offerentes, & confitentes post appellationem judices processisse; quos ea potuisse procedere ratione dicebant quia interdicta fuerat appellatio in rescripto, & quia in appellationis libello nullum allegabant monachi supradicti gravamen, sicut ejus series ostendebat. Duos quoque processisse sine tertio fatebantur, & ex eo ipsos potuisse procedere asserebant quia mandatum apostolicum continebat in fine quòd si omnes interesse non possent, duo exequi negotium procurarent, nec sibi reti-

nuisse poterat judex tertius ut decisioni negotij interesset in executionis mandati apostolici præjudicium & tam grave ipsius monasterij detrimentum, cùm res videlicet talis esset cujus dilatio ipsum monasterium in confusionem maximam adducebat. quod iidem procuratores ratione multiplici ostendere nitebantur, asserentes quòd & hoc ipsum fuerat præsente Capitulo à quibusdam fratribus sanioris consilij coram dictis judicibus propositum & petitum, ne ab eis decisio causæ ac ordinatio monasterij differretur, sed secundùm quod eis erat injunctum, reformationi dicti monasterij celeriùs providerent. Vnde ipsos asserebant non tam voluntarios quàm coactos ad supplicationem Capituli processisse. Nos igitur his & aliis quæ nobis fideliter relata fuerant ab eisdem Cardinalibus intellectis, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus ceteris capitulis quæ in sententia judicum continentur in suo robore duraturis, summatim & sine omni judiciorum strepitu inquirentes de electione sollicitè veritatem, si eam inveneritis canonicè de persona idonea celebratam, nonobstantibus his quæ sæpedicti monachi opponebant, ipsam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo confirmetis. Alioquin de alia persona idonea & honesta eidem monasterio faciatis auctoritate apostolica infra quadraginta dies per electionem canonicam provideri; mandatum apostolicum taliter impleturi quòd in novissimo districti examinis die dignam retributori omnium super hoc possitis reddere rationem. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani x II. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PHILIPPENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 50. De revocandis alienationibus.

PRoposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd nonnullæ possessiones & alia bona Ecclesiæ tuæ per prædecessores tuos & alios minùs legitimè sunt distracta in ipsius Ecclesiæ non modicum detrimentum. Volentes igitur Ecclesiæ Philippensis utilitatibus providere, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatinus ea quæ taliter alienata repereris valeas appellatione postposita legitimè revocare. Datum Laterani x v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est pro Archiepiscopo Serrensi.

BALDVINO ARCHIDIACONO Thessalonicensi.

Epist. 51. Ei confirmat archidiaconatum.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, archidiaconatum Thessalonicensis Ecclesiæ, sicut ipsum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x v. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

RADVLPHO THESAVRARIO Citrensi.

Epist. 52. Ei confirmat thesaurariam.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus inclinati, thesaurariam Citrensis Ecclesiæ, sicut ipsam justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x v. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO THEBANO, & Davaliensi Episcopo, & Decano Davaliensi.

Epist. 53. Vt Abbates Græci obediant Archiepiscopo Corinthiensi.

EX parte venerabilis fratris nostri Corinthiensis Archiepiscopi fuit propositum coram nobis quòd Abbates Græci Corinthiensis diœcesis debitam sibi obedientiam & reverentiam, superbiæ accensi spiritu, non impendunt. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus Abbates jam dictos ut ipsi Archiepiscopo reverentiam & obedientiam debitam impendere non postponant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani x II. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

CLERO ET POPVLO Nazarocensi.

Epist. 54. Vt obediant Episcopo Sidonensi.

CVm episcopatus vester sit pastorali sollicitudine destitutus, eum venerabili fratri nostro Sidonensi Episcopo duximus committendum, injungentes eidem ut ea quæ spectant ad curam officij pastoralis vobis vigilanter studeat exhibere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ei sicut Prælato vestro intendatis humiliter & devotè. Alioquin noveritis nos venerabilibus

fratribus nostris Thebano Archiepiscopo & Zaratonienſi & Cardicenſi Epiſcopis in mandatis dediſſe ut vos ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XII. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Super hoc ſcriptum eſt in eundem ferè modum Sidonienſi Epiſcopo uſque duximus committendum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes quatinus ea quæ ſpectant ad curam officij paſtoralis gregi tibi commiſſo vigilanter ſic ſtudeas exhibere ut magis comproberis prodeſſe in omnibus quàm præeſſe.

Super hoc ſcriptum eſt in eundem ferè modum Thebano Archiepiſcopo & Zaratonienſi & Cardicenſi Epiſcopis uſque intendant humiliter & devotè. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus ſi dicti clerus & populus quod mandavimus neglexerint adimplere, exhibere ipſi Epiſcopo reverentiam & obedientiam contemnentes, vos eos ad id monere diligentiùs & inducere procuretis, & ſi opus fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c.

Scriptum eſt in eundem ferè modum Lariſſenſi Archiepiſcopo. Cùm epiſcopatus Nazarocenſis ſit paſtorali &c. *uſque* ſtudeat exhibere. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ipſi Epiſcopo fraterna caritate aſſiſtens, non permittas eundem ſuper dicto epiſcopatu ab aliquo moleſtari.

IO. EPISCOPO MOTHONIENSI, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt 55. Recipitur ſub protectione ſedis apoſtolicæ.

CVm à nobis petitur &c. *uſque* perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater Epiſcope, tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Mothonienſem Eccleſiam, cui Deo auctore præeſſe dinoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia &c. *uſque* illibata permaneant. in quibus hæc &c. *uſque* vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Georgij cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ Annæ cum omnibus pertinentiis ſuis, poſſeſſiones vallis Mothonienſis & de Valetoque, poſſeſſiones de Corſeval cum pertinentiis ſuis, caſale quod vocatur Miquelis, caſale quod vocatur Murmura cum omnibus pertinentiis ſuis, poſſeſſiones de Aſagora, de Aldeſequi, de Niclines, de Levoudiſt, de Eſcaminges, de Boucham, & de Leſtarona, cum omnibus pertinentiis earundem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas ſit præfatam Eccleſiam &c. *uſque* uſibus omnimodis profutura. ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate & Patracenſis Archiepiſcopi canonica juſtitia. Siqua igitur in futurum &c. *uſque* diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XIII. Kalend. Maij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimoquinto.

WILLELMO PHILIPPENSI Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 56. Recipit in protectionem ſedis apoſtolicæ.

SI humilitatis exemplum ſtuderis imitari, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri tuæ reverentiam & obedientiam impendendo, ſicut Philippenſes Apoſtolus exhortatur, *Hoc*, inquiens, *in vobis ſentire quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, exinanivit ſe, formam ſervi accipiens, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, abſque dubio exaltaberis apud eum qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; propter quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, quia Dominus Ieſus eſt in gloria Dei patris. Hanc igitur formam doctrinæ quam Apoſtolus tradidit Philippenſibus tu eorum factus antiſtes diligenter obſerva; ne ab obedientiæ bono, ad quod nuper Philippenſis Eccleſia eſt reverſa, de cetero avertatur; memor ſemper illius gratiæ ſpecialis quam tibi dignanter impendimus, cùm à Nazarocenſi Eccleſia te tranſtulimus ad metropolim Philippenſem, teque propriis manibus conſecravimus in Pontificem, & palleo inſignivimus, pontificalis videlicet officij plenitudine, ut nihil tibi ex aliqua parte deſit quod ad metropoliticam pertineat dignitatem. Quia verò, venerabilis frater in Chriſto, nos ſuppliciter exoraſti ut eandem Philippenſem Eccleſiam, cui Deo

auctore præesse dinosceris, dignaremur apostolici privilegij munimine roborare, nos tuis justis postulationibus annuentes, eam sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia &c. *usque* illibata permaneant, in quibus hæc &c. *usque* vocabulis. Locum ipsum &c. *usque* pertinentiis suis. Casale quod dicitur Candaca cum omnibus pertinentiis suis, abbatias, piscaturas, terras, & vineas quas habet apud Chrysopolim, casale quod dicitur Scravo, casale quod dicitur Pravicaresta, casale quod dicitur * domus quæ dicitur Platon, casale quod dicitur Caresta, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesias quas habet in castro Christopoli. Episcopatus quoque inferiùs annotandos Ecclesiæ tuæ metropolitico jure subjectos tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet Eleutheropolim, Casiropolim, Polistrios, Vilikios, Morenos. Palleo verò quod tibi ex apostolicæ benignitate contulimus infra tuam Ecclesiam ad Missarum solemnia uti memineris his diebus, videlicet nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, hypapanti, Dominica in ramis palmarum, cœna Domini, sabbatho sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptistæ, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, & consecrationis tuæ anniversario die. Iura quoque ac bona ejus, dignitates & libertates ipsius, necnon antiquas & rationabiles consuetudines auctoritate apostolica confirmamus, & tam tibi quàm eidem Ecclesiæ firma & illibata manere sancimus. Cimiteria quoque Ecclesiarum earumque beneficia &c. *usque* censura canonica compescatur. Prohibemus insuper ne Presbyteri Capellani Ecclesiarum &c. *usque* irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos &c. *usque* oporteat ligatum absolvi. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XI. Kal. Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

ARNVLPHO SARRENSI Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 37. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

QVanto devotiùs Sarrensis Ecclesia in apostolicæ sedis obedientia nunc persistit, ad quam nuper est Domino faciente reversa, tanto propensiùs eam cupimus honorare, ut affluentem in nobis paternæ benignitatis affectum se gaudeat invenisse. Quocirca, venerabilis frater in Christo, tuam volentes personam propensiùs honorare, te ad Sarrensem metropolim ab Ecclesia transtulimus Thermopilensi, teque apud sedem apostolicam constitutum palleo insignivimus, pontificalis videlicet officij plenitudine, ut nihil tibi ex parte aliqua desit quod ad metropoliticam pertineat dignitatem. Quia verò nos supplicíter exorasti ut eandem Sarrensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, dignaremur apostolici privilegij munimine roborare, nos tuis justis postulationibus annuentes, eam sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones &c. *usque* illibata permaneant. Palleo verò quod tibi ex apostolicæ sedis benignitate contulimus infra tuam Ecclesiam ad Missarum solemnia uti memineris iis diebus, videlicet nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, hypapanti, Dominica in ramis palmarum, cœna Domini, sabbatho sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptistæ, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, solemnitatibus beatorum Theodori stratilatis & Theodori Tyronis martyrum, & consecrationis tuæ anniversario die. Ad hæc, ipsi Sarrensi metropoli suam provinciam confirmamus. Iura quoque ac bona ejus, dignitates & libertates ipsius, necnon antiquas & rationabiles consuetudines auctoritate apostolica roboramus, & tam tibi quàm eidem Ecclesiæ

firma & illibata manere sancimus. Cimiteria quoque Ecclesiarum earumque beneficia nullus hereditario jure possideat. Quòd si quis facere contenderit, censura canonica compescatur. Prohibemus autem ne Presbyteri Capellani &c. *usque* irretitum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos &c. *usque* oporteat ligatum absolvi. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. VIII. Kal. Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

GVALTERO CORINTHIENSI *Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.*

Epist. 58. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

QVanto diligentiùs & utiliùs vas electionis & doctor gentium Corinthiorum instruxit Ecclesiam, sicut ejus ad illos epistolæ missæ declarant, tanto studiosiùs & cautiùs nos oportet insistere ut eam in ipsius forma doctrinæ sub apostolicæ sedis magisterio conservemus, quæ nuper eandem ad ipsius obedientiam revertentem affluenti benignitate suscepit. Quocirca, venerabilis frater in Christo, propter specialem ipsius Corinthiensis Ecclesiæ caritatem tuam volentes personam propensiùs honorare, propriis manibus consecravimus in Pontificem, & palleo insignivimus, pontificalis videlicet officij plenitudine, ut nihil tibi ex aliqua parte desit quod ad metropoliticam pertinet dignitatem. Quia verò nos suppliciter exorasti ut eandem Corinthiensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, dignaremur apostolici privilegij munimine roborare, nos tuis justis postulationibus annuentes, eam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones &c. *usque* illibata permaneant. in quibus hæc &c. *usque* vocabulis. Locum ipsum &c. *usque* pertinentiis suis, casale quod dicitur Enoria, casale quod dicitur Petricia, casale quod dicitur Palagia, casale quod dicitur Calesmata, casale quod dicitur Cyrilla, casale quod dicitur Suechyna, casale quod dicitur Sorados, casale quod dicitur Lavenicia, casale quod dicitur Clenna, casale quod dicitur Sarman, casale quod dicitur Crata, casale quod dicitur Quarrata, & casale quod dicitur Saudyca, cum omnibus pertinentiis eorundem. Episcopatus quoque inferiùs annotandos Ecclesiæ tuæ metropolitico jure subjectos tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet Cephalonensem, Iacint. Damelant. Malavesia, Argos, Gilas, & Gimenes. Palleo verò quod tibi ex apostolicæ sedis benignitate contulimus infra tuam Ecclesiam &c. *usque* solemnitatibus beatorum Theodori & Stratilatis martyrum, & consecrationis tuæ anniversario die. Ad hæc, ipsi Corinthiensi metropoli suam provinciam confirmamus. Iura quoque ac bona ejus, dignitates & libertates ipsius, necnon antiquas & rationabiles consuetudines auctoritate apostolica roboramus, & tam tibi quàm eidem Ecclesiæ firma & illibata manere sancimus. Cimiteria quoque Ecclesiarum, earumque beneficia &c. *usque* censura canonica compescatur. Prohibemus autem ne Presbyteri Capellani &c. *usque* irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos &c. *usque* oporteat ligatum absolvi. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij XI. Kal. Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

IACOBO ARCHIDIACONO *Corinthiensi.*

Epist. 59. Confirmat archidiaconatum.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, archidiaconatum Corinthiensem, quem per venerabilem fratrem nostrum Corinthiensem Archiepiscopum es canonicè assecutus, sicut ipsum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani X. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THEBANO ARCHIEPISCOPO, & Zaratonienſi & Davalienſi Epiſcopis.

Epiſt. 60. Committitur eis quædam cauſa.

VEnerabilis frater noſter Corinthienſis Archiepiſcopus propoſuit coram nobis quòd eo ad regimen Eccleſiæ Corinthienſis aſſumpto, Decanus & Canonici ejuſdem Eccleſiæ obtinuerunt ab eo callidè circumvento medietatem omnium decimarum monaſteriorum & papatuum in quibus tres monachi vel pauciores morantur ſibi, ſalva tamen ſedis apoſtolicæ auctoritate, concedi. Verùm quia ex conceſſione hujuſmodi dictus Archiepiſcopus ſe ſentit enormiter eſſe læſum, nobis humiliter ſupplicavit ut ſuper hoc ei providere miſericorditer dignaremur. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inquiſita ſuper his & cognita veritate, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuatis, facientes quod ſtatueritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani XII. Kalend. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI, & Amiclenſi Epiſcopo.

Epiſt. 61. Vt ſuffraganei Corinthienſes obediant ſuo Archiepiſcopo.

CVm venerabilem fratrem noſtrum Corinthienſem Archiepiſcopum ad propria cum gratiæ noſtræ plenitudine remittamus, venerabilibus fratribus noſtris ſuffraganeis ejus noſtris dedimus litteris in præceptis ut eidem tamquam Metropolitano ſuo debitam obedientiam & reverentiam impendere non omittant. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi dicti ſuffraganei præceptum noſtrum neglexerint adimplere, vos eos ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani XV. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

CAPITVLO CORINTHIENSI.

Epiſt. 62. Vt obediant Archiepiſcopo ſuo.

CVm venerabilem fratrem noſtrum Corinthienſem Archiepiſcopum ad propria cum gratiæ noſtræ plenitudine remittamus, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus eidem tamquam Archiepiſcopo veſtro debitam obedientiam & reverentiam impendere procuretis. Alioquin noveritis nos venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Patracenſi & Amiclenſi Epiſcopo in mandatis dediſſe ut vos ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XV. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Super hoc ſcriptum eſt eiſdem Archiepiſcopo & Epiſcopo, ut ſi Capitulum ipſum præceptum noſtrum neglexerit adimplere, *ipſi eum ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant.*

EPISCOPO DE IACINTHO.

Epiſt. 63. Vt obediat eidem Archiepiſcopo.

CVm venerabilem fratrem noſtrum Corinthienſem Archiepiſcopum ad propria cum gratiæ noſtræ plenitudine remittamus, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus eidem tamquam Metropolitano tuo debitam obedientiam & reverentiam impendere non omittas. Alioquin noveris nos venerabili fratri noſtro Epiſcopo Cephaloniæ & dilectis filiis Archidiacono & magiſtro L. Canonico de Andrevilla in mandatis dediſſe ut te ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XV. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Scriptum eſt ſuper hoc eiſdem ut ſi dictus Epiſcopus de Iacintho quod mandatum eſt ei neglexerit adimplere, ipſi eum ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Epiſcope, cum eorum altero &c.

EPISCOPO CEPHALONIÆ.

Epiſt. 64. Super eodem.

CVm venerabilem fratrem noſtrum Corinthienſem Archiepiſcopum &c. *ut ſuprà in eundem modum uſque* impendere non omittas. Alioquin noveris nos Archiepiſcopo Patracenſi & Archidiacono & magiſtro L. Canonico de Andrevilla in mandatis dediſſe ut te ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XV. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

In eundem modum ſcriptum eſt eiſdem. Cùm venerabilem &c. *uſque* non omittat. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi dictus Epiſcopus præceptum noſtrum neglexerit adimplere, vos eum ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Archiepiſcope, cum eorum altero &c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NOBILI VIRO GAVFRIDO de villa Arduini.

Epist. 65. Vt restituat bona Ecclesiæ Corinthiensi.

CVm quædam casalia, possessiones, homines, abbatias, Ecclesias, & alia bona Corinthiensis Ecclesiæ dicaris non sine tuæ periculo animæ ac ipsius præjudicio retinere, nobilitatem tuam monendam duximus & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus illius intuitu qui tibi manus suas magnificè ampliavit, ac pro reverentia beati Petri & nostra, venerabili fratri nostro Corinthiensi Archiepiscopo restituens ipsa bona, & compellens ad restitutionem debitam alios potestate tibi tradita detentores, eundem Archiepiscopum & Ecclesiam suæ curæ commissam taliter contra impugnatorum malitiam protegas & defendas quòd ipsa Ecclesia sub tuo patrocinio ab incursibus hostium conquiescat, & tua exinde prudentia possit non immeritò commendari. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Thebano Archiepiscopo & Episcopo & dilecto filio Decano Davalienſibus dedimus in mandatis ut te ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante compellant. Datum Laterani x v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est super hoc eisdem usque non immeritò commendari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus nobilis mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos eum ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante cogatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c.

NOBILI VIRO O. DE ROCCA.

Epist. 66. De eodem.

CVm quædam casalia, possessiones, homines &c. *ut suprà usque* non immeritò commendari. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Thebano Archiepiscopo & Episcopo & dilecto filio Decano Davalienſibus dedimus in mandatis ut te ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante compellant. Datum Laterani x v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est super hoc eisdem usque non immeritò commendari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus nobilis &c. *usque in finem ut in præcedenti conclusione.*

SANCTÆ MARIÆ IN Regula & sancti Pauli Abbatibus, & Præposito Imolensi.

Ibid. Rationem ecclesiæ non posse

DIlectus filius Præpositus Nonantulanus transmissa nobis conquestione monstravit quòd cùm venerabilis frater noster Mutinensis Episcopus possessores & colonos terrarum de Seneida, quarum decimæ ad Nonatulanam plebem pertinere noscuntur, super solutione decimarum ipsarum coram judicibus secularibus convenisset, idem contra præfatum Episcopum super hoc ad dilectum filium Abbatem sancti Stephani & conjudicem suum nostras litteras impetravit; qui præfatis judicibus inhibere curarunt ne in negotio ipso procederent, cùm hujusmodi causa ad forum seculare minimè pertineret. Sed memorati judices, eorum inhibitione contempta, homines supradictos in decimarum solutionem sententialiter condemnarunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, sententias à secularibus judicibus super re spirituali contra sanctiones canonicas promulgatas auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo decernatis irritas & inanes, inhibentes Episcopo memorato & Clericis suis ne sententiis à secularibus judicibus super decimis promulgatis utantur. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ABBATI ET FRATRIBVS sanctæ Mariæ de parvo Ponte Brundusin. Præmonstratensis ordinis.

Ibid. Confirmat bona monasterii

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. *usque* concurrentes assensu, terras, vineas, homines, domum, molendinum, & alia bona quæ nobilis vir N. de sancto Audomaro apud Thebas & casale quod dicitur Hermocastrum, pia vobis devotione concessit, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis *usque* incursurum. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Thessalonicensi

THESSALONICENSI ET Philippensi Archiepiscopis, & Episcopo Sithoniensi.

Epist. 69. Scribitur pro Episcopo Cardicensi. Vide infrà epist. 71. 80. & lib. 13. epist 110 & lib. 16 epist. 115

OLim venerabili fratre nostro Cardicensi Episcopo, cùm rediisset post labores, captiones, & angustias plurimas Romaniam, Ierosolymitani Hospitalis fratribus faciente quasdam obtentas à nobis litteras præsentari super eo quòd ipsi episcopatum suum cum castro Cardicensi & res alias detinentes nec restituere volunt ei, nec de perceptis à promotionis suæ tempore proventibus, quos in usus proprios converterunt, in aliquo subvenire, ipsi earum latore graviter vulnerato, turpiter ipsas litteras projecerunt, & comminantes ipsum interficere asserebant quòd pro nullis litteris vel mandato episcopatum prædictum ei aliquatenus resignarent, quandam insuper præter hæc detinentes in Armiro cum suis pertinentiis abbatiam quam nos duximus eidem Episcopo concedendam. Propter quod idem Episcopus factus pauper & ad extremam deductus inopiam, exul ab episcopatu suo compellebatur & adhuc compellitur mendicare. Verùm cùm venerabilis frater noster Athenienſis Archiepiscopus & conjudices ejus delegati à nobis eundem Episcopum causa rei servandæ in possessionem castri prædicti & pertinentiarum ipsius ac casalium omnium & possessionum ad Ecclesiam Cardicensem pertinentium induxissent, fratres ipsos, quia contumaciter resistebant, excommunicationis vinculo innodarunt. Cùm autem postmodum dictus Episcopus & quidam de fratribus Hospitalis coram dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinale, quem eis in nostra præsentia constitutis dedimus auditorem, aliquandiu litigassent, tandem venerabili fratri nostro Neopatrensi Episcopo & conjudicibus suis causam super his commisimus terminandam. Qui, sicut præsentatæ nobis eorum litteræ continebant, legitimè in negotio procedentes, post trinam citationem partium, latam in fratres ipsos excommunicationis sententiam, quia nolebant possessiones Cardicensis Ecclesiæ injustè detentas ipsi Episcopo restituere, confirmarunt. Sed ipsi ad consuetæ fraudis astutias se vertentes, cum eodem Episcopo pariter venerabilis fratris nostri Episcopi & dilecti filij Archidiaconi Davalienſis arbitrio se taliter, sicut ex eorum litteris accepimus, commiserunt quòd nisi videlicet infra festum Pentecostes proximò tunc futurum prolatum ab eis arbitrium observarent, & ducentarum marcarum pœnam quæ in compromisso statuta fuerat solverent, & excommunicationis prædictæ vinculo tenerentur. Implorantibus demum ipsis fratribus à præfato Neopatrensi & suis conjudicibus se absolvi, ac promittentibus præstito juramento quòd usque ad festum Pentecostes quod tunc proximò sequebatur possessiones Cardicensis Ecclesiæ restituerent universas, alioquin datæ sententiæ subjacerent, ipsi absolventes eosdem, eis ante juramenti præstationem in expensis factis ab eodem Episcopo condemnatis firmiter injunxerunt ut fructus ab ipsius Episcopi promotione perceptos ei restituere integrè procurarent. Qui juramenti religione contempta, non solùm dictas possessiones restituere noluerunt, verùm etiam excommunicationis sententiam, in quam eos conditio præmissa reduxit, penitùs contemnentes, à divinorum celebrationibus hactenus non cessarunt. Accedentes igitur ad locum personaliter ipsi arbitri, sicut nobis eorum litteræ referarunt, taliter sunt utriusque partis intellectis rationibus arbitrati quòd tertiam partem castri Cardicensis cum libero introitu & exitu suo, prout in instrumento confecto exinde continetur, Episcopo adjudicarunt eidem; ita quòd ipsi fratres totum castrum perficere, munire, ac tueri amodo suis sumptibus tenerentur, usum aquæ cisternæ consistentis ibidem communem Episcopo & fratribus decernentes. Ecclesiam verò castri ejusdem, cum territorio circa se certis finibus intercluso, eidem Episcopo per arbitrium concesserunt. Et cognito per testes idoneos quòd domus de Armiro, quæ Valestino dicitur, fuerat abbatia, ipsam sine crustica adjudicaverunt eidem Episcopo perpetuò possidendam, mandantes ut ipsius Episcopi homines, cum rebus ablatis eisdem, ei sine difficultate qualibet redderentur, & injungentes insuper quòd duo molendina cum perceptis ex eis medio tempore fructibus & quingentas libras purgati bombasij restituerent ipsi Episcopo, cum quorundam fructuum quantitate. In fructibus quoque, quos de terra ipsius Episcopi à promotionis suæ tempore per indigenas loci juratos fratres ipsos percepisse constabat, & in expensis quas eorum faciente malitia idem Episcopus in eundo & redeundo à sede apostolica fuerat subire coactus, fratres condemnantes eosdem, de medietate usque ad festum Pentecostes pro-

ximò tunc futurum, & de reſiduo uſque ad ſubſequens feſtum Aſſumptionis beatæ virginis à fratribus ipſi Epiſcopo decreverunt. Ex hujus ergo prolatione arbitrij moti plurimùm fratres ipſi, alterum arbitrorum, Epiſcopum ſcilicet, interficere ſunt conati; alteri verò ad partes eorum ad pronuntiandum arbitrium accedenti, quia reprehendit eoſdem ex eo quòd ſæpefato Cardicenſi, qui ad ſuam juſtitiam proſequendam in feſto Pentecoſtes ad locum acceſſerat, mortis inſidias præpararunt, gravibus præmiſſis contumeliis ſunt carceris anguſtiam comminati. Ceterùm cùm demum ipſi judices ad Epiſcopi clamores ipſius ad locum perſonaliter accedentes, ipſum in poſſeſſionem quorundam caſalium, poſſeſſionum, hominum, & decimarum, quæ per depoſitiones plurium fide dignorum teſtium pertinere conſtabat ad Cardicenſem Eccleſiam, induxiſſent, fratres prædicti non ſolùm ea in quorum poſſeſſionem idem Epiſcopus per eoſdem delegatos inductus extitit tenuerunt, verùm etiam quibuſdam aliis poſſeſſionibus & rebus Eccleſiæ Cardicenſis, quarum ipſe pacifica poſſeſſione gaudebat, per violentiam ſpoliarunt, inſurgentes cum armatorum multitudine in delegatos eoſdem & ad internecionem eorum tam Latinorum quàm Græcorum populum concitantes. Qui cùm poſtmodum elapſo menſe & ampliùs eundem Epiſcopum ad noſtram audientiam appellaſſent, ſuæ appellationi terminum præfigentes, ipſe Epiſcopus noſtro ſe curavit conſpectui præſentare: ſed ipſi Hoſpitalarij nec venerunt, nec miſerunt aliquem reſponſalem. Propter quod idem Epiſcopus, præter alia, paſſus eſt damna plurima & expenſas. Cùm igitur ſæpefatus Epiſcopus, qui pro Eccleſiæ ſuæ jure tuendo captiones, ſpoliationes, alia quoque gravia pericula terra & mari ſæpius eſt perpeſſus, jam non poſſit ulteriùs, exhauſtus rebus & affectus anguſtiis, laborare, præſertim cùm quotiens novos Præceptores ad partes illas contingit accedere, totiens ipſius anguſtiæ innoventur, nobis humiliter ſupplicavit ut ejus laboribus & periculis finem imponere dignaremur. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus prædictum Epiſcopum in poſſeſſionem rerum petitarum cauſa rei ſervandæ auctoritate apoſtolica inducatis, & inductum tueri per diſtrictionem eccleſiaſticam firmiter procuretis, & dictos fratres ad pœnam ducentarum marcarum in compromiſſo ſtatutam eidem Epiſcopo perſolvendam per cenſuram canonicam compellentes, eoſdem ſicut excommunicatos factatis ab omnibus arctiùs evitari, & ne illi qui talia præſumpſerunt, de ſua valeant malitia gloriari, ipſos ad ſatisfaciendum nobis de contemptu cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad noſtram præſentiam dirigatis, contradictores, ſi qui fuerint, per excommunicationis ſententiam compeſcendo. Sublato in omnibus ſupradictis omni ſubterfugio appellandi. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ABBATI ET FRATRIBVS de Locedio.

Dilectus filius nobilis vir W. Marchio Montisferrati ſua nobis inſinuatione monſtravit quòd claræ memoriæ pater ejus, dum adhuc viveret, monaſterio veſtro cœnobium de Curhiat, quod erat in regno ſuo prope Theſſalonicam conſtitutum, cum aſſenſu bonæ memoriæ Soffridi tituli ſanctæ Praxedis Preſbyteri Cardinalis tunc apoſtolicæ ſedis Legati, quantum in eo fuit, pro ſuorum conceſſit remedio peccatorum, quod etiam idem Cardinalis prout potuit confirmavit. Poſtmodum autem dilecto filio fratre Rog. monacho veſtro cum quibuſdam aliis fratribus ſuis illud vice Locedienſis monaſterij poſſidente, cariſſimus in Chriſto filius noſter Conſtantinopolitanus Imperator illuſtris prædictos fratres de monaſterio ipſo violenter ejecit. Quia verò diſſolvi nolumus nec debemus quod in favorem religionis factum eſt intuitu pietatis, venerabilibus fratribus noſtris Philippenſi & de Serra Archiepiſcopis noſtris damus litteris in mandatis quatinus monaſterium ipſum vobis reſtituere obſtaculo appellationis ſublato procurent, contradictores cenſura eccleſiaſtica compeſcendo. Nos enim volentes ut ordinis Ciſtercienſis religio, quæ tamquam vitis abundans palmites ſuos longè latèque diffudit, & velut lucerna non abſconſa ſub modio perlucidè radios claritatis oſtendit, in Romaniæ partibus propagetur, ut oves quæ de novo ſunt in unum reductæ patrem qui eſt in cælis glorificent, cùm Latinos viderint ſanctioris vitæ propoſitum elegiſſe, ſtatuimus quòd per vos in dicto monaſterio de cetero ſerventur Ciſtercienſis ordinis inſtituta; ut temporibus noſtris meliùs in partibus illis religio Chriſtiana proficiat, & inſtituta regularia per vos de

die in diem & propagentur fortiùs & ampliùs convaleſcant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Scriptum eſt in eundem modum Philippenſi & Sarrenſi Archiepiſcopis. Dilectus filius nobilis vir W. Marchio Montisferrati &c. *uſque* intuitu pietatis, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus monaſterium ipſum fratribus de Locedio, ſublato cujuſlibet appellationis obſtaculo, reſtituere procuretis, contradictores cenſura eccleſiaſtica compeſcendo. Nos enim volentes &c. *uſque* ampliùs convaleſcant.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt ſuper hoc Imperatori Conſtantinopolitano illuſtri. Dilectus filius nobilis vir W. Marchio Montiſferrati &c. *uſque* intuitu pietatis, ſerenitatem tuam rogamus atque monemus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus dictos fratres ſuper dicto monaſterio non moleſtes, ſed eos habens propenſiùs commendatos, à malefactorum incurſibus protegas & defendas. Nos enim volentes &c. *uſque* ampliùs convaleſcant.

NOBILI VIRO GAVFRIDO de Villa Arduini Principi Achaiæ.

Epiſt. 71. Ejuſdem argumenti cum epiſtola 69.

CVm plerunque expediat ut mandati eccleſiaſtici contemptores ad obſervandum quod eccleſiaſtica cenſura decrevit temporalis terrrore gladij compellantur, nobilitatem tuam rogandam duximus atque monendam quòd cùm nos venerabilem fratrem noſtrum Cardicenſem Epiſcopum in poſſeſſionem rerum illarum de quibus inter ipſum ex parte una & fratres Hoſpitalis Ieroſolymitani ex altera quæſtio vertebatur mandamus induci, eum in eadem poſſeſſione manuteneas & tuearis inductum, non permittens ipſum ſuper eadem poſſeſſione à dictis fratribus vel aliis moleſtari. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno XV.

In eundem modum ſcriptum eſt nobili viro Comiti Bertholdo. Cùm plerumque &c. *uſque* moleſtari.

In eundem modum ſcriptum eſt illuſtri Conſtantinopolitano Imperatori. Cùm ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, gladium ſuſceperis bajulandum, & plerunque expediat ut mandati eccleſiaſtici contemptores &c. *uſque* compellantur, ſerenitatem tuam rogandam duximus atque monendam quatinus cùm nos venerabilem fratrem noſtrum Cardicenſem Epiſcopum &c. *uſque* moleſtari.

ARCHIEPISCOPO Lariſſeno.

Epiſt. 72. Eccleſia Dimitriac. commendatur Epiſcopo Cardicenſi.

VEnerabilis frater noſter Cardicenſis Epiſcopus propoſuit coram nobis quòd tu ad mandatum noſtrum Dimitriacenſem Eccleſiam cum ſuis pertinentiis eidem multam inopiam patienti liberaliter contuliſti. Volentes igitur factum tuum per te ipſum fortiùs ſtabiliri, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus quòd per te auctoritate noſtra provide noſcitur eſſe factum, firmiter facias obſervari. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO, & Epiſcopo Sithonienſi, & Archidiacono Cermopilenſi.

Epiſt. 73. Adversùs Archiepiſcopum Patracenſem.

VEnerabilis frater noſter Cardicenſis Epiſcopus propoſuit coram nobis quòd cùm pro venerabili fratre noſtro Patracenſi Archiepiſcopo ad ſedem apoſtolicam laborando graves labores ſubierit & expenſas, idem Archiepiſcopus recompenſare ſibi pro laboribus & expenſis quas ſubiit contradicit, contra juramentum præſtitum veniendo. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione poſtpoſita fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem &c. *uſque* teſtimonium perhibere. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani VIII. Kalend. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epiſt. 74. Ne foveat excommunicatos.

HOnori tuæ celſitudinis non credimus expedire ut qui ſuis exceſſibus provocant iram Dei, ſuſtinentes excommunicationis ſententiam in ſe ferri, ſub imperiali gratia foveantur: quia cùm in eos quos eccleſiaſtica cenſura non corrigit ſecularis ſit gladius exerendus, ſi eos quos Eccleſia perſequitur confoveres, inſtitutionibus divinis contrarius videreris. Cùm igitur, ſicut accepimus, in Conſtantinopolitano imperio nonnulli conſiſtant qui ex Eccleſiarum deſtructionibus ac aliis exceſſibus excommunicationis ſententiam incurrerunt, quos mentis cœcitate correptos reſipiſcere contemnentes debes, tamquam Princeps catholicus, à pertinaci

propositio temporalis terrore gladij revocare, celsitudinem tuam rogandam duximus & monendam quatinus hujusmodi homines non foveas vel sustineas, sed corrigas & compescas tamquam salutis propriæ contemptores, ipsos ad mandatum Ecclesiæ minis & terroribus, monitione non proficiente, reducens. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI, & Cardicensi & Sithonienſi Episcopis.

Epist. 75. De restituendis abbatiis & aliis. *Vide lib. 16. epist. 98. & quintam compilationem lib. 1. tit. 20. c. 1.*

SIcut venerabiles fratres nostri Philippensis, Sarrensis, Thessalonicensis, Lariſſensis, Athenienſis, Corinthiensis, & Patracensis Archiepiscopi & eorum suffraganei sua nobis relatione monstrarunt, cùm venerabilibus fratribus nostris Thebano & Neopatrensi Archiepiscopis & dilecto filio Nazarocensi electo dederimus in mandatis ut detentores abbatiarum, monasteriorum, Ecclesiarum, decimarum, & aliarum possessionum pertinentium ad eosdem, tam Latinos quàm Græcos, qui jus in eis habere se asserunt patronatus, ad restitutionem dictarum rerum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellere procurarent & facerent ipsos, humano timore postposito, ab hujusmodi præsumptione cessare, præfati Archiepiscopi & electus mandatum apostolicum exequi non curarunt in eorundem præjudicium & gravamen. Volentes igitur id per vestram sollicitudinem executioni mandari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus præmissa secundùm formam prioris mandati nostri taliter exequi procuretis quòd jamdicti Archiepiscopi & eorum suffraganei super his non cogantur ampliùs laborare, & vos de virtute obedientiæ possitis non immeritò commendari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

CARDICENSI ET SITHONIENSI Episcopis, & Archidiacono Davalienſi.

Epist. 76. De libertate testandi in favorem Ecclesiarum. *Vide lib. 14. epist. 131.*

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quòd carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris constitutionem cum suis Baronibus edidit quæ vergit in periculum animarum, & est contraria prorsùs ecclesiasticæ libertati, videlicet ut nullus possit de suis possessionibus in vita vel ultimo testamento aliquid Ecclesiis elargiri. Cùm igitur constitutio hujusmodi tam divinis quàm humanis sit legibus inimica, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsam auctoritate nostra decernatis frivolam & inanem & penitùs non servandam. Datum Laterani x. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO THEBANO, & Davalienſi & Zaratonienſi Episcopis.

Epist. 77. De electione Ecclesiæ Corinthiensis.

VEnerabilis frater noster Corinthiensis Archiepiscopus proposuit coram nobis quòd cùm nobilis vir Theodorus Græcus quondam Dominus Corinthi, de proditione convictus, castrum de Argos nuper tradiderit, quod tenebat, thesaurus Corinthiensis Ecclesiæ, quem illuc idem Græcus detulerat, est inventus ibidem; quem nobiles viri Gaufridus Princeps Achaiæ, Odo de Rocca, & quidam alij Latini Thebanæ & Corinthiensis diocesum in propriæ salutis dispendium detinentes, eidem Ecclesiæ restituere contradicunt. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus nobiles suprà dictos & alios, ut thesaurum ipsum Ecclesiæ restituant antedictæ, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota cogatis. Testes autem &c. *usque* testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO, DECANO, ET Archidiacono Davalienſibus.

Epist. 78 Vt de pecunia Episcopo antea data cogatur cam.

DIlectus filius N. Canonicus dominici sepulchri Ierosolymitani, Prior sancti Demetrij Thessalonicensis, sua nobis expositio questione quòd cùm bonæ memoriæ Thebano Archiepiscopo quandam summam pecuniæ mutuò concessisset, ac per ipsum duo nobis exameta census nomine destinasset, credita sibi quadam summa pecuniæ pro suis agendis apud sedem apostolicam promovendis, quia dictus Archiepiscopus interim subtractus est ab hac luce, sibi de prædictis non extitit satisfactum. Propter quod nobis fuit supplicatum humiliter ab eodem ut venerabilem fratrem nostrum successorem ipsius ad horum redditionem mandaremus apostolicis litteris compelli. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis ad præsentiam vestram quos propter

hoc videritis evocandos, & inquisita diligentiùs veritate, quod justum fuerit appellatione remota usuris cessantibus statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. *usque* perhibere testimonium veritati. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani IX. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

AMATÆ ABBATISSÆ monasterij sanctæ Mariæ & sanctorum Matthæi Apostoli & Antonij in loco qui dicitur Fonsadlumum in Esculana diocesi constituti, ejusque sororibus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 79. De confirmatione privilegiorum.

PRudentibus virginibus &c. *usque* sacræ religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ & sanctorum Matthæi Apostoli & Antonij, in quo divino estis obsequio &c. *usque* communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio &c. *usque* inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona &c. *usque* illibata permaneant; in quibus hæc &c. *usque* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, vineam & hortum de Fonte ulmi, vineam de colle super prata, beneficium & totum tenimentum quod fuit filiorum Petri Actonis Massonis, in Toleniaco molendinum in loco qui dicitur Beblum, vineam & terram quæ fuit de beneficio Benedicti Tinosi, medietatem totius tenimenti quod olim fuit Deuteguardi Ardengi cum domibus & hominibus & aliis pertinentiis suis, campum de Panicale cum vinea & terra in prædicto loco Toleniaco, terram quæ jacet in pertinentiis de Octavo, campum de Murro, terram de Cantalupo, vineam quæ fuit Raynaldi Leonis in colle de ulmo. In pertinentiis mercati, & infra civitatem Esculanam in Truvo, domum quæ fuit ejusdem Raynaldi, terram quæ fuit Vinciguerræ Aquæ vivæ, & terram de colle Tuccini. In valle Truncti duas grangias cum omnibus pertinentiis & appendiciis suis. Ecclesiam sancti Petri in Caprano, cum decimis, possessionibus, tenimentis, & omnibus rationibus pertinentibus ad eandem, quam idem monasterium antequam Cisterciensis ordinis institutа susciperet possidebat, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus &c. *usque* extorquere præsumat. Ad hæc, personas liberas & absolutas è seculo fugientes liceat vobis in monasterio vestro ad conversionem recipere & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum &c. *usque* nullus audeat retinere. Illud districtiùs inhibentes ne terras seu quodlibet beneficium &c. *usque* eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus Episcopus &c. *usque* se aliquatenus intromittat. Si verò Episcopus in cujus parrochia &c. *usque* vobis conferre renuerit, licitum sit vobis omnia ab alio Episcopo percipere quæ à vestro fuerint indebitè denegata. Pro consecrationibus verò altarium &c. *usque* propriis Episcopis in posterum generetur. Quia verò interdum proprij Episcopi copiam non habetis &c. *usque* recipere valeatis. Porrò si Episcopi vel alij Ecclesiarum rectores &c. *usque* indulta prolatam duximus irritandam; nec litteræ illæ firmitatem habeant &c. *usque* constiterint impetrari. Præterea cùm commune interdictum terræ fuerit &c. *usque* divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati &c. *usque* audeat exercere. Præterea omnes libertates &c. *usque* & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. *usque* usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & in prædicta Ecclesia sancti Petri in Caprano diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VII. Kal. Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo quinto.

THESSALONICENSI ET Philippensi Archiepiscopis, & Episcopo Sithoniensi.

Epist. 80. Ejusdem argumenti cum epistola 69.

VEnerabilis frater noster Cardicensis Episcopus nobis humiliter supplicavit ut cùm fratres Hospitalis Ierosolymitani, qui eum super causa quæ inter ipsos & eundem Episcopum vertebatur ad nostram audientiam appellarunt, nec venerint, nec miserint aliquem ad appellationem interpositam prosequendam, ipso Episcopo apud nos diutius post præfixum terminum expectante, sibi de damnis & expensis quas ex ipsius prosecutione appellationis incurrit satisfieri faceremus. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VII Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ABBATI SANCTI PAVLI.

Epist. 81. De divisione parrochiarum. Vide lib. 13. epi. 197.

CVm Lateranensem & sanctorum quatuor Coronatorum Ecclesiarum parrochias certis duximus limitibus terminandas, & Ecclesia sancti Nicolai de Formis, quæ ad monasterium tuum spectat, inter hos limites parrochiam possidere dicatur, auctoritate præsentium declaramus quòd per limitationem hujusmodi nullum eidem Ecclesiæ in sua parrochia volumus præjudicum generari: quia res inter alios acta præjudicare non debet aliis secundùm legitimas sanctiones. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

HELENENSI EPISCOPO.

Epist. 82. De negotio Durandi de Osca & sociorum. Vide infrà epist. 90 & seqq. 96. 137. & lib. 13. epist. 77. 78.

DIlectus filius Durandus de Osca in nostra præsentia constitutus & D. de Naiaco & Guillelmus sancti Antonini & alij pauperes catholici suis nobis litteris intimarunt quòd ad exhortationem eorum nonnulli tuæ diocesis de suis excessibus pœnitentiam agere cupientes, post confessionem peccatorum suorum, pro posse suo proposuerunt restituere quicquid possident minùs justè necnon malè quælibet acquisita, non habendo proprium, sed omnia in communi, & nemini malum de cetero inferentes, castitatem seu virginitatem observare promittunt, à mendacio & juramento illicito abstinendo, tunicis quoque albis vel griseis uti proponunt sub disciplina & visitatione catholicorum pauperum permansuri; in fulchris autem, nisi eos ad id infirmitas coegerit, non cubabunt; & à festo sanctorum omnium usque ad nativitatem dominicam jejunantes in qualibet sexta feria, nisi fortè natalem Domini aut Epiphaniam seu aliud festum habens vigiliam evenire contingat, à piscibus abstinebunt; secunda verò, quarta feria, & sabbatho, nisi natalis Domini intervenerit, carnibus non vescentur, nec in quadragesima ante Pascha comedent pisces, dominicis diebus exceptis; octo diebus ante Pentecosten vacabunt jejuniis, & alia jejunia observabunt à sancta Romana Ecclesia instituta; singulis quoque diebus dominicis exhortationis verbum convenient audituri, & septies orantes in die, quindecies *Pater noster* & *Credo in Deum* ac *Miserere mei Deus* qui litterati fuerint decantabunt; & Clerici, prout eis convenit, canonicas horas Domino Deo solvent. Et quoniam sex opera pietatis proficiunt ad salutem, proposuerunt pro Deo pauperibus deservire; quorum quidam in hereditate propria vult domum construere, in qua ex parte una viris, & ex alia mulieribus religiosis mansio competens habeatur, & juxta illam sit nihilominus xenodochium, in quo reficiantur fessi & pauperes recreentur, juventur infirmi, & nutriantur infantes à matribus derelicti, & mulieres pauperes laborantes in partu, donec abire valeant, sustententur in eo, ac juxta possibilitatem domus ipsius adveniente hieme præbeantur pauperibus indumenta; pannos quoque ad quinquaginta lectos de suis justis rebus ministrabit ibidem, & Ecclesiam, ubi fratres domus ipsius possint audire divina, in honore Dei genitricis Mariæ juxta domum ipsam construi faciet, quæ in signum subjectionis apostolicæ sedi reddet unum Bisantium annuatim. Vnde nobis humiliter supplicarunt ut exequendi prædicta licentiam eis concedere dignaremur. Nos igitur attendentes quòd hæc omnia sunt in se bona, fraternitati tuę per apostolica scripta mandamus quatinus, cùm loci diocesanus existas, cognita plenius veritate, si ea emanare cognoveris de fonte catholicæ puritatis, ipsis assensum super his auctoritate nostra præbeas & favorem; proviso prudenter ut quod de verbo exhortationis singulis diebus dominicis audiendo prædicitur, taliter & à talibus fiat quòd derogari non possit fidei orthodoxæ seu canonicæ disciplinæ; adhibita nihilominus prudenti

cautela inter viros & mulieres de quibus mentio est præmissa, ut utrorumque ad alteros accessus haberi nequeat illicitus vel suspectus. Illudque diligenter observa, quòd memorati viri dicuntur sub disciplina & visitatione catholicorum pauperum permansuri, ut hujusmodi disciplina & visitatio sanæ doctrinæ conveniant & ecclesiasticæ honestati. Datum Laterani VII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO, ET ABBATI sancti Victoris, & Cancellario Parisiensi.

Epist. 83. Scribitur pro Comite Nivernensi. Vide lib. 14. epist. 123. 126. & lib. 16. epist. 32.

CVm nuper vobis contra insolentiam nobilis viri Comitis Nivernensis Virziliacense monasterium opprimentis sub certa forma direxerimus scripta nostra, dilectus filius magister I. Clericus, diligens & fidelis procurator ipsius, formam ipsam intelligens, gravi fuit dolore turbatus, humiliter nobis supplicans, cautionem quam poterat offerendo, ut quod mandabamus in illis de inquisitione consanguinitatis inter eundem Comitem & Comitissam auctoritate apostolica facienda, de litteris illis adimere dignaremur, promittens quòd idem Comes, voluntate nostra plenius intellecta, cessabit ab indebita molestatione monasterij memorati. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si nondum processistis ad inquisitionem hujusmodi faciendam, & ipse Comes satisfecerit competenter, sufficienter cavendo quòd à procurationis immoderantia, quam ad justum reduci mandavimus moderamen, de cetero conquiescat, vos ad inquisitionem illam minimè procedatis. Alioquin mandatum apostolicum exequi procuretis prout videritis expedire. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope &c. Datum Laterani III. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO ARIMINENSI.

Epist. 84. Statuta Othonis decernuntur irrita.

CVm ea omnia quæ Otho, non jam nominandus Imperator, sed impius persecutor, contra Clericos vel Ecclesias statuit aut statuerit, denuntiaverimus irrita & inania, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si quis concessione, sententia, privilegio, vel mandato ejusdem Othonis uti voluerit in præjudicium vel damnum Ecclesiæ Ravennatis, tu ipsum ab hujusmodi præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Laterani IX. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto,

EIDEM.

Epist. 85. Ejusdem argumenti cum superiore. * Cod. Colbert. Lirien. forte Lucen.

VEnerabilis frater noster * Linensis Episcopus nobis significare curavit quòd cum O. dictus Imperator propter latam in se à nobis excommunicationis sententiam quasdam terras & res alias Linensis episcopatus Comitibus & communi de castro Cario Linensis diocesis concessisset, & secundùm hoc privilegium suum dedisset eisdem, ipsi Comites & commune facientes Linensem Ecclesiam super his per judices suos sententialiter condemnari, res occuparunt easdem, & distribuerunt pro velle aliis possidendas in enorme sui & Linensis Ecclesiæ detrimentum. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus quicquid occasione privilegiorum prædicti excommunicati noveris attentatum in præjudicium Ecclesiæ Linensis, auctoritate apostolica sublato appellationis obstaculo non differas irritare, & ne dicti Comes & commune privilegiis ipsis utantur, eis firmiter inhibere procures; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani X. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PRIORI ET CAPITVLO Dominici sepulchri Ierosolymitani.

Epist. 86. Confirmatur quædam compositio.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos ex una parte & venerabilem fratrem nostrum Thessalonicensem Archiepiscopum ex altera super Ecclesia sancti Demetrij Thessalonicensis amicabiliter initam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem cautelam, litterarum tenorem quas idem Archiepiscopus nobis transmisit de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum. SANCTISSIMO Patri & « Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici G. ejusdem patientia & vestra Thessalonicensis Ecclesiæ minister, licèt indignus, « se ipsum ad pedes cum obedientia filiali. « Cùm propter schismaticam inobedientiam « summi Regis vindicta terram Græcorum « correctionis funiculo flagellasset, & ipsam «

» de secreto atque inæstimabili consilio suo » ad manus reduxisset Latinorum, multi re- » ligiosi de diversis partibus accedentes di- » versa beneficia tam per Dominos Cardina- » les quàm per Principes & Barones & alios » fideles adepti sunt. Inter quos sacrosancti » sepulchri Canonici Ecclesiam sancti De- » metrij Thessalonicensis quoquo modo ga- » visi sunt adipisci, quam usque ad inthroni- » zationem meam cum multis laboribus &, » ut verum fatear, illi terræ multum neces- » sarij possederunt. Sanè quamvis prædicta » Ecclesia sancti Demetrij ad jurisdictionem » meam pertinere noscatur, tamen ob reve- » rentiam dominici sepulchri, ubi redemp- » tio humani generis operata est, & ad cujus » subventionem crucesignatorum exercitus » terram Romaniæ dicitur acquisisse, ne » etiam dicti Canonici sua spe & laboribus » penitùs fraudarentur, & ut omnis quæstio » & controversia, qualis inter me & ipsos » super hoc exorta, quæ de facili ordine ju- » dicario non poterat tempore instanti prop- » ter causæ perplexitatem diffiniri, per pa- » cem & æquitatem faciliùs sopiatur, præ- » sertim cùm in sæpedicta Ecclesia tanti mar- » tyris corpore decorata tam favorabilis Ec- » clesiæ Canonici regulares honorificentiùs » quàm seculares valeant deservire, pruden- » tum virorum fretus consilio, videlicet Ar. » Cermopilensis Episcopi Sarrensis postula- » ti, W. Nazarocensis electi Philippensis » postulati, & magistri R. Citrensis electi, » mihi, quantum in me est, visum est utile » pariter & honestum ut memorati Canonici » dominici sepulchri de universis possessioni- » bus, proventibus, fructibus, redditibus, » legatis, & eleemosynis quocunque justo » modo ad dictam Ecclesiam sancti Deme- » trij pertinentibus, sicut per instrumenta » vel per testes idoneos sive alio justo modo » probari legitimè poterit, insuper de om- » nibus illis quæ aliquo tempore Archiepis- » copis Thessalonicensibus nomine Ecclesiæ » prædicti sancti Demetrij collata fuerunt, » vel in posterum conferentur, sicut, ut su- » prà dictum est, legitimè probari poterit, » talem pro servitio sæpedictæ Ecclesiæ per- » cipient portionem qualem Canonici san- » ctæ Sophiæ Thessalonicensis metropolis de » possessionibus ejusdem percipient, cùm » eam contingerit ordinari. Domos siqui- » dem quas Clerici sancti Demetrij tempo- » re Græcorum intra Thessalonicam habe- » bant, Canonici sancti sepulchri extra par- » tem possidebunt; oblationes quoque ma- » nuales & quæcunque eis legata fuerint no- » minatim, sive nomine sancti sepulchri, si- militer extra partem recipient. Ea verò » quæ super tumbam sancti Demetrij offe- » rentur, vel Ecclesiæ ejusdem nominatim » legata fuerint, secundùm supradictam di- » visionem partientur. Adjuncto tantùm, » quòd cùm dicti Canonici in Ecclesia illa » Capellanos vel Clericos pro tempore insti- » tuent, sub eadem fidei religione qua ipsis » tenebuntur eis injungent quòd nullatenus » aliquibus in testamento vel aliàs persuade- » bunt ut ipsis Canonicis magis quàm Eccle- » siæ in præjudicium & damnum Archiepis- » copi debeant erogare. Expensis, quantum » ad sarta tecta vel luminare Ecclesiæ & jus- » ta tumbæ custodia, de communi pro rata » faciendis. Præterea Prior qui in Ecclesia » sæpedicta sancti Demetrij pro tempore à » Patriarcha Ierosolymitano & Capitulo suo » fuerit delegatus, mihi & successoribus » meis canonicè intrantibus obedientiam & » reverentiam tenebitur exhibere. Matrici » insuper Ecclesiæ Thessalonicensi & mihi » meisque successoribus in dicta Ecclesia om- » ni jure & libertate nostra, sicut & in alis » Ecclesiis ejusmodi, plenariè reservatis. Sal- » va Domini Patriarchæ Ierosolymitani & » Capituli sui in omnibus obedientia in ip- » sum Priorem & Canonicos & alios religio- » sos ibidem commorantes. Igitur cùm ordi- » nationes Ecclesiarum quæ per inferiores » Prælatos fieri nequeunt, Ecclesiæ Roma- » næ, quæ disponente Domino omnium Ec- » clesiarum mater est & magistra, debeant » reservari, dictam compositionem sive dis- » positionem, quam per me facere vel fir- » mare non præsumpsi, sanctitati vestræ du- » xi transmittendam, paternitatem vestram » flexis genibus mentis exorans attentiùs & » obnixè quatinus causa Dei & ob dominici » sepulchri reverentiam & precum mearum » interventu, si sanctitati vestræ competens » & honestum videbitur, ipsam auctoritate » vestra facere vel inceptam perficere digne- » mini, & ut majorem habeat firmitatem, » eandem auctoritate prædicta roborantes.] » Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* contraire. Si quis autem &c. *usque* incurtu- rum. Datum Laterani VII. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

DECANO, THESAVRARIO, & magistro scholarum Nivernensibus.

Exh. ut De quibusdam ac quibusdam pro tribus ne.

SIgnificavit nobis venerabilis frater no- ster Bituricensis Archiepiscopus quòd cùm ex officij sui debito suam ducit pro- vinciam visitandam, nonnullæ Ecclesiæ me- tropolitico sibi jure subjectæ, procuratio- nem debitam sibi denegant exhibere, hoc ad

ad suæ negationis defensionem tantummodo allegantes, quòd non recordantur se procurationem hujusmodi ejus prædecessoribus exolvisse, sed nec ab eis aliquando fuisse petitam. Cùm igitur contra procurationem quæ ratione visitationis debetur præscribi non valeat, quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, etsi alius contra eum præscribere posset utramque, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus rectores Ecclesiarum ipsarum ut eidem Archiepiscopo ipsas ex officio debito visitanti procurationes quæ sibi visitationis ratione debentur exhibeant, nisi aliud rationabile objectum fuerit & ostensum, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide cap. Cùm ex officij. De præcipt.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 88. De congrua portione Presbyterorũ parochialium.

AD nostram noveris audientiam perveniſſe quòd patroni parrochialium Ecclesiarum tuæ diœcesis tantum de proventibus sibi retinent earundem quòd sacerdotes ministrantes in eis non possunt de residuo sustentari. Propter quod nonnullæ remanent pastoribus destitutæ, eò quod non sunt qui curam velint recipere earundem. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus patronos Ecclesiarum ipsarum, ut de illarum proventibus sacerdotibus in eisdem ministrantibus congruam provisionem assignent, moneas & inducas, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens; cùm non ad opus patronorum, sed ad opus potiùs servientium in eisdem, fuerint Ecclesiis redditus deputati. Datum Laterani XI. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ABBATI DE MACENEIRA Visiensis diœcesis, Cantori & P. Roderici Canonico Colimbrienſibus.

Epist. 89. De remotione Abbatis.

DIligenter auditis & perspicaciter intellectis quæ coram nobis proposita sunt à partibus super intrusione Prioris sancti Petri Aurienſis diœcesis in monasterio Cellæ novæ ac excommunicatione in ipsum à venerabili fratre nostro Episcopo Aurienſi prolata, & delegatorum processu, qui eundem electum removerunt à monasterio Cellæ novæ, ac præscriptam excommunicationis sententiam confirmarunt, pensatis nihilominus natura & qualitate negotij, quibus potiùs duximus inhærendum, ipsorum delegatorum sententiam ratam habentes, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus eam auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani V. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

MASSILIENSI EPISCOPO.

Epist. 90. De negotio Durandi de Osca & sociorum. *Vide supra epist. 82. & lib. 11. epist. 196.*

CVm dilectus filius Durandus de Osca Acolythus & socij sui à secta Waldensium per nos reconciliati sint ecclesiasticæ unitati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsos infra catholicum gregem admittens, & benignè pertractans, ob notam quam de pristina conversatione contraxerant non permittas eos à quoquam temerè molestari; sed ab omni eos infamia & scandalo servans immunes, tam ex litteris testimonialibus quàm aliis adminiculis ipsos misericorditer adjuves propter Deum. Datum Laterani III. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

In eundem modum scriptum est Barchinonensi Episcopo. Cùm dilectus filius Durandus de Osca &c. *usque* propter Deum.

In eundem modum scriptum est Oscensi Episcopo. Cùm dilectus filius &c. *usque* propter Deum.

DVRANDO DE OSCA ET Durando de Naiaco.

Epist. 91. Super eodem.

CVm quidam de fratribus vestris reconciliati ecclesiasticæ unitati, sicut nostris est auribus intimatum, interdum delinquant & vacent operibus inhonestis, discretioni vestræ, de qua firmam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus cùm ipsos contingit excedere, id loci Episcopo nuntietis, & de consensu & auctoritate ipsius delinquentium excessus salubriter appellatione postposita corrigatis. Quòd si non ambo &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani IV. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ILLVSTRI REGI Aragonensi.

Epist. 92. De eodem.

VT illi complaceas in cujus miseratione regni gubernacula susceptisti, te convenit confovere humiles & devotos, &

excessus corrigere delinquentium. Inde est quòd serenitatem tuam rogamus atque monemus quatinus pauperes catholicos & hospites eorundem in orthodoxa fide ac pia operatione manentes non permittas à quoquam temerè opprimi vel à justitiariis tuis injustè gravari. Datum Laterani v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & Episcopo Vticensi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 93. Super eodem.

CVm catholici pauperes Durandus de Osca, Durandus de Naiaco, Guillelmus sancti Antonini, & socij sui reconciliati ecclesiasticæ unitati, quasi nova planta sint benignè fovendi, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus vos eis in fide catholica & pia operatione manentibus exhibeatis favorabiles & benignos, & non permittentes eosdem à quoquam indebitè molestari, in litteris testimonialibus & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adjuvetis. Datum Laterani IV. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

IANVENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Epist. 94. Super eodem.

CVm talis esse debeat ars eorum quibus regendæ animæ committuntur ut non solùm à dominico grege subductas sollicitudine pastorali reducere, verùm etiam reductas ad ipsum paterna in eo studeant mansuetudine confovere, procul dubio nobis & vobis est sollicitè providendum ut dilecti filij Durandus de Osca & Guillelmus de sancto Antonino cum sociis suis reconciliatis ecclesiasticæ unitati taliter foveantur in ipso quòd cùm ipsi se lætabuntur ibidem invenire favorem speratæ dulcedinis, alij eorum inducantur exemplo errorem suæ deserere cœcitatis. Quapropter fraternitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus ipsos procedentes secundùm Deum caritativè tractetis, nec permittatis eos aut illos qui suum ipsis intuitu caritatis impenderint beneficium in vestris diocesibus constitutos hujus occasionis prætextu à quoquam temerè molestari, contradictores censura ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. singuli vestrum in diocesi sua ea nihilominus exequantur. Datum Laterani II. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*SANCTI MARTINI *Canonicensis & sanctæ Mariæ Electensi Abbatibus, & W. Decano in Confluenti, Narbonensis & Helenensis diocesum.*

* Leg. Cano-nicorum.

Epist. 95. De decimis burgensi-bus lega-tis.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quòd B. Miles decimas quasdam, quas progenitores ac ipse hactenus ab Abbate sancti Genesij tenuerunt, hospitali quod ad sustentationem infirmorum pauperum ædificare proposuit desiderat assignare, si nostræ federit beneplacito voluntatis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Militem, ut decimas ipsas Ecclesiis illis ad quas noscuntur pertinere resignet, moneatis prudenter & efficaciter inducatis; quòd si ad id induci non poterit, & Abbatis prædicti & diocesani Episcopi super hoc assensum quiverit obtinere ut eas conferat hospitali præfato, auctoritate nostra concedatis eidem liberam facultatem. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani IV. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

DVRANDO DE OSCA, & Durando de Naiaco, Guillelmo sancti Antonini, Io. Narbonensi, & B. Biterrensi, & aliis pauperibus catholicis.

Epist. 96. Recipiunt sub protectione sedis apostolicæ.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus &c. *usque* assensu, personas vestras & specialium amicorum vestrorum in fide catholica & pia operatione manentes ac res eorum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. protectionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

EPISCOPO ET CAPITVLO Petragoricensi.

Epist. 97. Vel. de Veteri Morolio in Cancellarium ejus.

SI circumspectiùs curaretis advertere quantum sit obedientiæ bonum, quantumve ipsius contrarium detestandum, utpote idolatriæ sceleri comparatum, mandatum nostrum forsitan citiùs studeretis effectui mancipare, ut exuto veteri homine, vos in illius transformaretis imaginem qui usque ad mortem factus est obediens Deo patri, nec vos excusaretis exceptionibus frivolis in ejusdem elusionem mandati. Sanè cùm pro dilecto filio magistro I. de Veteri Morolio, qui diu cancellariæ nostræ servitio laudabiliter insudavit, & labo-

ravit multotiens pro Ecclesiæ vestræ negotiis promovendis, vobis direxerimus scripta nostra, ut ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ipsum in Canonicum recipieretis & fratrem, sibi stallum in choro & locum in Capitulo assignantes, vos mandatum nostrum surdis auribus transeuntes, sicut dilecti filij Prior Grandimontensis & G. Archidiaconus & S. Mauricij Canonicus Lemovicenses, quos eidem concessimus monitores, per suas nobis litteras intimarunt, quamquam vos monuerint diligenter, id efficere non curastis, per vestras litteras allegantes tenuitatem redditum & Canonicorum numerum competentem & de mandato nostro quosdam alios suscepisse ac prænominatum magistrum in dioecesi vestra redditus alios obtinere, proponendo quòd ad recipiendum eundem vos nullatenus cogeremus si hæc ad nostram notitiam perveniissent; licèt monitores præfati de plurium assertione didicerint quòd in Ecclesia vestra Canonicorum numerus non excesserat, quin potiùs alios proposueratis recipere in Canonicos & in fratres, & præfatus magister redditus sufficientes non habeat, & ipsius obsequium Ecclesiæ vestræ possit existere fructuosum. Nolentes igitur exceptionibus frivolis mandatum nostrum eludi, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus eundem magistrum juxta mandati nostri tenorem in fratrem & Canonicum Ecclesiæ vestræ liberaliter admittatis. Alioquin, cùm sagitta Ionathæ non debeat redire retrorsum, sed dirigi potiùs in directum, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis .. Subdiacono nostro Archidiacono Xanctonensi & Priori Sulbisiensi Xanctonensis dioecesis damus nostris litteris in præceptis ut vos ad id, nisi aliquod rationabile objectum fuerit & ostensum quare id fieri non debeat vel non possit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani VII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc eisdem.

LANDON. COLLIS DE medio & G. filio ejus.

Epist. 98. Profertur sententia pro eis.

CVm inter vos & nobiles viros Philippum & Iordanum de Insula controversia verteretur super eo quòd tu, fili Lande, eis irrequisitis emeras quasdam partes castri quòd dicitur Prun. ab aliis ejusdem castri consortibus contra bonam consuetudinem, ut dicebant, in illis partibus approbatam, in eorum præjudicium & gravamen, & habitatores ipsius castri, qui priùs eis & aliis consortibus tenebantur communiter juramento, vobis tantùm feceratis jurare, & prohibebatis ne ipsos sequerentur in guerra sicut priùs facere consueverant, domum insuper eorum, quam in castro habent eodem, per vestros feceratis destrui servientes, & in loco communi turrim ædificare inceperatis, in cujus ædificatione processeratis post prohibitionem factam vobis ex parte nostra, vos tandem & illi compromisistis nostris super his stare mandatis sub pœna ducentarum librarum, fidejussoribus inde datis, & post altercationes multiplices, testes produxistis utrinque numero quadraginta, quos per dilectum filium Petrum tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem examinari fecimus diligenter: quorum attestationibus publicatis, cognovimus absque contradictione probatum quòd consortes illius castri liberè & absolutè cuicunque volebant consueverant vendere partes suas, & quòd habitatores ipsius castri eis & aliis consortibus tenebantur communiter juramento. Quidam verò testes ex parte ipsorum producti dixerunt quòd omnes ipsius castri habitatores tam ipsos quàm alios dominos sequi debebant in guerra; sed per testes longè plures ex parte vestra productos determinatum est manifestè quòd utique tam eos quàm alios dominos sequi debebant, nisi proprij eorum domini contradicerent. Dictum est autem à quibusdam testibus eorundem quòd vos ædificare cœperatis turrim in loco communi; sed testes multò plures ex parte vestra dixerunt quòd turrim ædificare cœperatis in proprio vestro fundo, designantes personas à quibus quasdam fundi emeratis partes ipsius, & quòd post prohibitionem factam vobis ex parte nostra ædificare cessaveratis omnino. Per quosdam etiam eorum est testes probatum quòd quidam servientes vestri de domo eorum quasdam scandulas & quædam alia ligna dejecerant, quamvis asseratur per vestros testes quòd fuerant dejecta per ventum. His igitur diligenter auditis, sententialiter diffinivimus, sub præscripta pœna mandantes quatinus faciatis homines vestros illis jurare secundùm quod jurare consueverant consortibus in communi, & illi similiter homines suos vobis, & quod malitiosè non prohibeatis hominibus vestris quò minùs eos contra alios in eorum guerra sequantur, quod & ab

hominibus eorum similiter fiat vobis, quòdque vestris expensis domum reparari faciatis eorum, quatenus à vestris servientibus læsa fuit; ipsi autem super emptione ipsius castri vos de cetero non molestent; vosque ab impetitione ipsorum super ædificatione turris reddidimus absolutos. Vt igitur hæc nostra diffinitio perpetuam obtineat firmitatem, ipsam auctoritate apostolica confirmamus. Datum Laterani IV. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NOBILIBVS VIRIS R. & A. de Canosa.

Epist. 99. Vt monasterium S. Angeli restituatur Crucifer.

OBlata nobis dilecti filij Prioris sanctæ Mariæ Cruciferorum Bononiensium conquestio declaravit quòd cùm dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, tunc legationis officio fungens in partibus Romaniæ, monasterium sancti Angeli de Saga cum pertinentiis suis ordini suo concesserit perpetuò possidendum, nosque concessionem ipsam duxerimus confirmandam, carissimus in Christo filius noster Imperator Constantinopolitanus illustris post mortem claræ memoriæ Marchionis Montisferrati dictum monasterium eidem abstulit pro suæ libito voluntatis, illudque vobis assignare curavit: quod vos in ipsius præjudicium detinentes, & juxta vestræ voluntatis arbitrium disponentes de ipso, consumitis nequiter bona sua. Cùm igitur id non debeamus conniventibus oculis pertransire, per apostolica scripta mandamus quatinus dictum monasterium cum pertinentiis suis præfato Priori & ordini suo, prout tenemini, restituere procuretis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Davalensi & Sidonensi Episcopis & dilecto filio Archidiacono Davalensi nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellant. Datum Laterani XI. kalend. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

Super hoc scriptum est in eundem ferè modum eisdem. Oblata nobis &c. *usque* conniventibus oculis pertransire, præfatis nobilibus nostris dedimus litteris in mandatis ut dictum monasterium cum pertinentiis suis præfato Priori & ordini suo, prout tenentur, restituere non omittant. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si dicti nobiles quod mandavimus super hoc neglexerint adimplere, vos eos ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Imperatori Constantinopolitano. Oblata nobis &c. *usque* restituere non omittant. Quocirca serenitatem tuam rogandam duximus attentiùs & monendam quatinus monasterium ipsum cum pertinentiis suis eidem Priori & ordini suo sine difficultate facias resignari.

ARCHIEPISCOPO ATHENIENSI.

Epist. Deum non esse ecclesiasticæ censuræ.

SIc nervo ecclesiasticæ disciplinæ coërceri debet insolentia perversorum ut eo non opprimantur insontes, cùm censura ecclesiastica non debeat esse innocentum oppressio, sed correctio potiùs delinquentum. Inde est quòd fraternitati tuæ auctoritate præsentium inhibemus ne in nobilem virum R. dominum insulæ Nigripontis vel terram ipsius sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias proferre præsumas. Datum Laterani X. kal. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

EIDEM.

Epist. Vt dissensiones inter eum & quendam nobilem pacificet, & ipsum ad pœnitentiam inducat. Vide infra Decretum de hac re.

SVpplicavit nobis dilectus filius nobilis vir R. dominus Nigripontis ut cùm pietatis intuitu quandam nobilem, quam ipsius viro vivente cognovit, velit modò ducere in uxorem, dignaremur cum eo super hoc misericorditer dispensare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus præfato nobili, nisi forsan eidem viuente viro suo fidem dederit, seu mulierem ipsam in nece viri constiterit machinatam, ut cum ipsa legitimè contrahat, concedas auctoritate nostra liberam facultatem, dummodo aliud canonicum non obsistat. Datum Laterani VIII. kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

RAIMVNDO VTICENSI Episcopo & Narbonensi electo apostolicæ sedis Legatis.

Epist. De negotio Comitis Tolosani.

LIcèt Raimundus Tolosanus Comes in multis contra Deum & Ecclesiam culpabilis sit inventus, & pro eo quòd Legatis nostris inobediens extitit & rebellis, sit excommunicatus ab ipsis & exposita terra ejus, si fortè vel sic ei vexatio tribueret intellectum, unde jam ex parte non modica terram amisit, quia tamen nondum

est damnatus de hæresi vel de nece sanctæ memoriæ Petri de castronovo, etsi de illis sit valde suspectus, (quare mandavimus ut si contra eum infra certum tempus appareret legitimus accusator, indiceretur illi purgatio secundùm formam in litteris nostris expressam, diffinitiva nobis sententia reservata, in qua necdum est ex mandato illo processum) non intelligimus qua ratione possemus adhuc alij concedere terram ejus, quæ sibi vel heredibus suis abjudicata non est; præsertim ne videremur in dolo castra nobis exhibita de suis manibus extorsisse, cùm non solùm à malo, sed ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere. Nam si super duobus articulis quos commisimus aliqua contra eum præter formam mandati nostri sententia lata fuisset, illa proculdubio non valeret. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus cùm nondum sit locus illi petitioni quam de terra ejus alij concedenda feciſtis, modis quibus honestè poteritis studeatis prudenter & efficaciter laboretis ut negotium bene inceptum dissolvi non possit, sed in suo potiùs robore convalescat. Nos enim venerabili fratri nostro Regensi Episcopo & dilecto filio magistro Thedisio Canonico Ianuensi nostris damus litteris in mandatis ut secundùm formam sibi datam in negotio isto procedant, & si per Comitem steterit antedictum quò minùs ipsum negotium possit habere processum, ei & aliis publicè protestentur quòd nos auctore Domino procedemus prout pacis & fidei causa requiret, ipsique nobis non differant meram & plenam rescribere veritatem. Datum.

vide lib. 12. post epistolam 15. & epist. 107.

In eundem ferè modum scriptum est illis usque in finem, sollicitè providentes ne in nostri executione mandati sitis tepidi & remissi, sicut hactenus dicimini extitisse.

MILITIBVS ET POPVLO castri Melgorij.

Epist. 103. Hortatur eos ad obedientiã. Vide infrà epist. 175.

GAudemus plurimùm, devotionem vestram & fidelitatem in Domino commendantes, quòd pari ac unanimi, prout accepimus, voluntate congratulamini vos & comitatum vestrum ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ ac nostram specialiter pertinere, snppliciter exorantes ne vos jurisdictioni alterius supponamus. Nos igitur vicem gerentes illius qui cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos, monemus universitatem vestram & exhortamur attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus quatinus in fidelitate ac devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac nostra firmiter ac unanimiter persistentes, tales in omnibus & per omnia vos exhibere curetis quòd de die in diem gratiam & benivolentiam sedis apostolicæ mereamini ampliorem, sciturí quod nos de pace ac statu vestro & terræ vestræ sollicitudinem cupimus gerere diligentem. Datum Laterani Non. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

MARIÆ ILLVSTRI REGINÆ Aragonensi, & hominibus Montispessulani.

Epist. 104. De dominio Montispessulani.

GRavem dilecti filij nobilis viri Willelmi de Montepessulano fratris tui, filia Regina, recepimus questionem quòd possessionem villæ Montispessulani ac alterius terræ jure ad ipsum hereditario pertinentis, quam ipse pridem pacificè noscitur habuisse, contra justitiam detinetis & restituere denegatis eidem. Cùm igitur terræ ipsius jurisdictio ad nos spectare noscatur, volentes prædicto Willelmo in suo jure adesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vel dictam possessionem restituatis eidem, vel usque ad festivitatem omnium sanctorum proximò venturam per responsales idoneos nostro vos conspectui præsentetis, exhibituri & recepturi justitiæ complementum. Alioquin ex tunc in ipso negotio, quantum de jure poterimus, auctore Domino procedemus. Datum Laterani VIII. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO TARANTASIENSI, & Episcopo Gebennensi, & Abbati sancti Mauritij de Cablasio.

Epist. 105. De pravis moribus monachorum Montis Iovis.

DIlectus filius P. de sancto Albino in nostra proposuit præsentia constitutus quòd domus Montis Iovis, quæ olim sanctæ religionis effundebat odorem, facta mutatione dexteræ in sinistram, adeo miserabiliter in spiritualibus & temporalibus est collapsa quòd jam penè penitùs corruit quæ multorum consueverat relevare ruinam, facta nunc scandali & dissensionis exemplum quæ quietis & pacis extiterat documentum. Cùm igitur idem P. quem domus ipsius ruina gravabat, laborare dudum intenderet ut status reformaretur ejusdem, fratres existentes ibidem, qui regularis disciplinæ relaxatis habenis, correctionis onera non ferentes, per campum licentiæ vagabantur, suarum sequentes impetum voluntatum, dictum P. ab incepto minis, terroribus, & pactionibus illicitis re-

trahere nitebantur, bonum malum, correctionem vexationem, & juſtitiam injuriam reputantes; & exiſtentes ingrati cui tenebantur ad grates, ibi ſimultatis mendicabant indicia ubi religioſi propoſiti plenam habere poterant conjecturam. Quem demum blanditiarum fallaciis interceptum, promittentes eidem videlicet quòd expurgarent veteris corruptelæ fermentum & ad frugem melioris vitæ redirent, ad dictam domum ſecum pariter reduxerunt; & ut parerent de concepto dolore nequitiam, duos perditionis filios ad internecionem ipſius P. procurarunt induci. Qui, licèt idem P. mortis periculum metuens confugerit ad altare, credens quòd ſaltem locum illum revererentur iniqui ubi hoſtia ſalutaris quotidie mactabatur, eum aggreſſum hoſtiliter, lethaliter vulnerarunt, ſemivivum, putantes eum mortuum, impij relinquentes. Fratres autem ad tam crudele convenientes ſpectaculum, vulneratoribus, nullum retinentes humanitatis veſtigium, aſſiſtebant, plagas impoſitas terribilibus oculis intuentes. Cùmque demum à quibuſdam ſecum miſericordiam facientibus delatus Auguſtam, ope convaluerit medicorum, ac demum Vercellas venerit, memorati fratres, quorum crudelitas mitigari non poterat, in eum acriùs ſævientes, ore ipſius dormientis obſtruſo ne vocem redderet vel clamorem, eum ligatis manibus Yporegiam deduxerunt; extra quam poſtmodum ipſum ſub ſilentio noctis eductum, præſumptione nimis damnabili, & omni humanitate poſtpoſita, fecerunt oculis exorbari. Quod cùm ad venerabilis fratris noſtri Vercellenſis Epiſcopi & dilecti filij Novarienſis electi, qui ex delegatione noſtra reformationi domus intendebant ejuſdem, notitiam perveniſſet, doloribus compatientes ipſius, ſtatuerunt ei per ſupradictam domum in quadraginta libris Papienſis monetæ annis ſingulis providendum. quam proviſionem idem P. ſibi auctoritate petiit apoſtolica confirmari. Nos autem ipſius condolentes doloribus & miſeriæ miſerantes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus quod circa ipſum per delegatos eoſdem miſericorditer eſt proviſum, faciatis inviolabiliter obſervari, & apud Tarantaſienſem Eccleſiam, in qua ei provideri mandamus, dictam pecuniæ quantitatem ipſi ſine labore perſonæ ac expenſarum incommodo annuatim abſque diminutione perſolvi. Ceterùm quoniam ad nos ſanguis clamat ipſius, ne tam enormis exceſſus tranſeat impunitus, auctores tanti ſceleris & fautores excommunicationis vinculo innodamus; mandantes ut tam ipſos quàm Boninum & alios excommunicatos publicè nuntietis, & faciatis ab omnibus arctiùs evitari. Præterea quia vix aliquis de fratribus Montis Iovis à culpa vel negligentia eſt immunis, quorum quidam principaliter vulneratoribus aſtiterunt, quidam verò enormia quæ acciderant neglexerunt deferre ad nos aut ad noſtrorum audientiam Legatorum, eorum Eccleſiam, ſi eſt ita, ſupponatis auctoritate apoſtolica interdicto, præcipientes interdictum in ea tamdiu firmiter obſervari donec fratres ipſi per excuſatores vel potiùs per ſatisfactores idoneos noſtro ſe conſpectui repræſentent. Inquiratis etiam nihilominus de ſtatu ipſius Eccleſiæ veritatem, & reformetis tam in capite quàm in membris quæ inveneritis reformanda, & quæ ſtatuenda videritis ſtatuatis; Præpoſitum & alios quos in ea inveneritis peſtilentes, omnino removentes ab illa, & alios inducentes in ipſam; ut perditis inde malis, vinea Domini Sabaoth bonis locetur agricolis, qui gratum proferant fructum in tempore opportuno; mandatum apoſtolicum ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo fideliter & efficaciter exequentes. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani III. kal. Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

PHILIPPO ILLVSTRI Regi Francorum.

Epiſt. 164. De domo Philippi Iogia.

DIligenter auditis & perſpicaciter intellectis quæ nobis ex parte regia dilecti filij Abbas de Trapa & I. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus noſtris ſtudioſo tractatu, non occurrit nobis aliqua via per quam in his quæ ipſi pro te poſtulaverunt à nobis, tuæ ſecundùm Deum poſſemus concurrere voluntati, ſub obteſtatione divini judicij proteſtantes quòd libentiſſimè, ſi poſſemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire à quo deſideras vehementer abſolvi. Sed in carnali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeo eſt proceſſum quòd ſi etiam illi tantùm confeſſioni vellemus inſiſtere quam nuper eadem Regina feciſſe proponitur coram prædicto Abbate de Trapa & dilecto filio magiſtro Roberto de Corzon nunc tituli ſancti Stephani in Cælio monte Preſbytero Cardinale, non auderemus ſuper hujuſmodi ca-

ſu de noſtro ſenſu pro te aliquid diffinire, propter illam ſententiam evangelicam quam ipſe Chriſtus expreſſit, videlicet, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, cùm abſque dubio nec ſanctorum exempla nec patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo ſuffragentur. Verùm ſi ſuper hoc abſque generalis deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officij nobis periculum immineret, cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare. Quamvis & aliæ confeſſiones, ſicut pro certo didicimus, ab eadem Regina ſub jurejurando ſint factæ, ſecundùm quas conjugium declaratur carnali copula conſummatum. Quocirca ſerenitatem regiam rogandam duximus & monendam quatinus ab eorum falſis inſaniis avertas auditum qui caput tuum oleo peccatoris impinguant, & volentes tibi placere ſecundùm hominem, Deo te faciunt diſplicere, cùm aperire tibi non audeant veritatem, ne fortè movearis graviter contra eos. Nos autem, qui de te coram Deo reddituri ſumus in noviſſimo diſtricti examinis die pleniſſimam rationem, falſis te nolumus circumveniri commentis, ne ſimul in unum & animam tuam perdamus & noſtram; ſcientes quòd juxta ſententiam veritatis nihil prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Quare, prudentiſſime Rex, ab eo quæſumus propoſito conquieſcas quod perpetuum animæ tuæ periculum generaret, & Dominus juſtus judex in eo te fortè puniret in quo contra ipſum tali modo peccares; ipſamque Reginam pro Deo & propter Deum habeas propenſiùs commendatam, quæ pro ſervanda lege conjugij, quam Deus ante peccatum in paradiſo conſtituit, longo eſt martyrio macerata. Nos quoque ſuper hoc negotio graviùs non moleſtes, ne propter inſtantem perſecutionem quam patimur, ad extorquendum iſtud à nobis inſiſtere videaris. Quia ſicut nolumus tibi negare quod ſit meritò concedendum, ita nolumus tibi concedere quod meritò ſit negandum, præſertim hoc tempore, ne propter perſecutionis inſtantiam declinare videamur à tramite veritatis. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Vide lib. 4. de concord. ſac. & imper. cap. 17. § 4.

Vide lib. 11. epiſt. 181. & lib. 13. epiſt. 66.

Epiſt. 106. De divinis Philippi Regis.

FRATRI GVARINO.

Epiſt. 107. Super eodem.

ILlius teſtimonium invocamus qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum quòd cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem tam ſincera diligimus caritate ut nihil ei negare velimus quod eſſet alicui concedendum. Verùm cùm ea petit à nobis quæ in ſalutis ſuæ diſpendium redundare noſcuntur, quò ſinceriùs illum diligimus, eò cautiùs ea negare debemus, ne videamur ipſum non diligere, ſed odire. Cùm ergo per quoſdam adulatores veritatis & juſtitiæ inimicos in eum ſit errorem inductus ut credat ſe licitè poſſe jurare quòd Reginam uxorem ſuam carnaliter non cognovit, pro eo fortè quòd etſi commixtio ſexuum in eorum carnali commercio interceſſerit, commixtio tamen ſeminum in vaſe muliebri non extitit ſubſecuta, nos confeſſiones ejuſdem Reginæ ſub jurejurando factas ſubtiliter attendentes, & ſalutem ipſius Regis paterno zelantes affectu, per noſtras eum litteras exhortamur ut ſuum de cetero ab hujuſmodi falſis inſaniis avertat auditum & præfatam Reginam pro Deo & propter Deum habeat commendatam, quæ pro ſervata lege conjugij, quam Deus in paradiſo ante peccatum conſtituit, longo eſt martyrio macerata, quam & tibi recommandatam eſſe volumus & mandamus, diſcretionem tuam monentes & obſecrantes in Domino quatinus in conſilium & conſenſum iniquitatis non veniat ulteriùs anima tua, nec permittas, quantum in te fuerit, ipſum Regem falſis circumveniri commentis, eique contra ipſius ſalutem & tuam ſecundùm hominem placere non quæras, ne ipſum Deo facias diſplicere; diligenter attendens quòd juxta ſententiam veritatis nihil prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, & detrimentum animæ patiatur, eundem Regem, quem ſincerum, quantum in ipſo eſt, animum habere credimus & devotum, placare ſtudeas & in bono fovere; ita quòd divinam & apoſtolicam gratiam propter hoc uberiùs merearis; pro certo cognoſcens quòd ſi te juxta latus ipſius ſano & ſalubri noverimus conſilio innitentem, ad honorem & profectum tuum efficaciter intendemus, cùm te, quaſi virum religioſum, non ſemper oporteat ſecularibus negotiis implicari. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Vide lib. 11. epiſt. 181.

PHILIPPO ILLVSTRI Regi Francorum.

Epist. 108. De negotio Episcoporũ Aurelianensis & Autissiodorensis

Vide suprà epist. 39. & infrà epist. 123.

DE prudentia Senonensis Archiepiscopi non possumus non mirari, qui post appellationem ad nos legitimè interpositam, & contra nostri formam mandati, perversè processit in causa quam ad petitionem tuam sibi duximus committendam, super relaxanda sententia interdicti quod in terram tuam venerabiles fratres nostri Antisiodorensis & Aurelianensis Episcopi protulerunt, si tu eis illud offerres quod esset meritò acceptandum, & licèt ipsi jusserimus ut, si fieri posset, postposito utrinque judicio ad amicabilẽ compositionem intenderet, ipse tamen, turbato negotiopotiùs quàm sedato, nec compositionẽ facere studuit nec judicium exercere. Vnde nisi tuæ voluissemus serenitati deferre, taliter eum corripere curassemus quòd ejus profectò non remansisset impunitus excessus. Quod igitur est ab eo inordinatè præsumptum non potuimus confirmare, cùm ipso jure sit irritum & inane, sed, sicut celsitudinem tuam sæpe rogavimus, ita nunc quoque rogamus, pro magno dono petentes quatinus pacem Ecclesiæ in tuo regno conserves, hoc maximè tempore quo ipsa in aliis multis regnis nimiùm perturbatur, ita quòd dictis Episcopis restitutis, & interdicti sententia relaxata, nisi hoc nobis velis ex toto donare, in curia tua de ipso negotio secundùm approbatam consuetudinem cognoscatur; cùmque aliis oporteat te intendere quæ ad tuum magis respiciunt commodum & honorem, expedias te ab istis quæ modicum tibi afferunt utilitatis & laudis, nec injuriosum reputes, sed potiùs gloriosum, prudenter corrigere si quid improvidè statuisti, quia non vivit homo sub cœlo qui aliquando non excedat. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

Vide lib. 14. epist. 153.

ANTISISIODORENSI ET Aurelianensi Episcopis.

Epist. 109. Super eodem.

LIcèt processum Archiepiscopi Senonensis propter ordinem non servatum duxerimus irritandum, fraternitati tamen vestræ consulimus bona fide quatinus cum carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustri quanto meliùs poteritis componere studeatis; quoniam arcus qui semper est tensus, vires amittit, nisi aliquotiens extendatur; & nonnunquam Reges & Principes meliùs vincuntur mansuetudine quàm rigore. Nos enim mediatoris fungentes officio, sicut illum, sic & vos monitis & exhortationibus ad amicabilem debemus concordiam invitare, quam utrique parti credimus expedire. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

BAIOCENSI ET CONSTANTIENSI Episcopis, & Abbati de Persenia.

Epist. [illegible] De [illegible] Episcopi & Prior [illegible] Ecclesiæ Sagiensis.

COntra Præsulem & Priorem Ecclesiæ Sagiensis tot & tanta sunt auribus nostris enormia inculcata ut ulteriùs non possimus dissimulare clamores qui ad nos de suis perversis actibus pervenerunt, cùm non solùm inutiles, verùm etiam perniciosi esse dicantur. Ne igitur sanguis eorum de nostris manibus requiratur si eos in suis duxerimus perversitatibus tolerandos, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita pleniùs & cognita veritate, si tales eos esse noveritis, à suis eos removeatis officiis, & eis viros faciatis idoneos subrogari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequantur. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

BERNARDO ABBATI monasterij sancti Petri Psalmodiensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. [illegible] De [illegible] gaudium.

QVoniam ex commisso nobis divinitus apostolatus officio tam vicinis existimus quàm longè positis debitores, viris quidem religiosis tanto specialiùs adesse nos convenit quanto ipsi majori desiderant quiete potiri, & apostolicæ sedis præsidio noscuntur pleniùs indigere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Petri Psalmodiensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Stephani, Iohannis, Vrbani, Paschalis, Honorij, & Innocentij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam &c. *usque* inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones &c. *usque* illibata permaneant. in quibus hæc &c. *usque* vocabulis. Locum ipsum &c. *usque* pertinentiis suis. In pago Nemausensi, in villa Cornelianica, Ecclesiam sancti

sancti Iuliani cum cellis suis, id est, sancti Salvatoris, & sancti Laurentij, sancti Felicis, sancti Clementis, sancti Vincentij de silva, cum ipsa silva, & plaia maris, sicut eidem cœnobio à Regibus liberè concessum est. In villa Atafcianica, Ecclesiam sanctæ Mariæ. In castro Salignano, Ecclesiam sancti Iuliani, cum Capella de Monte rotundo. In Asperas, Ecclesiam sancti Petri. In Anduſenco, Ecclesiam sancti Andreæ. In Aquaviva, Ecclesiam sancti Petri. In Margines, Ecclesiam sancti Siricij. In Malaspelles, Ecclesiam sancti Romani cum suis appendiciis. In Telliano, Ecclesiam sancti Silvestri. In Ripa stagni, Ecclesiam sancti Sebastiani. In Tovena, Ecclesiam sancti Thomæ. In Candiaco, Ecclesiam sancti Petri. In Vitrico, Ecclesiam sanctæ Mariæ. Item Ecclesiam sancti Boniti cum suis appendiciis. In Verunas, Ecclesiam sancti Salvatoris. In Venranico, Ecclesiam sancti Michaëlis. In Valle, Ecclesiam sanctæ Mariæ. In Portu villa, Ecclesiam sancti Petri. Item in alia Portu, *Ecclesiam sanctæ Mariæ. In villa Noveta, Ecclesiam sancti Sisinnij. In villa Angulari, Ecclesiam sancti Martini. In Codonniano, Ecclesiam sancti Andreæ. In Noceto, Ecclesiam sancti Iohannis. Inter vineas, Ecclesiam sancti Andreæ. In castro Albasio, Ecclesiam sancti Petri, & Ecclesiam sancti Nazarij de Marezanegues. In castro Salvinianico, Ecclesiam sancti Andreæ. In pago Arelatensi, prioratum sancti Romani cum cellis suis, id est, Ecclesiam sancti Laurentij & sancti Vincentij & sancti Michaëlis de valle Iunceria & sancti Stephani de heremo, & Ecclesiam sancti Xisti de Rocca. Et in Avinionensi pago, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Vrbana. Et in villa Termino, Ecclesiam sancti Petri cum appendiciis suis. Et juxta Tarasconem, Ecclesiam sancti Vincentij, & Ecclesiam sancti Marcelli, & Ecclesiam sancti Petri de Limaisa, & Ecclesiam sanctæ Mariæ inter aquas & sancti Romani de Bellomonte & sancti Leodegarij, quæ sunt in Aquensi pago, & Ecclesiam sancti Salvatoris de Fossa cum suis appendiciis sitam in pago Sisterico. In Sinanicis, Ecclesiam sancti Petri. In pago Avinionensi, Ecclesiam sancti Saturnini apud castrum Vellanis. In pago Aquensi, valle Amata, cellulam sancti Salvatoris cum suis appendiciis & Ecclesiam sancti Michaëlis de castro Cucurone, & Ecclesiam de Vergerio. In castro Ansuis, Ecclesiam sancti Stephani, item Ecclesiam sancti Lamberti, & Ecclesiam sancti Petri de Pomairols. In pago Attensi, Ecclesiam sancti Pauli, & Ecclesiam sancti Andreæ de Reclus, & Ecclesiam sancti Michaëlis extra civitatem Attensem. Apud Oppedam, Ecclesiam sancti Andreæ. In pago Sisterico, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Haulis, cum suis Capellis & appendiciis, id est, sanctæ Mariæ Magdalenæ de castro, & sancti Cannati, & sancti Saturnini. In castro Delfino Ecclesiam sancti Iacobi cum ipsa parrochia, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Camarlais. In pago Sustantionensi, in villa Mutatione, Ecclesiam sancti Asciscli. In Candelianicis, Ecclesiam sancti Damiani, & sanctæ Mariæ. In Mizanichas, Ecclesiam sanctæ Columbæ. In Varrenicas, Ecclesiam sanctæ Agathæ. In Cercelles, Ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Matthæi. In Sofolcinas, Ecclesiam sancti Stephani, item Ecclesiam sancti Erigij cum suis pertinentiis. In villa Corni, Ecclesiam sancti Iohannis. In castro Lupiano, Ecclesiam sanctæ Cæciliæ cum suis Capellis, id est, sanctæ Mariæ, & sanctæ Margaritæ. In Marignano, Biterrensi pago, Ecclesiam sancti Christophori cum omnibus ad eam pertinentibus. Et in Peirorio, Ecclesiam sancti Iohannis de Cassiano, & Ecclesiam sanctæ Eulaliæ, cum earum decimis, primitiis, & possessionibus. In pago Narbonensi, castro Anitiano, Ecclesiam sancti Saturnini, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Fulquiano. In pago Euletico, in valle Cumbatis, Ecclesiam sancti Britij, item Ecclesiam sancti Petri de Taraus, cum omnibus ad eam pertinentibus. In territorio Gapinco, villa de Balma, Ecclesiam sancti Marcelli. Porrò prædictum monasterium Psalmodiense nullius alterius Ecclesiæ juri ditionique subjaceat quàm Romanæ. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. *usque* providerint eligendum. Cui nimirum à diocesano Episcopo, omni professione ac exactione seposita, benedictio impendatur. Sepulturam quoque ipsius loci &c. *usque* à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VIII. Idus Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domni Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

*Illic habitum Concilium anno 897.

EPISCOPO, ET ABBATI sancti Iohannis, & Archidiacono Parmensibus.

Epist. 112. De electione Archiepiscopi Mediolanensis.

ECclesia Mediolanensi vacante, vota providere volentium eidem Ecclesiæ in pastore divisa sunt in tres partes, quibusdam venerabilem fratrem nostrum Vercellensem Episcopum postulantibus, aliis autem dilectum filium Mediolanensem Archidiaconum, & nonnullis Mediolanensem Archipresbyterum eligentibus in pastorem. Pro quibus procuratores partium ad sedem apostolicam destinati, non solùm diversa, sed adversa, tam de consuetudine quàm de pluribus aliis proponere curaverunt; sicut ea omnia vobis sub bulla nostra mittimus annotata. De quibus, cùm non possent facere nobis fidem, inquisitionem eorum nos oportuit delegare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inquisita super omnibus diligentissimè veritate, specialiter autem utrum de antiqua & approbata consuetudine omnes & singuli tam Abbates quàm Præpositi ac etiam Capellani parem cum* Ordinariis in electione Mediolanensis Archiepiscopi vocem habeant, & si nec omnes nec parem, qui & quantam, utrum videlicet non in singulis ordinum, sed in ordinibus singulorum, sit paritas attendenda, vel potiùs jus eligendi penes Ordinarios tantùm resideat, & ceteri propter honestatem solummodo vocari consueverint ad cautelam, utrumve omnes vocati fuerint, an aliqui prætermissi, quid etiam potestatis aut juris Episcopi suffraganei habeant in negotio memorato; & quæ inveneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis; ut per relationem vestram instructi, commodiùs in ipso negotio procedamus; præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani VII. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

* Vide lib. 1. epist. 569.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS per regnum Franciæ constitutis.

Epist. 113. De concubinariis absolvendis.

RIgorem mansuetudine temperantes, præsentium vobis auctoritate concedimus ut transgressores statuti quod dilectus filius Guala tituli sancti Martini Presbyter Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legatus in concubinarios promulgavit, & à vinculo excommunicationis secundùm formam Ecclesiæ absolvere valeatis & cum eis misericorditer dispensare, si urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverint, qui hactenus præsumpserunt aut amodo præsumpserint excommunicati celebrare divina, injungendo eis pœnitentiam competentem; attentissimè provisuri quatinus in hoc articulo sic flectatis ut non rumpatis neruum ecclesiasticæ disciplinæ, ne facilitas veniæ peccandi tribuat incentivum. Volumus igitur & præcipimus ad cautelam ut dispensationem eorum sedi apostolicæ reservetis qui publicè delinquentes, non verentur in populo scandalum generare. Ne verò peccantes sua non audeant propter pecuniariam pœnam confiteri peccata, fraternitatem vestram monemus & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus gratiam indulgentiæ in quæstum avaritiæ nullatenus convertatis, fines hujus mandati fideliter observantes: quoniam si aliter egeritis, non solùm divinam, verùm etiam apostolicam incurretis offensam. Datum Laterani VII. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NOBILI VIRO IACOBO Consobrino & Marescalco nostro.

Epist. 114. Contentum in fructibus quidam cubiculi Ecclesiæ Romanæ.

CVm ejus vices geramus in terris qui unicuique secundùm sua merita legitur redditurus, his qui apostolicæ sedis obsequio & pro ea etiam periculis se exponunt magnificè debemus & volumus respondere, quatinus sic labores eorum remuneremus in ipsis ut alios ad nostrum servitium inducamus. Olim siquidem cùm Marcualdus, Dei & Ecclesiæ inimicus, in devotos apostolicæ sedis & carissimi in Christo filij nostri Frederici Siciliæ Regis illustris fideles quasi desæviret impune, ac Siciliam ex multa parte ferro flammaque vastaret, regnum sibi usurpare disponens, ut eidem Regi, quem inclitæ recordationis Constantia Imperatrix tutelæ nostræ commisit, & regno, cujus balium nobis testamento reliquit, necessarium & expectatum diutiùs subsidium præstaremus, militibus quos pecunia nostra conduximus te duximus præferendum, & in Siciliam curavimus destinare. Tu ergo de mandato nostro regnum ingressus, post multas anxietates, sollicitudines, & labores, de Frederico in Calabria & Marcualdo in Sicilia faciente Domino mirabiliter triumphasti, memoriale comparans nomen tibi, & famam apostolicæ sedis extollens, quam

Vide gesta Innoc. III. cap. 37. 38.

prædictus iniquus nitebatur in illis partibus abolere. Cùmque per viarum discrimina, sub inclementia temporis & aëris intemperie, victor ad nostram præsentiam redivisses, eam gratiam in fratrum nostrorum oculis invenisti ut diligentiùs attendentes quantum pro te apostolicæ sedi accessisset honoris, laboribus tuis magnificè respondendum assererent, & non solùm consulerent, sed cum instantia plurima postularent ut tibi curaremus magnificè respondere. Nos ergo tuis respondere laboribus & utilitatibus providere volentes, castrum Nimphæ, quod quondam inclitæ recordationis Cencio Fraiapani & O. & C. ejus nepotibus bonæ memoriæ Eugenius Papa prædecessor noster pro octingentis libris denariorum Lucensium obligarat, & nos ab eorum heredibus jam pridem recollegimus, pecunia consignata, & apud nobilem virum Bononem Bonifilij de mandato senatus judiciaria auctoritate deposita, pro qua fuerat obligatum, cum omnibus pertinentiis & utilitatibus suis tibi pro summa mille librarum Provenienſium de senatu de fratrum nostrorum consilio obligavimus, tamdiu tam à te quàm tuis heredibus detinendum donec prædicta pecunia tibi vel eis esset integrè persoluta ex tunc ad Romanam Ecclesiam liberè reversurum. Ne autem si fructus quos ex eodem castro perciperes computare cogereris in sortem, plus ad incommodum quàm commodum tuum hæc obligatio redundaret, vel si aliud faceres, pro temporali lucro animæ dispendium patereris, cùm sis obsequiis nostris in marescalciæ officio deputatus, prædictum castrum in feudum tibi tamquam Marescalco nostro de solita sedis apostolicæ liberalitate concessimus; ita tamen quòd hæc nostra concessio nec nobis nec successoribus nostris præjudicium generaret quò minùs illud recolligere valeremus, feudo tamen tua vita durante. Cùm igitur tibi persoluerimus pecuniam prætaxatam, & tu nobis legitimam refutationem feceris super ea, ne super feudo ipso propter hoc valeas molestari, illud tibi juxta prædictæ concessionis tenorem auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. concessionis & confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO MVRANO.

Epist. 115. Scribitur adversùs Episcopum Melfiensem. Vide infrà epist. 235.

CIrca radices infructuosæ arboris stercora submisimus fodientes, & per tempora plurima sustinuimus si forsan fructum produceret exoptatum. Verùm quia non potest arbor mala bonos fructus facere juxta sententiam veritatis, arbor eadem sic fota stercoribus, & tamdiu expectata, non solùm fructum bonum non protulit, sed prorupit in spinas, quæ satis acriter pupugere cultorem. Hæc autem pro Episcopo Melfiensi proponimus, de quo nobis sunt sæpius nefanda & scelesta suggesta. Et cùm in ipsum, propter suorum exigentiam meritorum, manum nostram debuerimus meritò aggravare, tanta erga eum patientia usi sumus quòd porrectum nobis suorum scelerum codicillum sibi duximus transcribendum; ut illud quasi suo admoventes aspectui, eum suis oculis monstraremus, ipseque videns in eo quibus & quantis sua foret facies obnubilata pallor ibus, de cujus hoc putredinis corruptela procederet, in latibulo conscientiæ scrutaretur. Acceperamus autem, & accepta rescripseramus eidem, qualiter habitus fuerat de bonæ memoriæ Iacobi prædecessoris sui morte suspectus, quid & qualiter post obitum successoris ejusdem Iacobi firmaverit juramento, qualiter contra id venerat quod jurarat, & quomodo tandem in sua fuerat electione processum, qualiter etiam vitula, in qua tunc arabat & arat adhuc ipsam publicè retinendo, sicut manifestum est suis civibus universis, fuerit die suæ consecrationis enixa, & quomodo qui post eum venerat & descenderat ex eodem, ante ipsum fuerat factus Presbyter, & ante patrem accesserat filius ad altare. Cùm autem nobis annuntiata renuntiataque sibi eum corrigere debuissent, in tantum ipse nostros post sua projecit terga sermones quòd postmodum, sicut fuit nostris auribus intimatum, deposita penè penitùs modestia pastorali, virtutibus hostis & vitiis amicus effectus, licèt in Ecclesia sua plures personæ honorabiles haberentur tam ætate, scientia, quàm moribus idoneæ, ad officium cantoriæ dictum fecit filium in Ecclesia Melfiensi Cantorem: quo secum pariter in Choro sedente, mutua visione perpenditur quàm carnaliter alter ab altero diligatur; præsertim cùm idem Cantor nullam dicatur gravitatem morum & disciplinæ modestiam in commissa sibi dignitate servare, sed discurrat potiùs levitate propria, tamquam

simplex clericus, in contemptum Ecclesiæ ac plurimorum scandalum jugiter per plateas. Insupe retiam Episcopus supradictus nepotibus suis in cunabulis vagientibus, in gravamen eorum qui Ecclesiæ famulantur, majores præbendas tribuit & beneficia meliora. Et licet super his à Capitulo suo conventus coram judicibus & aliis probis viris pluribus civitatis, mensa & rationibus aliis quibus per eundem spoliati fuerant restitutis, se promiserit præmissa emendaturum omnia sub fidei sponsione, ipse tamen faciens ad pejora processum, mensam Canonicis subtraxit eandem, & tam ipsos quàm Clericos præbendis & beneficiis spoliatos, juris ordine prætermisso, præbendas Ecclesiæ dividit contra Concilium Turonense, eas quibus vult conferens sic divisas, ipsis Canonicis inconsultis, & subripiens eis judicia mortuorum, pœna pecuniaria Clericos suos multat contra sanctorum patrum canonicas sanctiones. Matrimonia insuper tam licita quàm illicita passim prohibet, nisi pro quibus pecunia intercedit. Adulterorum quoque publica peccata dissimulat; quia non solùm in talibus, verùm etiam & in aliis, promisso munere vel oblato, redimentes se in errore dimittit, usque adeo deditus simoniacæ pravitati quòd penes eum sine ipsa nec in Ecclesiis immolatur nec aliquod spirituale confertur. Appellationes etiam, quantumcunque rationabiliter ad sedem apostolicam interpositas, vilipendit. Licèt autem super tantis excessibus eum duxerimus hactenus in patientia supportandum, nec exeruerimus ultorem gladium in eundem, expectantes ut, si forsan pœniteret, sibi clementia nostra ignosceret ne periret, ipse tamen patientia nostræ benignitatis abusus, ut nos acriùs provocaret, de reddenda civitate Melfiæ, quam in fidelitate regia per innovata juramenta primitus solidarat, ab Ottone maledicto & excommunicato pulsari precibus non sustinuit, sed prævenit eundem; & movens in ipsa civitate discordiam, & provocans bello cives, eis de præstanda fidelitate ipsi Ottoni ab eodem commonitis, & cur hoc faceret scisitantibus, sic respondit, quòd malebat honoris proprij quàm rerum suarum incurrere detrimentum; & reddi sibi faciens civitatem, ad exhibendam ei fidelitatem & hominium spontaneus & sine inductione alicujus accessit, ad idem suos concives, quos revocare debebat, inducens, & nec excommunicationis sententiam nec perjurij notam metuens, quam ex hoc incurrere se sciebat, ei familiariùs præ ceteris Apuliæ Prælatis adhæsit, sibi manifestè in nostram injuriam & regium dispendium obsequendo. Nolentes igitur ut dictus Episcopus ex eo quòd malle se asseruit honoris proprij quàm rerum suarum detrimentum incurrere mentiatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus eundem omni appellatione cessante ab officio pontificali suspendas, ex parte nostra firmiter injungens eidem ut infra tres menses nostro se conspectui repræsentet. Alioquin ipsum ex tunc vinculo excommunicationis innodans, mandes Capitulo Melfiensi ut sibi provideant personam idoneam per electionem canonicam in pastorem. Datum Laterani Non. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Capitulo Melfiensi usque per electionem canonicam in pastorem. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus mandatum apostolicum per eundem Muranum Episcopum suscipiatis humiliter & fideliter observetis.

LVGDVNENSI ARCHIEPISCOPO

ATestationes quas nobis super monachatu dilecti filij P. de Boton Viennensis Canonici transmisisti legi fecimus coram nobis, & universa notavimus diligenter; & licèt quidam de monachis deponerent contra ipsum quòd eum ut monachum in monasterio de Insula in triplici statu viderint, in scholis videlicet, forma, & choro, & quòd annum sextumdecimum cùm ab eodem recessit monasterio compleviſſet, plures tamen pro eo quàm contra de testibus faciebant. Probabatur etenim quòd profiteri noluerit & à monasterio aufugerit memorato, se nolle respondens in monachum secundùm consuetudinem monasterij benedici & facere professionem ibidem, ex parte requisitus Abbatis, quia ibi & positus fuerat & morabatur invitus, & quòd Abbas etiam, hoc audito, illum invitum monachum se dixerit non facturum. Ad hæc mater ejus P. & .. frater .. soror, & alij consanguinei, qui de ipsius ætate notitiam habere poterant pleniorem, quòd in monasterio invitus positus fuerit se scire firmiter asserentes, ipsum in mense Augusto proximò affuturo tricesimum tertium vel ad plus tricesimum quartum annum suæ completurum fatebantur ætatis, addentes jam annum vicesi-

Edit. in Nota aij debet tertia ad manus.

mum effluxisse quòd à monasterio idem P. habitu abjecto recessérat, ad illud ulteriùs non reversus. Ex quorum depositione patebat eundem P. nondum annum quartumdecimum, cùm recessit ultimò à memorato monasterio, compleviſſe. Nos insuper ad cautelam super investiganda plenius veritate ipsum conscientiæ propriæ committentes, ex ejus responsione tenuimus quòd invitus in monasterio positus, nec in medio consenserat, nec in fine. Cùm igitur cautum reperiatur in canone ut minoris ætatis filiis, qui oblati monasterio fuerint, suscipientes habitum vel tonsuram, si à Prælatis suis anno quintodecimo requisiti, se in assumptæ religionis proposito consenserint permansuros, pœnitendi licentia præcludatur, alioquin eis non adimatur ad seculum redeundi facultas, ne coacta præstare Deo servitia videantur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus sæpedictum P. occasione monachatus illius à nemine molestari permittas, quem ob hoc nolumus temerè impediri quò minùs ecclesiasticum valeat beneficium obtinere, si quis aliàs illud sibi duxerit canonicè conferendum. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

Cap. illud autem. 20. q. 1. c. 10.

G. ABBATI MONASTERII *sancti Angeli de Plano Firmanæ diœcesis.*

Epist. 117 Eum restituit suæ abbatiæ.

CVm dilectus filius B. venerabilis fratris nostri Firmani Episcopi procurator tecum ad sedem apostolicam accessisset, & dilectum filium G. Subdiaconum & Capellanum nostrum vobis concessissemus pariter auditorem, coram eo proponere procurasti quòd cùm idem Episcopus te amoverit absque causa rationabili à regimine abbatiæ, post appellationem ad nos legitimè interpositam te carceri mancipato, Theobaldum monachum ejusdem Ecclesiæ ibidem intrusit per simoniacam pravitatem. Verùm cùm venerabilibus fratribus nostris Esculano primò & demum Anconitano Episcopis causam ipsam terminandam commiserimus singillatim, & idem Anconitanus, cognitis causæ meritis, te auctoritate nostra sententialiter ad dictam restituendum decreverit abbatiam, dando H. Farfensi monacho in mandatis ut ad locum accedens personaliter, executioni mandaret sententiam promulgatam, idem monachus id non potuit adimplere, pro eo quòd præfatus Theobaldus manu sibi restitit violenta. Quare dicti Episcopi Anconitani sententiam petebas à nobis supplicationibus attentis confirmari. Ex parte verò altera responsum ad hæc extitit ex adverso quòd cùm ab eadem sententia per ipsius Firmani procuratorem ad nostram fuerit audientiam provocatum, & nos, pro eo quòd nobis de ipso non poterat fieri plena fides, Abbati Clarevallensi de Flastra nostris dederimus litteris in præceptis ut inquisita super hoc plenius veritate, quod inveniret nobis per suas litteras fideliter intimaret, idem Abbas testibus super appellatione receptis, ipsorum depositiones nobis postmodum destinavit; ex quibus probari videbatur apertè quòd Philippus, qui probabatur procurator fuisse per publicum instrumentum Theobaldi præmissi, qui etiam inveniebatur per jamdictum Firmanum Episcopum in ipsum monasterium institutus, appellaverat à sententia memorata: quamvis tu tam contra ipsum Philippum quàm etiam contra productos testes objecisses quamplura, & dicta nitereris ipsorum testium multipliciter impugnare. Veruntamen an dictus Philippus fuerit Firmani Episcopi procurator, & ob quam causam ad nos extiterit appellatum, nec ex depositionibus illis nec aliquo etiam modo alio monstrabatur. Subjungens ipsius Firmani Episcopi procurator in ejusdem præsentia Capellani sententiam fuisse iniquam, præsertim cùm coram antedicto Anconitano Episcopo ex parte Firmani Episcopi evidenter extitisset probatum te tam appellationi objectæ quàm etiam renuntiasse regimini abbatiæ, ac juraſſe te suis omnino jussionibus pariturum, sicut ex depositionibus ab eodem Anconitano Episcopo constare videbatur testium receptorum. Propter quod supplicabat nobis humiliter præfatam sententiam infirmari. Ad hoc verò replicando ex opposito respondisti quòd à jamdicto Episcopo extitisti carceri mancipatus, & ab ipsius servientibus detentus tamdiu donec tam appellationi quàm ipsi etiam abbatiæ renuntiasti compulsus, & idem Episcopus Theobaldum præmissum intrusit ibidem vitio simoniæ, sicut hæc clarebant ex depositionibus ipsorum testium evidenter. Propter quod postulabas instanter intrusum jamdictum à memorata Ecclesia penitùs amoveri, & executioni mandari sententiam nominatam; præsertim cùm non inveniretur probatum procuratorem Firmani Episcopi ab ipsa sententia provocasse. quod, sicut superiùs est expressum, idem Episcopus coram Abbate Clarevallensi prædicto probare debebat, & is qui appellaverat, vide-

licet Theobaldus, nunquam fuisset appellationem interpositam prosecutus. Intellectis igitur his & aliis Capellanus præmissus quæ à partibus proposita fuerant coram eo, & nobis fideliter recitatis, de mandato nostro sæpefati Episcopi Anconitani sententiam confirmavit, decernens omnes illos auctoritate apostolica compescendos qui hujusmodi sententiæ contradictores inventi fuerint vel rebelles, Theobaldo præfato prorsùs amoto à monasterio memorato. Volentes igitur quod per Capellanum prædictum auctoritate nostra diffinitum est in hac parte robur obtinere debitæ firmitatis, sententiam ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani v. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Abbati Farfensi usque robur obtinere debitæ firmitatis, sententiam ipsam auctoritate duximus apostolica confirmandam, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus eandem facias per censuram ecclesiasticam appellatione postposita firmiter observari; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censura simili sublato appellationis obstaculo compescendo.

LINGONENSI EPISCOPO.

Epist. 118. Respondetur ad ejus consulta. *Cap.* Postulasti. *De Iudæis.*

POstulasti per sedem apostolicam edoceri qualiter contra Iudæum procedere debeas qui manus injecit in quendam Presbyterum violentas. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus quòd si dictus Iudæus tuæ jurisdictionis existit, ipsum pœna pecuniaria punias vel alia, secundùm quod convenit, temporali, faciens percusso satisfactionem congruam exhiberi. Alioquin dominum ejus moneas & inducas ut passo injuriam & Ecclesiæ ab eo satisfieri faciat competenter. Quòd si dominus ejus id neglexerit adimplere, tu Christianis per censuram ecclesiasticam interdicas ne cum ipso Iudæo, antequam satisfaciat, præsumant commercia exercere. Consequenter quæsisti quid [facere] debeas de quodam captivo, qui se falsò Episcopum asserens, altaria consecravit, & alia plura exercuit quæ ad officium pertinent præsulatus. Ad quod tibi taliter respondemus, ut illa quæ taliter egit irrita nunties, & ipsum perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris & aqua angustiæ sustentandum. Tertiò quæsivisti utrum illi qui in annis minoribus constituti novitiorum habitum susceperunt, & infra annum postmodum * facta professione ad seculum sunt reversi, & ab Episcopis suis hoc scientibus ad sacros ordines sunt promoti, sustineri debeant in illis Ecclesiis ministrare in quibus fuerint ab eisdem Episcopis instituti. Nos ergo fraternitati tuæ breviter respondemus quòd propter hoc non sunt ab ipsis Ecclesiis amovendi, sed in eis possunt liberè ministrare; nisi fortè prudentia suppleverit in illis ætatem, ut saltem transire debeant ad regulam laxiorem, cùm ipsi absque protestatione religionis habitum assumendo vitam præsumantur proposuisse mutare. Datum Laterani v i i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

* In quibus locis non facta professio etiam in seculo. *Gabriel.*

Vide lib. 16. epist. 10. *Cap.* Postulasti. *De regular.*

DECANO, ET MAGISTRO Henrico Canonico Trecensibus, & Thesaurario Villæ Mauri Trecensis diœcesis.

Epist. ex Adversis ecclesiæ S. Stephani Autissiodorensis apud Labb. epist. 180.

COnstitutus in præsentia nostra dilectus filius I. Presbyter Ecclesiæ sancti Christophori de * Sessiaco lachrymabili nobis conquestione monstravit quòd quia contra Priorem ejusdem loci Antisiodorensis diœcesis, qui tantum percipiebat de proventibus Ecclesiæ memoratæ quòd de residuo nullatenus poterat sustentari, nostras ad venerabilem fratrem nostrum Aurelianensem Episcopum & conjudices suos litteras impetravit, idem Prior sic ei fecit in ipsa villa commercia denegari ut à domo quam conduxerat, cùm propriam non haberet, fuerit exire compulsus ac in ipsa Ecclesia diutiùs habitare, cunctis ei humanitatis officia ob metum Prioris & monachorum timentibus exhibere. Denique cùm in solemnitate omnium sanctorum pro necessitatibus suis à præfata Ecclesia paululùm discessisset, à D. & aliis familiaribus memorati Prioris ita fuit lapidibus impetitus quòd mortis, ut credit, non evasisset periculum nisi in eandem Ecclesiam se subitò recepisset. Porrò cùm præfati Episcopus & conjudices sui mandatum nostrum volentes exequi statuissent ut de proventibus ipsius Ecclesiæ æstimationem decem librarum Parisiensis monetæ omnibus computatis perciperet annuatim, & in terram Prioris ac homines, quia facto se opponebant ipsorum, promulgassent sententiam interdicti, I. monachus, S. Cellerarius, Cle. & quidam alij servientes Prioris, eum in ipso dominicæ nativitatis die durissimè verberatum, demum adeo graviter in capite vulnerarunt ut præter dolores alios & læsuras, irremediabilem auditus incurrerit læsionem: qui ad eundem Priorem semi-

vivus adductus, ut vel sic posset evadere, juramento firmavit quòd sibi vel suis præterquam I. monacho & Constant. quæstionem super iis de cetero non moveret. Propter cujus enormitatem excessus venerabilis frater noster Antisiodorensis Episcopus, qui loci diocesanus existit, Ecclesiam & villam Sessiacensem supposuit interdicto. Postmodum verò cùm idem Presbyter jam convaluisset utcunque, Abbas sancti Germani, ad quem Sessiacensis pertinet prioratus, auctoritate quarundam generalium litterarum obtentarum antequam dictus Presbyter præfatam Ecclesiam habuisset, coram judicibus Aurelianensibus eundem traxit in causam; sæpedicto Priore occasione aliarum litterarum similiter generalium ipsum nihilominus citari Bituricas faciente, ut sic jugibus deficeret laboribus & expensis. Vnde consumpto modico patrimonio quod habebat, necessaria tandem coactus est mendicare. Et licèt constaret eum malitiosè vexatum, judices tamen ei cum instantia postulanti expensas restitui non fecerunt. Ceterùm Prior à jamdicto Aurelianensi Episcopo & conjudicibus suis auctoritate nostra excommunicationis sententia innodatus pro eo quòd pertinaciter veniebat contra ordinationem eorum factam super provisione Presbyteri memorati, per nuntium suum nobis suggerere procuravit quòd iidem judices post appellationem ad nos legitimè interpositam supposuerant terram suam & homines interdicto; & sic de lata in eum excommunicationis sententia, diocesani etiam interdicto, ac ordinatione provisionis, dicti Presbyteri non habita mentione, nostras ad Abbatem sancti Benigni Divionensis & conjudices suos litteras impetravit. Qui eidem Presbytero personaliter coram eis præfixo sibi termino comparenti petitas deliberandi inducias denegarunt & legitimas exceptiones ipsius, quas tam super excommunicatione Prioris quàm suspicione litterarum, quarum filum ruptum certiùs videbatur, ac etiam interdicto diocesani Episcopi opponebat, admittere recusantes, post appellationem ad nos his & aliis causis à prædicto Presbytero interpositam, sententiam interdicti, quam Aurelianensis Episcopus & conjudices ejus interram Prioris protulerant, in ejus præjudicium revocarunt. Quo prætextu jamdictus Prior, licèt excommunicationis sententia, quam idem Aurelianensis Episcopus & conjudices sui protulerant in eundem, remanserit innodatus, & interdictum in Ecclesiam & villam de Sessiaco à diocesano Episcopo pro verberatione dicti Presbyteri promulgatum relaxatum non fuerit, divina tamen celebrare præsumit, & per se ac monachos suos parrochianis sæpetati Presbyteri ecclesiastica sacramenta ministrans, oblationes pertinentes ad ipsum in proprios usus convertere non veretur. Quia igitur hæc, si vera sunt, sub dissimulatione transire nec volumus nec debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si vobis constiterit de præmissis, revocato in statutum debitum quicquid per dictos Abbatem sancti Benigni & conjudices ejus post appellationem ad nos legitimè interpositam in præjudicium præfati Presbyteri extitit attentatum, interdicti & excommunicationis sententias tam à sæpefato Episcopo Aurelianensi & conjudicibus suis quàm à loci diocesano in villam & homines de Sessiaco promulgatas faciatis usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Illos verò quos in sæpefatum Presbyterum constiterit manus temerarias injecisse tamdiu excommunicatos publicè nuntietis & faciatis ab omibus arctiùs evitari donec passo injuriam satisfecerint competenter, & cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi. non obstantibus litteris quas à venerabili fratre nostro Episcopo Tusculano super absolutione sua obtinuisse dicuntur tacita veritate. Priorem verò, si eum in hoc constiterit fuisse culpabilem vel excommunicatum celebrasse divina, ab officio beneficioque suspensum ad nostram præsentiam cum vestris litteris veritatem pleniùs continentibus transmittatis. Expensas autem quas eundem Presbyterum fecisse constiterit per malitiosam vexationem Abbatis sancti Germani & antedicti Prioris, sicut justum fuerit, restitui faciatis eidem; in præmissis omnibus sublato appellationis obstaculo processuri. Testes autem, &c. *usque* subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ABBATI SANCTI COSMÆ de Vicovario, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 110. Recipiuntur

QVotiens postulatur à nobis quod religioni & honestati convenire dinos-

ſub protectione ſedis apoſtolicæ.

citur, animo nos decet libenti concedere & juxta petentium voluntatem conſentaneum rationi congruum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & monaſterium ipſum ſancti Coſmæ, quod ad jus & proprietatem beati Petri ſpecialiter pertinet, ad exemplar felicis memoriæ Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo monaſticus &c. *uſque* illibata permaneant, in quibus hæc &c. *uſque* vocabulis Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Viti de Vicovaro cum omnibus pertinentiis ſuis, ſanctæ Mariæ de Marcianello, ſancti Petri de Ferrata, ſanctæ Mariæ de Cantalupo, & ſancti Felicis Eccleſias, cum omnibus pertinentiis ſuis, jus quod habetis in Eccleſiis ſancti Salvatoris & ſancti Nicolai de Cantalupo, Eccleſiam ſancti Angeli de Rocca Iovere, quatuor denarios Papienſes pro penſione ab eadem Rocca, in Vicovaro Eccleſiam ſanctæ Luciæ cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Ianuarij de Catiniano cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ Eugeniæ cnm pertinentiis ſuis, quinque denarios Papienſes quos à monaſterio ſancti Clementis Tiburtini percipere debetis, caſalem Cerriti Plani, & caſalem in Martianello cum pertinentiis ſuis. Ad hæc ſtatuimus ut idem monaſterium veſtrum nulli niſi Romano Pontifici ſit ſubjectum, nec ab eo quicquam ab alio aliquo Clerico ſeu laico exigatur, excepto uno prandio quod Tiburtino Epiſcopo cum ſeptem tantùm perſonis ſemel in anno, ſi ipſum ad monaſterium veſtrum fortè venire contigerit, perſolvetis. Chriſma verò, oleum ſanctum &c. *uſque* quod poſtulatur impendat. Præterea quatuor molendina de Precis, quæ ſedent in pede ripæ ſanctorum Coſmæ & Damiani, molendinum quod ſedet ſub fonte Piccicaroli, ſedium molendini in rivo de Runci, molendinum in eodem loco quod habetis cum Iohanne de Runci, & terram quam habetis in tenimento Sambuci, vobis nihilominus auctoritate apoſtolica confirmamus. Sepulturam præterea ipſius loci &c. *uſque* nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo &c. *uſque* uſibus omnimodis profutura. ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ à ſede apoſtolica libertatis duas libras ceræ nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur in futurum &c. *uſque* diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *uſque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Idibus Iunij, Indictione XV. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo quinto.

GLASGVENSI ET BRECHINENSI Epiſcopis.

Epiſt. 12. De electione Epiſcopi Dunkeldenſis.

DIlecti filij H. Archidiaconus & Capitulum Eccleſiæ Dunkeldenſis, & Abbas de Scona, Prior de Inſula, & univerſus clerus Dunkeldenſis dioceſis ſuis nobis litteris intimarunt quòd bonæ memoriæ R. Epiſcopo eorundem viam univerſæ carnis ingreſſo, ipſi convenientes in unum de ſubſtitutione Pontificis tractaturi, dilectum filium Iohannem Archidiaconum Laodoniæ, invocata ſpiritus ſancti gratia, in Epiſcopum ſibi concorditer elegerunt, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Willelmus Scotiæ Rex illuſtris electioni eorum benignum aſſenſum præbuit, ſicut ipſius litteræ teſtantur. Vnde dilecti filij R. & R. nuntij eorundem nobis humiliter ſupplicarunt ut cùm præfata Eccleſia ſedem apoſtolicam nullo mediante reſpiciat, electionem ipſam auctoritate apoſtolica confirmantes, ipſum faceremus in Epiſcopum conſecrari. Verùm P. nuntius venerabilis fratris noſtri Epiſcopi ſancti Andreæ in noſtra præſentia conſtitutus poſtulavit inſtanter ut cùm de conſuetudine hactenus obſervata idem Epiſcopus, ut dicebat, Epiſcopos Scotiæ debeat conſecrare, præfatum electum conſecrandum ad eum mittere dignaremur. At nuntij memorati, bonæ memoriæ Celeſtini Papæ ac noſtrum privilegium allegantes, in quo continetur expreſsè quòd omnes epiſcopatus Scotiæ immediatè apoſtolicæ ſedi ſubſunt, inter quos connumeratur & iſte, aſſeruerunt quòd præfatus Epiſcopus id ſibi de jure non poterat vendicare. Sed & nuntius ſupradictus propoſuit quòd idem Epiſcopus ſuper hoc apoſtolicæ ſedis erat ſcripto munitus. Quia igitur idem nuntius intentionem ſuam fundare non potuit, & Eccleſiæ memoratæ tamdiu differre conſecrationem electi ſui poſſet eſſe valde damnoſum, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus examinata

nata electione pariter & electo, si eam inveneritis de persona idonea canonicè celebratam, ipsam sublato appellationis obstaculo auctoritate apostolica confirmetis, & sine utriusque partis præjudicio alter vestrum, si ambo nequiveritis interesse, accersitis sibi duobus vicinis Episcopis, ipsum in Præsulem studeat consecrare, ac juramentum fidelitatis nomine nostro recipiat ab eodem sub forma quam vobis sub bulla nostra mittimus intercluſam. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

POPVLO MEDIOLANENSI, spiritum consilij sanioris.

Epist 112. Adversùs Orationem Imper.

MIrari cogimur & moveri quòd præteritorum immemores & improvidi futurorum, conversi estis in arcum perversum & in reprobum sensum dati, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri vestræ devotionem & obedientiam subtrahendo, quæ vos multis beneficiavit honoribus & magnis beneficiis honoravit, & ei pertinaciter adhærendo qui suis benefactoribus consuevit retribuere mala pro bonis, offensam pro gratia, & injuriam pro honore; sicut ex iis quæ contra nos egisse dinoscitur potuistis perpendere manifestè. An fortè putatis quòd alia vobis rettibuet quàm reddit ipse nobis? Nam si hoc fecit in viridi, quid in arido est facturus? Licèt autem ex iis quæ nunc agitis gratia nostra vos reddatis indignos, quia tamen mater oblivisci non potest filiorum uteri sui, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus saniori utentes consilio revertamini ad devotionem & obedientiam matris vestræ, super excessibus vestris, & specialiter super eo quòd dilectos filios Ordinarios Mediolanensis Ecclesiæ nuper eicere præsumpsistis, Deo & nobis taliter satisfacere satagentes ut pœnam vitare possitis & gratiam adipisci. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

TRECENSI EPISCOPO, ET Abbati Clarevallensi Cistercienſis ordinis Lingonensis diœcesis, & magistro Henrico Canonico Trecensi.

Epist. 113. De negotio Episcoporum Aurelianensis & Antissiodorensis. Vide supra epist. 108. 109.

DE prudentia Senonensis Archiepiscopi non possumus non mirari, qui post appellationem ad nos legitimè interpositam, & contra nostri formam mandati, perversè processit in causa quam ad petitionem carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris sibi duximus committendam super relaxanda sententia interdicti quod in terram ejus venerabiles fratres nostri Aurelianensis & Antisidiorensis Episcopi protulerunt, si prædictus Rex eis illud offerret quod esset meritò acceptandum, & licèt ipsi jusserimus ut, si fieri posset, postposito utrinque judicio ad amicabilem compositionem intenderet, ipse tamen, turbato negotio potiùs quàm sedato, nec compositionem facere studuit nec judicium exercere. Vnde, nisi regiæ voluissemus serenitati deferre, taliter eum corripere curassemus quòd ejus profectò non remansisset impunitus excessus. Cùm igitur quod ab eo est inordinatè præsumptum, ipso jure sit irritum & inane, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ejus processum & quicquid occasione ipsius inveneritis attentatum, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo irritum nuntietis, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ATREBATENSI EPISCOPO.

Epist 114. Ejusdem argumenti cum epistola 63. libri 14.

DVdum dilectis filiis Majore, Iuratis, Scabinis, & universitate communiæ Laudunensis conquerentibus nostro est apostolatui reseratum quòd dilecti filij electus & clerus Laudunensis aliique viri ecclesiastici sæpe in eos & in terras ac familias eorum excommunicationis & interdicti sententias sine causa rationabili ac juris ordine prætermisso promulgant, ipsos per hujusmodi sententias multipliciter contra justitiam aggravantes, licèt super his de quibus impetuntur à quoquam sint exhibere parati quod postulat ordo juris. Nolentes igitur eosdem ecclesiastica districtione indebitè prægravari, cùm ex apostolicæ servitutis officio sublevare teneamur injustè depressos, eis & aliis auctoritate apostolica curavimus districtiùs inhibere ne in ipsos vel eorum quemlibet seu terras aut familias eorundem sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias promulgarent, decernentes hujusmodi sententias, si quæ post appellationem ad nos propter hoc legitimè interpositam fuerint promulgatæ, penitùs non tenere. Quia verò eisdem conquerentibus intelleximus quòd præfati electus &

clerus, inhibitione nostra contempta, nituntur eis modis omnibus obviare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si forsan illi vel alij contra formam inhibitionis præmissæ præsumpserint eos indebitè molestare, tu sententias in eos temerè promulgatas secundùm formam Ecclesiæ auctoritate nostra relaxes, ita quòd conquerentibus satisfaciant competenter; quia dissolvi nolumus nervum ecclesiasticæ disciplinæ. Hanc autem jurisdictionem tibi concessam usque ad triennium volumus prorogari; ut interim cognoscamus utrum illi temerè contra istos, an isti contra illos indebitè moveantur. Salvis semper sententiis ex delegatione apostolica promulgatis. Datum Laterani 11. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NOBILI VIRO W. MILITI de Tigne.

Ep. 115. De jure patronatus.

CVm causam quæ inter te ex parte una & Andegavense Capitulum ex altera super jure patronatus Ecclesiæ de Tigne vertebatur felicis memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster venerabili fratri nostro Mauricio quondam Nannetensi, nunc verò Pictavensi Episcopo & conjudicibus suis duxerit committendam, ipsi partem citantes utramque, quia dictum Capitulum termino constituto non comparuit coram eis, te causa rei servandæ in possessionem ejusdem Ecclesiæ induxerunt, & licèt idem Capitulum infra annum cautionem exposuerit standi juri, non tamen possessionem ejusdem Ecclesiæ potuit adipisci, te super hoc violentiam inferente. Vnde cùm utriusque partis procuratores demum ad nostram præsentiam accessissent, dilectum filium nostrum Benedictum tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem eis concessimus auditorem. Qui auditis & intellectis partis rationibus utriusque, te de mandato nostro ad restituendam Ecclesiam Andegavensi Capitulo condemnavit. Cujus executionem sententiæ venerabili fratri nostro Episcopo Nannetensi & conjudicibus suis commisimus; salvis rationibus tuis, si quas coram ipsis duceres proponendas. Super quibus iidem judices te audire nullatenus voluerunt nisi priùs fructus ipsius Ecclesiæ, quos nec tu nec alius nomine tuo perceperat, sicut firmiter asserebas, dicto Capitulo resarcires; te nihilominus ad restitutionem quinque milium solidorum post appellationem ad nos legitimè interpositam nomine fructuum condemnantes. Sed postmodum ad Priorem sancti Hilarij de Cella & collegas suos delegari nostras obtinuisti litteras sub hac forma, ut si constaret te post appellationem ad nos legitimè interpositam ab Episcopo Nannetensi & conjudicibus suis condemnatum fuisse, ipsorum revocato processu, de negotio cognoscerent principali, alioquin partes per eos ad priorum judicum remitterentur examen. Coram quibus cùm in tantum fuerit litigatum quòd jam sola sententia deberet proferri, placuit partibus ut priorum processu judicum remanente interim in suspenso, iidem judices de principali cognoscerent, & tota demum causa fideliter ad nos remitteretur instructa. Testibus igitur productis ab utralibet partium coram eis, & de consensu ipsorum postmodum publicatis, post disputationem diutinam, tam eorum quàm etiam priorum processum judicum sub sigillis ad nos propriis iidem judices remiserunt. Post hæc verò tibi ac procuratori dicti Capituli in nostra præsentia constitutis dilectum filium nostrum Petrum tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo interrogari petisti procuratorem prædictum utrum in villa tua sita esset Ecclesia memorata, super cujus patronatu inter te ac præmissum Capitulum quæstio vertebatur. quod utique dictus concessit procurator de plano. Et secundò interrogatus ac tertiò utrum crederet progenitores tuos aliquid juris habuisse in Ecclesia memorata, vel ab eisdem fuisse fundatã, utrumque credere se respondit, protestans te audiendum non esse nec ad diffinitivam sententiam procedendum nisi priùs restitueres Andegavensi Capitulo quinque millia solidorum in quibus eidem per dictum Nannetensem Episcopum & suos collegas fueras condemnatus; præsertim cùm appellationem quam te ab eisdem interposuisse dicebat legitimo tempore non fueris prosecutus; quo suppresso, apostolicas litteras obtinuisti ad Priorem sancti Hilarij de Cella & suos conjudices delegari. Quorum processum nullum asserebat omnino pro eo quòd fines apostolici mandati transgressi, priusquam eis constaret de appellatione legitima, de proprietate cognoscere præsumpserunt, cùm aliter jurisdictioni ordinariæ non præessent, ratione cujus in eos posset à partibus consentiri. Nec factas confessiones coram auditore Capitulo præjudicare dicebat, cùm in eo processu, qui subsistere non poterat, constitutus fuerit procurator, & si etiam

processus teneret, quòd tamen instructa remissa fuerat causa ipsa, interrogationes ulteriùs fieri non debebant, sed esset potiùs ad diffinitivam sententiam procedendum. Ad hæc autem per ordinem respondisti non esse tibi aliquatenus imputandum si infra annum appellationem non fuisti prosecutus objectam, cùm eo tempore captus fueris, sed quàm citò fuisti redditus libertati, appellationem fuisti interpositam prosecutus, sicut tuis probatur testibus evidenter; ad restitutionem dictorum quinque millium solidorum te asserens non teneri, tum quia post appellationem ad nos legitimè interpositam sententia lata fuit, tum quia fructus ipsius Ecclesiæ ad sæpefatum Capitulum minimè pertinebant; & si etiam pertinerent, non tamen probatum extitit te vel alium tuo nomine ipsis idem Capitulum spoliasse vel fructus aliquos ex eadem Ecclesia per te vel per alium percepisse. Ad id verò quòd dictum est contra processum judicum ultimorum, videlicet quòd formam apostolici rescripti transgressi, priùs de proprietate quàm de appellatione cognoverant, nec aliter iidem judices jurisdictioni præerant ut in eos posset de consensu partium consentiri, frivolum est omnino, cùm de partium voluntate, priorum judicum remanente processu, jurisdictio fuerit prorogata. Quod fit quandoque, de tempore ad tempus, de quantitate ad quantitatem, de re ad rem, de persona ad personam, de contractu etiam ad contractum, sed alio modo, prout tam in jure canonico quàm civili colligitur evidenter. Quorum aliquis etsi aliter jurisdictioni forsitan non præesset, constabat tamen eos ex nostra delegatione jurisdictionem habere. Nec obstat quod pars adversa dicebat interrogationes ulteriùs fieri non debere postquam instructa remittitur ipsa causa, cùm contrarium obtineat tam de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ usque ad diffinitivam sententiam quotiens expedit partes interrogat, quàm de jure. Nos igitur intellectis per auditorem prædictum quæ proposita fuerant coram eo, quia nobis constitit ex confessionibus procuratoris Capituli sæpefati intentionem tuam fuisse fundatam, & etiam usum, qualemcunque probasti, nec ex parte Capituli quicquam de proprietate, neque aliquid probatum fuit sufficienter de usu, jus patronatus tibi adjudicamus Ecclesiæ memoratæ, perpetuum super hoc silentium Andegavensi Capitulo imponentes. Ad hæc, ab impetitione ejusdem Capituli super quinque millibus solidorum te duximus absolvendum, cùm non probaverint de fructibus ejusdem Ecclesiæ te aliquid percepisse. Nulli ergo &c. *usque* diffinitionis &c. Datum Laterani 11. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc dilectis filiis Aureæ vallis, sancti Launi Toharcensis & de Ferraria Abbatibus Pictavensis dioceseis usque aliquid percepisse. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est ratione prævia diffinitum, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 126. De jurisdictione ecclesiastica burgi Dolensis. *Vide quintam compilationem lib.* 1. *tit.* 1 *c.* 6

CVm inter te ex parte una & dilectos filios Abbatem & conventum Dolensis monasterij ex altera super ecclesiastica jurisdictione quam in Clericos & laicos burgi Dolensis tam de jure communi quàm ex privilegiis Bituricensi Ecclesiæ ab apostolica sede concessis tibi competere proponebas, asserendo quòd Abbas & conventus prædicti te super eadem præsumpserant molestare, parte monasterij in contrarium proponente jurisdictionem eandem ad se per privilegia multorum Romanorum Pontificum pertinere, & quòd tu super ipsa idem monasterium molestabas, controversia coram nobis & etiam coram judicibus delegatis fuerit diutiùs agitata, & ab eisdem ad nos causa remissa sufficienter instructa, nos tandem te ac ipsius monasterij procuratoribus componendi plenariam habentibus potestatem in nostra præsentia constitutis, pro bono pacis, de consensu vestro & fratrum nostrorum consilio sic duximus providendum; ut videlicet cùm in burgo Dolensi tres sint parrochiales Ecclesiæ, una illarum, scilicet Ecclesia sancti Stephani, cum Capellano inibi serviente ad Dolense monasterium pertineat pleno jure, ac omnes homines ipsius monasterij manentes in præsentiarum in burgo Dolensi, & etiam homines monasterij qui aliunde ad burgum ipsum accesserint habitandum, necnon & alij quilibet qui homines monasterij fient & inhabitaverint burgum, cum omni posteritate sua ad ejusdem dominium pertinente ac manente in burgo, Clerici quoque qui sunt vel fuerunt vel fuerint filij hominum monasterij, manentes in burgo, erunt parrochiani Ecclesiæ supradictæ, & Abbas

monasterij memorati in eos omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam in casu quolibet obtinebit; ita quod tu ac ministri tui in eadem Ecclesia, Capellano, & aliis hominibus tam Clericis quàm laicis, qui juxta determinationem nostræ provisionis existunt vel erunt parrochiani ejusdem, quandiu in eodem burgo manserint, nullam habebitis jurisdictionem omnino, & eosdem vobis excommunicare seu absolvere non licebit; super his Abbati à nobis plenaria potestate concessa. Quòd si Clerici filij hominum monasterij extra burgum manentium ad ipsum inhabitandum accesserint, & in domibus parrochianorum monasterij manserint, vel ad manendum domos emerint, vel conduxerint ab eisdem, parrochiani erunt Ecclesiæ supradictæ; alioquin iidem erunt tuæ jurisdictioni subjecti. In reliquis verò duabus Ecclesiis, videlicet sancti Germani, & sanctæ Mariæ parvæ, Abbas & monachi monasterij sæpedicti præsentationem Capellanorum habebunt tantummodo & census ac obventiones quas in eis hactenus habuerunt; in quibus & Capellanis earum, Clericis, & omnibus aliis hominibus tam Clericis quàm laicis in ipso burgo vel extra manentibus, præter illos qui secundùm determinationem præfatam pertinent ad ecclesiasticam jurisdictionem Abbatis, omnimodam jurisdictionem episcopalem & consuetudines tam in denariis Pentecostalibus quàm in treuga, communia, & ipsa sequenda jurandis, ac in aliis, necnon procurationibus tuis Archidiaconi & Archipresbyteri & omnimoda obedientia, sicut habes in aliqua Ecclesia vel persona Bituriæ, obtinebis. Quòd si homo monasterij alterius domini feminam vel alterius domini homo monasterij feminam duxerit in uxorem, quandiu legi viri fuerit alligata, cum liberis susceptis ex eo forum sequetur & parrochiam viri sui; cùm autem à lege viri soluta, ad jurisdictionem ecclesiasticam & parrochiam ad quam pertinebat primitus revertetur. Præterea si monasterium alterius hominem in burgo manentem quomodolibet acquisierit, vel homo Abbatis ad alterius dominium transferatur, homo ille sub illius jurisdictione ecclesiastica sub cujus in burgo primitus fuerat remanebit, nec propter mutationem domini temporalis ecclesiasticam jurisdictionem mutabit. Si verò aliquis monasterij & alterius domini homo communis existat, in uno anno tuus, & in alio sit parrochianus Abbatis; nisi forsan per exæquationem tuam & Abbatis ipsius aliter statuatur. Cùm autem Abbas Clericum ad suam jurisdictionem ecclesiasticam pertinentem tibi ad Ecclesiam aliquam præsentarit, ipse ad eandem admissus ex toto tuæ jurisdictioni ecclesiasticæ subjacebit; salvo jure Abbatis in rebus patrimonialibus, si quæ habet. In repræsentando verò quemlibet Clericum ad vacantem Ecclesiam dicet Abbas: *Clericum istum ad Ecclesiam illam vacantem elegi, & eundem tibi præsento.* Homines verò Abbatis vel alterius extra burgum manentes, qui fuerant parrochiani Ecclesiæ sancti Stephani supradictæ, parrochiani alterius illarum Ecclesiarum quæ tibi subsunt existent. Sed Ecclesia sancti Germani, quia in ipsa majorem quàm in Ecclesia beatæ Mariæ parvæ monasterium habet censum, plures quàm illa parrochianos habebit. Quòd si fortè homo aliunde in burgo veniens pro aliqua causa, priusquam maneret in burgo, à te vel à tuis citatus fuerit, vel excommunicationis vinculo seu alia sententia innodatus, quantum ad jurisdictionem ecclesiasticam coram te causa hujusmodi decidetur; & eadem forma de homine monasterij manente in burgo, si se transtulerit aliàs, servabitur pro Abbate. Ceterùm homines monasterij in illa parte burgi manentes quæ Raschaz dicitur, erunt parrochiani Ecclesiæ sancti Dionysij, sicut primitus extiterunt, & tuæ in omnibus jurisdictioni subjecti, sicut alij ejusdem parrochiæ qui habitant extra burgum. Et sic tota illa parrochia sancti Dionysij cum omnibus hominibus habitantibus in eadem, cujuscunque dominij sint, sive monasterij, sive alterius, tuæ jurisdictioni ecclesiasticæ in omnibus, sicut alia quælibet de Bituria, de cetero subjacebit. Tu verò pro illis hominibus monasterij qui ad præsens in eadem parte burgi morantur, de hominibus Militum vel aliorum tuæ jurisdictioni subjectis in burgo manentibus totidem homines æquipollentes eisdem juxta bonorum virorum arbitrium recompensabis monasterio memorato, qui cum omni posteritate sua tam Clericis quàm laicis de cetero Ecclesiæ sancti Stephani parrochiani existant, & in ecclesiastica jurisdictione omnimodo, sicut ejus homines, ipsi monasterio sint subjecti; & super his ejusdem loci Abbati tuas litteras assignabis. Si verò in Capella de Petrina monachus sacerdos vel Clericus priùs ad jurisdictionem Abbatis pertinens ministraverit, ejusdem Abbatis jurisdictioni ecclesiasticæ subjacebit, alioquin tuæ jurisdictionis existet. In eadem quoque Capella in præcipuis se-

ſtivitatibus & beatæ Mariæ ac Apoſtolorum necnon diebus dominicis non admittetur quiſpiam ad divina, niſi infirmi tantummodo ibidem manentes, & ſervientes eorum. In privatis verò diebus, ſi quis in ea divina ex devotione audire voluerit, non vetetur. Præterea ſi quando tu vel officiales tui Eccleſiam ſancti Germani ſuppoſueritis interdicto, in eadem Capella celebrabitur voce ſubmiſſa, clauſis januis, non pulſatis campanis, & nullo admiſſo niſi pauperibus & infirmis & ſervientibus eorundem. Ceterùm ſi forſan terra domini Caſtri Radulfi interdicto ſuppoſita generali fuerit, in Eccleſia ſancti Stephani ſubmiſſa voce, clauſis januis, & non pulſatis campanis, celebrabuntur divina; dummodo interdictum illud in aliis duabus Eccleſiis, videlicet ſancti Germani & ſanctæ Mariæ parvæ, facias obſervari. De quæſtionibus verò ad invicem motis ſuper his quæ ſunt extra burgum taliter eſt proviſum, ut Capellani Eccleſiarum quarum ad monaſterium jus pertinet patronatus, omnia mobilia ſive immobilia ſpecialiter ſibi legata integrè ſine percunctatione percipiant, & Priores faciant illud idem de his quæ ſibi ſpecialiter legabuntur. Illud autem quod legatum fuerit Eccleſiæ, ac determinatum extiterit ad uſum aliquem, utpote ad fabricam, luminare, vel hujuſmodi, uſui illi cedet; ſi verò ſimpliciter Eccleſiæ legatum fuerit, inter Priorem & Capellanum æqualiter dividetur. In Eccleſia verò illa in qua Prior non reſidet, in uſum capellaniæ convertetur totaliter, niſi fuerit ſpecialiter Priori legatum. Bona quoque Capellanorum decedentium per Eccleſias acquiſita penes capellanias, ſive condiderint teſtamentum, ſive inteſtati deceſſerint, remanebunt. Determinari etiam debet quid ad Capellanum & quid ad Priorem pertineat, ac ſuper hoc ſcriptum authenticum fieri, quod tuo ſigillo ſignabitur & Abbatis. Et ſi forſan inter Priorem & Capellanum ſuper jure capellaniæ vel Eccleſiarum proventibus temporalibus quæſtio aliqua oriatur, Prior coram Abbate, Capellanus verò in tua vel officialium tuorum curia reſpondebit. Porrò Capellæ beatæ Mariæ de Cuſlene major Capellanus, qui eſt de Praa, à te totam curam recipiet, & onus illius pariter ſuſtinebit, ac officiabit eandem vel officiari faciet per idoneum ſacerdotem, ita quòd cultus divini nominis ibidem nullatenus minuetur; & illius Vicarius præſtito juramento promittet ſe tua jura & ſententias ſervaturum. Inſuper domus de Chamin de Cloys, cum illa de Perer Crocet ac illa de Cloys & quolibet alio jure ſuo, tibi liberè remanebit. Domum etiam de Oblinquo, quæ in cimiterio dicitur eſſe conſtructa, voluntati & proviſioni Abbatis & ejuſdem loci Prioris relinques, nec ipſum Priorem ſuper eadem per te vel aliquem miniſtrorum tuorum de cetero moleſtabis. Ad hæc autem eſt renuntiatum hinc inde quibuſlibet privilegiis & indulgentiis utrinque ſuper præmiſſis omnibus à ſede apoſtolica impetratis; & nos ipſa, quantum ad præmiſſa omnia, viribus carere decernimus. Salva tamen temporali juriſdictione Abbatis in omnibus quæ infra cruces burgi conſiſtunt. Vt igitur hæc noſtra proviſio robur perpetuæ obtineat firmitatis, ipſam auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani XVII. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

Vide lib. 11. epiſt. 161.

ARCHIEPISCOPO BITVRICENSI, & Epiſcopo Lemovicenſi, & Abbati Dalonenſi Ciſtercienſis ordinis Lemovicenſis diœceſis.

Epiſt. 117. De electione Abbatis Tutellenſis.

DIlgenter auditis & perſpicaciter intellectis quæ coram nobis propoſita ſunt à partibus ſuper duabus electionibus in Tutellenſi monaſterio celebratis, & delegatorum proceſſu, qui unam caſſantes, aliam confirmarunt, penſatis nihilominus natura & qualitate negotij, quibus potiùs duxrimus inhærendum, ipſorum delegatorum ſententiam ratam habentes, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus quatinus eam auctoritate noſtra faciatis inviolabiliter obſervari, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ANGELO ABBATI ET conventui ſancti Alexij de Vrbe.

Epiſt. 118. Confirmat illis vineas montis Aventini.

CORam dilecto filio noſtro Petro tituli ſanctæ Cæciliæ Preſbytero Cardinale, quem ſyndico Eccleſiæ ſanctæ Priſcæ ac yconomo monaſterij veſtri conceſſimus auditorem, idem ſyndicus nomine Eccleſiæ ſanctæ Priſcæ omnes vineas in monte Aventino poſitas, quas idem monaſterium poſſidebat, ab yconomo ipſo petebat,

quas pertinere ad Eccleſiam ſanctæ Priſcæ per inſtrumenta donationum Philippi & Epiphanij oſtendere nitebatur. Verùm pars veſtra reſpondens dictas vineas juris eſſe monaſterij ſancti Alexij, prout per inſtrumentum donationis Eufimiani, cujus donatio prædictorum Philippi & Epiphanij donationem tempore longo præceſſerat, liquidò apparebat, poſſeſſionem inſuper longiſſimam allegabat, quam per inſtrumenta locationum & privilegia Pontificum Romanorum & teſtes plurimos manifeſtè probavit. His igitur nobis per Cardinalem eundem fideliter explicatis, nos viſis & auditis inſtrumentis ac confeſſionibus utriuſque partis, & atteſtationibus & allegationibus intellectis, de fratrum noſtrorum conſilio yconomum veſtrum nomine ipſius monaſterij ab impetitione ſyndici ſanctæ Priſcæ ſuper dictis vineis ſententialiter duximus abſolvendum. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ templi.

Epiſt. 129. De violenta manuum injectione in Clericos.

EA quæ pro defenſione nominis Chriſtiani ſuſtinetis diſcrimina nos inducunt ut vos & ordinem veſtrum favore continuo proſequentes, quieti veſtræ propenſiùs intendamus, & ſtudeamus auferre vobis materiam gravaminis & laboris. Hinc eſt quòd vobis auctoritate præſentium indulgemus ut ſi qui è fratribus veſtris in ſe invicem, ſive in alios religioſos quoſlibet, ſeu etiam in Clericos ſeculares manus injecerint violentas, per dioceſanos Epiſcopos abſolutionis beneficiũ aſſequantur, etiamſi eorum aliqui priùs quàm habitum veſtrum ſuſciperent tale aliquid commiſerint propter quod ipſo actu excommunicationis ſententiam incurriſſent; niſi exceſſus ipſorum eſſet difficilis & enormis, ut pote ſi eſſet ad mutilationem membri vel ſanguinis effuſionem proceſſum, aut violenta manus in Epiſcopum vel Abbatem injecta, cùm exceſſus tales & ſimiles ſine ſcandlo nequeant præteriri. Nulli ergo &c. conceſſionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Signiæ IX. Kalend. Iulij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 130. Adverſùs Archiepiſcopum Burdegalenſem.

DIligenter auditis & perſpicaciter intellectis quæ tu & dilectus filius magiſter Amaneus procurator venerabilis fratris noſtri Burdegalenſis Archiepiſcopi coram nobis proponere voluiſtis ſuper ſententia quam auctoritate primatiæ in eundem Archiepiſcopum promulgaſti, ſuſpendendo ipſum ab officio metropoliticæ dignitatis pro eo quòd ad tuum vocatus Concilium accedere non curavit nec pro ſe aliquem idoneum deſtinare, de communi fratrum noſtrorum conſilio ſententiam ipſam ratam habuimus & uſque ad ſatisfactionem idoneam præcepimus obſervari; hoc ad cautelam expreſſo, quòd lis coram nobis non de primatia, ſed de ſententia, extitit ventilata. Credentes igitur ad ſatisfactionem ſufficere competentem pro prædicta ſententia relaxanda ut memoratus Archiepiſcopus per ſe ipſum aut alium virum idoneum ad tuam accedat præſentiam, relaxationem ejuſdem ſententiæ humiliter petiturus, & promiſſurus firmiter ſub ſuarum, ſi neceſſe fuerit, teſtimonio litterarum quòd ad tuum Concilium vocatus accedet, facturus quod de jure fuerit faciendum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus cùm ab eo fueris taliter requiſitus, ſententiam ipſam non differas relaxare; nullam ei pœnam infligens, ſi fortè ipſam ſententiam non ſervabit, antequam per nos fuerit declaratum an eadem eſſet ſententia obſervanda, cùm hoc apoſtolicæ providentiæ duxerimus reſervandum. Alioquin venerabili fratri noſtro Turonenſi Archiepiſcopo & dilectis filiis Decano & Subdecano Pictavenſibus dedimus in mandatis ut illam appellatione remota relaxent abſque prejudicio juris tui. Datum Signiæ V. Idus Iulij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Scriptum eſt ſuper hoc eiſdem in eundem ferè modum uſque duxerimus reſervandum. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi dictus Archiepiſcopus mandatum noſtrum neglexerit adimplere, vos illam appellatione poſtpoſita relaxetis abſque præjudicio juris Archiepiſcopi memorati. Quòd ſi non omnes &c. tu ea, frater Archiepiſcope, cum eorum altero &c.

FRATRIBVS IEROSOLYMITANI hoſpitalis & militiæ templi in Remenſi dioceſi conſtitutis.

Epiſt. 131. Ne interdicta vel excommunicatos tradant ſepulturæ.

REligionis intuitu, & etiam devotionis obtentu quam circa nos geritis, vos & domos veſtras ſincera caritate diligimus. Sed quantumcunque vos diligamus & prompta vobis velimus benignitate deferre, ſuſtinere non poſſumus nec debemus ut ſi quid interdum contra Deum &

justitiam attentatis, remaneat incorrectum. Audivimus autem, & audientes non potuimus non moveri, quòd parrochianos Corbeiensis Ecclesiæ, quæ specialiter beati Petri juris existit, sub prætextu confraternitatis, etiamsi vinculo teneantur excommunicationis astricti, ecclesiasticæ præsumitis tradere sepulturæ. Quoniam igitur tanto id gravius ferimus quanto vobis amplius indecens reputamus & vestræ saluti contrarium, per apostolica vobis scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus de cetero parrochianos Corbeiensis Ecclesiæ qui vinculo tenentur excommunicationis astricti ad sepulturam recipere nullatenus præsumatis; scituri quòd si ipsos vel alios excommunicatos sepulturæ tradere præsumpseritis, honestati domus vestræ gravissimè derogabitis, & tandem non sine indignatione nostra hujus præsumptionis correctionem auctore Domino sentietis. Datum Signiæ Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

RODVLPHO PRESBYTERO.

Epist. 132. Datur ei monita.

DIligenter auditis & perspicaciter intellectis quæ circa te super voto ac professione monastici ordinis per inquisitionem delegatorum nostrorum reperta fuerunt, te ad observantiam regulæ monachalis decernimus non cogendum: quamquam saluti tuæ magis expedire credamus ut ad illud regnum feliciter obtinendum vim tibi facias & bellum indicas de quo legitur quòd à diebus Iohannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & illud diripiunt violenti. Tu ergo, sive licentia in seculo remanendi, sive providentia exeundi de seculo usus fueris, divinæ te subicias servituti, & per mandatorum Dei semitas gradiaris; ne fortè, si secus egeris, te ipsum decepisse proberis. Datum Signiæ VI. Nonas Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

FRATRIBVS IEROSOLYMITANI hospitalis in Ybernia constitutis.

Epist. 133. Confirmantur eis quædam possessiones.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, de Killemainan, de villa Turmot, de Ysoude, sancti Michaëlis de Krevach, sancti Clementis Dublinensis, de Taverach, de Dovenachpatic, de Kilteltan, de Legno, de Moylbochen, de Moylach, de terra Adæ Dullart & Pagani fratris sui, de Cluchihunche, de Knocduine, de Clunif, de Bernemeche Adæ de Lenz, de Dunler, de Ken, de Cloch, de terra Amauri de Feypo juxta Luveche, sanctæ Mariæ in Arch. de terra quæ fuit R. filij W. sancti Iohannis Arch. de Rathmulin, de Incheme Kargi, de Maniblos, de terra Walteri de Logan, de terra W. Foresta-rij in Magelin, sancti Iohannis Evangelistæ in Crafferg, de Bruach, de Glorie, de Batmolin, de Kilhiele, de Killuvarin, de Ratenans, de Tachsixan, de Rathsuln, de terra Philippi Vituli, de terra Thomæ Vituli, de terra Iohannis de Peinkoyt, de Adcor, de villa Aufrid. in Ardrie, sancti David de Nas. de terra Ricc. filij Alvered. de villa W. de Keldif, de Clane, de Iuthe, de Killebech, de terra W. Cirencestre, de Dunig, de Kernach, de Marachem, de villa Sirloc, de Tuly, de Killemelin, de Rathbrid', de Kilros, de terra quæ fuit Radulfi de Offali, de Dunheve, de Finovere, de Orengam, de terra Thomæ filij Maur. de Killergi, de Struhan, de Dorric, de Foder, de villa David de Dumetham, de villa David Boch, de terra Ricc. Pmcne, de Gillachnescop. in Obuy, de Archimen. Triech. de tota terra Reug. Poherij in Lagen. de Archemang, de Cavelmuy, de terra Ricc. de Hemfort, sancti Petri de Selescar, sancti Michaëlis de Wesefort, sancti Iohannis, sancti Patricij, sanctæ Brigidæ, sanctæ Mariæ Magdalenæ Weseford, sancti Iohannis de Balischauc, de Inchescorch, sancti Iohannis de terra Heliæ de Pondlg, de Dufer, sanctæ Mariæ de Slefcultre, de terra Rog. Valen. de terra Osberti God. de terra W. Bruselanc. de Senerah, de Kildium, sancti Iohannis Wateford, de Drukun, de Kesllivor, sanctæ Mariæ de Tibh. de Arfinan, de Radron, de Magdevuin, de Stangenach, de terra W. Auguill. de terra Adæ Martel. de Obrid. de terra Alex. Carpentar. de Dumereth, de Typar, de Karketel, de Hules, de Cathan, de Kilguban, de terra Roberti Sivvim. de Lunc. de Kilkallan, de Catcorchin, de terra Ricc. de Mora, de terra Thomæ filij Rad. de terra Henrici Pmcn. de feudo decem militum in honore Cathan. de Addar. de terra Galf. de Exse. de terra Tancardcor. sancti Marchach. Linurin. sanctæ Brigid. Linurin. de terra Godeberti de Rupe. de imo Gantard. Inker. de Lachmecher. de Holegr. de toto tuedo de Amerit, de toto tuedo de Tulachleys, de toto tuedo de Horr. de toto tuedo de Mayer. sancti Iohannis de Corcang. de Roskelan. & de Senegart, Clencan, Ecclesias cum omnibus villis, decimis,

Capellis, pertinentiis, & appendiciis suis, necnon & alia bona vestra, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui Hospitalis auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ XIII. Kalend. Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

IOANNI REDOSTONENSI Episcopo.

Epist. 154. De Græco Episcopo ad Ecclesiæ unitatem reverso.

CVm ad obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ redieris, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in apostolicæ sedis devotione persistens, illa gaudeas libertate qua gaudent Latini Episcopi Romaniæ, illamque jurisdictionem in subditos tuos obtineas quam & ipsi in diocesibus suis habent. Nulli ergo &c. concessionis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ II. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EIDEM.

Epist. 155. Vt Græcos hortetur ad unitatem Ecclesiæ.

CVm ad obedientiam apostolicæ sedis redieris, ut quod audisti alij dicas *Veni*, & trahas quasi cortina cortinam, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatinus coëpiscopos tuos necnon monachos & Clericos Græcos, ut ad obedientiam sedis apostolicæ revertantur, exhortationibus sedulis efficaciter moneas & prudenter inducas, ita quòd diligentia tua clareat in effectu, & gratiam nostram merearis plenius & favorem. Datum Signiæ II. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

BOIANENSI EPISCOPO.

Epist. 156. De quodam instrumento corroso.

SIgnificante venerabili fratre nostro Episcopo Venafrano ad nostram noveris audientiam pervenisse quòd Ecclesia sua ignis incendio devastata, ipsius privilegia coactus est aliàs deponere conservanda: inter quæ privilegium quoddam, quod inter Ecclesiam Venafranam & Hospitalarios civitatis ejusdem compositionis & pacis fœdera continebat, repertum est ex conservatorum incautela corrosum. Vnde quia ex ipsius abolitione magnum posset Ecclesiæ Venafranæ dispendium provenire, ac nonnulli, qui dum idem conderetur privilegium interfuerant, dictos Hospitalarios simile habere privilegium asseverent, nobis humiliter supplicavit ut inducere dictos Hospitalarios ad exhibendum idem privilegium dignaremur. Volentes igitur Ecclesiæ Venafranæ dispendiis præcavere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus Hospitalarios antedictos ad præfatum privilegium exhibendum, secundùm quod Ecclesiæ antedictæ privilegium reformetur, moneas efficaciter & inducas. Alioquin depositiones prædictorum testium audiens, efficias & procures ut eorum dicta in scripturam publicam ad perpetuam memoriam redigantur. Datum Signiæ XIII. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

BERNARDO PRIMO ET fratribus ejus.

NE quis de cetero vestrum valeat calumniari propositum, sicut olim diligenter examinavimus fidem vestram, ita nunc conversationem vestram prudenter investigare curavimus, & utramque litteris apostolicis fecimus comprehendi, ut illas in testimonium habeatis. Conversationis ergo vestræ propositum tale est. IN NOMINE patris & filij & spiritus sancti & beatissimæ semper virginis Mariæ, ad ædificationem universalis sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad salutem animarum nostrarum & omnium ad quorum aures pervenerit. Sicut fideliter credimus corde, fidem catholicam per omnia & in omnibus integram & inviolatam, quemadmodum in litteris nostræ examinationis expressum est, ore firmiter confiteri & nuntiare & prædicare proposuimus & usque ad animam & sanguinem adversùs omnes sectas hæresum defendere viriliter promisimus, consistentes sub magisterio & regimine unius & veri magistri Domini nostri Iesu Christi ac piissimi Vicarij ejus Papæ Innocentij & successorum ejus, semper permanentes tam corpore quàm spiritu in communione sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ, quam sanctam & catholicam & apostolicam semper & ubique confitemur & prædicamus, extra quam neminem salvari fatemur. Sed quia fides sine operibus mortua est, seculo abrenuntiavimus, & quæ habebamus, velut à Domino consultum est, pauperibus erogavimus, & pauperes esse decrevimus, ita quòd solliciti esse de crastino non curamus, nec aurum vel argentum vel aliquid tale, præter vestimentum & victum quotidianum, à quoquam accepturi sumus. Consilia quoque evangelica velut præcepta servare proposuimus. Et quamquam officium nostrum sit præcipuè ut omnes discant scripturas sacras & omnes idonei exhortentur,

» tamen, dum tempus ingruit, propriis ma-
» nibus laboramus, ita duntaxat ne pretium
» accipiamus conventum. Nam cùm ex
» magna parte Clerici simus, & penè omnes
» litterati, lectioni, exhortationi, doctrinæ,
» disputationi contra omnes errorum sectas
» decrevimus desudare, disputationes tamen
» à doctioribus fratribus in fide catholica
» comprobatis & instructis in lege Domini
» dispensari, ut adversarij catholicæ & apo-
» stolicæ fidei cognoscant veritatem, & re-
» sipiscant à laqueis diabolici erroris, quibus
» tenentur capti. Cum Prælatorum verò li-
» centia & veneratione debita per idoneos
» fratres & in sacra pagina instructos, qui
» potentes sint in sana doctrina arguere gen-
» tem errantem, & ad fidem modis omnibus
» trahere, & in gremio sacrosanctæ Roma-
» næ Ecclesiæ studebimus revocare. Deni-
» que licèt dicat Christus, *Oportet semper*
» *orare & non deficere*, & Apostolus, *Sine in-*
» *termissione orate*, tamen quidam nostrorum
» per viginti quatuor vices inter diem & no-
» ctem, alij quindecies, alij duodecies, qui
» autem minùs septies, pro omnibus homi-
» nibus secundùm eorum gradus orant.
» Continentiam perpetuam & castimoniam
» vel virginitatem inviolabiliter conservan-
» do, suspectum mulierum consortium de-
» vitando, ut nemo nostrum solus ad solam,
» nec etiam ad loquendum, nisi audientibus
» aut videntibus legitimis testibus & certis
» personis, accedat. Nunquam in una do-
» mo fratres & sorores præsumant dormire,
» nunquam ad unam mensam residere. Ec-
» clesiastica sacramenta suscipiemus ab Epis-
» copis & sacerdotibus in quorum diocesibus
» & parrochiis commorabimur, & eis obe-
» dientiam debitam & reverentiam exhi-
» bebimus. Per honestiores autem & instru-
» ctiores in lege Domini & in sanctorum pa-
» trum sententiis verbum Domini censuimus
» proponendum, de Prælatorum Ecclesiæ
» conscientia & consensu, fratribus & ami-
» cis, Clericis & laicis, ut discant necessaria
» pro hæreticis convertendis. In omnibus
» verò episcopatibus, diocesibus, vel parro-
» chiis in quibus sumus vel fuerimus, dispo-
» suimus jejunare secundùm morem & con-
» suetudinem Prælatorum & catholicorum
» virorum orthodoxorum illarum provincia-
» rum, tam in vigiliis, quàm in jejuniis qua-
» tuor temporum & quadragesimæ. Ad men-
» sam quoque semper legendum in domo
» qua fuerimus conversati, ex quo nume-
» rum excedimus octonarium. Silentium si-
» militer data benedictione usque ad pera-
» gendas gratias observandum, nisi ob cor-
» rectionem lectoris aut ob explanationem
» lectionis. Qui verò secularium nobis cre-
» dunt, à quibuscunque aliquid per aliquam
» fraudem habuerint, necesse est, si potue-
» rint & nobis acquiescere voluerint, ut ipsis
» & non aliis restituant. Decimas siquidem
» & primitias & oblationes & cetera secun-
» dùm usum locorum servitia Prælatis & aliis
» Clericis sub quorum diocesibus vel parro-
» chiis victita verint fideliter persolvant. quod
» omnibus fidelibus Christianis efficaciter
» suademus. Religiosum & modestum habi-
» tum ferre decrevimus, qualem ex voto
» consuevimus deportare; utendo de cetero
» calciamentis communibus, ad consilium &
» mandatum summi Pontificis, pro tollendo
» scandalo quod contra nos movebatur de
» calciamentis desuper apertis, quibus uti
» hactenus solebamus.] Vos ergo præscrip-
» tum conversationis propositum de corde
puro & conscientia bona & fide non ficta
taliter observetis ut Deo gratum obse-
quium & hominibus utile præbeatis exem-
plum. Datum Signiæ x. Kalend. Augusti,
pontificatus nostri anno decimoquinto.

POPVLO ALEXANDRINO, spiritum consilij Sanioris.

Epist. 138. Vt ab Ottone Imp. recedant. *Vide infrà epist.* 189. *& Baron. ad an.* 1168. §. 83.

APostolicæ sedis erga vos ab ipsis civi-
tatis vestræ primordiis gratiam & fa-
vorem ipsius quoque civitatis vocabulum
protestatur, quam felicis memoriæ Ale-
xander Papa prædecessor noster, utpote
novam plantationem Ecclesiæ, tanta ca-
ritatis prærogativa dilexit ut in perpetuam
suæ gratiæ ac vestræ devotionis memoriam,
eam suo curaverit nomine insignire. Quali-
ter autem nos ejus in vestra exaltatione ves-
tigia non solùm imitati fuerimus, verùm
etiam supergressi, licèt operibus vos exhi-
beatis immemores, in vestris tamen cordi-
bus memores, sicut credimus, permanen-
tis; quippe cùm talia sint quæ vobis con-
tulimus ut eorum nullo debueritis tempore
obliviscì. Miramur igitur, nec satis admi-
rantes sufficimus admirari, quòd conversi
in arcum perversum, & in reprobum sen-
sum dati, sic citò recessistis à fidelitate nos-
tra & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris ves-
træ, cui non solùm debita minimè præsti-
tistis, verùm & in impiorum consilium
abeuntes, facti estis inimici ejus, in capite
impugnantes eam unà cùm persecutoribus
ejus, & Ottoni tyranno & excommunica-
to & maledicto in nostram injuriam & ani-
marum ac rerum vestrarum periculum ad-
hærentes. Quamquam igitur merita vestra
non exigant ut vos patris mansuetudine

revocemus, sed potiùs severitate judicis puniamus, quia tamen pater filium diligit etiam offendentem, imitantes longanimitatem illius cujus patientia, quantum in ipso est, ad veniam peccatores adducit, universitatem vestram exhortamur attentiùs, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus à præfato tyranno, qui, sicut per ea quæ circa nos egit, nisi esset cor vestrum insipiens obscuratum, advertere potuistis, benefactoribus suis mala pro bonis retribuit, atque ab ejus complicibus sano utentes consilio recedatis, & redeatis humiliter ad sinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ, offensam præteritam obsequiis subsequentibus expiantes. Alioquin indubitanter noveritis vos privilegiis omnibus vobis ab eadem indultis perpetuò spoliandos, cùm propter ingratitudinis vitium libertas in servitutis compedem revocetur. Datum Signiæ III. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

CREMONENSI EPISCOPO *apostolicæ sedis Legato.*

Epist. 139. Confirmat depositionem Episcopi Vicentini. Vide lib. 16. epist. 15.

PEr tuas nobis litteras intimasti quòd cùm contra Episcopum Vicentinum tam per publicam famam quàm per Canonicos ipsius Ecclesiæ multa tuis fuissent auribus inculcata, licèt notorium esset eundem Episcopum clamorem qui de ipso ascenderat opere compleviſſe, ad cautelam tamen eidem terminum præfixisti quo se tuo conspectui præsentaret, suam super objectis, si posset, innocentiam ostensurus. Quo demum pluribus sibi terminis assignatis in tua comparere præsentia non curante, in eum depositionis sententiam promulgasti, Capitulo Vicentino alium eligendi liberam tribuens facultatem. Quamvis igitur ad id sine nostro speciali mandato procedere non debueris, cùm hoc sit unum ex illis quod sibi sedes apostolica specialiter reservavit, quia tamen nota est ejus enormis dilapidatio, & deformis insufficientia non ignota, & antequam tuas litteras acceperimus, nos super ipsius depositione nostras feceramus litteras jam notari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus eundem facias ab Ecclesiæ Vicentinæ regimine perpetuò remanere remotum, monens idem Capitulum diligenter ut in nullo de cetero eidem intendens, personam idoneam & Ecclesiæ Romanæ devotam sibi per electionem canonicam infra mensem præficiant in pastorem. Alioquin tu id auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequaris; nihilominus dictum Episcopum per censuram ecclesiasticam districtissimè cogens ut pecuniam quam de alienatis Ecclesiæ possessionibus congregavit refundat in ejusdem Ecclesiæ debita persolvenda. Datum Signiæ Non. Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Super hoc scriptum est Capitulo Vicentino.

EPISCOPO AVRASICENSI.

EX tuarum perpendimus serie litterarum F. mulierem Auraſicenſem coram te fuisse conquestam quòd cùm B. Garinus parrochianus tuus eam duxisset legitimè in uxorem, eandem non curabat maritali affectione tractare; cùmque partes ad tuam præsentiam convocasses, dicta mulier juramento firmavit quòd idem B. per verba de præsenti contraxerat cum eadem; testibus nihilominus ad hoc probandum productis, quorum depositiones eisdem duxisti litteris inserendas. E contrà verò B. memoratus juravit se nunquam contraxisse cum muliere jamdicta, nec eandem anulo subarrasse, producens nihilominus testes ad reprobationem testium productorum ab ipsa, dicta quorum eisdem inserere litteris procurasti. Proposuit etiam B. prædictus quòd eadem mulier cudam Stephano in Ecclesiæ facie fuerat matrimonialiter copulata, qui carnaliter eandem cognoverat, & eam tenebat in domo propria ut uxorem; quod in jure confessa fuit mulier sæpedicta, asserens tamen se cum B. sæpedicto primitus contraxisse. Cùmque postmodum mulier eadem ad testes interim producendos diem sibi peteret assignari, dictus B. asserens eandem audivisse dicta testium productorum ab ipso, ac propter hoc non debere rursum ad testium productionem admitti, sedem apostolicam appellavit, octavas sancti Martini proximò venturas terminum suæ appellationi præfigens: quem terminum arctans ad festum Ascensionis proximò tunc futurum, nobis humiliter supplicasti ut causam eandem fine terminare debito dignaremur. Nos igitur iis tam per litteras tuas quàm per relationem dilecti filij G. Subdiaconi & Capellani nostri, quem eidem B. concessimus auditorem, plenius intellectis, easdem litteras tuas sub bulla nostra tibi remittentes inclusas, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si de hoc principaliter coram te actum fuerit, quòd videlicet sæpe nominatus B. memoratam F. maritali non curabat affectione

tractare, & vera sunt quæ in præfatis tuis litteris continentur, dictum. B. ab impetitione prædictæ mulieris absolvas. Quia sive ipsa mulier primùs cùm Stephano quàm cum B. sæpedicto contraxit, primum factum debet præjudicare secundo; sive constet eam primò cum B. postmodum cum Stephano contraxisse, nihilominus ejus petitioni obviat adulterium de quo est manifestè confessa. Si verò de hoc principaliter fuit actum, utrum scilicet inter dictum B. ac mulierem præfatam legitimum fuerit matrimonium, cùm super hoc causa non fuerit sufficienter instructa, eam pleniùs audias, & fine canonico appellatione remota decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Signiæ 11. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NORWINCENSI IN Hibernia commoranti, Cluanfertensi & Enachunensi Episcopis.

Epist. 141. Adversùs Episcopum Vvaterfordensem.

CVm causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Lesmorensem & Davidem quondam Waterfordensem Episcopos vertebatur venerabilibus fratribus Laonensi & Corcagiensi Episcopis & dilecto filio Archidiacono Cassellensi sub certa forma duxerimus committendam, ipsi mandatum nostrum, tamquam obedientiæ filij, diligenter, sicut ex litteris eorum accepimus, exequi cupientes, ad instantiam ipsius Lesmorensis Episcopi eundem Waterfordensem Episcopum citaverunt ut juxta mandati apostolici formam in jure dicto Episcopo responderet. Sed eo postmodum in eorum præsentia comparente, idem Vvaterfordensis præfatum Lesmorensem Episcopum ob quasdam adulterinas litteras nomine bonæ memoriæ Iohannis tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinalis tunc in partibus Hiberniæ apostolicæ sedis Legati confectas, quas idem Lesmorensis per collationem aliarum litterarum ipsius Cardinalis yeracium coram eisdem judicibus apertè redarguit falsitatis, probare nitebatur excommunicationis nexibus irretitum. Sed cùm nec hanc nec etiam alias exceptiones objectas dictus Vvaterfordensis probare aliquatenus potuisset, lite super principali præsentibus partibus contestata, diem ipsis dicti judices statuerunt, infra quam dictus Vvaterfordensis à quibusdam Sathanæ satellitibus instigante diabolo extitit immaniter trucidatus. Postmodum autem cùm Robertus Clericus fuisset ad Ecclesiam Vvaterfordensem electus, & venerabilis frater noster Cassellensis Archiepiscopus vellet imponere sibi manus, quia dictus electus, sequens sui prædecessoris vestigia, occupatas possessiones invaserat per potentiam laicalem, præfatus Lesmorensis Episcopus pro sui juris tuitione adversùs eundem reclamavit electum. Sed antefato Archiepiscopo respondente quòd ipsum tantùm ad Vvaterfordensem & non ad Lesmorensem Ecclesiam consecrabat, præfati judices præmissum Robertum jam in Episcopum consecratum suis citatoriis litteris ad eorum præsentiam evocarunt, super possessionibus à prædecessore suo nequiter occupatis eidem Episcopo responsurum. Eo itaque coram ipsis ad præfixum sibi terminum comparente, citationem ipsam non fuisse canonicam his rationibus allegavit; tum quia eadem nonnisi viginti & septem dies à termino continebat, tum etiam quòd tantùm ab uno ipsorum judicum & quodam Abbate alio, cui prænominatus Corcagiensis commiserat vices suas, extiterat euocatus. Verùm cum dictis judicibus constitisset quòd triginta & novem dierum fuerat citatio prænotata, & quòd etiam licet judici delegato citationis officium cuilibet committere ac punire ratione prævia contemptorem, exceptionem illam esse frivolam decreverunt. Qua de re dictus Waterfordensis accensus, sedem apostolicam appellavit; & suæ appellationi terminum aliquatenus non præfigens, & nullam aliam rationabilem causam objectæ appellationis allegans, recessit contumaciter à præsentia eorundem. Iudices autem appellationem hujusmodi, pro eo quòd in litteris commissoriis fuerat remedium appellationis sublatum, frustratoriam attendentes, & advertentes etiam quòd per sui prædecessoris procuratores & per ipsum Episcopum demum in eorum præsentia lis fuerat contestata, testes ipsius Lesmorensis Episcopi super duobus articulis eisdem ab apostolica sede commissis, videlicet quòd Ecclesia Lesmorensis à tempore cujus non extat memoria fuerat cathedralis, & super ipsius electione canonica receperunt; tertio articulo prætermisso, videlicet quòd excommunicatus extiterat præfati Vvaterfordensis Episcopi prædecessor, cùm inhumanum sit persequi odio jam defunctum. Testes etiam super violenta manuum injectione ipsius Lesmorensis Episcopi de novo præsumpta post factam illis commissionem recipere decreverunt, cùm ad eorum spe-

ctaret officium corrigere malè acta circa negotium sibi ab apostolica sede commissum. Testibus itaque sic receptis & attestationibus publicatis, dicti judices attestationes ipsas Vvaterfordensi Episcopo transmiserunt, diem præfigentes eidem quo in eorum præsentia compareret, in testes, si vellet, aut dicta testium aliquid objecturus. Eodem itaque Waterfordensi minimè comparente, nec mittente aliquem idoneum responsalem, iidem judices tam attestationibus à nobis sibi transmissis quàm etiam aliis quas ipsi receperant fideliter publicatis, cùm per inspectionem earum & litteras venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Tuamensis & Episcopi Duacensis, qui super eodem negotio à nobis judices fuerant instituti, & restitutionem Lesmorensis Ecclesiæ adjudicarant eidem, & in possessionem induxerant corporalem, de intentione præfati Lesmorensis Episcopi plenissimè constitisset, communicato virorum prudentum & jurisperitorum consilio, possessionem Lesmorensis Ecclesiæ cum suis omnibus pertinentiis adjudicarunt auctoritate nostra Episcopo memorato, sæpefatum Waterfordensem Episcopum ad solutionem centum & sexaginta marcarum argenti, taxatione ab ipsis ultra dimidiam partem quantitatis providè facta, expensarum & ablatorum nomine condemnantes, & caritate fraterna, quæ cum scandalizatis uritur & cum patientibus infirmatur, exilio diutino & miseriis compatientes continuis Episcopi sæpefati, dictus Corcagiensis Episcopus & dilectus filius Laonensis Decanus loco alterius judicis in corporalem possessionem ipsius Lesmorensis Ecclesiæ ipsum Episcopum induxerunt. Ceterùm cùm paulò pòst idem Lesmorensis Episcopus in sabbatho quo *Sitientes* cantatur celebraret solemniter ordines in eadem, quidam familiares dicti Vvaterfordensis Episcopi unà cum Rog. Christophori ipsius Episcopi Senescalco ab ipso specialiter destinato dictum Episcopum aliquandiu in ipsa Ecclesia obsidentes, demum in eundem ab Ecclesia sacris indutum vestibus exeuntem actu nefario irruerunt & Ecclesiam ipsam bonis tam intrinsecis quàm extrinsecis per violentiam spoliantes, & ab ipso Episcopo indumenta pontificalia viliter manu sacrilega extrahentes, cum duobus Presbyteris de loco ad locum per invia usque ad castrum de Dungarvan, in quo erat Vvaterfordensis Episcopus, captivum immaniter abduxerunt eundem. Cujus pedibus idem Vvaterfordensis, deponens modestiam Pontificis, & induens nequiter carnificis feritatem, compedes tradens ferreos manu sua, & juvans fabrum clavos ipsis compedibus defigentem, sic ipsum carceris ergastulo mancipavit. Post hæc autem dicti judices apud Cassellum unà cum dicto Cassellensi Archiepiscopo in majori Ecclesia convenientes in unum, hujus iniquitatis auctores & etiam consentientes eidem, præsente Vvaterfordensi Episcopo & pariter assentiente, accensis candelis, excommunicationis vinculo solemniter innodarunt. Evadente itaque post septem hebdomadas Lesmorensi Episcopo Dei auxilio carcerem supradictum, in quo siti, fame, ac penuria multiplici acriter fuerat maceratus, iidem judices præfatum Vvaterfordensem Episcopum ut eidem Lesmorensi Episcopo satisfaceret de injuriis irrogatis suis duxerunt citandum litteris iteratò. Quo in die statuto in ipsorum præsentia comparente, ac post comminationes quamplurimas ex parte Regis Angliæ intentatas temerè in eosdem contumaciter ab ipsorum auditorio recedente, ipsi judices, licèt hujus facti enormitas esset notoria & ferè omnibus manifesta, quia tamen idem Vvaterfordensis patratum scelus de assensu ipsius factum fuisse negabat, testes contra ipsum, utpote lite super hoc articulo contestata, cum solemnitate debita receperunt; quorum depositionibus publicatis, & transmissis etiam ad Waterfordensem Episcopum supradictum, diem sibi & locum denuo præfixerunt, ut si duceret in testes aut eorum depositiones aliquid opponendum, ad ipsorum præsentiam accederet id acturus. Qui comparens in statuto termino coram eis, minas comminationibus & convitia præmissis injuriis aggregavit, parans instinctu diaboli eidem Episcopo latenter insidias per Thomam suum Clericum in cimiterio Limiricensi; cùmque Lesmorensis prædictus esset in ostio Limiricensis Ecclesiæ constitutus, dictus Thomas Dei timore postposito manus injecit temerarias in eundem, & sibi litteris jamdictorum Archiepiscopi Tuamensis & Episcopi Duacensis à manibus ipsi violenter avulsis, evaginato gladio sic ipsum conatus est decollare quòd ictus asperè ferientis, à quo divina potentia ipsum Episcopum liberavit, in ostium defluens memoratum, ibidem perennis memoriæ vestigia dereliquit. Quem, quia id præsumpserat ipsis judicibus astantibus & cernentibus tantum scelus, denuntia-

runt publicè anathemati subjacere ; ipsi Vaterfordensi Episcopo arctiùs inhibentes ne communicare in aliquo præsumeret Clerico memorato. Sed idem Episcopus inhibitionem hujusmodi vilipendens, tam in corporali quàm in spirituali mensa eadem die ac deinceps ipsi Thomæ communicare non metuit, quemadmodum per testes didicerant judices supradicti. Et licèt idem Episcopus in testes & eorum testificata eadem die obicere noluisset, ac ab ipsorum conspectu contumax discessisset, ad ipsius malitiam convincendam non solùm ei alterum, sed etiam tertium & quartum diem ad ultimum eidem peremptorium indixerunt. Quo nullatenus comparente, nec sufficientem ad eos responsalem mittente, dum ipsis per attestationes quas nobis sub sigillis suis dicti judices destinarunt, de violentia ipsi Lesmorensi à Vvaterfordensi Episcopo irrogata & injectione violentarum manuum constitisset, assidentibus eis viris prudentibus & discretis, tam ipsum in canonem latæ sententiæ incidisse quàm omnes fautores suos candelis accensis & pulsatis campanis excommunicatos publicè nuntiarunt, auctoritate nostra præmisso Archiepiscopo injungentes ut ipsum excommunicatum per suam faceret provinciam nuntiari, & sibi rerum spiritualium curam, donec in sententia perdurandum duceret, interdicens, sæpefatum Lesmorensem Episcopum in corporalem possessionem auctoritate nostra induceret Ecclesiæ Lesmorensis, adicientes eidem ut tam clero quàm populo Vvaterfordensi sub interminatione anathematis districtiùs inhiberet ne ipsi Episcopo in excõmunicatione pertinaciter existenti præsumerent in aliquibus obedire, sed potiùs ipsi Metropolitano reverentiam omnimodam exhiberent. Sed ipsi Clerici facti salutis propriæ contemptores, dicto Episcopo participare ausu temerario præsumentes, eidem Archiepiscopo injunctam ipsis reverentiam impendere noluerunt. Propter quod idem Archiepiscopus in ipsos excommunicationis sententiam promulgavit, quam ipsi judices duxerunt postmodum auctoritate apostolica confirmandam. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus prædictas sententias, sicut rationabiliter sunt prolatæ, faciatis usque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per subtractionem beneficiorum, si necesse fuerit, sublato appellationis obstaculo compescendo. Vt autem dictus Vvaterfordensis Episcopus de sua non possit malitia gloriari, eundem cum litteris vestris ad nostram præsentiam dirigatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Signiæ VI. Kal. Iulij, anno XV.

CREMONENSI ET VERCELLENSI Episcopis apostolicæ sedis Legatis, & Regiensi electo.

Epist 142. Vt Brixiensis Episcopus ad cessionem cogatur.

LIcèt secundùm Apostolum, qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, si tamen Episcopus nomnis non exequatur effectum, unde dolere possit invenit ; quia de primatu quem in terris obtinet, confusionem expectat in cœlis. Cùm enim esse debeat ut oliva fructifera in domo Domini, & tamquam lignum plantatum secùs decursus aquarum, reddere fructum tempore suo, si non fructificat, non absurdè comparatur ficulneæ quæ fructus non edit acceptos, & terram sterilem reddit sub umbra nociva inutiliter occupatam. Talis Episcopus tanto graviùs cadit interiùs apud Deum quanto altiùs videtur exteriùs apud homines ascendisse. Periculosus est talibus ad episcopatum ascensus ; sed tanto periculosior est episcopatus retentio, cùm quis sollicitudini non sufficit pastorali, quanto efficaciùs per experientiam suæ insufficientiæ didicit onera præsulatus ; & retinentem accusat ambitio quem recipientem exactio debuerat excusare ; cùm in talibus adesse debeat coacta voluntas & voluntaria coactio non deesse, ut se cogi non renuat & velle non audeat ni cogatur. Expedit ergo Prælato qui nequit in prælatione proficere quòd efficiatur unus de parvulis, & descendat exteriùs ut intùs ascendat, & in minori proficiat qui deficit in majori : quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine caritatis acquiritur regnum Dei, apud quem non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Vnde prudenter animæ suæ consulet & honori * [Iohannes] Brixiensis Episcopus, si episcopatui corpore cedet cui videtur utilitate cessisse. Cùm enim, sicut ex litteris vestris accepimus, linguæ sit officio destitutus, & lingua Prælati esse non debeat alligata, exequi non poterit prædicatoris officium mutus & annuntiare populo scelera sua, cujus sanguinem Deus de manu Prælati requiret ; cùm etiam grandævus ætate, confectus senio, & præ longæ infirmitatis angustia sit effectus inutilis Ecclesiæ Brixiensi, nequit as-

cendere ut in die belli pro domo Domini se murum opponat ascendentibus ex adverso. Si sic est, sponsi caret amplexibus, licèt habere sponsum videatur, Ecclesia memorata; cùm sponso carere tolerabilius sit quàm sub inutili sponsi nomine incommoda viduæ sustinere. Ne igitur sub umbra matrimonij diù portet onera viduitatis Ecclesia supradicta, cùm sit providendum non tam Prælatis in Ecclesiis quàm Ecclesiis in Prælatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus, si præmissis veritas suffragatur, supradictum Episcopum ad resignationem episcopatus moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Qui si prudenti meditatione prævidere voluerit quid expediat, voluntate præveniet cessionem, & cessio longæ monitionis instantiam nullatenus expectabit; ut non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere videatur, & voluntaria cessio notam ambitionis excludat. Sed si cedere sponte noluerit, cùm frequenter petierit à cura & sollicitudine per nos Ecclesiæ Brixiensis absolvi, & in manu bonæ memoriæ Geraldi Albanensis electi tunc apostolicæ sedis Legati ordinationem posuerit Ecclesiæ supradictæ, nec liberum sit suæ voluntatis arbitrium in superioris judicium jam translatum, quia frequenter nobis illuderetur à subditis si deambulatoria esset subjectorum voluntas ad examen cognitionis nostræ delata, ab eodem Episcopo Ecclesia sæpedicta soluta, faciatis eidem juxta formam prioris mandati nostri de tali persona per electionem canonicam provideri per quam auferatur temporis jactura præteriti & futuri commoditas conferatur, ipsaque nobis & Ecclesiæ Romanæ manifestè fidelis sit & devota; providentes nihilominus eidem Episcopo in certis redditibus, de quibus competenter valeat sustentari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Signiæ 11. Non. Augusti, anno xv.

ABBATI MONASTERII sanctæ Mariæ Dolensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 143. De confirmatione privilegiorum.

EFfectum justa postulantibus indulgere non solùm vigor æquitatis, verùm etiam ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntates & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Quocirca, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Paschalis, Calixti, Anastasij, Adriani, Alexandri, Lucij, & Celestini Romanorum Pontificum præfatum monasterium sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Dolensis, quod ad jus & proprietatem beati Petri pertinere dinoscitur, in quo divino mancipati estis obsequio, cum omnibus ad ipsum pertinentibus apostolicæ sedis privilegio roboramus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium &c. *usque* omnino consistant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Ecclesiam videlicet sancti Martialis, Ecclesiam sancti Andreæ Apostoli, & sancti Martini sitas apud castrum Radulphi. Ecclesiam sancti Dionysij extra castrum prædictum, cum sexaginta solidis censualibus ab altero Capellanorum ipsius Ecclesiæ reddendis. Ecclesiam sancti Stephani protomartyris, sancti Germani confessoris, & aliam Ecclesiam beatæ Mariæ in burgo Dolensi. In episcopatu Bituricensi, Vodolense monasterium cum pertinentiis suis, videlicet Ecclesiam parrochialem beati Petri de Bonnet, Ecclesiam de Ambraus, Ecclesiam de Chodac, Ecclesiam de Conde, cum aliis suis appendentiis, monasterium de Cella cum parrochia sua, & Capellam sancti Petri de Brioria, Capellam sancti Germani cum pertinentiis, Ecclesiam de Meulent cum Capella sancti Romuli, monasterium de Vriaco cum Ecclesiis & Capellis suis sancti Martini de castro, sancti Nicolai, sancti Christophori, sancti Martiniani, sancti Silvei, Ecclesiam de Olcas, & novam Ecclesiam, Ecclesiam de curte sancti Victoris cum parrochia sua, Ecclesiam de Sargiaco cum appendiciis suis, Ecclesiam de Mesple, Ecclesiam de Ortenay, Ecclesiam de Arfolio, Ecclesiam de Parnay, Ecclesiam de Sosbers, Ecclesiam de Arconcio. Capellam sanctæ Mariæ & sancti Hilarij, Ecclesiam de Farvargines, Ecclesiam sancti Pauli extra muros civitatis Bituricensis cum parrochia sua, Ecclesiam de Vorle, Ecclesiam de Prada cum Capellis de Cusienc, sanctæ Mariæ, sancti Vrsini & sancti Christophori, cum Ecclesiis de Visdon, Ecclesiam sancti Stephani de castro Melani cum Ecclesiis & Capellis suis, & Capellam sanctæ Mariæ, sancti Silvani, sancti Petri, & sancti Martini, Ecclesiam sancti Ianuarij, Ecclesiam de Vtriaco, Ecclesiam de Vico cum Capella de Albeis, Ecclesiam sancti Petri de Bosco, Ecclesiam sancti Hilarij de Borneis cum Capellis suis sanctæ Mariæ de castro Lineriis, sancti Martini de Borneis,

Capellam de Cosnec, Ecclesiam de Reciaco cum Capella sancti Iuliani, Ecclesiam sancti Karterij, Ecclesiam de Noent, Ecclesiam de Vico juxta sanctum Karterium. Ecclesiam sancti Aigulphi, Ecclesiam sancti Salvatoris de Masuilio cum appendiciis suis, Ecclesiam sancti Stephani de Cassagnolis, Ecclesiam de Maesnio cum Capellis suis & parrochia, Ecclesias de Ardenta, Ecclesiam de Campiliaco, Ecclesiam sancti Symphoriani de Creissac, Ecclesiam de Novo vico paludoso, Ecclesiam de Iaugeth, Ecclesiam de Duno, Ecclesiam sanctæ Sericleræ, & Capellam de Cumps, Ecclesiam de Bussolio cum Capella de Azeis, Ecclesiam de Baudra, Ecclesiam de Roura, Ecclesiam de Polignet, Ecclesiam de Brittannia, Ecclesiam de Briona, Ecclesiam de monasterio Causina, Ecclesiam de Vilers, Ecclesiam de Diors, Ecclesiam de Nuce, Ecclesiam de Floriaco, Ecclesias & Capellas omnes utriusque Closis, Ecclesiam de Martoniaco, necnon Ecclesiam de Grunay, Ecclesiam de Besselgia, Ecclesias de Challac cum parrochiis suis, Ecclesiam de Vigo, Ecclesiam de Celon, Ecclesiam de Luserich, Ecclesiam de Musnay cum Capella Ivernali, Ecclesiam de Nierñ. cum Capella de Sutriñ, Ecclesiam de Chambona cum parrochia sua, Ecclesiam de Claudioniaco cum Capella de Cambonio, Ecclesiam de Tausiliaco cum parrochia sua, Ecclesiam sancti Sigiranni de Chambot, Ecclesiam sancti Laurentij de Gargelossa, Ecclesiam de Cuzuin, Ecclesiam de Bairezia, Ecclesiam de Damper, Ecclesiam de Ortena, Ecclesiam sancti Pantaleonis cum Capellis suis de Fero & de Bonavilla, Ecclesiam de Pomerio, Ecclesiam de Crosent cum Capellis suis, Ecclesiam de Aguzun, Ecclesiam de Copdallia, Ecclesiam de Capellula, Capellam sancti Eligij cum appendiciis suis, Ecclesiam de Amuclero, Ecclesiam sancti Austregisili de Castellonovo, Ecclesiam sancti Genitoris de Oblinquo, Capellam sanctæ Mariæ, sancti Petri, & sancti Sigiranni in eodem castro, Ecclesiam de Tremsals, Ecclesiam de Artaim, Ecclesiam de Oratorio, Ecclesiam sancti Severi cum Ecclesiis & Capellis suis. Ecclesiam sancti Martini, Capellam sancti Petri, sancti Iohannis, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Polinic, Ecclesiam sancti Martini de Polinic, Ecclesiam de Sazerech, Ecclesiam de Pairaziaco, Ecclesiam sancti Projecti, Ecclesiam Vigionensem, Ecclesiam de Crevent, monasterium de Spinocolero cum appendiciis suis, pro quo singulis annis duodecim denarios Romanæ Ecclesiæ persolvetis, sicut est antiquitus constitutum. Præterea Virsionensem monasterium vobis vestrisque successoribus perpetuò providendum & regendum committimus. Donum quoque & concessiones Emenonis Exoldunen. senioris quas fecit Emenoni & Alberto Abbatibus Dolensibus de monasterio beatæ Mariæ apud castrum Exolduni sito, quemadmodum prædicti prædecessoris nostri piæ recordationis Calixti Papæ privilegio continetur, vobis nihilominus confirmamus. Adicientes insuper Ecclesias de Brivis, Ecclesiam de Plancis, Ecclesiam de Maron. Ecclesiam sancti Austregisili de Turre clerici, Capellam sancti Michaëlis, & Ecclesiam sancti Desiderij ejusdem castri, Ecclesiam de Vigevilla cum parrochia sua, monasterium de Pradellis cum parrochia sua, Capellam de Bortiaco, Ecclesiam de Noent, Ecclesiam de Magniaco cum appendiciis suis, Ecclesiam sancti Petri de Duno, Ecclesiam de Latapetra, Ecclesiam de Nozelio, Ecclesiam de Mosterio, Ecclesiam de Mosterol, Ecclesiam de Cercillat, Ecclesiam de Linars, Ecclesiam de Genollac cum capellis suis sancti Martialis, sanctæ Mariæ de Capellula, monasterium de Pontiaco cum Capella sanctæ Mariæ, Ecclesiam sancti Martini, sancti Desiderij, Ecclesiam de Nozerolis, Ecclesiam de Meanis, Ecclesiam de Oratorio sancti Michaëlis, Ecclesias de Salgiaco, Ecclesiam de Bonis cum Ecclesia parrochiali, Ecclesiam de Fortio cum Ecclesiis & appendiciis suis, Ecclesiam de Artreio, Ecclesias de Roca cerveria, de Graula, de Lorge, de Veteri vinea, de Garineria, Ecclesiam de Malavalle, Ecclesiam de Cosdra, Ecclesiam de Brennaio, Ecclesiam de Ligolio, Ecclesiam sancti Flodovei, Insulam de Andria cum Ecclesia, Capellam de castro Begonis, Ecclesiam de Boia, Ecclesiam de Musterles cum Capella sua, Ecclesiam sancti Gereonis Aurelianis, Ecclesiam sancti Vincentij, Ecclesiam sancti Leonardi de insula Bucardi, cum Ecclesia de Lamere, Ecclesiam de domo Faginea cum Capellis sancti Petri & sancti Michaëlis de Duno, cum terra, hominibus, burgo, libertate & immunitate ipsius, & cum omnibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus. Præterea Andezesmensem Ecclesiam cum Ecclesiis & Capellis suis, quæ utique beati Petri juris esse cognoscitur, ex apostolicæ sedis benignitate vobis & successoribus

vestris regendam disponendamque concedimus, quemadmodum à supradictis Romanis Pontificibus Paschali, Calixto, Adriano, Alexandro, Lucio, & Celestino noscitur institutum eorumque privilegiis confirmatum; ut videlicet ex eadem Ecclesia duos solidos, ex Dolensi verò monasterio unum Lateranensi palatio persolvatis. Ad hæc, felicis memoriæ Eugenij, Adriani, Alexandri, Lucij, & Celestini prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, sententiam quam bonæ memoriæ Galfridus Burdegalensis Archiepiscopus & Lambertus Engolismensis Episcopus super Capella sancti Nicolai de Rocella, super qua inter vos & Cluniacenses monachos controversia vertebatur, ex mandato ipsius Eugenij Papæ rationabiliter protulerunt & scripti sui pagina roborarunt, auctoritate apostolica confirmamus, & sicut ab eis judicatum est, Capellam ipsam à vobis vestrisque successoribus inconcussè perpetuò decernimus possidendam. Capellam quoque sancti Thomæ Martyris Cantuariensis Archiepiscopi juxta præfatam Capellam sancti Nicolai de nouo constructam nihilominus vobis duximus confirmandam. Decernimus etiam ut quod idem Dolense monasterium ab initio fundationis suæ privilegiis prædecessorum nostrorum obtinuit, perpetuis futuris temporibus inviolabili obtineat firmitate; ut scilicet nullus Episcoporum, nec etiam Bituricensis Archiepiscopus, in cujus parrochia idem monasterium situm est, Abbatem seu etiam monachos suspendere vel excommunicare vel ad synodum vocare judiciaria potestate, aut divinum officium interdicere præsumat ibidem; sed si necesse fuerit eidem Præsuli totum comitatum Bituricensem interdicto subicere, omnes monachi & familia ejusdem monasterij immunes ab eodem interdicto semper existant, liceatque illic Deo famulantibus monachis divina officia celebrare & jam dictam familiam tumulare; ita tamen ut excommunicati vel interdicti ad ea nullatenus admittantur. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium, basilicarum dedicationes, benedictiones Abbatum, ordinationes quoque monachorum & Clericorum vestrorum burgi Dolensis ceteraque ecclesiastica sacramenta à quocunque malueritis catholico suscipietis Episcopo gratiam & communionem apostolicæ sedis habente, qui nostra fretus auctoritate sine cujuslibet contradictionis vel appellationis objectu quod postulabitur non differat exhibere; sicut à præfato Celestino Papa vobis dinoscitur esse concessum. Præterea compositionem quæ inter monasterium vestrum & bonæ memoriæ Stephanum Bituricensem Archiepiscopum super Ecclesiis & decimis de quibus quæstio vertebatur facta est, & hinc inde recepta, & in scriptis authenticis prædicti Archiepiscopi necnon Decani & Capituli sancti Stephani Bituricensis continetur expressa, auctoritate apostolica confirmamus. Provisionem quoque inter vos & venerabilem fratrem nostrum G. Bituricensem Archiepiscopum nobis mediantibus factam super Ecclesiis, Clericis, & aliis hominibus burgi Dolensis necnon pluribus aliis, sicut in nostro continetur authentico, per hujus privilegij paginam auctoritate apostolica confirmamus, & in perpetuũ ratam manere censemus. In parrochialibus verò Ecclesiis vestris vacantibus liceat vobis personas eligere & Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere; quibus nullo modo permittimus, sed sicut antiquis canonibus constat inhibitum nihilominus inhibemus, ut bona per Ecclesias acquisita in alios transferre nulla ratione præsumant; sed sive intestati decesserint, sive condiderint testamentum, penes capellanias suas debeant modis omnibus remanere. Liceat autem vobis Clericos vel laicos è seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Sepulturam quoque illius loci &c. *usque* à quibus mortuorum corpora assumuntur. Prohibemus insuper ne cui liceat infra parrochias Ecclesiarum vestrarum sine assensu diocesani Episcopi & vestro Ecclesias vel oratoria de novo construere seu etiam cimiteria benedicere. Salvis tamen scriptis apostolicæ sedis. Decernimus ergo &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & in præscriptis Ecclesiis diocesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur &c. *usque* divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Signiæ per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Indictione xv. incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

Vide ep. 44

TRECENSI

TRECENSI ET MELDENSI Episcopis, & Abbati Latiniacensi Parisiensis diœcesis.

Epist. 144. Confirmatur sententia lata contra Gaufridum Priorem de Caritate. Vide infrà epist. 155.

EX parte dilecti filij Cluniacensis Abbatis fuit propositum coram nobis quòd cùm ipse ad probandam coram dilecto filio Abbate sanctæ Genovefæ Parisiensis ac conjudicibus suis monasterij de Caritate læsionem enormem, quam in alienatione possessionum suarum incurrerat, & inveniendam pecuniam Templariis refundendam diligenter & sollicitè laboraret, jamque magnam partem pecuniæ sine ipsius monasterij gravamine invenisset, ac spem concepisset de inveniendo residuo meliorem, Gaufridus tunc Prior ejusdem monasterij Antisiodorensis diœcesis, ne ipsius Abbatis studium super hoc sortiretur effectum, nequiter studuit impedire. Nam cùm Abbas præcepisset eidem ut de his & aliis quæ ad ordinem pertinent tractaturus ad Capitulum generale accederet, quod instabat, ipse quendam Clericum alienigenam & ignotum post eundem Abbatem apud Sezanniam ad appellandum transmisit, sicut idem Clericus asserebat. Tunc Abbas prædictus per hujusmodi machinationes & studia videns super probatione læsionis enormis & solutione Templariis facienda necnon & aliis utilibus procurandis impediri processum, disciplinamque monasticam dissolvi penitùs & elidi, versùs idem monasterium, licèt jam instaret dies celebrandi Capituli generalis, duxit celeriùs festinandum, volens super hoc cum ejusdem loci conventu habere tractatum ac de mandato nostro corrigenda corrigere ac statuere statuenda; præsertim cùm de novo nostris fuisset litteris * redargutus quòd se in corrigendis excessibus subditorum in abbatiis & prioratibus sibi subjectis exhiberet tepidum & remissum, ac nos mandassemus eidem ut appellatione remota corrigeret & reformaret in illis quæ correctionis & reformationis officio cerneret indigere. Verùm Gaufridus prædictus captato favore servientium nobilis viri Comitis Nivernensis prævenit Abbatem, & conventum suis mendaciis circumvenit, in Capitulo asserens quòd Abbas de monasterio ipso omnes proponebat eicere & de Cluniaco inducere alios numero pauciores. Cùm ergo Abbas prædictus per servientem quem præmiserat suum ipsis annuntiasset adventum, iidem servientem ipsum cum injuria expellentes, villæ & claustri portas firmiter obserarunt; & cùm illic Abbas postmodum advenisset, ipsi & aliis viris religiosis qui comitabantur eundem villæ impudenter & claustri denegarunt ingressum. Veruntamen quidam de monachis monasterij antedicti zelo devotionis accensus quandam portam villæ, postquam Abbas & socij ipsam & alios circumierant, reverenter reseravit eidem; quam iidem ingressi primam partem claustri; quam quidam monachi eodem zelo ducti aperire curarunt, secundùm consuetudinem ordinis intraverunt. Hoc comperto Gaufridus & monachi ac servientes armati, quos idem Gaufridus ad hanc præparaverat victimam, de campanilibus & eminentioribus locis in Abbatem & socios lapides grandes & densos crudeliter projecerunt. Veruntamen misericors Dominus miraculosè Abbatem servavit illæsum, licèt in equum ejusdem plures magni ponderis projecti lapides extitissent, adeo quòd idem equus in quatuor locis apparuit vulneratus. Tunc Abbas tam atrocibus affectus injuriis, cùm illi projicere lapides non cessarent, censuit furori cedendum, & equo laxato fugam petiit, & se recepit in villam; quem quidam burgensis errantem inveniens, & quasi de mortis periculo erutum trementem totis artubus & pallentem, misericordia motus duxit in domum suam, & curam ejus egit filialiter & devotè. In illo autem conflictu, quando Abbatem & socios lapidibus voluerunt obruere, quidam servientes & monachi majorem portam cum gladiis & fustibus exeuntes, sarcinulis oneratos retinuere tres equos, uno de Abbatis servientibus vulnerato. Sed & iis Gaufridus & ejus complices non contenti, quinimmo malis adicientes pejora, Balivos Comitis memorati in grave præjudicium monasterij atque villæ ad suorum defensionem facinorum & juris oppressionem necnon Abbatis & ordinis advocarunt; quorum præsentia & favore campanilia & alia loca editiora armis, arcubus, balistis, & lapidibus munierunt de nocte, ita celebrantes excubias cornibus, cantilenis, fistulis, & clamore ac si castrum obsessum ab hostibus custodirent; quamquam Abbas per violentiam irrumpere claustrum, etsi posset, nullatenus noluisset, sed nobis vindictam potiùs reservare. Attendens igitur idem Abbas quòd Gaufridus & sui nullam admonitionem admitterent, semper claustri, curiæ, ac majoris Ecclesiæ, necnon omnibus aditibus obseratis per quos ad eos haberi posset accessus, habito virorum religiosorum consilio,

* Suprà epist. 4.

ipsius Gaufridi & complicum ejus culpis claresc entibus evidenter, ipsum tamquam inobedientem, rebellem, contumacem, & dilapidatorem sententialiter amovit à regimine prioratus, & tam ipsum quàm omnes sibi taliter adhærentes vinculo excommunicationis innodans, Ecclesiam suppositi interdicto, donec redeuntes ad cor condignè satisfacerent de tam enormibus excessibus & offensis. Ipsi verò semper proniores ad pejus, sententias in eos sic latas rationabiliter non servantes, pulsatis campanis divina præsumunt solemniter celebrare. Ceterùm cùm equi Abbatis ducerentur ad aquam, ab hominibus Comitis antedicti, quos introduxerunt in villam contra ipsius & monasterij libertatem, septem ex eis capti fuerunt, reliquis effugatis. Iidem etiam ceperunt servientes Abbatis in villa, in qua Comes præfatus nullam habet justitiam, licèt in nullo præfati excesserint servientes; omnes præterea villæ portas & aditus, per quos intratur in eam, postmodum obstruxerunt, non patientes intrare quempiam peditem vel equitem ad Abbatem. Quòd si quisquam portam ingrederetur ignotus, custodes perquirebant ipsarum ne ferret litteras vel mandatum. Abbas igitur taliter impeditus, & affectus tædio ac languore, quoniam Cluniaci Capitulum annuum non poterat celebrare, in quo de sæpedicti monasterij reformatione potissimùm & pecunia Templariis refundenda tractare ac ordinare cum Abbatibus & Prioribus dispo-suerat, ne tunc Abbates & Priores inaniter laborassent, neve propositum ejus circa relevationem ejusdem monasterij suo privaretur effectu, vocatis ad se Abbatibus & Prioribus idem Capitulum apud Caritatem celebrare decrevit, credens auctoritate ac præsentia tantorum virorum posse præfatos rebelles à sua pertinacia revocari. Venerabilis quoque frater noster Gebennensis Episcopus & H. Remensis Archidiaconus, sicut suis nobis litteris intimarunt, accesserunt Cluniacum ad Capitulum generale; sed cùm Abbas se per suas litteras excusasset quòd illuc ire nequiverat à Priore ac monachis de Caritate, quos inobedientes & rebelles invenerat, graviter impeditus, & diffinitores Capituli ad Caritatem cum congregatis ibidem Prioribus evocasset, ut ibi tam de rebellione Prioris & monachorum quàm de aliis agendis communiter tractaretur, iidem diffinitores cum Prioribus ad mandatum Abbatis, & Episcopus & Archidiaconus ad preces ipsorum, cum ipsis usque ad castrum quod Marchia dicitur accesserunt. Ibidem diffinitoribus & Prioribus remanentibus, iidem Episcopus & Archidiaconus ad præfatam villam iverunt, de pace cum sæpedicto Abbate & Priore ac monachis ipsius monasterij locuturi; sed invenerunt januas obseratas. Rogaverunt autè eos quos viderant supra muros ut ipsos permitterent introire. Qui responderunt eisdem quòd sine Prioris mandato nullatenus ipsis pateret ingressus. Cùm ergo quidam serviens Comitis memorati interrogasset qui essent, & ipsis respondentibus didicisset, rogatus ab eis ad Priorem accessit ut ipsis ingrediendi licentiam impetraret. Quo moram diutiùs protrahente, idem Archidiaconus divertit ad aliam villæ portam, tentans si alium ingressum possent habere; sed nihil omnino profecit. Ad ultimum verò post expectationem non modicam servien: Comitis responsum hujusmodi reportavit, quòd non ingrederentur ullo modo, eò quòd ad Capitulum accesserant generale. Sic ergo passi repulsam, ad Marchiam redierunt. Die verò sequenti præfatus Episcopus magistrum Philippum officialem Nivernensem rogavit ut Priorem adiret, & sibi & Archidiacono impetraret ingressum, quia loqui de pace cum eo & suis fratribus affectabant. Ipse verò cum Priore locutus, sic respondit eisdem, quòd Prior ipsos nullo modo intrare permitteret, nec ipse ad Episcopum iret, neque loqueretur cum eo. Tertia quoque die cum diffinitores & Priores ad sæpedictam villam simul proposuissent accedere, tentaturi si cum Priore ac monachis possent loqui & habere ad Abbatem accessum, servientes sæpedicti Comitis advenerunt, inhibentes eisdem ne ad villam accederent sæpedictam, in personis & equis eorum gravia pericula intentando. Adjecerunt etiam quòd, si possent, eosdem Episcopum & Archidiaconum introducerent, sed si cum diffinitoribus & Prioribus irent, nullo modo permitterentur intrare. Ipsis igitur illuc venientibus occurrit Thesaurarius Turonensis, & ad quandam portam duxit eosdem; ad quam post expectationem non modicam cum difficultate maxima stipatus militibus & servientibus, equis armatis, & monachis magnos ferentibus baculos, venit Prior; cui propositum fuerunt, præsentibus Thesaurario supradicto, Bituricensi Cantore, Antisiodorensi Archidiacono, & aliis pluribus, verbum pacis, ostendentes damna quæ poterant ex hac discordia provenire,

& quàm gravis infamia occasione dissensionis ipsius, non solùm eis, sed & religiosis aliis imminebat. Ad hæc obtulerunt eidem ex parte diffinitorum ipsorum quòd parati erant corrigere si qua essent tam circa ipsum Abbatem quàm eosdem Priorem & monachos corrigenda, cùm auctoritate Capituli generalis per sedem apostolicam approbati potestatem haberent corrigendi excessus tam in capite quàm in membris. Ipse verò respondit quòd de diffinitorum correctione vel generalis Capituli non curabat, cùm nonnisi coram nobis, ad quem appellaverat, ut dicebat, de spiritualibus responderet, & de temporalibus non nisi coram Comite memorato, in cujus erat custodia constitutus, nec aliquod verbum pacis aut compositionis alicujus admitteret quandiu Abbas in eadem villa maneret. Asseruit enim quòd monasterium Cluniacense aliquando gravarat eosdem, & ipsi Priori extiterat nuntiatum quòd Abbas illum à prioratu proposuerat amovere & monachos in domibus aliis collocare, propter quod ipsum illic noluerunt recipere venientem. Ad hæc autem rogaverunt eundem ut ipsos loqui permitteret cum Abbate. Qui post multa consilia dixit eis quòd ipsum Episcopum solum loqui cum eo præsentibus suis & Comitis servientibus pateretur, ita quòd quandocunque ipsi vellent exiret. Porrò extra villam præfato Archidiacono remanente, ad Abbatem Episcopus solus accessit, proponens eidem quæ sibi videbantur in facto hujusmodi expedire. Abbas verò respondit quòd monachos ejusdem monasterij tamquam bonus pater in spiritu mansuetudinis paratus erat recipere, si tamquam boni filij venirent ad ipsum, & cum eis, quantum secundùm Deum posset, cum religiosorum virorum consilio dispensaret, atroces injurias quas eidem intulerant remissurus. Cùm enim pro ipsorum utilitate ad eorum accesserit monasterium, portas villæ sibi clauserunt; quibus per quosdam ex fratribus reseratis, cùm monasterium sicut pastor Ecclesiæ ac villæ dominus ingredi voluisset, violenter à monachis est repulsus, qui equos capientes ipsius, & à turribus monasterij in eum ingentes lapides jacientes, equum suum graviter vulnerarunt, ipsum divina misericordia protegente, ac tres servientes capti à servientibus Comitis villam cum monachis observantibus extiterunt: unde ad domum cujusdam burgensis, in qua manebat, declinaverat necessitate compulsus. Præterea asseruit plurimùm se dolere quòd executio mandati apostolici de alienatis possessionibus revocandis extiterat impedita, cùm propter hoc ad deliberandum & tractandum cum ipsis specialiter accessisset, proponens se jam magnam partem pecuniæ, nisi staret per eos, sine difficultate ac damno monasterij invenisse. Audito igitur Abbatis responso, ad Priorem & monachos rediit in curia monachorum, & verbum pacis illis proposuit diligenter, dicens quòd benignum responsum receperat ab Abbate, ac ex parte generalis Capituli dixit eis quòd libenter corrigerent circa eundem Abbatem vel ipsos si esset aliquid corrigendum. Monachi verò dixerunt quòd de Abbate vel diffinitoribus seu generali Capitulo non curabant, nec pacem ipsorum vel per eos etiam requirebant. Prior verò addidit sicut priùs quòd quandiu Abbas esset in villa, sive in prioratus officio remaneret, sive removeretur ab illo, nullum admitteret verbum pacis. Cùm igitur aliud à Priore ac monachis responsum habere dictus Episcopus nequivisset, Priorem interrogavit eundem si ab ipso & suis essent securi ad suum Abbatem monachi venientes. Ipse verò respondit quòd guerram nemini faciebat. Et cùm idem Episcopus institisset ut sibi plenius responderet, sic ait, quòd securitatem alicui non præstabat. Et statim Letherius serviens Comitis antedicti, ipso Priore præsente nec contradicente, subjunxit quòd si Cluniacenses monachi de cetero tangerent villæ portas, & equos amitterent & personis periculum immineret; prohibens nihilominus ne amplius apud Marchiam ejusdem Comitis castrum, in quo priùs hospitati fuerant, remanerent. Egressus igitur villam Episcopus antedictus, ad diffinitores & Priores rediit cum Archidiacono memorato; à quibus interrogati si boni aliquid invenissent aut profecissent in aliquo commonendo, exposuerunt eisdem quod fecerant diligenter. Ipsi verò juxta muros villæ sedentes suum Capitulum ordinarunt, & habito diligenti tractatu suam sententiam formaverunt; quam diffinitores redactam in scriptis, præfatis Episcopo & Archidiacono convocatis & audientibus promulgarunt, Gaufridum Priorem ejusdem monasterij, quia vocatus ad generale Capitulum venire contempsit, & Abbatem suum accedentem ad idem monasterium non admisit, sed cum armis violenter rejecit, & eosdem illuc correctionis gratia properantes portis turpiter repulit obseratis, auctoritate Dei

& sua necnon & generalis Capituli propter inobedientiam, rebellionem, & contumaciam manifestam, ac causas alias excommunicationis vinculo innodantes, & deponentes à regimine prioratus, sigilla ejusdem G. pariter & conventus ejusdem monasterij condemnando, & omnes complices suos pari excommunicationis sententia involvendo nisi infra septem dies à præsumptione hujusmodi non resipiscerent & regulariter emendarent. Et ne ipsius monasterij negotia deperirent, dilectum filium W. Cluniacensem Priorem præfecerunt eidem, ipsius sibi administratione concessa. Ne igitur tantæ præsumptionis excessus remaneant incorrecti, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, & inquisita super iis pleniùs & cognita veritate, si rem inveneritis ita esse, prolatam in sæpedictum G. depositionis sententiam à regimine prioratus auctoritate apostolica confirmantes, & approbantes nihilominus quod de substitutione Prioris & sigillorum damnatione per præfatos diffinitores est factum, excommunicationis sententiam in præfatum G. ac ejus complices promulgatam faciatis appellatione postposita usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, contradictores quoslibet aut rebelles, sive monachi vel Clerici fuerint, sive laici, per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compescendo. Et quoniam audivimus præfatum Gaufridum multas sibi pecunias congregasse, volumus nihilominus & mandamus quatenus ad resignationem earum per districtionem ecclesiasticam appellatione remota compellatis eundem, facientes ipsas pecunias in solutionem debitorum converti vel in aliam utilitatem monasterij memorati. Eos verò quos excommunicatos constiterit temerè celebrasse divina pœna canonica percellatis. Testes autem qui fuerint nominati &c. *usque* subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Signiæ IV. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ASTORICENSI EPISCOPO & Palentinensi electo.

CVm decisæ in nostra præsentia quæstiones pati non valeant recidivam, quæ interdum gravius litigantes affligit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus venerabili fratri nostro Legionensi Episcopo & dilecto filio Abbati sancti Facundi Legionensis dicto, quorum causam super burgo & cauto Ecclesiis interdicto & rebus aliis venerabilibus fratribus nostris Overensi & Burgensi Episcopis & conjudicibus eorum duximus committendam, peremptorium terminum præfigatis quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, causam eandem in nostra præsentia tractaturi. Quòd si forsan lis jam contestata extitit coram ipsis, vos eosdem auctoritate nostra diligenter monere curetis ut in causa juxta primi mandati nostri tenorem usque ad diffinitivam sententiam ratione prævia procedentes, ipsam ad nos sufficienter instructam remittant, præfigentes partibus terminum quo compareant coram nobis justam auctore Domino sententiam receptræ. Datum Signiæ II. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO CREMONENSI.

SI cœci & claudi ac debiles ad nuptias filij summi patris intrare non solùm invitandi sunt, sed etiam compellendi, multò fortiùs illi qui ad illas properant per se ipsos, repellendi non sunt ullatenus ab eisdem. Hæc utique attendentes, cùm olim dilectus filius Bernardus Primus & socij ejus, qui super hæresis crimine fuerant infamati, ad magisterium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ confugissent, proponentes se fore paratos nostræ correctionis disciplinam recipere humiliter ac devotè, fidem eorum examinavimus diligenter, ac demum investigavimus perspicaciter propositum eorum; & sic ordinatis prudenter quæ super iis vidimus ordinanda, utrumque fecimus apostolicis litteris comprehendi, ut essent illis in testimonium, ne quis eos calumniaretur de cetero sine causa, sub protectione beati Petri & nostra suscipientes eosdem in fide catholica & devotione apostolica persistentes. Cùm igitur membra capiti & partes debeant congruere suo toti, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus habens eos propensiùs commendatos, ipsis tamquam

viris fidelibus & verè catholicis impendas consilium & auxilium & favorem secundùm præscriptam formam in domo Domini ambulantibus cum consensu. Datum Signiæ Kal. Augusti, pontificatus nostri anno quintodecimo.

VNIVERSIS ABBATIBVS in generali Cistercienſi Capitulo constitutis.

Epist. 147. De libera prædicatione verbi Dei in Prussia. Vide lib. 13. epist. 128.

Dilecti filij Christianus, Philippus, ac eorum socij vestri ordinis fratres advertentes eos appellari beatos qui seminant super aquas, & eos qui frumentum abscondunt in propriis maledici, faciente illo qui ubi vult spirat, & nemo scit unde veniat aut quò vadat, olim de nostra licentia inceperunt seminare in partibus Prussiæ verbum Dei, ut eundo & flendo mittentes semina sua, demum possent cum exultatione venire portantes manipulos suos, confisi quòd ille qui venit salvum facere quod perierat, in inferiores partes terræ descendens ut hominem ad regna cælestia revocaret, qui omni creaturæ suum jussit evangelium prædicari, sicut per Prophetam promiserat, in virtute multa evangelizantibus daret verbum, & ora in portis filiæ Sion laudantium adimpleret. Benedictus autem Deus, qui sperantes in sua misericordia non relinquens, speciosos fecit pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, & expandens manus suas ad populum non credentem, non solùm usque in Idumæam, verùm etiam usque in Prussiam suum calciamentum extendit, dans gratiam fratribus memoratis ut sint ministri Christi Iesu in gentibus, sanctificantes evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in spiritu sancto. Sicut enim comperimus veridica relatione multorum, Dominus eisdem fratribus aperuit ostium; ita ut per ministerium eorundem intelligentibus qui non audierant & videntibus quibus non fuerat nuntiatum, multi ad agnitionem pervenerint veritatis. Licèt autem eorum opera de ipsis perhibeant testimonium, quia tamen vos eos, sicut accepimus, acephalos reputatis, quidam vestri ordinis fratres in illis partibus constituti eisdem in hospitiis & aliis debita humanitatis solatia non impendunt, quinimmo adeo verbis exasperatis eosdem ut propter increpationes vestras multiplices nonnulli eorum dicantur ab illis partibus abscessisse. Volentes igitur juxta pastoralis officij debitum eam in iis adhibere cautelam ut nec sub specie prædicantium valeant subintrare girovagi aut fidei subversores, nec propter suspicionem hujusmodi evangelio Dei offendiculum præbeatur, venerabili fratri nostro Gnesnensi Archiepiscopo, de cujus discretione fiduciam gerimus pleniorem, nostris damus litteris in mandatis ut non subitò credens omni spiritui, sed probans spiritus si ex Deo sunt, eos quos noverit esse idoneos ad prædicandum gentibus verbum Dei & ad id studio veræ caritatis inductos, vobis & vestri ordinis fratribus aliisque fidelibus Christi constitutis per Pomeraniam & Poloniam recommendet & suarum muniat testimonio litterarum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eos quos præfatus Archiepiscopus vobis per litteras suas duxerit commendandos non impediatis ullatenus vel ab aliis ordinis vestri fratribus permittatis aliquatenus impediri quò minùs in evangelij prædicatione procedant; ut bajulantibus ipsis, currat velociter sermo ejus qui emittit eloquium suum terræ. Datum Signiæ IV. Idus Augusti, pontificatus nostri anno decimo quinto.

In eundem fere modum scriptum est super hoc monachis Cistercienſis ordinis per Poloniam & Pomeraniam constitutis. Scriptum est super hoc Gnesnensi Archiepiscopo.

NOBILIBVS VIRIS DVCIBVS Poloniæ & Pomeraniæ.

Epist. 148. De eadem &c.

Licèt teste Apostolo impossibile sit Deo sine fide placere, ad placendum tamen ei fides sola non sufficit, sed caritas est præcipuè necessaria; de qua idem testatur Apostolus quòd si quis linguis hominum & angelorum loquatur, etsi habeat omnem fidem ita ut montes transferat, & in cibos pauperum omnes suas distribuat facultates, caritatem autem non habeat, ei penitùs nihil prosit. Cùm autem hæc exercenda sit sollicitè circa omnes, utpote mandatum Domini latum nimis, quod etiam ad inimicos extenditur, circa eos tamen qui nuper relicto gentilitatis errore ad cognitionem veritatis, quæ Christus est, pervenerunt, eò debet propensiùs exerceri quò faciliùs retro aspicerent inhumanè tractati. Hoc utique quidam vestrum, sicut accepimus, minimè attendentes, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi, quàm citò intelligunt aliquos è gentilibus per Prussiam constitutis novæ regenerationis gratiam suscepisse, statim oneribus eos servilibus aggravant, & venientes ad Christianæ fidei libertatem deterioris conditionis efficiunt quàm essent

dum sub jugo servitutis pristinæ permanserunt, per hoc multorum impedientes salutem qui fuerant crediturí, & temporale commodum angelorum gaudiis præferentes, qui super pœnitentiam agentibus gloriantur. Ideoque universitatem vestram monendo rogamus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus intuitu ejus qui venit salvum facere quod perierat & dare animam suam redemptionem pro multis, hujusmodi novellæ plantationis filios non gravetis, sed agatis tantò clementiùs cum eisdem quantò memoria pristinæ conversationis infirmi faciliùs in antiquum relaberentur errorem, cùm veteres utres vix novum vinum contineant juxta evangelicam veritatem. Nos enim venerabili fratri nostro H. Gnesnensi Archiepiscopo nostris damus litteris in mandatis ut tales foveat propensiùs propter Deum, & defendat eosdem à molestiis indebitis & pressuris, oppressores eorum indebitos monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compescens. Datum Signiæ Idibus Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Scriptum est super hoc Archiepiscopo Gnesnensi.

CAMERACENSI EPISCOPO.

Epist. 149. De decimis Ecclesiæ constituendis.

SIgnificavit nobis N. Miles quòd ad sublevandam inopiam capellaniarum de Gellen & Bialluel Ecclesiarum, quæ multa paupertate gravantur, quasdam eis decimas conferre desiderat, si ad hoc favor apostolicæ benignitatis accedat. Volentes itaque ſ⁹ Ecclesiis prædictis adesse quòd in suo jure alij deesse minimè videamur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus eundem Militem, ut illi Ecclesiæ reddat decimas cui debentur, diligenter inducas. Quòd si adhoc induci non poterit, & tales decimæ sunt quæ juxta consuetudinem regionis in feudum perpetuum à laicis detinentur, conferendi eas ipsis capellaniis tribuas facultatem. Datum Signiæ XIV. Kalend. Septembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO ET DECANO *& Cantori Atrebatensibus.*

Epist. 150. Causæ cognitionem ad eos remittit.

CVm causam quæ inter B. viduam & Lambertum laicum Morinensis diœcesis super dotalitio ipsius viduæ vertitur dilectis filiis Ph. G. & G. Canonicis Morinensibus olim duxerimus committendam, ac ipsi receptis testibus & attestationibus publicatis, disputationes hinc inde propositas audivissent, tandem, sicut ex relatione comperimus judicum eorundem, tam ab Episcopo Morinensi quàm à præfato Lamberto ne ipsi ad sententiandum procederent extitit appellatum, eò quòd cùm res quæ ducebatur in judicium esset feudalis, & ad jurisdictionem spectaret Episcopi, non ecclesiastico jure, sed potiùs seculari, ejus forum prædicta vidua declinare non poterat, cùm esset paratus eidem justitiæ plenitudinem exhibere. Dicti quoque judices appellationibus deferentes, causam cum utriusque partis attestationibus & allegationibus suis sigillis inclusis ad nostram præsentiam remiserunt. Verùm quia per relationes judicum, attestationes & allegationes partium, & alia per nuntium viduæ memoratæ coram dilecto filio nostro Angelo sancti Adriani Diacono Cardinale sibi à nobis auditore concesso proposita, quæ idem Cardinalis in præsentia nostra fideliter retulit, nequivimus plenè de causæ meritis instrui, cùm causarum merita partium assertione pandantur, & pro neutra parte comparuerit aliquis procurator, multaque fortassis in partibus ipsis sunt nota quæ nobis sunt prorsùs incognita, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, non obstantibus appellationibus prænotatis, quia etsi res de qua agitur dicatur esse feudalis, de ipsa tamen non tamquam feudali, sed dotali, tractatur, attestationibus & allegationibus quas sub bulla nostra transmittimus vobis inclusas & aliis rationibus utriusque partis inspectis, causam ipsam appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. subtraxerint, per censuram eandem cessante appellatione &c. *usque* perhibere. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Signiæ XVII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PRÆPOSITO SANCTI *Laurentij Laudensis & I. & A. Canonicis de Cavennacho diœcesis Laudensis.*

Epist. 151. Vt causam quæstionis inter quosdam terminet.

DIlectus filius magister Ambrosius de Canturio Diaconus plebis de Gallian. constitutus in præsentia dilecti filij nostri Angeli sancti Adriani Diaconi Cardinalis, quem sibi dedimus auditorem, proposuit coram ipso quòd cùm ad mandatum sedis apostolicæ per venerabilem fratrem

nostrum Hierosolymitanum Patriarcham, tunc Episcopum Vercellensem, de canonicatu Ecclesiæ sancti Vincentij de Gallian. Mediolanensis diœcesis fuerit investitus, & idem Patriarcha Præposito & fratribus ejusdem Ecclesiæ mandaverit ut dicto A. quantum uni de residentibus ibidem de communibus proventibus assignarent, ac ipsi per eundem, pro eo quòd ejus parere mandato contumaciter recusabant, fuissent ab officio beneficioque suspensi, & excommunicationis demum vinculo innodati, licèt postmodum investituram ejusdem ratam asseruerint se habere, partem tamen ei debitam subtraxerunt; quibus cùm postmodum per venerabilem fratrem nostrum Laudensem Episcopum & conjudices suos delegatos à nobis sententialiter fuisset injunctum ut eidem tantum de proventibus Ecclesiæ præfatæ conferrent quantum perciperet unus ex aliis in eadem, ipsi, ut eum fatigarent laboribus & expensis, ad sedem apostolicam appellarunt, dicentes se nihil daturos eidem nisi continuè in Ecclesia resideret, ex eo sub specie justæ causæ materiam malignandi sumentes quòd ibidem ei mora periculosa nimis existit occasione banni cujusdam, cui eum Mediolanenses Consules subjecerunt. Propter quod idem ad sedem apostolicam iteratò laborans, ad dilectos filios Abbatem de Capite lacus & collegam suum nostras litteras reportavit. Qui secundùm tenorem litterarum ipsarum Præposito & Capitulo prænotatis sententialiter injunxerunt ut ipsi Ambrosio quantum uni ex residentibus assignarent de communibus proventibus Ecclesiæ sæpefatæ, ubicunque maneret, donec prædicta necessitate cessante tutè residere valeret ibidem, & nihilominus de subtractis satisfacerent competenter: in quos, quia mandatum eorum surdis auribus pertransibant, judices excommunicationis sententiam promulgarunt; sicut per instrumenta coram auditore memorato exhibita liquidò edocebat. Vnde idem Ambrosius nobis humiliter supplicavit ut finem suis laboribus imponentes, ipsas sententias dignaremur apostolico munimine roborare. Nos autem auditis iis & aliis quæ idem Cardinalis fideliter retulit coram nobis, communicato fratrum nostrorum consilio, prædictas sententias confirmantes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsas faciatis sublato appellationis obstaculo firmiter observari. Quòd si Præpositus & Clerici supradicti contraire præsumpserint, ipsos auctoritate nostra per subtractionem beneficiorum appellatione remota parere sententiæ compellatis. Nullis litteris, harum expressa mentione non habita obsistentibus, si quæ apparuerint à sede apostolica impetratæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Signiæ XII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PRIORI ET CONVENTVI Lateranensi.

Epist. 152. De limitibus Ecclesiæ Lateranensis.

COram dilecto filio Petro tituli sanctæ Cæcilię Presbytero Cardinale, quem vobis & Clericis basilicæ sancti Laurentij de Palatio dedimus auditorem, yconomus ejusdem basilicæ petiit vos arceri ab inquietatione quam dictis Clericis circa spiritualium administrationem in sua parrochia præsumebatis inferre, ab arcu videlicet sancti Danielis usque ad domum Iohannis Matij citra & extra formam ex utraque parte viæ, & à scala Episcopi Albanensis usque ad domum Iohannis de Mutina, & à domo Iordanis Petri Leonis usque dd hospitale sanctæ Mariæ in Spaczolaria tam ex una quàm ex altera parte viæ; qui ut de jure posset basilicæ supradictæ docere, decem testes induxit, per quos ostendit Clericos sancti Laurentij habitantibus infra prædictos terminos spiritualia ministrâsse. Ad hæc yconomus vester respondit quòd cùm præfata parrochia juris esset Lateranensis Ecclesiæ, prout per privilegium felicis memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri continens fines parrochiæ vestræ probabat, & à longissimo tempore Lateranensis Ecclesia eandem parrochiam possederit sine lite, vos possessioni legitimæ incumbentes non videbamini aliquos indebitè molestare, cùm non intelligatur injuriam facere qui utitur jure suo; & ad probandum usum longissimum & præsentem testes induxit, per quos sufficienter edocuit Lateranensem Ecclesiam à quadraginta sex annis usque ad tempus motæ litis & pòst exercuisse jura spiritualia in parrochia sæpedicta. Dicebat etiam quòd si medio tempore infra fines prædictos pars altera præsumpsisset aliqua parrochialia exercere, cùm nihil de proprietate doceret, & ex parte vestra longissima & continua possessio probaretur, & duo in solidum eandem rem simul & eodem modo possidere non possint, convincebantur adversarij prædicta clanculò usurpasse. Contra tenorem verò cujusdam scripti sub nomine bonæ memoriæ Alexandri prædecessoris

nostri coram eodem Cardinali à parte adversa exhibita responderet quòd non erat authenticum, cùm nec esset bulla munitum, & haberetur meritò in stylo suspectum. Verùm cùm Ecclesia Lateranensis inveniretur in possessione parrochiæ supradictæ, & actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, debeat obtinere, cum instantia postulabat parti adversæ imponi silentium & compesci ne super possessione præfatæ parrochiæ vestram Ecclesiam ulteriùs molestaret; præsertim cùm nomine præfatæ basilicæ, in qua solus Romanus Pontifex celebrat Missàrum solemnia, & intra suum palatium est constructa, parrochiam vendicare non possent, nec etiam nomine inferioris Ecclesiæ, quam ipsi de quadam crypta vel stabulo in oratorium à non longo tempore converterunt. Nos autem auditis iis & aliis quæ idem Cardinalis fideliter retulit coram nobis, & habito fratrum nostrorum consilio, yconomum vestrum nomine Lateranensis Ecclesiæ ab impetitione prædicta, quam contra vos yconomus præfatæ basilicæ movit, decrevimus absolvendum. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ Idibus Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

MAGISTRO MAXIMO Notario nostro.

Epist. 153. Vt possit absolvere excommunicatos.

NOnnisi testimonio laudabilis famæ notis vel experimento vitæ commendabilis approbatis consuevit sedes apostolica committere vices suas in iis quæ sibi specialiter reservavit. Cùm igitur prudentiam tuam officij executione fideli & longa conversatione simus experti, volentes per te obviare periculis quæ incidentibus in canonem sententiæ promulgatæ necessitas posset inferre, de gratia speciali auctoritate tibi præsentium indulgemus ut illis quos pro injectione manuum violenta inveneris vinculo excommunicationis astrictos in partibus Romaniæ auctoritate sedis apostolicæ juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas; nisi excessus eorum fuerint adeo difficiles & enormes ut meritò sint ad sedem apostolicam destinandi. Datum Signiæ XII. Kal. Septemb. pontificatus nostri anno quintodecimo.

VNIVERSO CLERO Constantinopolitano.

Epist. 154. Vt pareant Notario Legato apostolico.

ETsi dilectum filium magistrum Maximum Notarium nostrum pro negotio patriarchalis Ecclesiæ specialiter destinemus, volentes tamen ut in vobis fructum faciat generalem, qui nunc & Patriarcha pariter & Legato caretis, vices nostras ei duximus committendas ut quandiu apud vos pro illo speciali negotio moram eum facere oportuerit, necessitatibus & utilitatibus vestris studeat providere. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus super iis ad ipsum recursum habentes, rectis ipsius dispositionibus obedire curetis, quas ratas haberi volumus & jubemus. Vnde sententias quas rationabiliter tulerit in rebelles usque ad satisfactionem condignam præcipimus inviolabiliter observari. Datum Signiæ XI. Kal. Septemb. pontificatus nostri anno decimoquinto.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epist. 155. Ecclesiarum exemptio quoad Imperatorem.

LIcèt secundùm Apostolum instantia nostra sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, ad illas tamen Ecclesias præcipuè debemus aciem nostræ provisionis extendere quæ viciniores sunt apostolicæ sedi, etsi non loco, privilegio dignitatis. Sanè cùm Ecclesia Constantinopolitana secundum locum obtineat post Romanam, ejus provisioni libenter intendimus, ut non sit à cura remotior cùm sit vicinior dignitate. Vnde ipsius negotium tam super electione quàm postulatione celebrata de novo personæ non duximus committendum ignotæ; sed à nobis mittimus hominem longa conversatione notum & officij sui fideli executione probatum, magistrum videlicet Maximum Notarium nostrum, nobis ac fratribus nostris merito suæ probitatis & fidei carum admodum & acceptum: in quo & honori tuo prospeximus, & utilitati providimus Ecclesiæ memoratæ; quem etiam quanto cariorem habemus, tanto attentiùs tuæ magnificentiæ commendamus, rogantes quatenus sic eum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram habeas commendatum quòd in ipso tuæ serenitatis affectum, quem probaris ad nos gerere, sentiamus, adhibens ei fidem super iis quæ à nobis accepit tuæ imperiali prudentiæ proponenda. Datum Signiæ XI. Kal. Septemb. pontificatus nostri anno decimoquinto.

MAGISTRO MAXIMO Notario nostro.

Epist. 156. De electione Patriarchæ Constantinop.

SCriptum est in Apocalypsi Iohannis quòd in medio sedis & in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis ante

Vide lib. 14. epi. 97. & lib. 16. epist. 112. & epist. innocen. 111. cap. 102.

antè & retro. Primum animal simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti; & quatuor animalia singula eorum alas senas habebant. Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ usitato vocabulo sedes apostolica nuncupatur, utique sedes agni, sedes viventis in secula seculorum; in medio cujus quasi filiæ in gremio residunt & in circuitu astant quasi famulæ in obsequio quatuor patriarchales Ecclesiæ, Alexandrina, Antiochena, Ierosolymitana, & Constantinopolitana, quæ per illa quatuor animalia designantur. Marcus enim Alexandrinam fundavit & rexit Ecclesiam, qui secundùm visionem Ezechielis accipitur per leonem, eò quòd evangelium inceperit à rugitu dicendo, *Vox clamantis in deserto*, & quia quemadmodum leo catulum suum post diem tertium suo asseritur excitare rugitu, sic Deus pater filium suum, qui leo de tribu Iuda esse describitur, de cujus resurrectione principaliter tractat Marcus, divinitatis suæ potentia post triduum à mortuis suscitavit. Vnde in die resurrectionis dominicæ ipsius evangelium antonomasticè in Ecclesia recitatur. Lucas autem fuit natione Antiochenus; qui propterea in vituli figura describitur, in quo sacerdotalis hostia designatur; quoniam à sacerdotio inchoans evangelium, de immolatione tractavit præcipuè summi sacerdotis & veri, qui est hostia salutaris, vitulus videlicet saginatus, quem pater jussit occidi pro filio prodigo redeunte. Vnde bene per ipsum Antiochena Ecclesia designatur, in qua primùm Apostolorum princeps in summi sacerdotij cathedram à fidelibus extitit sublimatus. Matthæus quidem fuit natione Iudæus, & evangelium primus descripsit etiam Hebraicè in Iudæa; & ob hoc per hominis speciem designatur, quòd ab incarnatione Christi suum inchoans evangelium, principaliter humanam ejus nativitatem ostendit, quam ipse Christus de Iudæis & in Iudæa pro nobis assumens, Hierosolymitanam Ecclesiam metropolim Iudæorum sua humana præsentia consecravit, de qua dictum fuerat per Prophetam: *Homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* Iohannes verò Asianam fundavit Ecclesiam, & Apocalypsim septem Ecclesiis quæ sunt in Asia ipse descripsit; quibus & ceteris Græcorum Ecclesiis Constantinopolitana tandem præferri meruit & præponi per aquilam meritò designata: quia sicut aquila volatu omnes aves excellit, & oculorum ejus intuitum solis radius non offendit, sic Iohannes tribus aliis animalibus in terra relictis, supra cælos cælorum ascendens, veram lucem oculis inreverberatis aspexit, & à divina verbi nativitate suum evangelium inchoavit: qui licèt inter universos Evangelistas fuerit ultimus tempore, præcipuus tamen extitit dignitate: quoniam in cœna supra pectus Christi recumbens, fluenta doctrinæ de ipso sacri dominici pectoris fonte potavit. Sic Constantinopolitana Ecclesia licèt posterior tempore, postmodum propter honorificentiam piissimi Constantini prælata est aliis dignitate; sicque facti sunt primi novissimi, & novissimi primi. Vt meritò ipsi dicatur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, sed tu sola supergressa es universas.* ad cujus Ecclesiæ regimen talis est Pontifex assumendus qui ad similitudinem illorum quatuor animalium antè & retro plenus sit oculis; ut pleno lumine veteris & novi testamenti mysteria contempletur, per experientiam videns præterita, & futura prævidens per cautelam. Debet etiam habere sex alas, scilicet sex legum notitiam, naturalis, Mosaïcæ, & propheticæ, evangelicæ, apostolicæ, & canonicæ; quibus perfecto libramine inter cœlum volans & terram, de terris ad cælestia & de temporalibus transvolet ad æterna. Sanè ad hanc Ecclesiam duo quædam animalia sunt vocata, utinam plena oculis & alas habentia, videlicet venerabilis frater noster Heraclensis Archiepiscopus & dilectus filius Plebanus sancti Pauli de Venetiis, sicut per procuratores tam postulantium Archiepiscopum quàm eligentium Plebanum fuit propositum coram nobis. Proposuerunt siquidem procuratores electorum Plebani quòd cùm Ecclesia Constantinopolitana vacante Canonici Ph. Decanum suum sibi elegerint in pastorem, & nos cassaverimus electionem eandem, quia quibusdam exclusis qui adesse debuerant extitit celebrata, ne diù gregi fidelium deesset cura pastoris, tam Canonici quàm quidam alij qui se in electione Constantinopolitani Patriarchæ jus habere dicebant, ut de electione tractarent, adinvicem convenerunt. Cùmque septem personæ pro septem Præpositis se offerrent, & quidam alij pro ceteris Prælatis se tractatui electionis ingererent, post multam concertationem tam illas septem personas quàm duas alias ad universitatis instantiam, quæ tamen duas tantùm voces haberent, salvo in omnibus jure suo,

tam in præsenti quàm in futuro, pro bono concordiæ receperunt. Sed factum est quòd humani generis inimico, qui unitatem Ecclesiæ scindere nititur, superseminante zizania messi dominicæ, in duas partes sunt vota divisa, novem de Canonicis & novem aliis prænominatis personis postulantibus Archiepiscopum memoratum, & quindecim Canonicis & Præposito sanctorum Apostolorum Plebanum eligentibus supradictum; cujus electioni Cantor, qui pro utilitate absens erat Ecclesiæ, & ante tractatum electionis per litteras suas consensum expresserat de Plebano, si aliis complaceret, & octo alij Canonici, qui electionis tempore non fuere præsentes, suum præstitere consensum; & sic in Plebanum prædictum vota viginti quatuor Canonicorum & unius Præpositi convenerunt. Dicebant ergo postulantium numerum esse minorem, cùm decem & octo tantùm Archiepiscopum postularent; de quibus quosdam eorum, quos cum præfata protestatione sui juris admiserant, excludere nitebantur, duos videlicet de Blakerna & Buccaleone Præpositos; quia cùm per exemptionis privilegium à sede apostolica impetratum se subtraxerint oneri, tacitè renuntiasse videbantur honori, ut ad electionem non pertinerent illius cui electo nullatenus subjacerent. Alij quatuor non erant Præpositi, sed aliarum Ecclesiarum clerici, qui se tractatui electionis suorum Præpositorum nomine ingerebant, quia eorum domini adeo erant absentes quòd ad tractatum electionis vocari commodè nec poterant nec debebant; quoniam si absentes possent per procuratores adesse, vix jura devolverentur absentium ad præsentes, cùm rarò contingeret quòd per se vel per alios interesse non possent. Septimus autem qui præsens extiterat, jam electus & confirmatus in Archiepiscopum Verricensem & translatus ad suam Ecclesiam possessionem ejusdem adeptus fuerat corporalem. Et licèt universitas clericorum quatuor priùs pro se postularet admitti, quia tamen pars Canonicorum tot nolebat admittere, ne numerus aliorum nimis excresceret, ita tandem pro bono pacis extitit ordinatum, ut duo tantùm admitterentur ex illis cum protestatione prædicta; & ideo eligentes asserebant illos duas tantùm voces & non ceterorum habere; maximè cùm triginta præposituræ fuerint ad septem redactæ, quæ tamen nondum fuerunt auctoritate sui judicis approbatæ. Conventuales autem Ecclesias ultra quinque vel sex tunc temporis esse negabant, & si plures fuissent, tempore tamen electionis prædictæ Prælatos earum dicebant non fuisse præsentes. De malo denique zelo intendebant arguere postulantes, eò quòd, ut proponebant, illiteratum & impudicum ex certa scientia postularant; cujus incontinentiam dicebant per filium in monachatu genitum paternæ libidinis testem posse probari. Eundem etiam Archiepiscopum de ambitione notabant, eò quòd in vigilia nativitatis dominicæ se suæ subtraxit Ecclesiæ, ut esset in urbe regia, ubi tunc erat postulatio celebranda, & passus est cum hymno *Te Deum laudamus* se in sede locari in qua profestis diebus residere consueverat Patriarcha. Qui etiam auctoritate propria bona patriarchatus post mortem Patriarchæ distribuens, ejusdem sigillo violenter arrepto de scrinio Camerarij, litteras quasdam quibus illud impressit misit Ravennam, & quandam pecuniæ summam ibi depositam auctoritate litterarum illarum sibi fecit asferri, eandemque distribuit pro suæ voluntatis arbitrio in Ecclesiæ Constantinopolitanæ præjudicium & gravamen, quod totum & alia in Capitulo fuere proposita cùm quidam de ipso postulando tractarent. Vnde petebant ut cùm pars postulantium Archiepiscopum esset numero minor, inferior zelo, & à suo jure ceciderit postulando scienter indignum, electionem confirmare factam de dicto Plebano canonicè dignaremur; maximè cùm ipsi usi fuerint jure communi personam eligibilem eligendo, quod ordinarij juris existit, & alij juris communis contempto beneficio, ad extraordinarium auxilium transvolarint. Ad hæc procuratores partis alterius respondérunt quòd universi Prælati conventualium Ecclesiarum apud Constantinopolim existentium per nostram constitutionem in electione Constantinopolitani Patriarchæ jus habent. Vnde universitas prælatorum, de qua in eadem constitutione cavetur expressè, restringi non debet ad septem, cùm ratione suæ dignitatis in hoc bene fuerit Ecclesiæ memoratæ provisum; tum ut sanior haberetur super electione tractatus, cùm integrum sit judicium plurimorum sententijs confirmatum; tum etiam ut per numerum prælatorum illis posset occurri qui Dei sanctuarium jure volebant hereditario possidere. Addebant etiam quòd prefatæ constitutionis beneficium duo exempti Præpositi per exemptionis privilegium nullatenus amiserunt, cùm ea quæ in fa-

vorem alicujus introducta sunt, in ejus læsionem non debeant redundare, & per privilegia Pontificum Romanorum addi, non subtrahi, consueverit illis quibus specialiter indulgentur, propter prædictam maximè rationem, ut illis obsisterent prudenter qui Domini sanctuarium moliuntur in jus hereditarium usurpare. Vnde iidem excludi non poterant nec debebant, ea etiam ratione quòd septem nomine septem præpositorum & duo vice ac nomine viginti trium prælatorum pro ipsa universitate fuerint à Canonicis ad tractatum electionis admissi; & sic cùm in postulatum vota septem Præpositorum & decem & octo prælatorum præsentium & aliorum sex absentium, quorum procuratores erant in civitate præsentes, consensu mediante illorum duorum concurrerint, pro parte sua ultra duplo majorem numerum allegabant; cùm in Plebanum quindecim tantùm Canonici & unus Præpositus à principio consensissent, nec aliquid ei juris accreverit in hoc casu per subsequentem consensum novem Canonicorum, qui electionis tempore non fuere præsentes, nec vocari potuerint commodè nec deberent; præsertim cùm octo ex illis tanto tempore fuissent absentes quòd secundùm constitutionem Patriarchæ ac Capituli Constantinopolitanorum pro Canonicis nullatenus haberentur. Auctoritatem etiam introducebant pro se, cùm regulariter majoris auctoritatis prælatus quàm simplex Canonicus habeatur. Bonum verò zelum ea ratione probabant quòd Venetum pro vitando scandalo longa conversatione notum, laudabili administratione probatum, carum Clericis, & acceptum laicis postularant; in quem assensus Principis, suffraganeorum vota, plebisque desiderium concurrebant; nec debebant aliquid sinistrum de illo præsumere quem & excellentia dignitatis & communis reddebat fama prælatum. Nec etiam erant adversarij audiendi qui promotionis ejus tempore tacuerunt, nisi forrè aliquid novum proponerent vel quod postmodum didicissent; maximè cùm objectam notam incontinentiæ, si qua forsitan præcessisset in ipso, quod tamen inficiabantur omnino, subsequens longæ conversationis delevisset honestas. Proposuerunt etiam quòd nisi pars altera se ab injuriis temperaret, intendebant quædam proponere tam in personas eligentium quàm electi. Ad excusationem verò ejusdem Archiepiscopi super objectione ambitus proponebant quòd idem ex honesta & probabili causa Constantinopolim venerat, & habebat necesse frequenter accedere, tum propter negotia patriarchalis Ecclesiæ, tum etiam propter executionem ultimæ voluntatis Patriarchæ defuncti suæ discretioni commissæ; qui licèt interfuerit vesperis & matutinis in patriarchali Ecclesia ob solemnitatem diei, in loco tamen Decani resedit, nec aliquid de patriarchalibus usurpavit. Ipsum etiam litteratum, etsi non eminenter, competenter tamen esse dicebant, sufficientem intelligentiam & eloquentiam de scripturis & in scripturis habentem; nihilominus allegantes quòd etsi quædam conventuales Ecclesiæ tunc vacarent, aut forsan propter pauperiem non haberent numerum Clericorum, ipsum Capitulum, aut etiam unus qui vicem Capituli retineret, ad electionem pro prælato deberet admitti, cùm in talibus sæpe Capitulum vicem consueverit supplere prælati, & nomen ac jus universitatis multotiens devoluatur ad unum & retineatur in uno. De malo nihilominus zelo arguebantur electores Plebani, eò quòd hominem elegerant quem electionis tempore credebant in minoribus ordinibus constitutum, asserentes quòd in vigilia nativitatis dominicæ altera pars apud Constantinopolim consenserat in Plebanum, qui se paulò ante apud Venetias fecerat in * Subdiaconum promoveri. Ex quo inferebatur quòd si hoc actum fuerit ex condicto, non poterat ambitione carere. Si verò præordinatum non extitit, cùm propter locorum distantiam hoc ad eligentes tam brevi tempore nequiverit pervenisse, sequitur quòd secundum conscientias suas ineligibilem eligebant; vel si error ad excusationem accusatione non vacuam allegetur, in confessionem negligentiæ veniet, quæ super iis non multùm distat à culpa. Adiciebant etiam quòd magis erat extraordinarium consentire in hominem, non solùm extra totum patriarchatum, verùm etiam extra totum imperium constitutum quàm in vicinum & familiarem, suffraganeum ejusdem Ecclesiæ de cujus pastoris electione tractatur. Personam quoque Plebani de vehementi ambitione notabant, dicentes quòd ipse per litteras suas quosdam Constantinopolitanos Canonicos expressè rogaverat ut eum in suum eligerent Patriarcham, quod pars adversa negabat. Vnde petebant postulatores Archiepiscopi sæpedicti, ut cùm esset pars altera zelo, auctoritate, ac numero minor, cassato quod factum fuerat de Plebano, postula-

* Vide lib. 10. epist. 164.

tionem ipsorum admittere dignaremur. Verùm quia de iis quæ per assertiones partium in judicium deducta fuerunt nobis non potuit fieri plena fides, quamvis super iis quæ de numero dicta sunt postulantium per quoddam publicum instrumentum & litteras Constantinopolitani Vicarij, necnon confessionem procuratoris partis adversæ, in judicio quidem factam, sed postea revocatam, pars altera suam intentionem assereret esse fundatam, causam ipsam discretioni tuæ duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus super iis & aliis inquiras, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, diligentissimè veritatem de meritis electi & postulati apud Venetias, ubi nati fuerunt & diutiùs conversati, de studiis autem eligentium & postulantium & omnibus generaliter quæ causam possint instruere apud Constantinopolim, ubi hujusmodi postulatio & electio celebratæ fuerunt; & si partes consenserint, procedas hoc modo, ut si constiterit de mutuo convenisse consensu quòd ad electionem Patriarchæ septem admitterentur Præpositi, sive per se ipsos, sive per alios, & duo alij ex parte universitatis pro ceteris conventualium Ecclesiarum Prælatis, totque tunc temporis conventuales Ecclesias habuisse Prælatos quòd cum septem Præpositis & novem Canonicis, quos quidem Canonicos constat in postulatione præfati Archiepiscopi convenisse, duplo majorem facerent numerum quàm sedecim electores Plebani, tu vice nostra postulationem admittas, nisi probatum fuerit postulato aliquid obviare de canonicis institutis quod promotionem ipsius debeat impedire, ac Plebani electione cassata, ipsum Archiepiscopum absolvas à vinculo quo Heraclienſi tenetur Ecclesiæ, concedendo ipsum Constantinopolitanæ Ecclesiæ in pastorem, & faciendo ipsi per censuram ecclesiasticam appellatione remota reverentiam & obedientiam debitam exhiberi. Quòd si ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes prædicti minimè suffecerunt, sive dignus sive indignus sit postulatus, tu postulatione repulsa, electionem Plebani auctoritate nostra confirmes, dummodo nihil obsistat eidem quod ipsum tanto præsulatu reddat indignum, ad impendendum sibi reverentiam & obedientiam sibi debitam ac devotam quoslibet sibi subjectos, si necesse fuerit, sublato appellationis obstaculo canonica districtione compellens. Si verò numerus postulantium inventus fuerit duplo major, quemadmodum est prædictum, & persona postulata indigna reperta fuerit, tu tam postulationem quàm electionem non differas reprobare; nisi forsan omnes aut major pars postulantium præsumptione damnabili postulaverint scienter indignum, ut hac vice meritò debeant eligendi seu postulandi potestate privari; & in hoc quoque casu electionem confirmes, si de persona idonea constiterit celebratam. Porrò si tam electionem quàm postulationem cassari contigerit, aut altera partium postulante causam ad nos instructam referri, tu ex parte nostra districtè præcipias Canonicis & Prælatis ut procuratores idoneos ad apostolicam sedem studeant destinare, per quos aut unum ex istis, si contigerit approbari, aut alium quem nos eis duxerimus præferendum, aut quem ipsi fortè postulaverint vel elegerint, si eis de benignitate nostra fuerit postulandi vel eligendi concessa potestas, in Patriarcham recipiant, cùm tantam Ecclesiam nolimus manere diutiùs pastoris solatio destitutam, & ad hæc & alia quæ ipsorum consensum desiderant, eis vices suas plenè committant. Tu ergo Deum solum habens præ oculis, cum omni studio & secundùm præscriptam formam procedas in negotio memorato; nisi forsan apostolicæ sedis Legatus prævenerit, per quem unà tecum ipsum negotium expedin secundùm præscriptam formam volumus & mandamus. Datum Signiæ x v. Kalend. Septemb. pontificatus nostri anno quintodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI monasterij sancti Michaëlis Clusini.

Epist. 10 Confirmat quædam ac

His quæ ad Ecclesiarum utilitatem & statum pertinere creduntur tanto libentiùs apostolicum favorem impendimus requisiti quanto earum sollicitudo continua nobis propensiùs noscitur imminere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, unionem monasterij sancti Solutoris Taurinensis & vestri, consentientibus venerabili fratre nostro Episcopo & dilectis filis Capitulo Taurinensibus factam, sicut sine pravitate providè facta est, & per bonæ memoriæ Gerardum electum Novariensem auctoritate nostra extitit approbata, prout in ipsius litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam rei gestæ litteras prædicti electi de verbo ad verbum

huic noſtræ paginæ fecimus annotari. In » nomine Domini. Gerardus divina gra- » tia Novarienſis electus omnibus ad quos » litteræ iſtæ pervenerint in vero ſalutari ſa- » lutem. Divina providentia, quæ nec fallit » nec fallitur, humanæ conditionis mobili- » tati compatiens, poſt Apoſtolorum prin- » cipem in Romanæ ſedis cathedra lucernam » & ſpeculum ſummum Pontificem ordina- » vit, per quem & lapſa reparari & deſtituta » reſtitui mereantur. Reſidentis itaque ſan- » ctiſſimi patris Innocentij III. ſuper unio- » ne abbatiæ ſancti Solutoris Taurinenſis ad » Cluſinum monaſterium mandatum acce- » pimus in hac forma. Innocentius » Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fi- » lio electo Novarienſi ſalutem & apoſtoli- » cam benedictionem. Ex tenore litterarum » venerabilis fratris noſtri Epiſcopi & dilec- » torum filiorum Capituli Taurinenſium ac- » cepimus quòd cùm olim venerabili fratri » noſtro Mediolanenſi Archiepiſcopo & ei- » dem Epiſcopo dederimus in mandatis ut » reparationi monaſterij ſancti Solutoris » Taurinenſis, quod ita in temporalibus & » ſpiritualibus collapſum fuerat & attritum » ut deſolatum ſine levaminis ſpe jaceret, » intendere prout meliùs poſſent & pleniùs » procurarent, illud, ſi ejus aliter reſtaura- » tioni providere non poſſent, tranſlaturi » in canonicam Ripaltenſem, ipſi pruden- » tum plurium requiſito conſilio, cùm ca- » nonicam ſupradictam minùs ſufficientem » ad hoc variis impedimentis emergentibus » invenirent, modico tandem monachorum » grege qui in jamdicto monaſterio ſupere- » rant cum lacrymis poſtulante, ſub diſcipli- » na & regimine Cluſinæ Eccleſiæ, per quam » plenariè poterat reſpirare, dictum monaſ- » terium in præfatam Cluſinam Eccleſiam, » jure Taurinenſis Eccleſiæ, ad quam perti- » net nullo medio, & exemptione Cluſini » monaſterij per omnia illæſis manentibus, » memoratus Epiſcopus & Taurinenſe Capi- » tulum tranſtulerunt. Cùm igitur in ſol- » vendis debitis quibus præfatum ſancti So- » lutoris monaſterium detinetur manum ap- » ponere Cluſina Eccleſia contradicat niſi » factum hujuſmodi apoſtolico munimine » roborêtur, nos id tuæ diſcretionis pru- » dentiæ committentes, per apoſtolica tibi » ſcripta mandamus quatinus inquiſita ſuper » iis omnibus diligentiùs veritate, quod uti- » litati Eccleſiæ utriuſque ſecundùm Deum » noveris expedire, noſtra fretus auctorita- » te, appellatione remota ſtatuas, & facias » quod ſtatueris per cenſuram eccleſiaſticam » firmiter obſervari. Datum Laterani VIII. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno ter- « tiodecimo.] Nos igitur mandatis apoſtoli- « cis in omnibus & per omnia, ſicut conde- « cet, parere volentes, præfatæ unionis inſ- « trumento viſo & diligenter inſpecto, quod « per Bartholomæum imperialis aulæ Nota- « rium confectum eſſe conſtabat, quæ in eo « continentur canonicè & legitimè facta ap- « probantes, ſicut inter contrahentes ſanci- « tum eſt & ſtatutum, præfati inſtrumenti re- « norem auctoritate apoſtolica, qua fungi- « mur in hac parte, confirmamus, adicien- « tes & ſtatuentes ut duodecim fratres & « Prior cum eis ſub regula beati Benedicti « & ſub diſciplina & regimine Cluſini mo- « naſterij ibidem Deo ſervituri perpetuò « maneant; ita quòd Abbas Cluſinus præfa- « tum Priorem in ordinatione ſpiritualium & « obſervatione ordinis ibi inſtituat & deſti- « tuat, ſicut per alias Eccleſias ſeu cellas « Cluſino monaſterio ſubditas conſuevit. Ve- « rùm quia refectio quædam quam Tauri- « nenſe capitulum à præfato ſancti Solutoris « monaſterio in ſolemnitate martyrum Solu- « toris, Adventoris, & Octavij recipere con- « ſuevit, in ordinis præjudicium & jacturam « regulæ nobis cedere videtur, ordinamus & « ſtatuimus ut pro præfata refectione jamdi- « ctum Taurinenſe Capitulum à memorato « monaſterio viginti ſolidos Seguſienſium « veterum, ſi ad proceſſionem venerit die « feſto, recipiat annuatim, & ſic à refectio- « ne tacitum maneat & contentum. & hæc « de profeſtis diebus dicta intelligantur. Si « tamen die dominico feſtum prædictum ve- « nire contigerit, ſicut à longis retro tem- « poribus inter Taurinenſem Eccleſiam & « jamdictum monaſterium conſtat eſſe ſtatu- « tum & conſuetum, aut Canonici interſint « proceſſioni, aut non, cenſum vice refec- « tionis recipiant ſupradictum. Adicimus « etiam & ſtatuimus quòd ſi Taurinenſis E- « piſcopus electo Cluſino poſt collatam ſibi « confirmationem Cluſini monaſterij, ſecun- « da & tertia requiſitione per intervalla de- « cem & decem dierum præcedente ſæpedi- « ctam abbatiam ſancti Solutoris quovis in- « genio confirmare diſtulerit, non obſtante « tali dilatione electus Cluſinus tam in ſpi- « ritualibus quàm temporalibus & tam in ca- « pite quàm in membris ſancti Solutoris ge- « neraliter adminiſtret. Nulli ergo omnino « hominum liceat hanc paginam noſtræ con- « firmationis ſive conſtitutionis infringere « vel ei auſu temerario contraire. Quod ſi « quis attentare præſumpſerit, indignatio- « nem omnipotentis Dei & beatorum Petri « & Pauli Apoſtolorum ejus & ſummi Pon- «

„ tificis se noverit incursurum. Contradicto-
„ res verò & à præfata forma resilientes, si-
„ cut in mandatis accepimus, appellatione
„ cessante excommunicationis vinculo inno-
„ damus. Vnde actum est hoc anno incarna-
„ tionis dominicæ MCCXI. Indictione XIV.
„ die sexto exeunte mense Ianuarij. Inter-
„ fuerunt Dominus Albertus Brusatus No-
„ variensis Canonicus, Dominus Raynerius
„ Abbas Fructuariensis, Domnus Willel-
„ mus de Fibinis monachus Tilieti, & Dom-
„ nus Iohannes monachus Casænovæ, &
„ alij plures. Vnde plura instrumenta idem
„ Dominus electus uno tenore, sicut neces-
„ se fuerit, fieri præcepit. Ego Guala Mu-
„ ricula sacri palatij Notarius hanc chartu-
„ lam de mandato prædicti Domini electi
„ scripsi & subscripsi.] Nulli ergo &c. con-
firmationis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ VI. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

RAINERIO MILITI de Vico.

Epist. 158. Remittitur ei infamia.

CVm te à Bartholomæo injuriarum actione conventum, eò quòd dixeris equum tuum non esse minoris pretij quàm capillos ipsius, Iacobus de Guarino & L. de Vico judices, qui super hoc cognoscebant, in decem solidis condemnassent, tu timens ne ipsorum sententia te notarit infamia, pro beneficio restitutionis ad famam sedem apostolicam implorasti. Nos autem considerantes quòd penè nulla vel minima fuerit injuria supradicta, volumus & concedimus te ob hoc nota infamiæ non teneri. Datum Signiæ VII. Idus Septembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO ET P. ET A. Archidiaconis Aurienſibus.

Epist. 159. Eis committitur quædam causa. *Vide lib.* 12. *epist.* 99.

COnquerentibus olim dilectis filiis M. & I. Presbyteris, G. I. P. & M. Diaconis, P. I. & M. ac quibusdam aliis Clericis Capellæ monasterij sancti crucis Colimbrienſis se à Priore ac fratribus ejusdem monasterij debita provisione fraudari, Prior sanctæ Mariæ Montis majoris & conjudices ejus, qui super hoc receperant scripta nostra, eosdem ad quoddam beneficium quo fuerant spoliati restituendos sententialiter decreverunt, eadem Capella, nisi præfatæ sententiæ pareretur, supposita interdicto. Priore autem & conventu dictas restitutionis & interdicti sententias contemnentibus, & procurantibus etiam ut iidem Clerici suam persequi justitiam non auderent, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Decano & Cantori Zamorensibus dedimus in mandatis ut easdem facientes usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, super aliis causam audirent & fine canonico terminarent. Qui rationibus partium plenius intellectis, jamdictas sententias confirmarunt, Jo. Salvati cùm duodecim aliis Canonicis & Clericis sanctæ crucis ab officio & beneficio suspendentes si post interdicti sententiam in præfata Capella divina convincerentur officia celebrasse; Priore nihilominus & conventu ad restitutionem jamdictæ Capellæ centum & quinque modiorum frumenti, centum vigintiquinque quinalium vini, quinque milium & octoginta quatuor solidorum, & quingentarum oblatarum, quinque almuldarum vini, sexcentarum oblatarum, trecentarum & sexaginta candelarum, quatuor marabutinorum, cujusdam domus, & duorum lectorum, quibus omnibus iidem Clerici fuerant spoliati, necnon quinquaginta marabutinorum, quos suam justitiam persequendo expenderant, condemnatis, & reprobatis quibusdam litteris quasi supradictorum judicum nomine ad nos missis, in quibus iidem judices proprium circa processum suum confitebantur errorem, & Priorem ac conventum excusare propensiùs nitebantur. Porrò cùm Prior & conventus jamdicti litteras quasdam Colimbrienſis Episcopi à duobus è Clericis memoratis, P. Bartholomæi & I. Nunonis videlicet, coram judicibus ipsis exhibitas allegarent nunquam de conscientia Episcopi emanasse, in hoc tandem partes pariter convenerunt ut abrenuntiantes omnibus quæ gesta erant in causa, si Colimbrienſis Episcopus tenorem recognosceret litterarum, ipsi judices juxta suæ voluntatis arbitrium Clericis pro quibus prædicta sententia lata erat in monasterio ipso facerent provideri; alioquin Priorem & conventum ab impetitionibus absolverent eorundem. Cùm ergo iidem judices litteras Colimbrienſis Episcopi, per quem super hoc certiorari petierant, recepissent, eisdem diligenter inspectis, de peritorum consilio sententiando dixerunt sæpedictum Episcopum litterarum recognovisse tenorem, Priori & fratribus injungentes ut prædictis duobus Clericis provideret juxta formam in authentico earundem expressam, pro ceteris sententiam confirmationis quam tulerant super jamdicta restitutionis sententia, sed ad tempus se suspen-

disse fatebantur, eandem in statum pristinum reducendo, & præcipiendo eam inviolabiliter observari. Quorum sententiam cùm magister I. monasterij procurator postmodum apud sedem apostolicam constitutus, coram dilecto filio nostro Petro tituli sanctæ Luciæ ad septa solis Diacono, nunc verò tituli sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinale, quem ipsi & prædicto Iohanni Nunonis procuratori Clericorum ipsorum concessimus auditorem, peteret revocari, & coram eodem tam super quibusdam litteris Colimbrienſis Episcopi, quas idem procurator falsatas esse dicebat à Clericis memoratis, quàm super aliis fuisset diutiùs litigatum, nos iis quæ coram eodem Cardinale fuere proposita pleniùs intellectis, de fratrum nostrum consilio sententiam prædictorum judicum Zamorenſium approbantes, illam auctoritate apostolica confirmavimus, dantes venerabili fratri nostro Episcopo Salamantinenſi & ejus conjudicibus in præceptis ut eandem inviolabiliter facerent observari. Qui cùm ad locum propter impedimenta evidentia personaliter accedere non valerent, præfatis Priori & conventui sub anathematis pœna & suspensione officij & beneficij dederunt districtiùs in præceptis ut eandem sententiam, sicut per nos fuerat confirmata, inviolabiliter observarent, denuntiantes quoslibet qui à tempore quo eadem sententia lata fuit in monasterio sanctæ crucis vel ejus Capella præsumpserant vel etiam tunc temporis præsumebant celebrare divina, officio beneficioque privatos, excommunicationis sententiæ subjacere, & præcipientes nihilominus exhumari corpora defunctorum quæ in dictis monasterio vel Capella fuerant tumulata; concedentes insuper executores Clericis memoratis, per quos expensæ quas litigando fecerant restituerentur eisdem cum fructibus qui à tempore latæ sententiæ ab eisdem percipi debuerunt, & denuntiantes etiam omnes Ecclesias de Lairena & terminis ejus, ac omnes Ecclesias in Portugallia constitutas, pertinentes ad monasterium sæpedictum, à festo nativitatis beatæ Mariæ proximè tunc futuro suppositas interdicto, si sæpedictæ sententiæ obviare in aliquo attentarent. Quibus demum jamdictam sententiam temerè contemnentibus, iidem judices omnibus Episcopis & Prælatis in regno Portugalliæ constitutis ea qua fungebantur auctoritate præcipiendo mandarunt ut diebus dominicis ac festivis, candelis accensis, & pulsatis campanis, eosdem excommunicatos publicè nuntiarent, & ab omnibus facerent arctius evitari, in omnes qui præsumerent impedire similem sententiam proferentes. Ad hæc, cùm sæpedictus I. Nunonis in procinctu esset pro se ac sociis suis ad sedem apostolicam veniendi, eo juxta præfatum monasterium transitum faciente, quidam iniquitatis filij crudeliter irruentes in eum, & ipsum funestis gladiis configentes, eodem semivivo relicto ad monasterium confugere præfatum; quos cùm officiarij civitatis vellent juxta terræ consuetudinem trahere ad vindictam, Prior & conventus jamdicti eos corporaliter defendere præsumpserunt. Denique cùm idem Iohannes gravibus afflictus vulneribus camisiam suam infectam sanguine & signatam ictibus cultellorum sub sigillis Episcopi & aliorum Prælatorum Colimbrienſium cum testimonialibus litteris eorundem per P. Bartholomæi & Iohannem Suerij Clericos tam ad persequendam corporalem injuriam ejus quàm ad causam communem sibi & aliis promovendam procuratores à se ac aliis constitutos oculis nostris transmitteret intuendam, uno eorum, Petro Bartholomæi videlicet, apud sedem apostolicam decedente, reliquus contra proprium veniens juramentum, communi causa penitùs derelicta, camisiam & litteras antedictas suis adversariis triginta aureorum pretio vendere non expavit. Vnde idem I. pro se ac sociis supplicavit nobis humiliter & devotè ut finem eorum angustiis imponentes, prædictorum Prioris & fratrum rebellionem & contumaciam pœna castigare debita dignaremur, & præfato Iohanni pro fide violata pœnam canonicam infligentes, tam ea quæ de camisia memorata recepit, quàm illa quæ ad opus itineris & causæ prosecutionem ei ab ipsis assignata fuerunt, faceremus sibi restitui ab eodem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & quæ super his & aliis utrinque duxerint proponenda pleniùs intellectis, causam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui repræsentent justam auctore Domino sententiam recepturæ. Quia verò prædicta, cùm nimis sint gravia, relinquere nolumus indiscussa, volumus & mandamus ut si etiam per colludium vel aliam fortè causam actores desisterent aut deficerent, vos nihilominus ad inquirendam diligenter super omnibus veritatem sublato

cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo procedatis, eos qui se gratia, odio vel timore subtraxerint per censuram ecclesiasticam compellentes veritati testimonium perhibere; ut per relationem vestram certificati de ipsis, sine personarum acceptione quòd justum fuerit auctore Domino statuamus. Nullis litteris obstantibus hactenus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Signiæ II. Non. Septemb. pontificatus nostri anno decimoquinto.

ABBATI DE TILIETO.

Epist. 160. Vt Albiganenses reverentiã exhibeant Archiepiscopo Ianuensi.

CVm dilectis filiis electo & Clericis Albinganensibus nostris dederimus litteris in mandstis ut venerabili fratri nostro Ianuensi Archiepiscopo tamquam suo Metropolitano impendant obedientiam & reverentiam debitam ac devotam, sicut à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus est statutum, devotioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus eos ad hoc diligenter moneas & inducas &, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo prævia ratione compellas. Datum Signiæ VIII. Idus Iulij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

XANTONENSI EPISCOPO, & Priori Sulbisiensi Xantonensis diocesis.

Epist. 161 De ordinanda Ecclesia Sulbisiensi.

SIcut tu, fili Prior, transmisso nobis petitorio intimasti, cùm Ecclesia Sulbisiensis ob guerrarum discrimina cum suis omnibus ædificiis olim fuerit devastata, consumptis penitùs bonis ejus, sic ipsam de bonis tuis obtentu retributionis æternæ tam in ædificiis quàm aliis necessariis procurasti salubri studio postmodum reparare quòd in ea requiri potest hodie non immeritò cultus Dei. Propter quod à te nobis extitit humiliter supplicatum ut ibidem faceremus personas idoneas ordinari, quæ in eadem præstarent Domino devotum jugiter famulatum; maximè cùm eidem Ecclesiæ vix octo Canonici serviant, cui solebant dudum viginti & ampliùs personali residentia deservire, ac quidam non residentes ibidem ipsius ordinationem nitantur nequiter impedire. Nos igitur, fili Prior, tuas preces humiles admittentes, & cultum etiam zelantes domus Dei, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus tot in præfata Ecclesia Canonicos idoneos ordinare sagaci providentia studeatis quot ipsius expetunt facultates, & qui possint ibidem per jugem residentiam impendere Domino tam gratum obsequium quàm devotum; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Verùm cùm dilectus filius W. de sancto Albino Clericus peroptet in eadem Ecclesia ordinari, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ipsum cum aliis ordinandis, si fuerit idoneus, admittatis in Canonicum & in fratrem ipsi Ecclesiæ serviturum. Datum Signiæ XIV. Kal. Octob. pontificatus nostri anno quintodecimo.

EPISCOPO ET CAPITVLO Tripolitanis.

PEtiistis per sedem apostoliçam edoceri utrùm cùm propter Hospitalarios vel Templarios civitas vestra generali supponitur interdicto, eisdem non servantibus, vos illud teneamini observare. Ad quod sic duximus respondendum, quòd illorum excessus vobis non præbet licentiam excedendi; sed si præfati Hospitalarij vel Templarij privilegiorum suorum fines excesserint, violando temerè interdictum quod pro illis fuerit promulgatum, ne ipsi videantur de aliorum fletu ridere, vos in pœnam præsumptionis eorum, quandiu ipsi violaverint interdictum, de nostra licentia celebretis. Datum Signiæ XIV. Kal. Octob. pontificatus nostri anno quintodecimo.

Epist. 162. Respondet ad consulta.

Cap. Inter. De priuil.

EISDEM.

SIgnificantibus vobis ad audientiam apostolatus nostri pervenit quòd cùm olim in Ecclesia vestra duodecim Canonicorum numerus & totidem præbendarum fuerit rationabiliter institutus, & vos, quorundam inducti precibus, sex Canonicos receperitis ultra numerum constitutum in ejusdem Ecclesiæ non modicam læsionem, ut possetis hujusmodi relevare gravamen & excludere materiam concedendi beneficia vacatura, antiquum numerum duodecim Canonicorum & præbendarum in eadem servari Ecclesia de cetero statuistis, quod petiistis humiliter apostolico munimine roborari. Nos igitur vestris precibus inclinati, statutum ipsum, sicut absque præjudicio alieno utiliter & providè factum est, præsentium auctoritate præcipimus inviolabiliter observari, nisi adeo excreverint ejusdem Ecclesiæ facultates quòd

Epist. 163. De fixo in mensa Canonicorum.

pluribus

pluribus possint sufficere competenter. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IV. Kal. Octob. pontificatus nostri anno decimoquinto.

SIDONIENSI ET ACCONENSI Episcopis, & Thesaurario Acconensi.

Epist. 164. De eadem re.

AD petitionem dilecti filij I. Thesaurarij & W. Canonici Tripolitanorum, quos venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filij Capitulum Tripolitanum ad sedem apostolicam transmiserunt, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si quid contra statutum de servando numero in Tripolitana Ecclesia duodecim Canonicorum & totidem præbendarum utiliter & providè factum ab Episcopo & Capitulo memoratis post appellationem ad nos à nuntiis prædictis legitimè interpositam & à Capitulo in communi receptam antequam iter arriperent ad sedem apostolicam veniendi fuit temerè attentatum, cognita legitimè veritate, decernatis auctoritate nostra carere robore firmitatis. Quòd si non omnes &c. Datum Laterani IV. Kal. Octob. pontificatus nostri anno decimoquinto.

LEONARDO PRESBYTERO de sancto Elia & fratribus ejus.

Epist. 165. Confirmat immunitatem.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. *usque* assensu, libertatem & immunitatem quas domus vestra obtinuit ab antiquo, & dilectus filius A. Casinensis electus de consensu fratrum suorum vobis providè confirmavit, sicut in ipsius confirmationis authentico plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio cõmunimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani III. Non. Octob. pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO & Capitulo Bisuntinensibus.

Epist. 166. Respondet ad eorum consulta. Cap. Ligneis, De consecr. Eccles.

LIgneis ædificiis Ecclesiæ vestræ casu quodam igne consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa principalis altaris in sui extremitate modicam passa fracturam, quæsivistis per sedem apostolicam edoceri si propter hoc ipsius altaris vel etiam totius Ecclesiæ deberet consecratio innovari. Ad quod sic duximus respondendum, quòd cùm parietes in sua integritate permanserint, & altaris tabula mota vel enormiter læsa non fuerit, ob casum prædictum nec Ecclesia nec altare debet denuo consecrari. Datum Laterani Non. Octob. pontificatus nostri anno quintodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI de Monteforti Comiti Leicestriæ & Vicecomiti Biterrensi.

Epist. 167. Vt P. Marcum cancellariæ suæ præficere possit. *Vide hist. Albig. cap. 66.*

CVm dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum correctorem litterarum nostrarum pro colligendis Ecclesiæ Romanæ censibus aliisque negotiis destinemus, nobilitatem tuam, de qua plenè confidimus, rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ipsi ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram diligenter assistens, consilium ei efficax & auxilium opportunum impendas ut & ipse injuncta sibi negotia ope tua suffultus valeat auctore Deo feliciter consummare, ac nos sollicitudini tuæ grata debeamus exinde vicissitudine respondere. Verùm quia dilectus filius frater Constantinus conversus Carthusiensis nos ex parte tua suppliciter exoravit ut dictum magistrum, quem pro eo quòd in cancellaria nostra laudabiliter conversatus, per diutinum exercitium in hujusmodi pleniùs est instructus, cancellariæ tuæ præficere cupiebas, tibi concedere dignaremur, nos devotæ fidei tuæ ac devotionis fidelis sinceritatem perspicuam sicut convenit attendentes, quæ personam tuam tamquam specialis apostolicæ sedis filij & fidelis nobis advehit specialiter diligendam, & preces tuas persuadet quantum cum Deo possumus efficaciter exaudire, ipsum magistrum, quamquam non solùm plurimùm utilis, verùm etiam valde necessarius nobis extiterit & existat, utpote cujus fidei puritatem & discretionis prudentiam jamdiu in multis experti, negotia nostra parva & magna eidem committimus incunctanter, devotioni tuæ duximus liberaliter concedendum, discretionem tuam rogantes affectuosiùs & monentes quatenus ipsum, quem propriæ probitatis merita recommendant, habens propensiùs commendatum, taliter eum studeas honorare quòd & nos, qui honorari reputamus in ipso, ad honorem & profectum tuum magis intendere debeamus, & idem, cujus obsequium tibi ac terræ tuæ quamplurimùm credimus profuturum, ad devotionem tuam fortiùs astringatur. Datum Signiæ III. Idus Septemb. pontificatus nostri anno quintodecimo.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & Episcopo Vticensi apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 168. Commendat eis eundem Marcum.

ET si minimè dubitemus quin nuntios nostros quoslibet & in quibus convenit honoretis, quia tamen illos volumus propensiùs honorari quos pro suorum exigentia meritorum habemus inter alios cariores, pro iis affectuosiùs vos rogamus. Hinc est quòd cùm dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum correctorem litterarum nostrarum pro colligendis censibus Ecclesiæ Romanæ ac aliis negotiis destinemus, ipsum tanto vobis attentiùs duximus commendandum quanto & personam ipsius probitatis suæ merito cariùs amplexamur & negotia ipsi committimus potiora. Ideoque fraternitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eundem magistrum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tamquam specialem nuntium nostrum habentes propensiùs commendatum, impendatis ipsi consilium efficax & auxilium opportunum; ut ipse injuncta sibi negotia ope vestra suffultus valeat auctore Domino feliciter consummare, ac nos devotionem vestram meritò commendare possimus. Datum ut suprà.

VNIVERSIS PRÆLATIS Ecclesiarum Ecclesiæ Romanæ censualium per Narbonensem, Arelatensem, Aquensem, & Ebredunensem provincias, & Albiensem, Rutenensem, Caturcensem, & Agennensem dioceses constitutis.

Epist. 169. De eadem re.

CVm dilectum filium magistrum Petrum Marcum Subdiaconum nostrum pro colligendis Ecclesiæ Romanæ censibus & aliis negotiis destinemus, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum, qui suæ merito probitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tanquam specialem nuntium nostrum recipientes benignè ac honorificè pertractantes, census nobis debitos fideliter exsolvatis eidem; ita quòd gratiam vobis ex debito comparetis, & nos id meritò gerere debeamus acceptum. Datum ut suprà.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO apostolicæ sedis Legato & suffraganeis ejus.

Epist. 170. Super eodem.

LIcèt summi patris familias exemplo, cujus vicem immeriti eodem gerimus disponente, quod uni ex minimis nostris fit, nobis factum rationabiliter reputemus, illos tamen volentes propensiùs honorari quos propriæ merita probitatis nobis advehunt cariùs amplexandos & honore constituunt digniores, pro iis specialiùs devotis nostris, cùm expedit, preces dirigimus & mandata. Cùm igitur dilectum filium magistrum Petrum Marcum &c. *ut suprà usque* destinemus, fraternitatem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus ipsum, qui suæ merito probitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tanquam specialem nuntium nostrum recipientes benignè ac honorificè pertractantes, de censibus nostris faciatis eidem in diocesibus vestris fideliter responderi; ita quòd sollicitudinis vestræ studium pareat in effectu, & nos devotionem vestram debeamus exinde meritò commendare. Datum ut suprà.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo Arelatensi & suffraganeis ejus, Aquensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum suffraganeis & Capitulo Ebredunensis Ecclesiæ.

NOBILI VIRO SIMONI de Monteforti Comiti Leicestriæ, Vicecomiti Biterrensi.

NObilitati tuæ gratiarum dignas refe- Epist. 171. Acceptum ejus fidelitatem ad
rimus actiones quòd, sicut dilectus filius frater Constantinus conversus Cartusiensis nobis exposuit, tu volens nobis in mille marcis argenti liberaliter subvenire, Raimundum & eliam de Caturcio fecisti juramento præstito corporaliter obligari ut eas cui voluerimus nomine nostro persolvant. Ideoque devotionem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctori litterarum nostrarum, cui hoc duximus committendum, sine difficultate facias nostro nomine assignari. Datum ut suprà.

TOTIVS PROVINCIÆ ET Montispessulani, sancti Ægidij, & Arelatensis domorum militiæ templi magistris.

DEvotionem vestram monemus attentè, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus cùm à dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctore litterarum nostrarum fueritis requisiti, pecuniam quam vo- Epist. 172. Ut pecuniam apostolicam tradant Templariis ipsam Petro Subdiacono nostro reddituri. 173.

rebelles ratam & firmam habebimus, & eam auctore Domino faciemus firmiter obſervari. Datum Laterani III. Idus Octobr. pontificatus noſtri anno quintodecimo.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt Capitulo & populo Troianis uſque terminetur. Eiſdem autem Fogetanis noſtris damus litteris in mandatis ut ipſi Epiſcopo humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeant tam debitam quàm devotam. Alioquin ſententiam quam idem Epiſcopus rationabiliter tulerit in rebelles ratam & firmam habebimus, & eam auctore Domino faciemus firmiter obſervari.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENO.

Epiſt. 181. De quercelis adversùs eum excitatis.

EAm gerimus de tua religione fiduciam ut te nullum ex certa ſcientia gravare contra juſtitiam arbitremur, nec credamus quòd propter incrementum quantumlibet temporalium, æternorum velis incurrere detrimentum, cùm Dominus in te dudum ignem accenderit caritatis, ut non quæras quæ tua ſunt, ſed quæ Chriſti, atque ad ſuſcipiendum Antiochenæ Eccleſiæ regimen non reſpectus temporalis commodi te induxerit aut patriarchalis ambitio dignitatis, ſed caritatis & obedientiæ virtus, & zelus ac devotio nominis Chriſtiani, cupientem prodeſſe potiùs quàm præeſſe, ac memorem quòd ſecundùm teſtimonium veritatis nihil prodeſt homini ſi cum detrimento animæ mundum lucratus fuerit univerſum. Si ergo querela de te aliquando proponitur coram nobis, aut injuſtam fore credimus querimoniam, aut innocentiam tuam per ignorantiam facti ſeu modo alio circumventam. Vnde nulli fiducialiùs facta tua committimus diſcutienda quàm tibi, qui ut futurum ſecurus poſſis expectare judicium, in præſenti, conſilio utens Apoſtoli, ſollicitè judicas temetipſum. Noveris autem dilectum filium Iterium Eccleſiæ tuæ Canonicum nobis humiliter intimaſſe quòd cùm felicis memoriæ Petrus avunculus ejus prædeceſſor tuus, qui propter juſtitiam non ſolùm perſecutionem paſſus eſt, ſed & *mortem, ſibi &.. fratri ſuo mille Biſantios Sarracenatos dediſſet in ſtudiis ſcholaſticis expendendos, tu ipſos à magiſtro recipiens Hoſpitalis, penes quem cum rebus aliis depoſiti fuerant, eos dicto Canonico & ejus fratri hactenus reſtituere non curaſti, eundem Iterium quadam quarta, quam Patriarcha prædictus in augmentum præbendæ ſuæ ſibi de conſenſu Capituli Antiocheni contulerat, & quadam gaſtina quæ Naria vulgariter appellatur, pro tuæ voluntatis arbitrio ſpoliando. Inſuper cùm idem Patriarcha redditus ſui fratris & ſuos, quos ante captionem ſuam tempore longo perceperat, reſtitui præcepiſſet eiſdem, tu redditus ipſos de caſtro Curſarij, ubi repoſiti fuerant, faciens aſportari, tam illos quàm proventus qui de beneficiis ſuis poſt captivitatem & mortem ejuſdem Patriarchæ biennio provenerunt ad mille aureorum valentiam, ac etiam cooperto-rium quoddam & alia quæ cuſtodiæ bonæ memoriæ.. Decani Antiocheni deputata fuèrant, in ejuſdem & fratris ſui detinens detrimentum, ea ſibi reſtituere contradicis. Vnde nobis humiliter ſupplicavit ut ſuper hoc eorum gravaminibus ſuccurrere dignaremur. Credentes igitur quòd eis juſtitiam ſuam meliùs conſervare non poſſumus quàm ſi prædicta providentiæ tuæ judicio committamus, fraternitatem tuam monendam duximus attentiùs & rogandam, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus ſuper præmiſſis ſollicitè ſtudeas inquirere veritatem, & ſi querelam eorum inveneris eſſe juſtam, cùm ſuper iis decipi potueris tamquam hòmo, taliter eis ſatisfacias de prædictis quòd ex hoc tua, quod abſit, apud homines non lædatur opinio, nec apud Deum gloria tua, quæ eſt tuæ conſcientiæ teſtimonium, minuatur; nos quoque, quos ſuſceptæ ſervitutis officium univerſis conſtituit debitores, eiſdem ſuper his querimoniam replicantibus alium non cogamur concedere cognitorem. Datum Laterani VI. Idus Octobr. pontificatus noſtri anno XV.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt ſuper hoc Patriarchæ Ieroſolymitano apoſtolicæ ſedis Legato uſque cogamur concedere cognitorem. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ipſum ad id diligenter moneas & inducas. Datum ut ſuprà.

*Vide lib. 10. epiſt. 214. & lib. 12. epiſt. 45.

INDICITVR SVPPLICATIO generalis.

IN nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Amen. Quarta feria infra octavam Pentecoſtes fiat generalis proceſſio virorum ac mulierum pro pace univerſalis Eccleſiæ ac populi Chriſtiani, ſpecialiter autem ut Deus propitius ſit illis in bello quod inter ipſos & Sarracenos dicitur in Hiſpania committendum; ne det hereditatem ſuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Et ad hanc proceſſionem omnes omnino moneantur venire, nec ab ea ſe quiſquam excuſet præter illos qui habent inimicitias capitales. Summo itaque mane conveniant mulieres apud ſanctam Mariam

majorem; Clerici verò apud basilicam duodecim Apostolorum, & laici apud sanctam Anastasiam; & post collectas, pulsatis simul istarum Ecclesiarum campanis, procedant omnes in campum Lateranensem hoc ordine. Mulieres omnes & solas præcedat crux dominica sanctæ Mariæ majoris; & in prima parte processionis sint sanctimoniales, in ultima verò reliquæ mulieres; quæ sine auro & gemmis & sericis indumentis procedant, orando cum devotione ac humilitate, in fletu & gemitu, nudis pedibus omnes quæ possunt; & per Merulañ. & ante sanctum Bartholomæum veniant in campum Lateranensem, & collocent se ante Felloniam, in silentio permanentes. Clericos autem crux fraternitatis præcedat; & in prima processionis parte sint monachi & Canonici regulares, in ultima verò Rectores & ceteri Clerici procedentes prædicto modo, & per viam majorem & arcum Basilij veniant ante palatium Episcopi Albanensis, & ibi directè in medio campi se collocent. Laicos autem præcedat crux dominica sancti Petri; & post illam sequantur primi Hospitalarij, & postremi ceteri laici, sicut præscriptum est incedentes, & per sanctos Iohannem & Paulum & ante sanctum Nicolaum de Formis in campum veniant, & collocent se ab altera parte. Interim verò Romanus Pontifex cum Episcopis & Cardinalibus & Capellanis ingrediatur basilicam quæ dicitur sancta sanctorum; & inde reverenter assumpto ligno vivificæ crucis, processionaliter veniat ante palatium Episcopi Albanensis, & sedens in scalis exhortatorium faciat sermonem ad populum universum. Quo finito, mulieres, sicut processionaliter venerant, ita procedant ad basilicam sanctæ crucis; & ibi præstò sit Presbyter Cardinalis, qui celebret eis Missam dicendo illam orationem. *Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates &c.* Et sic ipsæ mulieres in pace ad propria revertantur. Romanus autem Pontifex cum Episcopis & Cardinalibus & Capellanis per palatium descendat in Lateranensem basilicam. Clerici verò per porticum, & laici per burgum, ingrediantur in illam; & celebrata venerabiliter Missa, ipse cum omnibus nudis pedibus procedat ad sanctam crucem, ita quòd eum præcedant Clerici & laici subsequantur; & facta oratione unusquisque revertatur ad sua. Iejunetur autem ab omnibus, ita ut nemo, præter infirmos, comedat pisces aut quodcunque pulmentum; sed qui possunt, pane sint & aqua contenti; qui verò non possunt, bibant vinum bene lymphatum & modicè sumptum, & vescantur herbis & fructibus aut etiam leguminibus; omnésque aperiant manus & viscera indigentibus; ut per orationem, jejunium, & eleemosynam misericordia conditoris reddatur populo Christiano placata.

DOMINO PAPÆ.

Epist. 182. De bello Sarracenico in Hispania. *Vide lib.* 13. *epist.* 183.

SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Aldephonsus eadem Rex Castellæ & Toleti, cum osculo manuum atque pedum, salutem. A sanctitate vestra credimus non excidisse propositum impugnandi Sarracenæ gentis perfidiam vobis per nostros nuntios devotè & humiliter intimasse, in omnibus tamquam patris & domini vestrum subsidium expetentes, quod sicut à patre pio nos recognoscimus benignè & piè pariter impetrasse. Quocirca cum liitteris vestris nuntios nostros, quos ad hoc exequendum idoneos reputavimus, ad partes Franciæ non distulimus destinare; addentes etiam ut omnibus militibus venientibus ad bellum & omnibus servientibus, prout decebat, expensas victui necessarias largiremur, quibus possent commodè sustentari. Vnde fuit quòd audita remissione peccatorum quam vos venientibus indulsistis, venit magna multitudo militum de transmontanis partibus, necnon & Archiepiscopi Narbonensis & Burdegalensis & Episcopus Nannetensis. Fuerunt qui venerunt usque ad duo millia militum cum suis armigeris, & usque ad decem millia servientium in equis, & usque ad quinquaginta millia servientium sine equis; quibus omnibus nos oportuit in victualibus providere. Venerunt etiam illustres amici nostri & consanguinei Rex Aragoniæ & Rex Navarræ cum potentatu suo in fidei catholicæ auxilium & juvamen; quibus nobiscum aliquanto tempore apud Toletum facientibus moram, expectabamus quippe homines nostros qui venturi erant ad bellum, omnia necessaria, prout per nuntios nostros promisimus, non defecimus ministrare, licèt expensæ essent propter sui multitudinem nobis & regno nostro ferè importabiles & onerosæ. Non enim solùm in iis quæ promiseramus, verùm etiam in pecuniis specialiter & in dextrariis, quibus ferè omnes tam milites quàm servientibus pariter indigebant, nos oportuit providere. Sed Dominus, qui multiplicat incrementa frugum justitiæ, ministravit nobis abundè secundùm suæ gratiæ largitatem, & dedit omnia posse perficere perfectè pariter & abundè. Congregata itaque nostra & suorum multitudine, viam Domini cœpimus proficisci; & venientes ad turrim quandam quæ Magalon nuncupatur satis munitam, ultramontani antè quàm nos pervenerunt per unum diem, & illam cum Dei auxilio impugnantes in continenti ceperunt. Licèt autem nos eis in omnibus necessariis lagissimè provideremus, ipsi tamen attendentes laborem terræ, quæ deserta erat & aliquantulum calida, voluerunt à cœpto proposito retroire & ad propria remeare. Tandem ad magnam instantiam nostram & Regis Aragonum processerunt usque ad Calatravam, quæ non distabat à prædicto castro nisi per duas leugas; eamque nos ex parte nostra, & Rex Aragonum ex sua, & ipsi ex sua in Dei nomine cœpimus expugnare. Sarraceni autem qui intus erant, attendentes se Dei exercitui non posse resistere, disposuerunt villam nobis tradere, ita quòd personæ eorum salvæ discederent, veruntamen sine rebus; cùmque nos istud nulla ratione vellemus acceptare, Rex Aragonum & transmontani habentes super hoc consilium, viderunt villam esse munitam muris & antemuralibus, profundis fossatis, & excelsis turribus, & quòd non posset capi nisi suffoderentur muri, & sic ruerent, quod cederet in grave damnum fratribus Salvæterræ, quorum fuerat, & non posset, si necessitas incumberet, retineri. Vnde apud nos institerunt firmissimè ut villa salva & integra cum armis & magna copia victualium quæ ibi erant, quibus satis indigebat exercitus, nobis redderetur, & personæ Sarracenorum vacuæ & inermes recedere permit-

Vide Rod. Tolet. lib. 7. c. 12.

Vide Ducheſne 4. to. 2. Hiſt.

bis noſtro nomine duxerit aſſignandam, dilecto filio fratri Aymaro Theſaurario domus militiæ templi Pariſienſis ſecurè mittere procuretis, veſtras ſuper hoc eidem magiſtro litteras in teſtimonium aſſignantes. Quòd ſi non omnes &c. quilibet veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum ut ſuprà.

MAGALONENSI EPISCOPO.

Epiſt. 173. De comitatu Melgorij.

DIlectus filius frater Conſtantinus converſus Cartuſienſis nobis propoſuit quòd tu quingentas marcas pro comitatu Melgorienſi tibi & Eccleſiæ tuæ à nobis ſub annua penſione viginti marcarum locando ei noſtro nomine obtuliſti. Cùm igitur dilecto filio magiſtro Petro Marco Subdiacono noſtro correctori litterarum noſtrarum ſuper hoc mandatum dederimus ſpeciale, volumus ut cum ipſo tractatum ſuper eo habeas diligentem. Quicquid enim idem ſecundùm mandatum noſtrum providè tecum duxerit faciendum, nos ratum habentes volumus firmiter obſervari. Datum ut ſuprà.

RAYMVNDO ET HELIÆ de Caturcio.

Epiſt. 174. Eiſdem argumenti cum epiſtola 172.

DIlectus filius frater Conſtantinus converſus Carthuſienſis nobis expoſuit quòd vos de mandato dilecti filij Simonis Montisfortis Comitis Leiceſtriæ juramento corporaliter præſtito mille marcas ad pondus Trecenſe cui voluerimus nomine noſtro ſolvere promiſiſtis. Ideoque devotionem veſtram monemus attentiùs, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus eas dilecto filio magiſtro Petro Marco Subdiacono noſtro correctori litterarum noſtrarum latori præſentium nomine noſtro ſine qualibet difficultate ſolvatis, ita quòd devotionem veſtram debeamus meritò commendare. Datum ut ſuprà.

MAGISTRO PETRO MARCO Subdiacono noſtro.

Epiſt. 175. Super eodem. Vide ſuprà epiſt. 172.

DEvotioni tuæ præſentium auctoritate mandamus quatenus à dilectis filiis Raymundo & Helia de Caturcio mille marcas argenti ad pondus Trecenſe recipias, & receptas dilecto filio fratri Aymaro Theſaurario domus militiæ templi Pariſienſis ſecurè tranſmittas, noſtro nomine deponendas. Datum ut ſuprà.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & Epiſcopo Vticenſi apoſtolicæ ſedis Legatis.

Epiſt. 176. De cenſu Simonis de Monteforti. Vide lib. 12. epiſt. 108. 122.

PRæſentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatenus omnia ſcripta ſuper cenſu terræ dilecti filij nobilis viri Simonis de Monteforti Comitis Leiceſtriæ & alia nobis à bonæ memoriæ magiſtro Milone olim tranſmiſſa, quæ vobis meminimus poſtmodum remiſiſſe, dilecto filio magiſtro Petro Marco Subdiacono noſtro correctori litterarum noſtrarum liberè aſſignetis. Datum Laterani v. Idus Octobris, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

EPISCOPO GEBENNENSI.

Epiſt. 177. Eum transfert ad Eccleſiam Ebreduneuſem.

SCientiæ donum tibi à patrefamilias quaſi talentum negotiaturo commiſſum nequaquam in terra cum ſervo inutili fodiens, in ſollicitudinem paſtoralem aſſumptus, ſic ſecundùm Apoſtolum opus implens Pontificis, tuum honorificare miniſterium & præeſſe in ſollicitudine ſtuduiſti ut, ſicut credimus, verè poſſis dicere cum Propheta, *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus*, ita te fidelem exhibens ſuper pauca ut merearis conſtitui ſuper multa. Quod dilecti filij Canonici Ebredunenſis Eccleſiæ providè attendentes, cùm bonæ memoriæ eorum Archiepiſcopo ab hac luce ſubtracto de ſubſtitutione Pontificis tractatum diutinum habuiſſent, tandem operante illo qui facit utraque unum, cleri, populi, & ſuffraganeorum deſideriis concurrentibus, te in ſuum Archiepiſcopum & paſtorem unanimi poſtulavere conſenſu, ſupplicantes nobis humiliter & inſtanter ut cùm Epiſcoporum tranſlatio fieri non poſſit vel debeat abſque ſedis apoſtolicæ licentia ſpeciali, te, per cujus circumſpectionem ſollicitam & ſollicitudinem circumſpectam multa credunt Eccleſiæ ſuæ commoda proventura, ipſis in paſtorem concedere dignaremur. Licèt autem in litteris quas olim nobis ſuper hoc tua fraternitas deſtinavit expreſſeris aliquos à poſtulatione hujuſmodi primitus diſſenſiſſe, quia tamen per litteras eorundem ipſos in poſtulatione jamdicta nunc unanimes eſſe cognovimus & concordes, eandem, ipſorum inclinati precibus, duximus admittendam; teque à regimine Gebennenſis Eccleſiæ abſolventes, ipſis conceſſimus in paſtorem. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus qua-

tenus vocationem recipiens de te factam, ne divinæ diſpoſitioni reſiſtere videaris, ad præfatam Eccleſiam Ebredunenſem accedas, eidem ita ſollicitè curam ſtudens impendere paſtoralem ut ejuſdem ſtatus juxta ipſius expectationem & noſtram per tuæ ſollicitudinis providentiam temporaliter & ſpiritualiter augeatur, & tu, ſicut de gradu ad gradum, ita de virtute in virtutem proficere videaris. Palleum quoque, plenitudinem ſcilicet pontificalis officij, per dilectum filium magiſtrum Petrum Marcum Subdiaconum noſtrum correctorem litterarum noſtrarum, Eccleſiæ jamdictæ Canonicum, virum utique litteratum, providum & diſcretum, tuæ fraternitati tranſmittimus, ſub ea forma tibi tradendum ab ipſo quam eidem ſub bulla noſtra dedimus interclusam.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt Capitulo Ebredunenſi uſque interclusam. Quocirca mandamus quatenus ei ſicut Archiepiſcopo veſtro humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis eidem tam debitam quàm devotam.

In eundem ferè modum clero & populo Ebredunenſi. In eundem modum ſuffraganeis Ebredunenſis Eccleſiæ, tamquam Metropolitano veſtro.

GEBENNENSI EPISCOPO in Archiepiſcopum Ebredunenſem electo.

Epiſt. 178. De ſtato numero Canonicorum

DIlecti filij Capitulum Ebredunenſe nobis humiliter ſupplicarunt ut ſtatutum de non excedendo duodenario Canonicorum numero in eorum Eccleſia dudum factum, & à bonæ memoriæ Clemente Papa prædeceſſore noſtro poſtmodum confirmatum, apoſtolico dignaremur munimine roborare. Volentes igitur ut ea quæ rationabiliter ſtatuuntur robur obtineant firmitatis, mandamus quatenus ſtatutum ipſum, ſalvo in omnibus apoſtolicæ ſedis mandato, faciatis appellatione remota firmiter obſervari.

CAPITVLO, CLERO, ET populo Troianis.

Epiſt. 179. De electione Epiſcopi Troiani.

LIcèt præſentia venerabilis fratris noſtri Philippi Epiſcopi veſtri tanto eſſet nobis acceptior quanto ipſum ad obſequia noſtra longa conſuetudo aptiorem reddiderat, & ſuæ devotionis ac fidei puritas nobis & fratribus noſtris effecerat cariorem, ex quo tamen veſtra in eum deſideria convenerunt, ipſum vobis paterna benignitate duximus concedendum, ſperantes quòd per ejus ſollicitudinem circumſpectam grata ſint vobis & Eccleſiæ veſtræ commoda proventura. Vt autem ipſum in noſtris eſſe oculis gratioſum exhibita ſibi ſpecialis gratia demonſtraret, eum in Lateranenſi baſilica manibus propriis conſecravimus, vos quoque in hoc, ſi diligenter attenditis, honorantes. Quocirca univerſitatem veſtram monemus & exhortamur attentiùs & per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ei ſicut paſtori & Epiſcopo animarum veſtrarum humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis eidem tam debitam quàm devotam, ejus ſalubria monita & ſtatuta ſuſcipientes humiliter & devotè ſervantes. Nos enim eidem dedimus in mandatis ut in contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles cenſuram curet eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo exercere. Datum Laterani III. Idus Octobris, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

CLERO ET POPVLO Foietanis.

Epiſt. 180. Super eadem

DE diſſenſione inter vos & clerum ac populum Troianum exorta & illo dolemus debito generali quo inter omnes Eccleſiæ filios deſiderare ac procurare tenemur unitatem & pacem, & affectu etiam ſpeciali, quo cupimus ut venerabilis frater noſter Philippus Epiſcopus veſter populum obſequentem habeat & concordem. Nuper igitur.. Archipreſbytero & quibuſdam Clericis veſtris ac Decano & quibuſdam Eccleſiæ Troianæ Canonicis apud ſedem apoſtolicam conſtitutis, ad procurandam concordiam inter vos & clerum ac populum antedictos interponere voluimus partes noſtras; ſed dictis Decano & Canonicis reſpondentibus ſe ſuper hoc non habere mandatum, nec etiam propter hoc fuiſſe vocatos, finalem ſuper iis non potuimus habere proceſſum. Volentes autem ut prædicta diſſenſio per noſtræ ſollicitudinis ſtudium ſopiatur, vobis & ipſis proximum feſtum Epiphaniæ terminum peremptorium aſſignamus; per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenus eodem termino procuratores veſtros ſufficienter inſtructos ad noſtram curetis præſentiam deſtinare, ut hujuſmodi quæſtio per nos compoſitione amicabili vel judiciali calculo terminetur. Interim autem eidem Epiſcopo veſtro humiliter intendentes, obedientiam & reverentiam exhibeatis tam debitam quàm devotam. Alioquin ſententiam quam rationabiliter tulerit in

terentur. Nos autem attendentes eorum in hoc firmam voluntatem, votis eorum annuimus, ita quòd medietas omnium eorum quæ intus habebantur cederet in partem Regis Aragonum, & alia medietas in partem ultramontanorum, & nec nobis nec noſtris aliquid voluimus retinere. Ipſi autem propoſitum repatriandi apud ſe retinentes, licèt Dominus Deus nobis exhiberet gratiam & honorem, & nos vellemus omnibus eis ſufficientiſſimè neceſſaria miniſtrare, deſiderio patriæ coacti, omnes pariter ſigno crucis relicto cum Archiepiſcopo Burdegalenſi & Epiſcopo Nannetenſi, licèt certitudinem de bello Sarracenorum haberemus, ad propria redierunt; exceptis admodum paucis, qui remanſerunt cum Archiepiſcopo Narbonenſi & Tibaldo de Blazon, qui * naturalis noſter erat, cum ſuis & quibuſdam aliis militibus qui erant de Pictavia; & ij omnes qui remanſerunt, vix erant inter milites & ſervientes centum quinquaginta; de peditibus autem eorum nullus remanſit. Cùmque Rex Aragonum apud Calatravam moram faceret expectando quoſdam milites ſuos & Regem Navarræ, qui nondum ad nos pervenerat, nos cum noſtris proceſſimus, & pervenimus ad quoddam caſtrum eorum quod Alarcos dicitur. Illud caſtrum, licèt bene munitum eſſet, cepimus, & alia tria caſtra, quorum unum dicitur Caracovia, aliud Benaventum, & aliud Petrabona. Inde procedentes pervenimus ad Salvamterram; ibique pervenerunt ad nos Rex Aragonum, qui de ſuis hominibus non duxit in exercitum niſi tantùm milites generoſos, & Rex Navarræ, qui ſimiliter vix fuit in exercitu de ſuis pluſquam ducentis militibus comitatus. Et quia Rex Sarracenorum in vicino erat nobis, Salvamterram noluimus expugnare; ſed procedentes contra Sarracenorum multitudinem, pervenimus ad quædam montana in quibus non erat tranſitus aliquis, niſi in certis locis. Cùmque nos eſſemus ad pedem illius montis ex parte noſtra, Sarraceni venientes ex parte alia obtinuerunt ſummitatem montis, volentes nobis tranſitum impedire. Sed milites noſtri aſcendentes viriliter, quia adhuc pauci Sarraceni ad locum illum pervenerant, eos cum Dei auxilio viriliter expulerunt, & caſtrum quoddam munitum, quod propter tranſitum impediendum Sarracenorum Rex conſtruxerat, ceperunt, quòd * Ferrat dicitur; quo occupato, exercitus Domini ſecurè potuit ad cacumina montis aſcendere, ubi multùm laboravit propter defectum aquarum & loci ariditatem. Sarraceni autem videntes quòd tranſitum illum occupare non poſſent, alium tranſitum qui erat in deſcenſu montis arctiſſimum & invium occuparunt. Talis quippe erat quòd mille homines poſſent defendere omnibus hominibus qui ſub cœlo ſunt, & juxta tranſitum illum ex altera parte erat totus Sarracenorum exercitus, & ſua tentoria jam fixa. Cùmque nos ibi facere moram ob defectum aquæ non poſſemus, nec procedere propter tranſitus difficultatem, quidam ex noſtris conſuluerunt quòd iterum ad pedem montis deſcenderemus, & alium tranſitum ad duas vel tres dietas quæreremus. Nos autem attendentes fidei periculum & perſonæ noſtræ dedecus, noluimus huic parere conſilio, eligentes potiùs in difficultate tranſitus mori pro fide quàm faciliorem tranſitum quærendo qualitercunque in fidei negotio tetroire. Cùmque jam quidem propoſitum firmaſſemus, ad indicium cujuſdam ruſtici, quem Deus nobis ex inſperato miſit, in eodem loco alium tranſitum ſatis facilem magnates noſtri, qui primos ictus in bello habituri erant, invenerunt, & in quodam loco exercitui eorum vicino, licèt aridus eſſet & ſiccus, Sarracenis hunc tranſitum ignorantibus, tentoria poſuerunt. Quod cùm Sarracenorum exercitus attendiſſet, proceſſit ut manſionem illam impediret. Noſtri autem, licèt pauci eſſent, ſe viriliter defenderunt. Nos autem & Rex Aragonum & Rex Navarræ armati cum militibus noſtris in loco primæ manſionis, quæ erat in ſummitate montis, expectavimus donec totus exercitus Dòmini pervenit ſecurè ad locum ubi anteriores noſtri caſtrametati ſunt; & ita dante Domino factum eſt quòd licèt via eſſet invia & inaquoſa, lapidoſa & nemoroſa, nihil de noſtris amiſimus. Hoc autem factum eſt die ſabbathi XVIII. Kal. menſis Auguſti. Circa ſerotinam verò horam Sarraceni attendentes quòd omnia tentoria noſtra tutè fixeramus, diſpoſitis aciebus ſuis venerunt ante loca caſtrorum, & ibidem quædam præludia belli in modum torneamenti cum noſtris exercuerunt. Attendentes autem ipſi quòd nos illa die nollemus habere bellum, ad caſtra ſua reverſi ſunt. Sequenti autem die dominica ſummo mane venit Sarracenus cum infinita multitudine diſpoſitis aciebus ſuis. Nos autem volentes conſiderare multitudinem gentis ſuæ, & diſpoſitionem & ſtatum & qualiter in omnibus ſe haberent, habito prudentum virorum conſilio & in iis exercitatorum, expectavimus uſque ad ſequentem diem lunæ. Ipſis autem ſic exiſtentibus, poſuimus milites noſtros cum peditibus, ut extremos agminis noſtri non poſſent in aliquo moleſtare. quod quidem divina operante gratia ſic evenit. Sequenti die, ſcilicet ſecunda feria, omnes in Dei nomine armati proceſſimus, diſpoſitis aciebus, cum eis pro fide catholica pugnaturi. Ipſi autem promontoria quædam obtinuerunt valde ardua & ad aſcendendum difficilia propter nemora quæ inter nos & ipſos erant, & propter alveos torrentium profundiſſimos. quæ omnia nobis erant magno impedimento, ipſis verò maximo expedimento. Veruntamen ille à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, fecit mirabiliter, & direxit manus ſui exercitus contrà inimicos ſuos, & anteriores noſtri necnon & medij multas acies eorum, quæ in minoribus promontoriis exiſtebant, in virtute crucis dominicæ proſtraverunt. Cùm autem perveniſſent ad extremam aciem eorum, infinitæ ſiquidem multitudinis, in qua Rex Carthaginis erat, ibidem difficillimos conflictus militum, peditum, & ſagittariorum invenerunt; quos ſub maximo periculo & vix, immò etiam jam non poterant tolerare. Nos autem attendentes bellum illud eis omnino importabile, impetu equorum proceſſimus, ſigno crucis dominicæ præeunte, & vexillo noſtro, in quo erat imago beatæ virginis & filij ſui in ſignis noſtris ſuper poſita. Cùmque nos jam pro fide Chriſti mori conſtanter eligeremus, attendentes crucis Chriſti & imaginis ſuæ matris ignominiam, quas lapidibus & ſagittis irruere impetebant, in arma furentes aciem illorum infinitæ multitudinis diviſimus; & licèt ipſi eſſent conſtantes in bello & firmi ſuper domino ſuo;

Roder. Tolet. lib. 8. c. 7. 8.

Roder. Toler. lib. 8. c. 10.

* id eſt, nationis Hiſpani. ut ſcribit Rodericus Toletanus. lib. 8. c. 6.

* Ferrat apud Rodericum.

Dominus illorum infinitam multitudinem crucis ſuæ gladio trucidavit; & ſic Rex Sarracenorum cum paucis in fugam converſus fuit. Sui autem impetus noſtros interim ſuſtinebant, ſed ſtatim poſt maximam ſtragem ſuorum reliqui in fugam converſi ſunt. Nos autem inſequentes eos uſque ad noctem, plures tamen inſequendo interfecimus quàm in bello; & ſic bellum Domini à ſolo Domino & per ſolum Dominum eſt feliciter conſummatum. Deo autem honor & gloria, qui cruci ſuæ dedit victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Fuerunt autem milites Sarraceni, ut poſtea vera relatione didicimus à quibuſdam domeſticis Regis Sarracenorum, quos captivos cepimus, clxxxv. milia, peditum verò non erat numerus. Occubuerunt autem in bello ex parte ſua centum milia armatorum & ampliùs ſecundùm æſtimationem Sarracenorum quos poſtea cepimus. De exercitu autem Domini, quod non ſine grandi gratiarum actione recitandum eſt, & quod incredibile eſt, niſi quia miraculum eſt, vix viginti quinque Chriſtiani aut triginta de toto noſtro exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! niſi de hoc dolendum ſit quòd tam pauci martyres de tanto exercitu ad Chriſtum martyrio pervenerunt. Vt autem magna eorum multitudo credatur, cùm exercitus noſter in caſtris eorũ poſt bellum per biduum fecerit morã, ad omnia incendia quæ neceſſaria erant in coquendis cibis & pane & aliis non compoſuerunt aliqua ligna niſi de ſagittis & lanceis eorum quæ remanſerant, & vix potuerunt comburere medietatem. Cùmque dicti exercitus propter longam moram factam in locis heremis & incultis deficeret in victualibus & aliis, ibidem tantam invenerunt tam ciborum quàm armorum necnon etiam dextrariorum & aliorum jumentorum copiam quòd accipientes ad ſuam unuſquiſque de iis omnibus voluntatem, plus ibi dimiſerunt ex magna abundantia quàm ceperunt. Tertio autem die procedentes venimus ad quædam caſtra eorum, ſcilicet Bilche, Baños, Toloſa, quæ incontinenti cepimus. Tandem pervenimus ad duas civitates, quarum altera dicitur Biacia, altera Vbeda; quibus non erant majores citra mare præter Cordubam & Hiſpalim; quarum alteram, ſcilicet Biaciam, deſtructam invenimus; ad alteram verò, ſcilicet Vbedam, quia ſitu loci & artificio fortiſſima erat, confugerat multitudo hominum infinita ex omnibus villis adjacentibus. Cùm enim villa illa nunquam ab Imperatore vel ab aliquo Regum Hiſpaniæ expugnata ſciretur vel ſubjugata, in eadem poſſe ſalvari ſua corpora ſe credebant. Sed & hanc in brevi divina gratia faciente cepimus & funditus deſtruximus, quia non poſſemus habere tantam multitudinem gentium quæ ad illas populandas ſufficere poſſent. & bene perierunt ibi ſexaginta milia Sarracenorum; quorum quoſdam interfecimus, quoſdam captivos duximus ad ſervitium Chriſtianorum & monaſteriorum quæ ſunt in marchia reparanda. Hæc igitur, ſanctiſſime Pater, vobis ſcribenda decrevimus, pro auxilio toti Chriſtianitati impenſo gratias quas poſſumus exhibentes, & humiliter ſupplicantes ut vos, quem Dominus ad ſummi ſacerdotij gradum elegit, ei cum ſacrificio laudis pro ſalute populi immoletis vitulos labiorum.

Roder. Tolet. ibid. c. 12.

ORATIO.

OMnipotens & miſericors Deus, qui ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam, digna tibi laudum præconia & devotas gratiarum referimus actiones quòd antiqua innovando miracula, glorioſam tribuiſti victoriam de perfidis gentibus populo Chriſtiano, te ſuppliciter exorantes ut quod mirabiliter incepiſti, miſericorditer proſequare ad laudem & gloriam nominis tui ſancti, quod ſuper nos famulos tuos fideliter invocatur. Per Dominum noſtrum &c.

ILLVSTRI REGI CASTELLÆ.

PRotector in ſe ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil firmum, multiplicans miſericordiam ſuam ſuper te ac populum Chriſtianum, & effundens iram ſuam in gentes quæ Dominum non noverunt & in regna quæ non invocaverunt ſanctiſſimum nomen ejus, juxta quod dudum fuerat ſpiritu ſancto prædictum, irriſit gentes quæ temerè fremuerant contra eum, & ſubſannavit populos inania meditatos, humiliando arrogantiam fortium, & infidelium ſuperbiam quieſcere faciendo; qui ſperantes in equis, quia multi ſunt, & equitibus, quia prævalidi nimis, ſuper ſanctum Iſraël non fuere confiſi, & Dominum exquirere contempſerunt; quinimmo Deo vivo & vero auſi ſunt exprobrare, exaltantes contra eum tumidè vocem ſuam & ſuorum levantes altitudinem oculorum. Benedictus autem Deus, qui poſuit in eorum naribus circulum & in labiis ſuis frænum, dans eis ſecundùm opera eorundem, & ipſis retribuens ſecundùm ſuorum nequitiam ſtudiorum; ut cognoſcat Moab quoniam major eſt ejus indignatio & ſuperbia quàm fortitudo & virtus, & ſperent in Domino cuncti qui diligunt nomen ejus, videntes quòd in ſua ſperantes miſericordia non relinquit, ſed propè eſt omnibus ipſum in veritate vocantibus, dans lapſis fortitudinem, & robur multiplicans; ut jam non dubitent verum eſſe quod legitur, quoniam qui ſperant in Domino habebunt fortitudinem, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient: quia Dominus virtutem populo ſuo dabit. Nos autem per tuæ ſerenitatis litteras pleniùs intellecto qualiter is qui docet manus ſuorum ad prælium & digitos eorum ad bellum, inſtauratis veteris teſtamenti miraculis, in tanto & tam horribili prælio ſalvum fecit populum humilem, & humiliavit oculos ſuperborum, exultavimus Domino adjutori noſtro, & ei quantum ſua donavit gratia jubilantes, gaviſi fuimus gaudio magno valde

valde. Convocantes ergo urbis clerum & populum universum, ei qui facit mirabilia magna solus, etsi non quantas debuimus, quantas tamen potuimus, unà cum illis gratiarum exsolvimus actiones, ipsas tuæ celsitudinis litteras legi coram universa multitudine facientes, & ore proprio exponentes easdem; in quo, post divinæ virtutis magnalia, quantum magnificentiæ tuæ præconia extulerimus, ab aliis potiùs quàm à nobis regali excellentiæ volumus intimari. De cetero, fili carissime, prudentiam tuam monemus, rogamus, & exhortamur in Domino quatenus datam tibi & populo Christiano victoriam Domino exercituum reverenter adscribas, ore simul & corde humiliter confitendo quòd non manus tua excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia, juxta quod in lege divina præcipitur. Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem hanc magnam; sed memoreris Domini Dei tui, quia ipse tibi dat facere fortitudinem & virtutem. Ista enim victoria proculdubio non humani operis extitit, sed divini; & gladius Dei, non hominis, immo verius Dei hominis inimicos crucis dominicæ devoravit. Quis enim dedit eos in direptionem & prædam ut unus mille & duo decem millia effugarent nisi Deus, qui subdidit illos & tradidit, suam super eos indignationem effundens pro eo quòd peccaverunt eidem & in ejus noluerunt semitis ambulare? Non igitur tibi veniat pes superbiæ, quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. Sed affer Domino gloriam & honorem, dicens humiliter cum Propheta: *Zelus Domini exercituum fecit istud*; ut aliis exultantibus in curribus & in equis, tu exultes & glorieris in nomine Domini Dei tui, & considerans vindictam impiorum factam à Domino, laves manus tuas in sanguine peccatorum. De nobis autem pro certo cognoscas quòd personam tuam semper de corde puro & conscientia bona & fide non ficta dileximus, & jugiter in tua crescimus caritate, in cunctis negotiis tuis tuæ serenitati adesse, quantum cum Deo & honestate poterimus, proponentes. Tu ergo ea semper agere studeas quæ apostolicum promereantur favorem, & per quæ gloriam temporalis regni transitoriam & caducam in æterni regni beatitudinem, quæ nunquam deficiet, valeas commutare. Quod utinam ore prophetante dixerimus, & eventum rei tetigerimus immobili veritate. Datum Laterani VII. Kalend. Novemb. pontificatus nostri anno XV.

Epist. 184. Respondet ad ejus consulta.

Deuteron. 8.

EPISCOPO BELVACENSI.

Epist. 184. Respondet ad ejus consulta. Cap. Cùm in tua. *De decimis.* Vide cap. Cùm contingat *De decimis.*

CVm in tua diœcesi quædam monasteria & conventuales Ecclesiæ in multis parrochiis majores decimas percipiant & minutas, & de quibusdam fructibus annuatim perceptis decimæ non fuerint persolutæ; quæ tamen modò solvuntur, quæsivisti per sedem apostolicam edoceri utrũ decimæ fructuum prædictorum ad parrochiales Ecclesias, quæ nec majores percipiunt nec minutas, an ad monasteria & illas Ecclesias conventuales, quæ decimas alias percipiunt ab antiquo, debeant pertinere. Ad quod sic duximus respondendum, quòd si fructus prædicti de illis terris proveniunt de quibus monasteria seu conventuales Ecclesiæ aliquos percipiebant ratione decimarum proventus, eis proculdubio debentur decimæ fructuum eorundem, cùm ipsis ab antiquo terra illa fuerit decimalis, & non debeat una eademque *substantia diverso jure censeri. Alioquin parrochialibus Ecclesiis exsolvantur; ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum. Sanè quia contingit interdum quòd aliquibus volentibus matrimonium contrahere, bannis, ut tuis verbis utamur, in Ecclesiis editis secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ, ac nullo contradictore publicè comparente, licèt fama privatim impedimentum deferat parentelæ, cùm ex parte contrahentium juramenta majorum de sua propinquitate, ut suspicionis tollatur materia, offerantur, quid tibi sit faciendum in casibus hujusmodi quæsivisti. Ad hæc taliter respondemus, quòd si persona gravis, cui fides sit adhibenda, fraternitati tuæ denuntiet quòd ij qui sunt matrimonio copulandi se propinquitate contingant, & de fama vel scandalo doceat, aut etiam per te ipsum possis certificari de plano, non solùm debes juramenta parentum sponte oblata recipere, verùm etiam eos qui contrahere sic nituntur, si monitis induci nequiverint, compellere ut vel à tali contractu desistant, vel contra famam hujusmodi secundùm tuæ discretionis arbitrium juramenta exhibeant propinquorum. Alioquin, si persona denuntians non extiterit talis ut duximus, & de fama vel scandalo non poterit edoceri, ad desistendum monere poteris, non compellere, contrahentes. Si verò post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cùm non prodierit in publicum quando banni secundùm præfatam consuetudinem in Ecclesiis ede-*

* *In quart. coll.* Ecclesiæ, *etiam in cod. Colbert.* Cap. Cùm in tua. *De sponsalib.*

Vide Reginonem lib. 2. ca. 231.

Cap. Cùm in tua *Qui matrim. accus. possint.*

bantur, utrum vox debeat ſuæ accuſationis admitti meritò quæri poteſt. Super quo ſic duximus diſtinguendum, quòd ſi tempore denuntiationis præmiſſæ is qui jam conjunctos impetit extra dioceſim exiſtebat, vel aliàs denuntiatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut puta ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans, ſanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris conſtitutus quòd ad comprehenſionem talium ejus ætas ſufficere non valebat, ſeu alia cauſa legitima fuerat impeditus, ejus accuſatio debet audiri. Alioquin, cùm rationabiliter præſumatur quòd denuntiationem publicè factam idem exiſtens in ipſa dioceſi minimè ignorarit, tamquam ſuſpectus eſt proculdubio repellendus, niſi proprio firmaverit juramento quòd poſtea didicerit ea quæ obicit, & ad hoc ex malitia non procedat: quia tunc, etiamſi didiciſſet ab illis qui denuntiationis tempore ſiluerunt, claudi non deberet eidem aditus accuſandi; quoniam etſi ab impetitione hujuſmodi culpa de ſilentio tali contracta illos excluderet, iſte tamen amoveri nequiret cùm culpabilis non exiſtat. Vtrum autem, ſi accuſatore idoneo comparente, per tres vel quatuor teſtes inter jam conjunctos parentela probetur, per depoſitiones eorundem poſteriorum teſtium derogetur fidei, ſex vel duodecim propinquorum, qui antiquiores tempore ac præſtantiores meritis ante contractum matrimonium in contrarium juraverunt, diſtinguendo perſonas & gradus à quibus directè ij de quorum agitur copula deſcenderunt, an primi poſterioribus præferantur, non immeritò quæri poſſet, quamquam ad aliud & ob aliud juraverint illi quàm iſti. Si tamen in ſecundo judicio priores perſonæ juratæ deponerent illa eadem quæ primò dixerunt, abſque dubio eorum teſtimonia prævalerent, nec eo poſſent pretextu repelli quòd partes teſtificata didicerint, cùm talis exceptio locum non habeat in hoc caſu. Datum Laterani IV. Kalend. Novembris, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Cap. Cùm in tua. De teſtib.

PATRIARCHÆ Ieroſolymitano apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 185. Quòd indulgentia ſit ſtricto modo accipienda.

CVm felicis recordationis Alexander Papa prædeceſſor noſter Simoni quondam Priori ſancti Georgij de Xiſto quotidianum uſum anuli, virgæ quoque paſtoralis, & mitræ infra Miſſarum ſolemnia conceſſerit, ſicut accepimus, de indulgentia ſpeciali, ac poſtmodum idem locus Eccleſiæ ſancti Thomæ martyris Acconenſis cœperit eſſe ſubjectus & quandoque cum illa unum ſolum habere Priorem, is qui nunc habet in eiſdem Eccleſiis prioratum, cùm à nobis obtinuerit ipſam indulgentiam confirmari, etiam in Eccleſia ſupradicta ſancti Thomæ uti nitebatur eadem, eò quòd Priori ſancti Thomæ martyris Acconenſis & ſancti Georgij de Xiſto confirmationis noſtræ pagina mittebatur. Cui ſe oppoſuit obicem venerabilis frater noſter Epiſcopus Acconenſis, proponens quòd ad hoc per confirmationem noſtram extendi uſus memoratæ indulgentiæ non valebat. Vnde ad petitionem partium quæſtionem ipſam ad examen ſedis apoſtolicæ tranſtuliſti. Nos igitur attendentes quòd præfatus prædeceſſor noſter Priori ſancti Georgij de Xiſto, prioratum ipſum tantummodo exprimendo, indulſerit ſupradicta, ipſius veſtigiis inhærentes, habendo ratum quod factum extitit per eundem, prædictæ indulgentiæ de novo nihil addidimus, ſed quod competebat ex illa duximus confirmandum. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſupradictum Priorem abuti præfata indulgentia non permittas. Datum Laterani VIII. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

EPISCOPO PICTAVENSI.

NOn eſt Deus in conſpectu tuo, nec viæ tuæ rectæ ſunt coram eo, ſi clamoribus de te ad noſtram audientiam aſcendentibus facta reſpondent, quæ præſentibus duximus annotanda, ipſa tuis oculis admoventes, ut te contra tuam faciem ſtatuendo, qui te ipſum abjeciſti poſt terga, famæ contemptu & conſuetudine, ſicut dicitur, delinquendi, qualis ſis, & utrum aſcenſum pares ſubditis ad virtutes, an deſcenſum ad vitia per exemplum, accuſationi operum conſcientia reſpondente, tibi tuo judicio demonſtremus. Ecce audivimus quòd anno præterito antequam ordines celebrares, per magiſtrum I. Gabart officialem tuum à ducentis ferè clericis ordinandis in eluſionem conſtitutionis apoſtolicæ, qua ordinatis ſine titulo per ordinatores vel repræſentatores aut ſucceſſores eorum volumus provideri, feciſti exigi & recipi juramentum quòd nullam à te proviſionem exigerent ratione ordinationis illius. In quo cùm non habueris judicium nec juſtitiam, ſed juri & ſedi apoſtolicæ injuriam feceris manifeſtam, tranſgreſſio-

ni canonum adaperiens aditum, & nitens claudere viam provisioni pauperum clericorum, quam eis per constitutionem nostram misericorditer curavimus aperire, inspice ac despice temetipsum, eò quòd hujusmodi exegeris juramenta quæ sponte oblata recipere minimè debuisses; nisi fortè laudetur exactio ubi receptio condemnatur. Accepimus etiam quòd excommunicatis indifferenter communicans, G. pro injectione manuum in clericum violenta vinculo excommunicationis astrictum de facto absolvere auctoritate immo potiùs temeritate propria præsumpsisti, & laicis in præjudicium clericorum tam favorabilis es effectus quòd filios quorundam burgensium de Mirebello subtraxisti servitio clericalis militiæ, ut occasione hujusmodi factos laicos sub servitute redigeres laicorum. Clericis verò tyrannus, decimas eis debitas laicis adjudicas contra jura; & ab Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis tuæ ditioni subjectis indebitas procurationes extorquens, si quando tibi non visitanti parrochiam pretium expensarum quas in tua procuratione facerent, si eorum visitares Ecclesias, non exsolvunt, paratas ad omnem impetum tuum excommunicationis & interdicti sententias illico fulminas in eosdem, vel cum tam onerosa multitudine, non ut ædifices & plantes, sed ut si qua congregata sunt dissipes & disperdas, ad defectum, non ad profectum, talis eis hospes accedis quòd * longi temporis victum hora brevi consumens, tuos mendicare cogis post exitum receptores; & ut manus tuas in Pictavensi dioceſi nulla possit exactio præterire, Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis quosdam de novo præponis vicarios, usurpans officia singula ut commoda sentias singulorum & faciliùs te tuorum manibus ad turpia lucra & infames exactiones extendas, aliarumque gravium exactionum novus inventor, sicut fertur, ad te & aliquos simplices tibi collegas adversùs eos quos offendere niteris nostras facis litteras impetrari quorundam nomine, ipsis omnino irrequisitis ac insciis, qui nullam habent causam agendi; & cùm nullus appareat actor vel accusator seu denuntiator contra eos quorum nomina nostris litteris inseruntur, tu tamen in ipsos & alios qui nominatim non exprimuntur in litteris, occasione illius clausulæ *Quidam alij*, quæ in litteris nostris sæpe solet apponi, collegis tuis ad excogitatam malitiam præ simplicitate nimia inclinatis sententias jacularis, non qualis vigor exigit rationis, sed quales motus ingerit voluntatis. Cùm autem aliqui ex delegatione nostra aliquam sententiam proferunt quæ tibi displiceat, statim eos tamquam inimicos persequeris capitales, & infers eis per te & tuos quascunque potes injurias & jacturas, inhibens subditis ne sententias delegatorum nostrorum observent. Illud inter alia non duximus omittendum, quòd cùm excommunicaveris quendam Presbyterum & omnes qui fuere præsentes quando Helias de Vernia Miles cum filia R. de Cella contraxit, qui se proxima consanguinitatis linea contingebant, mutato judicio receptione pecuniæ, tamquam impedimentum evanuerit parentelæ adveniente qui manum judicantis implevit, contractum quem debito justitiæ reprobasti, non erubuisti per injustitiam tibi contrarius approbare. In his quidem & aliis quæ de tua conversatione frequenter audivimus nostram non videris patientiam agnovisse, quam in te de gratia multa & speciali habuimus super aliquibus quæ tempore inquisitionis factæ adversùs personam tuam videbantur esse probata: sed expectavimus tunc, & adhuc illius sequentes exemplum qui misericors & miserator existens, peccatoris quærit reditum, & neminem vult perire, misericorditer expectamus, si forte reversus ad cor, actus tuos reformes in bonum. Tu igitur aperi oculos tuos, & vide quæ feceris, ac tuo commissus examini sic corrigas temetipsum quòd non oporteat te sentire dexteram apostolicæ disciplinæ; quia tanto severiùs tunc delinquentis corrigemus excessus quanto benigniùs expectamus longiori tempore corrigendum. Dilectis filiis Abbati Nucariensi Turonensis dioceſis & Subdecano & magistro Stephano de Castro Ayraldi Canonico Pictavensibus nostris damus litteris in mandatis ut te ad hoc diligenter ex parte nostra moneant & inducant, & qualiter admonitiones nostras admiseris nobis rescribere non omittant. Datum Laterani XVI. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 10. epist. 191. & lib. 13. epist. 92. 93.

* Cap. *Cùm Apostolus*, De censib.

Illis scriptum est super hoc.

CONRADO METENSI
Episcopo, imperialis aulæ Cancellario.

TAnto in hoc tempestatis articulo efficaciùs nos oportet fratribus & coëpiscopis nostris adesse quanto pro sedis apostolicæ reverentia majoribus se pressuris & jacturis exponunt. Eapropter, venerabilis frater in Christo, tuis cupientes

Epist. 187. Conceduntur sibi plura privilegia.

necessitatibus providere, auctoritate præsentium tibi personaliter indulgemus ut tuæ malefactores Ecclesiæ, cujuscunque diœcesis, ut ab ipsius & tam Clericorum quàm laicorum ad ipsam spectantium indebita molestatione desistant, si diœcesani Episcopi eos compescere neglexerint requisiti, tu legitima monitione præmissa per censuram ecclesiasticam valeas coërcere, quam usque ad satisfactionem condignam volumus & præcipimus inviolabiliter observari; proviso prudenter ut in hoc prævia ratione procedas. Præterea prohibemus ne Treverensis Archiepiscopus inconsulto Romano Pontifice in te suspensionis vel excommunicationis sententiam jaculetur; ita tamen ut tu ei debitam reverentiam exhibere procures. Nec cuiquam liceat castra tua subicere interdicto, quandiu conquerentibus justitiæ plenitudinem feceris exhiberi. Hanc autem durare volumus indulgentiam dum imminens imperij tempestas duraverit; quia cessante causa, cessare debet effectus. Nulli ergo &c. concessionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani xv. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno decimoquinto.

NOBILIBVS VIRIS VIVIANO, Gaillardo, & aliis dominis Scurienſis caſtri.

Epist. 188. Eis concedit multa privilegia.

MAnifestum est castrum quod Scuria dicitur temporibus sanctæ memoriæ Sylvestri Papæ, sicut ex inspectione litterarum antecessoris nostri felicis recordationis Sergij Papæ cognovimus, regia liberalitate per manus ejusdem beato Petro quondam fuisse collatum, & à Vediano quondam ejusdem castri domino memorato prædecessori nostro Papæ Sergio per innovationem sub annuo censu decem solidorum Raymundensis monetæ fuisse recognitum & oblatum. Idem etiam castrum Humbertus, Raymundus, & Sicardus domini ipsius loci prædecessori nostro beatæ memoriæ Papæ Calixto & per manum ipsius beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ recognoverunt & obtulerunt. Nos itaque eorundem antecessorum nostrorum Sergij, Calixti, Innocentij, & etiam Adriani Romanorum Pontificum, qui castrum ipsum ad jus & proprietatem beati Petri pertinens sub apostolicæ sedis protectione ac munimine receperunt, vestigiis inhærentes, præfatum castrum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut neque Comiti neque alicui personæ facultas sit ipsum castrum auferre, minuere, infestare, vel suis usibus vendicare; sed quietum & integrum vobis in fide catholica & fidelitate apostolica permanentibus, sicut à jamdictis prædecessoribus nostris & à nobis concessum est, sub beati Petri jure ac defensione consistat. Sanè si quis vestrum gravius aliquid, quod absit, fortè commiserit, pro ejus culpa, sicut à præfato prædecessore nostro Alexandro Papa statutum est, nisi & alij ejusdem iniquitatis participes fuerint, ipsi & honores eorum minimè à divinis interdicantur officiis. quod & de subjectis militibus vestris præcipimus observari. Statuimus etiam ut nulli nisi dominis & hominibus ejusdem castri liceat infra terminos tenimenti vestri castrum ædificare vel munitionem construere. Si qua verò ecclesiastica secularisve persona adversùs homines ejusdem castri querimoniam deposuerit, apud Metropolitanum vestrum * vel Legatum à latere Romani Pontificis destinatum quod justum fuerit experiri procuret. Nos autem à dilecto filio nobili viro Ademaro uno dominorum ejusdem castri, ad nostram præsentiam accedente, pro ipso castro fidelitatis recepimus juramentum, & ab aliis per manum dilecti filij magistri Petri Marci Subdiaconi nostri, olim correctoris litterarum nostrarum, & Archidiaconi Forojulienſis, recipi viva voce mandamus. Si quis igitur Clericus sive laicus temerè, quod absit, adversùs ista venire tentaverit, secundò tertiòve commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, honoris & officij sui patiatur periculum, aut excommunicationis ultione plectatur. Qui verò conservator extiterit, omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus gratiam consequatur. Datum Laterani III. Idus Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

* In Mss. additur ut Episcopi in cujus diœcesi castrum erit, aut Legati de latere.

CONSVLIBVS ET POPVLO Mediolanenſibus, ſpiritum conſilij ſanioris.

Epist. 189. Redarguens de ingratitudine erga se.

CVm illam recolimus exuberantiam caritatis & gratiæ specialis qua sedes apostolica Mediolanensem ab antiquo dilexit & extulit civitatem, quaque nos specialiter eam fuimus hactenus amplexati, cùmque illum reverentiæ ac devotionis fervorem quem civitas eadem ad apostolicam sedem & personam nostram usque ad hæc habuit tempora cogitamus, meditantes quantum utraque per reliquam in negotiis suis proficere consuevit, vehementer angimur & turbamur, ita ut sit nobis tristitia magna & dolor continuus cordi nostro, eò

quòd dum hujus unitatis vinculum vestra rumpitur imprudentia, hæc prorsùs in contrarium cernimus esse versa, in tantum ut vobis devotionem pristinam subtrahentibus, immo erigentibus vos temerè ad injuriam, non modò gratiam vobis subtrahere, verùm etiam accingi compellamur ad pœnam, ad quam non sine magno dolore, Deo teste, procedimus, cùm præteritis vestris obsequiis & præsentibus, quibus lacessimur, injuriis concertatione quadam in pectore nostro sibi adinvicem occursantibus, hæc mentem nostram infringant interdum ad veniam, illæ verò è contrà provocent ad vindictam, quam alienam non esse ab apostolicis viris manifestè demonstrat Apostolus, qui ad ulciscendam omnem inobedientiam, sicut ipso testante didicimus, promptus erat. Licèt autem fateamur vos non parva nobis & apostolicæ sedi obsequia præstitisse, beneficia tamen quæ recepistis ab ea ipsis minora obsequiis non fuerunt. Quare si vos illa spiritualis devotio qua cuncti fideles apostolicam sedem reverendè suspiciunt non induceret, temporalis saltem prudentia, qua præcipuè pollere solebatis, inducere vos deberet ne pro* quodam reprobo & ingrato, immo Deo & hominibus odioso, qui nunquam nisi mala pro bonis retribuit, quique, cùm impij non dimidient dies suos, cras fortè sicut pulvis quem proicit ventus à facie terræ aliquo turbine auferetur è medio, eos qui pertinaciter ruituro adhæserint tracturus secum pariter in ruinam, opponeretis vos Ecclesiæ matri vestræ, adversùs quam prævalere non poterunt portæ mortis; cùm eam Dominus super se petra stabili firmitate fundaverit, & usque ad consummationem seculi cum eadem promiserit se mansurum. Timemus autem, & utinam vos etiam timeretis, ne in vobis impletum sit quod legitur in Propheta: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Vobis enim videtur Dominus miscuisse calicem vertiginis & soporis, ut erretis in cunctis vestris operibus, contra Dominum consilia cogitantes, quæ proculdubio nequibitis stabilire: quia non est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Deum. Licèt autem multipliciter contra vos divinæ majestatis oculos provocetis, in tribus tamen præcipuè thesaurizatis vobis confusionem & iram in die revelationis justi judicij magni Dei, & in præsenti non solùm nos, quibus Petri gladius est commissus, ut vindictam in nationibus & increpationes in populis faciamus, verùm etiam cunctos Christianæ fidei zelatores ad vestrum & vestræ civitatis excidium incitatis. Primò enim cùm scriptura præcipiat capi vulpeculas quæ dominicam volunt vineam demoliri, hæreticos scilicet, qui ob dolositates multiplices vulpium nomine designantur, vos spiritibus attendentes erroris, facti estis hæreticæ pravitatis præcipui defensores. Nec solùm vulpeculas memoratas non capitis, verùm usque adeo fovetis & defenditis easdem ut apud vos mutatæ sint de vulpibus in leones & de locustis in equos ad prælium præparatos; dum, vobis faventibus, doctrinæ suæ fermentum publicè prædicare non metuunt, & in messem dominicam jam non occultè zizania seminare non præsumunt. Vnde cùm de aliis mundi partibus à zelatoribus fidei expelluntur, ad civitatem vestram quasi quandam erroris sentinam confugiunt, ubi pro religione suscipitur quicquid discordare à fide catholica demonstratur. Porrò iidem felle draconis vobis in aureo Babylonis calice propinato inebriarunt adeo mentes vestras ut Mediolanensem Ecclesiam matrem vestram, quæ divina vobis exhibens sacramenta genuerat vos in hereditatem æternam, irreverenter & impiè conculcantes, eam in servitutis opprobrium deducere studeatis, sancientes impiè contra eam pessima instituta, eamque duris angariis affligentes, nt nunc apud vos longè pejoris conditionis existat quàm olim populus Israëlis sub Pharaone fuerat in Ægypto. Postremò à devotione apostolicæ sedis, cujus nomen reverendum est etiam apud gentes quæ Dominum non noverunt, vos penitùs subtraxistis. Immo sicut filij alieni manifestè vos opposuistis eidem, & eam vobis contrariam posuistis, facti graves utique vobis ipsis, dum per hoc eum vobis reddidistis offensum qui eam super omnem terram principatum voluit obtinere. Ecce funiculus triplex, qui difficilè rumpitur; & utinam vos illum vel cum difficultate rumpatis; ut aliquando possitis dicere cum Propheta: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Verùm vos de die in diem magis ac magis in eo pedes vestros irretire nitimini, qui, quasi aliæ quas nobis intuleratis injuriæ non sufficerent, nuper cùm dilecti filij cives Papienses carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Siciliæ Regem illustrem de nostro mandato conducerent, immo jam

* id est, Othone, ut patet ex calce hujus epistolæ.

conduxissent & recessissent ab eo, vos offensam cumulantes offensæ, rupto vinculo fœderis atque pacis quæ olim procurante Priore Camaldulensi à nobis propter hoc specialiter destinato inter vos & eosdem celebrata extitit & juramento firmata, abjecta denique reverentia nostra prorsùs, qui per Legatum nostrum, qui nostram in partibus illis repræsentat personam, præsentes eramus, dictos cives nequiter invasistis, & quosdam eorum, utpote qui bellum non suspicantes in pace fuerant imparati, cepistis & detinetis captivos, ipsos indecenter, ut dicitur, & inhumanè tractantes. In quo licèt ipsi quidem gravamina sentiant, nos tamen dissimulare non possumus injuriam esse nostram. Nec vos excusare potestis, tamquam ad hoc inducti fueritis ex debito fidelitatis quo præfato reprobo teneamini, cùm ab ejus fidelitate sitis per constitutionem canonicam & denuntiationem apostolicam absoluti; quoniam ei qui Deo & Ecclesiæ fidem non servat, fidelitas servanda non est à communione fidelium separato. Quamquam ergo merita vestra non exigant ut vos paterna revocare dulcedine studeamus, cùm sit vester furor adeo contumax & indignatio vestra dura ut non fovenda oleo sed potiùs urenda cauterio videatur, quia tamen pater paternum nequit affectum deponere, licèt provocatus à filiis & offensus, universitatem vestram adhuc etiam commonendam duximus & obsecrandam in Domino, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatenus expulsis hæreticis manifestis, & reformatis quæ contra Mediolanensem Ecclesiam attentastis, redeuntes ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram, & tot offensarum injurias aliquo devotionis indicio redimentes, si qua remansit in vobis devotionis scintillula in præsenti, si ullam habetis præteritorum memoriam, si denique apud nos spem aliquam vobis reservare cupitis in futurum, nobis cives restituatis jamdictos, immo nos ipsos dimittatis in ipsis; ut per hoc animus noster efficiatur proclivior ad dandam vobis pœnitentibus super aliis indulgentiam, & vobis detur fiducia plenior ad petendam. Alioquin noveritis nos excommunicationis sententiam in vos, Consules, & consiliarios vestros ac alios hujus iniquitatis actores à Legato nostro, licèt ex alia causa simili astricti sint vinculo, promulgatam auctoritate apostolica roborare, ac dare universis Episcopis Lombardiæ firmiter in præceptis ut eam candelis accensis, & pulsatis campanis, singulis diebus dominicis & festivis faciant singuli per suas dioceses publicari; dantes nihilominus carissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Francorum illustri & aliis Galliarum ac Italiæ Principibus & Baronibus necnon universis Lombardiæ civibus in mandatis ut nullum vobiscum faciant colloquium vel contractum, nec præsumentes aliquem vestrum in Potestatem assumere vel rectorem, res mercatorum vestrorum & vestras, ubicunque fuerint inventæ, detineant & faciant detineri, & solvi vobis debita non permittant; cùm sit dignum & justum ut qui non finitis alios requiescere, apud eos non possitis requiem invenire. Vt autem metropolis vestra obedientiam, quam vos superiori vestro subtrahitis, in sibi subditis non inveniat, universis Episcopis eidem subjectis metropoli nostris damus litteris in præceptis ut in pœnam vestram ipsi omnem obedientiam & reverentiam subtrahentes, eidem in aliquo non intendant. Denique cùm non solùm honore metropolitico, sed etiam pontificali vos reddatis indignos, quoniam ad præsens generale Concilium commodè convocare non possumus, per Ianuensem, Gradensem, Remensem, Senonensem, Rotomagensem, Turonensem, Bituricensem, & Burdegalensem provincias dirigimus scripta nostra, ut habito super his Archiepiscoporum & Episcoporum, quos propter hoc congregari mandamus, consilio, in tanto negotio cum maturitate debita procedamus. Ad ultimum pro certo noveritis quòd clamor qui de vobis super facto hæreticæ pravitatis ascendit adeo concussit aures & animos populorum ut clamatum fuerit jam frequenter quatenus sicut eos in Provinciam misimus ad pestem hujusmodi extirpandam, sic eosdem Christi charactere insignitos ad exterminium terræ vestræ in suorum remissionem peccaminum transmittamus. Vnde vobis est meritò formidandum ne is qui civitati sanctæ Hierusalem, ejus provocatus iniquitatibus, non pepercit, super vestris vos disponat malitiis visitare, cùm peccatorum vestrorum turris proculdubio ascenderit jam in cœlum. Nec vos decipiat magnificentia cordis vestri, ut nostra hæc verba, quæ non absque mentis dolore proferimus, deliramenta putetis, in virtute vestra & multitudine gloriantes; sed potiùs cogitetis quòd Domino exercituum nulla potest resistere multitudo; qui, ut exempla testamenti veteris taceamus, sicut

* Vide suprà epist. 182. 183.

in Provincia nuper hæreticos & in * Hispania fidelium exercitui tam mirabiliter quàm misericorditer innumeros dignatus est subdere Agarenos, sic potens est vestram ad nihilum deducere civitatem. Inspiret ergo Dominus vobis consilium salutare, ne inducatis vos ipsos in illum necessitatis articulum quòd mox frustra clamantes exaudire denique non possimus, & sit sera pœnitentia post ruinam. Datum Laterani XII. Kalen. Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Scriptum est in eundem ferè modum illis omnibus super hoc. In eundem ferè modum Archiepiscopo Remensi scriptum est & suffraganeis ejus usque civitatem. Quocirca monemus atque præcipimus quatenus convenientes in unum, & habito super iis diligenti tractatu, vestrum nobis consilium rescribatis.

Vide suprà epist. 138.

In eundem fere modum scriptum est populo Alexandrino, Spiritum consilij sanioris. Cùm illam recolimus &c. *usque* convertatur & sanem eum. Cùm enim nuper paterna vos curaverimus benignitate monere ut à sequela Othonis & ejus sequacium penitùs recedentes, ad devotionem rediretis Ecclesiæ matris vestræ, alioquin privilegiis vobis ab eadem concessis sciretis vos perpetuò spoliandos, cùm propter ingratitudinis vitium libertus in servitutis compedem revocetur, vos monitis nostris prorsùs contraria facientes, offensam cumulastis offensæ, & injuriam injuriæ addidistis, contra dilectos filios cives Papienses, quibus ecclesiasticæ unitati, sicut lucis filiis, adhærentibus adhærere pro nostra reverentia deberetis, insurgere præsumentes. Cùm igitur ex utraque parte fuerint quidam capti, volentes, sicut ad nostrum officium spectat, ut suæ parti restituantur utrique, universitatem vestram monemus attentiùs & rogamus, sub debito fidelitatis quo nobis tenemini vobis districtè præcipiendo mandantes quatenus si qua remansit in vobis devotionis scintillula in præsenti, si ullam habetis præteritorum memoriam, si denique apud nos spem aliquam vobis reservare cupitis in futurum, ad sinum Ecclesiæ matris vestræ humiliter redeuntes, concives suos sine difficultate restituatis eisdem, vestros ab eis mutuò recepturi, ita ut plena fiat restitutio hinc & inde, mandatum nostrum taliter adimplentes ut vobis offensas vestras hoc devotionis indicio redimentibus, nobis fiat proclivior animus ad dandam super aliis veniam, & vobis detur fiducia plenior ad petendam. Alioquin, si super præmissis de cetero inobedientes nobis & rebelles fueritis, noveritis nos venerabili fratri nostro Episcopo & Archidiacono Parmensibus nostris dare litteris in mandatis ut * unionem Ecclesiæ Aquensis & vestræ nostra fulti auctoritate dissolvant, vestramque terram pontificali dignitate denuntient perpetuò esse privatam. Quòd si nec sic vestra poterit rebellio edomari, manum apostolicam aliàs super vos taliter aggravare curabimus quòd eam abbreviatam non esse, vexatione intellectum dante auditui, cognoscetis. Datum Laterani IV. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

* Vide tom. IV. Italiæ sacræ pag. 447. & seqq.

EPISCOPO PARMENSI.

Epist. 190. Dispensat super cognatione.

IOhanne laico & G. muliere in tertio affinitatis gradu distantibus, idem Iohannes volens filiam ipsius G. natam ex secundis nuptiis ducere in uxorem, ac timens ne hujusmodi copula alicui posset calumniæ subjacere, nobis humiliter supplicavit ut pro bono pacis, quam ex eorum matrimonio asserit proventuram, eandem ducendi sibi licentiam concedere dignaremur. Quocirca mandamus quatenus, si aliud impedimentum canonicum non obsistit, ipsis licentiam tribuas contrahendi. Datum Laterani II. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno quintodecimo.

EPISCOPO GEBENNENSI, & Viennensi Sacristæ.

Epist. 191. Responder ad eorum consulta. *Cap.* Inquisitionis. *De accusat.*

INquisitionis negotium quam de venerabili fratre nostro Episcopo & Canonicis Valentinensibus vobis commisimus faciendam sine conscientiæ scrupulo exequi cupientes, apostolico petiistis oraculo edoceri utrum eorum publicanda sint dicta & nomina quos interrogari contingit, prout de testibus in publicis causis fieri consuevit, an sola dicta eorundem publicari sufficiat *, cùm idem Episcopus & Canonici manifestè sciant qui fuerint inquisiti, & utrum contra dicta eadem debeant exceptiones seu replicationes admitti, cùm contra personas dicentium admittantur. Ad quod breviter respondemus, non solùm dicta, sed etiam ipsa nomina, ut quid à quo sit dictum appareat, publicanda, & exceptiones seu replicationes legitimas admittendas; ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur. Secundò quæsistis quid à vobis sit statuendum si contra quempiam per inquisitio-

* *In quart. coll. additur*, nominibus tacitis

nem probatum fuerit tale crimen quod deponeret accuſatum criminaliter & convictum. In quo quidem duximus diſtinguendum, utrum videlicet tale crimen contingat adversùs aliquem inveniri quod ordinis executionem ſuſcepti aut retentionem beneficij etiam poſt peractam pœnitentiam impediret, puta ſi homicidium commiſiſſet, vel adeptus eſſet ordinem aut beneficium vitio ſimoniæ. quo caſu erit ſicut in accuſationis judicio procedendum. Alioquin ſecundùm perſonæ merita & qualitatem exceſſus pœnam poterit judicantis diſcretio moderari. Tertiæ dubitationis articulus continebat utrum cùm duo vel tres jurati affirmant alium crimen aliquod eiſdem videntibus commiſiſſe, de quo tamen aliqua infamia non laborat, aliquam illi pœnam infligere debeatis, & utrum ad petitionem quorundam quaſdam ſcedulas vobis occultè tradentium infamationem Epiſcopi continentes ſit ad inquiſitionem eorum quæ in ipſis continentur ſcedulis procedendum, & an fides eorum dictis debeat adhiberi qui poſt juramentum interrogati ſecretò utrum ſint eorum de quibus inquiritur inimici, reſpondent quòd non diligunt illos, vel directè inimicos ſe aſſerunt eorundem, aut etiam ante juramentum id publicè confitentur, nullas tamen inimicitiarum cauſas probabiles oſtendentes. Ad hæc autem pariter reſpondemus, nullum eſſe pro crimine ſuper quo aliqua non laborat infamia, ſeu clamoſa inſinuatio non præceſſit, propter dicta hujuſmodi puniendum, quinimmo ſuper hoc depoſitiones contra eum recipi non debere, cùm inquiſitio fieri debeat ſolummodo ſuper illis de quibus clamores aliqui præceſſerunt, nec ad petitionem eorum qui libellum infamationis porrigunt in occulto procedendum eſſe ad inquiſitionem ſuper contentis ibidem criminibus faciendam, aut etiam adversùs eos contra quos fit inquiſitio fidem dictis adhibendam illorum qui poſt juramentum vel antè tacitè vel expreſsè inimicos ſe aſſerunt eorundem; niſi forſan ante juramentum in fraudem id facere præſumantur. Quæſiſtis præterea quid ſtatui debeat ſi nihil per certam ſcientiam, ſed tantùm per famam & eorum qui fuerint inquiſiti credulitatem * juratam contigerit inveniri, utrumne aliquis ſuper eo crimine reputari debeat infamatus de quo ipſum duo vel tres aut plures dixerint infamatum, licèt de ipſo nihil ſiniſtrum in publico audiatur. * Ad quod eſt noſtra reſponſio, quòd propter famam & deponentium credulitatem duntaxat non erit ad depoſitionis ſententiam procedendum, ſed infamato canonica poterit indici purgatio ſecundùm arbitrium judicantis, qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet cujus apud bonos & graves læſa opinio non exiſtit. Tu denique, frater Epiſcope, ſuper te ipſo & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, ut in noviſſimo diſtricti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique juxta opera ſua, dignam poſſis reddere rationem. Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

** Sequens vox deeſt in codice S. Remigij Rem.*

**Cod. S. Remigij:* Ad quæ etiam certa reſponſio eſt,

EPISCOPO ET ABBATI ſancti Vedaſti Atrebatenſis, & magiſtro H. de Atrebato Canonico Atrebatenſi.

Eſt in Conſtitut. quædam ſententia.

ACcedens ad noſtram præſentiam dilectus filius magiſter A. venerabilis fratris noſtri Noviomenſis Epiſcopi procurator, vir providus & diſcretus, propoſuit coram nobis quòd cùm olim cauſam quæ inter eundem Epiſcopum ex parte una & dilectos filios Capitulum Eccleſiæ ſancti Quintini Noviomenſis dioceſis ſuper ſubjectione ipſius Eccleſiæ, quam idem Epiſcopus aſſerit dioceſano ſibi jure ſubeſſe, ac propter hoc ipſum Capitulum ad obediendum ei ut Epiſcopo proprio in ſententiis interdicti & aliis debere compelli, ex altera vertitur, lite priùs in noſtra præſentia conteſtata, vobis, frater Epiſcope, & dilectis filiis Abbati ſancti Vedaſti Atrebatenſis ac magiſtro ſcholarum Tornacenſi duxerimus committendam, vos, quia pars Capituli juriſdictionem veſtram eludere ac proceſſum impedire judicij frivolis exceptionibus ſuper conteſtatione litis oppoſitis nitebatur, ipſum Capitulum pro ſua contumacia interdicti ſententiæ ſubjeciſtis; quam cùm iidem temerè violarint, petebat Epiſcopi procurator ut faceremus eandem firmiter obſervari, violatores ipſius pœna canonica percellentes, ut in eis pœna creſceret in quibus creviſſe contumaciam aſſerebat. Procurator autem ejuſdem Capituli litem fuiſſe conteſtatam inficians ex adverſo reſpondit quòd cùm tu, frater Epiſcope, ac fili Abbas, ſe conjudice tertio excuſante, exceptiones legitimas pro ſua parte propoſitas nolletis admittere, tamquam ab evidenti gravamine ad ſedem fuit apoſtolicam pro ipſo Capitulo appellatum. Vnde prædictam dicebat ſententiam penitùs nullam eſſe, nec etiam ſententiæ

tentiæ nomen habere mereri, cùm præter rationabilium exceptionum & legitimæ appellationis obstaculum fuerit promulgata. Propter quod humiliter supplicabat eandem irritam nuntiari. Auditis igitur & intellectis iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis, pronuntiavimus litem per procuratores partium alia vice propter idem negotium nostro conspectui præsentatos fuisse legitimè contestatam, & decernentes appellationem ad sedem apostolicam super hoc interpositam ex parte supradicti Capituli non tenere, præfatam interdicti sententiam duximus approbandam, ipsius violationem nostræ reservando censuræ, si forsan eam dictum Capitulum non servavit; teque, fili magister H. subrogato loco prænominati magistri scholarum, eandem causam vobis committimus terminandam, per apostolica scripta mandantes quatenus ex parte Capituli supradicti quòd juri pareat sufficienti cautione recepta, memoratam interdicti sententiam relaxetis, & in aliis juxta formam prioris nostri mandati ratione prævia procedentes, causam ipsam, si de partium processerit voluntate, fine canonico terminetis. Alioquin eam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent justam dante Domino sententiam recepturæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, frater Episcope, & fili Abbas &c. Datum Laterani XIV. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PRVLIACENSI CISTERCIENSIS ordinis & sanctæ Columbæ & sancti Satyri Abbatibus Senonensis & Bituricensis diocesum.

Epist. 193. Ejusdem argumenti cum epistola 144.

CVm olim grandes & graves, deformes & enormes injuriæ quas Gaufridus tunc Prior & conventus monasterij de Caritate dilecto filio Cluniacensi Abbati dicebantur temerè irrogasse seriatim fuissent expositæ coram nobis, nos eisdem in apostolicis literis per ordinem comprehensis, venerabilibus fratribus nostris Trecensi & Meldensi Episcopis ac dilecto filio Latiniacensi Abbati per ipsas dedimus litteras in præceptis ut ad locum ipsum personaliter accedentes, & inquirentes super iis pleniùs veritatem, si rem invenirent taliter se habere, latam propter hoc in dictum Gaufridum depositionis à regimine prioratus sententiam auctoritate apostolica confirmantes, & approbantes nihilominus substitutionem de Willelmo in ipsius loci Priorem & damnationem sigillorum eorundem Gaufridi ac conventus per diffinitores generalis Capituli factam, excommunicationis sententiam in jamdictum Gaufridum ac ejus complices promulgatam ab ipsis facerent usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, contradictores quoslibet aut rebelles, sive monachi sive clerici seu laici essent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Cùm igitur iidem judices ad prædictum monasterium accessissent mandatum apostolicum impleturi, monachi loci ejusdem, sicut nuper Helias monachus & magister Guido procuratores Cluniacenses in nostro auditorio recitarunt, ipsis januas monasterij, quemadmodum Abbati Cluniacensi fecerant, obserantes, eosdem ingredi nullatenus permiserunt. Ipsi verò mandatum nostrum exequi cupientes, in villa ipsius loci curaverunt super propositis inquirere sollicitè veritatem; & cùm plenè constitisset eisdem præfatos monachos ea quæ de ipsis nobis insinuata fuerant & graviora etiam commisisse, dictam depositionis sententiam, ac substitutionem Prioris, damnationem etiam sigillorum, appellatione cujusdam qui se pro conventus procuratore gerebat reputata frivola, confirmarunt, excommunicationis sententiam in sæpedictum Gaufridum ac ejus complices promulgatam præcipientes firmiter observari. Sed ipsis divina nihilominus officia celebrantibus, iidem judices attendentes quòd per districtionem canonicam eorum emollire duritiam non valebant, carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem per suas litteras rogaverunt ut nobilem virum Comitem Nivernensem, qui dictos monachos in hujusmodi fovere malitia videbatur, ab ipsorum injusto favore compescens, regali potentia insolentiam comprimeret eorundem. Cùm ergo idem Rex præfato Comiti præcepisset ut substituto Priori temporalia faciens assignari, dictos monachos in sua ulteriùs malitia non foveret, ac idem mandatum differret regium adimplere, Rex zelo justitiæ ac fervore nostræ devotionis accensus, contra dictum Comitem, cujus fulti potentia monachi memorati latis auctoritate nostra sententiis temerè obviabant, præcepit exercitum congregari; cujus metu licèt temporalia dicto Priori per præfatum Comitem fuerint assignata, monachi tamen in sua nihilominus contumacia persistentes, tam ipsi Priori quàm

Cluniacensi Abbati debitam exhibere obedientiam contradicunt. Vnde nobis humiliter supplicarunt ut ad rebellionem hujusmodi edomandam apostolicam manum apponere dignaremur. Pro monachis verò de Caritate fuit à Iohanne & Nicolao monachis procuratoribus eorundem ex adverso responsum quòd jamdictis sententiis in eorum Priorem & ipsos post appellationem ad nos legitimè interpositam promulgatis, Cluniacenses nuntij prævenientes terminum qui fuerat ad prosequendam appellationem præfixus, nostras ad præfatos judices litteras impetrarunt, multis expressis mendaciis, & suppresso quòd ipsi Episcopi, nostro non expectato mandato, quod in litteris continebatur eisdem jamdudum auctoritate propria fuerant executi. Licèt autem dicti Prior & monachi non solùm suspectos haberent judices memoratos, verùm etiam manifestos adversarios reputarent, pro reverentia tamen apostolicæ sedis ipsos in monasterio cum moderato numero sociorum benignè ac devotè recipere voluerunt. Sed quia ipsis à pluribus fuerat nuntiatum quòd Abbas & monachi Cluniacenses, qui non parva multitudine stipati advenerant, monasterium per violentiam decreverant occupare, iidem volentes hujusmodi obviare periculo, præfatis judicibus humiliter supplicarunt & obtinuerunt ab eis ut in eorum Ecclesia sancti Petri sita juxta idem monasterium convenirent. Partibus igitur ibidem in eorum præsentia constitutis, monachorum proposuit procurator quòd dicti judices litterarum nostrarum auctoritate procedere non debebant; quia si nobis referatum fuisset eosdem quod mandabamus in ipsis auctoritate jam esse propria executos, causam nullatenus commisissemus eisdem. Vnde cùm impetratores ipsarum talem suppresserint veritatem qua expressa jam dictas litteras ad ipsos minimè impetrassent, eis non erat auctoritate illarum ullatenus procedendum, præsertim cùm ejusdem monasterij nuntij propter hoc dudum ad sedem apostolicam accessissent; opponens nihilominus alias exceptiones legitimas, & multiplices contra eos causas suspicionis allegans, ad quas probandas arbitros postulavit instanter, quibus, contempto jure canonico pariter & civili, sibi penitùs denegatis, nostram audientiam appellavit, personas & bona monasterij sæpedicti apostolicæ protectioni supponens. Sed iidem nihilominus uno eodemque die ad receptionem & publicationem testium, deliberationem consilij, & decisionem negotij temerè properantes, quod per Abbatem & diffinitores prædictos factum extiterat pro suæ voluntatis libito confirmarunt. Ad hæc apostolici mandati finibus non contenti, cùm Comitem supradictum ad oppressionem monasterij, utpote qui processus iniquitatem noverat, inculcatis precibus & præceptis inducere nequivissent, ad Regem se convertere prædictum, & regiam puritatem circumvenire multipliciter præsumpserunt, suggerentes eidem veritati contraria, & ipsum quasi ex parte nostra precibus onerantes. Qui credens eosdem accensos zelo justitiæ sic instare, Comiti memorato præcepit ut substituto W. prædicta temporalia faceret assignari. Sed viris peritis, quorum consilium idem Comes accedens Parisius sollicitè requisivit, processum judicum prædictorum extitisse iniquum concorditer respondentibus, eodemque Comite propter hoc mandatum regium exequi differente, Rex ipsorum judicum & Cluniacensis Abbatis suggestionibus iterum circumventus, contra Comitem sæpedictum præcepit exercitum congregari; & sic Comes vi metuque compulsus ad monasterium accessit cum regio Marescalco circa mandatum Regis quàm propriam voluntatem & conscientiam expleturus. Monachi verò subitò visa multitudine armatorum conterriti, se vestibus ecclesiasticis induerunt, & sic induti occurrerunt ad monasterij portas, opponentes armatis imagines crucifixi & reverendas sanctorum reliquias, ac ipsum Christi corpus sanctissimum obtendentes, ac ex parte Dei & nostra prohibentes eisdem ne monasterium apostolicæ protectioni suppositum præsumerent violare. Qui licèt primò facinus exhorruerint, postea tamen per alium competentiorem aditum calcata reverentia irrumpentes, sacras Ecclesiæ valvas ausu nefario confregerunt, & insano tumultu singula perscrutantes, præfato W. assignaverunt granarium, cellarium, dormitorium, & officinas monasterij universas, fratres loci ejusdem vix in oratorio claustri, quò stupefacti confugerant, relinquentes, ubi necessariis nova eis inhumanitate subtractis, & prohibito ne quisquam ipsis audeat aliquid ministrare, in tantæ sunt necessitatis articulo constituti ut ad vitæ sustentamentum non habeant nisi quod quidam boni viri eisdem misericordia moti furtim porrigunt per fenestras. Vnde nobis fuit ex parte ipsorum humiliter supplicatum ut

tam gravi calamitati & calamitoso gravamini secundùm consuetam apostolicæ sedis clementiam succurrere dignaremur. Nos igitur iis & aliis quæ à partibus fuere proposita plenius intellectis, quia manifestè cognovimus prædictos judices perperam processisse, cùm, ut exceptiones alias taceamus, causam nullatenus commisissemus eisdem si nobis revelatum fuisset quòd ea quæ per ipsos exequenda mandavimus auctoritate propria publicè denuntiaverant per dioceses suas, & districtè mandaverant observari, unde occasione rescripti per talem subreptionem obtenti nequaquam procedere debuissent, quia etiam fines nostri excedentes mandati, brachij secularis auxilium invocarunt, dum eorum ad nos appellatione pendente partes super ipsorum processu in nostro auditorio litigabant, cùm etiam graviter posset impediri ecclesiastica utilitas & libertas, si quolibet judice imperito forsan aut etiam malitioso temerè jaculante sententiam, Rex seu quicunque alius Princeps ad ecclesiastica bona manum extenderet, quasi eandem executioni sententiam mandaturus, ac etiam ex hoc grave posset inter sacerdotium atque regnum scandalum generari, quicquid ab eisdem judicibus taliter factum est vel ab aliis per studium eorundem, de fratrum nostrorum consilio irritum decrevimus & inane. Verùm quia per expressam confessionem monachorum de Caritate nobis constitit evidenter Cluniacensem Abbatem possessionem instituendi ac destituendi pro suæ libito voluntatis in monasterio de Caritate Priores, & corrigendi ac ordinandi quæ corrigenda vel ordinanda vidisset, per viginti annos, licèt ipsi monachi de Caritate eandem usurpatam asserant, habuisse, nos exigente justitia sibi ejusdem possessionis commodum conservantes, tam destitutionem dicti Gaufridi à regimine prioratus quàm subsstitutionem præfati W. & sigillorum damnationem jamdictam, excommunicationis quoque sententiam quam in eundem Gaufridum & ejus complices idem Abbas propter rebellionem hujusmodi promulgavit, auctoritate apostolica duximus confirmandas. Ideoque monemus quatenus præmissas destitutionis & institutionis ac damnationis sigillorum sententias facientes per censurã ecclesiasticã sublato appellationis obstaculo firmiter observari, ac thesaurum, privilegia, libros, chartas, & universa ecclesiastica ornamenta, à quibuscunque alienata fuerint vel subtracta, monasterio restitui memorato, dicto Abbati ex parte nostra firmiter injungatis ut possessionibus & aliis quibus monachi memorati per dictos Comitem & Marescalcum seu quoscunque alios spoliati fuerunt, eorum Priori ac ipsis plenariè restitutis, eisdem beneficium absolutionis impendat, & paterna ipsos benignitate pertractet, ac possessiones alienatas in enormem ejusdem monasterij læsionem ad jus & proprietatem ipsius secundùm formam in nostris litteris comprehensam, juxta quod in nostra præsentia ejus monachi anno præterito promiserunt, studeat revocare. Ceterùm si dicti Prior & monachi de Caritate omnes, vel major aut sanior pars eorum, super libertate monasterij sui de jure voluerint experiri, nos eos benignè, cùm requisiti fuerimus, audiemus, sicut videbimus expedire. Taliter autem satagat ipse Abbas pacificare ac reformare statum monasterij memorati, conservando rationes & immunitates ipsius, ne nos propter ejus negligentiam aut insolentiam compellamur de ipso monasterio aliud ordinare. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, filij Abbates &c. Datum Laterani XIV. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

NOBILI MVLIERI Mathildæ quondam uxori Philippi Comitis Flandrensis.

Epist. 194. Ius patronatus concedit, præbendarum collationem negat.

ETsi precibus tuis favorem præstare secundùm Deum benevolum intendamus, eas tamen quas repellit justitia nos admittere non debemus, cùm ejus locum qui justus est & justitiam diligit, licèt immeriti, teneamus in terris. Oblata quidem nobis ex tua parte petitio continebat quòd cùm in quodam loco tui dotalitij, Nepa nomine, ad honorem Dei Ecclesiam fundare proponas & de bonis tuis sic plena manu dotare quòd Canonicis qui Deo ibidem pro tempore servient necessaria vitæ non desint, jus patronatus & præbendarum collationem in ea tibi ac successoribus tuis reservari petebas. Quorum primum admittimus. Secundùm verò non duximus concedendum, cùm tuæ non expediat saluti concedi. Quia cùm ex devotione te asseras assumpsisse propositum in loco prædicto Ecclesiam construendi, acquires eò plus animæ quò minus in ea corpori reservabis. Vnde devotionem tuam exhortamur in Domino quatenus illud perficere studeas quod ad tuam salutem & ecclesiasticam pertinere dinoscitur honestatem.

Datum Laterani 11. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

EPISCOPO TERVISINO.

Epist. 195. Ei concedit administrationem temporalium. Vide infrà epist. 197. & lib. 16. epist. 19. 160.

LIcèt venerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicæ sedis Legatus te ab administratione temporalium propter dilapidationis suspicionem duxerit suspendendum, quia tamen mandatum ipsius nondum ad te pervenisse proponitur, præsentium tibi auctoritate concedimus ut donec super hoc mandatum recipias Episcopi memorati, dummodo non impedias quò minùs idem ad te possit pervenire mandatum, Ecclesiæ tuæ negotia fideliter administres; fraternitati tuæ nihilominus injungentes quatenus contra Guertium & quoslibet alios possessionum ejusdem Ecclesiæ invasores pro ipsarum defensione te opponas efficaciter & prudenter. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani v 1. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ABBATI SANCTI REMIGII, H. Archidiacono & magistro G. Canonico Remensibus.

Epist 196. De electione Episcopi Virdunensis. Vide lib. 11. epist. 161.

COnstitutis in nostra præsentia dilecto filio Anselmo Abbate sanctæ Mariæ de Stanno Præmonstratensis ordinis procuratore venerabilis fratris nostri Virdunensis Episcopi ex parte una, & magistris H. & G. Canonicis Ecclesiæ Virdunensis ex altera, pro parte fuit Episcopi propositum coram nobis quòd cùm causam quæ inter eundem Episcopum super electione ipsius & dictos Canonicos ac A. eorum consocium vertebatur venerabili fratri nostro Meldensi Episcopo & suis conjudicibus sub certa forma duxerimus committendam, ac coram eisdem judicibus in negotio procederetur eodem, quibusdam viris religiosis interponentibus partes suas ut ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ Virdunensis inter eos posset concordia reformari, bonorum virorum consilio habito, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, in venerabiles fratres nostros Catalaunensem, Lingonensem, & Trecensem Episcopos ac dilectum filium Abbatem Trium fontium compromiserint juramento interposito sub hac forma, videlicet quòd ea quæ super illo negotio dicti Episcopi cum Abbate simul & concorditer usque ad festum Purificationis statuerent, ipsæ partes firmiter observarent, ita tamen si usque ad festum Pentecostes quod illi decernerent impleretur, alioquin liceret litigantibus ad causæ munimenta reverti, Episcopi verò & Abbas jamdicti procedere noluerunt quousque intellexerunt nostro speciali responso nos in patientia sustinere ut juxta quod in eos fuerat à partibus compromissum, dummodo nihil penitùs attentaretur contra Deum & canonicas sanctiones, in negotio procederent supradicto. Qui tandem concorditer decreverunt ut in episcopatu Virdunensi Episcopus remaneret ac magistrum I. de Vitreio usque ad festum Pentecostes in spiritualibus assumeret adjutorem. Sed licèt illum diligentissimè requisitum Episcopus habere non posset, cùm alium idoneum recipere sit paratus, petebat procurator ejusdem ut quod præfati Episcopi cum Abbate decreverant dignaremur apostolico munimine roborare. Ad hæc verò dicti Canonici responderunt præscriptum compromissum minimè tenuisse, quia sicut de famoso delicto vel ære de qua publicum est judicium constitutum non est eundum ad arbitrium secundùm legalia instituta, sic & in hujusmodi spiritualibus de jure non potuit in arbitros compromitti, qui minùs idoneum nec per dispensationis gratiam tolerare nec amovere per rigorem justitiæ potuissent, cùm ista in talibus sedes apostolica sibi specialiter reservarit. Allegabant præterea quòd etiamsi compromissio tenuisset, cùm tamen arbitrium infra diem præfixum latum non fuerit nec constituto tempore adimpletum, conditione non existente appositâ, stare arbitrio minimè tenebantur; præsertim cùm fuerit, ut dicebant, evidenter iniquum, eò quòd cùm in talento scientiæ specialiter debeat Domino negotiari Prælatus, ac nimium patiatur litteraturæ defectum Episcopus supradictus, aliisque de causis electio ejus caruerit robore firmitatis, eum sub spe auxilij alieni, coadjutoris videlicet, in honore ac onere pastoralis officij tolerari & Deo fuit contrarium & honestati ecclesiasticæ inimicum. Pro tertio quidem socio adjecerunt ipsum nec arbitros compromisisse prædictos, nec ratum ipsorum arbitrium habuisse, cujus ad minus nomine procuratores existentes ipsius, dicta testium quæ memorati Meldensis Episcopus & sui conjudices ad sedem apostolicam destinarant publicari petebant, ut idem posset negotium in nostra præsentia terminari. Pars autem adversa respondit quòd hæc causa, licèt spiritualis existeret, satis tamen canonicè potuit per dictorum ordinationem de-

cidi, quos non ut arbitros, sed pacis provisores, viris religiosis mediantibus elegerunt; qui approbare poterant electionem ac consecrationem Episcopi cui nihil obviabat de canonicis institutis, & etiamsi fortè minùs idoneum invenissent, tacitè reprobare, mandantes eidem sub debito præstiti juramenti ut cedendi licentiam à sede apostolica postularet. Diem quoque prædictorum ordinationi præfixum dicebat fuisse de voluntate partium prorogatum eo ipso quòd suspendi processum negotij voluerunt donec super eo sedem apostolicam ordinatores consuluere præfati. quod infra diem statutum fieri non valebat; præsertim cùm utraque pars etiam post terminum instanter petierit à provisoribus antedictis ut ordinationis suæ beneplacitum promulgarent. Ex eo autem quòd ordinatum ab illis de coadjutore præfato non fuit impletum tempore quo debuit adimpleri, proponebat idem procurator nullum Episcopo præjudicium generari, quòd nec fuit in mora nec aliqua negligentia laboravit, dans operam juxta posse ut memoratum assumeret adjutorem. Vnde cùm verisimile minimè videatur ut partes ad id quod suæ possibilitatis fines excederet se intellexerint obligare, nec imputari debeat voluntas alterius ei cui propria voluntas non defuit, quoad ipsum pro impleto debebat haberi, ad instar ejus qui ea conditione institutus est heres, si dederit decem, quo dare parato, si accipere nolit cui jussus est solvere, habetur conditio pro impleta; nec per hoc quòd ei provisus est coadjutor, insufficiens quoad scientiam esse probatur; sed cùm propter imminentis temporis tempestatem oporteat eum mundanis necessitatibus occupari, ac per hoc minùs sufficiat spiritualium sollicitudinem exercere, quod per se ipsum non poterat, utile videbatur & erat ut per alium expediret; cùm & Apostolus coadjutorem suum asserat fuisse Clementem, qui tamen ob hoc non præsumitur insufficiens extitisse. Quare petebat Episcopi procurator imponi adversæ parti silentium, ne per contentiones hujusmodi fatigaretur diutiùs Ecclesia Virdunensis; ad cujus commodum & quietem ut plenè dissensiones & jurgia sedarentur, quæ tunc eidem Ecclesiæ imminebant, pars habuit utraque respectum tempore compromissi, sicut ab ipsis accepimus in nostra præsentia constitutis. Auditis igitur iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis, sic duximus providendum; ut vos, quibus in hac parte vices nostras committimus, inquiratis diligentissimè veritatem, & si vobis constiterit quòd ex ea causa & in eo casu provisus fuit eidem Episcopo coadjutor ex qua & in quo dari debuit secundùm Deum & canonicas sanctiones, utpote si fortè pro senectutis defectu vel perturbatione temporis, ut dictum est, seu alio impedimento consimili præpeditus sufficere non possit ad plenum laboribus officij pastoralis, & operam diligentem infra tempus statutum impendit ut provisum sibi assumeret adjutorem, ac tertius prædictorum Canonicorum consocius compromisit in provisores præfatos, seu ratum habuerit vel adhuc ratum velit habere quod ordinatum est ab eisdem, adhibito ipsi Episcopo prædicto magistro I. vel alio viro idoneo loco suprascripti magistri, ordinationem faciatis prædictam auctoritate apostolica firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si per eundem stetit Episcopum quò minùs coacceserit ei deputatus adjutor, seu tertius prædictorum Canonicorum in provisores non compromisit eosdem, nec ordinationem ipsorum ratam habuit nec velit habere, cùm ejusdem etiam nomine in eodem negotio sit processum, vos auditis & examinatis depositionibus testium quos suprædicti Meldensis Episcopus & sui conjudices receperunt, & intellectis hinc inde propositis, habentes præ oculis solum Deum, causam fine canonico appellatione postposita terminetis. Ceterùm si non ex ea causa & in eo casu de coadjutore fuit Episcopo memorato provisum ex qua & in quo secundùm Deum & instituta canonica debuit provideri, ut si competentis litteraturæ defectum, cujus sufficientia specialiter exigitur in Prælato, vel aliud impedimentum canonicum idem Episcopus patitur, in quibus casibus vel similibus, etiam prædictis tacentibus, de nostro procederemus officio contra ipsum, vos, cùm animal cœcum vel claudum Deo non sit secundùm legis testimonium offerendum, ipsum appellatione cessante ab ejus sanctuario depellatis, facientes Ecclesiæ Virdunensi de persona idonea per electionem canonicam provideri. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundùm opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani

XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

MAGISTRO MAXIMO Notario nostro, & Venturæ Thesaurario Veronensi, Subdiaconis nostris, & Primicerio Gradensi.

Epist. 197. De negotio Episcopi Tervisini. *Vide supra epist. 195.*

VEnerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicæ sedis Legatus olim apostolatui nostro insinuare curavit, quibusdam publicis scriptis nobis ad suæ insinuationis assertionem transmissis, quòd idem inquisitionem dudum à bonæ memoriæ Gerardo Albanensi electo super dilapidatione ac aliis de quibus infamatus erat venerabilis frater noster Episcopus Tervisinus inceptam juxta commissæ sibi legationis officium prosecutus, per idoneos testes didicerat manifestè quòd cùm idem Episcopus Tervisinam Ecclesiam octo millium & quadringentarum librarum oneratam debito invenisset, idem debitum ipsum plusquam totidem librarum millibus ampliarat, quamquam .. tria millia librarum ex alienatis possessionibus & collecta quam fecit in Clericos habuisset, præter tria librarum millia quæ de proventibus episcopatus perceperat annuatim, & octingentas libras quas de quodam receperat molendino alienato in enormem ipsius Ecclesiæ læsionem. Propter quod idem Legatus ipsum habens de dilapidatione suspectum, eundem à temporalium administratione suspendit, quibusdam collationibus præbendarum & institutionibus quas in Tervisina Ecclesia de filiis excommunicatorum & aliis personis minùs idoneis eundem asserebat illicitè attentasse penitùs irritatis. Vnde nos eidem Legato nostris dedimus litteris in mandatis ut ea quæ providè super suspensione ipsius Episcopi & institutionum hujusmodi cassatione statuerat faciens firmiter observari, super aliis locum & terminum assignaret eidem Episcopo competentem; in quo, tributa sibi copia defendendi, diligenter audiret quæ coram ipso duceret proponenda, & quod canonicum esset nostra decerneret auctoritate suffultus. Si verò idem Episcopus ad nos forsan duceret appellandum, ei terminum ad appellationem præfigeret prosequendam, totius negotij seriem & processum nobis fideliter rescripturus. Quòd si appellationem emissam idem Episcopus infra terminum sibi præfixum persequi fortè negligeret, idem Legatus in negotio ipso appellatione remota procederet prævia ratione. Nuper autem idem Episcopus ad apostolicam sedem accedens in nostra proposuit præsentia constitutus se ab eodem Legato fuisse multipliciter & injustè gravatum; qui cùm super objectis eidem plena fuisset inquisitio facta per dictum Albanensem electum, per quam ipse Legatus sufficienter instrui potuisset, idem inimicorum ejus instantiæ plus debito acquiescens, ad inquisitionem de novo contra eundem Episcopum faciendam post appellationem ad nos legitimè interpositam pro sua voluntate processit, personis ad ejusdem accusationem admissis quibus super iis de quibus coram ipso Legato infamare nitebantur eundem impositum fuerat olim silentium per judices à sede apostolica delegatos, & receptis nihilominus quibusdam ad testimonium contra eum meritò suspectis eidem & aliàs jure à testimonio repellendis. Ipsa quoque inquisitio eodem absente in loco sibi suspecto, utpote in quo erat inimicorum ejus potentia & frequentia, facta fuit, inquisitoribus in partem alteram adeo declinantibus ut dicta testium quæ pro ipso facere videbantur aut omnino non scriberent, aut scribentes mutatione aliqua depravarent. Vnde nobis idem Episcopus humiliter supplicavit ut ipsius Legati processum tamquam iniquum penitùs revocantes, negotium ipsum personis suspicione carentibus, Guertio ejus & Ecclesiæ suæ ut asserit persecutore notissimo aliisque personis meritò suspectis eidem tam à testimonio quàm accusatione, diffamatione, vel denuntiatione repulsis, committere dignaremur. Quoniam igitur ab ipsius Episcopi justis querelis & precibus auditum avertere nec possumus nec debemus, quos susceptæ servitutis officium debitores constituit universis, mandamus quatenus assignatis eidem Episcopo loco & termino competenti, & vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, plenam ipsi Episcopo defendendi copiam tribuatis, & facientes exhiberi vobis inquisitionem factam per præfatum Albanensem electum, tam ipsam quàm illam quam fieri fecit supradictus Episcopus Cremonensis examinetis perspicaciter & prudenter, & quæ super præmissis & aliis coram vobis proposita fuerint plenius intellectis, ad canonicam sententiam proferendam, si de ipsius Episcopi voluntate fuerit, remoto appellationis obstaculo procedatis. Quòd si fortè idem Episcopus nostrum maluerit subire judicium, sub sigillis vestris transmittatis nobis fideliter totius negotij seriem & processum, ut de vultu nostro procedat judi-

cium æquitatis. Quia verò Legatus eundem Episcopum habens de dilapidatione suspectum, ipsum, ut dictum est, à temporalium administratione suspendit, nos episcopatui pariter & Episcopo paterna volentes sollicitudine providere, mandamus quatenus interim eandem administrationem aliquibus de Capitulo Ecclesiæ Tervisinæ utilibus & idoneis ad hoc auctoritate apostolica committatis, qui proventus episcopales & alia colligentes fideliter & servantes, necessarias & moderatas expensas de ipsis proventibus Episcopo sine difficultate ministrent, omnem omnino alienationis speciem interdicentes eisdem, recepto ab eis super hoc corporaliter juramento. Si verò dictus Guertius aut soror ejus possessiones seu alia bona Ecclesiæ Tervisinæ temerè occupavit, vos ad restitutionem earum per censuram ecclesiasticam appellatione remota veritate cognita compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PISTORIENSI EPISCOPO.

Epist. 198 Confirmat cõsuetudinem quandam Ecclesiæ Pisanæ.

VEnerabilis frater noster Pisanus Archiepiscopus per suas nobis litteras intimavit quòd in ejus Ecclesia fuit ab antiquis temporibus observatũ ut nullus in Canonicum reciperetur ejusdem nisi priùs Ecclesiis, si quas haberet in Pisana dioceſi, resignatis; ut per hoc subtracta eis evagandi materia, quasi necessitate interposita residendi, sedula ipsi Ecclesiæ obsequia exhiberent. Nunc autem Canonici ejusdem Ecclesiæ quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi, per amicos suos ambitiosè procurant ut ad Ecclesias quas in præfata dioceſi vacare contingit contra dictam consuetudinem eligantur. Propter quod Pisana Ecclesia debitis obsequiis defraudatur, & erga eam populi devotio refrigescit. Vnde nobis humiliter supplicavit ut V. Pisano Canonico, qui nuper est in Plebanum Ecclesiæ Calcensis electus, super eadem silentium imponentes, præfatam consuetudinem observari firmiter faceremus; præsertim cùm ex Ecclesiæ Pisanæ proventibus ejusdem Canonici valeant congruè sustentari. Quocirca mandamus quatenus sollicitè de consuetudine inquirens præfata, si eandem fuisse talem constiterit, & Ecclesiæ memoratæ proventus ad congruam provisionem Canonicorum sufficiunt prædictorum, præcipiens eandem consuetudinem inviolabiliter observari, jam dicto Canonico super plebe jamdicta perpetuum silentium sublato appellationis impedimento imponas. Testes autem qui fuerint nominati &c. Tu denique frater Episcope &c. Datum Laterani II. Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO MELDENSI, sancti Pharonis Meldensis & de Latiniaco Parisiensis dioceſum Abbatibus.

Epist. 199. Adversùs fraudem crucesignatorum.

INsinuante Mathilda nobili muliere quondam uxore inclytæ recordationis Philippi Comitis Flandrensis nos accepisse noscatis quòd cùm H. mercator in nundinis Insulæ à quibusdam suis creditoribus super debitis traheretur in causam, res suas de mandato judicum ejusdem loci detentas petiit in pace dimitti, asserens in eodem foro se juri per omnia pariturum. Cùmque respondere cœpisset sub examine Scabinorum, & uni satisfecerit creditori, ut instantiam eluderet alterius debitum non modicum exigentis, signum crucis vesti, non menti, latenter affixit, nitens ob hoc judicio se subtrahere inchoato. Iustitiarius autem, ne dolus illius legi loci ejusdem servatæ diutiùs ac juramento firmatæ fraudem pareret in posterum, & ipse de sua malitia commodum reportaret in alterius detrimentum, ipsum modo detinuit consueto, suoque tradidit creditori vinculis astringendum, ut bene detentus redderet quod fugitivus nisus fuerat asportare. Cujus facti occasione venerabilis frater noster Remensis Archiepiscopus memoratum locum suppositit interdicto, personam præfatæ nobilis excommunicari totamque terram illius interdici præcipiens nisi prænominatum H. de sui creditoris manibus eriperet violenter. Propter quod eadem nobilis ad apostolicæ sedis recurrens auxilium, à nobis in hoc suæ provideri justitiæ postulavit; maximè cùm nihil habeat, sicut dicit, in dioceſi Archiepiscopi memorati. Nolentes autem quòd eadem nobilis sui juris dispendium patiatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm ipsa se asserat nihil habere in Remensi dioceſi ratione cujus præfati Archiepiscopi debeat jurisdictioni subesse, nisi per appellationem fuerit ad eum causa delata vel extiterit delegatus, cùm Legatus non fuerit, tam interdicti quàm excommunicationis sententias supradictas cognita veritate, appellatione remota, denuntietis penitùs esse nullas. Alioquin ab eadem nobili quòd juri

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pareat idonea cautione recepta, eaſdem ſententias relaxetis, injuncto nobili memoratæ quod de jure videritis injungendum. Super aliis verò, vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuentes, ſic occurratis malitiis quòd ſalva juſtitia nec lædatur immunitas cruceſignatis indulta, nec immunitatis beneficium ad iniquitatis defenſionem trahatur ab aliquo in alterius læſionem. Nullis litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus à ſede apoſtolica impetratis. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Epiſcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

ARCHIDIACONO GRADENSI, & Archipresbytero Capitis Ageris Clugienſis dioceſis.

Epiſt. 200. Ei confirmatur plebanatus de Rivoalto.

SVpplicavit nobis dilectus filius Petrus Pino Subdiaconus noſter Canonicus ſancti Marci ut cùm venerabilis frater noſter Epiſcopus Cremonenſis apoſtolicæ ſedis Legatus plebanatum Eccleſiæ ſancti Iohannis de Rivoalto, cujus donatio ad nos erat ſecundùm ſtatuta Lateranenſis Concilij devoluta, canonicè ſibi duxerit concedendum, conceſſionem ipſam apoſtolico dignaremur munimine roborare. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus plebanatum ipſum ei, ſicut juſtum fuerit, confirmantes, faciatis ab eo pacificè poſſideri, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo mediante juſtitia compeſcendo. Datum Laterani IV. Non. Ianuarij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

ABBATI SANCTI FELICIS & Archipresbytero Capitis Ageris Torcellanæ & Clugienſis dioceſum.

Epiſt. 201. Similis argumenti.

SIgnificavit nobis.. Archidiaconus Gradenſis quòd cùm plebanatus Eccleſiæ ſancti Apollinaris de Venetiis tanto tempore vacaviſſet quòd ſecundùm Lateranenſis ſtatuta Concilij ad nos ejus erat donatio devoluta, venerabilis frater noſter Epiſcopus Cremonenſis apoſtolicæ ſedis Legatus attẽdens redditus archidiaconatus ejuſdem penè penitùs eſſe nullos, plebanatum præfatum ſibi legationis auctoritate conceſſit. Vnde nobis humiliter ſupplicavit ut conceſſionem eandem apoſtolico dignaremur munimine roborare. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & inquiſita pleniùs & cognita veritate, ſi redditus archidiaconatus ejuſdem adeo eſſe inveneritis tenues & exiles quòd non poſſit de ipſis dictus Archidiaconus congruè ſuſtentari, plebanatum prædictum eidem, ſicut juſtum fuerit, confirmetis, & faciatis ipſum pacifica ejuſdem poſſeſſione gaudere, contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcentes. Tu denique, fili Abbas &c. Datum Laterani IV. Non. Ianuarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

MORINENSI EPISCOPO.

Epiſt. 202. Adverſus ut qui abutuntur privilegio clericali. Cap. Contingit. De ſecularibus.

COntingit interdum quòd dum clericali charactere inſigniti ad turpia lucra divertunt & ſecularibus negotiis ſe immiſcent, clericale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. Sanè, ſicut accepimus inſinuantibus nobili viro Comite Flandrenſi ac nobili muliere Mathilda relicta quondam Philippi Flandrenſis Comitis, in dioceſi tua quidam exiſtunt qui nec in modo tonſuræ nec in veſtium forma nec in qualitate negotiorum de clerico quicquam oſtendunt, ad pœnæ ſubterfugium ſe clericos exhibentes; quia cùm ſuper exceſſibus quos ſeculari luxu committunt ad publica judicia pertrahuntur, circumciſis crinibus, ut poſſint circumvenire vindictam, ſe pro clericis repræſentant, clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulò antè negaverant clericatum; dumque repentina tonſura pœnas eludunt quas intonſi perverſis actibus meruerunt, per impunitatis fiduciam nutritur in eis audacia delinquendi, & dum impune delinquunt, quibuſdam efficiuntur in ſcandalum & aliis in exemplum. Vnde quia privilegium meretur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtra legis auxilium invocat qui committit in legem, volumus & mandamus ut tales, ſi tertiò à te commoniti ſe ipſos contempſerint emendare, illius efficiantur immunitatis expertes quæ pro clericorum tutela & laïcorum violentia coërcenda noſcitur inſtituta. Tu denique, frater Epiſcope &c. Datum Laterani V. Idus Ianuarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

In eundem modum ſcriptum eſt Atrebatenſi Epiſcopo. In eundem modum ſcriptum eſt Tornacenſi Epiſcopo.

ABBATI

ABBATI ET PRIORI Cistercienſibus, & Decano Capellæ Ducis Divionenſis, Cabilonenſis & Lingonenſis dioceſum.

Epiſt. 103. Scribitur pro Decano Divionenſi. *Vide infrà epiſt. 105.*

DIlectus filius I. Decanus Chriſtianitatis Divionenſis in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus quòd cùm olim L. I. & H. Canonicis Capellæ Ducis Divionenſis Lingonenſis dioceſis, non ad correctionem, ſed potiùs ad infamationem ipſius, nobis quædam denuntiantibus contra ipſum, venerabili fratri noſtro Matiſconenſi Epiſcopo & ſuis conjudicibus dederimus in mandatis ut vocatis qui eſſent propter hoc evocandi, quod invenirent ſuper objectis per ſuas nobis litteras intimarent, partibus in ipſorum præſentia conſtitutis, & eodem inficiante Decano quòd denuntiationem ipſam monitio caritativa præceſſerit, & firmiter aſſerente prædictos Canonicos factæ denuntiationis tempore inimicos ejus & æmulos extitiſſe, tandem fuit ad ſedem apoſtolicam appellatum; cujus appellationi memorati judices detulerunt. Idem verò Decanus quorundam religioſorum litteras repræſentans, qui de vita & converſatione ipſius laudabile teſtimonium perhibebant, nobis humiliter ſupplicavit ut occurrere adverſariorum ſuorum malitiæ ac laboribus ejus finem imponere dignaremur. Nolentes autem ipſum indebitè fatigari, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, ſi denuntiatores prefati monitionem caritativam præmiſiſſe ſuper objectis probare nequiverint, aut Decanus ipſe docuerit illos ſuos extitiſſe denuntiationis tempore inimicos, eundem ab illorum denuntiatione, ſublato appellationis obſtaculo, abſolvatis. Alioquin in eodem negotio juxta priorum continentiam litterarum appellatione remota ratione prævia procedatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Tu denique, fili Abbas, ſuper te ipſo &c. Datum Laterani Idibus Ianuarij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

ILLVSTRI REGI CYPRI.

Epiſt. 104. De electione Epiſcopi Nicoſienſis. *Vide infrà epiſt. 206.*

IN litteris nobis ex parte tua per dilectum filium Archidiaconum Famaguſtanum exhibitis querebaris venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham Ieroſolymitanum apoſtolicæ ſedis Legatum electionem de Theſaurario Nicoſienſis Eccleſiæ ſecundùm antiquam conſuetudinem celebratam pro ſuæ voluntatis arbitrio irritaſſe. Sed ſi electionis ipſius merita & dicti Patriarchæ judicium, non in commotione ſpiritus, ſed quietè, ad rationis detuliſſes examen & ſanæ conſcientiæ teſtimonium produxiſſes, approbaſſes utique de jure proceſſum ejuſdem, quem per injuriam niſus es reprobare, nec laboraſſes ad talem proſilire querelam per quam adversùs te ipſum formaſti tacitè quæſtionem, uno eodemque libello conſtitutus actor & reus. Quia dum non contentus iis quæ Cæſaris eſſe debent, ad ea quæ Dei ſunt manus extendis, actionem contra libertatem Eccleſiæ intentando, de calumnia te reum exhibes apud Deum, ſuper ingratitudine nihilominus reconventum, eò quòd Eccleſiam, quæ te per ſacramentum baptiſmi, ſolutis vinculis ſervitutis quibus morti peccati tenebaris aſtrictus, in libertatem ſalutis eripuit, & regeneravit ad vitam, in duram & aſperam redigere niteris ſervitutem; cùm abſurdum ſit & ingratum ut matrem filius & ſponſam Regis cæleſtis Rex terrenus ancillet, in terra præſertim quæ funiculus Domini hereditatis exiſtit. Ecce Nicoſienſem Eccleſiam tam duræ conditionis ſubicere jugo laboras quòd ei non pateris per electionem canonicam de perſona idonea provideri, ejuſdem Canonicis eligendi neceſſitatem indicens illum quem de duobus tibi nominandis ab ipſis tu primò duxeris eligendum. Sed ſi carnale conjugium liberas exigit contrahentium voluntates, & perſonis ſecularibus ad contrahendum legitimis abſoluti conſenſus non eſt interdicta libertas, ridiculoſum eſt & probroſum ut Eccleſia compellatur alterius contrahere voluntate, ac ſpirituale conjugium de arbitrio pendeat laicali. Porrò, ſicut accepimus, tamquam ad privilegium & auctoritatem iſtius exceſſus inducis uſurpatam à quibuſdam tuis prædeceſſoribus & obtentam hactenus corruptelam, quaſi ſicut & in jura ſic & in injuriam ſuccedere deberes eiſdem, ſi eam ipſi forſitan inferebant. In quo quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, ſed auget, peccati vetuſtas, non rationabilis uſus antiquitas allegatur. Ceterùm quia hæc nec pati volumus nec diſſimulare debemus, præſertim cùm tuæ ſit ſaluti contrarium, ut hæc tibi adversùs te in noviſſimo diſtricti examinis die coram tremendo judice reſerventur, ſerenitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus Nicoſienſes Canonicos perſonam idoneam in patrem & Epiſcopum animarum ſuarum eligere canonicè ſine qualibet contradictione permittas,

Nec credas excellentiæ regiæ aliquid deperire si Regi Regum, qui aufert spiritum Principum & in regno Cypri te secularibus prætulit, sua jura conservans, ecclesiastica non usurpes, quæ ipsi Domino specialiter ascribuntur. Datum Laterani Idibus Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO, ET PRIORI sancti Petri, & Archidiacono Matisconensibus.

Epist. 205. Scribitur pro Decano Divionensi. *Vide suprà epist. 203.*

AD audientiam nostram dilecto filio I. Decano Christianitatis Divionensis significante pervenit quòd nonnulli Iudæi Eduensis, Lingonensis, & Cabilonensis dioceſum super quibusdam debitis, fidejussionibus, & rebus aliis ipsum in seculari foro convenire nituntur, quamquam paratus existat coram ecclesiastico judice stare juri. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, dictum Decanum non permittatis super hoc ulteriùs molestari, quamdiu parâtus fuerit in foro ecclesiastico respondere. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani XIV. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

CAPITVLO NICOSIENSI.

Epist. 206. Ejusdem argumenti cum epistola 204.

SI carnale conjugium liberas exigit contrahentium voluntates, & personis ad contrahendum legitimis absoluti consensus non est interdicta libertas, durum nimis est & absurdum ut Ecclesia non suo sed alieno judicio contrahat, & spiritalis contractus conjugij ex arbitrio pendeat laicali. Sanè, sicut accepimus ex litteris venerabilis fratris nostri Patriarchæ Ierosolymitani apostolicæ sedis Legati, cùm tractaretis de præficiendo vobis aliquo in pastorem, in duos unanimiter conveniſtis, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Cypri primitus nominandos; ut quem ipse priùs de illis duobus eligeret, præficeretis vobis in præsulem electione solemni. Sed cùm hoc canonicis obviet institutis & ecclesiasticæ sit contrarium libertati, idem Patriarcha electionem quam sub tali forma de vestræ Thesaurario Ecclesiæ celebrastis, non personæ, sed electionis vitio, auctoritate nostra irritam nuntiavit. Ceterùm etsi pœnam merueritis, cùm super hoc non sitis immunes à culpa, quos nequit hujusmodi corruptelæ non consuetudinis antiquitas excusare, nos tamen de benignitate sedis apostolicæ agentes vobiscum misericorditer in hac parte, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus convenientes in unum, & sancti spiritus gratia, sicut moris est, invocata, in patrem & Episcopum animarum vestrarum vobis personam canonicè ac concorditer eligatis, quæ prodesse valeat & præesse, per cujus circumspectionem providam & providentiam circumspectam Nicosiensis Ecclesia, præveniente divina gratia & sequente, salubriter valeat in spiritualibus & temporalibus gubernari; cujus electionem, si vestris volueritis parcere laboribus & expensis, memorato Patriarchæ ac venerabilibus fratribus nostris Cæsariensi Archiepiscopo & Episcopo Acconensi, quibus super hoc vices nostras committimus, præsentare curetis; ut ipsi, remoto appellationis obstaculo, confirment vel infirment eandem, secundùm quod de jure fuerit faciendum. Datum Laterani XVIII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est super hoc eisdem usque temporalibus gubernari. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm prædictum Capitulum electionem prædictam vobis curaverint præsentare, vos auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis vel infirmetis eandem, secundùm quod de jure fuerit faciendum. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Patriarcha, Archiepiscope, & Episcope, super vobis ipsis &c. Datum ut suprà.

PATRIARCHÆ & Capitulo Antiochenis.

Epist. 207. Ne quis ex gratia promotionis abutatur.

QVanto Antiochena Ecclesia majori, Domino disponente, præminet dignitate, tanto vobis est sollicitiùs providendum ne fieri contingat aliquid in eadem quod alicujus pravitatis exemplo mentes possit corrumpere subditorum, qui ea quæ vident fieri à majoribus facilè solent trahere in exemplum. Ad nostram siquidem audientiam noveritis perveniſſe quòd cùm aliquis eligitur in Abbatem Ecclesiæ sancti Pauli, vos occasione confirmationis, procurationem extorquetis ab ea trecentorum Byzantiorũ valentiam excedentem. Cùm igitur id canonicam non sapiat puritatem, universitati vestræ auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne procurationem hujusmodi, nisi vobis aliàs debeatur, occasione hujusmodi exigere de cetero ullate-

nus præſumatis. Tu denique, frater Patriarcha, ſuper te i pſo &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ILLVSTRI REGI CYPRI.

Epiſt. 108. Vt à Chriſtianorum oppugnatione deſiſtat.

QVantum expediat ut tibi & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Hieroſolymitano illuſtri, aliis Principibus & Baronibus in ultramarinis partibus conſtitutis ſit in Domino cor unum & anima una, ipſa docere te poteſt circumfrementis barbariæ multitudo, & innumerorum etiam Regum ac populorum exempla, qui leguntur illis ſuccubuiſſe diviſi quibus poterant reſtitiſſe conjuncti. Licèt in hac parte nequaquam exemplis egeas peregrinis, utpote qui manifeſtè cognoſcis quòd inter cetera peccata populi Chriſtiani, quibus exigentibus gentes in hereditatem Domini venientes templum Domini, quod non abſque dolore recolimus, polluerunt, plurimùm nocuit diſcordia & contentio quæ ſuper Principes & magnates ibi conſiſtentes effuſa eos fecit in invio aberrare, dum proprias perſequentes injurias, injuriarum obliti ſunt crucifixi, & per adinventionum ſuarum malitias divinæ majeſtatis oculos provocantes, illo meruerunt ſpoliari theſauro in quo ſolo Apoſtolus gloriatur, cruce videlicet Domini Ieſu Chriſti. Si enim mandata Domini attendentes in unitatis vinculo perſtitiſſent, facta fuiſſet eorum pax juxta verbum propheticum ſicut flumen. Sed dum vir non curat parcere fratri ſuo, dum unuſquiſque carnem ſui brachij devorat, dum tranſgrediuntur leges fœdere diſſipato, terram maledictio devoravit, & habitatoribus ipſius peccantibus, homines pauci relicti ſunt in eadem, coram quibus regionem ipſorum devorant alieni; meritòque timendum eſt ne in iis omnibus nondum ſit Domini furor averſus, ſed adhuc manus divinæ ultionis extenta, cùm populus ad percutientem ſe necdum plenè redierit, ſed quaſi hoſtis deſit, converterit in ſe manus, ibique Chriſtianus Chriſtianum captivare non dubitet ubi tot Principes aliique fideles ſua pro defenſione nominis Chriſtiani corpora tradiderunt, immo etiam ubi ipſe Chriſtus pro nobis tradidit ſemetipſum. Ecce enim tu ipſe, qui eò devotiùs teneris Regi militare cœleſti quò idem tibi majorem contulit poteſtatem, dilectum filium nobilem virum O. conſanguineum dicti Regis & quoſdam alios vaſſalos ejuſdem, qui Sarracenis eos armatis ac igne urgentibus, ad terram tuam quaſi tutum Chriſtiani populi receptaculum confugerunt, carcerali cuſtodiæ, ſicut accepimus, mancipaſti, & ſpreto nomine Chriſti, quod invocatum eſt ſuper eos, ipſos tractari facis adeo inhumanè ut eis nil videatur prodeſſe quòd effugerint ſævitiam barbarorum. Quin immo ipſis ad cumulum doloris accedit, & eorum pœnas hoc ipſum non modicùm exacerbat, quòd ibi repererunt ſupplicium ubi refugium debuerant inveniſſe. Ad hæc, regnum ipſius, homines ſuos, qui ſibi rebelles exiſtunt, contra eum, ut dicitur, manutenendo, perturbas, divinæ legi obviare non metuens, qua quiſque id alij facere quod ipſe ſibi nollet fieri prohibetur. Quia igitur per hoc inter te ac ipſum Regem grave poſſet non ſine populi Chriſtiani periculo & jactura ſcandalum generari, ſerenitatem tuam monemus, rogamus, & exhortamur in Domino, tibique in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus dictum O. & alios Regis memorati vaſſallos, quos licèt non generatio carnis, baptiſmi tamen regeneratio efficit tibi fratres, ob reverentiam beati Petri & noſtram, immo potiùs ob ipſius Chriſti timorem pariter & amorem, à quo nomen tecum accipere meruerunt, liberos abire permittens, ipſius Regis hominibus nullum contra eum impendas auxilium vel favorem, quin immo potenter aſſiſtas eidem ad jura ſua contra perturbatores indebitos defendenda; ut idem ad tuam per hoc amicitiam provocatus, non odiis tecum teneatur contendere, ſed obſequiis; ex quibus utique fructus temporales provenire poterunt & æterni. Taliter autem apoſtolicum audire cures & exaudire mandatum ut te tamquam obedientiæ filium caritatis brachiis fortiùs amplexantes, preces tuas, ſi quas aliquando nobis duxeris porrigendas, admittere meritò teneamur. Datum Laterani VII. Idus Ianuarij, pontificatus noſtri anno decimoquino.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ Templi.

Epiſt. 109. De eadem ꝛc.

QVantum expediat ut vobis & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Hieroſolymitano illuſtri aliiſque Principibus &c. *uſque* alieni. Ne igitur vobis in vos ipſos diviſis terra eadem, quod abſit, ampliùs deſoletur, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino, & per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus Regi prædicto contra quoſlibet regni ſui perturbatores

indebitos fideliter & viriliter assistentes, terram ejus & jura sicut vestra propria defendatis, memores quòd vestra res agitur paries cùm proximus ardet, & dum præfatum nitimini regnum defendere, propriam securitatem noscimini procurare. Nos enim venerabili fratri nostro Patriarchæ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id efficaciter moneat & inducat, & si viderit expedire, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellat. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

In eundem modum scriptum est magistro & fratribus Hierosolymitani Hospitalis. In eundem modum scriptum est Comiti Tripolitano.

Super hoc scriptum est Patriarchæ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato ut eos ad id efficaciter moneat & inducat, & si viderit expedire, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellat.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO apostolicæ sedis Legato, & suffraganeis ejus.

Epist. 210. Vt populos in Regis fide confirment.

QVanto ex dissensionibus Principum & magnatum Ierosolymitanæ provinciæ graviora sæpius discrimina evenisse conspicimus, tanto sollicitiùs quieti ac paci ejusdem intendere affectamus. Ne igitur propter obitum claræ memoriæ .. Reginæ uxoris carissimi in Christo filij nostri Ierosolymitani Regis illustris aut alia quacunque causa regnum ejus, ad cujus regimen vobis postulantibus est assumptus, à quoquam temerè perturbetur, ac per hoc contingat scissuras & scandala in eadem provincia generari, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus universos regni fideles ut in ipsius Regis &.. filiæ suæ fidelitate firmi stabilesque persistant, sedulis exhortationibus inducentes, rebelles, si qui fuerint, aut alios quoslibet ipsius Regis aut regni molestatores indebitos, cùm ab eo fueritis requisiti, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis. Vos denique, fratres Patriarcha & Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani V. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quintode-cimo.

ILLVSTRI REGI Hierosolymitano.

Epist. 211. Hortatur eum ad defensionē terræ sanctæ.

VEnientem ad apostolicam sedem venerabilem fratrem nostrum Sidonien sem Episcopum consueta benignitate recepimus, & super obitu claræ memoriæ ...Reginæ uxoris tuæ nobis nuntiato per ipsum paterno tibi condolentes affectu, ea quæ idem Episcopus super tuis ac regni tui negotiis sollicitè ac prudenter, sicut vir providus & fidelis, proposuit coram nobis, quantum decuit curavimus exaudire. Monemus autem serenitatem tuam, rogamus & exhortamur in Domino quatenus sollicitè pensans discrimina & jacturas quas Hierosolymitana provincia ex dissensione Regum ac Principum consistentium in eadem multotiens noscitur incurrisse, ad arma contra Christianos movenda non quibuslibet pertraharis injuriis aut ampliandi regni cupidine inciteris, sed in sapientia vincens malitiam, & de regno cogitans sempiterno, ad ea pro quibus natalis soli dulcedinem reliquisti, defensionem videlicet terræ sanctæ, tota mente diligenter intendas, nec cautelam in prosperis nec constantiam deserens in adversis; sed omni tempore Dominum benedicens, & petens ab eo ut dirigat vias tuas & omnia consilia tua stabiliat in se ipso, qui suos non solùm à tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat, ut timentibus Deum omnia cooperentur in bonum, & cùm se consumptos putaverint, ut Lucifer oriantur. Nos verò in proposito gerimus & habemus in votis honores tuos & jura tam in cismarinis partibus quam etiam transmarinis defendere & ad subventionem tuam efficaciter, si desuper datum fuerit, laborare. Datum Laterani V. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

ARCHIEPISCOPO NARBONENSI apostolicæ sedis Legato, & Episcopo Regensi, & magistro Theobaldo Canonico Ianuensi.

Epist. 212. De reconciliatione Comitis Tolosani

ETsi resecandæ sint putridæ carnes, ne ad partes sinceras corruptionis contagium extendatur, sic tamen cautè debet & providè manus medentis apponi ut abscidantur ea cautela corrupta quòd sincera per improvidentiam non lædantur. Accepimus sanè per litteras & nuntios carissimi in Christo filij nostri Petri illustris Regis Aragonum quòd postquam adversùs Provinciales hæreticos mandatum apostolicum emanavit, crucesignatis terram ingredientibus Vicecomitis Biterrensis, eidem ipsius Regis subsidium imploranti tamquam domini specialiter dexteram subtraxit auxilij & omnis consilij remedium denegavit, & ne super hoc Ecclesiæ propositum impediret, elegit tunc quibusdam deesse catholicis, ne adesse commixtis hæ-

reticis videretur. Vnde Vicecomes prædictus terram perdidit auxilio destitutus, ad ultimum miserabiliter * interfectus. Tu autem, frater Archiepiscope, ac nobilis vir Simon de Monteforti crucesignatos in terram Tolosani Comitis inducentes, non solùm loca in quibus habitabant hæretici occupastis, sed ad illas nihilominus terras quæ super hæresi nulla notabantur infamia manus avidas extendistis; & cùm ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeritis juramenta, & terras sustineatis inhabitare prædictas, hæreticos illos existere verisimile non videtur. Dicebant præterea nuntij supradicti quòd sic indifferenter aliena contra justitiam minùs providè usurpastis quòd vix remanserit Comiti memorato castrum Montisalbani & civitas Tolosana. Inter ea verò quæ idem Rex sic asseruit occupata, expressis vocabulis designavit terram quam claræ memoriæ Richardus Angliæ in dotem suæ * sororis Comiti dederat supradicto, item terras Comitis Fuxensis, Comitis Convenarum, & Gastonis Bearnensis. Deduxit etiam specialiter in querelam quòd tu, frater Archiepiscope, ac nobilis memoratus, licèt jamdicti tres Comites vassalli Regis ejusdem existerent, ab hominibus terrarum quas iidem amiserant petebatis ut juramentum fidelitatis ex ipsis terris alij exhiberent. Adjecit etiam quòd eum de prælio * Sarracenorum obtenta victoria redeuntem Comes adiit supradictus, & expositis damnis ei per crucesignatos illatis, imputabat suorum merito peccatorum quòd satisfactionem ejus non admittebat Ecclesia, cùm paratus existeret facere quæcunque sibi possibilia mandaremus; & ne solus tantæ confusionis ferret opprobrium, terram, filium, & uxorem sororem Regis ipsius relinquebat eidem, ut eos, si vellet, defenderet vel permitteret exulare. Sed quia ex hoc confusio sibi non minima immineret, & pœna suos tenere debet actores, nec ultra extendi vindicta quàm inveniatur in excedente delictum, humiliter supplicabat Tolosanum comitatum filio memorati Comitis reservari, qui nec unquam venit, nec veniet, Deo dante, in hæreticæ pestis errorem. Promisit præterea quòd tam filium Comitis quàm etiam comitatum in sua tenebit, quandiu nobis placuerit, potestate, ut circa fidem pleniùs instrui & moribus faciat melius informari, & Aragonensem totam terram jamdictam committet ut hæreticæ contagionis sordibus penitùs expurgatam ad cultum plenè reducat fidei orthodoxæ, securitate oblata super iis omnibus observandis quam sedes apostolica decerneret exhibendam. De Comite quoque subjunxit quòd paratus est agere pœnitentiam de commissis, qualem decreverimus injungendam; sive quòd partes adeat transmarinas, sive quòd sit in Hispania circa frontariam contra gentis perfidiam Sarracenæ. Ceterùm quia negotium arduum est, & multa in eo fuit deliberatione processum, ac per Dei gratiam satis est prosperatum, ne de levi, quod absit, deperire valeret quod multis laboribus est patratum, in ipso non debet sine gravi cautela & maturitate procedi. Quocirca mandamus quatenus in loco securo & apto Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Baronum, Consulum, & Rectorum, & aliorum virorum prudentum, quos ad hoc necessarios & idoneos esse videritis, Concilio * convocato, & propositis coram eis quæ Rex proponit & offert, odio, timore, gratia, & amore carnalibus omnino postpositis, quæ super præmissis provisa & deliberata fuerint in communi, & in quo convenerint omnes, vel pars consilij sanioris, nobis fideliter rescribatis; ut intellecto vestro consilio statuamus quæ secundùm Deum viderimus statuenda; cùm videatur proculdubio expedire ut hoc modo vel alio dictæ terræ de rectore idoneo consulatur. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Archiepiscope & Episcope, super vobis ipsis &c. Datum Laterani xv. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

* Vide lib. 12. epist. 108.

* Vide lib. 13. epist. 74.

* Vide supra epist. 182.

* Fuit convocatum apud Vaurum. Vide lib. 16. epist. 39. & seqq.

NOBILI VIRO SIMONI Comiti Montisfortis.

Epist. 233. Vt restituat ablata vassallis Regis Aragonum. Vide lib. 16. epist. 48.

EX parte carissimi in Christo filij nostri Petri illustris Regis Aragonum per nuntios ejus fuit propositum coram nobis quòd tu convertens in catholicos manus tuas, quibus suffeciisse debuerat in homines hæreticæ pravitatis extendi, per crucesignatorum exercitum ad effusionem justi sanguinis & innocentum injuriam provocatum terras vassallorum Regis ipsius, videlicet Comitis Fuxensis, Comitis Convenarum, & Gastonis Bearnensis, in ejus grave præjudicium occupasti; licèt in eis nec hæretici aliqui habitarent, nec habitatores earum super hæreticæ pestis errore infamia conspersisset. Asserebant præterea nuntij Regis præfati quòd cùm ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeris juramenta, & terras patiaris inhabitare prædictas, eos esse catholicos tacitè

confiteris, ut hæreticorum abneges te fautorem; vel hæreticos te fovere quodam modo reſpondes, ſi legitimè occupaſſe terram illorum alleges. Formabant nihilominus ex eo querimoniam ſpecialem quòd dum Rex ſervitio Ieſu Chriſti contra Sarracenos inſiſteret, & effuſioni ſuum & ſuorum ſanguinem exponeret pro reverentia fidei Chriſtianæ, tu bona vaſſallorum ejuſdem in propria uſurpabas, eoque fortiùs ad depreſſionem inſtabas illorum quò minùs Rex poterat eis opem ſuæ protectionis impendere, vires ſuas expendens contra Sarracenæ gentis perfidiam in auxilium populi Chriſtiani. Et cùm adhuc Rex idem partes ſuas contra Sarracenos intendat armare, ut adversùs eos Deo duce tantò efficaciùs poſſit inſurgere quantò majori quoad alios quiete gaudebit, in pace ſibi reſtitui per ſedem apoſtolicam quæ vaſſallorum ejus extiterant poſtulabat. Nolentes igitur ipſum ſuo jure fraudari nec jamdictum ejus propoſitum impediri, nobilitati tuæper apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eidem Regi & vaſſallis ejus terras reſtituas ſupradictas, ne ad tuum ſpecialem, non generalem catholicæ fidei, laboraſſe profectum per retentionem illicitam videaris. Datum Laterani XVI. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

NOBILI VIRO SIMONI Comiti Montisfortis.

Epiſt. 114. Vt Regi Aragonum faciat homagium de civitate Carcaſſonenſi. *Vide lib.* 12. *epiſt.* 108. *& Hiſt. Albig. cap.* 47.

CVm ad mandatum ſedis apoſtolicæ cariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus illuſtris Rex Aragonum in feudum tibi conceſſerit Carcaſſonam, quam ab eo Vicecomes tenuerat Biterrenſis, poſtulabat ut ea ſibi faceres quæ dictus Vicecomes ei ſuiſque prædeceſſoribus facere conſueverat & debebat. Quia verò intentionis noſtræ non extitit quòd ei de jure ſuo per talem feudatarium aliquid deperiret, nec te ſubtrahere debes illius oneribus in cujus quoad feudum ipſum ſucceſſiſti commodum & honorem, cùm poſſeſſionum onera mutari de levi non conſueverint mutationibus poſſeſſorum, quia res cum onere ſuo tranſit, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus quatenus ea dicto Regi facere non recuſes ad quæ memoratus Vicecomes tenebatur eidem: quoniam quantumcunque te in Domino diligamus, ſic tibi nec volumus nec debemus adeſſe ut ipſi Regi deeſſe in ſua juſtitia videamur. Datum Laterani XVIII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

ARCHIEPISCOPO NARBONENSI apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 2[illegible] Commendat ei negotium fidei adversus Sarracenos.

CVm jam captis vulpeculis demolientibus vineam Domini Sabaoth in Provincia, quam virus infecerat hæreticæ pravitatis, & inſtantia bellicæ cladis ſatis per Dei gratiam ſit negotium fidei proſperatum, quia cauſa nunc magis urgens occurrit, expedit ut ad illam manus Chriſtiani populi convertantur. Accepimus ſiquidem quòd Rex Sarracenorum partes ſuas armat ad prælium, nitens eò fortiùs in fidei Chriſtianæ cultores inſurgere quò lapſu graviore ſuccubuit ſub populo Chriſtiano, immo ſub Chriſto cauſam ſuam propitio nobis judicio judicante. Terra etiam quæ funiculus eſt hereditatis dominicæ, cùm auxilio multùm indigeat, expetit & expectat ſuffragia populi Chriſtiani. Quia verò frequenter, & quidem frequentiùs, vires collectę proficiunt in quibus ſparſæ de levi deficerent, ut Chriſticolarum generali ac ſpeciali negotio contra Sarracenę gentis perfidiam tanto efficaciùs intendamus quanto minùs erimus aliis occupati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus habito cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Petro illuſtri Rege Aragonum & tam Comitibus quàm Baronibus aliiſque viris prudentibus, quos ad hoc noveris neceſſarios, de pace ac treugis ſollicito & diligenti tractatu, per pacis fœdera vel treugarum firma ſecuritate vallata ſtudeas diligenter toti Provinciæ providere; ſic quòd per indulgentias ſedis apoſtolicæ, quæ adversùs hæreticos emanarunt, Chriſtianum populum non convoces aut fatiges, niſi fortè à ſede apoſtolica ſuper hoc mandatum ſuſciperes ſpeciale. Tu denique, frater Archiepiſcope, ſupper te ipſo &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

Vide lib. [illegible] big. cap. [illegible]

MAGISTRIS LAMBERTO & Iacobo de Lauduno & Iacobo de Maideires Canonicis Virdunenſibus.

Epiſt. [illegible] De potiori congrua Presbyterorum parochianorum.

AD audientiam noſtram dilecto filio N. Preſbytero ſignificante pervenit quòd cùm animarum cura parrochianorum Eccleſiæ de Noerae ſit ei commiſſa, patronis ipſius Eccleſiæ plena manu recipientibus proventus ſpectantes ad ipſam, ei tam mediocriter eſt proviſum quòd ſuſtentari nequit de aſſignatis ſibi redditibus competenter. Vnde cùm ſit æquitati contrarium ut Eccleſiarum patroni bonis ec-

clesiasticis inebrientur & ministri jejunare cogantur, qui secundùm Apostolum suis non tenentur stipendiis militare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos patronos Ecclesiæ memoratæ, qui proventus ipsius percipere dinoscuntur, ad supplendum eidem Presbytero quod ei deest in beneficio competenti, monitione prævia, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XVI. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est eisdem judicibus ut suprà pro A. Presbytero Ecclesiæ de Mori usque commissa, Prælato ac patronis ejusdem plena manu &c. *usque* competenter. Vnde cùm sit æquitati contrarium ut Ecclesiarum Prælati ac patroni bonis ecclesiasticis &c. *usque* quatenus dictos Prælatum & patronos &c. *usque in finem.*

BERTHOLDO ARCHIDIACONO & Arnulfo & Auberto Canonicis Metensibus.

Epist. 217. Ejusdem argumenti.

EX parte dilecti filij I. Presbyteri Ecclesiæ de Possessa fuit propositum coram nobis quòd cum animarum cura parrochianorum ejusdem Ecclesiæ ipsi canonicè sit commissa, de ipsius proventibus ei tam mediocriter est provisum, patronis ejusdem retinentibus sibi decimas aliosque proventus ad ipsam Ecclesiam pertinentes, quòd nequit ibidem commodè sustentari. Vnde quia Prælati & Ecclesiarum patroni bonis ecclesiasticis inebriari non debent & jejunare ministri, qui secundùm Apostolum militare suis stipendiis non tenentur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus patronos Ecclesiæ memoratæ &c. *ut in alia usque* compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XIV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est Decano, Archidiacono, & Cantori Trevirensibus pro I. Presbytero Ecclesiæ de Bausci usque provisum, Prælato ac patronis ejusdem &c. *usque* quatenus Prælatum & patronos Ecclesiæ memoratæ &c. *ut in alia usque in finem.*

EPISCOPO GLASCVENSI.

Epist. 218. De Clericis promotis ab Episcopis non suis.

ADversùs quosdam Clericos, qui dudum ad sedem apostolicam accedentes, à vicinis Episcopis, Castellano videlicet, & Ortano, Sutrino, & Nepesino, temerè se fecerunt ad sacros ordines promoveri, gravi fuimus indignatione commoti, pro eo maximè quòd quosdam eorum per falsas litteras & simoniacam pravitatem accepimus fuisse promotos. Vnde ordinatores à potestate suspendimus ordinandi, & ordinatis executionem interaximus ordinum taliter susceptorum. Nuper autem quidam ex ipsis Walterus lator præsentium ad nostram revertens præsentiam, cum magno fletu quotidie non cessabat ad nos opportunè importunè clamare, suppliciter obsecrando ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Cui diù nos difficiles exhibuimus & severos in tantum quòd eidem injunximus ut rediret, nec nos super hoc diutiùs molestaret. Sed nec sic ab obsecrationis instantia desistere voluit; quò magis repellebatur à nobis, eò magis apud nos ut miseraremur instabat. Ejus denique nos exemplo qui cùm iratus fuerit non obliviscitur misereri, rigorem mansuetudine providimus temperandum; cùm & ipse, exemplo Iacob luctantis cum angelo, nullatenus nos dimitteret nisi ei benedicere curaremus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatus W. de prædictis duobus criminibus canonicè se purgaverit, falsitate videlicet litterarum & simoniaca pravitate, suspensionis sententiam quam in sic promotos protulimus circa ipsum debeas relaxare; ut si aliàs dignus sit & idoneus, & ei concedere volueris, in tua possit dioceси celebrare. Ad hæc, per dioceсim tuam publicè ac districtè prohibeas ne quis ulteriùs se faciat taliter ordinari. Et ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, quicunque de cetero taliter fuerit ordinatus, eo ipso se noverit ab ordinis executione suspensum. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani X. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 14. epist. 11.

NOBILI VIRO COMITI Tripolitano.

Epist. 219. De electione Abbatis sancti Pauli Antiocheni.

CVm secundùm Apostolum antiquis patribus omnia contigerint in figura & ad nostram eruditionem sint scripta, per Oziam Regem, qui sacerdotum volens officium usurpare suæ temeritatis pœnam, lepra percussus à Domino, non evasit, manifestè confunditur quorundam præsumptio laicorum, qui dum negotiis ad personas ecclesiasticas pertinentibus se temerè immiscere non metuunt, proculdubio lepram, id est, gravis peccati maculam, non

evadunt. Pervenit autem ad audientiam nostram quòd cùm in Ecclesia beati Pauli Antiochensis Abbatis electio celebratur, tres facis ab ipsius loci monachis nominari; quorum unum, illum videlicet quem potiùs acceptaveris, confirmandum præsentas unà cum monachis memoratis. Volentes igitur tam tuæ saluti quàm ejusdem monasterij libertati juxta officij nostri debitum providere, ne ipsorum electioni te de cetero immiscere præsumas, vel impedias quò minùs eum quem sibi magis utilem reputaverint liberè valeant eligere in Abbatem, præsentium auctoritate districtiùs inhibemus. Datum Laterani v. Kalen. Februarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

N. ABBATI ET CONVENTVI Saxivivi.

Epist. 120. Confirmat quoddam arbitrium. *Vide lib.* 13. *epist.* 107.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, arbitrium quod dilectus filius noster Petrus tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis inter vos & venerabilem fratrem nostrum Spoletanum Episcopum super quibusdam Ecclesiis, episcopali jure, possessionibus, oblationibus, decimis, primitiis, mortuariis, visitationibus, procurationibus, institutione Clericorum, & correctione ipsorum, ac rebus aliis rationabiliter promulgavit, sicut in authentico inde confecto, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti jussimus paginæ annotari, plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem arbi-
» trij memorati est talis. PETRVS miseratione divina tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis omnibus præsentem paginam inspecturis in vero salutari salutem. Cùm olim religioso viro N. Abbati monasterij Saxivivi & I. procuratori venerabilis patris Spoletani Episcopi nos Dominus Papa concesserit auditorem, idem I. procurator Episcopi petiit coram nobis ut sancti Anastasij de Colle ac sancti Laurentij de Spoleto Ecclesias cum earum possessionibus & fructibus perceptis ex ipsis, necnon etiam cuncta jura episcopalia in omnibus Ecclesiis infrà notatis, videlicet sancti Nicolai Interamnensis, sancti Angeli de Montepublico, sanctæ Trinitatis, sancti Apollinaris, sancti Salvatoris de Ensinio, sancti Laurentij heremitæ Cervariæ, sanctæ Mariæ Montis Caballi, sancti Venantij de Spello, sancti Nicolai de Gudulano, sancti Petri de Flavimiano, sancti Clementis de Matilia, sancti Petri de Azan, sancti Nicolai de Nera, sancti Nicolai de Menania, sancti Andreæ cum Capellis suis, item sancti Fortunati cum Capellis suis, quæ sunt sanctus Euticius Vespiæ, sancta Maria de Primocasu, sanctus Ægidius, sancta Lucia de Ferro, item sancti Martini de Narro, cum medietate Capellæ sancti Saviniani de Aiano, in iis inquam Ecclesiis aliisque rebus & possessionibus quæ in diœcesi Spoletana tenentur ab Ecclesia Saxivivi, faceremus eidem Episcopo restitui & persolvi. Ad hæc verò cùm Abbas donationem Episcopi Spoletani, patronorum concessionem, apostolica privilegia, & temporis longævitatem allegans, petitionem procuratoris Episcopi multipliciter excludere niteretur, dilecto in Christo filio Vrbevetano Archidiacono & conjudicibus suis eadem fuit causa commissa: qui receptis testibus ab utraque parte productis, & confessionibus ac rationibus intellectis, causam ipsam ad examen summi Pontificis remiserunt sufficienter instructam. Igitur partibus iterum in nostra præsentia constitutis, cùm procurator Episcopi eum ad prædicta restitui postulasset, quibus juxta suam assertionem fuerat contra justitiam spoliatus, idem Abbas in præfatis Ecclesiis ac earum parrochiis & Capellis diutur-
no usu & præscriptione longæva omnem sibi rationem episcopalem acquisitam allegans, procuratori Episcopi super prædictis Ecclesiis atque rebus imponi silentium postulabat. Ad quod idem proposuit procurator quòd cùm ejus intentio communi esset jure fundata, præscriptio temporis opposita ex adverso eam non potuit impedire, cùm per suorum depositiones testium probaretur Transaricum, Matthæum, & Benedictum Spoletanos Episcopos medio tempore in quibusdam prædictis Ecclesiis hospitium recepisse. Iis igitur & aliis quæ coram nobis fuere proposita per nos fideliter Domino Papæ relatis, quia procurator ipse non probavit legitimè Spoletanum Episcopum supradictis rebus, ad quæ restitui petiit, spoliatum fuisse, de fratrum consilio super prædictis, quoad possessorium, Abbatem absolvit, reservata sibi nihilominus declaratione an petitorio actum fuerit super omnibus supradictis, nisi interim inter partes amicabilis posset compositio provenire. Post hæc verò cùm partes iterum in nostra comparuissent præsentia, & tam super depositionibus testium

quam

» quàm privilegiis ac instrumentis fuisset fe-
» rè per biennium disputatum, tandem par-
» tes volentes parcere laboribus & expensis,
» nostro se præcisè commiserunt arbitrio,
» promittentes sub pœna centum librarum
» Perusinarum nostro parere arbitrio in quæ-
» stione prædicta. Nos autem utriusque par-
» tis voluntate diligentiùs indagata, & intel-
» ligentes quo quælibet partium foret con-
» tenta, à voluntate partium in nullo ferè
» vel modico discordantes, tale duximus ar-
» bitrium promulgandum. Videlicet quòd
» Episcopus Spoletanus in sancti Petri de
» Azano, sancti Petri de Flaminiano, sancti
» Clementis de Matilia, sancti Nicolai de
» Nera Ecclesiis plenum jus episcopale &
» habeat & possideat, nec unquam sibi su-
» per hoc à monasterio Saxivivi quæstio re-
» feratur; juris patronatu in eisdem Eccle-
» siis monasterio reservato. Item præcipimus
» quòd monasterium Saxivivi restituat Epis-
» copo Spoletano centum libras Lucanæ
» monetæ, in quibus idem Episcopus prop-
» ter suam contumaciam monasterio fuerat
» condemnatus. Omnes verò reliquas Eccle-
» sias enumeratas superiùs cum possessioni-
» bus & Capellis suis, oblationibus, decimis,
» primitiis, mortuariis, visitationibus, pro-
» curationibus, institutione Clericorum, &
» correctione ipsorum, & aliis pertinentiis
» suis adjudicamus monasterio Saxivivi, in-
» hibentes Episcopo Spoletano ne de cete-
» ro in prædictis Ecclesiis ac earum clericis
» & aliis pertinentiis suis ratione episcopalis
» juris sibi audeat aliquid vendicare vel pe-
» tere, sed pleno jure ad prædictum perti-
» neant monasterium in futurum. Actum
» Laterani in palatio Domini Papæ, præ-
» sentibus Nucerino & Colimbrensi Episco-
» pis & aliis quampluribus Clericis, præsen-
» tibus etiam Rainaldo Vicedomino Spole-
» tanæ Ecclesiæ & magistro P. Spoletano
» Canonico, & consentientibus, anno ab in-
» carnatione Domini millesimo CCXIII.
» pontificatus verò Domini Innocentij Pa-
» pæ III. anno quintodecimo, septimode-
» cimo Kal. Ianuarij. Hoc autem omnibus
» notum fieri volumus, nos ab utriusque Ec-
» clesiæ Capitulo specialiter litteras recepis-
» se se ratum habituros arbitrium sive con-
» cordiam per nos factam.] Nulli ergo &c.
confirmationis &c. *usque* incursurum. Da-
tum Laterani x. Kal. Februarij, pontifi-
catus nostri anno decimoquinto.

MARIÆ ILLVSTRI REGINÆ Aragonum.

Epist. 221. De causa divortij. *Vide Guillel. de Podio-Laur. c.* 11.

NOvit ille qui est testis in cœlo fidelis, cui omne cor patet, & nullum latet secretum, quòd in causa matrimonij quæ inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Petrum illustrem Regem Aragonum virum tuum diutiùs noscitur agitata, via regia semper incessimus, nec ad dexteram declinavimus vel sinistram. Quod teste conscientia in causis facimus universis quæ ad nostrum perferuntur examen; cùm illius vices disponente ipso exerceamus in terris qui justus & justitiam diligens, sine acceptione judicat personarum, nec ignoremus legis divinæ mandatum, quo habere pondus & pondus, mensuram & mensuram, quorum utrumque apud Deum est abominabile, prohibemur, & æqua lance causas & merita pensare præcipimur singulorum. Licèt igitur inter alios mundi Principes prædictum Regem, sicut opera ipsa declarant, amplexemur specialis dilectionis affectu, & ad personæ ipsius honorem & commodum aspiremus, ubi tamen ad judicij pervenitur examen, in quo nec respicere pauperem nec potentis vultum honorare permittimur, nullam ei vel alij gratiam facere possumus aut debemus; & maximè ubi agitur de matrimonij sacramento, quod ante peccatum in paradiso à Domino institutum, præter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile sacramentum, conjunctionis Christi videlicet ad sanctam Ecclesiam, Dei ad fidelem animam, & ipsius verbi ad humanam naturam, noscitur figurare, Apostolo attestante, qui de bono matrimonij agens inquit: *Ego autem dico, magnum in Christo & Ecclesia sacramentum.* Dudum igitur cùm idem Rex matrimonium contractum inter te ac ipsum proponeret se habere suspectum, pro eo quòd tu ferebaris maritum alium habere superstitem, videlicet nobilem virum Comitem Convenarum, ac idem Rex priùs carnaliter mulierem quandam cognoverat te ipsam consanguinitatis, ut dicebatur, linea contingentem, & super hoc conscientiæ ac saluti suæ consuli postularet, causam bonæ memoriæ Pampilonensi Episcopo & Petro de Castronovo & fratri Radulpho monachis Fontisfrigidi, qui duo tunc erant apostolicæ sedis Legati, nos meminimus commisisse. Coram quibus cùm lis fuisset super duobus præfatis articulis per partium procuratores legitimè contestata, nobili viro Hugone de Turrerubea consan-

guineo Regis tunc matrimonium, ut dicitur, accusante, Legatis eisdem iterim ab hac luce subtractis, & Episcopo pro suis & Ecclesiæ suæ negotiis apud sedem apostolicam occupato, causam ipsam venerabilibus fratribus nostris Narbonensi Archiepiscopo, tunc Cisterciensi Abbati, & Vticensi apostolicæ sedis Legatis, ac Regensi, tunc officio legationis fungenti, Episcopis duximus committendam sub ea forma qua præfato Pampilonensi & suis conjudicibus fuerat antè commissa, nullo in posterioribus litteris addito vel mutato; ut videlicet si appareret legitimus accusator, causam convocatis partibus audientes, eam, si de partium voluntate procederet, fine canonico terminarent. alioquin gesta omnia fideliter conscribentes, ea nobis sub suarum testimonio transmitterent litterarum, præfigentes partibus terminum competentem quo per procuratores idoneos nostro se conspetui præsentarent justum Deo auctore judicium recepturæ. Te igitur ac eodem Rege, sicut ex actis intelleximus, personaliter in ipsorum judicum præsentia constitutis, Rex proposuit memoratus quòd tu sibi de jure sociari non poteras fœdere maritali; tum quia carnaliter consanguineam tuam antè cognoverat, ex quo sequebatur te sibi fore affinitate conjunctam; tum quia dicto Comiti Convenarum adhuc superstiti fueras in Ecclesiæ facie matrimonialiter copulata; per quod constabat te cum ipso contrahere nequivisse, cùm ab eodem Comite separata per judicium Ecclesiæ non fuisses. Tu verò ibidem fuisti absolutè confessa quòd revera patre tuo vivente ac procurante contraxeras cum Comite memorato; sed adjecisti quòd hujusmodi matrimonium de facto contractum fuerat, non de jure, cùm idem Comes tibi esset consanguinitate pariter & affinitate conjunctus, & insuper duas haberet uxores tempore quo tecum noscitur contraxisse. ad quæ probanda tibi dari terminum postulasti. Et licèt fuerit ex Regis parte responsum quòd tuæ super hoc exceptiones recipi non debebant donec esses præfato Comiti, cum quo te contraxisse confessa fueras, restituta, nec ipse exceptionibus tenebatur hujusmodi respondere, ad ultimum tamen ita fuit de partium voluntate provisum, ut scilicet salva Regi exceptione seu replicatione prædicta, utriusque partis probationes super præmissis articulis audirentur. Postmodùm B. Aimerij, quem Rex procuratorem in negotio constituerat memorato, de consensu Regis tria se obtulit probaturum, scilicet matrimonium priùs fuisse contractum inter te ac Comitem Convenarum, & matrimonium, si quod fuit inter eundem Comitem & G. filiam A. de Barca, fuisse judicio Ecclesiæ separatum antequam te sibi Rex idem matrimonialiter copulasset, & filiam Comitis Bigorræ uxorem quondam Comitis antedicti fuisse prædicto Regi consanguinitate conjunctam. Et sic terminus fuit partibus assignatus, facta promissione hinc inde quòd alias dilationes non peterent ad proponendum aliud vel probandum. Cùmque partes termino constituto in duorum judicum prædictorum præsentia, tertio litteratoriè suam excusante absentiam, convenissent; tu proponens te infirmitate gravatam testes tuos medio tempore producere nequivisse, dilationes alias postulasti; quas licèt dictus procurator Regis asseveret tibi non esse ullatenus concedendas, pactionem factam de non petendis dilationibus allegando, ac super hoc fuisset diutiùs disputatum, tandem de consensu partium concessa fuit sub præfata conditione seu pactione dilatio & terminus assignatus; ad quem cùm venisset R. procurator tuus, ac rursus dilationes alias postularet, dicto procuratore Regis eas tibi non debere concedi omnimodis contendente, judices ad Montempessulanum unà cum ipsis procuratoribus accesserunt, ut ibi te præsente negotium tractaretur; ubi cùm super dandis vel non dandis dilationibus fuisset à partibus diutiùs litigatum, tandem dicto procuratore Regis adhibente consensum, judices sub conditione præmissa dilationes alias concesserunt, locum & terminum partibus assignantes. Porrò partibus præfixo termino in judicum præsentia constitutis, te absente, tuo tamen procuratore præsente, procurator Regis de novo proposuit quòd dictus Convenarum Comes ipsum Regem consanguinitatis linea contingebat, per hoc inter te ac ipsum probare aliam affinitatem intendens; super quo quamquam lis minimè contestata fuisset, & convenisset, ut dictum est, inter partes quòd aliquid de novo proponere non deberent, judices tamen testes, qui nequaquam juraverant nisi super illis duntaxat articulis super quibus lis fuerat contestata, recipere præsumpserunt. Super quo de ipsorum prudentia non possumus non mirari, etsi procurator Regis coram nobis multipliciter conatus fuerit demonstrare in hoc articulo legitimè fuisse pro-

cessum. Demum cùm probationibus & allegationibus fuisset renuntiatum hinc inde, licèt tu quòd non opponeres appellationis obstaculum juramento præstito promisisses, quia tamen facultas à nobis sententiam audiendi, si malles, in nostris tibi fuerat litteris reservata, uti volens beneficio earundem, humiliter postulasti ut ad nos causa remitteretur instructa, præfixo partibus termino competenti. Cujus petitione, sicut jus exigebat, admissa, dicti judices acta omnia, prout à nobis in mandatis acceperant, ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Cùm ergo tu & dilectus filius magister Columbus procurator Regis, vir utique litteratus, providus, & fidelis, ac de sollicita diligentia & diligenti sollicitudine in eodem negotio habita meritò commendandus, propter hoc ad nostram præsentiam venissetis, causam in consistorio publico solemniter examinavimus & attentè. His igitur quæ à partibus prudenter, subtiliter, ac fideliter tam super actis in præsentia judicum prædictorum quàm coram nobis fuere proposita diligenter auditis & subtili examinatione discussis, quia nobis constitit evidenter quòd Comes Convenarum prædictus te in distantia tertij & quarti gradus consanguinitatis & affinitatis contingit, & idem Comes priùs in conspectu Ecclesiæ cum nobili muliere Beatrice contraxerat, à qua non est probatum ipsum Ecclesiæ fuisse judicio separatum, cùm super proposito affinitatis articulo nihil contra te legitimè sit probatum, de communi fratrum nostrorum consilio te ab impetitione Regis super iis quæ in judicium fuere deducta sententialiter duximus absolvendam, te ex eo nequaquam ream esse perjurij decernentes quòd causam instructam ad nostram remitti præsentiam postulasti; cùm id, sicut est expressum superiùs, in nostris fuisset tibi litteris reservatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei &c. *usque* contraire. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem ferè modum scriptum est carissimo in Christo filio nostro Petro illustri Aragonum Regi. Novit ille qui est testis in cœlo fidelis &c. *usque* in nostris sibi fuisset litteris reservatum. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus, & obsecramus in Domino, celsitudini tuæ nihilominus ex animo consulentes quatenus non molestè sustinens nec admirans quòd tibi non detulimus contra Deum, sed potiùs cogitans quòd non tam tuæ curavimus voluntati consulere quàm saluti, ac ideo nostris acquiescens consiliis, quæ tibi semper utilia extiterunt, Reginam eandem in plenitudinem gratiæ regalis admissam benignè recipias & maritali affectione pertractes; præsertim cùm filium susceperis ex eadem, & sit mulier Deum timens, multa prædita honestate. Vnde pro certo speramus multa ex ipsius consortio, maximè si ad Deum respectum habens, ipsam sicut Reginam honorificè ac decenter tractaveris, serenitati tuæ commoda proventura; cùm vir etiam infidelis per fidelem mulierem salvetur, Apostolo attestante. Alioquin nec tu videreris à principio motæ litis tuam, prout asserebas, voluisse sanare conscientiam, sed potiùs sauciare; nec nos, quantumcunque tuæ deferre sublimitati velimus, quod Deus conjunxit humana sustineremus præsumptione sejungi. Denique noveris nos venerabilibus fratribus nostris Carcassonensi, Avinionensi, & Aurasicensi Episcopis per nostras dedisse litteras in mandatis ut si nostrum super hoc, quod non credimus, neglexeris adimplere mandatum, ipsi te ad id per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellant. Datum ut suprà.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc eisdem. Novit ille &c. *usque* fuisset litteris reservatum. Vnde serenitatem regiam rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes, celsitudini ejus nihilominus ex animo consulentes, quatenus non molestè sustinens nec admirans quòd ei non detulimus contra Deum, sed potiùs cogitans quòd non tam ejus curavimus voluntati consulere quàm saluti, ac ideo nostris acquiescens consiliis, quæ sibi semper utilia extiterunt, Reginam eandem in plenitudinem gratiæ regalis admissam benignè recipiat & maritali affectione pertractet; præsertim cùm filium susceperit ex eadem, & sit mulier Deum timens, multa prædita honestate. Vnde pro certo speramus multa ex ipsius consortio, maximè si ad Deum respectum habens ipsam sicut Reginam honorificè ac decenter tractaverit, serenitati ejus commoda proventura; cùm vir etiam infidelis per fidelem mulierem salvetur, Apostolo attestante. Alioquin nec ipse videretur à principio motæ litis suam, prout asserebat, voluisse sanare conscientiam, sed potiùs sauciare; nec nos, quantumcunque ei

deferre velimus, quod Deus conjunxit humana sustineremus præsumptione sejungi. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si Rex ipse nostrum super hoc, quod non credimus, neglexerit adimplere mandatum, vos ipsum ad id per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum ut suprà.

LITTERÆ AD DOMINVM Papam missæ per Petrum Bermundi dominum de Anduſia.

Epist. 111. De negotio Comitis Tolosani.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino suo specialissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici Petrus Bermundi filius Bernardi de Andusia, Dominus de Salve, obedientissimus & devotissimus Miles ejus, salutem & omnimodæ devotionis affectum. Cùm nos & progenitores nostri homines speciales simus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, terramque nostram pro majori parte teneamus ab ipsa, certum censum debentes, & semper fuerimus obedientes & devoti eidem, firmiter credimus & speramus, omni scrupulo dubitationis amoto, quòd sanctitas vestra velit omnia jura nostra servare illæsa. Noverit igitur paternitas vestra, Pater sanctissime, quòd nos in uxorem habemus quandam filiam Comitis Tolosani, præter quam idem Comes legitimam prolem non habet. Vnde terra dicti Comitis ad nos meliùs quàm heredem alium de jure noscitur pertinere. Vestram itaque beatitudinem quanta possumus humilitate deposcimus quatenus Raimundum filium memorati Comitis Tolosani ad preces vel potiùs ad fraudes alicujus supplicantis, immo supplicum Ecclesiæ postulantis pro ipso nullatenus instituatis heredem, si placet, nec eum, quòd non sit, sicut legitimum habeatis. Nam durante matrimonio legitimo inter matrem uxoris nostræ ac sæpefatum Comitem ex superinducta sibi attingente in tertio gradu eum ipse Comes susceperit; scientes quòd non tantummodo jus nostrum periret in institutione illius, verùm etiam illa eadem novella plantatio fidei orthodoxæ, quæ per Dei gratiam & vestram providam sollicitudinem sollicitámque providentiam necnon & devotionem fidelium, qui ad vindicandam injuriam Christi de diversis mundi climatibus arma sumpserunt in nostris partibus, videlicet provincia Narbonensi, pullulare incepit, suffocaretur penitùs, & essent novissima prioribus longè pejora. Quicquid autem vestra sanctitas super iis duxerit statuendum, nos sumus semper parati vestris & Ecclesiæ per omnia & in omnibus obtemperare mandatis. Præterea benignitatem vestram volumus non latere quòd Christianissimum virum Dominum Simonem Comitem Montisfortis, tum obtentu gratiæ vestræ, tum suæ intuitu probitatis, & longæ familiaritatis contractu cum ipso antequam ad partes nostras veniret, curavimus & curamus sincerè diligere ac honorare in omnibus & habere ut verum & carum amicum. Datum Anduſiæ in vigilia beati Thomæ.

VERCELLENSI EPISCOPO apostolicæ sedis Legato, & Archidiacono Pergamensi.

COram dilecto filio nostro Angelo sancti Adriani Diacono Cardinale, quem magistro B. procuratori Præpositi & quorundam Canonicorum plebis de Bripio & Sal. clerico concessimus auditorem, idem proposuit procurator quòd cùm idem Sal. litteras quasdam sub nomine nostro confectas tam ipsis quàm quibusdam executoribus pro assequendo ejusdem Ecclesiæ beneficio præsentasset, idem Præpositus & Canonici litteras ipsas habentes de falsitate suspectas, eas ad nos per proprium nuntium destinarunt: quarum falsitate comperta, dilectis filiis Archipresbytero de Nembro & conjudici suo dedimus in mandatis ut tam impetratorem quàm eum qui fuerat usus eis punirent secundùm constitutionis tenorem quam edidimus ad falsariorum malitiam confutandam; qui mandatum nostrum fideliter exequentes, dictum S. ab officio & beneficio perpetuò privaverunt. Propter quod idem apostolicam sedem appellans, non expectato termino qui fuerat ad prosequendam appellationem præfixus, ad Abbatem sancti Celsi & ejus conjudicem nostras litteras impetravit: qui ejusdem Præpositi legitimis exceptionibus non admissis, dictorum judicum sententiam post appellationem ad nos legitimè interpositam infirmarunt. Postmodum verò Archipresbytero Pergamensi & ejus conjudicibus dedimus in mandatis ut nonobstantibus litteris ad Abbatem sancti Celsi & ejus conjudicem per S. memoratum obtentis, præfatam Archipresbyteri de Nembro & conjudicis sui sententiam confirmare vel infirmare curarent, sicut de jure cognoscerent faciendum. Qui causæ meritis plenius intellectis, eandem sententiam confirmarunt, à quorum processu idem S. vel non appellavit omnino, vel appellationem suam non fuit infra tempus legitimum prosecutus. Demum bonæ memoriæ Gerardus Albanensis electus apostolicæ sedis Legatus, ad cujus præsentiam partes accesserant, terminum præfixit eisdem, quo cum causa sufficienter instructa nostro se conspectui præsentarent. Sed nuntio Præpositi ab Ecclesiæ hostibus in itinere præpedito, dictus S. ad Cancellarium Mediolanensem & ejus conjudices litteras reportavit, qui pro eo iniquam post appellationem ad nos legitimè interpositam sententiam protulerunt.

Vnde procurator idem humiliter supplicavit ut eorum sententiam irritam decernentes, quod per præfatum Archipresbyterum de Nembro & ejus conjudicem fuerat de clerico memorato statutum faceremus firmiter observari. Dictus verò Clericus ex adverso respondit quòd cùm olim in præfata Ecclesia, in qua idem à pueritia fuerat titulatus, quædam præbenda vacaret, idem ne alij conferretur ad audientiam nostram appellans, quendam qui se dicebat ad sedem apostolicam accessurum rogavit ut super hoc sibi nostras litteras impetraret. Quo sibi litteras præceptorias & executorias reportante, alteras Ecclesiæ memoratæ Capitulo, reliquas verò executoribus præsentavit; quibus ipsas habentibus de falsitate suspectas, idem Clericus renuntiavit eisdem, nec earum occasione aliquid fuit actum. Elapso verò quinquennio Præpositus & Capitulum ejusdem Ecclesiæ ipsum Bononiæ commorantem liberaliter in Canonicum receperunt, ei partem beneficij assignantes. Sed quia postmodum ipsos traxit in causam super quadam pecuniæ summa quam solvere tenebantur eidem, ipsi commoti graviter contra eum, præfatas litteras, quibus ipse renuntiaverat, ad nostram præsentiam destinarunt; quas nos falsas esse censentes, dicto Archipresbytero de Nembro & conjudici suo dedimus in mandatis ut impetratorem ipsarum & eum qui fuerat usus illis punirent secundùm constitutionis memoratæ tenorem, qui eum officio beneficioque privarunt. Cùmque Abbas sancti Celsi & conjudex ipsius eorundem sententiam decrevissent irritam & inanem, & Archipresbyter Pergamensis & conjudex suus eandem rursus sententiam confirmassent, tandem post litteras ad Præpositum sancti Leonardi & conjudicem ejus obtentas coram præfato Albanensi electo partes concorditer statuerunt ut certo termino nostro se conspectui præsentarent. Sed cùm Præpositus nec veniret nec mitteret responsalem diutiùs expectatus, causam dicto Cancellario Mediolanensi & ejus conjudicibus duximus committendam, qui dictum Clericum ab impetitione partis adversæ sententialiter absolverunt. Vnde Clericus idem humiliter supplicavit ut Præpositum & Canonicos antedictos ab ipsius super hoc molestatione compescere dignaremur. Nos igitur iis & aliis quæ coram Cardinale prædicto fuere proposita plenius intellectis, quia nobis constitit evidenter quòd præfatus S. falsas litteras præsentarat, & ita præsentando fuerat usus illis, quarum falsitas adeo erat evidens & aperta quòd etiam cujusque simplicis indagatione poterat deprehendi, eundem S. duximus in perpetuum beneficio Ecclesiæ memoratæ privandum; Præpositū nihilominus, qui postquam jamdictas litteras credidit esse falsas, ipsum recepit in fratrem, à collatione beneficiorum ejusdem Ecclesiæ suspendentes. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis sententialiter est statutum faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani XV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

ANDREÆ ILLVSTRI Regi Vngariæ.

Epist. 224. Dantur ei inducíæ ad solvendum votū.

OBlatis nobis ex parte tua petitionibus, quantum cum Deo possumus, grato concurrentes assensu, ad exequendum votum quo Domino promisisti te ad terræ sanctæ subsidium profecturum serenitati tuæ triennium indulgemus; infra quod sic te studeas præparare ut ad magni Regis obsequium tu, quasi Rex magnus, magnificè proficiscens, dilationis incommodum subventionis commoditate restaures, & sequenti doceas apparatu te non ad voti dilationem emissi sed subventionem plenariam inducias postulasse. De Principibus verò tuis non præcessuris te in subsidium terræ sanctæ nil ad præsens providimus statuendum, cùm adhuc nihil certi de ipsorum proposito teneamus; sed cùm opportuno tempore fuerimus requisiti, necessarium consilium apponemus. Inter venerabiles autem fratres nostros Strigonien sem & Colocensem Archiepiscopos concordia grata nobis existit, cùm non solùm inter eos, sed etiam quoslibet alios, sopiri velimus contentiones & lites. Vnde cùm disponente Domino simus in sede justitiæ constituti & omnibus in justitia debitores, neutri eorum, si de jure suo voluerint experiri, negare debemus quod postulat ordo juris. Datum Laterani III. Non. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 14. epist. 156.

EIDEM.

Epist. 225. De negotio Episcopi Bambergensis.

LIcet Bambergensis Episcopus in multis offenderit, nos tamen interventu precum tuarum rigorem justitiæ temperantes, venerabili fratri nostro Maguntinensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Le-

gato nostris damus litteris in mandatis ut non procedat adversùs eundem, sed inquisita super facto ipsius, de quo ei mandavimus, plenariè veritate, quicquid invenerit fideliter nobis scribere non postponat; ut circa ipsum secundùm quod expedierit procedamus. in quo tuæ non erimus deprecationis immemores; nisi forsitan ipse suis excessibus intercessoris affectum impediat, & effectum intercessionis excludat. Datum Laterani III. Non. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

MAGVNTINENSI ARCHIEPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist 216. Ei dat certa mandata.

LIcèt ad depositiones quorundam Episcoporum bono, sicut credimus, zelo processeris, quid tamen super iis secundùm justitiæ regulam sentiamus per alia scripta nostra tibi directa percipere potuisti. Nuper autem per dilectum filium Othonem Decanum de Onoltisbach, virum providem & fidelem, litteras tuæ fraternitatis accepimus, & intelleximus inter alia quod super negotio Herbipolensis Ecclesiæ suggessisti. Quæ autem à nobis idem audient, ipsius poteris fideli relatione doceri. Ceterùm cùm disponente Domino simus in sede justitiæ constituti & omnibus in justitia debitores, negare non debemus alicui quod postulat ordo juris. Vnde si forsan ille qui substitutus asseritur & qui dicitur destitutus de jure suo voluerint experiri, præfigas eis terminum competentem quo per se vel responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent justum dante Domino recepturi judicium. Datum Laterani III. Non. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 16. epist. 50.

EPISCOPO ET DECANO & Cantori Parisiensibus.

Epist. 227. De relaxando interdicto Capellæ regiæ.

EX litteris carissimi in Christo filij nostri Philippi illustris Regis Francorum accepimus quòd venerabilis frater noster Aurelianensis Episcopus in Capellam regiam de Castro novo supra Ligerim pro suæ voluntatis arbitrio interdicti sententiam promulgavit; licèt nec tempore inclytæ recordationis Ludovici patris ejusdem nec etiam suo fuerit ab aliquo attentatum ut si fortè Capellani regalium Capellarum excederent, ipsæ Capellæ subicerentur ecclesiastico interdicto, cùm parrochialia jura non habeant, & ministris ipsarum Rex ipse de proprio faciat necessaria ministrari. Vnde quod super hoc Episcopus fecerat memoratus, per sedem apostolicam irritari petebat, & ei ne præsumat de cetero talia inhiberi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo prædictam interdicti sententiam relaxetis; cùm si forsan Capellanus memoratæ Capellæ deliquerit, ut suum pœna teneret auctorem, non locus in Regis præjudicium, sed ille debuerit interdici. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani IV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

SANCTI IOHANNIS Angeliacensis & sancti Florentij Salmurensis Abbatibus Xantonensis & Andegavensis dioceſum, & magistro Stephano Decano sancti Hilarij Pictavensis.

EX litteris venerabilis fratris nostri Pictavensis Episcopi nos accepisse noscatis quòd cùm ipse Walterum Canonicum Pictavensem ad personatum Ecclesiæ de Airaon tunc vacantis præsentatum ab Abbatissa sanctæ crucis de Pictavi, quæ se in eadem jus patronatus habere dicebat, admittere noluisset, eò quòd idem W. existens Talamundensis Decanus, Canonicus Engolismensis & Pictavensis & sanctę Mariæ Majoris de Pictavi, & pensionibus beneficiatus quamplurimis, aliam habebat Ecclesiam in dioceſi Pictavensi, & Abbatissa præfata infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum personam non curaverit idoneam præsentare, ac præsentando indignum, illa vice jus amiserit præsentandi, de prudentum virorum consilio Philippo pauperi Clerico nullum aliud habenti ecclesiasticum beneficium, quem bonæ indolis esse suis litteris describebat & per se ac suos valde utilem Ecclesiæ memoratæ, ipsius Ecclesiæ contulit personatum. Walterus verò prædictus ad sanctæ Radegundis & sancti Hilarij de Cella Priores & magistrum Stephanum Gaschet Canonicum sanctæ Mariæ majoris de Pictavi nostras litteras super eadem Ecclesia impetravit; quas procuratores Episcopi in modum exceptionis proposuerunt in eorum præsentia non valere, pro eo quòd impetratæ fuerant tali falsitate suggesta & tali veritate suppressa qua tacita vel expressa impetrari minimè potuissent. Asseruerat enim in sua narratione W. quòd dictam Ecclesiam fuerat canonicè assecutus, cùm non esset institutus per Episcopum, nec etiam præ-

sentatus propter causas prædictas, & quia non erat talis persona cui deberet parrochialis Ecclesiæ cura committi, cùm non posset ad sacerdotium promoveri. Veritatem quoque dicebant eundem suppressisse W. eò quòd suppresso nomine decanatus, & de beneficiis quibus abundat non habita mentione, super minori beneficio litteras impetravit, & quia si dixisset quòd eidem nequiret Ecclesiæ in persona propria deservire, qui alij quam habet residentiam non exhibet corporalem, à sede apostolica tale non potuisset obtinere mandatum. Præterea in tenore litterarum illarum de illis indulgentiis mentio non fiebat quibus Episcopo concessimus memorato beneficiatos compellere clericos personaliter in suis Ecclesiis deservire, & non compelli ad curam animarum admittere aliquos qui non possint in Ecclesiis continuè residere. Contra judices siquidem exceptiones ad declinandum eorum judicium fuere propositæ à procuratoribus Episcopi supradicti. Contra Priorem sanctæ Radegundis videlicet, quòd inimicus Episcopi & persecutor existens, eodem tempore adversùs eundem arduam causam super patrimonio suo & feodis habebat; qui mortalem reputabat Episcopum inimicum, sicut in litteris ab eo ad dilectum filium Hug. Archidiaconum Bituricensem transmissis apparet; & ob hoc potissimè quòd quidam de clericis suis ipsius auctoritate denuntiarunt ipsum Priorem prioratum & præbendam obtinuisse per simoniacam pravitatem. Magistrum quoque Stephanum Gaschet procuratores Episcopi recusabant, eò quòd in causa quadam ardua & famosa, in qua de furto & perjurio & amissione feodi secundùm terræ consuetudinem agebatur, B. avunculo suo præstando patrocinium assistebat contra ipsum Episcopum & Ecclesiam Pictavensem: quia cùm nondum esset exorcista, in causis Episcopi, qui quasi columna est Ecclesiæ, tam inferior non deberet pro judice residere, maximè cùm indifferenter ad omne munus manus extendens, à laicis vili conductus salario consueverit opponere se contra justitiam Ecclesiis, viduis, orphanis, & pupillis. Unde timebat Episcopus ne corruptus muneribus à semita justitiæ deviaret: quia si Deum pro modico in miserabilibus personis offendit, pro multo non præteriret Episcopum inoffensum, sui adversarij concanonicus & amicus specialis existens. Et quia suspecti & inimici judices esse non debent, cùm procuratores prædicti ad hæc probanda non potuerint à prænominatis judicibus arbitros obtinere, quos cum instantia postulabant, tam pro Episcopo quàm pro dicto Philippo ad sedem apostolicam appellarunt, Episcopum, Clericos suos, dignitatem episcopalem & totum episcopatum, necnon & præscriptam Ecclesiam de Airaon sub nostra protectione ponentes. Unde ipsi judices post appellationem interpositam & bis à procuratoribus Episcopi, cùm citabatur ad judicium, innovatam, & post mandatum Prioris de Partiniaco veteri & suorum conjudicum delegatorum nostrorum mandantium primis judicibus ut eidem supersederent negotio quousque per collationem litterarum de judicum priorum & posteriorum jurisdictione constaret, talem tulerunt sententiam in Episcopum memoratum, quòd nec suspendere posset nec excommunicare subjectos, nec procurationes exigere ab eisdem; quam posteriores judices propter causas prædictas multorum usi consilio decreverunt irritam & inanem, & primos judices, eò quòd processum impediebant ipsorum, & ea quæ attentaverant revocare nolebant, licèt ipsi parati essent quæ medio tempore fecerant retractare, excommunicationis sententiæ subjecerunt. Proponebatur etiam contra Priorem sanctæ Radegundis prædictum quòd ipse odij fomite, non zelo justitiæ, suos induxit conjudices ut in Episcopum ferrent sententiam supradictam, subditis ne impenderent Episcopo reverentiam debitam inhibentes. Ex quo gravis immineret jactura toti diocesi Pictavensi: quia tyranni, raptores, incendiarij, & alij pestilentes per Pictaviam debacchantes non possent coërcitionis debitæ fræno compesci, si restringerentur in tantum jurisdictionis episcopalis habenæ. Fuit etiam propositum coram nobis quòd cùm nominatus Episcopus personaliter ad sedem apostolicam accessisset, nobis humiliter supplicavit ut sanctæ Radegundis & sancti Hilarij de Cella Priores & Abbatem Novi monasterij, qui nimia familiaritate conjuncti eum persequebantur injustè, inhiberemus de cetero dari judices contra ipsum. quod tunc ad preces ipsius Episcopi, sicut ejus nuntius proponebat, in Cancellaria nostra fecimus inhiberi. Unde cùm de hoc nulla fieret mentio, dicebat litteras non valere, nec aliquam jurisdictionem habere in ipso Priores superiùs prænotatos. Propter hæc igitur & alia nuntius Episcopi supplicavit ut ea quæ post appellationem ad nos legitimè interpositam à primis judi-

cibus fuerant attentata faceremus in irritum revocari. Ex adverso W. litteras Prioris sanctæ Radegundis & conjudicum suorum exhibuit, qui dicebant quòd dictus Episcopus citatus legitimè ab eisdem, licèt per procuratorem quasdam exceptiones fori declinatorias opponeret, quas ratione prævia iidem judices frivolas judicarunt, laborans tamen contumacia evidenti, noluit propositis respondere; sed post multarum citationum edicta præscriptam Ecclesiam Philippo de Calciata lite pendente conferre præsumpsit, & cùm præfati Episcopus & Philippus ad judicium citarentur, ut tam super principali quàm translatione rei litigiosæ in alium fieret quod deberet, Episcopo per se vel responsalem idoneum minimè comparente, Philippus die sibi statuta comparuit, & intentione ipsius W. proposita respondit in jure quòd per Episcopum Pictavensem auctoritate Lateranensis Concilij fuerat eandem Ecclesiam assecutus, & ad ejus instantiam indulto ei termino super collatione illius Ecclesiæ pleniùs respondendi, nec venit, nec curavit mittere responsalem. Vnde iidem judices malitiam Episcopi attendentes, qua ipsorum jurisdictioni nimis contumaciter illudebat, ut ad standum juri aliqua pœna compellerent quem monitis & expectationibus plurimis & multis edictis peremptoriis inducere non valebant, talem in eum sententiam protulerunt, ut interim nec procurationes posset exigere à subjectis, nec suspendere, nec excommunicare subjectos; subjectis ejusdem nihilominus inhibentes ne ipsi super iis aliquatenus obedirent, donec ipse plenè satisfaceret de præmissis. In Philippum autem pro sua contumacia interdicti sententiam promulgarunt; pro quo cùm ad Abbatem de Absia & suos collegas, commensales & ministeriales Episcopi, sub forma sumpti quædam litteræ à nobis super eadem Ecclesia emanassent, primi judices, quia in secundis litteris de prioribus ac de processu negotij & de Episcopo actoris vel rei nomine mentio non fiebat, & quia per suggestionem falsi fuerant impetratæ, cùm ipsarum data præcederet diem quo ipse Philippus primò comparuit coram eis, Abbati & collegis suis inhibuere prædictis ne in eadem causa procederent donec plena fieret collatio litterarum. Ipsi verò scriptum authenticum exhibere nolentes, in tantam insaniam proruperunt quòd sententiam in Episcopum latam de facto, cùm de jure non possent, irritam temerè nuntiantes, in primos judices excommunicationis sententiam fulminarunt. Vnde cùm propter impedimenta hujusmodi primi judices mandatum nostrum exequi non valerent, generaliter omnes illos qui eos super processu illius causæ impedire præsumerent excommunicationis vinculo subjecerunt, ad generalem synodum nihilominus accedentes, ut præmissis omnibus coram multis jurisperitis expositis, & innocentiam suam ostenderent, & tam Episcopi quàm illorum qui pro judicibus se gerebant malitiam & sententiam quam in Episcopum tulerant publicarent. Verùm idem Episcopus, W. de Sablolio Præpositus, Hugo Levini, magistri I. Gabart & Ar. de Mogon. & P. Acelini Canonici Pictauenses & quidam alij sui complices in synodo clamorem & strepitum excitantes, litteras nostras multotiens incipiente lectore, quotiens *Innocentius Episcopus* dicebatur, vocem ejus tantis clamoribus confundebant quòd aliorum audientia perturbata, mandatum apostolicum poterat vix audiri; garcionibus & ministerialibus Episcopi, qui cum gladiis & fustibus ad synodum venerant, insultantibus in eosdem, & paratis litteras apostolicas de manibus ipsorum eripere ac in eos manus injicere violentas. Propter quæ iidem judices Episcopum pontificali officio suspendentes, W. & acclamatores alios excommunicationis vinculo innodarunt. Sed Episcopus, suspensione contempta, ordines solemniter celebravit, & exequi sicut priùs officium pontificale præsumit. At Iohannes Lavini Canonicus Pictavensis in litteras judicum præsentatas Capitulo Pictavensi bis expuit impudenter, ac Marcus Clericus de mandato Hugonis Levini magistrum Stephanum Gaschet unum de judicibus supradictis, cùm non haberent ipsi judices alium qui auderet litteras præsentare, ab Ecclesia violenter eiciens, postmodum de equo projecit in terram. Ad hæc W. supradictus adjecit quòd tempore præsentationis ipsius Episcopus ei vel Abbatissæ nihil opposuit nisi quòd in Ecclesia de Airaon medietas patronatus spectabat ad ipsum. Dixit etiam quòd prænominatus Philippus, cui pendente lite fuit Ecclesia præscripta collata, insufficiens est ad curam animarum habendam, & parentes ejusdem ipsam Ecclesiam & monasterium sanctæ crucis multis injuriis & damnis affligunt. Super aliis autem exceptionibus tam contra ipsum quàm contra judices ab Episcopo per litteras suas oppositas sic respondit, quòd licèt

licèt se minimè justificare præsumat, nihil tamen ei obviat de canonicis institutis quin valeat ad sacerdotium promoveri; nec in confessione vel administratione decanatus, nec quando diaconatus officio publicè fungebatur in Ecclesia Pictavensi, aliquid objecit eidem Episcopus supradictus. Sed nec indulgentias prælibatas ipsi opponere posset, quibus per abusum faciendo contrarium tacitè renuntiasse videtur, multis Clericis pluribus beneficiis abundantibus in parrochialibus Ecclesiis curam animarum committens, licèt non deserviant in eisdem, nostris indulgentiis in caris ejus robur amittentibus firmitatis, & in illis rigorem servantibus à quibus aliquid nititur extorquere. Contra Priorem quoque sanctæ Radegundis nullam causam habebat tempore quo prædicta quæstio sub ejus & suorum conjudicum erat examine ventilanda; sed paratus fingere causas, ut se causæ subtraheret, adversùs ipsum dixit habiturum se quæstionem, & magistrum Stephanum Gaschet vilem esse personam & inimicum ipsius, cujus patrocinio & consilio contra suum Archiepiscopum usus fuerat paulò antè; à quibus & tertio conjudice procuratores Episcopi minimè appellarunt, nec se promiserunt exceptiones propositas probaturos, & nullam fecerunt de eligendis arbitris mentionem. De suspensione quidem ipsius Episcopi dixit gravem non imminere jacturam, cùm ipse non intendat compescere sed confovere tyrannos, noxios relevans, & opprimens innocentes. Addidit etiam quòd cùm Episcopus fuerit ab officio pontificali suspensus, per parrochiales Ecclesias Pictavensis urbis sententia publicata, ipse divina celebrare præsumit in animæ suæ dispendium & ecclesiasticæ disciplinæ contemptum. Vnde petebant ut jure Abbatissæ præfatæ, cùm in nullo peccasse probetur, illæso servato, prædictam sententiam faceremus usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, violatores ipsius & indulgentiarum nostrarum ac alios qui manus in judicem temerarias injecerunt, Abbatem quoque de Absia & complices ejus propter ea quæ in judices præsumpserunt tali pœna plectentes quòd alij per impunitatis fiduciam talia de cetero non attentent. Auditis igitur & intellectis iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis, prænominato Waltero propter solam multitudinem beneficiorum quæ noscitur obtinere super ipsa Ecclesia de Araon silentium duximus imponendum; jure monasterij sanctæ crucis prædicti super repræsentatione alterius, amoto Philippo, qui lite pendente sine præsentatione patroni obtinuit eandem Ecclesiam minùs justè, illæso servato. Episcopo verò, ut observet in aliis quòd in dicto Waltero voluit observare, interdicimus ne conferat parrochialem Ecclesiam alicui ecclesiasticum beneficium obtinenti, nisi illud voluerit resignare; & si vobis constiterit ipsum fuisse præfatis indulgentiis nostris abusum, ipsarum beneficio privetis eundem. Abbatem quoque de Absia, Priorem de Partiniaco veteri, & Cantorem sancti Hilarij Pictavensis, qui sic contra præfatos judices temerè processerunt, ab officio suspendentes quousque per sedem apostolicam misericordiam valeant obtinere, Marcum Clericum, si manus injecit, ut dicitur, in unum de judicibus violentas, & H. Levini, si de mandato ipsius hoc extitit attentatum, excommunicatos publicè nuntietis, & faciatis ipsos ab omnibus arctiùs evitari donec passo injuriam satisfecerint competenter & cum vestrarum testimonio litterarum nostro se conspectui repræsentent. Super strepitu verò & clamore in synodo factis ut nostrarum litterarum lectio & processus impediretur judicum prædictorum, inquisita diligentiùs veritate, si ex hoc in Episcopo culpam agnoveritis, ipsum à collatione ordinum suspendatis, cùm post sententiam judicum prædictorum ob hoc in ipsum prolatam ordines præsumpserit celebrare; ut in quo deliquisse dinoscitur, puniatur. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 13. epist. 92.

CAPITVLO BEATI MARTINI *Turonensis.*

Epist. 119. De immunitate monasterij Bellimontis.

OLim causam quæ inter vos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Turonensem super jurisdictione in monasterio Bellimontis ex altera vertebatur ad nos ab examine dilectorum filiorum Abbatis de Eleemosyna Carnotensis diocesis, Aurelianensis Decani, & S. de Bero Canonici Carnotensis, delegatorum nostrorum, per appellationem delatam, S. Cantori & H. majori & O. de Graciaco Archidiaconis Bituricensibus sub certa forma duximus committendam. Interim autem Abbatissa de Bellomonte per suas nobis litteras intimante quòd cùm Archiepiscopus supradictus sibi jurisdictionem indebitam in ipso monasterio usur-

paret, ac ipsa propter hoc ad sedem apostolicam appellasset, & Archiepiscopus, ejus appellatione contempta, in eam & communicantes eidem excommunicationis sententiam protulisset, jam dictis posterioribus judicibus nostris dedimus litteris in mandatis ut ipsam Abbatissam ad cautelam juxta formam Ecclesiæ absolventes, & injungentes eidem quod injungendum de jure videretur, eam super quibusdam in quibus asseruerat per dictum Archiepiscopum se gravatam non paterentur per ipsum vel per alios indebitè molestari, audituri postmodum & fine canonico decisuri si quis esset alius inter partes scrupulus quæstionis. Cujus auctoritate rescripti cùm partes fuissent in eorum præsentia constitutæ, Abbatissa juxta mandatum apostolicum absoluta, idem Archiepiscopus eam & conventum sui monasterij super jurisdictione quam in eodem se proponebat habere per easdem litteras reconvenit. Tandem post altercationes plurimas & diversas Archiepiscopus & Capitulum Turonense ex una parte, Abbatissa & conventus Bellimontis ex altera, & vos, contra quos memoratus Archiepiscopus coram eisdem judicibus proposuerat per alias litteras antedictas quòd jurisdictionem impediebatis quam habebat in monasterio prænotato, ut litium circuitus vitaretur, adinvicem conveniistis ut sine omni cavillatione litis contestatio fieret super libellis hinc inde circa dicti monasterij jurisdictionem oblatis. Lite quidem coram eis legitimè contestata, & testibus productis à partibus coram dilectis filiis magistro scholarum Andegavensi & magistro B. concanonico vestro, eorundem auctoritate judicum, ipsi judices ad nos instructum negotium volentibus partibus remiserunt. Procuratoribus itaque partium in nostra præsentia constitutis, & attestationibus quas judicum sigillis inclusas recepimus publicatis, pro parte Archiepiscopi & Capituli Turonensis fuit propositum coram nobis quòd cùm monasterium Bellimontis infra Turonensis archiepiscopatus limites concludatur, tam in eo quàm in Abbatissa jurisdictionem episcopalem habebat Archiepiscopus memoratus, & ea tam ipse usus fuerat quã prædecessores ipsius. Vnde procuratores Archiepiscopi & Capituli proponebant quòd cùm esset suæ partis intentio de jure communi fundata, & per depositiones testium probaretur quòd electionem Math. Abbatissæ monasterij Bellimontis Turonensis Archiepiscopus confirmasset, & munus benedictionis impendisset eidem, ipsamque obedientiam, reverentiam, & subjectionem manu posita super altare Archiepiscopo impendisse, ac Archiepiscopum consecrasse altare, necnon publicè prædicasse in Ecclesia Bellimontis, & alia etiam esse probata quæ ad jurisdictionem episcopalem spectare noscuntur, petebant in hoc jure ac sua possessione Archiepiscopum conservari, & ne per Abbatissam vel moniales Bellimontis seu per vos turbetur ei hoc jus & usus jurisdictionis, sed uti libere permittatur. Ad hæc ab W. & Matthæo Abbatissæ ac monialium Bellimontis & Ecclesiæ vestræ procuratoribus fuit ex adverso responsum quòd Archiepiscopus & Ecclesia Turonensis nihil prælationis vel jurisdictionis in monasterio habebant eodem, & si quando aliquibus idem Archiepiscopus fuit usus quæ jurisdictionis existere viderentur, eis abutendo usus fuerat, & per injuriam usurpando. Propter quòd querebamini tam vos quàm Abbatissa & moniales præfatæ, cùm ad Ecclesiam vestram monasterium ipsum, sicut asserebatis, pleno jure spectaret, proponentes per depositiones vestrorum testium docuisse quòd moniales ipsius monasterij obitum Abbatissæ vobis denuntiant, petentes licentiam eligendi, & Canonicis auctoritate vestra præsentibus, Abbatissæ celebratur electio, quæ à vobis postmodum confirmatur, & Cantor incipiens *Te Deum laudamus*, personam installat electam, cui de mandato vestro promittunt obedientiam moniales, vobis præsentantes eandem, quæ in Capitulo jurat Ecclesiæ vestræ obedientiam, subjectionem, & reverentiam Gallicis verbis, promittens de se conquerentibus exhibere justitiam coram vobis quotiens fuerit requisita, & à vobis curam recipit abbatiæ ac baculum pastoralem, chrisma, oleum, & ignem novum in Pascha, quorum interdictum moniales observant & correctionem admittunt. Vnde se asserentes de iis & aliis quæ ad jurisdictionem & usum jurisdictionis pertinent plenè probasse, ab impetitione Archiepiscopi & Ecclesiæ Turonensis absolvi petebant. Hoc etiam in petitionem procuratores vestri specialiter deduxerunt, ut cùm Ecclesia vestra plena jurisdictione in eodem monasterio usa fuerit & utatur, Archiepiscopus & Capitulum Turonense possessionem eidem non turbent, sed ipsam ea pacificè uti permittant; præsertim cùm bonæ memoriæ Alexander Papa prædecessor noster eidem jus suum recognoverit in monasterio

Bellimontis, quædam, salva sedis apostolicæ auctoritate necnon Ecclesiæ vestræ canonica reverentia & Thesaurarij justitia, ipsi monasterio indulgendo. Nos igitur auditis iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis, cùm Archiepiscopus & Capitulum Turonense adversùs Abbatissam & monasterium Bellimontis de suo jure docuerint, quoad possessorium judicium, quo tantùm actum est inter partes, Abbatissam & conventum monasterij prænotati de fratrum nostrorum consilio condemnantes, inhibemus eisdem ne impediant Archiepiscopum Turonensem in eodem monasterio eis uti quæ jurisdictionis episcopalis existunt. Ceterùm cùm inter Archiepiscopum & Capitulum Turonense ex parte una & vos ex altera interdicto uti possidetis vel ad instar potiùs illius interdicti actum sit in hac causa, quia plura capitula & magis ad rem facientia plenius & evidentiùs probavistis, vos in eo cognovimus potiores. Quapropter vos ab impetitionibus Archiepiscopi & Capituli Turonensis absolventes, Archiepiscopo & Capitulo inhibemus ne turbent vobis possessionem in monasterio Bellimontis, sed iis quæ ad jurisdictionem spectare noscuntur vos in eodem liberè uti permittant, quæstione proprietatis tam Archiepiscopo & Ecclesiæ Turonensi contra Ecclesiam vestram quàm Abbatissæ ac conventui Bellimontis contra Archiepiscopum & Capitulum Turonensis Ecclesiæ reservata. Nulli ergo &c. diffinitionis & inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani II. Idibus Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Archiepiscopo & Capitulo Turonensi, verbis competenter mutatis.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Episcopo Aurelianensi & Abbati de Curia Dei Aurelianensis diocesis, & Decano sancti Aniani Aurelianensis, verbis competenter mutatis, usque reservata. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, frater Archiepiscope, ac fili Abbas, super vobis ipsis &c. Datum Laterani Idibus Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.



SENONENSI, ROTOMAGENSI, Turonensi, & Burdegalensi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis.

Epist. 230. Scribitur pro monasterio Vindocinensi.

LIcèt apostolatus officium nos universis generaliter constituat debitores, religiosis tamen personis, & locis præsertim quæ ad sedem apostolicam nullo pertinent mediante, sollicitudinem tenemur & curam impendere specialem. Sanè dilecti filij Abbas & conventus Vindocinenses nostris auribus intimarũt quòd cùm possessiones, homines, & Ecclesias habeant in diocesibus vestris, super quibus plerunque à multis indebitè molestantur, vos molestatores eorum, prout ad vos pertinet, compescere non curatis, quin immo latas in eos interdicti & excommunicationis sententias nulla sibi satisfactione impensa relaxatis interdum in eorum præjudicium & gravamen. quod tanto molestiùs ferimus quanto ipsos nostræ considerationis intuitu deberetis in sua justitia benigniùs confovere. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus hujusmodi latas pro eis sententias absque congrua satisfactione relaxare nullatenus præsumentes, de malefactoribus suis singuli per vestras dioceses, quotiens ab ipsis vel eorum nuntiis fueritis requisiti, eisdem curetis justitiæ plenitudinem exhibere; mandatum nostrum taliter impleturi quòd illud sibi sentiant profuisse, & nos super hoc providere aliter non cogamur. Vos denique, fratres Archiepiscopi & Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani XVI. Kal. Martij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est Carnotensi Aurelianensi, Cenomanensi, Andegavensi, Pictavensi, & Xantonensi Episcopis.

ABBATI MONASTERII sanctæ Mariæ Silvæ majoris, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 231. De confirmatione privilegiorum.

QVotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucij & Celestini Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus &

præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. In eadem villa, Ecclesias sancti Petri & sancti Iohannis, grangias ad ipsum monasterium pertinentes, scilicet Malforat cum terra de Bunasse, grangiam de Daniaco & de Carenzac cum Ecclesia de Narizan, grangiam de Fongravosa & sancti Nicolai de Genizaco & de Montfarto cum pertinentiis earum. Decimas, molendina, colonos, & homines, quæ specialiter ad monasterium vestrum spectant. Prioratus quoque de Senon, de sancto Lupo, de Castelleto, de Avaron, de Cronhon, de Foncambalada, de Madiraco, de Lopiac, de Belabat, de Banhals, de Benaugias veteri, de Guibon, de Aguliaco, de Ardeniaco, de Darvaco, cum omnibus pertinentiis eorundem prioratuum. Ecclesias etiam de Spineto, de Camiac, de sancto Leone, de Montiniaco, de Corbeliaco, de sancto Sidonio, de Plazaco, de sancto Germano de Campetez. Prioratus quoque sancti Andreæ de nomine Domini, de Podio Dodon. cum Ecclesiis suis, sancti Christophori, & sancti Severini. Prioratum sancti Martini & sancti Saturnini de Boenes, & sancti Vincentij de Porreto, & sancti Laurentij de Scaras, & sancti Iohannis de Campanhas, cum omnibus pertinentiis eorum. Quic. quid habetis apud Brojam & Ialam. Domum de Artelea, de Montelauri, Ecclesiam & decimam de Villanova, cum omnibus pertinentiis suis. In Xantonensi dioceſi prioratum sancti Nicolai de Roiano, furnum & terram cõtiguam burgo sancti Petri, villam de Castellars, sicut concluditur duabus viis, cum grangia & agriculturis. Terras, vineas & redditus quos habetis in insula quæ dicitur Oleron. Molendinum vobis in mari collatum à Iohanne Martiñ. Vineas vobis collatas ab Arnaldo Viverevult, vineas de Valera. Prioratus sanctæ Mariæ de insula quæ est in Averto, & de Praifornel, cum possessionibus eorum. In Vasatensi dioceſi Ecclesiam de Brana cum aliis possessionibus vestris. Prioratus sancti Iohannis de Blaniaco & sancti Petri de Castet, cum Ecclesia sua de Siurac. Prioratus de Rius, de Sorraco, de Coriaco, de Fescals, de la Gardera, de Viaco, de Linguoñ, cum omnibus pertinentiis eorum, & prioratum de Bellofonte. In Petragoricensi dioceſi prioratus sancti Martini, Campi Martini, & de Scaurniaco, & de Prisone, & sancti Vlrici, & sancti Nicolai de Gorson, de Lopehac, cum Ecclesia sua de Murzac. Prioratus sancti Saturnini de Puteo cum Ecclesiis suis sanctæ Mariæ de Belpojet & de Punacio. Prioratum de Lavernhia cum Ecclesiis suis sancti Martini de Cumbis & de Croisa. Prioratum sancti Pastoris cum Ecclesiis sibi pertinentibus, & prioratum de Atenac & de Nausis cum omnibus pertinentiis eorum, & de Siuriaco cum pertinentiis suis. In Agennensi dioceſi, prioratum sancti Antonini cum Ecclesia sanctæ Rufinæ, & de Runaut, & Maureliaco, & sanctæ Mariæ de Culturis. Prioratus sancti Silvestri de Peno, sancti Petri de Guntaldo, de Escassafort, cum Ecclesiis & aliis pertinentiis suis. Prioratus etiam de Manuforti, de Calesu, sancti Caprasij de Savarzac, sanctæ Mariæ de Lasita, & de Caus Beosa cum Ecclesia ejus sancti Andreæ, cum omnibus pertinentiis eorum. In Caturcensi dioceſi monasterium monialium, scilicet Pomaredus, cum prioratibus, Ecclesiis, & aliis possessionibus suis. Salvitatem de Blancafort. In Auxitanensi dioceſi prioratum Gavarretus cum decima & censu totius villæ, furnis, & aliis possessionibus suis. Prioratus de Leucader, de Malvezi, de Gilo, de Perquer, de Boga, del mont de Caneux, de Seuguer. In regno Aragonum, prioratus de Rosta, de Pintan, de Vnocastello, de Exera, de Pradella, de Alcala, cum Ecclesiis, decimis, & aliis possessionibus suis. In Lincolnienſi dioceſi in Anglia, prioratum de Boroella cum pertinentiis suis. In Cameracensi dioceſi, abbatiam sancti Dionysij de Brocares, cum Ecclesiis, decimis, & aliis pertinentiis suis. In Suessionensi dioceſi, prioratus sancti Leodegarij & sancti Pauli de Nemore & Bellævallis. In Laudunensi dioceſi prioratum Girei, & sanctæ Probæ, & de Lapion. In Remensi dioceſi prioratum de Noveio cum pertinentiis suis. In Cathalaunensi dioceſi prioratum

Chantici. In Senonensi dioceſi prioratum Neronis villæ cum pertinentiis ſuis. In Aurelianensi dioceſi prioratum de Semeio cum Eccleſiis ſuis ſancti Iohannis de Eureis & ſancti Symphoriani de Camblois. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem recipere & eos abſque contradictione aliqua retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce, divina officia celebrare. In parrochialibus autem Eccleſiis quas habetis liceat vobis ſacerdotes eligere & dioceſano Epiſcopo præſentare; quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus animarum curam committat, ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes monachorum vel Clericorum qui ad ſacros fuerint ordines promovendi, à dioceſano ſuſcipietis Epiſcopo; ſiquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apoſtolicæ ſedis habuerit, & ea vobis gratis & abſque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antiſtitem, qui noſtra fretus auctoritate quod poſtulatur indulgeat. Ad hæc, præſenti decreto ſtatuimus ut obeunte te nunc ipſius loci Abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum major pars conſilij ſanioris ſecundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Inhibemus quoque ne infra terminos parrochiarum veſtrarum Eccleſiam vel oratorium ſine aſſenſu dioceſani Epiſcopi & veſtro quiſquam ædificare præſumat. Salvis tamen privilegiis apoſtolicæ ſedis. Libertates præterea & immunitates à felicis recordationis Alexandro Papa prædeceſſore noſtro, ſive ab Archiepiſcopis, à Ducibus Aquitaniæ, necnon & aliis illius terræ Baronibus monaſterio & hominibus veſtris pietatis & religionis conſideratione indultas ratas habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus; ſtatuentes ut ſicut ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris ſtatutum fuiſſe dinoſcitur, nulla eccleſiaſtica ſecularisve perſona habitatores veſtros ad arma compellere vel indebitas exactiones ab eis extorquere præſumat. Sepulturam præterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas ſit præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones &c. *uſque* profutura. ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens &c. *uſque* ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura &c. *uſque* æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin Diaconi Cardinalis S.R.E. Cancellarij Kal. Decemb. Indictione prima, incarnationis dominicæ anno MCCXII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quintodecimo.

ABBATI ANIANENSI.

Epiſt. 232. De relevanda pauperrate monaſterij.

EX ſuſceptæ nobis imminet officio ſervitutis ut cùm Eccleſiarum omnium curam Domino ſuſceperimus diſponente, ad illarum gravamina relevanda ſpecialiter intendamus quæ apoſtolico noſcuntur ampliùs præſidio indigere. Cùm igitur, ſicut accepimus, monaſterium tuum adeo ſit in temporalibus diminutum ut tibi & fratribus Domino ſervientibus in eodem in veſtitu & victu de ipſius proventibus providere non poſſis, auctoritate præſentium liberam tibi concedimus facultatem ut ſacriſtiam & Eccleſias monaſterij memorati, quæ à monachis ſeu clericis ſecularibus detinentur, ad manus tuas de conſenſu conventus vel majoris & ſanioris partis ipſius appellatione remota valeas legitimè revocare; quatenus de ipſarum proventibus provideatur fratribus competenter, ut releventur etiam onera debitorum. Tu denique, fili Abbas, ſuper te ipſo &c. Datum Laterani IV. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno quintodecimo.

Scriptum eſt ſuper hoc Abbati ſancti Willelmi, & Priori & Sacriſtæ de Salve Lodovenſis & Nemauſenſis dioceſum, ſic. Cùm dilecto filio Abbati ſancti Salvatoris Anianenſis duxerimus concedendum ut ſacriſtiam & Eccleſias monaſterij ſui, quæ à monachis ſeu etiam clericis ſecularibus detinentur &c. *uſque* revocare, necnon ipſius

monasterij possessiones & alia quæ à prædecessoribus suis vel aliis illicitè alienata invenerit vel distracta, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si qui super hoc contradictores apparuerint vel rebelles, vos ipsos, cùm ab eo fueritis requisiti, ratione prævia per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum III. Idus Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. Cardinali & * coëpiscopis suis cum ipso pariter exulantibus.*

* Vide infrà pag. 727.

Epist 233 Eos consolatur in afflictione.

OMne gaudium existimare debetis cùm in tentationes varias incideritis, eorum exemplo qui gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni sunt habiti contumelias pro nomine Iesu pati. Beati namque sunt illi qui persecutionem propter justitiam patiuntur; quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Fidelis enim est Deus, qui suos fideles non patitur supra posse tentari, sed facit in tentatione proventum. Nam quod facit flagellum grano & fornax auro, id efficit persecutio viro justo, qui ratione fidei, ex qua vivit, similis est grano sinapis, quod quanto plus tunditur, tanto fortiùs inardescit; ut probatio suæ fidei multò pretiosior fiat auro, quod per ignem non consumitur, sed probatur. Vos ergo, fratres, non deficiatis in tribulationibus vestris, quas pro libertate ac justitia Ecclesiæ toleratis; quoniam in servis suis Dominus consolabitur, qui misericordiarum est pater & totius consolationis est Deus, in gaudio meti faciens quod in lacrymis seminatur. Ipse quidem post nubilum facit serenum, & post tempestatem tranquillum. Ipse post lamentationem & fletum, gaudium & exultationem inducit: qui lucem creavit post tenebras, & post vesperam fecit mane: quoniam ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Quod ille bene noverat qui dicebat: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: præcinxisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.* O quantæ mercedis est apud Deum, quantæ laudis est apud homines, spiritualia temporalibus anteferre, ut temporalia spiritualibus postponantur! Exilium sustinere pro patria, pro divitiis paupertatem, injuriam pro honore, pro quiete laborem! Verùm attendite diligenter quid ille glorioſus martyr & Pontifex vester pertulerit pro hac causa; & intelligetis pro certo quòd in vestro certamine ipsius est martyrium innovatum, immo ipsius agonis palma vobis est feliciter reservata, qui ducem certaminis tamquam fortis athletæ sequimini ad triumphum. Nisi enim hujus causæ is esset effectus, quæ utilitas in sanguine suo, qui gladiis effusus est impiorum? Non enim sub altari Dei frustra clamat anima interfecti propter verbum Domini & propter testimonium quod habebat, voce magna dicendo: *Vsquequo, Domine sanctus & verus, non judicas, & vindicas sanguinem meum de iis qui habitant super terram? & dictum est illi ut requiesceret modicum adhuc tempus, donec impleantur conservi.* quod ad vos sanè potest intellectu referri, qui conservi ejus existitis, servitutem exequendo divinam, ut sponsam Christi à servitute liberetis humana. Quia non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate nos unigenitus Dei filius liberavit. Interrogate, quæso, conscientiam ipsi vestram, nisi respondeat ipsa vobis quòd tolerabilius est honorabilem persecutionem extra patriam sustinere quàm in patria perpeti vilissimam servitutem, longè profectò pejorem quàm olim populus Israël in Ægypto sub Pharaone in luto & latere sustinebat. Et nunc induratum est cor Pharaonis, nec dimittet Israëliticum populum nisi tandem in manu valida, ut post sordes Ægypti sacrificet Domino in deserto. Confidite, fratres, quòd idem Deus per alterum Moysem liberabit populum suum de servitute novi Pharaonis in manu forti; & cùm fuerit mirabiliter liberatus, cantabit Domino gloriosè quòd equum & ascensorem projecit in mare, qui Deum sibi non posuit adjutorem, sed in sua prævaluit vanitate; qui gloriatur cùm malè fecerit, & in pessimis rebus exultat; qui factus est sicut equus & mulus, in quibus nullus est intellectus; ita in reprobum sensum datus ut cor ejus commutatum sit ab humano, eique cor feræ sit datum, ut de ipsius conversione penè penitùs desperetur, nisi eum misericorditer & mirabiliter in virum alium ille mutet qui vocat impios & non sunt & de lapidibus suscitat filios Abrahæ; aut gravior illi vexatio tribuat intellectum, si fortè oculos suos levet in cœlum & sensus suus illi reddatur & altissimo benedicat. Nos sanè, qui ex intimo cordis affectu passionibus vestris compatimur & doloribus condolemus, non cessamus extendere manus nostras & in virga percutere donec vos liberet

Dominus in mirabilibus suis, quod non in longinquum futurum esse credimus & speramus. Et licèt cogitatum vestrum jactare debeatis in Deum & sollicitudinem vestram in illum proicere qui non deserit sperantes in se nec de sua misericordia præsumentes, ne tamen ipsum fortasse tentetis si cooperari negligatis eidem, satagite operari, quantum justè ac honestè potestis, cum omni diligentia & cautela, nihil de contingentibus omittentes, ut ille vos & in præsenti & in futuro remuneret pro cujus gloria & honore graves & grandes sustertis injurias & pressuras. Mittimus autem vobis litterarum rescriptum quas nuntiis nostris pro pace reformanda tribuimus præsentibus intercluſum.

IOHANNI ILLVSTRI Regi Angliæ, spiritum consilij sanioris.

Epist. 134. De negotio Archiepiscopi Cantuariensis. *Vide infrà epist. 137. & seqq. gesta Innoc. III. cap. 131. 132. & Matthæum Paris. ad an. 1213.*

AVditis verbis nuntiorum tuorum, qui ad nostram præsentiam pervenerunt, etsi non illa nobis ex parte tua sufficienter obtulerint quæ sunt ad satisfactionem sufficientia competentem super multis & magnis injuriis & jacturis quas longo jam tempore intulisti Ecclesiæ Anglicanæ contra divini nominis gloriam & apostolicæ sedis honorem, in periculum animæ ac dispendium famæ tuæ, adhuc tamen experiri volentes utrum te revocare possimus ab errore ad veritatem, ecce tibi benedictionem & maledictionem proponimus, ejus exemplo qui per Moysem famulum suum benedictiones & maledictiones proposuit filiis Israël, ut eligas quam malueris, vel benedictionem, si satisfeceris, ad salutem, vel maledictionem, si contempseris, ad ruinam. Licèt enim quasdam nobis litteras destinaveris, quibus asseruisti habiturum te ratum quicquid Abbas de Belloloco & frater A. Marcel & alij quatuor nuntij tui super negotio Cantuariensis Ecclesiæ agerent coram nobis, quia tamen ex iis non nisi tres ad nostram pervenere præsentiam, ij sine aliis nihil facere poterant secundùm earundem continentiam litterarum. Præterea non agitur tantùm de negotio Cantuariensis Ecclesiæ, sed totius Ecclesiæ Anglicanæ, quam impiè persequendo niteris ancillare. propter quod anathematis meruisti vinculo innodari. Ii verò tres nuntij nobis ad ultimum obtulerunt quòd secundùm illam formam satisfacere promittebas quam per dilectos filios Pandulphum Subdiaconum & fratrem Durandum familiares nostros tibi curavimus destinare. Verùm cùm per te steterit quò minùs secundùm eandem formam pax fuerit reformata, & postea pejora prioribus attentaveris, nos ad eam; quæ pro majori parte gratiam continebat, minimè jam tenemur, cùm ipsa gratia reddideris te indignum. Vt autem vincamus in bono malum & omnem tibi excusationis materiam auferamus, adhuc eam parati sumus servare, si usque ad Kalendas Iunij proximè venturas per juramenta quatuor * Baronum tuorum jurantium, te præsente ac mandante, in animam tuam, & per patentes tuas litteras repromiseris quòd eam fideliter & efficaciter adimplebis secundùm expositiones & explanationes quas ad omnis dubitationis scrupulum removendum duximus adhibendas, & infra eundem terminum hoc totum significaveris per tuas patentes litteras venerabili fratri nostro Stephano Cantuariensi Archiepiscopo & qui cum eo sunt Episcopis suis. Alioquin ejus exemplo qui populum suum de servitute Pharaonis in manu valida liberavit, Anglicanam Ecclesiam in forti brachio de servitute tua studebimus liberare; prædicentes nunc tibi veraciter & constanter quòd si pacem recipere, cùm vales, non vis, cùm volueris non valebis, eritque inutilis pœnitentia post ruinam; sicut per eorum exempla potes cognoscere qui diebus istis similia præsumpserunt. Formam verò quam præfatis nuntiis nostris injunximus præsentibus tibi litteris mittimus intercluſam.

* Vide lib. 16. epist. 76. & Matthæũ Paris. ad an. 1213.

PACIS ET RECONCILIATIONIS leges.

Sacramentum Regis secundũ hanc formam extat lib. 16. epist. 76. & apud Matthæũ Paris. ad an. 1213.

EXpositiones autem & explanationes sunt istæ. In primis itaque solemniter & absolutè jurabis stare mandatis nostris coram Legato vel delegato nostro super omnibus pro quibus à nobis excommunicatus existis, & veram pacem ac plenam securitatem præstabis venerabilibus fratribus Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, Willelmo Londoniensi, Eustachio Eliensi, Ægidio Herefordensi, Iocelino Bathoniensi, & Huberto Lincolniensi Episcopis, ac dilectis filiis Priori & monachis Cantuariensibus, Roberto quoque filio Vvalteri, & Eustachio de Vesci, necnon ceteris Clericis & laicis hoc negotium contingentibus; præstando simul coram eodem Legato vel delegato nostro publicè juramentum quòd ipsos cum suis nec lædes nec lædi facies aut permittes in personis & rebus, eisque omnem indignationem dimittes, & in gratiam tuam eosdem recipies, ac bona fide tenebis, quòdque præfatos Archie-

piscopum & Episcopos non impedies nec permittes aut facies impediri quò minùs ipsi liberè suum exequantur officium, & plena suæ jurisdictionis auctoritate, prout debent, utantur; & super iis tam nobis quàm ipsi Archiepiscopo & singulis Episcopis tuas patentes litteras exhibebis, faciens ab Episcopis & Comitibus ac Baronibus tuis, quot & quos præfati Archiepiscopus & Episcopi postulaverint, juramenta & patentes eorum litteras exhiberi quòd ipsi bona fide studebunt ut hæc pax & securitas firmiter observetur. Et si fortè, quod Deus avertat, per te ipsum vel alios contraveneris, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis apostolicis inhærebunt, tuque perpetuò custodiam vacantium Ecclesiarum amittes. Quòd si fortè nequiveris eos ad hanc ultimam juramenti partem inducere, videlicet quòd si per te ipsum vel alios contraveneris, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis apostolicis inhærebunt, tu propter hoc nobis ac Romanæ Ecclesiæ per tuas patentes litteras obligabis omne jus patronatus quod habes in Ecclesiis Anglicanis. Omnes autem litteras quæ pro securitate prædictorum sunt exhibendæ præfatis Archiepiscopo & Episcopis ante suum ingressum in Angliam destinabis. Si verò tibi placuerit, sæpefati Archiepiscopus & Episcopi præstabunt, salvo honore Dei & Ecclesiæ, juratoriam & litteratoriam cautionem quòd ipsi nec per se nec per alios contra personam vel coronam tuam aliquid attentabunt, te illis prædictam securitatem & pacem illibatam servante. De ablatis autem plenam restitutionem & de damnis recompensationem sufficientem omnibus impendes, tam Clericis quàm laïcis universis ad hoc negotium pertinentibus, non solùm rerum, verùm etiam libertatum, eisque libertates redditas conservabis, Archiepiscopo quidem & Episcopo Lincolnienſi à tempore suæ * confirmationis, aliis autem à tempore discordiæ inchoatæ. Nec obstabit aliqua pactio vel promissio seu concessio quò minùs & damna recompensentur & restituantur ablata tam vivorum quàm etiam defunctorum. Nec de ablatis aliquid retinebis prætextu servitij quod tibi debuerit impendi; sed postea tibi debita pro servitio recompensatio tribuetur; statimque facies omnes quos detines Clericos absolutè dimitti ac restitui propriæ libertati, & etiam laicos qui occasione hujus negotij detinentur. Incontinenti quoque post adventum illius qui te debebit absolvere facies de parte restitutionis ablatorum octo milia librarum legalium sterlingorum, pro persolvendis debitis & faciendis expensis, nuntiis prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum ac monachorum Cantuariensium assignari sine impedimento quolibet per tuam potestatem ad eos liberè deferenda, ut expediti revertantur in Angliam honorificè revocati, videlicet Stephano Cantuariensi Archiepiscopo duo milia & quingentas libras, Willelmo Londonienſi Episcopo septingentas & quinquaginta libras, Eustachio Elienſi * mille & quingentas libras, Ægidio Herefordenſi septingentas & quinquaginta libras, Iocelino Bathonienſi septingentas & quinquaginta libras, Huberto Lincoldienſi septingentas & quinquaginta libras, Priori & monachis Cantuariensibus mille libras. Sed protinus absque mora postquam pacem istam duxeris acceptandam resignari facies Archiepiscopo & Episcopis & Clericis ac Ecclesiis universis in manibus nuntiorum vel procuratorum ipsorum omnia * immobilia cum administratione libera eorundem, & in pace dimitti. Interdictum etiam vulgariter utlagatio nuncupatum, quod proponi fecisti contra personas ecclesiasticas, publicè revocabis, protestando per tuas patentes litteras Archiepiscopo tribuendas id ad te de personis ecclesiasticis nullatenus pertinere, quòdque illud de cetero contra personas ecclesiasticas non facies promulgari. Revocabis præterea utlagationem laïcorum ad hoc negotium pertinentium, & remittes hominia quæ post interdictum ab Ecclesiarum hominibus recepisti præter regni consuetudinem & ecclesiasticam libertatem. Si verò super damnis vel ablatis aut eorum quantitate vel æstimatione quæstio fuerit de facto suborta, per Legatum aut delegatum nostrum receptis probationibus publicè terminetur. Et his omnibus rite peractis, relaxabitur sententia interdicti. Super ceteris autem capitulis si quæ fuerint dubitationes subortæ, de quibus meritò valeat dubitari, nisi per Legatum vel delegatum nostrum de partium fuerint voluntate sopitæ, ad nostrum referantur arbitrium, ut quod super iis decreverimus observetur. Remittimus igitur ad tuam regalem præsentiam præfatum Subdiaconum & familiarem nostrum Pandulphum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, fideliter consulentes ut his quæ tibi ex parte nostra suggesserit omni dubitatione

* *Apud Matth. Paris* consecrationis.

* *Apud eund. Paris.* Ernulphum & quinquaginta.

* *Apud Paris.* mobilia.

dubitatione postposita benevolum impertiaris assensum. Datum Laterani III. Kal. Martij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

FORMA QVIDEM EST TALIS.

Dilectis filiis Pandulpho Subdiacono & fratri Durando familiaribus nostris.

ILlam gerimus de vestra discretione fiduciam ut securè vobis ardua negotia committamus, pro certo sperantes quòd ea secundùm Deum ad honorem & profectum apostolicæ sedis curabitis promovere. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus proficiscentes in Angliam unà cum venerabili fratre nostro Vvintonienſi Episcopo & dilecto filio Priore Conventrensi vel eorum altero, si forsan ambo interesse non possent, Regis præsentiam adeatis, monentes & exhortantes eundem efficaciter & prudenter ut Deo & Ecclesiæ satisfaciat secundùm formam subscriptam inter nos & nuntios suos multimoda deliberatione provisam. Ipse quidem cùm suas patentes litteras vobis tradiderit, & vos nostras patentes litteras sibi tradatis secundùm capitularis tenorem quod ei pridem direximus sub alphabeto distinctum, vobisque tradimus ad cautelam. Sed si Rex maluerit ut nec ipse tradat hujusmodi litteras suas vobis, nec vos tradatis hujusmodi litteras nostras sibi, acquiescatis eidem; & sic cum prædictis Episcopo & Priore vel eorum altero, recepto ab eo publicè juramento quòd super iis pro quibus de mandato nostro excommunicatus existit nostris mandatis absolutè parebit, tu, fili Subdiacone, beneficium ei absolutionis impendas, reconcilians eum ecclesiasticæ unitati; ac deinde recipientes ab ipso tam pro venerabili fratre nostro Cantuarienſi Archiepiscopo quàm pro coëpiscopis ejus & monachis Cantuarienſibus ac omnibus aliis ad hoc negotium pertinentibus plenam securitatem ac idoneam cautionem per honorabiles nuntios faciatis eos in Angliam revocari; quibus idem Rex omnem rancorem & indignationem remittat; ac recepto à præfato Archiepiscopo juramento quod à suis prædecessoribus consuevit illius progenitoribus exhiberi, universa ei concedat & tradat & faciat ab eo pacificè possideri quæ ad ipsum pertinere noscuntur, ita quòd super ablatorum restitutione ac recompensatione damnorum satisfactionem plenariam tam ipsi quàm aliis universis faciat exhiberi; & sic tu relaxes sententiam interdicti. Si verò circa horum aliquid de quo meritò valeat dubitari quicquam emerserit quæstionis, nostro reservetur mandato; injungendo super hoc ipsi Regi ex debito præstiti juramenti ne propter hujusmodi dubium relaxatio interdicti nimiùm differatur. Testes autem qui super eo fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint quò minùs perhibeant testimonium veritati, ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas; quatenus inquisita & cognita veritate, si quid super ablatorum restitutione vel recompensatione damnorum propter quæstionem subortam remanserit imperfectum, per apostolicum tandem mandatum consultiùs impleatur. Quòd si fortè præfatus Rex infra mensem præscriptam formam non duxerit acceptandam, sed in sua maluerit duritia perdurare, vos ex tunc recedentes ab ipso, significetis ex parte nostra prædictis Archiepiscopo & Episcopis ut negotium Ecclesiæ, prout meliùs poterunt, persequantur, vosque non differatis ulteriùs ad nostram præsentiam remeare.

CAPITVLO MELPHIENSI.

Epist. 235. Vt alium Episcopum eligat.

AVres habuit & non audivit, nares & non odoravit, ille qui præfuit & obfuit Ecclesiæ Melphienſi, cùm operum ejus clamores, qui usque ad nos in longinquo insinuatione clamosa communis ferè opinionis vallata testimonio pervenerunt, in proximo noluerit intelligere ut bene ageret, comparatus jumentis insipientibus, & similis illis effectus, & nostræ commonitionis surdus auditor, inter virtutum odorem & fœtorem non discreverit vitiorum. Acceperamus siquidem olim qualiter R. tunc Melfienſis Episcopus, si Episcopus dici debet quem opera mercenarium exhibuerunt, non pastorem, habitus fuerat de bonæ memoriæ Iacobi prædecessoris sui morte suspectus, quid & qualiter post obitum illius proprio firmaverat juramento, & contra id venerat quod jurarat, quomodo tandem in sua fuerat electione processum, qualiter etiam illa quam in oculis populi ad publicæ infamiæ testimonium detinebat, in die consecrationis ejus enixa, & libidinis testem produxerat, & quasi recentis ediderat incontinentiæ argumentum, & quomodo alius qui post eum venerat & descenderat ex eodem, ante ipsum factus est Presbyter, ante patrem ascendens filius ad altare. Nos autem erga ipsum tanta patientia sumus usi quòd qui

poteramus deſcendere ac videre utrum clamor qui ad nos de ipſo aſcenderat, opere compleretur, & reſpondente facto ſermoni, vibrare ultionis gladium in eundem, virgam correctionis remiſimus, rigorem judicij ſuſpendentes, & affectu ei patris ſpiritualis exhibito, ipſi caritativè monitionis manna porreximus prægustandum. Et ne quid de contingentibus omittere videremur, oblatum nobis infamiæ ſuæ libellum ſibi duximus tranſcribendum, audita ſuis oculis admoventes; ut ingreſſus conſcientiæ ſuæ judicium, idem ſibi teſtis & judex exiſtens, humiliatus ad pœnitentiam ſic apud ſe caderet quòd reſurgeret apud Deum. Ipſe verò, tamquam aſpis ſurda, quæ vocem non exaudit incantantium ſapienter, uſque adeo noſtros projecit poſt ſua terga ſermones quòd, ſicut poſtmodum noſtris fuit auribus intimatum, depoſita penè penitùs modeſtia paſtorali, carnem & ſanguinem ſapiens, filium voluptatis & ſanguinis, & aliàs prorsùs indignum & moribus oneroſum, dignis & honorabilibus prætulit officio cantoriæ; ſicque factus eſt poſt Epiſcopum primus inter alios excellentia dignitatis qui meritis noviſſimus exiſtebat, & primi prærogativa virtutum facti ſunt noviſſimi beneficij qualitate. Nepotibus quoque ſuis vagientibus in cunabulis, licèt ad plus vix valentibus balbutire, nedum quòd in Eccleſia legerent vel cantarent, niſi fortè legat balbutiens expeditè, ac dulces choro concinentium reſonet vagiens melodias, majores præbendas tribuit & beneficia meliora; portantibus aliis pondus diei & æſtus, & iſtis ubi non ſeminaverunt metentibus plena manu. Hæc autem licèt ſe promiſerit correcturum ſub fidei ſponſione, faciens tamen ad ulteriora proceſſum, immo magis exceſſum, tam vos quàm alios Clericos præbendis & beneficiis prætermiſſo juris ordine ſpoliavit, & contra Turonenſis ſtatuta Concilij, quod ſectionem inhibet præbendarum, dividebat & diviſas conferebat præbendas, non ſecundùm rationis judicium, ſed pro ſuæ arbitrio voluntatis. Sponſalia ſanè, niſi de ſolvenda ſibi pecunia præcederent ſponſiones, contrahi prohibebat; ac factus in templo Domini venditor columbarum, qui nummulariorum menſas evertere debuiſſet, opibus, non operibus, penſatis in ſubditis, in collatione beneficiorum & aliorum quæ juris ſpiritualis exiſtunt, non quid exigeret meritum, ſed quid munus ſuggereret attendebat; ut qui plus de temporalibus in ſtateris ejus doloſis poſſet appendere, plus de ſpiritualibus reportaret; ſicque ad Simonem magum imitatione ſimoniacæ pravitatis acceſſit quòd à Simone Petro penitùs viſus eſt diſceſſiſſe. In iis autem & aliis quæ licèt in publicum malitia ſua prodiderit, nos tamen faſtidio ſubticemus, in patientia ſupportavimus, illi locum veniæ reſervantes, ut ſi forſan actus ſuos reformaret in bonum, ſibi noſtra clementia ignoſceret, ne periret. Sed ipſe gratia noſtræ benignitatis abuſus, ut nos acriùs provocaret, Ottoni reprobo & maledicto, nec pulſatus precibus, nec ſufficienti metu commotus, Melfienſem ſubdidit civitatem; factuſque proditione præcurſor, cives quos revocaſſe debuerat prævenit temerè ad jurandum, immò potius dejurandum, (cùm dici non debeat juramentum per quod juſtitia læditur, fides alij debita violatur, & cujus adhuc manus, ut verbis cujuſdam ſolitæ locutionis utamur, de recenti juramento calebat quod cariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico illuſtri Regi Siciliæ paulò antè præſtiterat) traxit poſt ſe plurimos ad ruinam, & excommunicato prædicto tanto principaliùs inter alios regni prælatos adhæſit quanto plus aliis ab Eccleſiæ devotione ac memorati Regis fidelitate receſſit. Porrò ut pœna revocaret à culpa quem culpa traxit ad pœnam, & ſentiret fulgura qui tonitrua non timebat, venerabili fratri noſtro Murano Epiſcopo noſtris dedimus litteris in præceptis ut ipſum ab officio pontificali ſuſpendens, firmiter eidem injungeret quòd infra tres menſes noſtro ſe conſpectui præſentaret; alioquin ex tunc eum vinculo excommunicationis aſtringens, vobis ex parte noſtra præciperet ut provideretis Eccleſiæ veſtræ ac vobis perſonam idoneam canonicè in paſtorem. Cùmque per ſupradictum Muranum Epiſcopum noſtra fuiſſet auctoritate ſuſpenſus, infra trium menſium ſpatium eidem indultum per nuntios inſtitit & humiliter ſupplicavit ut terminum quo noſtro ſe debebat præſentare conſpectui dignaremur uſque ad octavas beati Martini proximò præteritas prorogare. Cui non ſolùm illas, ſed etiam uſque ad octavas Epiphaniæ, ad convincendam ejus malitiam, alias inducias duximus indulgendas. Interim autem ipſe iram ſibi accumulans in die iræ, nedum quòd à præmiſſis non deſtitit, ſed etiam, ſicut accepimus, tamquam fœdus cum morte pepigerit, in profundum veniens vitiorum, in contumaciam ſe majorem erexit, & prioribus pejora commiſit,

medio tempore bona Ecclesiæ sibi commissę tam prodiga dispensatione dispergens quòd eventu secuto præmissæ petitionis interprete, ad dissipandum, non ad comparendum in nostra præsentia, visus est prorogationem termini non absque illusione sedis apostolicæ postulasse. Cùm igitur idem mortuus per peccatum, & evidentia suorum actuum perversorum extra civitatem delatus, jamque delinquendi consuetudine competitus in monumento jaceat fœtidus, non adiciens ut resurgat, ut excidatur ficus fatua, quæ nec verba salutis enuntians, nec opera virtutis exercens, non protulit fructus aut folia, sed terram sterilem reddidit sub occupatione nociva, dictum R. ab Ecclęsia Melfiensi perpetuò duximus amovendum, ut nec etiam ut subjectus in ea remaneat cui sic præesse noluit ut prodesset, excommunicationis vinculo innodantes si quis ei de cetero præsumpserit intendere ut pastori. Contractus præterea venditionis, donationis, vel cujuslibet alterius alienationis, quos in damnum celebravit ejusdem Ecclesiæ, irritamus; & ut terra quæ sub umbra inutilis arboris sterilis habebatur, per novam plantationem ad fructificandum culturam recipiat congruentem, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus in talem personam de prudentum virorum consilio vota vestra per electionem canonicam conferatis per quam & præteriti temporis valeat reparari jactura & futuri commoditas provideri. Datum Laterani III. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

STEPHANO CANTVARIENSI Archiepiscopo S. R. E. Cardinali, Vvillelmo Londoniensi, Eustachio Eliensi, Ægidio Herefordensi, & Huberto Lincolniensi Episcopis.

Epist. 236. Pacta iniqua denuntiat irrita.

EA quæ illicitè præsumuntur contra honestatem canonicam aut ecclesiasticam libertatem meritò debent per auctoritatem apostolicam irritari, ne fortè transeant præsumptoribus in exemplum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus concessiones, pactiones, sive promissiones quas clerici seu religiosi viri cujuscunque professionis vel ordinis Iohanni Regi Angliæ super ablatis vel extortis post interdictum fecerunt, quò minùs ipsa restituantur ad plenum, denuntietis irritas & inanes. Auctores etiam, & procuratores illarum, nisi moniti satisfecerint, excommunicationis vinculo innodetis. Si qui verò prædictorum noluerint ablata vel extorta repetere, detentores eorum nihilominus ipsa restituere compellatis, in terræ sanctæ subsidium juxta mandatum apostolicum reservanda. Quòd si non omnes &c. tres aut duo vestrum appellatione remota &c.

EISDEM.

Epist. 237. De negotio Archiepiscopi Cantuariensis. *Vide supra epist. 234.*

NIsi præsumptorum temeritas puniretur, nimis insolesceret audacia malignorum; qui nolentes inter fas & nefas discernere, vitium pro virtute ac vanitatem pro veritate sequuntur. Nos igitur, quibus imminet ex apostolicæ servitutis officio errata corrigere ac prava reducere in directa, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus viros ecclesiasticos qui Iohanni Regi Angliæ anathematis vinculo innodato ministerium, consilium, vel auxilium præstiterunt in iis quæ sunt contra justitiam & libertatem ecclesiasticam attentata, illosque qui ab eodem Rege post excommunicationem vel ab aliis excommunicatis scienter per collationem vel præsentationem ecclesiastica beneficia sunt adepti, & similiter eos qui ob causas excommunicati prædictas, excommunicationis suæ tempore beneficia ecclesiastica receperunt, necnon ecclesiasticos viros qui scienter excommunicatis ecclesiastica beneficia contulere, similiter clericos & viros religiosos qui publicè communicaverunt præfato Regi & aliis excommunicatis auctoritate apostolica nominatim in casibus non concessis, ab officiis & beneficiis ecclesiasticis suspendatis donec se apostolico conspectui repræsentent cum vestrarum testimonio litterarum plenam & meram continentium veritatem; illis duntaxat exceptis qui per satisfactionem condignam ad mandatum Ecclesiæ redierunt. Quòd si non omnes &c. ut suprà.

EISDEM.

Epist. 238. Super eodem.

SÆpe contingit ut dum hostilis malignitas se reperit coartatam, pacem in dolo dissimulet, dolumque post pacem attentet, ut eos fraudibus circumveniat quibus non potuit viribus prævalere. Volentes itaque contra dolositates hujusmodi diligenti providere cautela, præsentium vobis auctoritate concedimus quòd si Iohannes Rex Angliæ violaverit pacem postquam inter ipsum & Ecclesiam Anglicanam provisione fuerit apostolica reformata, nisi

Rex ipse legitimè monitus satisfecerit competenter, consulto interim Romano Pontifice, Regem ipsum & regnum ejus in eum statum interdicti & excommunicationis in quo ante reformationem pacis fuerunt auctoritate apostolica reducatis. Quòd si non omnes &c.

EISDEM.

Epist. 239. Super eodem.

QVia nonnunquam malignorum perversitas per successionem sanguinis à parentibus in filios derivatur, sicut evidenter apparet ex eo quòd olim Rex Anglorum Henricus beatum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum justitiam & libertatem ecclesiasticam defendentem longo fuit tempore persecutus, interemptum tandem gladiis impiorum, & Iohannes Rex Angliæ natus ejus propter eandem causam vos ac dilectos filios monachos Cantuarienses cum multis aliis à multo jam tempore iniquè persequitur, cogens vos bonis omnibus spoliatos miserabiliter exulare, nos ecclesiasticæ libertatis zelo succensi, per apostolica vobis scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus si dictus Rex violaverit pacem quæ inter ipsum & Ecclesiam Anglicanam provisione fuerit apostolica reformata, vos aut quilibet alij nullum de heredibus suis ungere vel coronare præsumatis in Regem. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato.

APPENDIX LIBRI DECIMI QVINTI.

EPISCOPO MAGALONENSI.

DIlecti filij Consules Montispessulani nobis humiliter supplicarunt ut cùm sola Ecclesia beati Firmini, quæ infra muros villæ suæ parrochialis existit, multitudini populi non sufficiat sacramenta ecclesiastica ministrare, in quatuor aut quinque villæ ipsius Ecclesiis dari pœnitentias & sacramenta ecclesiastica faceremus. Volentes igitur in hac parte fraternitati tuæ deferre, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus super hoc taliter providere procures quòd exinde non emergat periculum animarum. Datum Laterani VII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

FINIS LIBRI QVINTI DECIMI.

EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER DECIMVS SEXTVS.

ZAMORENSI ET PORTVGALENSI EPISCOPIS, & magistro Florentio Archidiacono Zamorensi.

Epist. 1. De limitatione episcopatuum Egitan. & Colimbrien sis.

VENERABILIS frater noster Colimbrien sis Episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus quòd cùm olim Aurien si Episcopo & suis conjudicibus nostris dederimus litteris in mandatis ut universa in quorum possessionem per Caurien sem & Civitaten sem Episcopos venerabilis frater noster Egitanien sis Episcopus fuerat adversùs eundem Colimbrien sem inductus, vel eorum occasione auctoritate propria occuparat, ipsi Colimbrien si cum fructibus medij temporis restitui facientes, supplerent si quid per ipsius Egitanien sis malitiam defuisse constaret executioni sententiæ pro eodem contra Egitanien sem eundem arbitrali examine super restitutione fructuum promulgatæ, ad limitationem episcopatuum quàm citò possent sub omni diligentia processuri, prædictus Aurien sis & sui conjudices super restitutione facienda vices suas Abbati de Sertia & suis consociis commiserunt, limitationem episcopatuum sibi specialiter reservantes. Possessionibus itaque per eundem Abbatem & suos collegas Colimbrien si Ecclesiæ restitutis, iidem judices dictum Egitanien sem, nisi fructus omnes medij temporis ad plenum restitueret infra terminum ad hoc ei præfixum, excommunicationis vinculo innodarunt, contradictores censura simili percellentes. Transacto verò termino infra quem Egitanien sis Episcopus eidem debuerat parere sententiæ, ipsius contumacia exigente prolata priùs sub conditione sententia fuit, postmodum præcisè & simpliciter innovata. Partibus sanè à delegatis nostris prædictis interim convocatis, procurator Colimbrien sis Ecclesiæ & pars altera ad hoc ad ultimum convenerunt ut idem Colimbrien sis in possessione quam per memoratum Abbatem & suos collegas fuerat assecutus, non obstante modo processus, videlicet sive justè sive injustè processerint, tunc pacificè permaneret, si tamen ea restituta fuissent quæ secundùm mandatum apostolicum restitui debuerant hinc inde; subtractione vel suppletione nihilominus facienda, si fuisset aliquid quoad posses-

siones plus vel minus debito restitutum. Pro restitutione verò fructuum idem Egitanensis obligavit ablantes, hoc tamen adhibito, quòd si cautio illa insufficiens videretur, secundùm delegatorum ipsorum caveret arbitrium per pignoratitiam vel fidejussoriam cautionem. Præfixo quoque termino quo se partes eorundem judicum conspectui præsentarent, propter discordiam quæ inter carissimos in Christo filios nostros Portugalensem & Legionensem Reges excreverat, idem Colimbrienſis quòd neque per se neque per procuratorem idoneum apud Auriam poterat proficisci per quendam nuntium ferè nudum judicibus intimavit. Ipsi verò eundem Colimbrienſem in mille ac sexcentis solidis monetæ Legionensis expensarum nomine condemnarunt, & aliàs procedentes minùs legitimè contra ipsum, episcopatus non sine Colimbrienſis Ecclesiæ præjudicio post appellationem legitimam limitarunt. Quapropter idem postulabat instanter processum judicum eorundem tam super expensis quàm limitibus irritari. Nos autem considerantes utrique partium expedire ut non secundùm rigorem justitiæ, sed secundùm æquitatis providentiam in isto negotio procedatur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus apud vos possessionibus sequestratis, Egitanienſem Episcopum, ut Colimbrienſi fructus juxta formam alterius nostri mandati restituat, vel de restitutione facienda sufficientem præstet & idoneam cautionem, monitione præmissa, districtione qua convenit, appellatione postposita, compellatis, & sic auditis, & intellectis quæ partes hinc inde duxerint proponenda, si vobis constiterit quòd Aurienſis Episcopus & sui conjudices providè dioceses prædictorum episcopatuum limitarint, faciatis eas auctoritate nostra secundùm illum modum manere perpetuò limitatas. Alioquin tam per testes, instrumenta, & famam quàm antiquas divisiones & quæcunque alia adminicula, inquisita & cognita veritate, plenius ipsos episcopatus, solum Deum habentes præ oculis, limitetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Cetertùm si prænominatus Colimbrienſis de legitimo impedimento docuerit propter quod Aurisienſis Episcopi & conjudicum ejus conspectui se nequiverit præsentare, vos eum absolvatis à pœna qua propter contumaciam per illos extitit condemnatus. Alioquin ipsum in legitimis & moderatis expensis, quas pars altera fecit in causa ex quo idem Colimbrienſis cœpit laborare contumacia, condemnetis. Proviso prudenter ut Colimbrienſem Episcopum super possessionibus laicalibus quas in Coniliano & in ejus terminis legitimè acquisivit non patiamini ab aliquo indebitè molestari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VI. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

REGI ARMENIÆ.

INviti ac dolentes tibi negamus apostolicæ salutationis & benedictionis alloquium, cui benedictionem & salutem æternam in Domino affectamus. Verùm id exposcit tuorum excessuum magnitudo; quia cùm devotum ei deberes impendere famulatum qui te ad regni solium sublimavit, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, commissum tibi ab eo gladium exercendo, tu illum conversione damnabili convertens in viscera Ecclesiæ matris tuæ, nuper, ut ad præsens alia taceamus quæ nobis sunt de tuis actibus sæpius nuntiata, in Ecclesiam & populum Antiochenum tantæ immanitatis attrocitate violatis treugis & regia promissione posthabita desæviisti ut ad confusionem tuam non possit in memoriam non redire quod legitur: *Unusquisque à suo proximo se custodiat, & non habeat fiduciam in quolibet fratre suo; quia omnis frater & proximum supplantabit, & studebit incedere fraudulenter.* Sicut enim ex litteris venerabilis fratris nostri Patriarchæ Antiocheni & multorum aliorum nobis innotuit, cùm treugæ inter te ac Antiochenos præfatos per ipsius Patriarchæ studium factæ fuissent & juramento firmatæ, tuque promisso quòd eas inviolabiliter bona fide servares usque ad terminum constitutum, super hoc litteras eidem Patriarchæ bulla munitas regia destinasses, tandem oblitus quantam habere debeat regalis promissio firmitatem, quantumque sit indecens & nefarium hujusmodi pacis aut treugarum fœdera violare, in terram Antiochiæ Rupinum nepotem tuum cum non parvo exercitu transmisisti; qui terram immunitam, utpote nihil hostile metuentem, ingressi, non solùm civium, sed & Ecclesiarum casalia, supergressi sævitiam paganorum, redegerunt in cinerem & favillam, & flagitiis quæ recitare nec libet nec expedit perpetratis, prædam valentem centum millia Byzantiorum & ampliùs abduxerunt. Priùs etiam quædam

quæ dictus Patriarcha malum in bono vincere ſtudens uſque modò ſiluerat attentaras, quibus apoſtolicam ſedem, immo eum qui Eccleſiarum omnium eam matrem conſtituit & magiſtram, non leviter quidem noſceris offendiſſe. Cùm enim venerabilis frater noſter Patriarcha Hieroſolymitanus apoſtolicæ ſedis Legatus quendam, qui ſe * Patriarcham Antiochenum appellat, de ſpeciali mandato noſtro duxerit exigente juſtitia deponendum, & in omnes qui eidem tamquam Patriarchæ intenderent excommunicationis ſententiam promulgarit, tu nihilominus eum non ſine apoſtolicæ ſedis injuria recepiſti, eidem quaſi Patriarchæ temerè intendendo. Ad hæc, electo Tharſenſi ſublato de medio, cùm Patriarcha ſæpedictus ſperaret ut juxta promiſſionem tuam Archiepiſcopus inſtitueretur ibidem, tu redditibus & caſalibus ipſius Eccleſiæ militibus tuis ſacrilega præſumptione diviſis, & Latinis clericis expulſis penitùs ab eadem, in ipſa Græcos quoſdam intrudere præſumpſiſti. Quoniam igitur hæc ſub diſſimulatione tranſire nec volumus nec debemus, quos apoſtolatus officium non ſolùm Eccleſis, verùm etiam fidelibus univerſis conſtituit debitores, ne nobis negligentibus impietatem tuam tibi, prout ad nos pertinet, nuntiare, tu in tua moriaris iniquitate, quod abſit, & ſanguis tuus de noſtris manibus à Domino requiratur, ſerenitatem tuam monemus, rogamus, & exhortamur in Domino, & ſub divini judicij obteſtatione tibi præcipiendo mandamus quatenus prædicto Patriarchæ ac Eccleſiis ſuis taliter ſatisfacere ſtudeas de præmiſſis ut majeſtatem divinam, quam ea committendo tibi offenſam proculdubio reddidiſti, placatam tibi reddere valeas eadem corrigendo, & nos te tamquam obedientiæ filium caritatis brachiis amplexantes, favorem tibi teneamur apoſtolicum impertiri. Alioquin, cùm Domino diſponente in eo ſimus loco & officio conſtituti ut vindictam in nationibus & increpationes in populis facere teneamur, ac ſecundùm Apoſtolum omnem inobedientiam prompti ſimus ulciſci, venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Hieroſolymitano prædicto & ſuffraganeis ejus ac Epiſcopis Cypri noſtris damus litteris in mandatis ut te, licèt ex alia cauſa vinculo excommunicationis aſtrictum, ex hac quoque uſque ad ſatisfactionem condignam appellatione poſtpoſita faciant excommunicationis ſententiæ ſubjacere; nihilominus in præfatum nepotem tuum ac omnes principales fautores & conſiliarios tuos conſimilem ſententiam proferentes, ac facientes eandem uſque ad ſatisfactionem idoneam inviolabiliter obſervari. Inſuper cariſſimis in Chriſto filiis Hieroſolymitano & Cypri Regibus illuſtribus & Baronibus eorundem, necnon dilectis filiis Templariis & Hoſpitalariis & peregrinis conſtitutis in provincia Hieroſolymitana, mandamus ut interim tibi nullum impendant conſilium, auxilium, vel favorem, quinimmo te tamquam excommunicatum arctiùs evitantes, Patriarchæ prædicto ac Eccleſiis ejus aſſiſtant ad ſuam juſtitiam obtinendam; præfato Patriarchæ Hieroſolymitano mandantes ut ipſos ad id compellat per cenſuram eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit & viderit expedire. Tu igitur ſenſus tuos colligens in te ipſo, ſicut vir providus, ſtudeas præcavere ne te in illum articulum neceſſitatis inducas quòd te ſerò pœniteat apoſtolicis non obtemperaſſe monitis & mandatis. Datum Laterani 11. Kalendas Martij, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

* Vide lib. 11. epiſt. 9. 110. lib 12 epiſt. 8. 38. 39.

REMENSI ARCHIEPISCOPO & ſuffraganeis ejus.

Epiſt. 3: De coërcenda jurandi temeritate.

ETſi apoſtolatus officium nos univerſis conſtituat debitores & erga omnes paternum affectum gerere teneamur, regnum tamen Franciæ prærogativa quadam diligimus caritatis, utpote quod præ ceteris mundi regnis apoſtolicæ ſedi ac nobis obſequioſum ſemper extitit & devotum; ideoque ab eodem regno ſpecialiter amovere cupimus ſcandala univerſa quæ contra illud divinæ poſſent majeſtatis oculos provocare. Noveritis autem ad noſtram audientiam perveniſſe quòd ejuſdem regni homines quaſi ex conſuetudine generali, frequenter ex ira, & interdum animi levitate, quibuſdam utuntur nefandis & horribilibus juramentis; & cùm veritas doceat per ſe ipſam non eſſe jurandum per terram, quia ſcabellum eſt pedum Dei, ipſi non ſolùm per divinos pedes & manus jurare non metuunt, verùm etiam ipſius Chriſti & ſanctorum ejus ſecretiora membra linguâ ſacrilega perſcrutantes, ea non formidant intonare jurando quæ nos ſcribendo ſumus veriti nominare. Cùm igitur ſacri canones in præſumptores hujuſmodi conſtituant graves pœnas, & Epiſcopos nihilominus, qui hæc emendare negligunt, aſſerant acerrimè arguendos, fraternitatem veſtram monendam duximus attentiùs & hortandam, per apoſtolica vobis ſcripta

præcipiendo mandantes quatenus subditis vestris ut ab hujusmodi temeritate desistan curetis districtiùs inhibere, & inhibitionibus comminationes addendo, eorum præsumptionem taliter corrigatis quòd divini nominis zelus vos tangere videatur, & eorum temeritas divinam contra ipsos & regnum præfatum non provocet ultionem. Vos denique, fratres Archiepiscope & Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani 11. Idus Martij, pontificatus nostri anno decimosexto.

EPISCOPO FLORENTINENSI, & Priori Camaldulensi, & magistro B. Plebano castri Florentini.

Epist. 4. De electione Præpositi Aretini.

CVm olim nuntius dilectorum filiorum Præpositi & Canonicorum Aretinorum in nostra præsentia constitutus sententiam quam super electione facta de ipso Præposito in pastorem Ecclesiæ Aretinæ venerabiles fratres nostri Archiepiscopus Ravennas & Episcopus Livienſis delegati à nobis pro dicto Præposito promulgarant postularet auctoritate sedis apostolicæ confirmari, magistro R. procuratore partis alterius, præter alia contra modum electionis ipsius & processum judicum prædictorum objecta, proponente ipsum Præpositum in Ecclesiam Aretinam ingressum simoniacum habuisse, ac tempore quo de ipso fuit electio celebrata, excommunicationis fuisse vinculo innodatum, & natalium pati defectum, quia nobis super iis non poterat fieri plena fides, vobis dedimus in mandatis ut tam super processu judicum & electionis modo quàm super obstaculis aliis quæ partes ducerent proponenda, receptis probationibus eorundem, ipsas sub vestris sigillis fideliter nobis transmitteretis inclusas, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Adjecimus etiam quòd testes quos utraque pars super modo electionis, processu judicum, & aliis quæ crimina non contingerent, ducerent nominandos, si se gratia, odio, vel timore subtraherent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cogeretis veritati testimonium perhibere. Partibus itaque in nostra præsentia constitutis, narratione ac responsione aliisque partium confessionibus super processu judicum & modo electionis auditis, cùm velletis, sicut ex litteris vestris accepimus, ad aliorum inquisitionem procedere, à parte Præpositi fuit objectum se non teneri super aliis respondere, cùm hæc, sicut dicebat, coram primis judicibus objecta fuerint nec probata; præsertim cùm induciæ datæ ad hæc probanda fuissent, & super iis pars eadem protestata fuerit coram vobis quòd absque sui præjudicio super articulis aliis responderet; & adjecit ei non debere obesse si nuntius ejus cum adversario litteras impetravit, qui non ad hoc, sed tantùm ad impetrandam confirmationem sententiæ, fuerat destinatus. Quibus pars adversa respondit quòd cùm hæc sub judicibus memoratis in modum exceptionis dilatoriæ fuerint ad judicium declinandum objecta, quod etiam pars altera concedebat, contra personam nihilominus ipsius Præpositi ad excludendum eum à dignitate poterant peremptoriè nunc opponi; præsertim cùm nuntius partis Præpositi in litteris impetratis cum adversario convenisset, & primò vobis præsentasset easdem, ac vos forma cogeret litterarum. Addidit insuper quòd pars Præpositi contestando litem approbasse litteras & à dilatoriis exceptionibus recessisse liquidò videbatur, quod pars adversa negabat, cùm super aliis respondendo, ut dictum est, de jure suo circa exceptiones hujusmodi fuerit protestata, &, sicut dicebat, commissionis litteras approbare pro parte ac pro parte poterat reprobare. Quia verò super iis diversi videbantur diversa sentire, quid vobis sit faciendum postulastis per sedem apostolicam edoceri; quærentes nihilominus an defectus natalium & excommunicatio judicari debeant ad crimina pertinere, cùm de crimine non filij, sed patris, agatur in primo, & de pœna criminis in secundo; ut sic instrui valeatis utrum super iis nominandos testes secundùm formam præcedentium litterarum debeatis compellere perhibere testimonium veritati. Quæsivistis etiam, si ad testimonium debeat Archidiaconus supradictus admitti, cùm per procuratorem agant idem & ejus socij coram vobis. Nolentes igitur per tales inutiles & vanos anfractus decisionem causæ in gravamen Ecclesiæ Arentinæ differri, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus non obstantibus hujusmodi vanis & frivolis occasionibus, secundùm formam vobis datam procedatis in causa, testes in præmissis articulis, illo de simoniaco ingressu duntaxat excepto, ad perhibendum testimonium veritati per censuram ecclesiasticam compellentes; cùm etsi à crimnibus fortè descenderint, quoad istud negotium crimina non contingant. Archidiaconi verò testimonium, cùm pro parte ipsius

sius & sociorum ejus non per eum, sed per procuratorem, agatur, & in causa Ecclesiarum suarum Clerici etiam adversùs extraneos admittantur, cur in hac repelli debeat, nisi aliud rationabile obviet, non videmus. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani 11. Idus Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO BVRDEGALENSI, & Episcopo Agennensi, & Abbati Clariacensi Agennensis dioceseos.

Epist. 5. Adversùs Archiepiscopum Auxitanum. *Vide lib. 14. epist. 32 33.*

CVm gemitus Ecclesiæ Auxitanæ gementis sub nocte cœcitatis sui Archiepiscopi & plorantis olim ad aures apostolicas ascendisset, à multis nobis multotiens inculcatus, eundem Archiepiscopum monuimus diligenter ut cùm ad pontificalis curam regiminis se deberet cognoscere minùs aptum, suam & aliorum salutem lucris temporalibus anteponens, & compatiens Ecclesiæ memoratæ, quæ sub umbra ejus graviter in spiritualibus & temporalibus erat lapsa, pontificalem curam spontaneus resignaret, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Narbonensi & bonæ memoriæ Vticensi Episcopo apostolicæ sedis Legatis nostris dantes litteris in mandatis ut ipsum ad id inducere procurarent. Sed idem Archiepiscopus citatus pluries ab eisdem, non solùm ad ipsos accedere non curavit, verùm etiam, sicut nobis innotuit per ipsius litteras Narbonensis, cùm excommunicatus fuerit ab eisdem, divina in animæ suæ periculum celebrare officia non desistit, præesse quidem desiderans, non prodesse; cùm non modò subditum sibi populum juxta pontificale officium non erudiat, quinimmo detestabilis vitæ ac conversationis exemplo inficiat & corrumpat, tot circumdatus flagitiis & opertus ut si etiam correctioni vellet intendere subditorum & bona prædicare opera quæ non agit, ipso verba sua operibus impugnante, ad eum reverteretur vacuus sermo ejus; cùm cujus vita despicitur, etiam prædicatio contemnatur. Et ut de multis quæ obiciuntur eidem aliqua exprimamus, hæreticorum esse dicitur receptator & fautor, alcator, & dilapidator notissimus, simoniacus etiam, & perjurus, atque adeo deditus ad carnalium flagitia voluptatum ut, sicut aqua effusus, incestuosa quoque commercia non evitet. Luget ergo non solùm Ecclesia, verùm etiam tota diocesis, quinimmo tota provincia Auxitana; cùm idem quærens in ovibus solummodo lac & lanam, nec curans gregem sibi creditum pascere, sed se ipsum, infirma nequaquam consolidet, vel reducat abjecta, confracta non alliget, & perdita non requirat, sed cum austeritate imperans & potentia, factus sit illis odor mortis in mortem quibus se odorem vitæ in vitam debuerat exhibere. Propter quod Capitulum ipsius Ecclesiæ nobis humiliter supplicavit ut eorum miseriæ miserentes, ad radicem hujusmodi sterilis immo pestiferæ arboris securim tandem apponere ac in eadem Ecclesia plantare arborem fructiferam dignaremur. Licèt autem idem Archiepiscopus in nostra præsentia constitutus nuntium destinaverit, qui quandam inanem appellationem & aliquas frivolas excusationes proponere conaretur, ne tamen dicta conqueratur Ecclesia quòd usque ad raucedinem faucium clamans non fuerit exaudita & quærens non invenerit consolantem, & nos, quibus esse dictum credimus in Propheta, *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & dissipes, ædifices atque plantes*, officium nostrum negligere videamur, eundem Archiepiscopum, cùm super criminibus multis & gravibus sit publicè infamatus, & habeatur nihilominus de gravi dilapidatione suspectus, ab administratione spiritualium & temporalium duximus suspendendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus si legitimus accusator vel etiam denuntiator apparuerit contra eum, inquiratis super præmissis & aliis quæ adversùs eundem proponi contigerit sollicitè veritatem; & si eum constiterit aliqua seu aliquid quod ad depositionem sufficiat commisisse, in eum depositionis sententiam sublato appellationis obstaculo proferatis, & faciatis Ecclesiæ supradictæ per ipsius Capituli electionem canonicam cum consilio vestro de persona idonea provideri. Si verò infra mensem post denuntiationem vestram contra ipsum nec accusator nec denuntiator etiam apparuerit, cùm frequentes clamores qui ad nos de ipsius actibus ascenderunt dissimulare nec debeamus ulteriùs nec velimus, vos eidem purgationem canonicam cum quinta manu vicinorum Episcoporum, qui ejus vitam & conversationem noverint, indicatis; eundem, nisi secundùm formam prædictam infra unius mensis spatium se purgaverit, à jamdicta Ecclesia penitùs amoventes, & de persona idonea provideri facientes eidem juxta formam superiùs comprehensam. Taliter autem mandatum apostolicum exequamini quòd zelus domus

Dei vos comedere comprobetur. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Archiepiscope & Episcope, super vobis &c. Datum Laterani XII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

VNIVERSIS ABBATIBVS & Prioribus Cluniacensis ordinis ad generale Capitulum convenientibus.

Epist. 6. Hortatur eos ad meliorem frugem. *Vide infrà epist. 144.*

SI diligenti meditatione pensabitis qualiter vita monastica sub primis ordinis patribus pullulavit, & palmites longè latèque producens, ad mortifera circumquaque venena pellenda flores bonorum operum protulit & boni nominis effudit odores, pervigili cura studebitis eorum inhærere vestigiis, per quos in deserto mundi hujus plantata est & fructificavit in pluribus vitis monasticæ honestatis. Ii nimirum monastica frugalitate contenti, & optimum ponentes in paupertate principium, assecuti sunt in Domino totius sufficientiæ complementum, Ecclesiarum Prælatis accepti, ante Reges & Præsides vita & merito glorioſi. Nunc autem, quod mœrentes dicimus, etsi non à cunctis in omnibus, à plerisque tamen ex vobis in pluribus dicitur declinatum in tantum quòd contra vestri ordinis regulam manu nimis avida colligentes ubi forsitan non sparsistis, dum loculos proprios replere nitimini, bona Ecclesiarum, quæ vestro committuntur regimini, vacuatis, sic ambitioni vacantes quòd in locis quibus præestis, terrenæ paupertatis opes quæritis, non opem impenditis consilij salutaris. Ecce inter alia loca vestra præsidentium culpa depressa, prioratus de Caritate, qui olim in spiritualibus florens, in temporalibus abundabat, tanta corruptela marcescit & tam arida deprimitur paupertate quòd nisi aliorum relevetur auxilio, vix adicere poterit ut resurgat. Aliàs etiam, sicut accepimus, tam in vobis quàm aliis curæ vestræ commissis adeo pernicioſi facti estis exemplo quòd antiquis patribus loco tantùm & habitu, non prærogativa virtutum, videmini succeſſisse, sed eò plures contagio corruptionis inficitis quò pluribus illi quorum loca tenetis correctionis exempla vitæ magisterio exhibebant. Ne verò indignè illorum privilegiis gaudeatis quorum non servatis in moribus disciplinam, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus incipientes facere quod possitis liberiùs edocere, in vobis & subditis hæc & iis similia corrigatis, tantoque plus luceant opera vestra bona coram hominibus ut glorificent patrem vestrum qui est in cœlis quanto magis mala præterita facti evidentia publicavit, & ubi major ruina præcessit, ibi majoris reparationis sollicitudo sequatur, & damnum quod divulgata malitia intulit, manifestæ bonitatis suffragio restauretur. Quia verò integrum consuevit esse judicium quod plurimorum sententiis confirmatur, & quę profectum communem respiciunt, tractari solent meliùs in communi, annuatim interesse Capitulo generali omni occasione postposita studeatis, quæ ibidem secundùm Deum & beati Benedicti regulam fuerint instituta firmiter servaturi, & tam in iis quàm in aliis dilecto filio Abbati Cluniacensi tamquam devoti filij patri & membra convenientia capiti obedientiam & reverentiam debitam impendentes, circa reformationem prioratus de Caritate manum auxilij & consilij apponatis, tantaque in præmissis diligentia vigiletis quòd nec in vobis per culpam nec in subjectis per negligentiam offendentes, corrigatis in posterum quod in præterito commisistis. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis &c. Datum Laterani Idibus Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide lib. 15. epist. 144.

PATRIARCHÆ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato.

SOllicitudinem tuam in Domino commendamus, eò quòd circa terræ sanctæ profectum adeo sollicitus & studioſus exiſtis ut ei tam in spiritualibus quàm temporalibus te pro viribus exhibeas fructuosum. Accepimus sanè per litteras tuas quòd postquam venerabilis frater noster Episcopus Sidonienſis iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, tu à Rege illustri Armeniæ multa plenas humilitate verborum litteras recepisti, quibus significabat se pro reverentia nostra ad consilium & precum tuarum instantiam pacem cum Templariis reformasse, querelis eorũ satisfaciens competenter; & quoniam per excommunicationis sententiam diù fuerat ab Ecclesia separatus, unde se plurimùm contristari dicebat, absolutionis beneficium humiliter postulabat; supplicans nihilominus & instanter ut, sicut à nobis receperas in mandatis, Comitem Tripolitanum ad faciendum sub examine tuo nepoti suo justitiam de Antiochia & principatu ejus ecclesiastica, si opus esset, districtione compelleres, cùm idem nepos ipsius super iis paratus exisſeret sub tuo judicio

Epist. 7. De unia Sepulchrum.

Vide lib. 2 epist. 270.

litigare. Verùm cùm prædictum Comitem convenisses ut pro tantis malis tantisque periculis evitandis in jamdicta controversia juxta mandatum & dispositionem nostram ad justitiam se offerret, respondit se Antiochiam ab Imperatore Constantinopolitano tenere, nec sibi videri tutum aut justum ut de ipsa conventus in alterius quàm ejusdem domini sui judicio responderet. Addidit etiam ipsum Imperatorem hanc à nobis indulgentiam impetrasse ut deinceps Comitem non cogeremus eundem de Antiochia sub ecclesiastico judice litigare. Quid autem super iis tibi esset agendum, certificari responso sedis apostolicæ postulasti. Ad quæ sic duximus respondendum, quòd cùm memoratum Regem Armeniæ propter gravissimam offensam quam Deo & Ecclesiæ Antiochenæ asseritur intulisse mandaverimus vinculo excommunicationis astringi donec satisfaceret competenter, tu, si ante hujus mandati susceptionem ex alia causa ligatus non fuerit, quoad illam qua modò tenetur secundùm formam Ecclesiæ beneficium ei absolutionis impendas, injungens eidem quod de jure fuerit injungendum. Super eo verò quod à Comite Tripolitano super Antiochia & principatu ejus petit sibi pro nepote suo justitiam exhiberi, per grave delictum quod commisit ibidem reddidit se ad præsens indignum, ut ad tempus ei auxilium Ecclesiæ denegetur qui contra eam ad atrocem injuriam manus præsumptuosas extendit. Illud autem quod præfatus Comes Tripolitanus nos Imperatori Constantinopolitano asserit indulsisse, non dubites penitùs esse falsum; & quod dicit se non teneri de Antiochia & principatu ejus ecclesiasticum subire judicium, reputes omnino frivolum & inane.

Vide supra epist. 2.

Vide lib. 11. epist. 110.

EPISCOPO LICIENSI, & Priori sanctæ Mariæ Roccæ maturæ Hydruntinensis.

Epist. 8. De quodam monacho recipiendo.

CVm Abbati Neritonensi nostris dederimus litteris in mandatis ut A. monachum suum reciperet salva ordinis disciplina, idem mandatum nostrum & monitiones venerabilis fratris nostri Castrensis Episcopi & aliorum quos monitores deputaveramus eidem præteriens aure surda, id efficere non curavit. Præterea utens pontificalibus indumentis, officium quoque Pontificis non metuit usurpare, confirmando pueros, crucem in populo faciendo solemnem, subditos sibi benedicendo Abbates, & minores etiam ordines conferendo, asserens super his se nuper à nobis privilegium impetrasse, sicut dilectus filius Neritonensis Archidiaconus, per quem de iis inquiri mandavimus, per suas nobis litteras pleniùs intimavit. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum ut monachum salva ordinis disciplina recipiat antedictum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, auctoritate nostra injungatis eidem ut usque ad duos menses nostro se conspectui repræsentet; qua ratione prædicta exerceat ostensurus. Quòd si fortè infra prædictum terminum ad nostram venire præsentiam non curarit, vos ipsum ex tunc ad id per suspensionis sententiam sublato appellationis obstaculo compellatis. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani x1. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

CAPITVLO SVESSIONENSI.

Epist. 9. De redemptione decimarum.

PRæsidium favoris apostolici petentibus illæ merentur per quas jus non lædi-tur alicujus & alteri subvenitur. Postulastis sanè vobis à sede apostolica indulgeri licentiam redimendi decimas quæ infra metas parrochiarum vestrarum in feudum à laicis detinentur. Nos autem volentes super hoc Ecclesiis quibus hujusmodi debentur decimæ providere, præferri eas volumus in redemptione talium decimarum; quod si nolint, vel fortè non possint, redimendi eas ad opus illarum Ecclesiarum vobis concedimus facultatem; proviso nihilominus ut consueta servitia ad quæ laici pro decimis illis Ecclesiis tenebantur, etiam post contractum talis venditionis impendant, cùm ad eos pretium perveniat earundem; nisi fortè tam modico pretio velint esse contenti quòd ob hoc Ecclesiæ ab exactione servitiorum illorum, tamquam pro redemptione majoris incommodi, commodè valeant abstinere. Nulli ergo &c. concessionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani x11. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 10. Adversùs quèdam falsum Legatum.

PEr tuas nobis litteras intimasti te quendam falsarium in vinculis detinere, qui sedis apostolicæ mentiens se Legatum, nomine ac officio Episcopi usurpatis, in multis pontificale præsumpsit officium exercere. Super quo tibi rescribi desideras nostræ beneplacitum voluntatis. Nos igitur sollicitudinem tuam in Domino commendantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus quicquid

factum est taliter ab eodem denuntians habendum penitùs pro infecto, ipsum, sicut caram habes gratiam divinam & nostram, perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris & aqua angustiæ sustentandum. De aliis verò qui, sicut asseris, suspecti habentur de crimine falsitatis, diligenter inquiras, & quos inveneris esse tales, punias appellatione remota secundùm constitutionem à nobis editam ad falsariorum malitiam confutandam. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide lib. 15. epist. 118.

VEGLENSI EPISCOPO.

Epist. 11. De modo procurationis episcopalis.

CVm olim causam quæ inter te ex parte una & Clericos castri Musculi Veglensis diocesis ex altera vertebatur super eo quòd asserebas dictos Clericos te, quotiens ad ipsos accedis, extra portam castri debere cum processione recipere ac tam tuis quàm sociorum equis annonam ministrare in domo & ipsos in pascuis custodire, emendaturos si eorum aliquem quoquo modo perdi contingeret, & tibi ac tuis, si ultra unum diem, in quo te debent integrè procurare, moram ibidem duxeris faciendam, usque ad diem quartum panem & vinum procurationis nomine præbituros, asserens nihilominus eosdem tibi, sicut laicos potestatibus secularibus, ad banna teneri, & te à Spalato usque Venetias, cùm illuc ire volueris, propriis debere sumptibus navigio deportare, Abbati de Melta & Plebano sanctæ Mariæ majoris Iadertinensis & Archidiacono Veglensi sub certa forma duxerimus committendam, iidem, cognitis causæ meritis, dictos Clericos ad prædicta omnia exolvenda tibi sententialiter condemnarunt; quorum sententia per venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectum filium Archidiaconum Polenses auctoritate nostra postmodum extitit approbata. Verùm ipsis Clericis ad sedem apostolicam provocantibus. & partium procuratoribus demum propter hoc in nostra præsentia constitutis, nos auditis quæ fuerunt proposita per eosdem, venerabilibus fratribus nostris Tragurienſi & Nonensi Episcopis & dilecto filio Abbati sancti Damiani Iadertinensis diocesis dedisse recolimus in mandatis ut inquirentes super totius causæ processu in litteris tunc directis ad ipsos pleniùs comprehenso diligentiùs veritatem, causam ipsam ad præsentiam nostram remitterent sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Cùm igitur procuratores partium nuper ad nostram præsentiam accessissent, processum judicum eorundem ab eisdem procuratoribus nobis exhibitum per dilectum filium nostrum Petrum tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem examinari fecimus diligenter, & eodem per relationem Cardinalis ipsius pleniùs intellecto, sententiam à præfato Abbate de Melta & ejus conjudicibus pro te latam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Nulli ergo &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIV. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimosexto.

DECANO SANCTI HILARII, & sancti Petri & sancti Hilarij Subdecanis Pictavensibus.

INter cetera quæ contingebant antiquis patribus in figuram, & ad doctrinam nostram Apostolo attestante sunt scripta, dux Israëlitici populi Moyses in deserto pulchrè præsentem statum Ecclesiæ figuravit: qui cùm nequaquam sufficeret universas ejusdem populi discutere quæstiones, ne solus inani consumptus labore deficeret, populo inutiliter expectante, viros providos & Deum timentes elegit, qui populi querimonias audientes, judicarent tantummodò leviora, majora verò ejus examini reservarent. Vniversorum etenim conditor, qui omnia simul ab æterno providit, sciens sacrosanctam Romanam Ecclesiam futuram caput omnium fidelium & magistram, eius pastorem, per quem populum suum ad repromissionis terram, eam videlicet in qua Propheta suam esse desiderat portionem, per hujus mundi solitudinem properantem regere disponebat, jam tunc benigniùs instruere dignabatur, qualiter, [quia] conditionis humanæ lex hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subitò non permittit, redimeret tarditatem, sua videlicet onera dispensando per alios, & quæ per se ipsum non posset, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ut sic multis vocatis in partem sollicitudinis, penes eum plenitudo consisteret potestatis; & ne quis contra ejus potestatem temerè aliquid attentaret, per pœnam Core, Dathan, & Abiron, qui contra dictum Moysen, stimulante invidia, calcaneum erexerunt, liquidò præmonstravit qua damnatione vel interitu digni forent qui Romani antistitis jurisdictionem præsumerent im-

Vide lib. 15. epist. 186.

pedire. Hæc si Pictavensis Episcopus diligenti & debita meditatione pensaret, nec diceret quòd in sua vellet dioceſi Papa esse, nec delegatos à nobis judices, quò minùs commissa sibi exequerentur negotia, immo nos veriùs in eisdem temerè impediret. Sed ipse dilecto filio Priori sanctæ Radegundis Pictavensis ad ea quæ sibi exequenda commisimus non solùm objecit obstaculum, sed & pœnam inflixit, nobis in eo nihilominus injuriam inferendo. Sicut enim idem Prior lacrymabili nobis exposuit questione, cùm dictus Episcopus, qui olim ipsum diligere videbatur, tandem gravi concepto rancore ac odio contra eum pro eo quòd commissionibus ad ipsum & conjudices suos contra eundem Episcopum & ejus Clericos sæpius à sede apostolica impetratis, mandatum nostrum sicut obedientiæ filius exequi procurabat, eum & suos latentibus machinationibus & insidiis diutiùs oppressisset, demum quoniam idem Prior in causa quam dilectus filius magister Walterus familiaris noster super Ecclesia de Araon adversùs eundem habebat Episcopum, post ipsius multiplicem contumaciam, una cum collegis suis juxta formam apostolici mandati processit, manifesto exarsit odio in eundem; & qui dolorem conceperat, iniquitatem peperit contra ipsum. Cùm enim nepos ipsius Episcopi & Baillivi castri de Mirebello, terras ejusdem Prioris excoli nullatenus permittentes, quendam colonum ipsius capere præsumpsissent, Episcopus, ad quem castri dominium & nepotis correctio pertinebat, non solùm ipsi satisfactionem super hoc non fecit aliquam exhiberi, verùm etiam satellitibus dicti castri duos colonos ipsius carceri postmodum mancipantibus & bladum ejus portantibus per violentiam intra castrum, idem Episcopus omnia sub dissimulatione transivit, non attendens quòd non caret scrupulo societatis occultæ qui, cùm possit, manifesto facinori negligit obviare. Vnde servientes ipsius Episcopi ex hujusmodi dissimulatione audaciam assumentes, uvas, etiam antequam ad maturitatem venissent, de ipsius vineis asportavere non paucas; ac demum vindemiarum tempore, cùm homines & Clerici sæpedicti Prioris quod residuum fuerat colligere incepissent, satellites dicti castri extra vineas eicientes eosdem, & quendam de Clericis suis verberatum atrociter veste propria spoliantes, & graviter vulnerantes alium in sacris ordinibus constitutum, usque ad quingentas saumas uvarum, quæ in vineis remanserant antedictis, pro suæ voluntatis arbitrio asportarunt. Cùm autem his & aliis gravaminibus dicto Priori & suis nequiter irrogatis necdum satiatus esset animus Episcopi memorati, nec aversus furor ejus ab ipso, sed adhuc ad ejusdem oppressionem manus ejus extenta, servientes illius paternas domos sæpedicti Prioris, quæ magni fuisse valoris & pretij memorantur, funditus everterunt, trabes & ligna cetera eorundem ad munitionem castri dicti Episcopi deferentes. Prior igitur tantis injuriis lacessitus, coram eodem Episcopo de se ipso fecit deponi querelam; qui quod in corde gerebat non valens dissimulare vel nolens, sibi placere respondit si ei damnum accideret vel gravamen; & ut quod ore dicebat, opere demonstraret, in nullo sibi fecit satisfieri de præmissis; quamquam damna eidem irrogata Priori summam trecentarum marcarum excedere asserantur; præter ea quæ sui occasione hujusmodi pertulerunt. Denique adeo insolens effectus esse Episcopus dicitur sæpedictus ut publicè prædicans quòd in episcopatu suo esse vult Episcopus atque Papa, & asserens quòd per judices delegatos à nobis, quos Papæ judicellos appellat, in sua dioceſi nihil fiet, Capellanis de Mirebello præsumpserit inhibere ne observent sententias quas delegati à nobis judices protulerunt & præceperunt firmiter observari. Cujus præsumptionis excessum si quis diligentiùs curaverit intueri, gravem in eo cognoscet apostolicæ sedis injuriam, & eorum nihilominus qui ei tamquam membra capiti adhærentes, in Christo efficiuntur unum corpus, advertere poterit dispendium & offensam. Si enim delegatos à nobis judices pro mandatorum executione nostrorum tanto discrimini subjacere contigerit, quis commissiones nostras recipere aut mandata exequi non timebit? Incircumscriptibilis siquidem & immensus, etsi cœlum impleat atque terram, & suæ divinitatis virtute penetret universa, spiritus tamen angelos suos facit, & ad explenda varia officia mittit illos, sic miro ordine ipsorum ministeria hominumque dispensans ut à quibus sibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab iis in terra vita fidelium muniatur. Si ergo nos, quos humana conditio simul in diversis locis corporaliter esse non patitur, hujusmodi naturæ defectum per angelos nostros redimere nequiverimus, quomodo judicium & justitiam & alia quæ ad summi Pontificis officium pertinent in gentibus longè positis faciemus? Non

Vide lib. 15. epist. 228.

Cap. Error. dist. 83.

nostram igitur, sed apostolicæ sedis, immo illius qui eandem in terris obtinere voluit principatum, persequentes injuriam, & prædicti Prioris & Clericorum ipsius damnis & gravaminibus, quæ sustinuerunt non sine nostra injuria, condolentes, in omnes tam Clericos quàm laicos qui eis prædicta gravamina intulerunt, quique ad hoc dederunt operam auxilio, consilio, vel mandato, excommunicationis sententiam, fratribus nostris nobis assistentibus, curavimus ore proprio promulgare, decernentes ut Clerici quos eandem ligat sententia, cujuscunque ordinis aut dignitatis existant, si post publicationem ipsius præsumpserint celebrare divina, hoc ipso in perpetuum ab omni officio & beneficio ecclesiastico sint privati, & tam ipsi quàm laici præterquam in supremæ necessitatis articulo absolutionis beneficium nequeant obtinere, nisi ad sedem apostolicam venerint illud humiliter petituri; saltem per procuratores idoneos, si fortè nequiverint per se ipsos. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictam sententiam solemniter publicantes & præcipientes usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, super damnis & injuriis Priori sæpedicto & Clericis ejus illatis inquiratis sollicitè veritatem; & si dictum Episcopum in hoc inveneritis culpabilem extitisse, ipsum per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo ad satisfactionem plenariam compellentes, eundem suspensum ad nostram præsentiam transmittatis. Quòd si forsan per se vel suos, de quorum potentia gloriatur, præsumpserit impedire quò minùs id probare valeat dictus Prior, vos, cùm ipsum propter frequentes varioque clamores qui de illo ad aures nostras super hujusmodi excessibus ascenderunt, suspectum & incredibilem habeamus, purgationem super iis cum quinta manu Episcoporum indicatis eidem; ipsum nihilominus, si forsan in ea defecerit, suspensum ad sedem apostolicam transmissuri. Quia verò idem Episcopus persecutor sæpedicti Prioris & Clericorum suorum asseritur manifestus, volumus & mandamus ut quotiens ab eodem fueritis requisiti, Episcopum memoratum & suos ab ipsius & Clericorum suorum molestatione indebita, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ, veritate cognita, compescatis. Taliter autem super præmissis omnibus apostolicum studeatis adimplere mandatum, postpositis gratia, odio, & timore, quòd de negligentia redargui non possitis, sed potiùs de diligentia commendari. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani x. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRIORI SANCTÆ Radegundis Pictavensis.

Epist. 13. Eum fovet in sua causa.

CVm olim ab M. quondam prædecessore tuo fuisses coram bonæ memoriæ Willelmo Burdegalensi Archiepiscopo publicè impetitus super eo quòd dictus Prior asserebat te canoniam ipsius Ecclesiæ fuisse per simoniacam pravitatem adeptum, ipso in probatione deficiente omnino, ac te, secundùm quod injunctum tibi extiterat, canonicè te purgante, ab impetitione illius fuisti sententialiter absolutus, sicut ipsius Archiepiscopi litteræ nobis exhibitæ protestantur. Porrò cùm ejusdem Ecclesiæ prioratum fuisses postmodum assecutus & diù pacificè possedisses, magister P. de Chistre asserens quòd prioratum ipsum obtinueras mediante vitio simoniæ, te super hoc coram Abbate Novi monasterij Pictavensis & conjudicibus suis delegatis à sede apostolica impetivit. Sed cùm idem magister post multas dilationes ipsi ad id probandum indultas fidem non posset facere de objectis, ac tu ad mandatum judicum eorundem canonicè te purgasses, præfati judices te ab ejusdem accusatione ac impetitione magistri sententialiter absolverunt: quorum processum diligenter inspectum duximus confirmandum, sicut ex nostris apparet litteris manifestè. Postmodum verò cùm bonæ memoriæ Octavianus Ostiensis Episcopus legationis officium exerceret in partibus Gallicanis, D. & P. Canonici Ecclesiæ supradictæ te super hoc in præsentia ejusdem Episcopi accusarunt. Coram quo cùm lis fuisset legitimè contestata, & tibi objecta minimè probarentur, idem Episcopus, cognito quòd à prædictis judicibus sententialiter, ut præmissum est, fueras absolutus, & processum ipsorum à nobis obtinueras confirmari, omnibus ferè Canonicis ipsius Ecclesiæ tuam protestantibus innocentiam & aliàs tibi laudabile testimonium perhibentibus, te ab impetitione hujusmodi auctoritate qua fungebatur absolvit, accusatoribus perpetuum super iis silentium imponendo; sicut in ejus litteris perspeximus contineri. Nuper verò Hugo de sancto Maxentio, W. de sancto Benedicto, & W. Barriers

Canonici Ecclesiæ sæpedictæ suscitantes sopitam totiens quæstionem, ad Bituricensem Archidiaconum & conjudices suos super hoc contra te nostras, de præmissis mentione non habita, litteras impetrarunt: quorum duobus per electos arbitros à causæ cognitione repulsis, cùm interim tu & Hugo prædictus, aliis tamen tracti negotiis, ad nostram præsentiam venissetis, tu, quod non parvum innocentiæ credimus argumentum, in nostra voluisti præsentia experiri. Nos igitur quæ à partibus fuere proposita coram nobis plenius intellectis, quia cognovimus evidenter præfatas litteras directas ad dictum Archidiaconum & ejus conjudices fuisse per subreptionem obtentas, eas carere viribus decernentes, præfati Hugonis denuntiationem non duximus admittendam; tum quia nos tacita veritate circumvenire præsumpsit, tum quia commonitionem canonicam non premisit, tum etiam quia excommunicationis sententiæ subjacebat; statuentes ut litteræ, si quas contra te de cetero super hoc contigerit impetrari, nullius penitùs sint valoris, nisi tam de præsenti processu nostro quàm de aliis superiùs comprehensis plenam & expressam fecerint mentionem. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. constitutionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani VI. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est super hoc Priori sancti Hilarij de Cella & Decano sancti Hilarij & Subdecano sancti Petri Pictavensis, verbis competenter mutatis, usque mentionem. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est super hoc provida deliberatione statutum faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani ut suprà.

EPISCOPO HEREFORDENSI.

Epist. 14. Ne beneficia dentur eis qui sunt sufficienter beneficiati.

CVm Christi patrimonium inter eos qui sunt in hereditatem ejus assumpti sit prouidè dispensandum, nec deceat ut aliis existentibus ebriis, alij esurientes remaneant aut jejuni, auctoritate tibi præsentium districtiùs inhibemus ne ad Ecclesias lege tibi diocesana subjectas sufficienter beneficiatos admittas, si fortè tales præsentari contigerit ad easdem; gaudentes in Domino quòd, sicut pro certo comperimus, ad id prompta sis voluntate paratus. Nulli ergo &c. inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani V. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO CREMONENSI apostolicæ sedis Legato.

Epist. 15. Ecclesia Vicentina committitur electo Reginensi. *Vide lib. 13. epist. 139.*

LIcèt quondam Episcopum Ecclesiæ Vicentinæ suis exigentibus culpis mandaverimus amoveri penitùs ab eadem, adhuc tamen, sicut accepimus, ipsam detinere non metuit occupatam, & cùm dilapidatione multiplici penè penitùs exhauserit bona ejus, residuum semper proficiens in deterius consumere non desistit. Quoniam igitur ad præsens aliud non videmus consilium superesse nisi ut dilecto filio Reginensi electo, qui prudentia & honestate per gratiam Dei viget, & est in partibus illis potens, dicta Ecclesia committatur; eidem nostris litteris dedimus in præceptis ut quasi navem confractam gubernaturus in fluctibus, assumens onus & curam Ecclesiæ memoratæ, ad eam reformandam in spiritualibus & temporalibus relevandam, Reginensem nihilominus regens Ecclesiam, sic intendat providè ac potenter quòd eadem in utroque per suæ sollicitudinis studium resurgente, ipse crescat & nomine apud homines & merito apud Deum, ac de die in diem gratiam nostram plenius assequatur. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus monens eundem efficaciter & inducens ut laborem hujusmodi non recuset, ejusdem Ecclesiæ Vicentinæ Capitulo & clero civitatis ac diocesis universæ injungas ut eidem intendant humiliter ac devotè; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ELECTO REGINENSI, & Priori sancti Georgij in Bradia Veronensis diocesis, & Venturæ Subdiacono nostro Canonico Veronensi.

Epist. 16. De correctione monasterij de Vangaditia.

IN correctione monachorum monasterij de Vangaditia piget nos ulteriùs inanem assumere operam vel laborem, cùm nihil hactenus in ea proficere potuerimus, multùm multotiens laborantes, & hujusmodi Babylon, quam studio multo curavimus, minimè sit sanata, quinimmo eorum adeo computruerint cicatrices ut vicinos etiam laicos fœtor ad nauseam provocet eorundem. Quia igitur ferro resecanda sunt vulnera quæ fomentorum non

sentiunt medicinam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus tam E. quondam ejusdem loci Abbatem, quem Archipresbyter Estensis & conjudex ipsius nostri auctoritate mandati à regimine ipsius monasterij amoverunt, quàm etiam monachos universos per alia monasteria collocantes, virum aliquem religiosum bonæ opinionis & vitæ, sollicitum in spiritualibus, & in temporalibus circumspectum, præficiatis monasterio sæpedicto, quòd, secum viris prudentibus & religiosis assumptis, monasterium ipsum spiritualiter & temporaliter cum consilio vestro studeat reformare; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili electe, super te ipso &c. Datum Laterani VI. Idus April. pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI, & Episcopo Nivernensi, & Decano Sereberiensi docenti Parisius sacram paginam.

Epist. 17. De quodam Canonico Lingonensi suspecto de hæresi. *Vide lib.* 14. *epist.* 15.

VEnerabilis frater noster Lingonensis Episcopus olim quædam nobis contra G. Canonicum Lingonensem Presbyterum de Musiaco per suas litteras intimavit quæ sapere videbantur hæreticam pravitatem; quarum tenorem de verbo ad verbum vobis, fratres Archiepiscope & Episcope, ac dilecto filio nostro Roberto tituli sancti Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali tunc Parisius commoranti sub bulla nostra misimus intercluſum. Vnde cùm dictus Episcopus eundem suspectum de hæresi habuisset, coëgit eundem cautionem tam juratoriam quàm fidejussoriam exhibere quòd terminis quos sibi præfigeret ejus se conspectui præsentaret, prout deceret super iis omnibus responsurus. Sed cùm idem Episcopus apud Barrum super Sequanam die quo sibi terminum assignarat cum multis viris religiosis & prudentibus, quos ad hoc convocaverat, convenisset, dictus G. juramenti religione contempta, neque comparuit, neque suam absentiam excusavit. Quare sæpedictus Episcopus, pensatis omnibus quæ tam prima die quàm secunda servato juris ordine, ac præ oculis habito Dei timore, acta fuerant coram eo, & toto processu diligenti deliberatione pensato, de consilio & consensu tam religiosorum quàm juris peritorum omnium qui assistebant eidem, sæpedictum G. super iis de quibus fuerat accusatus pro convicto decrevit habendum, ipsum sententia diffinitiva pronuntians tamquam hæreticum condemnandum, & sententiam in scriptis redigi faciens, & multorum sigillis, Episcoporum videlicet, Abbatum, & Archidiaconorum, reservari munitam. Cùmque idem G. postmodum in nostra proposuisset præsentia constitutus quòd præfatus Episcopus eum post appellationem ad nos interpositam ceperat, & præfatam præstare compulerat cautionem, nitens se multipliciter excusare, nos attendentes quòd vos, fratres Archiepiscope ac Episcope, cum Cardinale prædicto ea quæ circa ipsum fuerant inquirenda poteratis plenius indagare, illum ad vos duximus remittendum, dantes vobis per nostras litteras in præceptis ut nisi usque ad festum Pentecostes proximò tunc futurum in vestra præsentia compareret, super iis quæ sapiunt hæreticam pravitatem suam sufficienter, si posset, innocentiam ostensurus, vos sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exerceretis in ipsum rigorem ecclesiasticæ disciplinæ; quòd si se ostenderet inculpabilem, ejus innocentiam nequaquam opprimi sineretis, cum sincera diligentia & diligenti sinceritate in negotio fidei processuri. Nuper autem idem G. proposuit coram nobis quòd præfato termino ad præsentiam vestram non fuit ausus accedere metu mortis, cùm zelus fidelium in hæreticæ pravitatis labe notatos esset in partibus illis tunc temporis sic accensus ut incendio traderent non solùm manifestos hæreticos, sed etiam quoslibet de hujusmodi pravitate suspectos. Vnde nobis humiliter supplicavit ut ejusdem purgationem recipi facientes, ipsum diù malitiosè vexatum non sustineremus ulteriùs indebitè molestari. Licèt autem eundem ex eo quoque habeamus valde suspectum quòd ad vestram præsentiam termino quem ore proprio sibi præfiximus non accessit, quia tamen non congregata dispergere, sed dispersa potiùs congregare debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus convocatis ad locum idoneum præfato Episcopo Lingonensi & aliis qui fuerint convocandi, circa ipsum, cui viva voce præcepimus ut infra octavas Pentecostes proximas propter hoc vestro conspectui se præsentet, secundùm formam superiùs comprehensam appellatione postposita procedatis, eidem in eundo, redeundo, & morando facientes auctoritate nostra usque ad decisionem negotij securitatem plenariam exhiberi.

Testes

Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Archiepiscope ac Episcope, super vobis ipsis &c. Datum Laterani IV. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ARGENTINENSI, & Abbati de Rongarten & Priori de Salem Argentinensis & Constantiensis dioceſum.

Epist. 18. De electione Abbatissæ Buchaugiensis.

ACcedentibus olim ad præsentiam nostram dilectis filiis C. procuratore G. & C. nuntio L. & Canonicarum cœnobij in Bocchove dilectum filium Angelum tunc Subdiaconum & Capellanum nostrum, nunc sancti Adriani Diaconum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo ipsius G. proposuit procurator quòd olim cœnobio prædicto Abbatissa vacante, sorores, ad quas spectabat electio Abbatissæ, ad locum ad celebrandam electionem statutum pariter convenerunt, & habito diligenti tractatu, licèt in principio à diversis diversæ fuerint nominatæ, majori tamen & saniori parte ipsarum dictam G. in Abbatissam suam postmodum eligente, quatuor duntaxat dictam L. temerè nominarunt. Verùm cùm ipsius electionis quæstio ad examen venerabilis fratris nostri Constantiensis Episcopi dioceſani sui deducta fuisset, & idem cognitis causæ meritis electionem ipsius G. de prudentum virorum consilio confirmasset, ac induxisset eandem in corporalem possessionem cœnobij antedicti, officiales nobilis viri Comitis Marcoaldi, dicta L. procurante, ipsam G. à jamdicto cœnobio ejecerunt. Vnde procurator C. ejusdem G. electionem, quæ de ipsa facta fuerat, petiit confirmari. Nuntius verò L. prædictæ proposuit ex adverso quòd cùm major & sanior pars personarum ad quas pertinebat electio in ipsam L. voto unanimi convenissent, ne prænominata G. quæ se sibi adversariam opposuerat, prætextu qualis qualis nominationis ipsius in præjudicium ejusdem aliquid attentaret, ad venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum apostolicæ sedis Legatum, suspectum habens dioceſanum pro eo quòd erat ipsius G. consanguineus & manifestus adjutor, vocem appellationis emisit. Cùmque partes postmodum in arbitros convenissent, arbitris ipsis gratia dioceſani jamdicti ad arbitrium debitum procedere non curantibus, dicta L. sedem apostolicam appellavit. Cujus appellatione contempta, dicta G. administrationi abbatiæ fulta potentia brachij secularis temerè se ingessit. Vnde ipsius L. nuntius causam personis suspicione carentibus petiit delegari. Quare venerabili fratri nostro Basilienſi Episcopo & dilectis filiis de Novocastro & de Parisius Abbatibus causam ipsam sub certa forma duximus committendam. Partibus igitur in præsentia præfati Basilienſis Episcopi & Abbatis de Parisius ac F. Præpositi de Trutinhusen, cui Abbas de Castronovo vices suas, sententia tamen sibi reservata, commiserat, constitutis, & utrà illarum prius deberet proponere contendentibus, tandem interlocuti fuerunt judices antedicti præfatam L. primò debere suam proponere quæstionem, utpote quæ actoris personam gerere videbatur. A quorum sententia dicta G. ad sedem apostolicam appellavit. Et licèt præfatus Basilienſis Episcopus ejusdem appellationi duxerit deferendum, dicti tamen Abbas de Parisius & Præpositus eandem frivolam reputantes, & attendentes quòd secundùm formam rescripti procedere poterant sine ipso, testes ab L. sæpedicta productos, altera parte absente per contumaciam, receperunt: quorum depositionibus dicti Abbates diligenter inspectis, pro eadem L. sententiam proferentes, tam electionem quæ de præfata G. facta extiterat, quàm confirmationem dioceſani superiùs nominati penitùs irritarunt; à quorum sententia non fuit à parte altera provocatum. Nuper autem cùm procuratores partium ad nostram præsentiam accessissent, procurator ipsius G. interlocutoriam à præfatis judicibus promulgatam conatus est multipliciter impugnare, inter cetera præcipuè allegando quòd cùm dictus Abbas de Castronovo vices suas alij commisisset, licitè potuerat ad sedem apostolicam provocari. Nos igitur iis & aliis quæ fuere proposita coram nobis plenius intellectis, & inspecto nihilominus processu judicum prædictorum, attendentes appellationem ipsam, qua provocatum fuit ab interlocutoria tamquam iniqua, frivolam extitisse, cùm absque dubio rectè interlocuti fuerint tres judices memorati, licèt unus appellationi duxerit deferendum, & quòd Abbas de Castronovo, quamvis præfato Præpositio commiserit vices suas, tamen non totam jurisdictionem suam commisit eidem, sicut apparet ex eo quòd diffinitivam postmodum unà cum collega suo sententiam promulgavit, unde si à subdelegato appellandum fuisset, non ad nos sed ad eundem Abbatem debuerat appellari, appellatione hujusmodi non obstante, tam interlocutoriam quàm

diffinitivam sententiam pro præfata L. rationabiliter promulgatam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quòd si non omnes &c. tu ea frater Episcope. Vos denique, frater Episcope & fili Abbas, super vobis ipsis &c. Datum Laterani III. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PATRIARCHÆ Gradensi, & Episcopo Castellano.

Epist. 19. Adversùs Episcopum Tervisinum. *Vide infrà epist.* 160. *& lib.* 12 *epist.* 64. 65 *lib.* 15. *epist.* 295. 297.

EXhibitæ coram nobis dilectorum filiorum magistri Maximi Notarij & V. Thesaurarij Ecclesiæ Veronensis Subdiaconorum nostrorum & S. Gradensis Primicerij litteræ continebant quòd cùm cognitionem processus venerabilis fratris nostri Cremonensis Episcopi apostolicæ sedis Legati contra venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tervisinum eis duxerimus committendam, iidem in ipso legitimè procedentes, quia ipsis per testes & instrumentum publicum constitit evidenter quòd adversùs supradictum Episcopum ad inimicorum ejus instantiam, loco suspecto, eodem absente, ac post appellationem ad nos legitimè interpositam, fuit in inquisitione processum, & per quosdam, qui adeo in partem alteram declinarunt ut ea recusarent scribere quæ pro Episcopo facere videbantur, supradicti Legati processum in irritum revocarunt. Nos autem processum eorum, cùm nihil rationabile objectum fuerit contra ipsum, in hac parte duximus approbandum. Intelleximus etiam ex litteris eorundem, in inquisitione facta per bonæ memoriæ Albanensem electum apostolicæ sedis Legatum adversùs eundem Episcopum, quam coram se aperiri fecerunt, quosdam testes deposuisse juratos quòd cùm Tervisina civitas statuisset ut de feudis venditis sexta pars pretij ad feudorum dominos volueretur, & sic feudum fieret emptoris allodium, bonæ memoriæ Conradus Tervisinus Episcopus à sede apostolica & claræ memoriæ Henrico Imperatore privilegia impetravit ut contra episcopatum non haberet statutum hujusmodi firmitatem, & successores ejusdem Conradi de sic venditis feudis Ecclesiæ sextam portem recipere noluerunt, sed Episcopus iste recepit ex illis. Adjecerunt etiam testes prædicti quòd cùm commune civitatis ejusdem Ambrosio quondam Episcopo Tervisino abstulerit teloneum, Episcopus qui nunc præest, pro ipso duo millia librarum ab eodem communi recepit, quod memoratus Ambrosius facere recusavit. Ad hæc autem sic eundem Episcopum respondisse judices retulerunt, quòd dicta privilegia nec habuit neque vidit, & cùm ipse super statuto hujusmodi communitati resistere non valeret, & sic nisi sextam acciperet, in Ecclesiæ suæ potiùs præjudicium redundaret tam partem quàm totum etiam amittendo, ejusdem Ecclesiæ necessitate ac utilitate pensata, de venerabilis fratris nostri Aquilegiensis Patriarchæ licentia, cujus super hoc litteras illis exhibuit ejusdem sigilli munimine roboratas, de venditis feudis sextam recepit pretij portionem; adiciens ut cùm pro recuperando teloneo à communi ejus prædecessori sublato sollicitè laborarit, nec potuerit aliquem consequi super hoc ex suo labore profectum, tandem teloneum ipsum in duobus millibus librarum obtinuit æstimari; sed ex ipsis denariis aliquid non recepit, nisi quòd commune septingentas libras, quas extorquere ab ipso volebat, sibi recompensavit ex illis. Quia verò super iis dicti judices nihil specialiter decreverunt, cùm judex de ea re de qua cognovit pronuntiare debeat secundùm legitimas sanctiones, eorum negligentia in hac parte robur favoris apostolici non meretur. Licèt autem eundem Episcopum tam propter hoc quàm alienationem ejusdem molendini valde utilis Ecclesiæ Tervisinæ ac debita quibus tam brevi tempore post promotionem suam eandem Ecclesiam plurimùm oneravit, necnon beneficia ecclesiastica, sicut accepimus, personis indignis collata, de dilapidatione suspectum, quinimmo quodammodo culpabilem secundùm canonica & legalia instituta suspendere ab administratione possemus, ne tamen vir nobilis Guercius, quem ab impetitione ipsius Episcopi propter causas inimicitiarum alia vice repulimus, & nunc etiam nuntios ejus non duximus admittendos, tamquam inimicus super eum hac occasione gauderet si forsan idem Episcopus reduceretur in pœnam quam ad clamores ejus incurrerat, providimus sic rigorem mansuetudine temperandum quòd in illo insultationis non superabundet occasio, & circa istum non videatur omitti super administratione cautela. Hinc est quòd omnis alienationis speciem sub interpositione anathematis interdicentes

eidem, ipsum ab alienandi suspendimus potestate; ut ipso jure contractus alienationis sit irritus, si quis fortè per ipsum medio tempore fuerit attentatus. Interim autem dilectos filios Decanum & magistrum Gall. Canonicum Tervisinos circa curam & administrationem temporalium ei præcepimus adhiberi, sine quorum consilio & assensu in temporalibus non ministret; præstito ab illis corporaliter juramento quòd ei circa temporalium administrationem assistent fideliter & prudenter. Super eo autem quòd quædam ecclesiastica beneficia, non solùm indignis, sed etiam indignè asseritur concessisse, veritatem nihilominus inquiratis, & eam ad nostrum referatis examen, interim ipsum à potestate conferendi ecclesiastica beneficia suspendentes. Ceterùm ut plenè indemnitatibus provideatur Ecclesiæ Tervisinæ, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus super rebus alienatis, videlicet quot & quanta quantique valoris extiterint, quodvè dispendium ex hoc incurrerit Ecclesia Tervisina, necnon & aliis circumstantiis inquisita per Canonicos Tervisinos juramento interposito sollicitè veritate, depositiones ipsorum ad nos sub sigillis vestris inclusas fideliter transmittentes, præfigatis Episcopo terminum competentem infra quem per se vel procuratorem idoneum nostro se conspectui repræsentet, ut super hoc secundùm quod expedire viderimus procedamus. Vos igitur tam prudenter in præmissis sublato contradictionis & appellationis obstaculo procedere studeatis quòd circumspectionem vestram ex hoc possimus in Domino commendare. Nullis litteris veritati &c. Vos denique, fratres Patriarcha & Episcope, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VI. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIPRESBYTERO DE Gravalona Novariensis diocesis.

Epist 10. De interdicti sententia relaxanda.

EX parte communis de Gravalona Novariensis diocesis fuit propositum coram nobis quòd licèt terra ipsorum fundata sit in solo habili & fœcundo, adeo tamen infortunata est & infausta ut nec in rebus multiplicari valeat nec personis, & cùm, fortuna sibi aliquatenus arridente, speratur quòd ab hujusmodi debeat infelicitate consurgere, casibus semper opprimitur improvisis. quod ex eo existimant provenire quia terra eadem olim, sicut fama est, propter excessus dominorum ipsius suppo-

sita fuit sententiæ interdicti, quæ non creditur fuisse postmodum relaxata. Vnde apostolatui nostro humiliter supplicarunt ut cùm nobis in beato Petro Apostolo ab ipsa fuerit veritate promissum quòd quæcunque solveris super terram, soluta erunt pariter & in cœlis, eos ab hujusmodi vinculo absolvere dignaremur, præsertim cùm animarum quoque periculum ex hoc sibi metuant imminere. Cùm igitur majores propter minorum offensam & culpa majorum minores quandoque puniri sacræ scripturæ doceamur exemplis, piam eorum sollicitudinem & timorem commendamus in Domino, & speramus quòd fides quam de clavibus Petri gerunt ipsis utilis esse debeat ad veniam promerendam, cùm paralyticum ad pedes Iesu Christi summissum per tegulas fides salvaverit aliena. Verùm quia David ad placandam indignationem divinam, quæ culpa ipsius in populum fuerat concitata, sacrificium Domino legitur obtulisse, nos factis ejusdem, quæ ad nostram eruditionem scripta esse testatur Apostolus, inhærentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus populum dicti loci, ut ad expiandam culpam hujusmodi & divinam propitiationem faciliùs impetrandam, aliquam Domino satisfactionem impendant monens efficaciter & inducens, præfatam interdicti sententiam auctoritate nostra denunties relaxatam, eosdem sollicitè commonendo ut sic in divino timore permaneant ne quos apud homines apostolica solvit auctoritas, propria liget iniquitas apud Deum. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO SALZEBVRGENSI, & Salzeburgensi & de Berhtherfgadme Salzeburgensis diocesis Præpositis.

Epist. 11. Eis committitur quædam causa.

CAusam quæ inter dilectos filios A. Presbyterum & C. scholarem Ratisponenses super Ecclesia in Buchkirchen vertitur, ab examine dilecti filij Præpositi sancti Nicolai & suorum conjudicum delegatorum nostrorum ad nos per appellationem delatam, dilecto filio Angelo sancti Adriani Diacono Cardinali commisimus audiendam. Coram quo Presbyter proposuit memoratus quòd cùm olim venerabilis frater noster Patavienſis Episcopus prædictam Ecclesiam de Buchkirchen, quam ad commonitionem ejusdem Episcopi dictus C. nullo tunc ordine fungens, pro eo quòd quandam puellam desponsaverat publicè, per litteras & propriũ nuntium resignarat,

sicut per ejusdem Episcopi litteras ostendebat, eidem canonicè concessisset vacantem quidem & nemine reclamante, ac ipsam idem Presbyter aliquandiu possedisset in pace, tandem prædictus C. ad quosdam judices apostolicas litteras super restitutione ipsius Ecclesiæ adversùs memoratum Episcopum impetravit, mendaciter se clericum exprimens in eisdem, cùm tempore impetrationis ipsarum clericali non esset charactere insignitus. Et licèt hujusmodi abrenuntiaverit litteris, data fide quòd eis nullatenus uteretur dummodò sibi dictus Episcopus de ipso Presbytero faceret justitiæ plenitudinem exhiberi, postmodum tamen idem C. coram eo traxit in causam Presbyterum antedictum; qui cùm sentiret indebitè se gravari, sedem apostolicam appellavit. Eo verò prosequente appellationem emissam, dictus C. per judices ad quos litteras quibus abrenuntiaverat impetrarat, prænominatam Ecclesiam occupavit. Cùmque super hoc idem Presbyter ad Decanus Patavienſem & collegas ipsius nostras litteras reportasset, & de spoliatione ipsius Presbyteri constitisset eisdem, ipsi restituendam ei prænominatam Ecclesiam decreverunt, mittentes duos Decanos cum eodem Presbytero qui auctoritate nostra ipsum in possessionem Ecclesiæ mitterent corporalem. Quibus sæpedictus C. unà cum quibusdam armatis se violenter opponens, ipsos turpiter repulerunt. Sed cùm judices ipsum C. pro temeritate hujusmodi ad eorum præsentiam citavissent, & idem appellans frustratoriè, manifesta contumacia laboraret, tam in eum quàm in ejus fautores excommunicationis sententiam proferentes, eundem Presbyterum cum securitate nobilis viri Ducis Bavariæ ad prænominatam Ecclesiam remiserunt. D. verò Subdiaconus & quidam alij ejusdem C. servi, & patris ejus amici, eodem C. procurante, noctis tempore ipsum aggressi Presbyterum, adhuc nudum, in lecto jacentem, ligatis à tergo manibus, equis & aliis rebus ejus ablatis, traxerunt impositis ei plagis ad sylvam, & inter ungues spinis immissis, eum multis aliis affecere tormentis, & tanto tempore, procurantibus F. E. & W. militibus & quibusdam aliis Patavienſis diocesis, tenuere captivum donec prædicti Ducis & quorundam aliorum nobilium precibus pro quadam summa pecuniæ se redemit. Quare tam ejus diocesanus quàm judices memorati ipsius miseriis miserentes, præsumptores præfatos & fautores ipsorum excommunicationis vinculo innodarunt. Vnde nobis humiliter supplicavit ut ejus adversarij malitiis occurrentes, laboribus ipsius imponere finem dignaremur. Ad hæc autem per D. procuratorem partis alterius fuit ex adverso responsum quòd cùm prædictus C. memoratam Ecclesiam ab ipso Patavienſi canonicè sibi collatam duobus annis pacificè possedisset, tandem eo insistente scholasticis disciplinis, eandem idem Episcopus contulit Presbytero memorato. Super quo tam contra ipsum quàm contra Presbyterum ad Ratisponenſem Præpositum & suos conjudices litteras impetrávit, qui propter contumaciam ipsius Presbyteri eundem C. in possessionem causa rei servandæ miserunt. Interim autem idem C. citatus à Decano Patavienſi & suis conjudicibus per quasdam nostras litteras ipsis per suum adversarium præsentatas, in quibus tamen nulla de prioribus mentio habebatur, in ipsa citatione bis fuit per eundem Presbyterum spoliatus. Propter quod ad præfatos judices Ratisponenſes recurrens, eundem fecit Presbyterum excommunicationis vinculo innodari, & ad cautelam à secundis judicibus ad nos per nuntium proprium appellavit, tum propter causam præmissam, tum quia exceptiones ejus legitimas admittere recusabant. Vnde petebat ut revocato in irritum quod per Decanum Patavienſem & suos conjudices temerè fuerat attentatum, Ratisponenſis Præpositi & conjudicum ejus processum robur faceremus firmitatis habere. Nos igitur per fidelem narrationem Cardinalis prædicti auditis iis & aliis quæ fuere proposita coram eo, possessionem ejusdem Ecclesiæ cum fructibus perceptis adjudicavimus Presbytero memorato, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus in corporalem possessionem ipsius Ecclesiæ Presbyterum mittatis eundem, & auctoritate nostra defendatis inductum, super fructibus quod à nobis est sententialiter diffinitum facientes per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Ceterùm quia de damnis & injuriis supradictis nobis non potuit fieri plena fides, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, si de iis legitimè vobis constiterit, de damnis satisfieri competenter eidem Presbytero facientes, pro hujusmodi detestandis injuriis præfato C. si per eum illatæ fuerunt, super Ecclesia ipsa perpetuum silentium imponatis. Alioquin eo, sicut dictum est, primitus

restituto, super proprietate ipsius Ecclesiæ audiatis causam, & quod canonicum fuerit sublato appellationis obstaculo decernatis, facientes quod statueritis &c. Tu autem &c. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Archiepiscope &c. Tù denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Laterani VII. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno decimosexto.

NOBILI VIRO COMITI Nivernensi, spiritum consilij sanioris.

Epist. 22. De causa mota inter Verzeliacensis cum Comite Nivernensi. Vide infrà epist. 154. 159 lib. 1. epist. 141 & lib. 15. epist. 85.

CVm pro quæstione quæ inter te ex parte una & dilectos filios Abbatem & conventum monasterij Virziliacensis diocesis Eduensis ex altera super quibusdam procurationibus annuis, damnis, & injuriis vertebatur, tui & partis alterius procuratores ad nostram præsentiam accessissent, & in ea fuisset aliquandiu coram nobis prudenter & providè disputatum, tandem ex parte tua relatione tuorum procuratorum accepimus quòd tu volens per omnia complacere nostræ beneplacito voluntatis, paratus eras in hac causa nostris obtemperare mandatis. Nos autem communicato fratrum nostrorum consilio hoc duximus injungendum, ut cùm tu & successores tui Comites Nivernenses in festo paschali ad monasterium accesseritis memoratum, nomine procurationis centum librarum usualis monetæ, quæ pro tempore curret, sitis summa contenti, tantundem in festo beatæ Mariæ Magdalenæ procurationis nomine recepturi, si ad monasterium accesseritis supradictum, ad protectionem ejusdem monasterij, secundùm quod de jure tenemini, dantes operam efficacem. Vt ergo super hoc nulla possit in posterum via patere calumniæ, tu & uxor tua per authenticum instrumentum Abbati & conventui ejusdem monasterij promittatis vos id firmiter observaturos, vestros nihilominus successores ad hujus rei observantiam obligantes, & ad majorem cautelam faciatis hoc per carissimum in Christo filium nostrum [Philippum] illustrem Regem Francorum auctoritate regia confirmari; mandatum nostrum taliter impleturi quòd divinam & apostolicam gratiam possitis exinde uberiùs promereri. Damus itaque venerabili fratri Episcopo & dilectis filiis Abbati sancti Victoris & Cancellario Parisiensi nostris litteris in mandatis ut postquam super hoc tu & uxor tua litteras secundùm formam concesseritis supradictam, te juxta formam Ecclesiæ à vinculo excommunicationis absolvant quo propter idem negotium nostra es auctoritate ligatus, injungentes tibi sub debito præstiti juramenti ut ad impetrandam super hoc confirmationem regiam des operam bona fide. Abbatem verò & conventum prædictos ab omni de revimus impetitione cessare, omnemque remittere quæstionem quæ ipsis adversùs te Comitem super damnis & injuriis competebat; decimis de Dornitiaco duntaxat exceptis, super quibus eis satisfieri volumus & mandamus. Datum Laterani II. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno decimosexto.

Scriptum est super hoc Episcopo, Abbati sancti Victoris, & Cancellario Parisiensi, verbis competenter mutatis. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Tu denique &c.

ARCHIEPISCOPO ET Abbati sancti Pauli Narbonensis, & Priori Fontisfrigidi Narbonensis diocesis.

Epist 23. Adversùs homines Montispessulani.

CAriissima in Christo filia illustris Regina Aragonum de hominibus Montispessulani plenam injuriis nobis obtulit quæstionem, qui, sicut asserit, redditus loci ejusdem, castrorum & villarum in districtu Montispessulani existentium, ad eandem Reginam de jure spectantes, eisdem à viro suo illustri Rege Aragonum titulo pignoris obligatos, contra justitiam detinent & ei reddere contradicunt, cùm ipsa pignoris obligatio, utpote de re dotali, de jure robur non habuerit firmitatis; quæ si aliquem sortita fuisset effectum, tanto tempore ipsarum rerum redditus perceperunt quòd non solùm extenuatum est debitum, verùm etiam non modicam summam pecuniæ restituere tenentur eidem; castrum nihilominus, quod ibidem habebat, funditus* diruerunt, inde lapides, & cæmenta in majoris contemptus opprobrium asportantes, & ad jura dominij manibus suis extensis, Notarium & Consules in Montepessulano fecerunt contra voluntatem ipsius, & in damnum ejus pisces vendi faciunt in locis aliis quàm consuetum fuerit ab antiquo, nomine Consulum, & non Reginæ, facientes banna & edicta proponi. Præterea castrum de Latis, quod multis inhabitabatur hominibus, partim ruina, partim incendio destruxerunt, pluribus ex ejusdem loci hominibus interfectis. In iis autem & aliis eadem asserebat Regina se damna multorum millium marcarum & plurium solidorum per illorum injurias incurrisse: qui etiam, tamquam hæc non sufficerent ad offensam, de quodam castro ipsius Reginæ carissimum in Christo

* Rectè, ut patet ex actis editis à Gariello pag. 279.

filium nostrum illustrem Regem Aragonum expulerunt, ut sic eum adversùs eam tacitè provocarent; & ut inter eos contra jura matrimonij majoris incentivum discordiæ susciterent, Regem jurare fecerunt eundem ut Montempessulanum infra biennium non intraret. Volentes autem eidem Reginæ in suo jure adesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; præfatos etiam homines Montispessulani per eandem censuram appellatione postposita compellentes ut super expensis quas propter hæc eadem fecit Regina, ipsi satisfaciant ut tenentur. Interim autem eosdem homines ad solvendam ipsi Reginæ medietatem omnium reddituum patrimonij ejus, & ut de subtractis satisfaciant competenter, per districtionem ecclesiasticam, sicut justum fuerit, sublato appellationis obstaculo compellatis. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Vos denique, frater Archiepiscope & fili Abbas, super vobis ipsis &c. Datum Laterani v i. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

MARBACENSI ET DE SALEM Abbatibus Basilienſis & Constantienſis diœceſum, & H. Cellerario Basilienſi.

Epist. 24. Quòd spoliatus restituendus est ante judicium.

ACcedentibus ad sedem apostolicam dilectis filiis R. Præposito Marbacensi & Henrico procuratore Marbacensis Ecclesiæ dilectum filium Robertum tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo proposuit Præpositus memoratus quòd cùm olim de mandato venerabilis fratris nostri Basilienſis Episcopi litterarum nostrarum contra Ottonem maledictum & reprobum fidus & verus interpres coram universo clero & terræ nobilibus & aliis multis astantibus latam à nobis in reprobum supradictum excommunicationis sententiam constanti mente ac voce intrepida divulgaret, Canonici ejus ibi occasionem odij medicantes ubi eis dilectionis materia poterat abundare, in ipsum unanimiter conspirarunt, & quorundam laicorum favore suffulti, eum à Marbacensi Ecclesia jam annis elapsis duobus turpiter ejecerunt. Cùmque idem Præpositus à nobis obtinuerit dari Luzelacensi Abbati & suis conjudicibus nostris litteris in mandatis ut fratres prædictos per censuram ecclesiasticam cogerent eidem reverentiam & obedientiam debitam exhibere, necnon ad venerabilem fratrem nostrum Metensem Episcopum, tunc Spirensem, nostras litteras impetrarit ut quoslibet imperiales ecclesiastica districtione compelleret ne ipsum in aliquo molestarent, interim dicti Canonici adversùs eum ad Abbatem * Parisiensem & suos conjudices à sede apostolica quasdam litteras impetrarunt. Iidem verò judices terminum peremptorium præmittentes, locum ei assignavere suspectum; & licèt tam propter hoc quàm alias causas recusationis legitimè illorum potuisset judicium declinare, tamen coram eis in modum exceptionis objecit quòd priùs deberet restitui quàm adversariorum petitionibus respondere, cùm nec nudus contendere nec inermem se deberet opponere inimicis; & ne ipsum judices ad respondendum restitutione non prævia cogerent, ad sedem apostolicam appellavit. Ipsi verò, licèt tractatum de compositione præmiserint, tamen adversariis ipsius Præpositi ab examine venerabilis fratris nostri Episcopi Basilienſis, in quem sub interpositione fidei fuerat à partibus compromissum, ad judices eosdem reversis, in ipsum Præpositum absentem & non restitutum, lite nullatenus contestata, post appellationem ad nos legitimè interpositam, depositionis sententiam promulgarunt, dantes Canonicis de facto licentiam eligendi alium in pastorem. Vnde petebat idem Præpositus ut cùm ipsa sententia, si sententia dici deberet, contra solitum ordinem judiciorum fuerit promulgata, denuntiare dignaremur eandem irritam & inanem, & ipso plenariè restituto, ejus adversarios perjuros, excommunicatos, participantes excommunicatis, & conspiratores, & possessiones Ecclesiæ contra tenorem confirmationis nostræ minùs licitè distrahentes, faceremus per aliquos canonicæ subici ultioni. Procurator autem Canonicorum proposuit ex adverso quòd cùm Canonici Marbacenses dictum R. super perjurio duplici, dissolutione vitæ, furtiva subtractione privilegiorum Ecclesiæ, ac dilapidationis vitio, coram dicto Abbate Parisiensi & suis conjudicibus delegatis à nobis impeterent, ipse de meritis causæ diffidens ad exceptiones divertit inanes, quibusdam causis suspicionis adversùs unum de judicibus allegatis, in quarum probatione defecit. Iudices autem, ne viderentur mandati apostolici

* Vide supra epist. 11.

contemptores, se ad principalis quæstionis examen exigente justitia converterunt. Nec opus erat ut eum ad petitionem restitutionis admitterent, quem dilapidationis objectu pars altera repellebat, ne daretur eidem in re familiari grassandi facultas. Cùm enim de dilapidatione suspectus debeat ab administratione suspendi, memoratus R. evidens dilapidator existens ab administrationis petitione levi poterat exceptione repelli, contra quem, ut amoveretur ab ea, daretur actio ad agendum, nec super spoliatione hujusmodi poterat coram eisdem judicibus litigare, cùm ad alios super hoc nostras litteras impetrasset. Præterea si Præpositus idem de spoliatione in modum actionis agebat, Canonicorum quæstio, quæ ordine propositionis præcesserat, præcedere terminatione debebat. Quòd si spoliatio fuit in modum exceptionis objecta, non propter hoc erat ei restitutio facienda. Vnde judices ipsius Præpositi, frivolæ appellationis diffugio nonobstante, cùm esset in litteris nostris appellationis obstaculum interdictum, cognitis causæ meritis, in eum depositionis sententiam protulerunt. Quapropter dictus procurator instabat ut sententiam ipsam, pro qua præsumi debebat donec contrarium probaretur, dignaremur apostolico munimine roborare. Nos igitur auditis iis & aliis per fidelem narrationem Cardinalis prædicti quæ fuere proposita coram eo, cùm non debuerit adversùs eundem Præpositum spoliatum post appellationem legitimam & lite non contestata procedi, maximè occasione litterarum quæ veritate tacita fuerant impetratæ, processum judicum eorundem & quicquid ex eo secutum est, vel ob id decrevimus irritum & inane. Ceterùm quia se restitui principaliter petiit Præpositus memoratus, cùm constaret ipsum fuisse ab adversariis spoliatum, nos sententialiter restituentes eundem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum in corporalem possessionem Marbacensis præposituræ sublato appellationis obstaculo inducatis, & auctoritate nostra defendatis inductum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes; proviso prudenter ut si præfatus Præpositus meritò fuerit de dilapidatione suspectus, adhibeatis eidem circa curam temporalium duos viros provídos & fideles, sine quorum consilio & assensu administrationem temporalium nequeat exercere, ne per usum administrationis inutilis, bona Marbacensis Ecclesiæ dissipentur. Deinde super aliis quæ hinc inde fuere proposita, quia de ipsis nobis constare non potuit, vos partibus convocatis, & auditis quæ duxerint proponenda, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis. Et si præscripta crimina contra dictum Præpositum legitima probatione patuerint, vos ipsum à regimine Marbacensis Ecclesiæ in perpetuum amoventes, appellatione remota, faciatis Ecclesiæ supradictæ de alio viro idoneo in Præpositum per electionem canonicam provideri. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Vindocinensibus.

Epist. 25. Laudat reformationis propositum.

DIlectus filius W. monachus vester, quem in promovendis Ecclesiæ vestræ negotiis sollicitum comperimus & prudentem, ex parte vestra proposuit coram nobis quòd in proposito & desiderio geritis Ecclesiam * sanctæ Priscæ de monte Aventino ad vestrum monasterium pertinentem reformare in temporalibus & spiritualibus ordinare, instituendo monachos in eadem juxta beati Benedicti regulam Domino servituros; dummodò dignitates & jura quæ monasterio vestro competunt ex eadem, vobis & ipsi monasterio integra conservemus. Vnde nobis humiliter supplicavit ut super hoc nostræ voluntatis beneplacitum vobis rescribere dignaremur. Nos igitur propositum vestrum commendantes in Domino, & desiderium favore benivolo prosequentes, insinuatione vobis præsentium intimamus quòd cùm super eadem Ecclesia nostrum vobis privilegium concesserimus, gratum nobis & acceptum existet si efficaciter intenderitis ad ipsius commodum & augmentum. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* Vide Sirmond. in Notis ad Goffrid. Vindoc. lib. 3. epist. 9.

SLESWICENSI EPISCOPO.

Epist. 26. Rescribit ad ejus consulta. Cap Postulasti, De foro compet.

POstulasti per sedem apostolicam edoceri utrum sacerdos Ecclesiam habens in una dioceси, & residens in eadem, domicilium verò patrimonij ratione in alia, ibique delinquens, ab Episcopo in cujus habet dioceси patrimonium pro delicto ibidem commisso debeat judicari, præsertim

in causis quæ officij seu beneficij privationem exposcunt. Ad quod breviter respondemus quòd per Episcopum in cujus deliquit dioceſi sententia promulgari poterit in eundem, sed ab Episcopo in dioceſi cujus Ecclesiam obtinet, erit quoad ipsam Ecclesiam hujusmodi executio sententiæ facienda. Quæsivisti præterea utrum contra quosdam contempta excommunicationis sententia debitas Ecclesiis decimas subtrahentes tibi regiam implorare liceat potestatem, cùm ad solutionem ipsarum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari. Ad quæ tibi duximus respondendum, quòd si te de hujusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex, cui ad bonorum laudem & malefactorum vindictam gladius est commissus, in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiæ imputandum. Cimiteria verò in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit. Procurationes autem quæ visitationis ratione debentur, sine manifesta & necessaria causa non exigas, nisi cùm personaliter officium visitationis impendis. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani III. Kal. Maij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Cap. Postulasti. *De homicidio.*

Vide cap *Sacris.* De sepultur. & cap. *Proposuisti.* De dedicat. Eccl.

Vide cap. *Procurationes.* De censib.

EPISCOPO ET CAPITVLO Massilienſi.

Epist. 27. Vt mandatario apostolico assignent præbendam.

APostolicæ sedis benignitas, quæ curam gerit & sollicitudinem singulorum, suam gratiam specialiter circa illos ampliare tenetur qui noscuntur diutiùs in ejus obsequiis laudabiliter insudasse. Dignum est enim ut ipsius domestici ab ejusdem uberibus repleantur, & sibi eam invenant affluentem quam etiam in benignitatis affluentia sibi sentiunt exuberantem ignoti. Cùm igitur pro dilecto filio magistro R. scriptore nostro, cujus fidelitas & devotio in cancellariæ nostræ servitio est probata, jam tertiò vobis scripserimus ut eidem, quem dudum ad mandatum nostrum nullo sibi beneficio assignato in fratrem & Canonicum recepistis, curaretis tam in domibus quàm in aliis sicut uni ex vobis providere, ac postmodum quibusdam vestrum in nostra præsentia constitutis hoc idem injunxerimus viva voce, grave gerimus & indignum quòd vos more aspidis surdæ aures penitùs obturantes, id hactenus efficere non curastis. Volentes igitur adhuc utrum in vobis aliqua obedientiæ scintilla remanserit experiri, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus ipsi magistro saltem hac vice juxta præscriptam formam providere curetis. Alioquin noveritis nos dilecto filio magistro Thedisio nuntio nostro per nostras dedisse litteras in præceptis ut de bonis Ecclesiæ vestræ secundùm formam eandem competentem sibi provisionem nostra fultus auctoritate assignet, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Tu denique, frater Episcope, super te ipso & credito tibi &c. Datum Laterani.

Scriptum est super hoc dilecto filio magistro Thedisio nuntio nostro, verbis competenter mutatis.

VNIVERSIS CHRISTI fidelibus per Maguntinensem provinciam constitutis.

Epist. 1. De negotio terræ sanctæ.

QUia major nunc instat necessitas quàm unquam extiterit ut terræ sanctæ necessitatibus succurratur, & de succursu speratur major quàm unquam provenerit utilitas proventura, ecce resumpto clamore clamamus ad vos, & pro illo clamamus qui moriendo voce magna clamavit in cruce, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, clamans ut nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu, qui clamat etiam per se ipsum, & dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Aci diceret manifestiùs: *Qui vult me subsequi ad coronam, me quoque subsequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur universis.* Poterat enim omnipotens Deus terram illam, si vellet, omnino defendere, ne in manus traderetur hostiles. Posset & illam, si vellet, de manibus hostium facilè liberare, cùm nihil possit ejus resistere voluntati. Sed cùm jam superabundasset iniquitas, refrigescente caritate multorum, ut fideles suos à somno mortis ad vitæ studium excitaret, agonem illis proposuit in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis immo salvationis causam præstando; ut qui fideliter pro ipso certaverint, ab ipso feliciter coronentur; & qui ei noluerint in tantæ necessitatis articulo debitæ servitutis impendere famulatum, in novissimo districti examinis die justam mereantur damnationis sententiam sustinere. O quanta jam provenit utilitas ex hac causa! quàm multi conversi ad pœnitentiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tentiam pro liberatione terræ sanctæ mancipaverunt se obsequio crucifixi, & quasi per agonem martyrij coronam gloriæ sunt adepti, qui fortè in suis iniquitatibus periissent, carnalibus voluptatibus & mundanis illecebris irretiti! Vetus est hoc artificium Iesu Christi, quod ad suorum salutem fidelium diebus istis dignatus est innovare. Si enim Rex aliquis temporalis à suis hostibus eiceretur de regno, nisi vassalli ejus pro eo non solùm res exponerent, sed personas, nonne cùm regnum recuperaret amissum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet malè malos? Sic Rex Regum Dominus Iesus Christus, qui corpus & animam & cetera vobis contulit bona, de ingratitudinis vitio & infidelitatis crimine vos damnabit, si ei quasi ejecto de regno, quod pretio sui sanguinis comparavit, neglexeritis subvenire. Sciat ergo se culpabiliter durum & durè culpabilem quicunque in hoc necessitatis articulo suum negaverit obsequium redemptori. Nam & quomodo secundùm præceptum divinum diligit proximum suum sicut se ipsum qui scit fratres suos fide ac nomine Christianos apud perfidos Sarracenos ergastulo diri carceris detineri ac jugo deprimi gravissimæ servitutis, & ad liberationem eorum efficacem operam non impendit, transgrediendo illius naturalis legis mandatum, quod Dominus in evangelio declaravit: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* An fortè nescitis quòd apud illos multa millia Christianorum in servitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris cruciantur? Et quidem omnes penè Sarracenorum provincias usque post tempora beati Gregorij Christiani populi possederunt; sed ex tunc quidam perditionis filius Machometus pseudopropheta surrexit, qui per seculares illecebras & voluptates carnales multos à veritate seduxit; cujus perfidia etsi usque ad hæc tempora invaluerit, confidimus tamen in Domino, qui jam fecit nobiscum signum in bonum, quòd finis hujus bestiæ appropinquat, cujus numerus secundùm apocalypsin Iohannis intra sexcenta sexaginta sex clauditur, ex quibus jam penè sexcenti sunt anni completi. Certè præter priores injurias grandes & graves redemptori nostro pro nostris offensis à perfidis Sarracenis illatas, nuper in monte Thabor, ubi discipulis suis futuræ glorificationis speciem demonstravit, iidem perfidi Sarraceni quandam munitionis arcem in confusionem Christiani nominis erexerunt, per quam civitatem Accon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde sine omni contradictionis obstaculo residuum terræ hujus invadere, cùm sit viribus & opibus penè penitùs destituta. Eia igitur, dilectissimi filij, dissensiones & æmulationes fraternas in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obsequium crucifixi, non dubitantes pro illo res exponere ac personas qui pro vobis animam suam posuit & sanguinem suum fudit, certi pariter & securi quòd si verè pœnitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quasi quodam compendio, ad requiem pervenietis æternam. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse participes juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum omnes qui ad subventionem terræ sanctæ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona ex quo crucem assumpserint sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & Episcoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per Ecclesiarum Prælatos appellatione postposita censura ecclesiastica compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores eorum per Ecclesiarum Prælatos, ut remittatur eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadver-

Gregor. VIII. epist. 1.

sione mandamus. Iudæos verò ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem; & donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quàm in aliis per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Vt autem terræ sanctæ subsidium divisum in plurimos faciliùs impendatur, obsecramus omnes & singulos, per patrem & filium & spiritum sanctum, unum solum verum, unum æternum Deum postulantes, vice Christi, pro Christo, ab Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam cathedralium quàm aliarum conventualium Ecclesiarum Capitulis & Clericis universis, necnon civitatibus, villis, & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundùm proprias facultates. Et si ad hoc unum quodlibet non suffecerit, plura conjungantur in unum. Quia pro certo speramus quòd personæ non deerunt, si expensæ non desint. Postulantes hoc ipsum à Regibus & Principibus, Comitibus & Baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per se ipsos personaliter non accesserint ad obsequium crucifixi. A civitatibus verò maritimis navale subsidium postulamus. Et ne aliis onera gravia & importabilia imponere videamur quæ digito nostro movere nolimus, protestamur veraciter coram Deo quia quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium necessariis providimus indulgendum ut omni contradictione cessante beneficiorum suorum proventus propter hoc valeant usque ad triennium pignori obligare. Quia verò subsidium terræ sanctæ multum impediri vel retardari contingeret si ante susceptionem crucis examinari quemlibet oporteret an esset idoneus & sufficiens ad hujusmodi votum personaliter prosequendum, concedimus ut, regularibus personis exceptis, suscipiant quicunque voluerint signum crucis; ita quòd cùm urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverit, votum ipsum de apostolico possit mandato commutari aut rediimi vel differri. Et propter eandem causam remissiones & indulgentias hactenus à nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros vel contra hæreticos in Provinciam revocamus; maximè cùm illis concessæ fuerint ad tempus quod jam ex toto præteriit, & istis ob causam quæ jam ex majori parte cessavit; utroque negotio per Dei gratiam adeo prosperato ut vehementem instantiã non requirat; & si forte requireret, nos ingruenti necessitati prospicere curaremus. Concedimus tamen ut hujusmodi remissiones & indulgentiæ apud Provinciales remaneant & Hispanos. Cetèrùm quia cursarij & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ capiendo & spoliando transeuntes ad illam & revertentes ab illa, nos eos & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & injungentes rectoribus civitatum & locorum suorum ut eos ab hac iniquitate revocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos nihil est aliud quàm fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare, nos in personas & terras eorum severitatem ecclesiasticam curabimus exercere, cùm tales non minùs quàm Sarraceni adversentur nomini Christiano. Innovamus præterea excommunicationis sententiam in Lateranensi Concilio promulgatam adversùs eos qui Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, eosque rerum suarum privatione multari & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus; præcipientes ut per omnes urbes maritimas diebus dominicis & festivis hujusmodi sententia publicè innovetur. Verùm cùm longè plus de divina clementia quàm de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis quàm spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus & mandamus ut singulis mensibus semel fiat generalis processio seorsum virorum, ac seorsum, ubi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis, cum devota orationum instantia postulantium ut misericors Deus auferat à nobis hoc confusionis opprobrium, liberando terram illam in qua universa redemptionis nostræ sacramenta peregit de manibus paganorum, restituendo eam ad laudem & gloriam nominis sui sancti populo Christiano; proviso prudenter ut semper in ipsa processione verbum salutiferæ crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi verò jejunium & eleemosyna conjungantur; ut iis quasi alis faciliùs & celeriùs ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra

Vide infrà epist. 108.

Missarum solemnia, post pacis osculum, cùm jam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quàm mulieres humiliter prosternantur in terram, & à Clericis psalmus iste, *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam*, alta voce cantetur; quo cum hoc versu devotè finito, *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus qui oderunt eum*, sacerdos qui celebrat, orationem istam super altare decantet.

Deus, qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus ut terram quam unigenitus filius tuus proprio sanguine consecravit de manibus inimicorum crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad ejus liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per eundem Dominum nostrum &c.

In illis autem Ecclesiis in quibus conveniet processio generalis, truncus concavus statuatur tribus clavibus consignatus, una penes honestum Presbyterum, alia penes devotum laicum, & tertia penes aliquem regularem fideliter conservandis, in quo Clerici & laici, viri & mulieres, eleemosynas suas ponant in terræ sanctæ subsidium convertendas secundùm dispositionem eorum quibus hæc fuerit sollicitudo commissa. Porrò super processu & transitu modesto & ordinato, congruo loco & tempore faciendo, nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini cruce signetur; sed tunc pensatis undique circumstantiis, quæcunque viderimus opportuna de prudentum virorum consilio statuemus. Ad hæc igitur exequenda dilectos filios .. de Salem & .. quondam de Novocastro Abbates & C. Decanum Spirensem & Præpositum Augustensem, viros utique probatæ honestatis & fidei, deputamus; qui ascitis secum viris providis & honestis, auctoritate nostra statuant & disponant quæcunque ad hoc negotium promovendum viderint expedire, facientes quæ statuerint in singulis diocesibus per viros idoneos ad hoc specialiter deputatos fideliter ac sollicitè procurari. Quocirca universitatem vestram rogando monemus & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes & in virtute spiritus sancti injungentes quatenus eis pro Christo legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quòd per vos & in vobis fructum faciant exoptatum.

In eundem modum per Magdeburgensem & Bremensem provincias. In eundem modum per Colonienſem provinciam. In eundem modum per Sardiniam. In eundem modum per Salzeburgenſem provinciam. In eundem modum per Dalmatiam. In eundem modum per Trevirenſem provinciam. In eundem modum per Ravennatem. In eundem modum per Poloniam. In eundem modum per Mediolanenſem & Ianuenſem provincias conſtitutis. In eundem modum per Suetiam. In eundem modum per Marchiam Anconitanam. In eundem modum per Lundenſem provinciam. In eundem modum per Vngariam. In eundem modum per Angliam. In eundem modum Pragenſi Epiſcopo, & Abbatibus, Prioribus, & univerſis Chriſti fidelibus per Boëmiam conſtitutis. In eundem modum per Tuſciam. In eundem modum per Iberniam. In eundem modum per Norvuagiam. In eundem modum per Calabriam. In eundem modum per Scotiam. In eundem modum univerſis per regnum Franciæ conſtitutis.

DE SALEM ET P. quondam de Novocaſtro Abbatibus, & Decano Spirenſi, & Præpoſito Auguſtenſi, executoribus.

Epiſt. 19. Super eodem.

PIum & sanctum propositum quod de subventione terræ sanctæ pro communi salute Deo inspirante concepimus & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris poteritis advertere manifestè. Cùm ergo de sinceritate ac sollicitudine vestra geramus fiduciam pleniorem, vosque reputemus idoneos ad fungendum pro Christo legationis officio in hac causa, devotionem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes & in remissionē peccaminum injungentes quatenus accensi zelo fidei Christianæ per Maguntinensem provinciam portetis in humilitate cordis & corporis verbum crucis, & ad vindicandam injuriam crucifixi fideles ipsius, prout in generalibus litteris continetur, cura sollicita & accurata sollicitudine inducatis, exequentes diligenter & efficaciter universa quæ ad subsidium terræ sanctæ in eisdem litteris videbitis comprehensa, quæ à vobis volumus studiosè notari. Vt autem operum exhibitione monstretis vos portare in cordibus vestris stigmata Iesu Christi, districtè præcipimus quatenus excutientes ab omni munere manus vestras, nec aliquid præter victum & alia necessaria recipientes à quoquam, quin etiam moderatè sumentes hæc eadem & modestè, in evectionibus quaternarium & in personis senarium

numerum singuli vestrum nullatenus excedatis; ita modum atque modestiam in iis aliisque servantes ut in vobis nihil reprehensibile valeat inveniri per quod offendiculum credito vobis evangelio præbeatur; promoventes eo studio ac vigilantia causam Christi ut multorum & magnorum bonorum quæ de ipsa credimus proventura participes existatis. Si quid autem pro terræ sanctæ succursu fuerit vobis oblatum, faciatis illud apud aliquem religiosum locum studiosè reponi, significaturi nobis in fine anni processum & profectum sollicitudinis vestræ; ut cognoscere valeamus apud quos profeceritis in personis aut rebus ad hoc salutare negotium deputatis, nostrumque vobis beneplacitum rescribamus, docentes qualiter in antea procedere debeatis.

In eundem modum Episcopo quondam Halberstatensi, & F. quondam Abbati de Sichen, per Magdeburgensem & Bremensem provincias. In eundem modum magistris Oliverio Coloniensi Scholastico, & Hermanno Decano Bunnensi, per Coloniensem provinciam. In eundem modum Episcopo Ratisponensi, & Præposito Salzeburgensi. In eundem modum Vilariensi & de Romerdorf Abbatibus per Treverensem provinciam. In eundem modum Archiepiscopo Gneznensi. In eundem modum Vpsallensi Archiepiscopo. Pium & sanctum &c. *usque* rescribamus. Sanè volumus & mandamus ut per totam Suethiam cum consilio venerabilis fratris nostri Lundensis Archiepiscopi apostolicæ sedis Legati secundùm præscriptam formam hoc negotium exequaris. Nos enim eidem Archiepiscopo nostris damus litteris in mandatis ut tibi super hoc consilium tribuat opportunum.

In eundem modum Lundensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato. Pium &c. *usque* accensus zelo fidei Christianæ adjungas tibi viros idoneos, cum quibus per totum regnum Danorum portes &c. *usque* fideles ipsius diligenter inducas &c. *usque* in evectionibus, cùm pro hac causa processeris, vicenarium numerum non excedas &c. *usque* causam Christi, ut particeps fias multorum & magnorum &c. *usque* rescribamus. Sanè scribimus venerabili fratri nostro Vpsallensi Archiepiscopo ut ipse per totam Suethiam cum tuo consilio secundùm præscriptam formam hoc negotium exequatur. Quare volumus & mandamus ut super hoc ei consilium tribuas opportunum.

In eundem modum Galtero Londonensi Archidiacono, Cancellario, & magistro Phi. de Oxoniæ per Angliam. In eundem modum Episcopo Florentino, & Archiepiscopo Pistoriensi per Tusciam. In eundem modum Archiepiscopo Dublinensi & Abbati Mellifontis per Iberniam. In eundem modum Nidrosiensi Archiepiscopo per Norvvagiam. In eundem modum Ariminensi & Anconitano Episcopis per Anconitanam Marchiam. In eundem modum sancti Andreæ & Glasquensi Episcopis per Scotiam. In eundem modum Calaritano & Turritano Archiepiscopis per Sardiniam. In eundem modum Spalatino & Ragusino Episcopis per Dalmatiam. In eundem modum Parmensi Episcopo & Abbati sancti Stephani Bononiensis. In eundem modum Archiepiscopis & Episcopis Vngariæ, ita quòd quilibet in diocesi sua. In eundem modum Nicolao Subdiacono nostro. In eundem modum Cusentino Archiepiscopo & Abbati Sambucinensi. In eundem modum Roberto tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato.

ARCHIEPISCOPO ET Episcopis, Abbatibus, Prioribus per Viennensem provinciam constitutis.

Epist. 50. Indictio Concilij generalis.

VIneam Domini Sabaoth multiformes moliuntur bestiæ demoliri; quarum incursus adeo invaluit contra ipsam ut ex parte non modica pro vitibus spinæ succreverint, &, quod gementes referimus, ipsæ jam vites proferant pro uva labruscam, infectæ multipliciter & corruptæ. Illius ergo testimonium invocamus qui testis est in cœlo fidelis quòd inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc seculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet terræ sanctæ ac reformationem universalis Ecclesiæ valeamus intendere cum effectu: quorum utrumque tantam requirit provisionis instantiam ut absque gravi & grandi periculo ultra dissimulari nequeat vel differri. Vnde supplicationes & lacrymas frequenter effudimus coram Deo, humiliter obsecrantes quatenus super iis suum nobis beneplacitum revelaret, inspiraret affectum, accenderet desiderium, & propositum confirmaret, facultatem & opportunitatem præstando ad ea salubriter exequenda. Quapropter habito super iis cum fratribus nostris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti sollicitudo propositi exigebat, hoc tandem ad exequendum prædicta de ipsorum consilio providimus faciendum, ut quia hæc universorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium juxta priscam sanctorum patrum consuetudinem convocemus propter lucra solummodo animarum opportuno

tempore celebrandum; in quo ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hæreses & roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fovendam, inducendos Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium terræ sanctæ tam à Clericis quàm à laïcis impendendum, cum ceteris quæ longum esset per singula numerare, providè statuantur inviolabiliter observanda circa Prælatos & subditos regulares & seculares quæcunque de ipsius approbatione Concilij visa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis ejus, remedium & salutem animarum nostrarum, ac profectum & utilitatem populi Christiani. Quia verò ante biennium universale non posset Concilium commodè congregari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis provinciis plenius explorare quæ apostolicæ provisionis limam exposcunt, & præmittere viros idoneos ad terræ sanctæ negotium procurandum; ut si exigente necessitate sacrum Concilium approbaverit, nos personaliter ipsum negotium assumamus efficaciùs promovendum. Credentes igitur hoc salutare propositum ab illo descendere à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus vos taliter præparetis quòd à præsenti dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo decimotertio anno usque ad duos annos & dimidium, præfixis vobis pro termino Kalendis Novembris, nostro vos conspectui præsentetis cum modestia & cautela, ita quòd in vestra provincia unus vel duo de suffraganeis valeant Episcopi remanere pro Christianitatis ministeriis exercendis; & tam illi quàm alij qui canonica fortè præpeditione detenti personaliter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsales, personarum, & evectionum mediocritate servata quam Lateranense Concilium definivit, ut nullus omnino plures, quivis autem pauciores secum adducere possit; nec quisquam superfluas faciat & pomposas, sed necessarias tantùm & moderatas expensas, ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem; cùm non secularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc sit negotio requirendus. Injungatis autem vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, ex parte nostra universis Ecclesiarum Capitulis, non solùm cathedralium, sed etiam aliarum, ut Præpositos vel Decanos aut alios viros idoneos ad Concilium pro se mittant, cùm nonnulla sint in ipso tractanda quæ specialiter ad Ecclesiarum Capitula pertinebunt. Interim verò & per vos ipsos & per alios viros prudentes universa subtiliter inquiratis quæ correctionis aut reformationis studio indigere videntur, & ea fideliter conscribentes, ad sacri Concilij perferatis examen, circa subventionem necessariam terræ sanctæ, ubi Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari, opem & operam efficaciter impensuri; assistendo fideliter & prudenter iis quos deputaverimus ad hoc negotium specialiter procurandum. Nullus itaque se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahat, si canonicam vult effugere ultionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur, quæ, Domino faciente signum in bonum, ex magna jam parte cessare cœperunt. Nam & quantò imminent majora pericula, tantò potiora remedia convenit adhiberi. Nunquam enim navigabit per æquora qui semper expectat ut mare non concitet ex se fluctus. Datum Laterani XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno decimosexto.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopo & Episcopis, Abbatibus, Prioribus constitutis per provincias Maguntinensem, Bremensem, Gneznensem, Salzeburgensem, Treverensem, Magdeburgensem, Colonienſem, Eboracensem, Tarantasiensem, Armachanensem, Ravennatensem, Ragusiensem, Mediolanensem, Arelatensem, Narbonensem, Iadrensem, Nidrosiensem; Ianuersem, Bisuntinensem, Arborensem, Aquilegensem, Cantuariensem, Spalatinensem, Gradensem, Turritanensem, Dublinienſem, Vpsallensem, Ebredunensem, Cassiensem, Heraclienſem, Athenienſem, Theſſalonicensem, Lariſſensem, Patracensem, Cretensem, Tuamensem, Lundensem, Strigonienſem, Calaritanensem, Andrinopolitanensem; Lugdunensem, Aquensem, Antibarensem, Macrensem, Neupratensem, Meſſinopolitanensem, Piſanam, Tripolitanam, Veriſienſem, Tyrensem, Philippensem, Terraconenſem, Toletanensem, Bracarensem, Compoſtellanam, Corinthienſem, Nazarensem, Senonensem, Rotomagensem, Turonensem, Bituricensem, Burdegalensem.

In eundem modum Archiepiſcopo, Epiſcopis, Abbatibus, & Prioribus conſtitutis per Cyprum, Calabriam, Siciliam, Bulgariam & Blachiam, Scotiam.

In eundem modum Catholico & Archiepiſ-

copis & Episcopis necnon Abbatibus per Armeniam.

In eundem modum Episcopo Pragensi, Episcopo Regensi, & Maronitanensi, Sertensi, & Miditensi Archiepiscopis, & Episcopo Cosonensi, ita quòd unicuique seorsim.

In eundem modum Episcopis per Tusciam & Marchiam Anconitanam & ducatum Spoleti constitutis.

In eundem modum Patriarchæ & Archiepiscopis & Episcopis & Abbatibus tam Latinis quàm Græcis per Constantinopolitanam provinciam constitutis.

In eundem modum illustri Constantinopolitano Imperatori usque ex se fluctus. Cùm ergo deceat & expediat ut tua imperialis sublimitas ad synodum tam solemnem nuntios dirigat speciales, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs quatenus præscripto termino, vita comite, viros idoneos dirigere non postponas, per quos tuæ nobis aperias beneplacitum voluntatis; quia, quantum cum honestate poterimus, ad tuum libenter & efficaciter intendemus commodum & honorem. Datum.

In eundem modum Philippo illustri Regi Francorum. In eundem modum Regibus Aragonum, Navarræ, Castellæ, Legionensi, Portugalensi, Cypri, Norvvagiæ, Corkaiæ, Lumbricensi, Conacciæ, Mindiensi, Suetiæ, ita quòd unicuique seorsim.

In eundem modum Magistro & fratribus militiæ Templi. Vineam Domini Sabaoth &c. *usque*, donum perfectum, universis Archiepiscopis & Episcopis ac aliis Ecclesiarum Prælatis per universas ferè Christianorum provincias constitutis per apostolica scripta præcipiendo mandamus ut se ipsos taliter præparent &c. *verbis competenter mutatis, usque* requirendus. Injungant etiam Archiepiscopi & Episcopi ex parte nostra universis Ecclesiarum Capitulis &c. *usque* fluctus. Cùm igitur in hoc generali Concilio sint multa tractanda quæ ad statum vestri ordinis pertinebunt, decet & expedit ut ad idem Concilium viros idoneos destinetis, qui negotia vestra debeant fideliter procurare.

In eundem modum Magistro & fratribus Hospitalis Hierosolymitani.

In eundem ferè modum Abbati & conuentui Cistercienſi, & Abbati & conventui Præmonstratensi, unicuique seorsim.

In eundem modum Capitulo Constantinopolitano usque cùm modestia & cautela. Qui verò canonica fortè præpeditione detenti personaliter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsales; nec quisquam superfluas &c. *usque* requirendus. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ei qui auctore Deo Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsidebit, ex parte nostra quæ præmissa sunt fideliter nuntietis, ut & ipse juxta priscam formam nostro se conspectui repræsentet; nihilominus de collegio vestro viros idoneos pro vobis ad hoc sacrum Concilium transmitturi, cùm nonnulla sint in ipso tractanda quæ specialiter ad Ecclesiarum Capitula pertinebunt. Interim verò per vos ipsos & alios viros prudentes &c. *usque* perferatis examen. Nullus itaque se fallaciter *usque* ex se fluctus. Datum.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, ceteriſque Clericis per regnum Franciæ constitutis.

Epist. 11. Super eodem.

PIum & sanctum propositum quod de subventione terræ sanctæ pro communi utilitate Deo inspirante concepimus & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris poteritis advertere manifestè. Ad hoc igitur salutare propositum exequendum dilectum filium nostrum Robertum tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, destinamus, merito suæ probitatis speciali gratia nobis acceptum, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eum vice nostra, immo potiùs vice Christi, devotè suscipere ac honestè tractare curetis, ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes, præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium terræ sanctæ. Nos enim quod super iis & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus provida deliberatione statuerit præcipimus inviolabiliter observari; concedentes eidem ut evellat & destruat, ædificet atque plantet, quæ sibi evellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum &c.

ROBERTO TITVLI SANCTI Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato.

Epist. 12. Super eodem.

VT efficaciùs possis intendere ad subsidium terræ sanctæ, præsentium tibi auctoritate concedimus ut iis qui ad tuam vocationem devotè convenerint ad audiendum verbum salutiferæ crucis, de injunctis sibi pœnitentiis vice nostra certam valeas indulgentiam impertiri. De torneamentis autem hoc tibi duximus con-

cedendum, ut de virorum prudentum consilio salubriter statuas quod terræ sanctæ utilitati secundùm Deum videris expedire. Datum &c.

ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 33. Ei commendat Legatum apostolicum.

QVam sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & regnum Franciæ habeamus novit ille qui testis est in cœlo fidelis, cujus super hoc testimonium securè possumus invocare. Adeo quippe regni tui exaltationem diligimus, privilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quòd æquanimiùs Ecclesiæ Romanæ quàm ipsi regno sustineremus magnum aliquid adversitatis accidere, cùm faciliùs hæc quàm illud ab imminenti posset periculo liberari. Vt ergo super hoc ampliùs securus reddaris & certus, mittimus ad tuam regalem præsentiam dilectum filium nostrum Robertum tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, qui ea quæ plenius accepit à nobis, expressiùs tibi referat viva voce; serenitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino quatenus eum benignè recipias & honestè pertractes, ipsius acquiescendo salubribus monitis & consiliis propter Deum. Datum.

In eundem modum nobili viro Ludovico carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris primogenito.

In eundem modum nobili mulieri Blancæ uxori nobilis viri Ludovici carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Francorum primogeniti.

PATRIARCHÆ Alexandrino.

Epist. 34. Consolatur eũ, & invitat ad Concilium.

EX litteris quas aliquotiens tua nobis fraternitas destinavit & aliis quoque indiciis cognovimus evidenter te non solùm ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, verùm etiam ad personam nostram specialiter devotionem habere debitam & devotam. Propter quod habentes te in visceribus caritatis, tibi compatimur in tribulationibus quas pateris & pressuris: quamquam & tibi & nobis sit in eis potiùs gloriandum, cùm id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis hujusmodi, supra modum in sublimitate pondus æternæ gloriæ operetur, nec sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam revelandam in illis qui pro Christi nomine patiuntur. Propter quod Apostolus sibi placebat in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, & angustiis quas sustinebat pro Christo, & cùm infirmabatur, tunc maximè potens erat, sciens quòd virtus in infirmitate perficitur, & quòd licèt per eam homo corrumpatur exterior, interior tamen per eandem jugiter renovatur. Timentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, qui suos non solùm de tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat, ut quasi meridianus fulgor consurgat eis ad vesperam, & cùm se consumptos putaverint, ut lucifer oriantur. Benedicas igitur Deo & patri Domini nostri Iesu Christi, qui te in omni benedictione spirituali secundùm gratiæ suæ divitias benedixit, & ut esses immaculatus in conspectu ipsius, dedit tibi ut non solùm credas in Christum, sed pro Christo etiam patiaris. Porta ergo, carissime frater, in corpore tuo stigmata Iesu Christi, per quem mundus tibi crucifixus est & tu mundo. Stabilis esto, & adversùs mundanas adversitates immobilis, abundans in opere Dei semper, sciens quòd labor tuus non est inanis in Domino, & sicut in te Christi passiones abundant, ita & per Christum abundet consolatio tua, qui te supra id quod potes non patietur tentari, sed faciet in ipsa tentatione proventum, ut valeas sustinere; cùm jam ipso docente didiceris in quibus es esse sufficiens, & cum Apostolo scias satiari, scias & esurire, & abundare, & penuriam pati, ac possis in eo qui te confortat omnia tolerare. Fideles quoque ab infidelibus in captivitate detentos sedulis exhortationibus corrobora & confirma, ne deficiant in tribulationibus suis, sed cogitantes in lucta victoriam & præmium in labore, bonum certamen certare non desinant, & cursum servando fidem feliciter consummare; ut de reliquo coronam justitiæ meritò valeant expectare, quam reddet eis in illa die Dominus justus judex; scientes quòd nos ad liberationem eorum studium diligens & operam efficacem, si desuper datum fuerit, satagimus adhibere. Denique ad tuam duximus notitiam perferendum quòd cùm inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc seculo principaliter affectemus, ut ad recuperationem videlicet terræ sanctæ ac reformationem universalis Ecclesiæ valeamus intendere cum effectu, hoc ad exequendum prædicta de fratrum nostrorum consilio providimus faciendum, ut scilicet

quia hæc universorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium juxta priscam sanctorum patrum consuetudinem convocemus opportuno tempore celebrandum; in quo ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hæreses, & roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fovendam, inducendo Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium terræ sanctæ tam à Clericis quàm laïcis impendendum, cùm ceteris quæ longum esset per singula numerare, providè statuantur, inviolabiliter observanda circa Prælatos & subditos regulares & seculares, ad divini nominis gloriam & honorem, remedium & salutem animarum nostrarum, ac profectum & utilitatem populi Christiani; Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per universas ferè Christianorum provincias constitutis per scripta nostra mandantes ut se taliter studeant præparare quòd à præsentis dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo tertiodecimo anno usque ad duos annos & dimidium, præfixis sibi pro termino Kalendis Novembris, nostro se conspectui repræsentent cum modestia & cautela; ita quòd qui canonica fortè præpeditione detenti personaliter venire nequiverint, aut remanserint pro Christianis ministeriis exercendis, idoneos pro se dirigant responsales. Quia igitur in tanto negotio tuam desideramus habere præsentiam, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus, si fieri poterit, personaliter ad præsentiam nostram accedas termino suprascripto. Quòd si forsan venire nequiveris, saltem aliquem virum idoneum pro te ad Concilium mittere non postponas. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis apud justissimum judicem & piissimum patrem orationum impertire suffragium, quo plurimùm indigemus.

DVCI ET POPVLO Venetorum.

Epist. 35. De negotio terræ sanctæ.

AMemoria vestra non excidit quàm solemni voto vos ad terræ sanctæ subsidium astrinxistis. Licèt autem propositum vestrum ad alia postmodum declinaverit, votum tamen nihilominus in sua firmitate permansit: quia etsi cuique sit in vovendo libertas, est tamen necessitas in reddendo, cùm sit scriptum: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*; quorum primum pertinet ad consilium, secundum pertinet ad præceptum. Cùm igitur opportunum vobis tempus immineat reddendi Domino vota vestra, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus vos taliter præparetis quòd non transgressores voti, sed executores diligentes inveniamini & fideles; pro certo scientes quòd si fortè divino timore postposito negligeretis efficere quod mandamus, grave vobis immineret salutis dispendium apud Deum & infamiæ quoque opprobrium apud mundum; quemadmodum è contrario, si quod vobis injungimus curaveritis adimplere, & laudem apud homines temporalem & mercedem apud Deum merebimini sempiternam.

ALBERTO HIEROSOLYMITANO Patriarchæ apostolicæ sedis Legato.

Epist. 36. De negotio terræ sanctæ, & ut accedat ad Concilium generale.

PIum & sanctum propositum quod de subventione terræ sanctæ pro communi utilitate Deo inspirante concepimus & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris ad universas penè Christianorum provincias destinatis, quorum tibi transcripta dirigimus, intelliges manifestè. Super quo tantò pleniori gaudio hilarescis quantò profectò id ardentiori desiderio affectasti. Ne verò detestabilis conversatio quorundam inhabitantium terram ipsam hujus salutaris executionem propositi aut impediat aut retardet, cùm Deum suis nefandis operibus non ad indulgentiam provocent, sed ad iram, carissimam nobis tuæ fraternitatis prudentiam obsecramus in Domino quatenus more prudentis medici ad lethalem eorum plagam curandam diversis experimentis utaris, eosque studeas ad veram pœnitentiam revocare, si fortè salubribus acquiescendo consiliis, divinæ virtutis accipiant medicinam, per quam divinæ sentiant medicinæ virtutem. Licèt autem dura Sarracenorum perfidia non consueverit humilibus Christianorum precibus emolliri, ut tamen ille nostram humilitatem respiciat qui superbis resistit, humilibus verò dat gratiam, de virorum prudentum consilio divinum præ oculis timorem habentium, Soldanum Damasci & Babyloniæ, qui hereditatem Christi detinet occupatam, apostolicis providimus litteris humiliter præmonendum secundùm formam quam in ipsis litteris videbis expressam. Nam & dispositionibus nostris auditis, quæ utinam eum

possent

possent omnino latere, fortassis omnipotens Deus suum in eum terrorem immitter, & benignè rogatus ostendet facere se sponteneum quod durè compulsus facturum se putaret invitum. Vnde volumus & mandamus quatenus cum nuntiis nostris viros providos & fideles ad eum facias destinari, qui apud ipsum nostrum studeant promovere mandatum. Interim autem carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Hierosolymitanum Regem illustrem & tam Hospitalis quàm militiæ Templi fratres, cum peregrinis pariter & indigenis, ad defensionem & custodiam hujus terræ prudenter moneas & inducas; ne, quod avertat Dominus, ei quicquam adversi valeat evenire, divino semper auxilio invocato. Quia verò tuam nobis præsentiam ad hoc salutare propositum exequendum valde credimus necessariam, immo quàm maximè fructuosam, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus, si videris posse fieri absque gravi dispendio terræ sanctæ, præfixum ad universale Concilium celebrandum quàm citò poteris satagas terminum prævenire, ducens aliquos viros tecum in consilio providos & in commisso fideles, qui plenè noverint circumstantias causarum & rerum, temporum & locorum; quibus undique circumspectis, ad liberationem hereditatis dominicæ utiliùs intendere valeamus. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis apud justissimum judicem & piissimum patrem orationum impertire suffragium, quo plurimùm indigemus.

NOBILI VIRO SAPHILDINO Soldano Damasci & Babyloniæ, timorem divini nominis & amorem.

Epist. 37. Eiusdem ferè argumenti cũ superiore.

DAniele Propheta testante didicimus quòd est Deus in cœlo, qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna; ut universi cognoscant quòd dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem evidenter ostendit quando Hierusalem & fines ipsius in manus fratris tui tradi permisit, non tam propter ejus virtutem quàm propter offensam populi Christiani Deum ipsum ad iracundiam provocantis. Nunc autem ad illum conversi speramus quòd ipse miserebitur nostri, qui secundùm Prophetam cùm iratus est, non oblivisciturmisereri. Vnde illum imitari volentes qui de se dicit in evangelio, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, magnitudinem tuam humiliter obsecramus quatenus ne propter violentam detentionem præfatæ terræ plus adhuc effundatur humani sanguinis quàm hactenus est effusum, saniori utens consilio restituas eam nobis, de cujus detentione, præter inanem gloriam, fortè plus tibi difficultatis quàm utilitatis accrescit; ipsaque reddita, & dimissis utrinque captivis, quiescamus à mutuis impugnationum offensis; ita quòd apud te non sit deterior conditio gentis nostræ quàm apud nos est conditio gentis tuæ. Latores ergo præsentiũ ad tuam præsentiã destinatos rogamus ut benignè suscipias & honestè pertractes, dignũ illis responsum tribuens cum effectu.

ABBATI DE BAZACO Xantonensis diocesis, & Eliæ de Græcia Engolismensi Canonico.

Epist. 38. De collatione præbendarum.

EX vestris accepimus litteris quòd cùm ordinationem de quibusdam præbendis in Ecclesia Xantonensi vacantibus vobis duobus & dilecto filio Abbati de Talemundo duxerimus committendam, .. Archidiacono & A. Fulcerio Canonico Xantonensibus, instantibus vobis duobus, tertio per litteras excusato; ut mandatum apostolicum impleretis, pars Capituli facultatum insufficientiam allegavit, producens nihilominus quoddam privilegium felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, per quod ei videbatur indultum ne plures recipere cogerentur quàm suppeterent Ecclesiæ facultates. Vos tandem, auditis hinc inde propositis, de assensu partium ipsum negotium cum attestationibus quas ad præsentationem Capituli recepistis de insufficientia facultatum & transcripto memorati privilegij vestris sigillis inclusis ad sedem apostolicam remisistis. Cùm autem nobis fuerit pro Capitulo supplicatum ut secundùm hoc dignaremur illi Ecclesiæ providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis pleniùs veritate, de omnibus vel aliquibus præbendarum illarum secundùm facultates Ecclesiæ ordinetis juxta cursum in Xantonensi Ecclesia consuetum. Quòd si fortè de omnibus vel aliquibus nequiveritis ordinare, ordinationem ipsam usque ad tempus Concilij differatis; præfato Capitulo injungentes ut tunc nuntios mittant ad nostram præsentiam speciales, super hoc mandatum apostolicum recepturos. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Laterani 11. Non. Iunij, pontificatus nostri anno XVI.

DE NEGOTIO COMITVM TOLOSÆ, CONVENARVM, FVXI, ET GASTONIS DE BEARNO.

Epist. 39. De negotio Comitis Tolosani.

SAnctissimo Patri & benignissimo Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Hugo solà Dei permissione Regensis Episcopus & Thedisius Canonicus Ianuensis, humiles servi ejus, cum longitudine dierum & vita perenni, ad oscula pedum se ipsos. Sanctitati vestræ insinuatione præsentium innotescat quòd de facto Comitis Tolosani, quod olim insufficientiæ nostræ providentia vestra commisit, processimus in hunc modum. Sanè priùs apud sanctum Ægidium infra ttes menses secundùm tenorem apostolici rescripti Concilium habuimus Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ, Baronum etiam, & aliorum quorum præsentiam novimus opportunam; ante omnia per litteras nostras Comiti memorato mandantes ut hæreticos & rotarios de terra sua expelleret, alia etiam mandata impleret humiliter ad quæ tenebatur adstrictus pluribus juramentis; ne si fortè mandata illa implere negligeret, purgationi suæ impedimentum præstaret. Cùmque vocatus venisset ad Concilium, & per operis evidentiam manifestè nobis & toti Concilio constitisset quòd mandata quæ de hæreticis & rotariis expellendis & aliis causis multis & negotiis diversis temporibus à diversis Legatis, & præcipuè à bonæ memoriæ magistro Milone, sibi facta fuerant non impleverat nec implebat, consilium fuit omnium & communis deliberatio, ipsum non debere tunc temporis ad purgationem admitti. Non enim verisimile videbatur quòd in tantis criminibus, videlicet super hæresi & nece Legati, bene juraret qui totiens in minoribus causis & articulis sua fuerat juramenta transgressus. Injunctum itaque sibi fuit à Prælatis qui convenerant ad colloquium & à nobis ut hæreticos & rotarios de suo districtu expelleret, & alia nihilominus impleret humiliter & devotè de quibus constabat ipsum juramentis plurimis obligatum fuisse; quatenus cùm in iis & aliis se dignum fecisset, requisiti ab ipso circa personam ejus apostolicum exequeremur mandatum. At ipse recedens à nobis, non solùm non implevit quæ mandavimus, verùm datus in reprobum sensum ex toto, & oblitus multam gratiam & misericordiam quam ultra suorum exigentiam meritorum apud apostolicam sedem invenit, cœpit iniquitati iniquitatem apponere ac præteritis abominationibus & criminibus committere graviora. propter quæ à Legatis de communi consilio Prælatorum multotiens fuit anathematis mucrone percussus, & exposita terra ejus. Nec credat apostolica circumspectio nos in exequendo mandato vestro extitisse aliquatenus desides vel remissos. Sæpissime enim dictum Comitem ex parte vestra citavimus, & ad præsentiam nostram venire contempsit; nec venerabilibus patribus Carpentoractensi & Vasionensi Episcopis & Clericis eorum, quibus usque ad summam ferè mille marcharum per me Regensem & bonæ memoriæ magistrum Milonem sub pœna excommunicationis quondam fuerat condemnatus, & aliis ecclesiasticis & miserabilibus personis, quas exheredaverat, voluit satisfacere coram nobis. quæ omnia per venerabilem patrem Nemausensem Episcopum, tunc sancti Ruffi Abbatem, & litteras nostras & per me Thedisium, qui postmodum ad pedes vestros accessi, benignitati vestræ curavimus diligentissimè intimare. Postquam autem à beatitudine vestra hoc anno recepimus super eodem negotio iteratum mandatum, licèt à Comite ipso nunquam fuerimus requisiti, apud Avinionensem civitatem in Provincia continuò vocavimus Ecclesiarum Prælatos, quorum consilio & deliberatione mandatum vestrum tutiùs exequi valeremus. Verùm ego Thedisius gravissima infirmitate præventus, & multi ex Prælatis, quia generalis corruptio aëris ibi erat, nequivimus colloquio interesse; sicque factum est ut necessariò negotium differretur. Deinde quando tempus habuimus opportunum, venerabiles patres Narbonensis apostolicæ sedis Legatus & Burdegalensis Archiepiscopi, multi præterea Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, juxta Tolosam apud Vaurum ad citationem nostram ad Concilium convenerunt; à quibus, prout tenebamur, in tanto negotio consilium requisivimus diligenter. Ipsi verò post multam deliberationem & diligentem tractatum consilium suum nobis in scriptis dederunt, quatuor, nomine omnium, sigillatum sigillis, sicut de verbo ad verbum inferiùs plenius continetur.

Vide lib. 12. epist. 152. 153. lib. 14. epist. 163. lib. 15. epist. 212.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Hoc est consilium quod Dominus Narbonensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus & alij Ecclesiarum Prælati qui fuerunt in Concilio apud Vaurum dederunt Regensi Episcopo & magistro Thedisio Canonico Ianuensi judicibus delegatis à Domino Papa super negotio Comitis Tolosani. Consuluerunt enim eis quòd Comes Tolosanus propter multiplices causas & rationes non debebat ab eis ad purgationem admitti, tam super crimine hæreticæ pravitatis, quàm super nece Legati. Constat enim & notorium est quòd de expellendis hæreticis & rotariis de terra sua & aliis multis articulis multotiens præstitit juramenta in manibus Legatorum, quorum nullum servavit. Immo postquam ab apostolica sede rediit, apud quam multam misericordiam & gratiam invenit ultra suorum exigentiam meritorum, iniquitatem iniquitati apponens, adauxit pedagia, impugnavit Ecclesiam & pacem cum rotariis & hæreticis incessanter impugnat, receptavit hæreticos, fovit & fovet, & quanta potuit & potest virtute defendit. Mille insuper & ultrà de crucesignatis clericis & laicis rotarij ejus & complices occiderunt. Præterea Abbatem de Montealbano ferè per annum captum detinuit, Abbatem de Moyssiaco cœpit, Episcopum Agennensem de propria sede cum rotariis ejecit, & civitate sua & aliis bonis omnibus spoliavit, & damnificavit eum in valentia quindecim millium solidorum. Adeo præterea infamatus fuit & est de hæresi à longis retro temporibus apud bonos & graves quòd invincibi-

liter præsumitur contra ipsum. Propter istas & alias plurimas enormitates & manifestos excessus ipsius, quæ omnia longum est enarrare, dixerunt Prælati & concorditer responderunt quòd adeo se fecit indignum ut ei fieri copia evangeliorum non deberet à Legatis vel judicibus delegatis, & etiam quia tali excommunicationis genere propter ea quæ dicta sunt tenetur adstrictus quòd ab eis sine speciali mandato Domini Papæ non potest absolvi. Placuit enim toti Concilio ut præsens scriptum sigillis dicti Domini Narbonensis Archiepiscopi & Albiensis, Tolosani, & Convenarum Episcoporum suo & aliorum nomine signaretur.

Et quia non poteramus ad purgationem injungendam Comiti procedere, juxta consilium Prælatorum per litteras nostras bis protestati fuimus Comiti sæpedicto quòd per ipsum stabat & impedimentum præstiterat ne factum ipsius posset ulteriùs habere progressum absque summi Pontificis licentia speciali. Profectò, præter alias iniquitates & abominationes ipsius, Abbatem de Montealbano ferè per annum tenuerat vinculis mancipatum, necnon de sede propria bonis omnibus spoliatum ejecerat Episcopum Agennensem. Ipse tamen nobis postea per quendam Notarium suas litteras destinavit, in quibus misericordiam potiùs quàm judicium implorabat, postulans à nobis ut vel mitteremus Tolosam ad ipsum, aut ei assignaremus locum alium competentem. Quibus diligenter in scriptis rescripsimus quòd in causa ejus propter rationes præfatas procedere nullatenus poteramus, & idcirco noluimus eum gravare vel etiam nos ipsos inutiliter laboribus & expensis. Volentes igitur fines mandati diligentissimè custodire, meram & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem & processum, beatitudini vestræ breviter intimamus, cui soli Dominus imponendi finem tantis claudibus plenissimam scientiam & potestatem concessit. Ecclesiæ suæ omnipotens præsidentiam vestram in longitudinem dierum conservet.

Epist. 40. De eadem re.

SAnctissimo Patri ac benignissimo Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Michael divina promissione Arelatensis Archiepiscopus, Vvillelmus Avinionensis, Burnus Vivariensis, Raimundus Vticensis, Arnaldus Nemausensis, Guillelmus Magalonen. Guillelmus Carpentoractensis, Guillelmus Aurasicensis, Gaufridus Tricastinensis, & Bertrandus Cavellicensis Episcopi, & Raibaldus Vasionensis electus, & Pontius monasterij sancti Ægidij Abbas, humiles servi sanctitatis ipsius, longitudinem dierum cum vita & salute perenni. Vtinam infallibiliter & oculata fide posset vestra sanctitas sicut nos possumus intueri qualiter videlicet partes nostras & ferè totam provinciam Narbonensem, terras olim miseriæ tenebrarum & umbræ mortis, & in quibus nullus ordo, sed confusio inerat sempiterna, per ministerium vestrum & illorum quos ad extirpandum lolium de agro dominico ante faciem vestram operarios destinastis, Rex gloriæ, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, ad cultum fidei, ad statum quietis & pacis, & ad debitam reformationem potenter & mirabiliter revocavit. Sanè regiones & provinciæ quæ traditæ fuerant Sathanæ & ministris ejus hæreticis, rotariis, & ceteris criminosis in exterminium & direptionem, præcipuè, quod detestabilius erat, in conculcationem & contemptum nominis Christiani, modò sub vigilantia vestra, per gratiam Iesu Christi, qui oriens eas visitavit ex alto, translatæ quasi de morte in vitam & de tenebris & confusione ad lucem, in religionis fervore, in tranquillitate temporum, & in multis aliis benedictionibus vestris exultant adeo & respirant ut quæ priùs partes & hereditas dæmonum poterant non immeritò appellari, nunc hereditas sancta & pacis visio rectissimè appellentur. Et ut brevitate succincta plurima colligamus magnalia Dei & vestra, quibus de doloribus inferi erepti sumus & ab Ægyptiaca servitute, vix possent auribus apostolicis per aliculus scientiam vel facundiam intimari ad plenum. Pro iis & aliis beneficiis vestris & verè operibus Vicarij Iesu Christi, quæ ab oriente in occidentem illuminant totum mundum, & à mari usque ad terminos orbis terræ coruscant, firmiter credimus & speramus pro certo quòd in retributione justorum reposita est vobis corona justitiæ, quam in illum diem redditurus est vestræ beatitudini justus judex. Verùm, Pater sanctissime, adhuc summopere timendum est & cavendum ne venenum hydræ, hoc est, dolosissimæ civitatis Tolosæ, si non tamquam membrum putridissimum succidatur, & ipsa circumstantia loca jam plenè purgata & salubria inficiat iterum & corrumpat, & quod ædificatum est & reformatum à vobis multis laboribus & expensis, in antiquum chaos recidat, aut in multò deterius relabatur. Proinde benignitati vestræ cum devotione omnimoda flexis genibus & profusis lacrymis supplicamus quatenus secundùm zelum Phinees, quem habetis, arripiat judicium manus vestra, & fermentatissima civitas illa cum sceleratis omnibus spurcitiis & sordibus quæ se infra tumidum ventrem viperæ receperunt, cùm in sua malitia non sit inferior Sodoma & Gomorrha, debito exterminio radicitus explantetur. Si enim laqueus ille contritus fuerit, & nos erimus liberati. Alioquin in veritate quæ Deus est vobis loquimur & testamur quòd si fortè peccatis nostris exigentibus tyrannus ille vel potius hæreticus Tolosanus, aut etiam filius ejus, contritum caput & fortiùs conterendum erigeret, assumptis aliis septem spiritibus nequioribus se, ut singularis ferus & leo rugiens & quærens quos devoret, singula devastaret, & subverteret universa; ut longè tolerabilius esset Ecclesiam quæ est in partibus nostris esse vel habitare inter barbaras nationes quàm ad pristinam confusionem redire. Provideat igitur apostolica circumspectio futuris cladibus & occurrat, ne prævaleat inimicus, nec à tam pio, tam sancto, & tam utili opere manus vestra desistat quousque draco Moysi prorsùs devoraverit Pharaonis dracones, & fugato Iebusæo cum incircumcisis aliis & immundis, populus acquisitionis pacificè terra promissionis fruatur. Ad hæc, discretioni magistri Thedisij plurima paternitati vestræ referenda commisimus; cui super negotiis & necessitatibus totius provinciæ tamquam nobis ipsis indubitanter credatis, si placet. Ipse enim novit in omnibus plenissimè veritatem. Conservet Deus sanctitatem vestram Ecclesiæ sanctæ suæ per tempora multa. Datum Aurasicæ decimo Kalendas Martij, anno Domini MCCXII.

Epist. 41. Super eodem. Vide hist. Albig. cap. 66.

SAnctissimo in Christo Patri ac beatissimo Domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, devoti & humiles servi ejus Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati in Concilio apud Vaurum pro sanctæ fidei congregati negotio, cum omni affectione longum vitæ spatium & salutem. Ad agendas paternitatis vestræ sollicitudini dignas grates cùm nec lingua nec calamus nobis sufficiat, retributorem omnium bonorum exoramus ut nostrum in hac parte suppleat defectum, & abundè vobis retribuat omne bonum quod nobis & nostris aliisque partium nostrarum Ecclesiis tribuistis. Cùm enim in partibus ipsis pestis hæretica ibi antiquitus seminata, nostris temporibus usque adeo succrevisset quòd cultus divinus ibidem haberetur omnino in opprobrium & derisum, & in clerum & bona ecclesiastica hinc hæretici, inde rotarij grassarentur, & tam Princeps quàm populus in reprobum sensum dati à fidei rectitudine deviarent, tandem vigilantiæ vestræ sollicitudine faciente ita nos ex altis oriens misericordia visitavit ut per sanctos exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis hujusmodi sapientissimè deputastis, & Christianissimum eorum Principem Comitem Montisfortis, intrepidum Christi athletam, & invictum dominici prælij bellatorem, Ecclesia, quæ tam miserabiliter corruerat, caput inceperit relevare, & in parte maxima jam destructis adversitatibus & erroribus universis, terra dudum à cultoribus falsorum dogmatum conculcata, nunc divino cultui laudabiliter assuescat. Restant verò adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tolosana videlicet civitas, cum castris aliquot, ubi tamquam sordes in sentinam cadentes residuum pravitatis hæreticæ se collegit: quorum Princeps, Comes scilicet Tolosanus, qui ab antiquis temporibus, sicut multotiens jam audistis, hæreticorum & fautor extitit & defensor, pro viribus quæ sibi remanserunt impugnat Ecclesiam, & quoad potest, pro fidei hostibus, ejus cultoribus se opponit. Ex quo enim à sanctitatis vestræ rediit præsentia cum mandatis in quibus ultra omnem suorum exigentiam meritorum egeratis misericorditer cum eodem, introivit, sicut manifestè videtur, angelus Sathanæ in cor ejus, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de iis quæ coram vobis promiserat nil implevit. Immo pedagia sæpius abjurata vehementer adauxit, & ac si mandatorum ipsorum beneficio renuntiasse intenderet, ad omnes quos scivit vestros & Ecclesiæ Dei adversarios se convertit. Sanè per Ottonem Dei & Ecclesiæ inimicum, opinatus contra ipsam Ecclesiam vires assumere sub ipsius confidentia, manifestè, sicut asseritur, minabatur quòd Ecclesiam de finibus suis & clerum radicitus exterminaret, hæreticos & rotarios, quos multotiens abjuraverat, ex tunc ferventiùs solito fovere studuit & tenere. Cùm enim catholicorum exercitus obsideret Vaurum, ubi sedes erat Sathanæ atque erroris hæretici primaria, ipse in subsidium perversorum misit milites & clientes, & in castro suo quod Casseri appellatur fuerunt inventi & combusti à crucesignatis plusquam quinquaginta hæretici de vestitis, præter credentium eorum multitudinem copiosam. Invocavit etiam contra Dei exercitum Savaricum Regis Angliæ inimici Ecclesiæ Senescallum, cum quo Christi pugilem prædictum Comitem Montisfortis apud Castrum novum Arrij obsidere præsumpsit; sed Christi dextera faciente citò fuit ejus præsumptio in confusionem conversa, ita ut pauci catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarent. Prædictorum autem Ottonis & Regis confidentia defraudatus, ut qui baculo arundineo nitebatur, cogitavit iniquitatem abominabilem & catholicis auribus detestandam, & ad Regem Marrochitanum suos nuntios destinavit, subsidium ejus, non solùm in terræ nostræ, sed totius Christianitatis excidium, implorando. Sed conatum ejus & damnabilem intentionem superna pietas impedivit. Episcopum Agennensem à sede propria expellendo, bonis omnibus spoliavit. Abbatem de Moissiaco cepit, & Abbatem Montisalbani ferè per annum tenuit captivatum. Rotarij quoque ipsius & complices peregrinos clericos & laicos innumerabiles variis affecere martyriis, & nonnullos detinent ac diutiùs tenuere captivos. In omnibus iis non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta; ita ut fiat cottidie semetipso detetior, & omnia mala quæ potest per se ipsum & filium ac complices suos Fuxensem & Convenarum Comites & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos & perversos, contra Dei Ecclesiam operetur. Cùm autem ultione divina & censura ecclesiastica memoratus athleta fidei, Comes Christianissimus Montisfortis, terram ipsorum tamquam hostium Dei & Ecclesiæ sancto & justo prælio occupaverit ferè totam, ipsi adhuc persistentes in sua malitia, & humiliare se sub potenti manu Dei contemnentes, nuper ad Regem Aragonensem recurrerunt, per quem fortè intendunt vestram circumvenire clementiam & Ecclesiam suggillare. Adduxerunt enim ipsum Tolosam nobiscum, qui de mandato Legati & delegatorum vestrorum apud Vaurum convenieramus, colloquium habiturum. Qui quæ ac qualia proposuerit, & quæ nos ei duximus respondenda, ex rescriptis quæ vobis sigillata mittuntur pleniùs cognoscetis. Mittitur etiam sanctitati vestræ consilium quod delegatis vestris super facto Comitis Tolosani tribuimus requisiti. Omnes igitur unanimiter & concorditer hæc præmissa sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne per defectum significandi in negotio fidei de contingentibus aliquid omittatur. Demum verò pro animabus nostris ac commissarum nobis Ecclesiarum substantiis vestræ misericordiæ supplicantes exposcimus per viscera misericordiæ Dei nostri ut liberationis & pacis, immo vitæ nostræ negotium, quod in parte maxima jam feliciter promovistis, cùm manifesta justitia & potentia sit in promptu, feliciori fine dignemini consummare, ponentes ad radicem arboris damnosæ securim, & eam, ne noceat ultrà, perpetuo succidentes. Pro certo namque sciatis quòd si terra quæ dictis tyrannis cum tanta justitia & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut eorum heredibus restituatur, præter scandalum fidelium qui hoc negotium promoverunt, non solùm fieret novissimus error pejor priore, sed excidium exinde clero & Ecclesiæ inæstimabile immineret. Ad hæc, quoniam enormitates, blasphemias, abominationes, & alia scelera prædictorum per singula præsenti paginæ non credidimus annotanda, ne librum texere videremur, quædam

in ore nuntiorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris poterunt viva voce referre.

Epist. 42. Super eodem.

SAnctissimo in Christo Patri ac beatissimo Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, devoti & humiles servi ejus, Vvillelmus Burdegalensis, Vasatensis & Petragoricensis Episcopi, cum omni affectione vitæ spatium & salutem. Ad agendas paternitatis vestræ sollicitudini dignas grates cùm nec lingua nec calamus nobis sufficiat, retributorem bonorum omnium exoramus ut nostrum suppleat in hac parte defectum, & abundè vobis retribuat omne bonum quod in Narbonensi & Auxitanensi provinciis & etiam in partibus nostris tam Ecclesiis quàm Ecclesiarum Prælatis paterna misericordia tribuistis. Cùm enim in dictis partibus pestis hæreticæ pravitatis jam adeo pullulasset quòd eisdem corruptis penitùs, partes affines affectura morbo simili videbatur, cùmque rotariorum violentia, Principibus omnibus ejusdem terræ consentientibus & hoc idem facientibus, Ecclesias fidemque catholicam omnemque religionem Christiani nominis impugnaret, vestræ providæ discretioni placuit has incommoditates sapienti consilio refrænare, quia fidelium signatorum & Comitis Montisfortis mediante labore, mandatum vestrum in parte maxima tam hæreticos quàm rotarios de sedibus suis ejecit; ita quòd divinus cultus & pax ecclesiastica videntur in dictis partibus reflorere, nec jam aliud restat nisi illud quod per sanctitatem vestram feliciter est inceptum, per eandem feliciùs consummetur. Quocirca paternæ sanctitati cum omni devotionis affectu duximus supplicandum quatenus ad extirpandas reliquias pestium prædictarum dignemini salubre consilium adhibere; ita quòd flores pacis, qui jam videntur oriri, in hoc quod in isto negotio est inceptum, ad consummationem fructus faciant expectatos. Si verò, quod absit, opus tam laudabiliter inceptum cum manifesta justitia & potentia sic in promptu imperfectum relinqueretur, non solùm foret novissimus error pejor priore, sed excidium exinde clero & Ecclesiæ irrecuperabile immineret. Bene & diù valeat sanctitas vestra.

Peritiones Regis Aragonensis in Concilio apud Vaurum.

Hist. Albig. cap. 66.

QVoniam sacrosancta mater Ecclesia non solùm verbera sed ubera quoque docetur habere, devotus Ecclesiæ filius Petrus Dei miseratione Rex Aragonensis pro Comite Tolosano ad sinum ejusdem matris Ecclesiæ cupiente redire à sanctitate vestra petit humiliter & rogat instanter quatenus faciendo satisfactionem personalem pro excessibus quamcunque ipsi Ecclesiæ visum fuerit expedire, ac pro damnis & injuriis illatis diversis Ecclesiis & Prælatis satisfaciendo secundùm quod clementia matris Ecclesiæ ipsi Comiti duxerit injungendum, restituatur clementer & misericorditer ad possessiones suas & alia quæ amisit. Quòd si fortè pro persona Comitis nollet Ecclesia ipsius Regis petitionem audire, petit & rogat hoc idem pro filio, ita tamen quòd pater nihilominus satisfaciat personaliter pro excessibus suis, vel in frontaria Sarracenorum eundo in subsidium Christianorum cum militibus suis, vel in partibus transmarinis, secundùm quod Ecclesia meliùs arbitrabitur expedire, & infans de terra sua in tam fideli cura & tam diligenti custodia ad honorem Dei & sanctæ matris Ecclesiæ habeatur usquequo de bonitate sua signa compareant manifesta.

Et quoniam Comes Convenarum nec fuit unquam hæreticus nec eorum susceptor, sed potiùs impugnator, & ideo terram dicitur amisisse quia astitit consobrino & domino suo Comiti Tolosano, petit idem Rex & rogat pro eo sicut pro vassallo suo, ut restituatur ad terram suam, satisfaciendo quoque ad arbitrium Ecclesiæ, si apparuerit eum in aliquo deliquisse.

Item cùm Comes Fuxensis nec hæreticus fuerit nec sit, pro eo memoratus Rex petit & rogat sicut pro consanguineo suo carissimo & vassallo, cui fine verecundia in jure suo deesse non potest, quatenus pro reverentia ipsius & gratia restituatur ad sua, satisfaciendo nihilominus ad arbitrium Ecclesiæ in iis & pro iis super quibus clementiæ matris Ecclesiæ eundem apparuerit deliquisse.

Item pro Gastone de Bearno vassallo suo petit sæpedictus Rex & rogat affectuosè quatenus restituatur ad terram suam & fidelitates vassallorum suorum, maximè cùm paratus sit juri parere & ad arbitrium sanctæ matris Ecclesiæ satisfacere coram judicibus non suspectis, si vobis causam ipsius audire & expedire non licet.

In omnibus tamen præmissis duxit memoratus Rex misericordiam potiùs quàm judicium invocandum, mittens ad clementiam vestram Episcopos, Clericos, & Barones suos super præmissis, ratum habiturus quicquid à vobis cum eis fuerit ordinatum; supplicans ut talem habere dignemini circumspectionem & diligentiam in hoc facto ut in negotio Christianitatis in partibus Hispaniæ ad honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ dilatationem prædictorum Baronum & Comitis Montisfortis subsidium possit habere. Datum Tolosæ XVII. Kalend. Februarij.

Responsum Prælatorum in Concilio apud Vaurum,

ILlustri & dilecto in Christo Petro Dei gratia Regi Aragonum, Comiti Barchinonensium, Concilium apud Vaurum, salutem & sinceram in Domino dilectionem. Petitiones & preces vidimus quas pro Tolosano & ejus filio, & Fuxensi & Convenarum Comitibus, & nobili viro Gastone de Bearno vestra regalis serenitas destinavit; in quibus etiam litteris inter cetera Ecclesiæ filium dicitis vos devotum. Super quo multiplices Domino Iesu Christo ac regali vestræ celsitudini gratiarum referimus actiones, & in cunctis in quibus secundùm Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem qua vos sancta Romana Ecclesia mater, sicut intelligimus, amplectitur, & vos ipsam, necnon & ob reverentiam excellentiæ vestræ regalis admitteremus affectuosiùs preces vestras. Super eo quod pro Comite Tolosano & ejus filio petitis & rogatis, hoc duximus serenitati regiæ respondendum. Quòd tam causa Comitis quàm causa filij, quæ pendet ex facto patris, auctoritate superioris extat nobis exempta; cùm idem Comes Tolosanus venerabili fratri Regensi Episcopo & magistro Thedisio à Domino Papa negotium suum fecerit sub certa forma committi. Vnde, sicut credimus, memoriter retinetis quot & quantas gratias dicto Comiti post multos excessus ipsius Do-

minus Papa fecit, necnon & quam gratiam ad intercessionem vestram & preces venerabilis pater Narbonensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus, tunc Abbas Cisterciensis, apud Narbonam & Montempessulànum eidem Comiti faciebat biennio, si bene meminimus, jam transacto. Volebat siquidem idem Legatus omnes dominicaturas & proprietates eidem Comiti remanere integras & illæsas, & ut illa jura quæ habebat in castris aliorum hæreticorum, quæ de feudo ejus erant, sive alberga, sive quista, sive cavalgata, eidem integra remanerent. De illis præterea castris quæ erant aliorum hæreticorum, quæ de feudo ejus non erant, quæ idem Comes dicebat esse ad minus * quingenta, volebat præfatus Legatus ut quarta vel etiam tertia pars eorum cederet in proprietatem Comitis supradicti. Spreta verò idem Comes illa magna gratia Domini Papæ ac prædicti Legati & Ecclesiæ Dei, veniens directò contra omnia juramenta quæ olim præstiterat in manibus Legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, Ecclesiam Dei & Christianitatem, fidem & pacem cum hæreticis & rotariis & aliis pestilentibus fortiùs impugnavit & damnificavit, adeo ut omni gratia & beneficio reddiderit se indignum. Quòd autem petitis & rogatis pro Comite Convenatum, taliter super hoc duximus respondendum. Pro certo intelleximus quòd cùm post excessus suos multiplices & juramenti transgressionem fœdus cum hæreticis & eorum fautoribus contraxisset, & ipsam Ecclesiam, tamquam in aliquo læsus esset, cum eisdem pestilentibus impugnasset, licèt postmodum fuerit diligenter admonitus ut cessaret à cœptis, & rediens ad cor, reconciliaretur tandem ecclesiasticæ unitati, nihilominus idem Comes in sua nequitia extitit & existit excommunicationis & anathematis vinculo innodatus; de quo etiam, ut dicitur, Comes Tolosanus asserere consuevit quòd eum ipse Comes Convenarum ad guerram impulit & induxit. Vnde idem Comes auctor extitit per hoc guerræ & malorum quæ inde Ecclesiæ multipliciter provenerunt & existit. Veruntamen si taliter se exhibuerit ut absolutionis beneficium mereatur, postmodum, cùm fuerit absolutus & habuerit personam standi in judicio, si de aliquo quereletur, Ecclesia ei justitiam non negabit. Petiit præterea & rogavit pro Comite Fuxensi regia celsitudo. Ad quod taliter respondemus, quòd constat de ipso quòd hæreticorum extitit à longo tempore receptator, & in præsentiarum etiam receptator est eorum & defensor; præsertim cùm non sit dubium quin credentes hæreticorum hæretici sint dicendi: qui etiam post multiplices excessus suos & gravissimos, post dirutionem & spoliationem Ecclesiarum, post præstita corporaliter juramenta & obligationes tam personarum quàm rerum, post injectionem manuum in clericos & detrusionem eorum in carcerem, pro quibus causis & multis aliis excommunicationis & anathematis est mucrone percussus, post illam etiam gratiam quam idem Legatus ad intercessionem & preces vestras olim ipsi Comiti faciebat, cruentam cædem exercuit in signatos tam clericos quàm laicos, qui in paupertate & simplicitate sua in Dei servitium contra Vauri hæreticos ambulabant. Qualis autem & quanta erat illa gratia bene recolit, sicut credimus, vestra regia celsitudo, ad cujus intercessionem & preces cum eodem Comite compositionem Legatus faciebat; sed quòd non fuit facta illa compositio, per Comitem ipsum stetit. Extant etiam litteræ vestræ ad Dominum Comitem Montisfortis, regali sigillo munitæ, talem super illa gratia clausulam continentes. *Dicimus etiam vobis quòd si Comes sæpedictus noluerit stare placito illi, & vos postea non audiveritis preces nostras quas pro eo faciemus, non erimus inde ultrà dispacati.* Veruntamen si dederit operam ut absolutionis beneficium consequatur, si postmodum, cùm absolutionis fuerit gratiam consecutus, de aliquo quereletur, justitiam ei Ecclesia non negabit. Postulastis insuper & rogastis pro Gastone de Bearno ut restitueretur ad terram suam & ad fidelitates vassallorum suorum. Super quo vobis taliter respondemus, ut alia multa, immo potiùs infinita, quæ in ipsum Gastonem dicuntur ad præsens, silentio transeamus, consœderatus est eum hæreticis & receptatoribus seu defensoribus eorundem contra Ecclesiam & signatos. Est Ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum manifestissimus & gravissimus persecutor. Venit ad obsidionem Castrinovi in auxilium Tolosani & Fuxensis Comitum contra eos qui de mandato Domini Papæ insequebantur hæreticos & fautores eorum. Interfectorem sanctæ memoriæ fratris Petri de Castronovo apostolicæ sedis Legati habuit secum, rotarios diù tenuit atque tenet, in anno præterito rotarios suos in cathedralem Ecclesiam Oloronis induxit; ubi amputato fune de quo pendebat pyxis continens corpus Domini nostri Iesu Christi, in terram cecidit, & quod nefas est dicere, ipsum corpus Domini est per terram expansum. Rotarius quidam irrisionem & contumeliam ordinis clericalis se induit pontificalibus ornamentis, Pontificem cantantem Missam repræsentare intendens; qui etiam dicitur prædicasse ibidem, & oblationes rotariorum recepisse. Transgressus quoque juramenta, manus in clericos violentas injecit. Pro quibus & aliis causis pluribus, quas ad præsens tacemus, idem Gasto excommunicationis est & anathematis nexibus innodatus. Veruntamen si satisfecerit Ecclesiæ, prout debet, & absolutionis beneficium consequatur, postmodum, cùm fuerit absolutus, & conquestus fuerit de aliquo, audietur de jure suo. Aliter siquidem pro prædictis sic excommunicatis, carissime Princeps, vestram regiam majestatem intercedere non deceret, nec nos pro talibus & in talibus auderemus aliter respondere. Ad hæc, serenitatem vestram regalem monemus in Domino & hortamur quatenus ad memoriam dignemini revocare honorem quem vobis apostolica sedes fecit, & illum quem in præsentiarum illustri Regi Siciliæ sororio vestro facit, quid in Domino Papæ in vestra promissistis unctione, & quid apostolica sedes vobis dederit in mandatis. Oramus ut Deus ad honorem suum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ per multa tempora vos conservet. Quòd si per hanc nostram responsionem vestræ regiæ majestati non fuerit satisfactum, nos ob reverentiam vestram & gratiam factum Domino Papæ curabimus intimare. Datum Vauri XV. Kal. Februarij.

In hist. Albig. cap. 66. legitur quinquaginta, malè. Nam in codice Colbertino legitur quingenta.

Vide gesta Innoc. III. cap. 120. & seqq.

Epist. 43. Vt abstineat à defensione hæreticorum.

SEreniſſimo viro ac Chriſtianiſſimo Principi Domino Petro Dei gratia illuſtriſſimo Regi Aragonenſi frater Arnaldus divina miſeratione Narbonenſis Archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis Legatus, ſalutem in caritate animi & viſceribus Ieſu Chriſti. Intelleximus non ſine multa turbatione ac amaritudine animi quòd civitatem Toloſanam ac caſtrum Montiſalbani & terras alias propter crimen hæreſeos ac alia multa nefanda facinora traditas Sathanæ, ac omni communione ſanctæ matris Eccleſiæ ſeparatas, & crucesignatis auctoritate Dei, cujus nomen graviter in eis blaſphemabatur, expoſitas, diſponitis in protectione ac cuſtodia veſtra recipere ac eas contra Chriſti exercitum & Eccleſiæ defenſare. Cùm igitur hæc, ſi vera ſint, quod Deus avertat, non ſolùm in ſalutis veſtræ diſpendium, ſed in honoris regij ac opinionis & famæ poſſint cedere detrimentum, nos, qui ſalutem veſtram & gloriam & honorem zelamus totis viſceribus caritatis, celſitudinem regiam rogamus, conſulimus, monemus, & exhortamur in Domino & in potentia virtutis ejus, & ex parte Dei & redemptoris Domini Ieſu Chriſti ac ſanctiſſimi Vicarij ejus Domini noſtri ſummi Pontificis, auctoritate legationis qua fungimur, inhibemus, & modis quibus poſſumus obteſtamur, ne per vos vel alios terras recipiatis vel defendatis prædictas. Optamus autem quatenus tam vobis quàm veſtris taliter dignemini providere ne communicando excommunicatis & maledictis hæreticis & fautoribus eorundem, labem excommunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem volumus ſerenitatem regiam non latere, quòd ſi quos de veſtris hominibus in defenſionem prædictæ terræ duxeritis relinquendos, cùm omnes excommunicati ſint ipſo jure, nos ipſos denuntiari excommunicatos, tamquam defenſores hæreticorum, publicè faciemus.

Epiſt. 44. Vt deleat reliquias hæreticorum.

SAnctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino ſuo reverendiſſimo Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici Bertrandus dictus Epiſcopus Bitterrenſis, ſervus ejus humiliſſimus & fidelis, cum ſanctiſſimorum pedum oſculo ſalutem & vitam. Cùm ineffabili Dei clementia veſtræque miniſterio ſanctitatis terra noſtra ac aliæ circumpoſitæ, in quibus diabolus peccatis populi exigentibus tantam ſibi potentiam uſurparat ut omnem in eis rectitudinem pervertiſſet, & per miniſtros ipſius ſponſa Chriſti opprobriis, blaſphemis, & quæcunque poſſint excogitari afficeretur injuriis, & omnis divinus cultus eſſet in opprobrium & deriſum, in lucem pacis ac fidei tam feliciter cœperint reſpirare ut errorum & aliarum perverſitatum auctoribus jam pro parte maxima exturbatis, vexilla ibi Eccleſiæ ſint erecta, & ad divini cultus augmentum pax & ſecuritas habeatur, remanſit adhuc ibi magna quædam errorum omniſmque vitiorum ſentina, Toloſa videlicet civitas, & alia quædam loca, in quibus totius pravitatis hæreticæ reliquiarum ſpurcitia ſe collegit, quæ niſi fuerit per longanimitatem veſtræ ſanctæ ſollicitudinis avulſa funditus & radicitus extirpata, genimina proculdubio viperarum & ſpuria vitulamina iterum pullulabunt, & longè deteriorem priore morbum facient recidivum. Nos igitur, beatiſſime pater, quos tamquam propiùs poſitos magis negotium iſtud tangit, ſanctiſſimam pietatem veſtram rogamus, fuſiſque votivis lacrymis exoramus in viſceribus Ieſu Chriſti, quatenus noſtro aliorumque Prælatorum jugulis & Eccleſiarum ſubſtantiis, quibus Comitis Toloſani & filij ejus, ſi reſurgerent, gladius inexorabiliter immineret, miſericorditer proſpicientes in poſterum, negotio pacis & fidei, quod tam prudenter ac potenter hactenus promoviſtis, finem perfectum & ſtabilem imponatis. De infidelitate namque dicti Comitis & immanitate quam per ſatellitem ſuum exercuit in Legatum, ſuper quo per ratihabitionem & honorem & beneficia quæ ipſi occiſori exhibuit convincitur manifeſtè, ſatis poteſt veſtræ ſanctitati conſtare. Prouideat quoque veſtra paternitas ne Rex Aragonenſis, qui, ut ſalva reverentia unctionis loquamur, factus videtur filius infidelis, & præſumptuosè ſe jactat quòd dicto Comiti & complicibus ejus hæreticis, rotariis, ſacrilegis, homicidis, & omnium flagitiorum generibus irretitis reſtitutionis terrarum ſuarum & gratiæ veſtræ beneficium obtinebit, ad veſtram præſentiam eos ducens, aliquatenus vos circumveniat. Profectò namque, ſi dicta civitas, quæ nidus hæreticorum exiſtit & extitit ab antiquo, ita quòd, ſicut legitur, ob cauſam ſimilem fuit olim everſa funditus & etiam exarata, remanſerit peſtilentibus memoratis, adhuc flamma egredietur de ipſa, quæ partes noſtras & alias circumpoſitas pejus ſolito profligabit.

Epiſt. 45. De negotio Comitis Toloſani.

SAnctiſſimo Patri & Domino ſuo Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici Bermundus ſola Dei miſeratione miniſter Aquenſis humilis, ſalutem, & ſeipſum ad pedes. Compendioſa narratione beatitudini veſtræ duximus intimandum quòd reformatio pacis & Eccleſiæ ac alia bona quæ per ſollicitudinem veſtram in partibus noſtris dignatus eſt Dominus operari nulla poſſent ratione ſecundùm inferiores cauſas durare in poſterum, ſi fortè Toloſanus Comes aut filius ejus peccatis noſtris exigentibus terram quovis ingenio recuperaret amiſſam. Ideoque ſanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus quatenus ſuper hoc taliter & tam cautè dignemini providere, ſi placet, quòd noviſſimus error non ſit pejor priore. Conſervet Dominus ſanctitatem veſtram Eccleſiæ ſanctæ ſuæ.

Epiſcoporum in oppido Vaurenſi congregatorum conſilium.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Hoc eſt conſilium quod Dominus Narbonenſis Archiepiſcopus &c. *ut ſuprà in epiſtola* XXXIX.

Epiſt. 46. De abſolutione Comitis Toloſani.

NObili viro Raimundo Comiti Toloſano Hugo Dei gratia Regenſis Epiſcopus, & magiſter Theſiſius Canonicus Ianuenſis, ſpiritum conſilij ſanioris. Nuper litteras veſtras per quendam militem, Quambonum nomine, recepimus, in quibus licèt contineretur expreſsè quòd parati eratis mandatis noſtris humiliter obedire, vos tamen neque mandatis Domini Papæ ſecundùm tenorem reſcripti quod olim obtinuiſtis ab ipſo, neque mandatis quæ vobis fecimus in Concilio apud ſanctum Ægidium, neque inſuper mandatis & monitis Legatorum & Eccleſiæ quæ vobis apud Narbonam & Montempeſſulanum poſtmodum facta fuerunt, obediſtis in aliquo vel etiam obeditis,

sicut per evidentiam operis manifestè apparet. Sanè postquàm recessistis à nobis, abjurata pedagia in vestræ famæ ac animæ præjudicium multipliciter adauxistis, &, ut in paucis multa breviter concludamus, ferè nihil ex iis quæ diversis temporibus in manibus Legatorum juraſtis, & præcipuè tempore bonæ memoriæ magistri Milonis, prout satis manifestum est, curastis implere; immo quod dolentes & inviti dicimus, rotarios & hæreticos contra fidem & Ecclesiam & pacem etiam tenuistis postmodum & tenetis; à quibus & aliis complicibus vestris mille signati & ultrà clerici & laici in gravissimam creatoris injuriam & contemptum occisi fuerunt. Iniquitatem etiam iniquitati addentes, Abbatem de Montealbano longo tempore tenuistis in vinculis, venerabilem Patrem Agennensem Episcopum civitate sua & bonis aliis spoliatum cum rotariis vestris à sede propria ejecistis. Ad nos etiam aliquando auctoritate Domini Papæ citati contempsistis venire, nec super negotio vestro, quod nobis à summo Pontifice postulastis committi, fuimus aliquando requisiti à vobis. Quamvis enim sciveritis nos per octo dies fecisse moram propter factum vestrum iis temporibus in Concilio apud Vaurum, ad nos neque litteras vestras direxistis neque nuntium specialem. Propter igitur supradicta & alia multa adeo vos fecistis indignos quòd in negotio vestro ad purgationem secundùm mandatum Domini Papæ procedere non valemus, prout fuit coram nobis à toto Concilio diffinitum. Ideoque vobis per præsentes litteras protestamur quòd hæc omnia per proprium nuntium litteris nostris Domino Papæ curabimus diligentissimè intimare; ut ipse circa personam vestram & factum secundùm quòd suæ beneplacitum fuerit sanctitati procedat.

Epist. 47. De juramento Comitis Tolosani.

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Raimundus per eandem Tarraconensis Archiepiscopus & Episcopi & Abbates qui secum præsentes fuerunt, summa cum devotione subjectionem & debitum famulatum. Sanctitati vestræ notum facimus Dominum Regem Aragonensem, cùm Tolosam accessit ut Comites Tolosanum & Fuxensensem & Convenarum & Gastonem de Bearno ad beneplacitum & mandatum vestrum liberè & absolutè recipiendum induceret & pro viribus fideliter adimplendum, ad abundantem cautelam securitatem in scriptis redactam ab eisdem recepit in hunc modum.

Ego Raimundus Dei gratia Comes Tolosæ, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, & ego Raimundus filius ejus, gratuita voluntate, non coacti, nec vi nec dolo inducti, mittimus personaliter nos ipsos & Tolosam civitatem & suburbium & villam Montisalbani cum omnibus eorum pertinentiis, terminis sive adjacentiis, & totam aliam terram nostram quam habemus & habere debemus, cum militibus & hominibus singulis & universis nunc vel in futurum habitantibus, & ad ultimum cum omnibus juribus & rationibus quæ ad nos ubique pertinent vel pertinere debent aliquo jure sive aliqua ratione, in manu & posse vobis Domino Petro Dei gratia Regi Aragonensi & Comiti Barchinonensi & eis qui de voluntate vestra vel mandato vices vestras obtinuerint, mittimus inquam in posse vestro ac potestate prædictam terram totam, sicut dictum est, & aliam quam Deo præstante recuperabimus. Tradentes vobis etiam & in vos eosque qui locum vestrum tenuerint transferentes corporalem possessionem horum omnium & jura omnia seu rationes cum plena jurisdictione ac potestate, tali modo quòd tam in personis nostris quàm in omnibus nominatis voluntati Domini Papæ & mandato possitis obtemperare & satisfacere & cogere cum effectu nos, si fortè proni & acclines ad mandatum ejus prosequendum, quod Deus avertat, noluerimus adesse. Promittentes vobis bona fide quòd tam ea quæ Dominus Papa vel vos pro eo nobis mandaveritis pro posse nostro faciemus & adimplebimus sine dolo & fraude. Hæc omnia, quemadmodum superiùs scripta sunt, attendemus & observabimus bona fide & sine malo ingenio pro posse nostro, & contra non veniemus per nos vel per aliam quamcunque personam vel venire contra faciemus, nec aliquid contra machinabimus. Quæ omnia prædicta per Deum & hæc sacrosancta evangelia corporaliter à nobis tacta juramus. Mandamus præterea Capitulo & universitati Tolosæ urbis & suburbij ut vobis Domino Petro Regi prædicto faciant fidelitatem & sacramentum ad omnia supradicta exequenda, adimplenda, & fideliter observanda. Hoc fuit ita appositum quinta die Ianuarij in exitu, feria prima, Philippo Francorum Rege regnante, & eodem Raimundo Tolosano Comite, & Fulcone Episcopo, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo secundo.

Consulum Tolosæ juramentum.

NOs Consules Tolosæ urbis & suburbij, Bertrandus de sancto Lupo, Arnaldus de Castronovo, & Bernardus Petrus Toytius, & Arnaldus Gilabertus, & Petrus de sancto Romano, & Guillelmus de Pozano, & Arnaldus de Roaisio filius Arnaldi de Roaisio qui fuit, & Raimundus de Roaisio, & Guillelmus Arnaldus de Monte Totino, & B. Arnaldus Rainaldus, & Stephanus Vitalis de Dealbata, & B. Petrus de Cozan, & Guillelmus Isarnus, & Raimundus Robertus de Tauro, & Vitalis de * Princhaco, & P. Embrinus, & G. Pontius Astro, & Bernardus Raimundus, & R. de Schalchensibus, & Arnaldus de Roaisio filius * B. de Roaisio qui fuit, & Hugo Surdus, & Bernardus Gerardus, & Stephanus Signarius, de voluntate expressa & mandato Domini Raimundi Dei gratia Tolosæ Comitis, Ducis Narbonæ, Marchionis Provinciæ, & Raimundi filij ejus, de communi consensu universitatis Tolosæ promittimus vobis Domino Petro Dei gratia Regi Aragonensium & Comiti Barchinonensium quòd ad omnia tenenda & habenda & plenariè exequenda & potenter possidenda quæ Dominus Raimundus Comes Tolosæ & Raimundus ejus filius vobis promiserunt, quemadmodum in superiori instrumento ab eis vobis facto plenius continetur, curam dabimus & operam, & diligentiam quam poterimus adhibebimus, ut tam de personis suis quàm de honoribus suis, quos nunc habent vel habere debent, vel Deo præstante recuperabunt, possitis satisfacere voluntati & mandato Domini Papæ, & vobis in iis quæ eisdem Dominus Papa decreverit injungenda promittimus bona fide & sine dolo ac fraude auxilium, consilium, & opem quantam

* Apud Card. Pranhaco

* Apud Card. Arnaldi

quantam poterimus & juvamen, & ad omnia adimplenda omnimodam fidelitatem vobis & eis qui locum vestrum tenuerint. Promittimus etiam vobis nos singuli & universi prænominati Consules & tota Tolosæ universitas quòd in iis omnibus quæ ex parte Domini Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nobis mandaveritis vos vel illi qui vices vestras tenuerint, voluntati Domini Papæ stemus in omnibus & per omnia & arbitrio seu cognitioni unusquisque per se, & contrà non veniemus aliqua ratione. Hæc omnia superiùs scripta attendemus & observabimus ac complebimus bona fide, & contra aliquid non machinabimus per nos vel per aliam quamcunque personam. Sic nos Deus adjuvet & hæc sacrosancta evangelia à nobis singulis jurejurando corporaliter tacta. Et ad hujus negotij fidem plenioremhanc paginam sigillorum Comitis & filij ejus & Capituli Tolosæ auctoritate roboramus. Hoc fuit ita positum quinta die Ianuarij in exitu, feria prima, Philippo Rege Francorum regnante, & eodem Raimundo Tolosano Comite, & Fulcone Episcopo, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo secundo.

Professio Comitis Fuxensis.

IN Dei nomine. Cunctis pateat quòd nos Raimundus Rogerij Dei gratia Comes Fuxensis, & Rogerius Bernardi filius ejus, ad honorem Dei & sanctæ matris Ecclesiæ & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ sedis obtinet præsulatum, ponimus & mittimus personas nostras & universa castra nostra & munitiones & fortias & caunas, scilicet castrum de Fuxo, de Montegalardi, de Monteolivo, de Castropendenti, de Tarascone, de * Aifnasco, de Ravato, de Miramonte, de Mereglos, de Cenacto, de Vgenacco, de Vico, de Monteregali, de castro Virdunensi, de Lurdat, de Vnacco, & de Haus, & universas caunas de Solobria, de Subitan, de Onolacco, de Verdun, de Agnavis, & de Heliato, & montana & valles, & omnem aliam terram quæ ad nos & nostros quocunque jure vel causa pertinet aut pertinere debet aut potest, in manu & potestate vestri Domini nostri Regis Aragonensis & Comitis Barchinonensis, ut ea omnia plenariè & potenter teneatis & possideatis. Eo tamen pacti tenore appositio & forma, ut per detentionem prædictorum honorum & nostrarum personarum possitis compellere & urgere nos ad omnia illa exequenda & observanda quæ Dominus Papa & sacrosancta Romana Ecclesia de personis nostris & rebus decreverit statuenda. Sub periculo ergo commissionis & pœna omnium prædictorum castrorum & totius terræ nostræ, vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promittimus quòd omnia quæ Dominus Papa nobis de personis aut de terra nostra injunxerit fideliter curabimus adimplere & in perpetuum modis omnibus observare; & quòd ita totum adimpleamus, & contra non veniamus, vel aliqua arte vel ingenio vel ab aliqua persona veniri sustineamus, de omnibus concedentes vobis potestatem plenariam, per Deum & hæc sancta evangelia corporaliter tacta sponte juramus, cognoscentes per idem sacramentum vobis pridem nos eandem potentiam concessisse. Et ad majorem hujus facti evidentiam hanc paginam nostri sigilli præsentia communimus. Actū est hoc & ita concessum apud Tolosam VI. Kal. Februarij, anno dominicæ incarnationis millesimo ducētesimo decimo secundo. Bernardus de Vgenacco prædicti Domini Comitis Fuxensis Notarius existens hanc scripsit & sigillo ejusdem corroboravit.

* *Apud Catel.* Dalnaco

Professio Comitis Convenarum.

IN Dei nomine. Cunctis sit manifestum quòd nos Bernardus Comes Convenarum & Bernardus filius ejus ad honorem Dei & sanctæ matris Ecclesiæ & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ sedis obtinet præsulatum, ponimus & mittimus personas nostras in manu & potestate vestri Domini nostri Petri Dei gratia Regis Aragonensis & Comitis Barchinonensis, cognoscentes & veraciter confitentes nos quidem tradidisse terram nostram vobis & Militi vestro nomine P. de Alcano speciali nuntio à vobis ad hoc misso, ut eam plenariè teneatis & potenter possideatis; eo tenore appositio & forma, ut per detentionem personarum nostrarum & terræ nostræ possitis compellere & urgere nos ad omnia illa exequenda & observanda quæ Dominus Papa & sacrosancta Romana Ecclesia de personis nostris & rebus decreverit statuenda. Sub periculo ergo commissionis & pœna totius terræ nostræ, vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promittimus quòd omnia quæ Dominus Papa nobis de personis aut terra nostra injunxerit fideliter curabimus adimplere & in perpetuum modis omnibus observare. Et quòd ita totum adimpleamus, & contrà non veniamus, vel aliqua arte aut ingenio ab aliqua persona veniri sustineamus, de omnibus concedentes vobis potestatem plenariam, per Deum & hæc sancta evangelia corporaliter tacta sponte juramus. Et ad majorem hujus facti evidentiam hanc paginam nostri sigilli præsentia confirmamus. Hæc acta sunt apud Tolosam V I. Kal. Februarij, anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo decimo secundo.

Professio Gastonis de Bearno.

IN Christi nomine. Sit notum cunctis quòd ego Gasto Dei gratia Vicecomes Bearnensis & Comes Bigorræ ad honorem Dei & sanctæ matris Ecclesiæ & Domini Innocentij, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis obtinet præsulatum, pono & mitto personam meam & castra de Lurda, de Olerone, de Montanerio, de Miramon, de Cadelo, & omnem aliam terram quam habeo & habere debeo, vel ad me vel meos pertinet aut pertinere debet & potest aliqua ratione, aliquo jure vel causa, & illam totam quam habere & recuperare potero Deo dante, in manu & potestate vestri Domini Petri Dei gratia Regis Aragonensis & Comitis Barchinonensis, ut ea omnia plenariè & potenter teneatis & possideatis; eo pacti tenore appositio & forma, ut per detentionem prædictorum bonorum & meæ personæ possitis compellere & urgere me ad omnia illa exequenda & observanda quæ Dominus Papa & sacrosancta Romana Ecclesia de persona mea & rebus decreverit statuenda. Sub periculo ergo commissionis & pœna omnium prædictorum castrorum & totius terræ meæ, vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promitto quòd omnia quæ Papa mihi de

persona aut terra mea injunxerit curabo fideliter adimplere & in perpetuum modis omnibus observare; & quòd ita totum adimpleam, & contrà non veniam, vel aliqua arte vel ingenio ab aliqua persona veniri sustineam, de omnibus concedens vobis potestatem plenariam, per Deum & hæc sancta evangelia corporaliter tacta sponte juro. Et ad majorem hujus facti firmitatem hanc paginam mei sigilli auctoritate confirmo. Actum est hoc apud Tolosam v 1. Kal. Februarij, anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo decimo secundo.

Et quoniam visum est Domino Regi ejusque curiæ ipsa originalia penès se potiùs retinere quàm incertis casibus fortunæ committere, ad pedes sanctitatis vestræ eorum mittit scripta sigillis nostris communita verbo ad verbum fideliter sumpta, nullo addito, vel diminuto, vel in aliquo immutato. Hoc autem transcriptum factum fuit apud Perpinianum fideliter 11. Kal. Aprilis, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tertiodecimo.

ILLVSTRI REGI Aragonensi.

Epist 48. Suadtuuree faveat hæreticis.

IS in cujus manu sunt omnium corda Regum inspiret tibi humiliter exoratus ut prudenter attendens quòd juxta mandatum apostolicum nos oportet obsecrare, arguere, increpare, nostras increpationes, quas paterna in te affectione deponimus, devotione recipias filiali, & sic nostris obtemperes salubribus monitis & consiliis ut correctionem apostolicam devotè recipiendo, demonstres te in iis etiam affectum habuisse sincerum in quibus absque dubio per effectum nosceris deliquisse. Sanè ad totius ferè mundi notitiam jam pervenit, nec serenitatem tuam ignorare credimus aut etiam diffiteri, quòd inter ceteros Principes Christianos te specialiter studuimus honorare. per quod & potentia tibi accrevit & fama. Vtinamque cum iis prudentia & devotio tibi ampliùs accrevissent. quod licèt utile nobis existeret, tibi tamen potiùs expediret. Verùm in hoc neque tibi providisse dinosceris, neque nobis ut decuit detulisse, quòd cùm cives Tolosani à corpore Ecclesiæ sint excommunicationis mucrone præcisi, & ipsorum civitas supposita interdicto pro eo quòd quidam eorum sunt hæretici manifesti, plures verò credentes, fautores, & receptatores ipsorum ac etiam defensores, adeo ut alij quoque, quos Christi exercitus immo veriùs ipse Christus, quem contra se ipsos suis adinuentionibus provocarunt, à suis fecit tabernaculis emigrare, ad Tolosanam quasi quandam erroris sentinam confugerint civitatem, observantes tempus & opportunitatem captantes quò fidem in partibus illis quasi de novo plantatam, velut locustæ de puteo abyssi egressæ, valeant extirpare, tu divini timoris oblitus, quasi prævalere valeas contra Deum vel avertere manum ejus contra eos exigentibus suis culpis extentam, ipsos & eorum complices in defensionem, quasi sub specie pietatis impietatem exercens, in scandalum populi Christiani & propriæ famæ dispendium recepisti post inhibitionem à Legato nostro ex parte Dei & nostra districtissimè tibi factam, non sine nota gravis infamiæ ac suspicionis scrupulo gravioris. Nuper igitur auditis quæ venerabilis frater noster Segobricensis Episcopus & dilectus filius magister Columbus nuntij tui ac nuntij Legati nostri ac nobilis viri Simonis Comitis Montisfortis in præsentia nostra proponere voluerunt, & litteris directis hinc inde plenius intellectis, habito cum fratribus nostris tractatu atque consilio diligenti, volentes honori tuo quantum ad famam, saluti quantum ad animã, & indemnitati quantum ad terram paterna sollicitudine præcavere, serenitati tuæ in virtute spiritus sancti sub obtentu divinæ ac apostolicæ gratiæ districtè providimus injungendum ut sine mora prænotatos deseras Tolosanos & complices eorundem, non obstante promissione vel obligatione quacunque præstita vel recepta in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, ipsis, quandiu tales extiterint, non impensurus per te vel alios consilium, auxilium, vel favorem. Si verò iidem ad Ecclesiæ redire desiderant unitatem, prout fuit à dictis nuntiis tuis propositum coram nobis, nos venerabili fratri nostro Fulconi Tolosano Episcopo, viro integræ opinionis & vitæ, qui testimonium habet non solùm ab iis qui sunt intus, sed ab iis etiam qui sunt foris, nostris damus litteris in mandatis ut adjunctis sibi duobus viris prudentibus & honestis, eos qui voluerint de corde puro & conscientia bona & fide non ficta redire, sufficienti ab eisdem cautione recepta, reconciliet ecclesiasticæ unitati; illos verò quos in erroris sui tenebris persistentes idem Episcopus de labe notaverit hæreticæ pravitatis, exterminari præcipimus à civitate jamdicta, & bona eorum omnia confiscari; ita quòd nullo unquam tempore recipiantur in ipsa, nisi fortè divinitus inspirati se viros fidei orthodoxæ cultores exhibitione operum demonstrarent; & sic civitas ipsa reconciliata pariter & purgata sub apostolicæ sedis protectione consistat non molestanda de cetero à Comite supradicto vel

aliis fide catholicis, sed defendenda potiùs & fovenda. Miramur insuper & movemur quòd tu pro terra nobilium virorum Convenarum & Fuxensis Comitum ac Gastonis de Bearno restituenda sibi apostolicum per nuntios tuos suppressa veritate mendacium exprimentes subripi fecisti mandatum; cùm propter multa & magna eorum flagitia, ob hæreticorum favorem, quos manifestè defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati. Verùm cùm mandatum pro talibus sic obtentum non teneat, illud tamquam subreptum penitùs revocamus. Si verò iidem ecclesiasticæ unitati reconciliari desiderant, prout dicunt, venerabili fratri nostro Narbonensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato nostris damus litteris in mandatis ut recipiens ab ipsis non solùm juratoriam cautionem, cùm jam sua sint juramenta transgressi, sed & aliam quam viderit expedire, beneficium eis absolutionis impendat. Et iis rite præmissis tamquam veræ devotionis indiciis, Cardinalem de latere nostro Legatum, virum honestum, providum, & constantem, juxta petitionem tuam ad partes illas curabimus destinare; qui non declinans ad dexteram vel sinistram, sed incedens regia via semper, quæ rectè facta invenerit approbet & confirmet, errata verò corrigat & emendet, & tam nobilibus antedictis quàm aliis conquerentibus exhiberi faciat justitiæ complementum. Interim ergo inter te & terram tuam & dictum Comitem Montisfortis ac suam volumus & mandamus firmas treugas fieri ac servari, hæreticis prorsùs exceptis; cum quibus, cùm nulla sit societas lucis ad tenebras, nec participatio Christi ad Belial, aut pars fideli cum infideli, orthodoxæ fidei professores treugas habere non convenit sive pacem. Mandantes nihilominus Comiti antedicto ut tibi pro terra quam à te tenet reverenter exhibeat quod exhibere tenetur. Illud autem excellentiam tuam volumus non latere, quòd si Tolosani ac nobiles sæpedicti adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innovatas crucesignatos & fideles alios præcipimus excitari ut ad extirpandam pestem hujusmodi divino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos quàm quoslibet alios receptatores aut defensores ipsorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nocivi, procedant in nomine Domini Sabaoth. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus, & obtecramus in Domino quatenus quæ præmisimus prompto animo, quantum ad te pertinet, exequaris, sciturus pro certo quòd si aliter, quod non credimus, duceres faciendum, præter indignationem divinam, quam ex hoc facto contra te procul dubio provocares, grave ac irreparabile posses incurrere detrimentum, nec nos, quantumcunque tuam diligamus personam, tibi contra fidei Christianæ negotium possemus parcere vel deferre. Quantum enim tibi periculum immineret, si Deo & Ecclesiæ, præsertim in causa fidei, te opponeres, ut consummationem sancti operis impedires, non solùm vetera sed & moderna te possunt exempla docere. Datum Laterani Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide lib. 15. epist. 212. 213. & hist. Albig. cap. 70.

In eundem ferè modum nobili viro Simoni Comiti Montisfortis. Is in cujus manu &c. *usque* Sabaoth. Si enim prædictus Rex aliter duceret faciendum &c. *usque* docere. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus quæ præmisimus prompto animo, quantum ad te pertinet, exequaris. Datum ut suprà.

In eundem ferè modum scriptum est Narbonensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato. Is in cujus manu &c. *usque* docere. Vnde nos Regem & Comitem sæpedictos per litteras nostras monuimus ut quæ præmisimus prompto animo, quantum ad eos pertinet, exequantur. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatos Regem & Comitem monens ad id efficaciter & inducens, procedas circa tres nobiles antedictos secundùm formam superiùs comprehensam. Tu denique, frater Archiepiscope &c.

In eundem ferè modum scriptum est Tolosano Episcopo. Is in cujus manu &c. *usque* inducens, procedas circa cives prædictos secundùm formam superiùs comprehensam. Tu denique, frater Episcope &c. Datum ut suprà.

DE REFLORIIS ET DE PALMI Abbatibus, & Priori de Refloriis, Bracarensis & Tudensis dioceſum.

Epist. 49. De sepeliendo excommunicato qui pœnitentiæ signa dederat.

OBlata nobis M. mulieris petitio continebat quòd cùm olim S. frater suus unà cum quibusdam aliis morti cujusdam interfuisset Presbyteri diabolo suadente, tandem reversus ad cor, humiliter suum recognovit excessum, & paratus ut iter arriperet ad sedem apostolicam veniendi, præveniente mortis articulo exequi non potuit quod intendit; juramento tamen promiserat quòd nostris staret super

excessu sæpedicto mandatis. Vnde nobis dicta mulier supplicavit ut cùm illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impedierit quò minùs ad sedem accesserit apostolicã absolvendus, super absolutione ac sepultura ipsius dignaremur misericorditer providere. Quia verò sicut in cõtumacia persistentibus rigidos esse nos convenit, sic humiliatis ad pœnitentiam negare gratiam Ecclesiæ non debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si prædictus S. dum adhuc viveret, satisfactionem condignam promisit vel sufficiens de satisfactione mandatum, & aliàs manifesta in eo pœniteniæ indicia præcesserunt, cum psalmo pœnitentiali, oratione dominica, & aliis consuetis, defuncto absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus ejusdem ecclesiasticæ sepulturæ, dummodo * contra terræ consuetudinem ex hoc grave non debeat scandalum generari. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, filij Abbates &c. Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno XVI.

* Vide cap. *Sinerum.* De sepultur. in 4 collect.

Vide chronicon Hirsaug. ad an. 1202. & Odor. Raynal. ad an. 1202. §. 45. & seqq.

Ecclesiæ restitutum, fuit inter alia propositum coram nobis & in nostro regesto repertum quòd cùm olim apostolica sedes ad vindicandam cruelem & lacrymabilem mortem bonæ memoriæ Conradi Herbipolensis Episcopi, Petri exeruerit gladium, ut sicut notorius erat interfectorum excessus, sic memorialis esset in generationem ac generationem sceleris perpetrati vindicta, inter cetera statuit ut tam homicidæ ipsi quàm heredes eorum universis feudis & beneficiis Herbipolensis Ecclesiæ, quam specialiter offenderant, & Ecclesiarum etiam ceterarum, cùm in ea læserint Ecclesiam generalem, carerent in perpetuum, illa nullo tempore habituri nisi forsan aliquando de speciali apostolicæ sedis indulgentia secutura posteritas misericordiam mereretur. Et cùm nec tutum nec honestum existeret ut iste Henricus, qui dicitur substitutus, filius Henrici de Ravesburg fratris Botonis, cujus pater & patruus fuerunt in necem memorati Episcopi machinati, consiliis Herbipolensis Ecclesiæ interesset, bonæ memoriæ Guidoni Penestrinensi Episcopo, tunc apostolicæ sedis Legato, dedimus in mandatis ut ei auctoritate nostra per commutationem idoneam in alia Ecclesia ab Herbipolensi remota appellatione postposita provideret, præbendam illius alij collaturus. Et quidem eam gerimus de tua circumspectione fiduciam quòd si hoc in tuam deductum fuisset notitiam, sic circa prædictum Henricum, quantumcunque ipsum dilectionis brachiis amplectaris, nullatenus processisses. Verùm ne demus Herbipolensi Ecclesiæ labores pariter & dolores, & memoratum Henricum inutiliter laborare contingat, eum quem à præbenda Herbipolensis Ecclesiæ olim decrevimus amovendum, à regimine ipsius Ecclesiæ perpetuò removemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus supradictum Herbipolensem Episcopum, cùm parte Othonis reprobi penitùs abdicata publicè ad Ecclesiæ devotionem reversus catholicæ parti patenter adhæserit & potenter, super Ecclesia sæpedicta de cetero non molestes; ut qui persequebaris vitium in averso, amplectaris in converso virtutem. Sic etenim decrevimus expedire, quoniam speramus quòd si beneficiorum non erit ingratus, se tantò devotiorem exhibere studebit quantò majorem invenit gratiam post offensam. Tu denique, frater Archiepiscope &c. Datum Laterani VIII. Idus Junij, pontificatus nostri anno decimosexto.

ARCHIEPISCOPO MAGVNTINENSI apostolicæ sedis Legato.

Epist. 70. De negotio Episcopi Herbipolensis.

LIcèt injunctæ tibi legationis processum in pluribus commendemus, super negotio tamen Herbipolensis Ecclesiæ, quantumcunque tuæ fraternitati deferre velimus, non possumus salva conscientia commendare; in quo etsi fortè zelum habueris, non tamen secundùm scientiam habuisti, cùm in destitutione unius & substitutione alterius processeris minùs justè. Nos quidem receptis olim super hoc litteris tuis per dilectum filium Decanum de Onoldesbath meminimus respondisse quòd cùm disponente Domino simus in sede justitiæ constituti & omnibus in justitia debitores, negare non debemus alicui quod postulat ordo juris. Vnde mãdavimus ut si fortè substitutus & destitutus de jure suo vellent in judicio experiri, præfigeres eis terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent justum judicium recepturi. Accedente autem ad nõstram præsentiam dilecto filio Deutautto clerico procuratore venerabilis fratris nostri Ottonis Herbipolensis Episcopi super eo quòd diceris nolle ratum habere processum venerabilis fratris nostri Magdeburgensis Archiepiscopi apostolicæ sedis Legati circa Episcopum memoratum ad communionem & gratiam Ecclesiæ de mandato nostro receptum & ad regimen Herbipolensis

Vide lib. 15. epist. 126.

NOVARIENSI CAPITVLO.

Epist. 51. De electione Episcopi Novariensis.

AVditis olim & intellectis quæ à procuratoribus partium super duabus electionibus in vestra Ecclesia celebratis fuere proposita coram nobis, de communi fratrum nostrorum consilio electionem factam de Præposito sanctæ Mariæ cassavimus, & electionem de * Præposito sancti Gaudentij celebratam duximus confirmandam, si quoddam instrumentum reprobaretur infra temporis certum spatium contra ipsum super cujusdam arbitrij forma productum, quod venerabili fratri nostro Archiepiscopo Ianuensi & dilectis filiis de Tillieto & de Ceretro Abbatibus sub bulla nostra misimus intercluſum. Ipsi verò receptis probationibus exhibitis coram eis, causam sufficienter instructam ad nostram audientiam remiserunt. Procuratoribus igitur partium in nostra præsentia constitutis, & auditis hinc inde propositis, quia per ea quæ contra prædictum instrumentum objecta sunt & ostensa idem adeo redditum est suspectum quòd ad fidem in judicio faciendam debeat invalidum reputari, & ita reprobatum quòd ad illud ad quod probandum erat inductum, cùm proniora sint jura ad absolvendum quàm ad condemnandum, electionem factam de prædicto Præposito sancti Gaudentij confirmavimus; per apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes quatenus ipsi obedientiam & reverentiam debitam impendatis, eidem reverenter in spiritualibus & temporalibus intendentes. Alioquin venerabili fratri nostro Vercellensi Episcopo apostolicæ sedis Legato nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani XII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* vocabatur Odelbertus.

Illi scriptum est super hoc, verbis competenter mutatis.

DE SPINA ET DE VRSARIA Abbatibus Placentinensis & Aurienſis dioceſum.

Epist. 52. De absolutione Regis Portugalliæ. *Vide lib. 15. epist. 117.*

ACcepimus ex litteris vestris quòd cùm causam quæ inter illustrem Regem Portugalliæ ex parte una & nobiles mulieres Tarasiam & S. sorores ipsius ex altera super castris Montismajoris & Alanker, damnis & rebus aliis vertitur, sub certa forma vobis duxerimus committendam, vos ad locum debitum accedentes, cùm velletis ad Regis & regni absolutionem procedere, dictæ Regis sorores proposuere per litteras scriptum apostolicum vobis exhibitum falsitate suggesta & veritate tacita impetratum, & ad hoc probandum locum securum & competentem terminum postularunt. Vobis autem de prudentum virorum consilio diem & locum congruum eis & Regi volentibus assignare, Rex ex hoc asserens se gravari, cùm crederet se ac regnum suum præstito juramento quòd nostris pareret mandatis ab excommunicationis & interdicti sententiis sine dilatione absolvi debere, petiit & impetravit à vobis ut totum negotium ad nostram audientiam referretur. Constitutis itaque procuratoribus partium coram nobis, & auditis hinc inde propositis, utrique parti volentes in sua justitia providere, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus accedentes ad locum & recepto ab ipso Rege corporaliter juramento quòd super iis pro quibus excommunicatus existit & terra ejus supposita interdicto nostris mandatis absolutè parebit, excommunicationis & interdicti sententias relaxetis, inter ipsum & prædictas sorores ipsius treugarum fœdera statuentes, quæ juramentis & aliis idoneis cautionibus faciatis utrinque firmari, & ad illa firmiter observanda eos per districtionem ecclesiasticam sublato contradictionis & appellationis obstaculo compellatis, ut nec per se nec per alios sibi invicem nocere præsumant; ac deinde facientes utrique parti de manifestis damnis & injuriis satisfieri competenter, super dubiis audiatis quæcunque duxerint proponenda; & nisi per vos inter eos amicabilis poterit concordia reformari, causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent mandatum apostolicum recepturæ. Vos denique filij Abbates &c. Datum Laterani XII. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

ABBATI DE CARRARIA Paduanæ dioceſis, & Archipresbytero Paduano.

Epist. 53. Adversùs impetrantem rescriptum per obreptionem.

MArtini clerici, qui se olim pro Archipresbytero plebis de Sacco gerebat, pluribus nota malitia transire non debet inulta: quoniam latum pandit delinquentibus sinum qui non condemnat errata, & nutrit in perversis impunitas audaciam delinquendi. Suffecisse quidem ei poterat ad infamiæ suæ notam quòd aucto-

ritate sedis apostolicæ per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Cenetensem & suos conjudices ob falsitatis vitium quod commiserat officio beneficioque suspensus, ipsius exigente contumacia vinculo fuit excommunicationis adstrictus. Sed sibi accumulans iram in die iræ, procuratorem venerabilis fratris nostri Episcopi Paduani apud sedem apostolicam constitutum adeo circumvenit quòd eum ad eligendos judices in quibusdam litteris, quas sub forma communi contra processum supradicti Cenetensis Episcopi & suorum conjudicum de causa suspensionis & excommunicationis tacita veritate ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum Civitatis novæ ac collegas ipsius impetrarat, fraudulenter induxit. Qui, ut aliqua ipsi ad impetrationem litterarum illarum via pateret, interposuit personam extraneam, quæ nomen repræsentans ipsius, Martini videlicet, super Ecclesia sancti Martini de plebe, hoc additamento, scilicet de Sacco, suppresso, ne per agnomen loci, ejus impediretur propositum, litteras impetravit, intendens nihilominus & non prudenter occasione istius clausulæ, *rebus aliis*, quæ nostris litteris inseri consuevit, sub quodam involucro super falsitatis vitio quæstionem suscitare sopitam. Ac licèt ei graviter increpato mandaverimus viva voce ut nullatenus ab apostolica sede recederet absque nostra licentia speciali, ipse tamen clanculò talibus litteris obtentis, immo potiùs obreptis, aufugit. Vt autem nobis longas intelligat esse manus, qui absentes per contumaciam pœna comprimimus, præsentes, quos humiliatos aspicimus, relevantes, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus dictum Martinum ab omni officio & beneficio ecclesiastico sublato appellationis obstaculo perpetuò deponatis, non obstante clausula illa, videlicet *nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis*, quæ, sicut accepimus, litteris fuit inserta supradictis; nec obstantibus in posterum quibuslibet litteris, harum expressa mentione non habita, si quæ quovis ingenio apparuerint impetratæ. Tu denique, fili Abbas &c. Datum Laterani XII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ELECTO ET CAPITVLO Laudunensibus.

Epist 14. Vt fructus prebendæ conferatur consanguineo Papæ.

CVm dilectus filius Leonardus nepos dilecti filij nostri Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij consanguineus noster præbendam in vestra noscatur Ecclesia obtinere, decuisset quidem & forsitan expediret ut proventus illius, præfati Cancellarij & nostræ considerationis obtentu, non expectatis nostris super hoc precibus aut mandato, curaretis eidem offerre liberaliter & conferre. Monemus igitur universitatem vestram attentiùs & rogamus, per apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes quatenus nullius prætextu consuetudinis obsistente, proventus eosdem tam perceptos hactenus quàm percipiendos in posterum sibi vel ejus nuntio sine difficultate vel diminutione qualibet assignetis, preces apostolicas & mandatum taliter impleturi quòd idem Cancellarius, qui, sicut vestra discretio non ignorat, vobis & Ecclesiæ vestræ potest esse plurimùm fructuosus, ad ejusdem obsequia fortiùs animetur, & nos devotionem vestram teneamur meritò commendare. Tu denique fili electe &c. Datum Laterani II. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo. *Vide infrà epist. 60.*

NOBILI VIRO RAIMVNDO Pelet.

Epist. 55. De comitatu Melgorij.

ACcedens ad præsentiam nostram nobis humiliter supplicasti ut comitatum Melgorij, quem ex successione aviæ tuæ jure ad te asseris hereditario pertinere, tibi faceremus integrè assignari, sub annuo censu in feudum ab Ecclesia Romana tenendum. Verùm quia super iis fidem nobis facere nequivisti, nobiliti tuæ duximus respondendum quòd cùm Legatum de latere nostro proponamus ad partes illas in proximo destinare, tu ad præsentiam ejus accedens tuas coram eo rationes ostendas, & ipse tibi faciat exhiberi justitiæ complementum. Datum Laterani X. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO REMENSI.

Epist. 56. De relaxanda sententia excommunicationis. *Vide chron. Hirsaug. ad an. 1212. & seq.*

EX parte nobilis viri Ducis Brabantiæ fuit nobis humiliter supplicatum ut cùm venerabilis frater noster Maguntinensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus ipsum contra Ecclesiam Ottoni reprobo adhærentem excommunicationis vinculo innodarit & terram ejus suppositerit interdicto, tam prædictas sententias quàm eas quas pro damnis venerabili fratri nostro Leodiensi Episcopo irrogatis, relaxari misericorditer faceremus, cùm paratus existat super primo articulo nostris obedire mandatis & super secundo satisfactionem congruam prædicto Episcopo exhibere. Ad

hæc, ex parte ipsius fuit propositum coram nobis quòd cùm causam quæ inter G. Clericum & quosdam laicos Leodiensis diœcesis super quadam terra noscitur agitari, Decano sancti Iohannis in Burgo & conjudicibus suis fine commisissemus debito terminandam, orta discordia inter quosdam servientes ipsius Ducis & Clericum memoratum, unus eorum eundem Clericum ausu temerario usque ad sanguinis effusionem & gravem læsionem oculi verberavit. Propter quod præfati judices in dictum Ducem, licèt absentem & inscium hujus facti, excommunicationis & interdicti sententias protulerunt; pro quibus relaxandis fuit nobis nihilominus supplicatum. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratum Ducem moneas attentiùs & inducas ut sequela præfati Ottonis penitùs abjurata, se catholicæ parti potenter & patenter adjungens, super damnis quæ irrogavit Episcopo antedicto ei satisfaciat competenter, vel componat amicabiliter cum eodem: quæ cùm fuerint adimpleta, præfato Duci juxta formam Ecclesiæ auctoritate nostra beneficium absolutionis impendas, & relaxes sententiam interdicti. Illum verò qui verberavit clericum jamdictum tamdiu appellatione remota &c. Tu denique frater Archiepiscope &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIDIACONO, PRÆPOSITO, & H. de Novavilla Canonico Ambianensibus.

Epist. 57. De absolutione Majoris & Iuratorum Laudunensium.

Dilecto filio nostro Petro sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinale dilecto filio Guidoni Canonico Laudunensi procuratori Capituli & Anselmo nuntio Majoris & Iuratorum Laudunensium auditore concesso, pro parte Capituli fuit propositum coram eo quòd cùm Major & Iurati prædicti quendam hominem Ecclesiæ minùs justè cepissent, & eum monente Capitulo nec reddere nec saltem recredere secundùm approbatam consuetudinem Laudunensis Ecclesiæ voluissent, licèt offerretur eisdem in omnibus justitiæ complementum, Capitulum auctoritate ipsis ab apostolica sede concessa, per quam in molestatores eorum ecclesiasticam possunt exercere censuram, in ipsos excommunicationis sententiam promulgarunt, quam dilectus filius Laudunensis electus exigente justitia confirmavit. Vnde petebat procurator jamdictus ut sententiam faceremus eandem usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Nuntius autem adversæ partis proposuit quòd cùm olim Major & Iurati, Scabini & universitas communiæ Laudunensis transmissa nobis intimaverint quæstione quòd per excommunicationem & interdictum sine causa rationabili ab electo & clero Laudunensis sæpius gravarentur, illis duximus inhibendum ne in ipsos seu terras & familias eorundem sine rationabili causa excommunicationis & interdicti sententias promulgarent, decernentes hujusmodi sententias, si quæ post appellationem ad nos legitimè interpositam proferrentur, penitùs non tenere, super hoc venerabili fratri nostro Atrebatensi Episcopo usque ad triennium eis conservatore concesso. Vnde ad ipsum post prædictam sententiam habuere recursum. Sed licèt fuisset coram ipso à partibus diutiùs disputatum, parte Capituli ad sedem apostolicam appellante, per eum, cũ appellationi detulerint Major & Iurati, nequiverunt justitiam obtinere. Vnde petebat nuntius supradictus per nos denuntiari sententiam esse nullam. Intellectis igitur iis & aliis coram Cardinale propositis memorato, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus à Majore ac Iuratis peædictis super iis pro quibus est in eos lata sententia sufficienti cautione recepta, sententiam ipsam secundùm formam Ecclesiæ protinus relaxetis, & nisi sufficienter ostenderint infra tres menses eandem sententiam irrationabiliter fuisse prolatam, vos eos ad satisfaciendum Capitulo, sublato appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellatis; audituri postmodum si quid fuerit quæstionis, & illud appellatione remota fine canonico decisuri, facientes quod decreveritis districtione simili firmiter observari. Quòd si non omnes iis &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

CAPITVLO ALEXANDRINO.

Epist. 58. Confirmat sententiam Legatorum. Vide lib. 15. epist. 158. 189.

Gratia quam apostolica sedes terræ vestræ ab ipsa sui fundatione noscitur impendisse adeo est vobis & aliis manifesta ut nos eam, quam abundè opera protestantur, verbis nequaquam oporteat recensere. Verùm habitatores ejusdem, quos si etiam prædecessorum nostrorum erga eos beneficia universa cessarent, ea sola quæ nos ipsis contulimus ad perpetuam apostolicæ sedis devotionem & nostram sufficienter poterant obligasse, omnino præterito-

rum ingrati, & improvidi futurorum, non solùm debitum nobis censum, quem nonnisi semel recepimus, subtraxerunt, verùm etiam in nostram injuriam & contemptum Ottoni reprobo adhærentes, W. de Pusterula exigentibus culpis suis vinculo excommunicationis astrictum & nihilominus super hæreseos crimine infamatum in Rectorem suum post inhibitionem auctoritate apostolica sibi factam præsumpserunt recipere ac tenere, iis & aliis modis reddentes nobis offensam pro gratia & injuriam pro honore. Non solùm igitur providum & rationabile factum Legatorum nostrorum debitam volumus firmitatem habere, verùm etiam super terram ipsam aliàs, si diutiùs in suæ præsumptionis errore perstiterint, aggravabimus taliter manus nostras quòd sicut nos senserunt promptos ad gratiam, ita pronos sentient ad vindictam; Apostolum utique imitantes, qui ad ulciscendam omnem inobedientiam promptus erat. Datum Laterani II. Nonas Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

ENGOLISMENSI EPISCOPO.

Epist. 59. Vt pauperi Diacono beneficium assignet.

PAuperibus Clericis apostolicæ provisionis subsidium denegare nec possumus nec debemus, qui secundùm Apostolum facti sumus sapientibus & insipientibus debitores. Hinc est quòd pro dilecto filio magistro G. de sancto Sigismundo Diacono, cui & vitæ meritum & talentum scientiæ suffragari dicuntur, fraternitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram auctoritate nostra eidem, qui à te fuit, prout asserit, in Diaconum ordinatus, vel in Ecclesia Engolismensi provideas, vel in alio ecclesiastico beneficio competenti, preces & mandatum nostrum taliter auditurus quòd idem assecutum se gaudeat quod intendit, & nos devotionem tuam possimus non immeritò commendare. Tu denique frater Episcope &c. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

Scriptum est super hoc Priori Sulbisiensi Xantonensis diocesis, & Pœnitentiario & magistro F. Canonico Xantonensibus, ut dictum Episcopum ad id moneant & inducant. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut suprà.

DECANO ET CAPITVLO Eboracensibus.

Epist. 60. Ejusdem argumenti cum epistola 54.

FElicis recordationis Iohanne in Cosmidin Diacono Cardinale S. R. E. Cancellario de medio Domino vocante sublato, præbendam quam idem in Eboracensi obtinebat Ecclesia dilecto filio Leonardo ipsius ac nostro nepoti duximus concedendam, ac de ipsa eundem manu propria curavimus investire, credentes quòd per ipsum & suos multa vobis & Ecclesiæ vestræ poterunt commoda provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus dictum Leonardum de cetero vestrum concanonicum habeatis, & tu, fili Decane, de ipsa præbenda ejus procurator existas. Quod autem super hoc dilectus filius Pandulphus Subdiaconus noster duxerit disponendum recipiatis humiliter & inviolabiliter observetis. Datum Laterani XVIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Illi scriptum est super hoc, ut super hoc ordinare procuret quod utilitati ejusdem Leonardi viderit expedire.

In eundem modum scriptum est Episcopo apostolicæ sedis Legato & Capitulo Vercellensibus. Felicis recordationis &c. *usque* sublato, præbendam quam idem habebat in Ecclesia Vercellensi dilecto filio Gregorio nato nobilis viri L. de Montelongo consobrini nostri duximus concedendam, credentes &c. *usque* provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus dictum G. de cetero vestrum concanonicum habeatis, & tu frater Episcope, fructus ejusdem præbendæ ad opus ipsius colligi facias & servari. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.

ABBATI ET CONVENTVI Nonantulanis.

Epist. 61. De confirmatione privilegiorum.

EXhibita nobis ex parte vestra quædam felicis memoriæ Adriani, Iohannis, atque Marini prædecessorum nostrorum authentica scripta diligenter inspeximus, & per dilectum filium Henricum sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarium jussimus fideliter exemplari; qui ea quæ de ipsis scriptis papyriis ex quadam parte præ nimia vetustate consumptis colligere potuit, in publicam formam redigere procuravit: quibus nos apostolici favoris præsidium impendentes,

pendentes, in hac pagina fecimus sub bulla nostra conscribi, supplendo quædam quæ secundùm litteræ circumstantias in integris præsumebantur originalibus fuisse descripta, quæ causa discretionis mandavimus in hac carta tonsis litteris exarari. » IN NOMINE Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno dominicæ incarnationis » millesimo ducentesimo decimotertio, pontificatus verò Domini Innocentij III. Papæ anno ejus sextodecimo, Indictione prima, mense Ianuarij exeunte, die quartadecima. Privilegium Domini Adriani Papæ domibus atque familiis, servis originalibus, simulque rebus atque possessionibus, necnon aquimolis, olivetis, vel quicquid IN QVIBVscunque locis habere vel tenere videtur, vel si quid in potestate legaliter donatum vel largitum fuit, aut quolibet modo justè evenerit, tenere & possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat, & nulli unquam liceat Regum, Episcoporum, Ducum, vel Actorum parvæ vel magnæ personæ in prædicto venerabili monasterio vel in eis quæ eidem venerabili monasterio pertinere..... STAbilitate permaneant. Interdicentes omnino EPISCOPO in cujus parrochia esse videtur supradictum monasterium CONSTITVtum..... contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quicquam attentet, neque ullo modo ejus baptismales Ecclesias sibi vendicet, neque ipse suique successores præsumant prohibita contingere. sed neque Missarum solemnia ibidem persolvere præSVMAT, nisi ab Abbate suprascripti monasterij fuerit invitatus; neque ordinationem sacerdotum quilibet Episcoporum in PRÆfato monasterio vel ejus in re.....celebrare audeat, nisi, ut prædictum est, ab Abbate fuerit invitatus. Chrisma igitur vel quicquid ad sacra ministeria pertinet, si à patre monasterij fuerit postulatus, à quocunque prævi- derit concedimus tribuenda. Sed neque decimas usquam dare concedimus nisi Ecclesiis supradicti venerabilis monasterij ad nostram dioceſim pertinentis. Sed & hoc statuimus & inviolabili sanctione auctoritate apostolica firmamus, ut nullus aliquando in prædicto monasterio de aliis monachis seu quibuscunque Ecclesiis..... Abbas..... divina vocatione Abbas præfati monasterij pertransierit, & resolutionis TEMPVS advenerit, de propria semper congregatione eligatur Abbas, qui ab omni.....*

» IOHannes Episcopus servus servorum Dei Benedicto religioso Abbati monasterij sancti SILVestri DE NONANtula & in eodem venerabili monasterio in perpetuum... Salvatoris nostri Iesu Christi pertinere noscuntur, & ad stabilitatem venerabilium locorum respiciunt cum magno sollicitudinis studio nos convenit apostolica & rationali censura PROCVRare; quatenus ex hoc juges eidem propitiatori nostro Domino Deo efficaciùs persolvi possint carminum laudes, & nobis, qui, licèt immeriti, divina tamen gratia præveniente, pastoralis regiminis curam gerimus, opima in sidereis arcibus remunerationis præmia adscribantur. Igitur quia constat tuam nobis religiositatem detulisse præceptum prædecessoris nostri Domini Adriani & Iohannis sive Stephani reverendæ memoriæ Pontificum de præfato monasterio & omnibus ei pertinentibus locis ac possessionibus, quæ petiistis ut per nostri privilegij paginam confirmaremus. Vnde nos precibus vestris inclinati, & à præsenti quartadecima Indictione in perpetuum prædictum monasterium successorum tuorum Abbatum ditione & potestate cum omnibus sibi pertinentibus confirmantes irrefragabili jure decernimus permanenda, id est, monasterium sancti Silvestri de Nonantula territorio MUTINENSI. Quapropter auctoritate beati Petri Apostoli, cui à Domino Deo nostro cœlorum regni claves traditæ sunt, & potestas ligandi atque solvendi cœlo terraque tradita est, promulgantes decernimus & firma stabilitate & censura statuimus ut ipsum venerabile monasterium cum omnibus locis.....fundis, casis, casalibus, domibus, atque familiis, servis originalibus, simulque rebus & possessionibus, necnon aquismolis, olivetis, vel quicquid in quibuscunque locis..... habere vel tenere videtur, vel si quid in potestate legaliter donatum vel largitum fuerit, aut quolibet modo justè evenerit, tenere & possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat. Et nulli unquam liceat Regum, Episcoporum, Ducum, vel Actorum parvæ vel magnæ personæ in prædicto monasterio vel in eis quæ eidem monasterio PERTINERE noscuntur quocunque modo incumbere..... invasionem facere, aut quispiam sacerdotum ibidem præsumat accedere vel Missarum solemnia celebrare. Et neque Episcopus, neque Abbas, vel Comes, aut quælibet magna parvaque persona in præfato monasterio vel in ejus cellis aut Ecclesiis mansiones facere aut expensas expetere aut aliquod per potesta-

* Cetera desunt.

» tem servitium præter peregrini & legitimi » hospites. Sed neque colloquium qualecun- » que aut placitum in ipso monasterio aut in » ejus prænominatis locis esse quis audeat, » nisi ab Abbate fuerit invitatus. Quatenus » hoc quod ad laudem Dei & stabilitatem » prædicti monasterij statuimus firma stabi- » litate permaneat. Interdicentes omnino » Episcopo in cujus parrochia esse videtur » supradictum monasterium constitutum ut » nihil contra tenorem præsentis decreti pia » postulatione indulti quicquam attentet, » neque ullo modo baptismales Ecclesias si- » bi vindicet, neque ipse suique successores » præsumant prohibita contingere. Sed neque » Missarum solemnia ibidem persolvere præ- » sumat, nisi ab Abbate suprascripti mona- » sterij fuerit invitatus; neque ordinationem » sacerdotum quilibet Episcoporum in præ- » fato monasterio vel ejus jure aut de suo » clero celebrare audeat, nisi, ut prælatum » est, ab Abbate fuerit evocatus. Chrisma » igitur vel quicquid ad sacra ministeria per- » tinet, si à patre monasterij fuerit postula- » tus, quibuscunque præviderit concedimus » ..... nisi Ecclesiis supradicti ve- » nerabilis monasterij ad nostram diocesim » pertinentis. Sed & hoc statuimus & invio- » labili sanctione apostolica auctoritate fir- » mamus, ut nullus aliquando in prædicto » monasterio de aliis monachis seu quibus- » cunque Ecclesiis ..... esse præsumat, » neque à quacunque potestate in postero » ducantur. Sed cum divina vocatione Ab- » bas præfati monasterij pertrixerit, & reso- » lutionis tempus advenerit, de propria sem- » per congregatione eligatur Abbas, qui ab » omnium monachorum ..... » eorum pro Dei amore arantium monachi- » co ordine militantium. Nihilominus om- » nibus huic nostri pontificij interdictione » inhibemus aliquam scripturam vel confir- » mationem de prædicti monasterij rebus vel » de prænominata abbatia quo ingenio con- » tra hoc præceptum petere. Si qua scriptu- » ra vel petitio impetrata fuerit, aut in reli- » quo apparuerit, hars irritas esse vacuasque » omni robore jubemus. Si quis præterea, » quod non credimus, præsumpserit hoc no- » strum privilegij constitutum in aliquo trans- » gredi aut contemnere, sciat se auctoritate » beatorum Petri & Pauli Apostolorum prin- » cipum anathematis vinculo esse innodatum » & à regno Dei penitùs segregatum. Porrò » qui observator & custos extiterit, benedi- » ctionis gratiam à misericordissimo Deo no- » stro & vitam perpetuam feliciter conse- » quatur. Scriptum per manum Sergij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarij in mense Ia- » nuarij, Indictione suprascripta. Bene va- » lete. Ego Sergius Idus Ianuarias per ma- » num Anastasij Primicerij defensoris sanctæ » sedis apostolicæ, anno Deo propitio pon- » tificatus Domini Iohannis summi Pontificis » & universalis noni Papæ in sacratissima se- » de beati Petri Apostoli secundo, Indictio- » ne secunda. »

Marinus Episcopus servus servorum Dei » Theodorico religioso Abbati venerabilis » monasterij sancti Silvestri ..... terri- » torio Mutinensi necnon omnibus subjacen- » tibus & in perpetuo ..... » quæque ad laudem redemptoris Dei & » Domini salvatoris nostri Iesu Christi perti- » nere noscuntur, & ad stabilitatem vene- » rabilium locorum respiciunt, cum magno » sollicitudinis studio nos convenit apostoli- » ca & rationali censura procurare; quate- » nus ex hoc juges eidem propitiatori nostro » Domino Deo efficaciùs persolvi possint » carminum laudes, & nobis, qui, licèt » immeriti, divina tamen gratia prævenien- » te, pastoralem regiminis curam gerimus, » opima in fidereis arcibus remunerationis » præmia adscribantur. Igitur quia constat » religiositatem tuam nobis detulisse præ- » ceptum prædecessoris nostri Domini A- » driani & Iohannis reverendæ memoriæ » Pontificum de prædicto monasterio & om- » nibus ei pertinentibus locis ac possessioni- » bus, quæ petistis ut per nostri apostolici » privilegij paginam confirmaremus. Vnde » nos precibus vestris inclinati, & à præsenti » prima Indictione in perpetuum, fæpedic- » tum monasterium successorum tuorum » Abbatum ditione & potestate cum omni- » bus sibi pertinentibus confirmantes irrefra- » gabili jure decernimus permanenda, id est, » monasterium sancti Silvestri qu ..... a No- » nantula territorio Mutinensi. Quapropter » auctoritate beati Petri Apostoli, cui à Do- » mino Deo nostro cœlorum regni claves » traditæ sunt, & potestas ligandi atque sol- » vendi cœlo terraque concessa est, promul- » gantes decernimus & firma stabilitatis cen- » sura statuimus ut ipsum venerabile mona- » sterium cum omnibus locis, mansis, fun- » dis, casis, casalibus, domibus, atque fa- » miliis, servis originalibus, simulque rebus » & possessionibus, necnon aquis molis, » olivetis, vel quicquid in quibuscunque ... » ..... videtur vel potestate legaliter » donatum vel largitum fuerit, aut quolibet » modo justè evenerit, tenere & possidere si- » ne qualibet controversia perpetuis tempo- » ribus valeatis. Et nulli unquam liceat Re- »

» gum ..... Episcoporum ..... » vel Actorum parvæ vel magnæ personæ in » prædicto venerabili monasterio vel in eis » quæ eidem venerabili monasterio pertine- » re videntur quocunque modo incumbere » aut invasionem facere ..... acce- » dere vel Missarum solemnia celebrare, nisi » ab Abbate fuerit invitatus; quatenus hoc » quod ad laudem & stabilitatem supradicti » sancti monasterij statuimus firma stabilita- » te permaneat. Interdicentes omnino Epis- » copo in cujus parrochia esse videtur supra- » dictum monasterium constitutum ut nihil » contra tenorem præsentis decreti pia pos- » tulatione indulti quicquam attentet, sed » neque ullo modo baptismales Ecclesias sibi » vindicet.] Et ego Henricus sacrosanctæ » Romanæ Ecclesiæ Scriniarius una cum » Bartholomæo Clerico sancti Petri ad vin- » cula horum supradictorum exemplorum » authentica privilegia, Dominorum videli- » cet Adriani, Iohannis, atque Marini Pa- » pæ, videns & perlegens, ut in eis contine- » batur, sic in suprascriptis continetur exem- » plis, & ea fideliter exemplavi, & signum feci.] Nulli ergo &c. conscriptionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

WARADIENSI ET NITRIENSI *Episcopis, & Abbati de Egris Cenadiensis diocesis.*

Epist. 62. Ve dirimant controversiam super decimis

EX vestris accepimus litteris quòd cùm causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Vesprimiensem Episcopum ex parte una & dilectos filios Strigoniense Capitulum ex altera super quarundam decimis vinearum positarum juxta Strigonium vertitur experientiæ vestræ sub certa forma duxerimus committendam, vos in ipso negotio propter quasdam exceptiones adversùs eundem Episcopum ex parte Capituli propositas coram vobis, quas sub vestris sigillis ad nostrum transmisistis examen, & nos sub bulla nostra vobis remittimus intercluſas, procedere distulistis. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, vobis per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus nonobstantibus exceptionibus supradictis in causa ipsa juxta prioris mandati nostri tenorem ratione prævia procedatis, recipientes testes & alias probationes Episcopi, quibus uti voluerit; cùm per narrationem ejusdem Episcopi & responsionem Capituli asserentis bonæ memoriæ K. prædecessorem Episcopi sæpedicti à quæstione quam super eisdem decimis coram bonæ memoriæ I. Strigoniensi Archiepiscopo adversùs idem Capitulum moverat, cùm decimas illas sui juris non esse recognosceret, humiliter destitisse, lis intelligi debeat contestata. Si quid autem prætextu decimarum ipsarum venerabilis frater noster Strigoniensis Archiepiscopus contra ipsum Episcopum proponere fortè voluerit audiatis, & auditis hinc inde propositis, causam, si de partium processerit voluntate, fine canonico terminetis. Alioquin eam sufficienter instructam ad nostram audientiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent justam dante Domino sententiam recepturæ. Vos denique, fratres Episcopi & fili Abbas, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VII. Kalendas Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO LINGONENSI, & Abbati Morimundensi Lingonensis diocesis.

Epist. 63: Canonica purgatio indicitur Archiepiscopo Bisuntino. *Vide infrà epist.* 158. *& lib.* 1. *epist.* 277. *& lib.* 14. *epist.* 125.

AVditis & intellectis quæ super inquisitione facta contra venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Bisuntinum fuere proposita coram nobis, quia per depositiones testium constitit evidenter ipsum clericos, cùm eos promovebat ad ordines, fecisse promittere data fide quòd eum per sedem apostolicam vel per alium super obtinendo beneficio non vexarent, ut puniatur in quo deliquit, eundem à collatione ordinum duximus suspendendum, & quandiu nobis placuerit volumus manere suspensum. Interim autem per aliquem de suffraganeis Ecclesiæ Bisuntinæ, cùm necessitas postulaverit, clericis Bisuntinæ diocesis ordines conferri mandamus. Ceterùm quoniam idem Archiepiscopus super vitio simoniæ ac lapsu carnis necnon venditione justitiæ dinoscitur infamatus, super iis ei purgationem cum tertia manu Episcoporum suæ provinciæ vel etiam vicinarum & trium Abbatum Bisuntinæ diocesis bonæ opinionis & vitæ, qui conversationem ejus cognoverint, indicentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ab eo infra tres menses præfixos à nobis hujusmodi purgatione recepta, ipsum super illis articulis boni testimonij publicè nuntietis. Quòd si fortè in purgatione defecerit, ipsum à pastorali regimine amoventes, faciatis Ecclesiæ Bisuntinæ de persona idonea provideri. Vos denique, frater Episcope & fili Abbas, super vobis &c. Datum Laterani IV. Kalend. Iunij,

pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI SANCTI FLORENTII Salmurienſis.

Epist. 64. De primatia Bituricenſi. Vide epist. sequ.

COnstitutus in præsentia nostra venerabilis frater noster Burdegalensis Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit quatinus cùm venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus in provincia sua jus primatiæ ad se asserat pertinere, super hoc causam inter eos committere dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus duobus viris providis & honestis, quorum unus à parte una, reliquus verò ab altera tibi præsentetur, assumptis, causam super hoc audias cum eisdem, & usque ad diffinitivæ sententiæ calculum procedens in ipsa, eandem ad nos remittas sufficienter instructam, præfixo partibus termino competenti quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent justam auctore Domino sententiam recepturæ. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani VI. Idus Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

EPISCOPIS PER Burdegalenſem provinciam conſtitutis.

Epist. 65. De eadem re. Vide lib. 15 epist. 47. 130.

CVm olim venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus auctoritate primatiæ quam in provincia vestra sibi asserit pertinere venerabilem fratrem nostrum Burdegalensem Archiepiscopum à metropoliticæ dignitatis officio suspendisset pro eo quòd ad suum vocatus Concilium accedere non curavit nec pro se aliquem responsalem idoneum destinare, ac super hujusmodi suspensionis sententia fuisset inter eundem Bituricensem & dilectum filium magistrum Amaneum procuratorem ipsius Burdegalensis Archiepiscopi coram nobis diutiùs disputatum, tandem de fratrum nostrorum consilio sententiam ipsam ratam habuimus & usque ad satisfactionem idoneam præcepimus observari; hoc ad cautelam expresso, quòd lis coram nobis, non de primatia, sed de sententia, extitit ventilata. Postmodum verò credentes ad satisfactionem sufficere competentem, pro prædicta sententia relaxanda, ut memoratus Burdegalensis Archiepiscopus per se ipsum aut alium virum idoneum ad præsentiam dicti Bituricensis accederet, relaxationem ejusdem sententiæ humiliter petiturus, & promissurus firmiter sub suarum, si necesse foret, testimonio litterarum quòd ad ejus Concilium vocatus accederet, facturus quod foret faciendum de jure, per litteras nostras ipsi Bituricensi dedisse meminimus in præceptis ut cùm à Burdegalensi prædicto foret taliter requisitus, prædictam non differret sententiam relaxare; nullam pœnam inflicturus eidem, si fortè dictam sententiam non servarat, antequam per nos declaratum fuisset an esset eadem observanda; venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo & conjudicibus suis per scripta nostra mandantes ut Bituricensi jamdicto in mandati nostri executione cessante, ipsi sæpedictam sententiam relaxarent absque præjudicio juris sui. Nuper autem idem Burdegalensis Archiepiscopus ad nostram præsentiam accedens proposuit coram nobis quòd de hujusmodi confirmatione sententiæ nihil unquam per litteras ipsius Bituricensis aut nuntium sibi fuerat intimatum. Propter quod ipsam petiit à nobis humiliter relaxari. Nos igitur volentes utrique paterna sollicitudine providere, sententiam relaxamus memoratam, firmam promissionem recipientes à Burdegalensi prædicto quòd vocatus accedet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus quod de jure fuerit faciendum. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VIII. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI DE MELLIO Patavienſis dioceſis & Præpoſito ſanctæ crucis Auguſtenſis.

Epist. 66. De institutione episcopatus in insula Chiemensi. Vide tom. 2 Metrop. Salisburg. pag. 231. 232.

OBlata nobis ex parte venerabilis fratris nostri Salzeburgensis Archiepiscopi petitio continebat quòd infra fines parrochiæ suæ in insula quæ Chiemense vocatur duo sunt monasteria constituta; quorum unum moniales inhabitant, aliud verò Canonici regulares. Verùm moniales abjecto penè penitùs jugo modestiæ regularis, sine fræno pudoris & verecundiæ obice evagantur per campos licentiæ dissolutæ, ac sic se motibus exposuere carnalibus quòd locus in quo habitant dici potest lupanar potiùs quàm oratorium ab effectu. Dictus autem Archiepiscopus ad expurgandam tantam labem volens extendere manus suas, ut eædem moniales divisæ per alia religiosa cœnobia fortè proficiant, quæ in suo collegio merito deficiunt & exemplo, mutuo contagio corruptelæ, proposuit quòd ipsis per alia loca, in quibus religio floreat, collocatis, cathedram ibi pontificalem instituat, & bonis ipsius monasterij cum possessionibus quas ipse pro-

ponit sufficienter adicere ad mensam futuri Episcopi deputatis, illuc Canonicos alterius monasterij transferat, cùm ibi fuerit Ecclesia cathedralis, facultatibus quas nunc possident ad eorum sustentationem integrè conservatis. Causas autem hujus sui propositi allegabat, zelum religionis, quam in altero prædictorum monasteriorum asserebat penitùs dissolutam, & utilitatis evidentiam, quæ in partibus illis hiemali maximè tempore impeditur. Cùm enim ejus provincia sit longè latèque diffusa, frequenter iis quæ limam correctionis expoſcunt visitationis & reformationis officium nequit impendere competenter, cùm propter hiemalis asperitatis obstaculum & propter annonæ defectum locum ipsum multotiens adire non possit & ibidem prout utilitas exigit immorari. Ne igitur locus prædictus visitationis officio & sacramentis ecclesiasticis per Episcopum conferendis plus debito defraudetur, idem Archiepiscopus supplicavit ut ejus proposito dignaremur favoris apostolici præsidium impertiri. Quia verò in talibus sine deliberatione provida procedere non debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiratis sollicitè veritatem de lapsu monasterij supradicti, & utrum ordo monialium ibi valeat reformari, & si moniales aliquas defensiones ostendunt, quantumque ad opus episcopalis mensæ bonis ejusdem monasterij de suis facultatibus velit adicere Archiepiscopus memoratus, & si Canonici supradicti negotio isti suum impertiantur assensum, & si non, quam causam contradictionis allegent, qualem & quantam partem de diocesi sua conferre disponat ad episcopalem dioceſim faciendam, si expressus consensus Capituli Salzeburgensis cum voluntate Archiepiscopi conveniat in hoc facto, & si etiam in electione futuri Episcopi sibi velit Archiepiscopus jus aliquod vendicare, privilegia quoque utriusque monasterij transcribi fideliter faciatis, super iis & aliis circumstantiis quod inveneritis nobis prudenter & veraciter rescribentes; ut super hoc prout expedire viderimus procedamus. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani XII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide lib. 15 epist. 105.

*PRÆPOSITO ET FRATRIBVS * Montis Iovis.*

Epist. 67. Confirmatur eis domus Vallis Suisionis.

ORtam dudum inter vos ex parte una & Abbatem & conventum sancti Secani Lingonensis dioceſis super domo Vallis Suisionis ex altera quæstionem venerabili fratri nostro Senonensi Archiepiscopo duximus committendam. Cùm igitur idem causam remisisset ad nos sufficienter instructam, te, fili Præpositе, ac procuratore partis alterius propter hoc in nostra præsentia constitutis, eandem examinavimus diligenter; & tam actis coram dicto Archiepiscopo quàm iis quæ coram nobis fuere proposita plenius intellectis, de fratrum nostrorum consilio domum vobis sententialiter adjudicavimus supradictam. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO Gurcensibus.

Epist. 68. Confirmat quandam permutationem.

CVm à nobis petitur &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. *usque* assensu, concambium inter vos ex parte una & bonæ memoriæ Romanum Gurcensem Episcopum & nobilem virum Poponem de Waldethe ex altera super quodam castro & rebus aliis celebratum, prout continetur in authentico scripto ejusdem Episcopi sigilli munimine roborato, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus jussimus litteris annotari, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem scripti prædicti talis existit. IN NOMINE sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Ego Romanus sanctæ Gurcensis Ecclesiæ humilis Episcopus, humanæ pia facta conditionis, dum incertis casibus rapiantur, ne cum obeuntibus pereant, scriptis dignè annotantur. Vnde omni ævo notum esse cupimus qualiter fratres nostri præfatæ Ecclesiæ Canonici super Popone de Waldethe ministeriali Ecclesiæ ob damnosam violentiam quam ipsis in bonis eorum præfato castro adjacentibus, sicut & nobis in nostris intulit, flebilem querimoniam multotiens nobis deferentes, aliquod pacis suffragium sibi disponi rogaverunt. Nos verò tamquam pastor ovium & qualiscunque dispensator, ab incursu tali obsecrando, increpando, arguendo, ipsum Poponem mitigavimus, donec tandem conscientia delicti sui compunctus, ipsum castrum cum bonis adjacentibus in aliquod placabile concambium se daturum eis asseruit. Hoc audito, fratres præfati tali consilio cum illo coram nobis sunt coadunati, ut quodcunque de commutatione utrorumlibet disponeremus, utraque pars consentiret. Hoc utrinque confirma-

» to, prædictus Popo castrum cum decem » novalibus necnon & incultis quibusdam » infra hos terminos, via qua itur in Hyla- » mibus, & ultra castrum usque in cacumen » montis, ubi adjacet prædium Rodolphi » de Albekke, deinde in vertice montis con- » tra Vlatniz, & ex altera parte montis Zo- » bodin, qui infra terminos est usque in val- » lem, quoniam iis infeudatus erat ab Ec- » clesia, ut res gesta seriatim procederet, » nobis primùm resignavit, hac conditione, » ut ea fratribus nostris contraderemus, & » executionem promissi eorum illi similiter » exigeremus. Quod & factum est. Dede- » runt enim ei duos mansos apud Meterekke, » duos in Grivinaralbe, duos in Vrezenuelt, » & septem marchas, quadraginta modios » frumenti, centum urnas brazzij, undecim » porcos, ducentos caseos. Præterea fratres » prædicti conscientiam nostram de institu- » tione pontificalis sedis commonentes, ro- » gaverunt ut justitiam quam à prima institu- » tione in nemore Wispriach per hos termi- » nos, à nemore Moderic usque in locum » quo dividitur ipsum nemus à nemoribus » Moteniz & Fuziris pertinentibus, obti- » nuerant, scilicet hanc, nullum custodem si- » ne consensu eorum ibi fore instituendum, » vel si consentirent, custodem quoque suum » cum custode Episcopi simul injungendum, » & jus foresti æquè illis dividendum, suc- » cessoribus nostris in hac præsenti pagina » notificaremus, & tam ea quàm prædicta » impressione sigilli nostri certificaremus. » Hujus rei testes sunt Sanson, Duringus, » fratres, Rodulphus de Duvensperch, Er- » nestus de Pilstam, Hermannus de Wol- » chenburch, Engelbertus, & filij ejus Pur- » cardus, primò Henricus, Engelscus, Nu- » dungus, Eglolfus, Walterus, Walfridus » & filius ejus, Engelbertus, Purcardus, » Franco, & filij ejus, Marchvvardus, Wal- » chinus Firtel, & frater ejus, Rainhalin, » Pertholdus, Sevus, Siboto de Sininge, & » alij quamplures.] Nulli ergo &c. confir- mationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani xv. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

CONRADO EPISCOPO quondam Halverstadensi, & Abbati de Sichem, & Præposito de Hildeburgeroden Halverstadensis dioceseis.

Epist. 69. De concessione præbendæ.

ACcedens olim ad præsentiam nostram dilectus filius Brun Fridesle- rienſis Canonicus nobis humiliter intima- vit quòd cùm in Ecclesia Frideslerienſi præbendam quam auctoritate apostolicæ sedis fuerat assecutus per octo annos & am- plius pacificè possedisset, venerabilis fra- ter noster Maguntinensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus ad instantiam R. Presbyteri causam quæ super dicta præ- benda inter eos fuerat auctoritate apostoli- ca judiciali calculo terminata G. Præpo- sito & A. Scholastico Frideslarienſibus de- legavit; à quibus, tum quia ipsos habebat certa ratione suspectos, tum quia causa, ut dictum est, auctoritate apostolicæ sedis fuerat terminata, nostram duxit audien- tiam appellandum. Sed iidem judices, ip- sius exceptionibus & appellatione con- temptis, dictum R. in præbendam ipsam intrudere præsumpserunt. Vnde nos ad supplicationem Canonici memorati præfa- to Archiepiscopo dedimus in mandatis ut prædicta corrigeret per se ipsum; nihilomi- nus Abbati de Valle sancti Georgij & suis conjudicibus per scripta nostra mandantes ut ipso in mandati nostri executione cessan- te, ipsi, amoto à dicta præbenda quolibet illicito detentore, præfatum Brun facerent ejusdem pacifica possessione gaudere. Ve- rùm, sicut idem in nostra proposuit præ- sentia constitutus, dictus Archiepiscopus non solùm prædicta juxta mandatum nos- trum corrigere non curavit; quin immo cùm dictus R. carnis debitum exsolvisset, idem Archiepiscopus Ecclesiæ præfatæ Ca- pitulo suis dedit litteris in mandatis ut Henricum clericum suum ad præbendam reciperent sæpedictam. Propter quod jam- dictus Canonicus coactus est rursus ad nos- tram præsentiam laborare. Nos igitur la- boribus compatientes ejusdem, irritum prorsùs decernimus & inane si quid de præbenda ipsa in præjudicium suum extitit post mandatum hujusmodi attentatum, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eundem B. faciatis auctoritate nostra præbendam ipsam paci- ficè possidere, fructus quoque medio tem- pore perceptos ex ipsa ei, sicut justum fue- rit, per censuram ecclesiasticam restitui faciatis; contradictores, si qui fuerint, per censuram eandem sublato appellationis ob- staculo compescentes. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo ve- strum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani II. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI DE PIGVAVIA Mersburgensis diœcesis, & Præposito Magdeburgensi.

Epist. 70. Adversùs Episcopum Hildesheimensem.

SI utile ac sincerum membrum Ecclesiæ .. dictus Hildesemensis Episcopus extitisset, & voluisset prudenter advertere quòd præcisus ab arbore ramus beneficium radicis amittit, non solùm in devium excommunicati & reprobi non declinasset Ottonis, sed adhuc in unitate ac devotione fideliter Ecclesiæ Romanæ persisteret, quæ disponente Domino mater est omnium fidelium & magistra. Verùm cùm adversùs eandem calcaneum præsumptuosus erexerit, non intelligens quòd bestia, si montem tetigerit, lapidabitur, & durum est contra stimulum calcitrare, nec se magistrum per opera exhibet, nec discipulum recognoscit. Et quidem si vitium ingratitudinis in eo beneficiorum nostrorum non aboleviſſet memoriam, licèt timorem amiserit, fortè reverentiam conservasset. Sed utrumque, sicut perpendimus, amisisse dinoscitur, cùm nec timoris indicia nec alicujus devotionis scintilla remansisse videatur in ipso. Pro sua enim rebellione ac inobedientia, sicut accepimus, primò suspensus, ac deinde vinculo excommunicationis astrictus, contra nobiles viros Lantcravium Turingiæ & Albertum Comitem de Hevesten devotos & fideles Ecclesiæ per suos cum exercitu, ac si hoc deceret Episcopum, insurrexit, & non sine ridiculo, qui de pastoribus habebatur, lupum inducebat in oves quas Petri concludebat ovile, dum eo impugnante per suos, pro excommunicato prædicto, terras nobilium præfatorum, multi fuerint interempti pro Ecclesiæ libertate, quam ancillare assistendo tyranno talis Episcopus nitebatur. Et quasi hæc non sufficiſſent ad injuriam & offensam, non sine contemptu sedis apostolicæ ad curiam Ottonis accessit, in judiciis & aliis Episcopus excommunicato communicans quem laicorum pars potior evitabat. Vt autem Romanam Ecclesiam factus hostis agnoscat, quam sprevit qui videbatur amicus, & culpam in pœnis intelligat, qui beneficia non agnovit, cùm etiam tanto tempore non sine gratia expectatus, pro tantis excessibus nec unum curaverit nuntium ad sedem apostolicam destinare, distretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit de præmissis aut aliis quæ ad ejus amotionem sufficiant, auctoritate nostra ipsum à regimine Hildesemensis Ecclesiæ perpetuò amoventes, faciatis eidem Ecclesiæ de persona idonea & Ecclesiæ Romanæ plenè devota sublato cujusliber contradictionis & appellationis obstaculo per electionem canonicam provideri; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Laterani v i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* Vide lib. 14. epist. 126.

EISDEM.

Epist. 71. Adversùs Episcopum Halberstatensem.

SI utile ac sincerum membrum Ecclesiæ .. dictus Halberstatensis Episcopus extitisset &c. *ut suprà in eundem modum usque* scintilla remansisse videatur in ipso. Pro sua enim inobedientia & rebellione, sicut accepimus, primò suspensus, ac deinde vinculo excommunicationis astrictus, publicè divina præsumpsit officia celebrare, oleum sacrum & chrisma conficiens, aliaque sacramenta Ecclesiæ temerarius administrans. Et quasi hæc non sufficiſſent ad injuriam & offensam, non sine contemptu sedis apostolicæ ad curiam Ottonis accessit, in judiciis & aliis Episcopus excommunicato communicans quem laicorum pars potior evitabat. Cum eodem etiam Ottone contra nobilem virum Lantcravium Turingiæ, devotum & fidelem Ecclesiæ, intrepidus cum exercitu, ac si hoc deceret Episcopum, insurrexit, & non sine ridiculo, qui de pastoribus habebatur, lupum inducebat in oves quas Petri concludebat ovile, dum eo impugnante cum excommunicato prædicto castrum quod Wrcen vocatur & terram nobilis memorati, multi fuerint interempti pro Ecclesiæ libertate, quam ancillare assistendo tyranno talis Episcopus nitebatur. Vt autem Romanam Ecclesiam factus hostis agnoscat &c. *ut suprà usque in finem.* Datum Laterani v i i. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO Brivatensibus.

Epist. 72. Decidit litem quam ipsi habebant cum Episcopo Claromontensi. *Vide lib. 11. epist. 225. 228.*

CVm olim causam quæ inter vos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Claromontensem Episcopum ex altera super Ecclesiis villæ Brivatensis & sancti Ferreoli & sancti Germani & de Baiassa & de Brassac & de Paulac & de Bellomonte, quas idem ad se diocesana lege spectare dicebat, & vos eas legitimè præscripsisse, Casæ-Dei, Bellæaquæ, ac Novemfontium Abbatibus sub certa

forma duxerimus committendam, judices ipsi, receptis testibus & attestationibus publicatis, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram audientiam remiserunt. Nos igitur auditis & intellectis quæ à vestris & partis alterius procuratoribus fuere proposita coram nobis, quia super Ecclesiis villæ Brivatensis & sancti Ferreoli & de præscriptione legitima docuistis, vos quoad illas ab impetitione ipsius duximus sententialiter absolvendos, eidem Episcopo super illis perpetuum silentium imponentes. In Ecclesiis autem sancti Germani, de Bajassa, de Brassac, & de Paulac, & de Bellomonte, quia in probatione præscriptionis canonicæ defecistis, cùm intentio partis alterius sit eo ipso de communi jure fundata quòd eædem Ecclesiæ infra limites Claromontensis dioceſis concluduntur, super illis jus episcopale adjudicavimus Episcopo memorato, vobis in eis, quoad jus episcopale, perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO Ecclesiæ sancti Iuliani Brivatensis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Epist. 73. De confirmatione privilegiorum.

ETsi debito pastoralis officij pro universarum Ecclesiarum statu satagere compellamur, illis tamen quæ apostolicæ sedi specialiùs adhærere noscuntur studiosiùs nos convenit providere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus benignè duximus annuendum, & præfatam Ecclesiam sancti Iuliani, quæ ad apostolicam sedem nullo mediante noscitur pertinere, ad exemplar felicis recordationis Calisti Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones &c. *usque* duximus exprimenda vocabulis. Ecclesias villæ Brivatensis & sancti Ferreoli cum parrochiis suis, super quibus vos ab omni impetitione dioceſani Episcopi sententialiter judicavimus absolutos. Abbatiam sancti Germani de Hebron, abbatiam sancti Marcellini de Cantogila, abbatiam sanctæ Mariæ de Pebrac, abbatiam sancti Iuliani Turonensis, Ecclesiam de Brassac, Ecclesiam de Valle cum decima, Ecclesiam de Solmiac cum decima, Ecclesiam de Spelenco cum decima, villam Tarazas, Ecclesiam de Faveroles cum decima, Ecclesiam de Soleto cum decima, Ecclesiam de Cultus cum decima, Ecclesiam de Bellomonte cum decima, Ecclesiam de Fontibus. Porro Ecclesiæ ac prædia quæ per Præpositorum aut aliarum ecclesiasticarum personarum temeritatem vel per laïcorum violentiam sunt distracta, ad jus & proprietatem ipsius Ecclesiæ revocentur, & sine contradictione alicujus personæ illibata in posterum conserventur. Statuimus etiam ut nullus infra terminos parrochiarum vestrarum domum religiosam vel Capellam aut oratorium sine assensu vestro ædificare præsumat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Sanè ut eadem Ecclesia libera semper & quieta permaneat, omnem prorsùs Episcopum aliquam in ea ditionem habere, præter Romanum Pontificem, prohibemus. Chrisma quoque, oleum sanctum, consecrationes altarium vel Ecclesiarum, ordinationes Clericorum qui ad sacros fuerint ordines promovendi, à quocunque malueritis catholico suscipietis Episcopo; siquidem gratiam & communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Præposito &c. *usque* secundùm Deum duxerint eligendum. Ad indicium autem juris & proprietatis Romanæ Ecclesiæ & libertatis vestræ aureum unum nobis & successoribus nostris annis singulis persolvetis. Decernimus ergo &c. *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem &c. *usque* pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Rainaldi Acolythi & Capellani Domini Innocentij III. Papæ Kal. Iulij, Indictione prima, incarnationis dominicæ anno MCCXIII. pontificatus verò ejusdem Domini Innocentij anno sextodecmo.

Vide epist. 72.

ST. MAGISTRO SCHOLARVM Brivatensi.

Epist. 74. Dispensat super defectu natalium.

DIvina providentia sacrosanctam Romanam Ecclesiam omnium fidelium caput constituens & magistram, potestatis plenitudinem penes eam voluit residere; ut quæ pro puniendis seu cohibendis excessibus humana solertia statuenda providit, ejus auctoritas, nunc pensatis rerum circumstantiis & meritis personarum, severè faceret observari, nunc severitati detrahens, dispensando rigorem mansuetudine temperaret. Cùm igitur ad sacros ordines desideres promoveri, ac in iniquitatibus cum Propheta conceptus nobis humiliter

militer duxeris exponendum quomodo in peccatis te peperit mater tua, contra impedimentum casualis originis apostolicæ benignitatis remedium implorando, nos attendentes quòd per litteraturam tuam & vitam ac conversationem honestam, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, redimis hunc defectum, de misericordia, quæ superexaltat judicio, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut, dummodo impedimentum aliud canonicum non obsistat, quòd natus de legitimo matrimonio non fuisti tibi non officiat quò minùs ad sacros ordines valeas promoveri & ecclesiastica beneficia canonicè obtinere ac etiam ad ecclesiasticas dignitates assumi; ita tamen quòd si te ad honorem vocari contigerit præsulatus, illum nequaquam recipias absque sedis apostolicæ licentia speciali. Nulli ergo &c. concessionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Compostellanis.

Epist 75. De collatione præbendæ.

FElicis recordationis Iohanne sanctæ Mariæ in Cosmidin Diacono Cardinale S. R. E. Cancellario de medio Domino vocante sublato, præbendâ quam idem habebat in Ecclesia Compostellana dilecto filio Normano nato nobilis viri G. de Gualera consanguinei nostri duximus concedendam, credentes quòd per ipsum & suos multa vobis & Ecclesiæ vestræ poterunt commoda provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atq; præcipimus quatenus dictum Normanum de cetero vestrum concanonicum habeatis, & tu, frater Archiepiscope, fructus ejusdem præbendæ ad opus ipsius colligi facias & servari. Datum ut suprà.

In eundem modum Priori & conventui sancti Pancratij de Leges pro Tholomeo consanguineo nostro super vicaria quam idem Cancellarius in eorum Ecclesia de Coningeburc ad præsentationem nostram fuerat assecutus, sicut in litteris bonæ memoriæ * Eboracensis Archiepiscopi continetur, *usque* provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus quod à nobis factum est in hac parte ratum habeatis & firmum, & tu, fili Prior, fructus ejusdem vicariæ ad opus ipsius colligi facias & servari. Datum Laterani XVIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epist. 76. Approbat conditiones absolutionis. Vide lib. 15. epist. 234. & Matth. Paris. ad an. 1213.

IOhannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegavensis, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Per has patentes litteras sigillo nostro munitas volumus esse notum quòd nobis præsentibus & mandantibus ij quatuor nostri Barones, scilicet Vvalterus Comes Sarisberiæ frater noster, Reginaldus Comes Bononiensis, Vvillelmus Comes Vvarennæ, Vvillelmus Comes de Ferraria, juraverunt in animam nostram quòd nos subscriptam pacis formam bona fide curabimus per omnia observare. In primis itaque solemniter & absolutè jurabimus stare mandatis Domini Papæ coram ejus Legato vel delegato super omnibus pro quibus excommunicati fumus ab ipso, & veram pacem ac plenam securitatem præstabimus venerabilibus viris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, Vvillelmo Londonensi, Eustachio Eliensi, Ægidio Herefordensi, Iocelino Bathoniensi, & Huberto Lincolniensi Episcopis, Priori quoque ac monachis Cantuariensibus, & Roberto filio Vvalteri, ac Eustachio de Vesci, necnon & ceteris clericis ac laicis hoc negotium contingentibus, præstando simul coram eodem Legato vel delegato publicè juramentum quòd ipsos cum suis nec lædemus nec lædi faciemus vel permittemus in personis vel rebus, eisque dimittemus omnem indignationem, & in gratiam nostram recipiemus eosdem ac tenebimus bona fide, quòdque præfatos Archiepiscopum & Episcopos non impediemus nec faciemus aut permittemus aliquatenus impediri quò minùs ipsi liberè suum exequantur officium & plena suæ jurisdictionis auctoritate, prout debent, utantur; & super iis tam Domino Papæ quàm ipsi Archiepiscopo & singulis Episcopis nostras patentes litteras exhibebimus, facientes ab Episcopis & Comitibus ac Baronibus nostris, quot & quos præfati Archiepiscopus & Episcopi postulaverint, juramenta & eorum patentes litteras exhiberi quòd ipsi bona fide studebunt ut hæc pax & securitas firmiter observetur. Et si fortè, quod Deus avertat, per nos ipsos vel alios contravenerimus, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis apostolicis inhærebunt, nosque perpetuò vacantium Ecclesiarum custodiam amittamus. Quòd si fortè nequiverimus eos ad hanc ultimam juramenti partem inducere, videlicet quòd si per nos ipsos vel alios contravenerimus, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis apostolicis inhærebunt, nos propter hoc Domino Papæ ac Ecclesiæ Romanæ per nostras patentes litteras obligavimus omne jus patronatus quod habemus in Ecclesiis Anglicanis. Et omnes litteras quæ pro securitate prædictorum sunt exhibendæ præfatis Archiepiscopo & Episcopis ante suum ingressum in Angliam transmittemus. Si verò nobis placuerit, sæpefati Archiepiscopus & Episcopi præstabunt, salvo honore Dei & Ecclesiæ, juratoriam & litteratoriam cautionem quòd ipsi nec per se nec per alios contra personam vel coronam nostram aliquid attentabunt, nobis prædictam eis securitatem & pacem servantibus illibatam. De ablatis autem plenam restitutionem & de damnis recompensationem sufficientem omnibus impendemus,

tam clericis omnibus quàm etiam laicis universis ad hoc negotium pertinentibus, non solùm rerum, sed etiam libertatum, & restitutas conservabimus libertates, Archiepiscopo quidem & Episcopo Lincolnienſi à tempore suæ * confirmationis, aliis autem à tempore discordiæ inchoatæ. Nec obstabit aliqua pactio vel promissio seu concessio quò minùs & damna recompensentur & restituantur ablata tam vivorum quàm etiam defunctorum. Nec de iis aliquid retinebimus prætextu servitij quod debuerit nobis impendi, sed postea debita nobis pro servitio recompensatio tribuetur. Statimque omnes quos detinemus clericos faciemus absolutè dimitti ac restitui propriæ libertati, & etiam laicos qui occasione hujus negotij detinentur. Incontinenti quoque post adventum illius qui nos debebit absolvere faciemus de parte restitutionis ablatorum octo millia librarum legalium sterlingorum pro persolvendis debitis & faciendis expensis nuntiis prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum ac monachorum Cantuariensium assignari, sine impedimento quolibet per potestatem nostram ad eos liberè deferenda, ut expediti revertantur in Angliam honorificè revocati, videlicet Stephano Cantuariensi Archiepiscopo duo millia & quingentas libras, Vvillelmo Londonienſi septingentas & quinquaginta libras, Eustachio Elienſi mille & quingentas libras, Ægidio Herefordenſi septingentas & quinquaginta libras, Iocelino Bathonienſi septingentas & quinquaginta libras, Huberto Lincolnienſi septingentas & quinquaginta libras, Prioti & monachis Cantuariensibus mille libras. Sed protinus absque mora postquam pacem istam duxerimus acceptandam resignari faciemus Archiepiscopo & Episcopis & clericis ac Ecclesiis universis in manibus nuntiorum vel procuratorum ipsorum omnia immobilia cum administratione libera eorundem & in pace dimitti. Interdictum verò vulgariter ut lagatio nuncupatum, quod proponi fecimus contra personas ecclesiasticas, publicè revocabimus, protestando per nostras patentes litteras Archiepiscopo tribuendas id ad nos de personis ecclesiasticis nullatenus pertinere, quódque illud de cetero contra personas ecclesiasticas nullatenus faciemus proponi. Revocantes præterea utlagationem laicorum ad hoc negotium pertinentium, & remittentes hominia quæ post interdictum recepimus ab Ecclesiarum hominibus præter regni consuetudinem & ecclesiasticam libertatem. Si verò super damnis vel ablatis aut eorum quantitate vel æstimatione quæstio fuerit de facto suborta, per Legatum vel delegatum Domini Papæ receptis probationibus publicè terminetur. Et his omnibus rite peractis, relaxabitur sententia interdicti. Super ceteris autem capitulis si quæ fuerint dubitationes subortæ, de quibus meritò valeat dubitari, nisi per Legatum vel delegatum Domini Papæ de partium fuerint voluntate sopitæ, ad ipsius referantur arbitrium, ut super iis quod ipse decreverit observetur. Teste me ipso apud Doveram XIII. die Maij, anno regni nostri quartodecimo.

* *Apud Pariſ.* consecrationis

Matth. Pariſ. ad an. 1213.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epiſt. 77. Si per eodem. Vide infrà epiſt 331. 132. &

IOhannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, omnibus Christi fidelibus præsentem chartam inspecturis salutem. Vniversitati vestræ per hanc chartam nostram sigillo nostro munitam volumus esse notum quia cùm Deum & matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde divina misericordia plurimùm indigere noscamur, nec quid dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda nisi nos ipsos habeamus & regna nostra, volentes nos ipsos humiliare pro illo qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia sancti spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona spontaneaque voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum, offerimus & liberè concedimus Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ ac Domino nostro Papæ Innocentio ejusque catholicis successoribus totum regnum Angliæ & totum regnum Hiberniæ cum omni jure & pertinentiis suis pro remissione peccatorum nostrorum & totius generis nostri, tam pro vivis quàm defunctis. Et amodo illa à Deo & Ecclesia Romana tamquam feodatarius recipientes & tenentes, in præsentia prudentis viri Pandulphi Domini Papæ Subdiaconi & familiaris fidelitatem exinde prædicto Domino nostro Papæ Innocentio ejusque catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ secundùm subscriptam formam facimus & juramus; & homagium ligium in præsentia Domini Papæ, si coram eo esse poterimus, eidem faciemus; successores & heredes nostros de uxore nostra in perpetuum obligantes ut simili modo summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ sine contradictione debeant fidelitatem præstare & homagium recognoscere. Ad indicium autem hujus nostræ perpetuæ oblationis & concessionis volumus & stabilimus ut de propriis & specialibus redditibus prædictorum regnorum nostrorum pro omni servitio & consuetudine quod pro ipsis facere deberemus, salvo per omnia denario beati Petri, Ecclesia Romana mille marcas sterlingorum percipiat annuatim, scilicet in festo sancti Michaëlis quingentas marcas, & in Pascha quingentas marcas, septingentas scilicet pro regno Angliæ, & trecentas pro regno Hiberniæ; salvis nobis & heredibus nostris justitiis, libertatibus, & regalibus nostris. Quæ omnia, sicut suprà dicta sunt, rata esse volentes perpetuò atque firma, obligamus nos & successores nostros contra non venire. Et si nos vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit, quicunque fuerit ille, nisi rite commonitus resipuerit, cadat à jure regni, & hæc charta oblationis & concessionis nostræ semper firma permaneat.

Ego Iohannes Dei gratia Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ ab hac hora inantea fidelis ero Deo & beato Petro & Ecclesiæ Romanæ ac Domino meo Papæ Innocentio ejusque successoribus catholicè intrantibus. Non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio ut vitam perdant vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum, si scivero, impediam, & remanere faciam, si potero. Alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali personæ dicam quam eis credam pro certo dicturam. Consilium quod mihi crediderint per se vel per nuntios seu litteras suas secretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam me sciente. Patrimonium beati Petri, & specialiter reg-

num Angliæ & regnum Hiberniæ, adjutor ero ad tenendum & defendendum contra omnes homines pro posse meo. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Teste me ipso apud domum militiæ templi juxta Doveram coram Domino Henrico Archiepiscopo Dublinensi, Domino Iohanne Episcopo Norvvicensi, Galfrido filio Petri Comitis Essex. Iustitiario nostro, Vvillelmo Comite Sarefberiensi fratre nostro, Vv. Marescallo Comite Pembroc. R. Comite Bonon. Vv. Comite Vvarenæ, G. Comite Vvintonienſi, Vv. Comite Arundell. Vv. Comitede Ferrariis, Vv. Broubert, Petro filio Herberti, Vvarino filio Geroldi, xv. die Maij, anno regni nostri XIV.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ AD Dominum Papam.

Epist. 78. Super eodem. Vide infrà epist. 130.

SAnctissimo Patri & Domino suo Innocentio Dei gratia summo Pontifici suus devotus & fidelis Iohannes eadem gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem & tam debitum quàm devotum obsequium. Sanctæ paternitati vestræ significamus quòd cùm magister Pandulphus nuntius & familiaris vester formam pacis nobis transmissam ostendisset, nos ob reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ illam admisimus sine aliqua diminutione pro voluntate vestra observandam. Ceterùm inspirante gratia sancti spiritus ad perpetuam Ecclesiæ pacem & exaltationem regna nostra, scilicet Angliæ & Hiberniæ, de vobis & successoribus vestris & sancta Romana Ecclesia tenenda suscepimus, annuatim vobis & successoribus vestris mille marcas reddendo, sicut ex transcripto chattæ nostræ, quam inde fecimus, perpendere poteritis. Rogamus ergo sanctam paternitatem vestram quatenus de cetero nos in gratiam vestram recipere dignemini & misericorditer nobiscum agere velitis de onere nobis imposito, quod gratanter suscepimus. Teste me ipso apud templum de Vvell. xv. die Maij.

ILLVSTRI REGI ANGLIÆ.

Epist. 79. Respondet epistolæ superiori. Vide infrà epist. 131.

EI qui de malis novit eligere bona gratiarum referimus actiones quòd tibi misericorditer inspiravit ut idoneè satisfaceres de damnis & injuriis Ecclesiæ irrogatis; cùm non solùm formam satisfactionis receperis multimoda deliberatione provisam, verùm etiam personam & terram tuam apostolicæ subdideris ditioni, conferendo in perpetuum jure dominij sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ regna tua per ipsam & ab ipsa tenenda sub annuo censu septingentarum marcarum de Anglia & de Hibernia trecentarum; sicut in instrumento tuo legitimè inde confecto plenius & expressius continetur. Quis enim te docuit, quis induxit, nisi spiritus ille divinus, qui ubi vult spirat, & nescis unde veniat aut quò vadat, dividens dona singulis prout vult, ut tam discretè, tam piè simul in unum & tibi consuleres & Ecclesiæ provideres? Ecce sublimiùs & solidiùs nunc obtines ipsa regna quàm hactenus obtinueris, cùm jam sacerdotale sit regnum & sacerdotium sit regale; sicut in epistola Petrus & Moyses in lege testantur. Eiaigitur, magnifice Princeps, comple promissa, & concessa confirma, ut omnipotens Deus tuum semper & rectum compleat desiderium & propositum confirmet honestum, sicque te faciat per temporalia bona transire ut non amittas sed acquiras æterna. Nos ergo juxta tuæ petitionis instantiam Legatum ad te de nostro latere destinamus, quasi angelum salutis & pacis, venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum, virum Deo gratum, & acceptum hominibus, quem inter fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, ut in missi persona mittentis cognoscas affectum. Ipsum igitur, quem ad tuum commodum & honorem, quantum cum Deo potuit, promptum cognovimus & attentum, benignè recipias & honestè pertractes, ejus monitis & consiliis acquiescens; quæ si fuerint reverenter admissa, proculdubio tibi proficient & temporaliter ad quietem & æternaliter ad salutem. Speramus autem in eo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quòd sicut misericorditer ac mirabiliter cœpit in virum alterum te mutare, sic tibi pium inspirabit devotionis affectum; ut quò vehementiùs contra eum sanctam Ecclesiam offendisti, eò reverentiùs propter ipsum sanctam Ecclesiam honorabis, cùm jam in tantum processeris ut bonum principium finem optimum repromittat. Prædictus verò Legatus, qui conscientiam nostram plenè cognoscit, de nostro te beneplacito reddet certum pariter & securum; cui nos vices nostras commisimus, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, & ædificet & plantet quæ secundùm Deum evellenda & destruenda necnon ædificanda cognoverit & plantanda; concessa sibi plenaria potestate ut absque contradictione cujuslibet universa quæ pertinent ad legationis officium efficaciter exequatur. Nos enim sententias quas rite protulerit in rebelles ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Laterani 11. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide infrà epist. 89.

ARCHIEPISCOPO ET Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Angliam constitutis.

Epist. 80. De eadem re, & de legatio-

GAudere debetis nobiscum in Domino & in virtutis ejus potentia gloriari

ne Episcopi Tusculani.

quòd post noctis tenebras & adversitatum angustias dies serenus illuxit, & optata cœpit prosperitas arridere. Verè quidem nunc scimus quòd etsi quatiatur interdum Petri navicula, nunquam tamen submergitur: quoniam invalescentibus fluctibus procellarum, & jam penè naufragio imminente, justorum meritis Christus ad auxilium excitatur, qui paulò antè propter quorundam dormiebat offensas. Inter alia siquidem in quibus de plenitudine gratiæ ac misericordiæ ubertate fecit nobiscum signum in bonum, is qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat illustri Regi Angliæ inspiravit ut sufficienter Ecclesiæ satisfaciat de damnis & injuriis irrogatis. Formam enim pacis à nobis cum multa deliberatione provisam cum magna devotione recepit, & ad eam executioni mandandam Legatum à latere nostro petiit destinari. Vnde nos venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tusculanum apostolicæ sedis Legatum, quasi pacis & salutis angelum, destinamus, virum utique gratum Deo, & acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, pro certo credentes sic eum via regia incessurum quòd non declinabit ad dexteram vel sinistram; eique, de quo plenam fiduciam obtinemus, commisimus vices nostras, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet quæ secundùm Deum evellenda & destruenda, necnon ædificanda viderit & plantanda; plenaria sibi potestate concessa ut absque contradictione cujuslibet ea quæ pertinent ad legationis officium exequatur. Laudem igitur dicite Domino Deo nostro, qui bona de malis eliciens, fecit cum tentatione proventum; & cum humilitate suscipite prospera, qui cum fortitudine sustinuistis adversa; prædictumque Legatum recipiatis benignè ac honestè tractetis; quia cùm nos recipiamur in ipso, in misso notabimus devotionis affectum quem geritis ad mittentem. Ipsius ergo monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga eum exhibere curetis quòd non solùm eidem, sed etiam nobis esse possit acceptum; scientes quòd cùm ei plenæ legationis officium commiserimus, sententias quas rite protulerit in rebelles, ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Laterani III. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. Cardinali & coepiscopis suis.

Epist. 81. De eadem &c.

EI qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, devotas gratiarum referimus actiones quòd ipse Iohanni Regi Angliæ misericorditer inspiravit ut formam pacis à nobis cum multa deliberatione dispositam devotè reciperet, sicut per suas nobis litteras intimavit, humiliter postulans ad eam executioni mandandam idoneum à latere nostro destinari Legatum. Vt autem in missi persona mittentis cognoscatis affectum, ecce nos memores verbi vestri, mittimus quasi angelum salutis & pacis, virum Deo gratum, & acceptum hominibus, videlicet venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, quem inter fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, pro certo credentes quòd ipse via regia sic incedet quòd non declinabit ad dexteram vel sinistram. Cùm igitur bonum pacis tam regno quàm sacerdotio sit maximè necessarium, fraternitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ad illud efficaciter promovendum exhibeatis vos promptos per omnia & paratos, nihil ingerentes difficultatis aut moræ propter quod hujusmodi bonum impediri valeat vel differri. Nos enim ad justitiam & libertatem ecclesiasticam conservandã prompto semper & pio animo intendemus; ut qui pugnam exercuere legitimam, palmam consequantur optatam. Vos ergo prædicti Legati monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga eum exhibere curetis quòd ipse ad vestrum commodum & honorem meritò debeat aspirare; scientes quòd cùm ei plenæ legationis officium commiserimus, sententias quas rite protulerit in rebelles, ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Vos denique fratres Archiepiscope & Episcopi &c. Datum Laterani II. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

COMITIBVS, BARONIBVS, aliisque magnatibus per Angliam constitutis.

Epist. 81. Ejusdem argumenti cum superioribus.

QVanto specialiùs regnum Angliæ ad Romanam Ecclesiam dinoscitur pertinere, tanto ferventiùs aspiramus ut per nostræ sollicitudinis studium grata prosperitate lætetur. Cùm igitur ad reconciliationem Regis ac regni venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum apostoli-

cæ sedis Legatum quasi pacis & salutis angelum destinemus, virum utique gratum Deo, & acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eum recipiatis benignè ac honestè tractetis, ipsius monitis & mandatis humiliter intendentes, ut bonum pacis tam regno quàm sacerdotio maximè necessarium feliciter consummetur, scientes quòd cùm per eum illustris Rex vester juxta mandatum nostrum fuerit absolutus, omnimodam ei gratiam & plenum intendimus exhibere favorem. Vnde volumus & mandamus ut vos ei fidelitatem devotam & fidelem devotionem exhibere curetis, ad defensionem & exaltationem ipsius regni prudenter & patenter assistentes eidem. Datum Laterani II. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 83. De eadem re.

CVm pro reconciliatione Regis ac regni venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tusculanum, virum Deo gratum, & acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, in Angliam destinemus, & expedire credamus quòd inter te ac Regem Angliæ pacis fœdera reformentur, serenitatem tuam rogandam duximus & monendam quatenus super hoc intendas humiliter monitis & consiliis ejusdem Legati, ut preces & monitiones apostolicas, sicut hactenus feciſſe dinosceris, nunc etiam admittere comproberis; ita quòd devotio tua semper ad sedem apostolicam devotior approbetur. Datum Laterani III. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epist. 84. De Iudæo ad fidem Christi converso.

OPerante illo qui semper suam fœcundat Ecclesiam nova prole, dilectum filium N. latorem præsentium, qui ad nos de partibus tuis Iudæus accesserat, ad te remittimus Christianum; cujus conversationis modum & ordinem, quia delectat Dei magnalia enarrare, præsenti paginæ secundùm quod accepimus ab eodem duximus inserendum. Nuper igitur in domo patris ejusdem habitabat quædam mulier Christiana, quæ à catholica fide adeo facta fuit Iudæis seducentibus aliena ut constanter assereret, erroris Iudaici tenebris obvoluta, quòd Christus sibi nec prodesse poterat nec obesse, ac tantum valere panem de cujuslibet mensa sumptum quantum Christianorum hostia quæ sumitur in altari. Hæc pœnam incurrere metuens si fidem Christi publicè abnegaret, in festo resurrectionis dominicæ tunc instantis ad Ecclesiam cum Christianis accessit, & acceptam eucharistiam, ac reservatam in ore, in manu patris prædicti N. qui tunc Isaac vocabatur projiciens, in hæc verba prorupit: *Ecce salvator meus, ut asserunt Christiani.* Qui cùm in quadam pyxide vacua, quam habebat in arca, reponere vellet illam, idem, quodam ad ostium suum interim vocante, formidans ne inveniretur casu fortuito apud ipsum, in alia pyxide, in qua erant septem libræ Parisienses, ipsa nescienter præ festinatione reposita, pulsanti ostium reseravit. Cùm expeditus ab eo rediisset ad arcam, & in pyxide vacua, in qua se dictam hostiam posuisse credebat, non inveniret eandem, inspecta reliqua, in qua pecuniam posuerat antedictam, eam non utique denariis, sed hostiis, vidit plenam. Amicos igitur stupefactus & trepidus convocavit, & eis revelans per ordinem supradicta, cœpit in eorum præsentia hostias vertere cum festuca, ut illam quam viderat aliquantulum humefactam, cùm tradita sibi fuit, ab aliis segregaret, sperans denarios ad naturam redire propriam, hac amota. Quo eam discernere ab aliis non valente, circumstantes magnitudinem divini miraculi advertentes, deliberaverunt ad fidem accedere Christianam. Sed aliis cum Abrahæ pueris expectantibus, idem N. nobili viro regio Marescallo uxorem suam filiosque commendans, & rogans eundem ut eos omnes faceret baptizari, ad nostram duxit præsentiam accedendum; quem post multas collationes super lege ac Prophetis habitis cum eodem venerabilis frater noster Tusculanus Episcopus diligenter instructum in fide catholica baptizavit. Cùm igitur hujusmodi nova plantatio non solùm rore doctrinæ riganda sit, sed etiam temporalibus beneficiis nutrienda, ut ei Dominus tribuat incrementum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ei ac familiæ suæ ad fidem Christianam conversæ taliter facias in vitæ necessariis provideri quòd pro defectu temporalium retro aspicere non cogantur vel propter hoc ad sedem apostolicam denuo laborare; inquisiturus super præmisso miraculo plenius veritatem, & eam nobis fideliter rescriptu-

rus. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Laterani VI. Idus Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

MONACHIS CISTERCIENSIS ordinis & Hospitalariis Quinqueclesiensis dioceſis.

Epist. 85. De immunitate decimarum.

VEnerabilis frater noster Quinquecclesiensis Episcopus nobis intimare curavit quòd vos extendentes ad lucra turpia manus vestras, multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi vel Ecclesiis suæ dioceſis decimæ solvi debent; quarum vinum licèt nequaquam in usus proprios expendatis, sed vendendum ad alias faciatis provincias deportari, decimas tamen sibi vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex eisdem. Cùm igitur ex hoc ordini vestro plurimùm detrahatur, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ab iis de cetero taliter desistatis quòd materia scandali auferatur, & super hoc de vobis clamor ad nos ulteriùs non ascendat; scientes vobis esse meritò formidandum ne propter clamores hujusmodi sacrum Concilium auctore Domino in proximo celebrandum privilegia vestra coarctanda provideat vel etiam revocanda, cùm privilegium mereatur amittere qui concessa sibi abutitur libertate. Datum Laterani XII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.

PRÆPOSITO ET CANONICIS sanctæ Mariæ in Vineis, Ianuenſibus.

Epist. 86. Confirmat illis parrochiã. *Vide infrà epist.* 169.

IVstis petentium &c. *usque* concurrentes assensu, parrochiam quam Ecclesia vestra noscitur obtinere, sicut eam justè ac pacificè possidetis, & in litteris confirmationis bonæ memoriæ H. Ianuensis Archiepiscopi plenius continetur, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam litteras Archiepiscopi memorati huic paginæ nostræ de verbo ad „ verbum duximus inserendas. IN NOMINE „ sanctæ & individuæ trinitatis patris & filij „ & spiritus sancti. Amen. Hugo divina dig- „ natione Ianuensis Archiepiscopus dilecto „ in Christo fratri Ottoni Præposito Eccle- „ siæ sanctæ Mariæ de Vineis & ejusdem Ec- „ clesiæ Canonicis [dilectis] filiis benedictio- „ nem in perpetuum. Libenter modis omni- „ bus præbemus assensum quotiens est vox „ justa poscentium. Proinde considerata de- „ votione quam erga nos & Ecclesiam Ianuensem geris, necnon & *honorificabili- « tudinitate Ecclesiæ tuæ, parrochiam quam « Ecclesia jamdicta in præsentiarum noscitur « obtinere, & à quadraginta annis possedit, « tibi & successoribus tuis confirmamus & « præsentis scripti patrocinio communimus. « Decernimus itaque præscriptam parro- « chiam à Balneo Balduini Guercij inferiùs, « à domo Alpanum cum carubio corrigia- « lium ex utraque parte usque ad littus ma- « ris, omnes stationes Malocelli, atque do- « mum quondam Petri Capellani, deinde « littus maris continuè usque ad carubium « Sardenarum, & ipsum carubium totum, « & inde usque ad domum quondam Embro- « nis, insuper à domo piperum cum domo « Benedicti Larabiæ inferiùs, populus verò « de super via à domo piperum usque ad do- « mum Donati pictoris de Castelleto, & in « de usque ad domum Guillelmi de Litero « inferiùs cum tota domo Ribaldi de Pinas- « ca & eorum qui habitant in insula filiorum « de infantibus, cum toto locali & parte « Mortedi, & cum vertigine campi Liberi « usque ad domum filiorum Donati quon- « dam patris Oliverij septem linguæ, cum « eadem. Iterum domum Iohannis Loripe- « dis, & ipsum carubium inferius ex utraque « parte à domo Guillelmi Sagonen. undi- « que inferiùs. Præterea à domo quondam « Rainaldi Auriæ totum inferiùs cum eadem « domo. Tandem carubium totum de Refla- « tis à domo Nebularij inferiùs, & omnes « qui habitant infra prædictos fines, parro- « chianos sanctæ Mariæ de Vineis de cetero « firmiter decernimus. Nulli ergo omnino « liceat hanc parochiam invadere ac teme- « rè perturbare, seu oratorium aliquod in- « fra præscriptam parrochiam ædificare. Vt « autem cunctis hæc confirmatio liqueat, « eam scribi fecimus & nostro sigillo muni- « ri mandavimus, anno millesimo centesi- « mo octogesimo VII. Indictione quinta, « VIII. Kalend. Decembris. Ego Hugo Ia- « nuensis Archiepiscopus subscripsi.] Nulli « ergo &c. *usque* incursurum. Datum Late- « rani XIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* f. honorificabili dignitate

PETRO ILLVSTRI REGI Aragonenſium.

Epist. 87. Confirmat privilegium ab Vrbano II. concessum.

IN privilegio felicis recordationis Vrbani Papæ II. prædecessoris nostri de verbo ad verbum perspeximus contineri, „ VRBANVS Episcopus servus servorum « Dei carissimo filio Petro Pampilonensium « & Aragonensium Regi ejusque successori- « bus in eadem beati Petri fidelitate per- «

manſuris in perpetuum. Cùm univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis ex apoſtolicæ ſedis auctoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis tamen perſonis quæ familiariùs ac devotiùs Romanæ adhærent Eccleſiæ propenſiori nos convenit caritatis ſtudio imminere. Quia igitur bonæ memoriæ patris tui Sancij, cujus regno temporaliter ſucceſſiſti, fidem quoque ac devotionem erga Romanam Eccleſiam efficaciter ſequeris, nos eadem benignitate qua patris tui poſtulationem implevimus, tuæ quoque petitioni adeſſe curamus. Te enim tamquam Regem beato Petro devotiſſimum & omne tuum regnum in tutelam ſedis apoſtolicæ ſpeciali dilectione ſuſcipimus. Conſtituimus ergo auctoritate apoſtolica ſancientes ut omnes tui ſucceſſores regnum illud de manu noſtra noſtrorumvè ſucceſſorum accipiant, eundem cenſum, quingentorum ſcilicet mancuſorum, rependant, & ſe beati Petri miniſtros ac famulos recognoſcant. Quapropter nullus deinceps viventium & fidem Chriſtianam tenentium regnum illud temerè perturbare, invadere, aut diminuere qualibet occaſione præſumat, nec moleſtiam ullam tibi tuiſve ſucceſſoribus, qui in eadem ſedis apoſtolicæ fidelitate permanſerint, inferre audeat, ne Dei & Apoſtolorum ejus indignationem incurrat. Tuam verò perſonam in beati Petri & noſtræ manus tutelam ita omnino ſuſcipimus ut nulli Epiſcoporum, nulli Archiepiſcoporum, nulli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato liceat ſine certo præcepto noſtro adverſùm te vel tuam conjugem excommunicationis aut interdictionis proferre ſententiam. Tu igitur, fili in Chriſto cariſſime, in ea qua cœpiſti devotione perſiſtens, ita regnum ſeculare ſub cœleſtis juſtitiæ lege coërce, ita ſemper tuæ & catholicorum omnium matris Romanæ Eccleſiæ gratiam excole ut & in præſenti annuente Domino majora mereâris, & in futuro ſanctorum Apoſtolorum interceſſionibus æterni regni gloriam conſequaris. Sanè ad indicium hujus perceptæ à Romana Eccleſia libertatis quingentos Iaccenſis monetæ mancuſos aureos per annos ſingulos Lateranenſi palatio, ut ſuperiùs dictum eſt, perſolvetis. Hoc igitur noſtræ privilegium ſanctionis ſi quis in craſtinum agnoſcens Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps, Dux, vel Marchio, Comes aut Vicecomes, Iudex, aut perſona quælibet ſecularis vel eccleſiaſtica, contrà eam temerè venire tentaverit, & regni tui bona, quæ in præſenti ex paterna ſucceſſione retines, ſeu quæ in futurum largiente Domino juſtè acquirere poteris, invadere, moleſtare, vel ſuis uſibus applicare præſumpſerit, ſecundò tertiòve commonitus ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, à Chriſti eum & Eccleſiæ corpore auctoritatis apoſtolicæ poteſtate ſegregamus & honoris ſui periculo ſubjacere decernimus. Cunctis autem conſervantibus hæc pax à Deo & miſericordia præſentibus ac futuris ſeculis conſervetur. Amen. Datum Placentiæ per manum Iohannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XVII. Kal. Aprilis Indictione III. anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo quinto, pontificatus autem Domini Vrbani ſecundi Papæ octavo.] Cùm autem adeo perſonam tuam dilexerimus & diligamus in Domino caritate ſincera quòd noſtris manibus coronavimus te in Regem, tuis petitionibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabilem impertientes aſſenſum, prædictum privilegium ratum habemus & præcipimus inviolabiliter obſervari. Tu ergo, ne inde naſcantur injuriæ unde jura naſcuntur, talem te circa uſum præſcripti privilegij ſtudeas exhibere, præſertim circa id quod de interdicti & excommunicationis ſententiis eſt prædictum, ne propter abuſum, quod abſit, privari ejuſdem privilegij beneficio mereâris; quia juxta canonicas ſanctiones privilegium meretur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Nulli ergo &c. præceptionis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani IV. Nonas Iulij, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

EPISCOPO CAMERACENSI.

Epiſt. 88. Diſpenſat ſuper defectu natalium.

CVm Nicolaum Diaconum latorem præſentium per Abbatem & conventum Lexienſem ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Brafe & Bavegnies præſentatum tuus nollet officialis admittere pro eo quòd filius fuerat ſacerdotis, idem Diaconus ad miſericordiam ſedis apoſtolicæ convolans, ſupplicationibus & lacrymis inſtitit ut ei multa inopia laboranti, ne ipſum ad ſecularia divertere negotia inſtigante paupertate contingat, ad obtinendum beneficium aditum dignaremur per diſpenſationis gratiam aperire. Licèt autem ad tales peccata parentum promotionis impedimenta tranſmittant, eò quòd propagatio criminis in tali prole timetur, dum vitiati ramuſculi de vitioſa radice procedunt, quia tamen aliquando ex ſic genitis aliqui virtute propria redimunt quod de natalibus

parentum vitio perdiderunt, quandoque in eis apostolica sedes de plenitudine potestatis notam originis abolet quam intulere parentes. Cùm igitur præfato Diacono, sicut per litteras dicti officialis accepimus, non desint suffragia bonæ vitæ, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem Diacono, si non est paternæ incontinentiæ imitator, & bona sibi merita suffragantur, dummodo aliud canonicum non obsistat, auctoritate nostra Ecclesiam supradictam dispensativè concedas. Tu denique frater Episcope &c. Datum Signiæ v. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.

STEPHANO CANTVARIENSI *Archiepiscopo S. R. E. Cardinali.*

Epist 89. De legatione Episcopi Tusculani Vide supra epist. 79. & seq.

QVartodecimo die Iulij litteras tuas recepimus eorum quæ gesta sunt seriem usque ad missionem earum plenariè continentes. Illud autem pro certo noveris esse verum quod dilectus filius Pandulphus Subdiaconus & familiaris noster super absolutione regia tibi suggessit, in tantum etiam quòd antequam nobis de transitu ejus in Angliam constitisset, tibi & ipsi litteras nostras per proprium nuntium destinavimus, quas ad vos jam credimus pervenisse, mandantes ut ambo vel alter vestrum de assensu reliqui, propter instantem necessitatem quæ tunc videbatur urgere, ad absolutionem procederetis personæ regiæ, si videretis negotio expedire. Ceterùm antequam ad nos tuæ litteræ pervenissent, receptis nuntiis & litteris regiis, nos memores verbi tui & coëpiscoporum tuorum, venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum Legatum in Angliam duximus destinandum; qui jam à præsentia nostra recesserat, accepta licentia procedendi. Tu ergo de reliquo, sicut vir providus & fidelis, agere studeas quæ ad salutem & pacem Regis & regni videris pertinere, cum honore ac utilitate apostolicæ sedis & Ecclesiæ Anglicanæ; significaturus nobis de singulis quàm citò poteris plenariè veritatem; ut ea cognita, si quid viderimus addendum, addamus. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Signiæ Idibus Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO *apostolicæ sedis Legato.*

Epist. 90. Ne quid exigatur pro religionis ingressu.

VItium pravitatis in Giezi lepræ morbo & in Simone mago perditione damnatum in regularibus transire non debet inultum: quoniam eò damnabiliùs ab illis committitur quò periculosiùs tales cadunt sibi per meritum & aliis per exemplum. Licèt autem contra pestem istam mortiferam diversis temporibus à prædecessoribus nostris diversa prodierint instituta, nondum tamen usque adeo mortificari potuit quin etiam in terra quæ funiculus est hereditatis dominicæ multos infecerit & effecerit sic habitus religiosi participes quòd sanctæ religionis expertes. Ipsam quoque domum militiæ templi, ad quam oculi respiciunt plurimorum, quosdam intelleximus simoniacè introisse, simplicitate tamen potiùs quàm malitia, prout ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, simplicitate occasionem præstante delicto. Ad excludendum igitur talis simplicitatis periculum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus magistro & fratribus militiæ templi ex parte nostra districtè prohibeas & ab eis facias per omnes domos sui ordinis firmiter inhiberi ne pro alicujus receptione aliquid exigatur, nec etiam sub prætextu subventionis ad exactionem procedatur hujusmodi, cùm superficies nominis reatum criminis non immutet. Si quis autem de cetero quemquam taliter admiserit ad ordinem supradictum, utque tam admittens videlicet quàm admissus puniatur in quo deliquit, ab eo sine spe restitutionis perpetuò expellatur, ad alium districtioris regulæ ordinem transferendus, in quo tam execrabilis culpæ reatum pœnitentia condigna deploret. Cum his autem qui hactenus simplicitate peccarunt, si urgens necessitas aut evidens utilitas postularit, mitiùs agere poteris, prout tuæ discretionis prudentia viderit expedire. De illis autem fratribus qui deputati usui militari secreta confessione fatentur se in subdiaconatus ordine constitutos, consultationi tuæ sic duximus respondendum, quòd nisi de hoc legitima probatione constiterit, propter confessionem hujusmodi non est illis injungendum in publico ut ab usu militiæ debeant abstinere: quòd si legitimis id probaverint documentis, nisi effusione sanguinis impedimentum irregularitatis incurrerint, aut aliud obviet de canonicis institutis, juxta ordines suos in habitu clericali, quòd si forsan irregulares extiterint, nihilominus juxta quod possunt servitiis domus insistant; ne si ob hoc pateret talibus exitus, aliis egrediendi occasio præstaretur. Datum Signiæ v i i i. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide cap. Dilectus. De simon.

NOBILI

NOBILI VIRO PETRO Ziani Duci Venetorum.

Epist. 91. Respondet ad varia ejus postulata.

VEnientem ad apostolicam sedem dilectum filium M. Iacobi nuntium tuum, virum utique providum & fidelem, ac de circumspectione sollicita & sollicitudine circumspecta meritò commendandum, benignitate recepimus consueta, eique audientiam tribuimus facilem & benignam. Inter cetera verò quæ idem M. in nostra & fratrum nostrorum præsentia ex parte tua proposuit fideliter & prudenter, asseruit quòd tu litteras apostolicas nuper tibi & populo Venetorum pro exhortatione subsidij terræ sanctæ directas recepisti prompta & hilari voluntate, sperans & concepta fiducia de divina miseratione promittens terram eandem à te populoque prædicto tantum in personis & rebus auxilium habituram ut ex maritimis civitatibus universis nulla prorsùs majorem in hoc negotio sit exhibitura Domino famulatum; quippe cùm tu ipse proposueris tollere crucem tuam ac tuum sequi, ut ejus comproberis esse discipulus, redemptorem. Quod quidem tantò ampliori gaudio nos replevit quantò inter omnia desiderabilia cordis nostri specialiùs affectamus ut terra eadem ab impiorum manibus, si desuper datum fuerit, liberetur; ut restituatur populo Christiano ad divini nominis gloriam & honorem. Tuæ igitur devotionis fervorem dignis in Domino laudibus commendantes, nobilitatem tuam monemus attentiùs & hortamur quatenus in hoc sancto proposito perseverans, ad crucifixi obsequium te accingas viriliter & potenter, navigium & alia necessaria ea cura & studio faciens præparari ut cùm tempus advenerit opportunum, affectum quem tibi Dominus inspiravit valeas ipso prosequente perducere in effectum. Super eo autem nequivimus non mirari quòd cùm per Dei gratiam & sapientia vigeas, & circa te copiam habeas sapientum, electionem de dilecto filio L. sancti Pauli Plebano in Constantinopolitana Ecclesia celebratam confirmari simpliciter postulasti, cùm scias causam super hoc anno præterito fuisse in auditorio nostro præsentibus procuratoribus partium diutiùs ventilatam, nosque ad ejus decisionem procedere non valentes, pro eo quòd super propositis coram nobis de studiis eligentium & meritis electorum non potuit fieri plena fides, eam sub certa forma de consensu partium commisisse, non parvam, si bene consideres, in hoc tibi gratiam facientes quòd illum cui causam eandem commisimus, per Venetias ad tuam & partis quam foves instantiam curavimus destinare. Quantam autem idem sine culpa sua traxerit ibi moram, magnitudinis tuæ discretio non ignorat; quem si per partes alias, prout petebat pars altera, misissemus, jam fortè ad consummationem negotium pervenisset, quod non absque grandi & gravi dispendio est dilatum. Quoniam igitur preces tuas in hac parte nec decuit nec licuit exaudiri, per Legatum, aut etiam per delegatum, si fortè Legati transitum nimis differri contingeret, juxta formam in litteris nostræ commissionis expressam in proximo, Deo dante, idem expediri negotium faciemus. Super renovatione verò privilegij Gradensis Ecclesiæ, confirmatione Abbatis in monasterio sancti Hilarij per delegatos à nobis judices instituta, & electi Iadertinensis negotio precibus tuis benigniùs annuentes, ecce dilectis filiis fratri Iordano de Padua & fratri Hugolino quondam Priori sancti Iohannis in Monte nostris dedimus litteris in mandatis ut à te tuisque civibus juratoriam recipiant cautionem quòd super excessibus contra Iadertinam civitatem commissis mandatis nostris curabitis obedire. quod cùm fuerit humiliter adimpletum, nos ipsi electo pallium transmittemus, quod propter dictos excessus hactenus sibi distulimus destinare; habentes in firmo proposito petitiones tuas in iis & aliis, quantum cum Deo & honestate poterimus, exaudire, illa præcipuè ratione quòd intellexi-mus te virum esse catholicum & zelatorem fidei Christianæ ac honestatis ecclesiasticæ amatorem. Tu ergo te talem studeas exhibere, semper de bono in melius & de virtute proficiens in virtutem, quòd de die in diem magis ac magis divinam & apostolicam gratiam assequi merearis. Datum Signiæ IV. Non. Augusti, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide infrà epist. 112.

Vide gesta Innoc. III. cap. 86. & seqq.

Vide lib. 15. epist. 156.

PATRACENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 92. Scribit pro Episcopo Cefalonensi.

EXhibita nobis ex parte venerabilis fratris nostri Kefalonensis Episcopi petitio continebat quòd cùm Kefalonensis Ecclesia ad apostolicam sedem immediatè spectaverit ab antiquo, & distet per septem dietas, duobus archiepiscopatibus mediis, à Corintho, venerabilis frater noster Corinthiensis Archiepiscopus per quasdam litteras ad te contra Kefalonensem Ecclesiam super impendenda obedientia

impetratas ipsum indebita molestatione fatigat. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita & cognita veritate, non permittas eundem super hoc indebitè molestari. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Signiæ Nonis Augusti, pontificatus nostri anno sextodecimo.

GEBENNENSI ELECTO.

Epist. 93. De voto reddendo.

PEr tuas nobis litteras intimasti quòd cùm in Gratianopolitana Ecclesia susciendi habitum regularem votum solemniter emisisses, & postmodum promisisses in manibus Episcopi ejusdem Ecclesię te infra duos menses postquam ab apostolica sede rediisses, ad quam eo tempore accedebas, votum quod emiseras impleturum, ac termino ipso transacto non curasses quod voveras adimplere, tandem existens in voti transgressione hujusmodi, vocatus fuisti ad regimen Ecclesiæ Gebennensis. Super quo à nobis tuæ saluti postulas provideri. Nos igitur discretioni tuæ breviter respondendo consulimus quatenus si tuam omnino sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas altissimo vota tua; in hoc tibi gratiam facientes, quòd si Capitulum ejusdem Gebennensis Ecclesiæ te postmodum canonicè duxerit eligendum, concedimus ut electionem recipias taliter de te factam. Datum Signiæ VI. Idus Augusti, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO NARNIENSI.

Epist. 94. Non valere sententias latas à judicibus excommunicatis. *Vide infrà epist. 115.*

CVm excommunicatis communicari non debeat, & personam in judicio stándi non habeant ij qui vinculo sunt excommunicationis astricti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus constitutiones & sententias Narniensium judicum, quos sententia excommunicationis involuit, auctoritate nostra decernas irritas & inanes. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Signiæ Non. Augusti, pontificatus nostri anno sextodecimo.

POTESTATI ET POPVLO Viterbiensibus.

Epist. 95. Confirmat eis quandam immunitatem.

MEmores devotionis & fidei quam erga personam nostram & Ecclesiam Romanam habetis, mandatum quod dilectus filius Stephanus basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Camerarius noster super immunitate vendendi & emendi apud Cornetum pro vobis edidit, quatenus res hujusmodi ad nos spectat, ratum habemus & gratum; ita quòd cùm ad nos totaliter pertinere claruerit, immunitate ipsa totaliter gaudeatis. Quòd si fortè in aliqua parte ad Cornetanos pertineat, quia iidem omnimodis contradicunt, justitiam offerentes, ne alienum injustè concedere videamur, exhiberi vobis exinde faciemus quod ordo dictaverit rationis. Tales igitur vos exhibere curetis quòd divinam & apostolicam gratiam ulteriùs mereamini, dilecto filio nobili viro Iacobo consobrino & Marescalco nostro, Rectori patrimonij beati Petri in Tuscia, efficaciter intendendo in iis quæ ad honorem & profectum Ecclesiæ Romanæ pertinere noscuntur; scientes pro certo quòd multa per gratiam, per violentiam verò nihil apud nos poteritis obtinere. Datum Signię XII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIPRESBYTERO ET Clericis Ecclesiæ sanctæ Cæciliæ Transtyberinæ.

Epist. 96. Eos absolvit à petitione quadam pecuniaria.

CORam dilecto filio nostro Petro sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinale, quem Romano Barunci & P. yconomo Ecclesiæ vestræ concessimus auditorem, idem Romanus ab ipso yconomo petiit triginta tres libras ex nonaginta quinque libris quas sibi dudum ad certum terminum solvere promisistis; quæ videlicet nonaginta quinque libræ à vobis debebantur eidem pro locatione quarundam possessionum ab ipso Ecclesiæ vestræ facta. Yconomus verò proposuit ex adverso quòd cùm dictus Romanus quoddam tenimentum terrarum pro trecentis triginta libris Provenienśium Ecclesiæ vestræ in perpetuum locavisset, centum quadraginta quinque libras ipsi Romano & triginta octo Petro Monaldi, cui quandam pedicam terræ de ipso tenimento prædictus R. obligaverat, persolvistis; quibus etiam idem R. in instrumento locationis mandavit ut Iohanni Oddonis decem & septem & Iohanni Leonis triginta quinque libras Provenienśium solveretis, quibus tenimentum reliquum obligaverat. Præterea nonaginta quinque libras prædicto R. usque ad duos annos & duos menses solvere promisistis per publicum instrumentum, ab ipso eodem tempore obligatione recepta quòd totum tenimentum quod vobis & Ecclesiæ vestræ locaverat, usque ad duos annos recolligeret & scaloniaret, ac deliberaret à Iohanne Leonis & Iohanne

Oddonis atque ab omni persona sine vestro & Ecclesiæ vestræ gravamine vel expensis; adjecto quòd si terram illam quæ à Iohanne Oddonis fuerat obligata, eodem anno liberam & absolutam sine aliquo gravamine vestro nequaquam vobis deliberaret, ipse redditus quos ex ea deberetis percipere vobis daret; alioquin ipsos redditus & expensas de pecunia ipsius R. quæ penes vos eidem solvenda remanserat, vobis de suo mandato liceret auctoritate propria retinere. Porrò cùm præfato termino idem R. quod vobis promiserat non implesset requisitus à vobis, sicut dictus yconomus asserebat, recursum habuistis ad B. tunc temporis Senatorem; qui dicto R. & Iohanne Leonis ac præfato yconomo ad suam præsentiam convocatis, à Petro Malpilij & Nicolao Tullij Iudicibus palatinis, quibus specialiter cognitionem ejusdem causæ commisit, & coram quibus à sæpedicto R. confessiones factæ fuerunt, ante alia consilium tale recepit, ut videlicet vobis liberam & absolutam concederet potestatem luendi & recolligendi terras Iohanni Leonis & Iohanni Oddonis seu personis aliis à prædicto R. pignori obligatas, de illis denariis qui de mercede locationis factæ ab eodem R. Ecclesiæ memoratæ remanserant apud illam, & ut liceret vobis de denariis ipsis retinere atque deducere damna omnia & expensas factas & faciendas earundem occasione terrarum, necnon æstimationem quindecim rublorum frumenti, quæ à tempore factæ locationis de pignore Iohannis Oddonis percipere debuistis, & ut idem Senator cogeret Iohannem Leonis & alios creditores ut receptis pecunia & omnibus quæ pro ipsis pignoribus à dicto R. debebantur eisdem, pignora ipsa vobis liberè ac quietè dimitterent, & vobis nihilominus restituerent prædictorum pignorum instrumenta. Demum primò P. Malpilij, Oddone de Insula, N. Tullij, N. Iohannis Bonifacij, ac Iohanne Betti, & secundò eodem O. Andrea de Bulgaminis, & dictis N. Iohannis Bonifacij & Iohanne Betti, ac tertiò P. Stephano Ciceronis & prædictis O. & N. Iohannis Bonifacij & Iohanne Betti dictum consilium postmodum confirmantibus, quidam ex ipsis illud fuerunt plenius prosequuti, adicientes videlicet ut Senator Iohannem Leonis juxta consuetudinem senatus cogeret reddere ac restituere vobis totum illud tenimentum terrarum positum in Turricli, in loco qui dicitur Vallis Longari, quod per Iohannem de Cerraccla quondam socerum suum & heredes ipsius titulo pignoris detinebat, cui Ioanni de Cerraccla tenimentum ipsum ab eodem Romano fuerat obligatum, & clericos ipsos compelleret eidem Iohanni solvere triginta quinque libras Provenienſium veterum vel denarios senatus summam æquivalentes eandem, & usuras duorum denariorum omni mense pro libra à secundo anno pontificatus felicis memoriæ Lucij Papæ III. prædecessoris nostri usque ad diem solutionis implendæ, pro duabus videlicet partibus quinque partium totius pecuniæ mutuatæ. Quia cùm tenimentum ad viginti modia terræ à Romano fuerit obligatum, facta consideratione à prædictis O. de Insula, P. Malpilij, N. Tullij, N. Iohannis Bonifacij, & Iohanne Betti, tanta modiatio reperta non fuit propter quod usura pro prædictis duabus partibus debebatur, & etiam quòd tam ipse quàm successores ipsius prohiberent dictum Romanum & ejus heredes ac omnes alias personas submissas vel submittendas ab ipsis nihil repetere contra ipsam Ecclesiam de omnibus denariis qui pro recolligendis terris prædictis soluti fuerant ab eadem, & de retentis ab ea pro expensis & æstimationibus fructuum quos de pignore Iohannis Oddonis à tempore locationis factæ percipere debuistis. Vnde cùm vos tam ratione mandati ab R. sæpedicto recepti, & quia ad repignorandum & liberandum possessiones prædictas ab eodem R. vobis cessæ fuerant actiones, prout in instrumento locationis plenius reperitur, quàm etiam per consilia sapientum sæpius confirmata, à quorum ultimo idem R. se non asseruit appellasse, de centum octoginta quinque libris quæ penes vos de supradicta locationis mercede remanserant, centum quinquaginta duas libras creditoribus solveritis supradictis, sicut in instrumentis publicis continetur, & decem & octo libras vobis retinueritis, tam pro quibusdam expensis factis de conscientia judicum prædictorum, prout scriptum eorum indicat evidenter, quàm pro damnis & expensis aliis quas ex partiũ confessione constitit vos subiisse, ac quantitatem residuam post computationem ab ipso Cardinale exactissimè factam eidem Cardinali ad opus sæpedicti R. curaveritis assignare, idem yconomus ab impetitione præfati R. Ecclesiam vestram postulavit absolvi. Cùm igitur super præmissis coram Cardinale jamdicto lite contestata legitimè, ac præstito calumniæ juramento, fuisset à partibus

diutiùs litigatum, & idem auditis earum confessionibus, & inspectis publicis instrumentis, ac consiliis hinc inde exhibitis, necnon rationibus & allegationibus pleniùs intellectis, nobis quæ super iis invenerat fideliter retulisset, nos habito cum fratribus nostris consilio diligenti, Ecclesiam vestram ab impetitione prædicti Romani sententialiter absolvimus, justitia exigente, injuncto vobis ut vel pro usuris quas Iohanni Leonis præfati R. creditori solvistis, eidem R. satisfactionem congruam impendatis, vel ad repetendas easdem dicto R. contra ipsum Iohannem Leonis, quas habetis, curetis cedere actiones. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ x. Kal. Septemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO, & Cantori Davalienſibus.

Epist. 97. De electione Episcopi Nazarenensis. *Vide lib. 15. epist. 54.*

Dilecti filij Decanus & Cantor Nazarenensis Ecclesiæ suis nobis litteris intimarunt quòd cùm olim curam ejusdem Ecclesiæ Sidonienſi Episcopo duxerimus committendam, idem Ecclesiam ipsam frumento, animalibus, possessionibus, & rebus aliis spoliare præsumens, & muris obstrui faciens portas ejus, eam in usum cellarij, reverentia divini cultus posthabita, redigere non expavit, præfatis Decano, Cantore, aliisque fratribus ejectis penitùs ab eadem. Cùmque propter hæc & alia nonnulla gravamina nostram audientiam appellassent, ipse appellationi nequaquam deferens eorundem, quinimmo in apostolicæ sedis injuriam & contemptum eos duriùs aggravans & affligens, tantæ persecutionis sævitiam exercuit in eosdem quòd in præfata Ecclesia nisi unus ex præfatis Canonicis non remansit. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, præfatum Episcopum, ut ea quæ abstulit Ecclesiæ memoratæ restituat universa, per censuram ecclesiasticã appellatione postpositã compellentes, Ecclesiæ sæpedictæ Capitulo eligendi sibi personam idoneam canonicè in pastorem tribuatis auctoritate nostra liberam facultatem. Testes autem qui fuerint &c. *usque* perhibere. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Signiæ ix. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimosexto.

EPISCOPO AMYCLENSI, electo Kernicenſi, & Priori Patracenſi.

Epist. 98. De retractanda sententia interdicti. *Vide lib. 15. epist. 75.*

Venerabilis frater noster Archiepiscopus Patracensis pro se ac venerabilibus fratribus nostris Philippensi, Sarrensi, Thessalonicensi, Neupatrensi, Thebano, Athenienſi, & Corinthienſi Archiepiscopis, ac suffraganeis eorundem in nostra proposuit præsentia constitutus quòd cùm præfato Thessalonicensi Archiepiscopo & Sidonienſi & Cardicensi Episcopis nostris dedissemus litteris in mandatis ut nobilem virum Gaufridum de Villa Arduini Achaïæ Principem aliosque abbatiarum, Ecclesiarum, papatuum, decimarum, & possessionum ad eorum Ecclesias pertinentium illicitos detentores per censuram ecclesiasticam ad restitutionem compellerent eorundem, dicti Principes & alij citati legitimè ab eisdem in eorum noluerũt præsentia comparere. propter quod judices ipsi excommunicationis in eos & in terram eorum interdicti sententias protulerunt, quas idem Archiepiscopus apostolico petiit munimine roborari; adiciens nihilominus conquerendo quòd per dictum Principem & homines suos sede propria & castro & dimossario Patracensi, possessionibus & fructibus earum, & rebus aliis contra justitiam fuerat spoliatus, & quòd tam idem Princeps quàm nobilis vir Oddo de Roca Dominus Athenarum jura Ecclesiarum suarum graviter perturbantes, ea quæ donantur, venduntur, vel legantur eisdem, ab ipsis possideri pacificè non permittunt. Ex adverso autem dilecti filij W. Decanus Mothonensis, magister I. de Borbonio, & W. de Bitis Miles procuratores Principis & nobilium prædictorum ac omnium Latinorum sub illorum dominio consistentium respondentes confessi fuerunt judices quidem antedictas sententias protulisse, sed asseruerunt quòd ante tempus infra quod earum fuit suspensus effectus, cùm fuerint sub conditione prolatæ, ab eis ex legitimis causis extitit appellatum; videlicet quia judices ipsi dicto Principi & parti suæ suspecti meritò videbantur, cùm eandem haberent penitùs quæstionem, & quia nostrarum copiam litterarum nequiverint ullatenus obtinere, licèt eas cum instantia postularent, nec in eorum transcripto, quod solum fuit eis exhibitum, de * compositione quæ super præmissis inter ipsos & præfatum Archiepiscopum intercesserat aliqua mentio habebatur. Vnde procuratores ipsi humiliter po-

* Vide appendicem hujus libri.

ſtularunt ut cùm propter cauſas prædictas meritò fuerit appellatum, ſententias ipſas decerneremus irritas & inanes. Ad ea verò quæ præfatus Archiepiſcopus ſuper propria ſpoliatione propoſuit reſponderunt quòd ipſum nequaquam ſpoliatum credebant, ſed ſi de ipſius ſpoliatione conſtaret, quòd ei debita fieret reſtitutio promiſerunt. Cùmque ipſe Archiepiſcopus fateretur contra jamdictas fuiſſe ſententias provocatum, ſed provocationem ipſam negaret ex cauſis propoſitis factam eſſe, ac procuratores prædicti per duos ex ipſis & Archidiaconus Argolicenſis, qui procurator non erat, ſe id in præſentia noſtra dicerent probaturos, & propter hoc etiam parati eſſent obligare omnia bona ſua, nos, licèt per hoc ad deciſionem negotij legitimè procedere non poſſemus, cùm iidem in una eademque cauſa de jure non poſſent eſſe procuratores & teſtes, ad cautelam tamen ipſorum juramentis receptis, de fratrum noſtrorum conſilio ſic duximus providendum; ut videlicet dicti nobiles corporaliter exhibeant juramentum quòd parebunt præcisè mandatis quæ ipſis per litteras aut Legatum vel delegatum noſtrum ſuper hoc duximus facienda, & tunc relaxatæ denuntientur ſententiæ ſupradictæ; cognitione negotij principalis & aliorum quæ idem Archiepiſcopus propoſuit coram nobis, Legato quem ad partes illas de latere noſtro deſtinare proponimus reſervata. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenùs recepto à præfatis nobilibus ſecundùm formam expreſſam ſuperiùs juramento ſententias ipſas denuntietis auctoritate apoſtolica relaxatas, & ſi præſcriptæ appellationis cauſæ coram ipſo fuerint probatæ Legato, nihil eis occaſione dictarum ſententiarum injungatur, ſub debito præſtiti juramenti. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Vos denique, frater Epiſcope, & fili electe, ſuper vobis ipſis &c. Datum Signiæ VII. Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI de Valle ſancti Petri Ciſtercienſis ordinis.

Epiſt. 99. Committitur ei executio cujuſdam ſententiæ.

* *Cod. Colbert.* Hubbefvvage

IVſtis petentium deſideriis &c. *uſque* aſſenſu, diffinitivam ſententiam quam pro vobis major Decanus Colonienſis & conjudices ejus contra nobilem virum Arnoldum de * Hukenſvuage ſuper allodio in Caſſele rationabiliter promulgarunt, ſicut eſt juſta nec legitima provocatione ſuſpenſa, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Signiæ IX. Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI de Alba Ciſtercienſis ordinis.

Epiſt. 100. Confirmantur eis quædam poſſeſſiones.

SOlet annuere ſedes apoſtolica &c. *uſque* aſſenſu, poſſeſſiones de Ottefvuilre, de Raſtede, de Winkil, de Hart, de Malſe, de Lindehart, de Schivenhart, de Brecheim, de Terdingen, de Bernardeſvuilre, de Diethenhuſen, de Delenbruunnen, & de Moſebruunne, ac alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſtè ac pacificè poſſidetis, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Signiæ IX. Kal. Septembr. pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

PRÆPOSITO FERRARIENSI.

Epiſt. 101. Eum admonet ſui officij. Vide infrà epiſt. 143.

CVm tibi curam & adminiſtrationem maſſæ de Ficarolo duxerimus committendam, mandantes ut proventus ejus recipiens, ad opus noſtrum reſervares eoſdem, miramur quòd nihil nobis ſuper hoc reſcribere curaviſti. Quocirca per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandamus quatenus quicquid ſuper hoc feceris nobis quantociùs ſcribere non omittas, & loci prædicti curam & adminiſtrationem habeas diligentem; contradictores aut detentores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compeſcens. Datum Signiæ VII. Kal. Septembr. pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

NOBILI VIRO MARCHIONI Eſtenſi.

Epiſt. 102. De Marchia Anconitana revocanda.

INter alias rationes ea conſideratione potiſſimùm claræ memoriæ patri tuo Anconitanam Marchiam in feudum duximus concedendam, quia promiſerat nobis quòd eam valida manu ingrediens, ipſam ad Eccleſiæ Romanæ dominium revocaret. Sperantes autem te in eodem negotio proceſſurum, ſicut tuis nobis litteris intimaſti, ſuper hoc litteras tibi tranſmiſimus quales vidimus expedire. Verùm cùm in hoc nondum proceſſeris, & de levi, maximè temporibus iſtis, Marchiam ipſam ad dominium noſtrum revocare poſſimus, nobilitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus in negotio ipſo procedas. Alioquin, ne diutiùs Eccleſia ſpoliata re-

maneat, nos procedemus in ipso sicut videbimus expedire. Datum Signiæ v. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO, IVDICIBVS & Consulibus Beneventanis.

Epist. 103. De negotio Thomasij de Aquino.

LIcèt nobilis vir Thomasius de Aquino cum sociis suis de mandato nostro captus non fuerit, volentes tamen indemnitati vestræ paterna sollicitudine præcavere, sæpe vobis super hoc scripta nostra direximus, qualia pro tempore novimus expedire. Ipse verò, etsi quoddam modicum castrum germani nostri, quod dicitur Broccus, injustè detineat contra regiam jussionem, unde gratum nobis existeret si per vos ad illud reddendum posset induci, ut non vestrum solummodo commodum, sed etiam nostrum procuraretis honorem, liberationem tamen ipsius, qui propter hanc causam captus non fuit, nolumus impedire; sed vobis utique credimus profuturum si nobis curaveritis in hac parte deferre, ut nos propensiùs ad vestrum inducatis profectum, etiamsi conditionem ipsius oporteret vos propter hoc in aliquo facere meliorem, cùm per divinæ miserationis auxilium potentes simus vobis in majoribus respondere. Vos ergo intellecto beneplacito nostro, tamquam viri providi & fideles, agatis quod utile fuerit & honestum, necessariam adhibentes cautelam ne circumveniri possitis; quia quantum vobis valeat compositio inter vos & illum tractata sine nostro favore prodesse, vestra, sicut credimus, discretio non ignorat. Datum Signiæ III. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO Imperatori.

Epist. 104. Ei commendat Legatum.

IPse summus angularis lapis Iesus Christus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, Ecclesiæ fundamentum & fundator existens, inter cetera quibus salutaria providit remedia populo Christiano ad consolidandam fidei unitatem, ut & unus pastor esset & unum ovile, sedem apostolicam totius Christianitatis caput instituit & magistram; à qua sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, & ad oram etiam vestimenti, panis intellectus & vitæ ad alias procedat Ecclesias, cum doctrina fidei & aqua sapientiæ salutaris. Sanè pastor ipsius & rector, cùm ab eo plus Dominus exigat cui plura committit, ut in talento sibi credito negotietur utiliter, portat onera gravia cum plenitudine potestatis, sic in uno loco personaliter residens quòd propter eventus plures & varios in spiritu per plura diffunditur & trahitur ad remota; quantóque magis potestas extenditur, tantò majori sollicitudine occupatur. Verùm ne inter curas continuas & prægrandes pro defectu imperfectionis humanæ deficeret, si solus consumendus inani labore ad suam sollicitudinem omnia revocaret, attendens quòd messi multæ operarius unus non sufficit, multos sibi operarios & coadjutores adjungit, ac per eos exequitur quod per se non potest personaliter adimplere. Porrò expedit ut cum fratribus onera partiatur, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere quod per alios fieri decernit, illius instructus exemplo qui discipulos suos in universum mundum ad prædicandum direxit. Cùm igitur non solùm necessitas Ecclesiæ, sed etiam utilitas Constantinopolitani imperij postularit illuc à latere nostro destinari Legatum, nos ad exaltationem & commodum Ecclesiæ pariter & imperij, necnon personæ tuæ specialiter intendentes, ut in missi persona mittentis notetur affectus, illum ad partes ipsas duximus destinandum quem inter fratres nostros speciali diligimus caritate, videlicet venerabilem fratrem nostrum Pelagium Episcopum Albanensem, virum litteratum, providum, & honestum, nobis & fratribus nostris carum admodum & acceptum. Ipsum igitur magnum Ecclesiæ Dei membrũ, immo personam nostram in ipso, benignè recipias & honestè pertractes: cui nos vices nostras commisimus, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet quæ secundùm Deum evellenda & destruenda, necnon ædificanda cognoverit & plantanda. Ipsius itaque salubribus monitis & consiliis reverenter intendas, de cujus circumspectione provida & providentia circumspecta plenam fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus sic via regia curabit incedere quòd non declinabit ad dexteram vel sinistram. Datum Signiæ III. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem ferè modum nobilibus viris Comitibus, Baronibus, & universis Christi fidelibus sub Constantinopolitano imperio constitutis, verbis competenter mutatis.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS, & Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Constantinopolitanum imperium constitutis.

Epist. 175. Super eodem.

INconsutilis Domini tunica uni cessit in sortem, ut in ipsius Ecclesia servaretur unitas illibata. Ad conservandum autem in ea mysterium unitatis, unum eidem, beatum Petrum videlicet, Dominus caput instituit & magistrum, cui oves Christi, dicente Domino *Pasce oves meas*, sunt sine distinctione commissæ, alienis ab ovili dominico reputatis qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt esse pastorem. Ab hac unitate Græcorum Ecclesia quondam divertens, & Petri magisterio se subducens, exivit ovile dominicum, post gregem sodalium evagando; & sic quæ primò sanis affluebat doctrinis, & penè magistra vocari poterat propter tempus, errorum postmodum circumfusa caligine, cœpit plurimùm indigere, rursus divini eloquij rudimenta mendicans. Sanè patre luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, ipsam misericorditer illustrante, ad Petri magisterium, unitatem & devotionem videlicet Romanæ Ecclesiæ, salubriter est reducta; & cùm in novam quodammodo infantiam sit renata, plenis eam lactare volentes uberibus, ad reformationem ipsius opem & operam impendere nitimur efficacem. Et licèt instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, tantò tamen ad illam specialiùs aciem nostræ provisionis extendere volumus quantò plus reformationis officio indigere dinoscitur post errorem. Vnde quod in absentia possumus per nos ipsos, & quod præsentialiter non valemus, alterius præsentia exequentes, venerabilem fratrem nostrum Pelagium Albanensem Episcopum, virum litteratum, providum, & honestum, quem inter fratres nostros speciali diligimus caritate, à latere nostro Legatum in Constantinopolitanum imperium destinamus, pro certo credentes sic eum via regia incessurum quòd non declinabit ad dexteram vel sinistram; eique, de quo plenam fiduciam obtinemus, commisimus vices nostras, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet quæ secundùm Deum evellenda & destruenda, necnon ædificanda viderit & plantanda; plenaria sibi potestatè concessa ut absque contradictione cujuslibet ea quæ pertinent ad legationis officium exequatur. Ipsum ergo Legatum recipiatis benignè ac honestè tractetis: quia cùm nos recipiamur in ipso, in misso notabimus devotionis affectum quem geritis ad mittentem; & ipsius monitis ac mandatis humiliter intendentes, quæ inter vos duxerit statuenda, tamquam devotionis filij studeatis reverenter admittere firmiterque servare; ac tales vos erga eum exhibere curetis quòd non solùm eidem, sed etiam nobis esse possit acceptum; scientes quòd cùm ei plenæ legationis officium commiserimus, sententias quas rite protulerit in rebelles, ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Signiæ III. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

GAVFRIDO PRINCIPI Achaiæ.

Epist. 168. Super eodem.

LIcèt olim Ecclesia Græca elongaverit se ab uberibus matris suæ, à capite membrum & pars à suo toto divertens, quia tamen per illius misericordiam qui venit drachmam quærere perditam, & errantem ovem in deserto mundi hujus propriis humeris reportavit ad caulam, ad devotionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ instituente Domino mater est omnium & magistra, salubriter est reducta, sedes apostolica maternos affectus non exuens, ad reformationem ipsius tantò plus impendere nititur opem & operam efficacem quantò plus reformationis officio indiget post errorem. Sanè cùm utilitas, non solùm spiritualis, sed etiam temporalis exigeret Legatum à latere nostro in Græciam destinari, nos illum ad partes illas duximus destinandum quem inter fratres nostros speciali diligimus caritate, videlicet venerabilem fratrem nostrum Pelagium Episcopum Albanensem, virum litteratum, providum, & honestum, nobis & fratribus nostris carum admodum & acceptum. Ipsum igitur magnum Ecclesiæ Dei membrum, immo personam nostram in ipso benignè recipias & honestè pertractes; cui nos vices nostras commisimus, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet quæ secundùm Deum evellenda & destruenda, necnon ædificanda cognoverit & plantanda. Ipsius itaque salubribus monitis & mandatis reverenter intendas; de cujus circumspectione provida & providentia circumspecta plenam fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, sic via regia curabit incedere quòd non declinabit ad dexteram vel sinistram. Datum Signiæ II. Kalend.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem modum scriptum est Principibus, Comitibus, Baronibus.

H. LANGRAVIO THORINGIÆ.

Epist. 107. Ei justitiam promittit.

ILla te obtentu tuæ devotionis & fidei, quas in arduis sumus rebus experti, caritatis sinceritate diligimus ut non solùm pro tuis, verùm etiam pro aliorum negotiis preces tuas parati simus, quantum cum Deo & honestate possumus, exaudire, cùm diligenter ad tuum aspiremus cõmodum & honorem. Sanè quòd à ..Bambergensi Episcopo pro Ecclesiæ devotione pertulisse diceris gravamina & jacturas eò nobis ampliùs est molestum quò serviendo Ecclesiæ à viro ecclesiastico non gravamen sed præmium nosceris meruisse. Cùm ergo à venerabili fratre nostro Maguntinensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato, qui super absolutione ipsius Episcopi receperat scripta nostra, duxeris appellandum, & eodem appellationi tuæ humiliter deferente, negotium ad nostrum sit delatum examen, justitiam tuam tibi auctore Deo diligenter curabimus conservare. Tu ergo termino tibi & Episcopo ipsi à præfato Archiepiscopo præfigendo talem ad nostram præsentiam dirigas responsalem qui causam tuam agat fideliter & prudenter. De cetero nobilitatem tuam monemus atque hortamur quatenus in nostra & apostolicæ sedis devotione firmus & stabilis perseveres; ut negotio quod magnanimiter inchoatum est, & maxima jam ex parte promotum, feliciter consummato, de toleratis laboribus manipulos reportare valeas expectatos. Datum Signiæ III. Non. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

C. DECANO SPIRENSI.

Epist. 108. Respondet ad ejus consulta.

QVòd juxta verbum Apostoli non videris altum sapere, sed timere, ac tuum cum Propheta cognoscere imperfectum, & tamen confisus de illo qui dans affluenter omnibus, & non improperans, balbutientium linguas facit esse disertas, injunctum tibi exhortationis officium & suscepisti humiliter & sollicitè niteris adimplere, tuam nobis commendat prudentiam, & quòd sis laudabiliter in ipso negotio processurus, fiduciam tribuit pleniorem. Tuis ergo consultationibus benigniùs intellectis, de iis qui suscepto crucis signaculo proposuerunt contra hæreticos in Provinciam proficisci, necdum suum fuerunt executi propositum, respondemus ut tales ad assumendum itineris Hierosolymitani laborem sedulò inducantur, cùm illum majoris meriti esse constet; ad quod si forsan induci nequiverint, votum prosequi compellantur emissum. De illis verò qui uxoribus reclamantibus volunt suscipere signum crucis, de quibus dubitas an propter hoc eorum debeat propositum impediri, sic duximus respondendum, quòd cùm Rex cœlestis major sit Rege terreno, & constet quòd vocatos ad terreni Regis exercitum uxorum non impedit contradictio, liquet quòd ad summi Regis exercitum invitatos & ad illum proficisci volentes prædicta non debet occasio impedire; cùm per hoc matrimoniale vinculum non solvatur, sed subtrahatur ad tempus cohabitatio conjugalis, quod in multis aliis casibus fieri frequenter oportet. Quid autem agendum sit de mulieribus & personis aliis quæ crucis signaculum susceperunt, & ad prosequendum votum non sunt idoneæ vel potentes, ex generalibus * litteris conicitur manifestè, in quibus continetur expressum ut, regularibus personis exceptis, suscipiant quicunque voluerint signum crucis, ita quòd cùm urgens necessitas aut utilitas evidens postularit, votum ipsum de mandato possit apostolico commutari aut redimi vel differri. Quia verò collegam tuum ab hac luce Dominus evocavit, Abbatem de Sconovuia eidem juxta petitionem tuam duximus subrogandum; & ut fructuosior valeat existere labor vester, tam tibi quàm Abbati prædicto concedimus ut incendiariis & iis qui manus temerarias in Clericos aut alias personas ecclesiasticas injecerunt, volentibus suscipere signum crucis, satisfactione passis injuriam exhibita competenti, auctoritate nostra liberè absolutionis beneficium impendatis; nisi forsan aliquorum excessus adeo graves existerent & enormes quòd meritò essent ad sedem apostolicam transmittendi. Datum Signiæ v. Idus Septembr. pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Supra epi. 28.

DECANO ET CAPITVLO Spirensibus.

Epist. 109. Approbat quædam commutationem.

IVstis petentium desideriis &c. *usque* complere. Accepimus sanè quòd Spirensis Ecclesia duo possidebat monasteria in Thuringia, quorum Abbatillis Spirensis Episcopus regalia porrigebat, & imperium abbatiam de Wizkenburch ad se in temporalibus pertinentem in Spirensi dioecesi obtinebat, de quibus inter ipsum imperium &

& præfatam Spirenſem Eccleſiam commutatio facta proponitur de communi & libera voluntate. quam cariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus Siciliæ Rex illuſtris in Romanum Imperatorem electus obnixè petiit auctoritate apoſtolica confirmari. Ejus igitur precibus inclinati, commutationem ipſam, ſicut ſine pravitate providè facta eſt & ab utraque parte ſponte recepta, & in ipſarum abbatiarum diſpendium non redundat, auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Signiæ VII. Idus Septembris, anno XVI.

GREGORIO SANCTI THEODORI Diacono Cardinali apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 110. Transfert Archiepiſcopum Barenſem ad Eccleſiam Panormitanam.

GRave gerimus & indignum quòd cùm jam multôtiens mandaverimus per te Panormitanæ Eccleſiæ in paſtorem de perſona idonea provideri, ſicut accepimus, mandatum noſtrum nondum extitit effectui mancipatum. Nolentes igitur ejuſdem Eccleſiæ proviſionem ulteriùs prorogari, ſi fortè nondum eſt illi de paſtore proviſum, venerabilem fratrem noſtrum [Berardum] Barenſem Archiepiſcopum, virum, ſicut experimento cognovimus, providum & honeſtum, ac nobis & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Frederico illuſtri Regi Siciliæ in Romanũ Imperatorem electo devotum pariter & fidelem, eidẽ Eccleſiæ concedimus in paſtorem, Capitulo ejuſdẽ Eccleſiæ noſtris dãtes litteris in præceptis ut eidem tamquam paſtori ſuo intendant humiliter & devotè. Ideoq; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus præceptum noſtrum ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo facias effectui mancipari, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Signiæ IV. Idus Septemb. pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

Scriptum eſt ſuper hoc Capitulo Panormitano.

EPISCOPO RATISPONENSI.

Epiſt. 111. De numero evectionum.

GAudemus in Domino & in virtutis ejus potentia gloriamur quòd in commiſſo tibi negotio crucis Chriſti te laudabiliter diceris exercere ac bene divina cooperante gratia proficere in eodem, caritatem tuam monentes attentiùs & hortantes quatenus ſupernæ retributionis intuitu illud, calcatis pro Chriſti nomine cunctis difficultatibus, taliter exequaris ut cum illis qui euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua exultationis manipulos valeas reportare. Quia verò propter diei malitiam evectionum numero, quem tibi taxavimus, contentus eſſe non potes, utpote qui cum eo longè à civitate tua per duo miliaria, ſicut tuis nobis inſinuaſti litteris, procedere non auderes, nos remedium quod contra impedimentum hujuſmodi tua providit diſcretio approbantes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ubi perſonaliter negotium exequi nequiveris memoratum, auctoritate noſtra, prout ipſe cogitaſti, committas viris honeſtis & providis vices tuas. Et quoniam de tuæ circumſpectionis modeſtia fiduciam gerimus pleniorem, taxandi tam tibi quàm illis evectionum numerum quem ſecundùm locorum & temporum qualitatem videris expedire liberam tibi concedimus facultatem, moderamine quod ipſe providiſti circa eos qui miniſtrabunt procurationes, cùm res ita videbitur poſtulare, ſervato; ut videlicet duarum vel trium aut etiam plurium parrochiarum populis in unum ad audiendum verbum Domini convocatis, eorum Prælati ſimul, ubi ſinguli non ſuffecerint, expenſas bajulis verbi Dei exhibeant moderatas. Concedimus etiam ut incendiariis & iis qui manus temerarias in Clericos aut alias perſonas eccleſiaſticas injecerunt, volentibus ſuſcipere ſignum crucis, ſatisfactione injuriarum exhibita competenti, auctoritate noſtra munus abſolutionis impendas; niſi forſan aliquorum exceſſus adeo graves exiſterent & enormes quòd meritò eſſent ad ſedem apoſtolicam tranſmittendi. Ad hæc, omnes qui, te circa hujuſmodi negotium occupato, poſſeſſiones aut alia Eccleſiæ tuæ bona temerè præſumpſerint invadere vel turbare, in quacunque fuerint dioceſi conſtituti, tibi liceat appellatione remota per diſtrictionem eccleſiaſticam coërcere. Taliter ergo in omnibus exhibere te ſtudeas prudentem, ſollicitum, & modeſtum quòd per hoc creſcas & nomine apud homines & merito apud Deum, noſque fraternitatem tuam magis ac magis apoſtolica proſequamur gratia & favore. Datum Signiæ IV. Idus Septemb. pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

ALBANENSI EPISCOPO apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 112. De electione Patriarchæ Conſtantinop.

CVm cauſam ſuper poſtulatione de venerabili fratre noſtro Heraclienſi Archiepiſcopo & electione de dilecto filio

Plebano sancti Pauli de Venetiis in Constantinopolitana Ecclesia celebratis dilecto filio magistro Maximo Notario nostro duxerimus committendam, & idem proficiscens usque Venetias in negotio pro parte processerit, quia tamen per Venetias Constantinopolim transitum habere non potuit, causam ipsam tuæ fraternitati, de qua plenè confidimus, duximus committendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus in eadem secundùm formam comprehensam in litteris directis ad eundem magistrum appellatione remota procedas. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Signiæ XIV. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide suprà epist. 91.

PRIORI ET CONVENTVI Camaldulensibus.

Epist. 113. De reformatione monasterij de Vangaditia. Vide suprà epist. 16. & lib. 2. hist. Camaldul. pag. 182. & seq.

CVm dudum ad correctionem & reformationem monasterij de Vangaditia laborantes proficere non possemus, nec hujusmodi Babylon, quam studio multo curavimus, ad sanitatem ullatenus perveniret, quin immo ejus computruissent adeo cicatrices ut earum fœtor etiam laicos ad nauseam provocaret, demum attendentes ferro debere vulnera resecari quę fomentorum non sentiunt medicinam, venerabili fratri nostro Nicolao Reginensi Episcopo, tunc electo, & dilectis filiis Priori sancti Georgij & Venturæ Subdiacono nostro Canonico Veronensi dedimus in mandatis ut tam E. quondam ejusdem loci Abbatem, qui à regimine ipsius nostra fuerat auctoritate amotus, quàm etiam monachos universos per alia monasteria collocantes, virum aliquem religiosum, bonæ opinionis & vitæ, sollicitum in spiritualibus, & in temporalibus circumspectum, monasterio præficerent antedicto, qui secum viris prudentibus & religiosis assumptis monasterium ipsum spiritualiter & temporaliter reformaret. Qui mandatum apostolicum fideliter exequentes, dilectum filium S. domus vestræ de Verona Priorem, virum utique providum & honestum, ipsi monasterio præfecerunt, injungentes eidem ut ad minus duodecim viris idoneis de ordine vestro assumptis, ad ejusdem reformationem intenderet sollicitè ac prudenter; nobis nihilominus per suas litteras quod fecerant intimantes, ut eorum processus per approbationem nostram stabilitatem debitam fortiretur. Volentes igitur sic ejusdem monasterij reformationi ac statui providere quòd ex hoc juri apostolicæ sedis, ad quam nullo medio pertinet, minimè derogetur, de fratrum nostrorum consilio ipsum Priorem concedentes dicto monasterio in Abbatem, liberam ejusdem monasterij correctionem & plenam tibi, fili Prior, & successoribus tuis duximus committendam; ita tamen quòd qui pro tempore fuerit electus ibidem, Romano Pontifici præsentetur, ab eo confirmationis & benedictionis gratiam recepturus; ad cujus amotionem, si quando propter excessus suos fuerit amovendus, inconsulto Romano Pontifice nullatenus procedatur. Datum Signiæ VII. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem ferè modum scriptum est Reginensi Episcopo, Priori sancti Georgij, & V. Subdiacono nostro Canonico Veronensi, verbis competenter mutatis, usque nullatenus procedatur. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus monachos qui adhuc in præfato monasterio commorantur in aliis monasteriis recipi facientes, in corporalem possessionem ipsius prædictum inducatis Abbatem, & ad reformationem ejusdem opportunum impendentes sibi consilium & favorem, faciatis ei de ipsius monasterij justitiis ab ejus fidelibus & subditis plenariè responderi; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum ut suprà.

*NOBILI VIRO COMITI * Guidoni, spiritum consilij sanioris.*

* Casertanensi

Epist. 114. Vtà Camaldolensium injuriis abstineat. Vide lib. 2. hist. Camaldul. pag. 182.

CVm tuum in multis offenderis redemptorem, & traditam tibi potestatem ab ipso multotiens contra eum præsumpseris exercere, deberes saltem in vitæ vespera constitutus tuæ delicta corrigere juventutis, & Domini faciem in confessione oris & satisfactione operis taliter prævenire ut in tremendi necessitate judicij ab ipso, qui reddet singulis secundùm opera sua, posses indulgentiæ gratiam expectare. Tu verò, quod dolentes referimus, necdum à via mala cohibes pedes tuos, sed quasi propriæ salutis curam ac divini nominis timorem abjeceris & amorem, contempta Dei patientia, quæ, quantum in ipsa est, ad pœnitentiam te adducit, confusionem tibi thesaurizas & iram, religiosos viros, quorum patrocinium tibi deberes beneficiis & obsequiis comparare, ut apud Dominum allegarent

precibus causam tuam, in tuæ famæ ac salutis dispendium affligendo. Ecce enim, sicut multorum relatione didicimus, fratres Camaldulenses, qui seculi vanitatibus abdicatis, mortificarunt cum vitiis & concupiscentiis membra sua, crucifigentes sibi mundum cum Apostolo & se mundo, multipliciter opprimens & affligens, nuper feciſti juxta ipsorum eremum quandam viam, per quam non solùm armatos, sed etiam histriones cum mulierculis ire facis, cùm accessus terminorum suorum mulieribus ab antiquo fuerit interdictus. Nuper quoque quosdam boves ipsorum eisdem feciſti violenter auferri, nec eos, donec à quibusdam conversis eorum quandam quantitatem bladi recepisti pro illis, reddere voluisti, his & aliis modis eorum quietem per te ac tuos adeo inquietans ut, nisi aliter provideatur eisdem, sui ordinis instituta nequeant observare. Volentes igitur & eorum tranquillitati & tuæ saluti pariter providere, nobilitatem tuam monemus, rogamus, & exhortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus brevitatem considerans vitæ tuæ, quæ cùm jam senilem perveneris ad ætatem, omne autem quod antiquatur & senescit prope interitum esse constet, proculdubio longa esse non potest, recogites in amaritudine annos tuos, & attendens quòd ex universis quæ habere videris sola tua opera te sequentur, quæ si bona fuerint, ad æterna gaudia te perducent, si verò mala, perpetuam te pertrahent ad gehennam, tui tandem incipias misereri, & satisfacere studens Domino de commissis, ab ecclesiasticorum virorum & specialiter dictorum Camaldulensium molestatione de cetero conquiescas; ne fortè præoccupatus subito die mortis, pœnitentiæ spatium quæras, nec valeas invenire. Alioquin, cùm pater filium quem diligit corrigat & castiget, nos specialiter ob salutem tuam, quam sollicitudine paterna zelamur, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Pisano & Episcopo Florentino & dilecto filio electo Aretino nostris damus litteris in mandatis ut tam super prædicta via quàm aliis te ab eorundem Camaldulensium vexatione cessare per censuram ecclesiasticam appellatione remota prævia ratione compellant. Datum Signiæ XII. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Illis scriptum est super hoc, verbis competenter mutatis.

EPISCOPO ET CAPITVLO Cardicensibus.

Epist. 115. Confirmat quandam compositionem.

CVm à nobis petitur quod justum est *usque* perducatur effectum. Sanè oblata nobis ex parte vestra petitio continebat quòd cùm causam quæ inter vos ex parte una & fratres domus Hierosolymitani hospitalis de Phitalea ex altera super castro Cardicensi, casalibus & rebus aliis vertebatur, venerabilibus fratribus nostris Thessalonicensi & Philippensi Archiepiscopis & Episcopo Sidonensi duxerimus committendam, tandem mediante præfato Archiepiscopo Philippensi, cui vicem suam supradicti judices sui, qui negotio interesse non poterant, commiserunt, inter vos & prædictos Hospitalarios utrinque præstito juramento amicabilis compositio intervenit, quam vos & pars altera per proprias litteras postulastis apostolico munimine roborari. Eapropter vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & juramento firmata, ut in litteris inde confectis supradicti Archiepiscopi Philippensis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus jussimus litteris annotari, pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis existit. GVILLELMVS Dei gratia Philippensis Archiepiscopus universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum advenerit salutem in vero salutari. Cùm causam inter venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum Cardicensem Episcopum & fratres Hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani vertentem nobis & venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Thessalonicensi & Sidonensi Episcopo Papa commisisset, & cùm ipsi tum valetudine corporis, tum negotiorum frequentia impediti, ad hæc exequenda personaliter venire non possent, nobis mandarunt ut dictam causam effectui mandaremus. Quod cùm facturi Armiro venissemus, de communi assensu & voluntate utraque pars nostro sicut judicis delegati se dedit mandato, ut quicquid super controversia inter ipsos habita statueremus, ratum haberent & firmum. Recepta igitur ab utraque parte juratoria cautione nostro stare mandato, auditaque simul & diligentiùs veritate discussa, tam per idoneos & legitimos testes in præ-

Vide lib. 17. epist. 151 lib. 15. epist. 101. 113. 120 & lib. 15. epist. 69. 71. 80.

» sentia nostra juratos quàm etiam per privilegium Constantini quondam cognati » Alexij Imperatoris concessum Ecclesiæ » Cardicensi perpendimus casalia de quibus » quæstio erat ad eandem Ecclesiam pertinere. Pro quo mandamus ut Ecclesia Cardicensis teneat, habeat, & proprietatio » jure possideat casalia septem cum suis pertinentiis, scilicet Toliasiki, Iajadinami, » Toalopocori, Olongos, Icanapiza, Iconzobi, Stenes, duoque molendina integra, » & tria inædificata in loco qui dicitur Suppettusu, cum fructibus exinde duobus annis » perceptis. Super ducentis marchis argenti olim in compromisso statutis & nomine » pœnæ solvendis, necnon & expensis factis » cùm dictus Episcopus Romam accessit, » quas Dominus Papa mandaverat nobis ut » dicto Episcopo solvi faceremus, taliter duximus statuendum. Episcopus enim antefatus & Ecclesia Cardicensis percipiant, » teneant, & habeant proventus fori Armironensis per sex annos; ita tamen quòd si » dicti fratres Episcopo & Ecclesiæ per » quemlibet annum solverint quatuor libras » hyperperorum, dum idem Episcopus debet tenere proventus, sic quod simul & » una vice solvant, pro residuis annis percipiant fructus fori præfati. Frumentum » verò, vinum, hyperperi, & quicquid de » bonis Ecclesiæ dictæ præsenti & præterito » anno sæpedicti fratres perceperunt, jubemus præfato Episcopo reddi; sic tamen » ut in præsentiarum restituant quinque vegetes vini, quartam partem triginra septem » modiorum frumenti & dimidij, centum » quinquaginta tres modiorum hordei, ciceruum quatuordecim, nucum quatuor, hinc » ad Martium, tres alias residuas partes per » totum mensem Augusti ad magnum modium mensuratas exsolvant. Quia verò constitit nobis quòd Hospitalarij habebant » septem homines Ecclesiæ Cardicensis, scilicet Papam Leonem, Iohannem Fot, Laviotissam & filium ejus, Parasque, Pisanum, Erinium, Nileiforum, jubemus illos à dictis fratribus Episcopo restitui. Præterea omnes abbatias & papates in tenimento Hospitalis constitutas & existentes, dum tamen sint infra fines episcopatus Cardicensis, præcipimus reddi. Præsertim enim quandam abbatiam in Armiro quæ » Valestinum dicitur, quam Dominus Papa eidem Episcopo duxit concedendam, mandamus Episcopum præfatum habere; & quicquid Dominus Papa ipsi adjudicavit Episcopo vel concessit, eidem duximus auctoritate qua fungimur confirmandum.

Litteras Domini Papæ nobis & conjudicibus nostris transmissas, necnon & litteras imperiales domino Galterio Camerario delegatas præcipimus sæpedictis fratribus reddi; ita ut ipsi fratres Dominũ Papam & Imperatorem precentur quòd hanc pacem & compositionem custodiãt, suarumque robore muniant litterarum. Idem etiam fratres omnes Barones regionis precabuntur quòd hanc custodiant pacem, ut si qua partium hoc non observarit, contra eam existerent observanti parti faventes. Vt autem quod mandavimus majoris firmitatis robur assumat, magister Nicolaus tam pro Episcopo quàm pro se, magister Gregorius Signinus & Iohannes Clericus Canonici Cardicenses juraverunt tactis sacrosanctis evangeliis hanc pacem, compositionem, conventionem, seu mandatum observare, & contrà nullo tempore venire; & promisit Episcopus ab omnibus Canonicis Cardicensibus hoc juramentum præstari. Quod similiter frater Stephanus Præceptor, fratres Petrus & Oddo juraverunt observare; & promisit idem Stephanus sacramentum istud à cunctis fratribus exhiberi. Nos verò ad majorem hujus rei firmitatem habendam jubemus tam sigillo nostro quàm sigillo venerabilis fratris nostri Thessalonicensis Archiepiscopi, & hoc utriusque partis voluntate, præsens scriptum communiri. Omnia quidem prædicta jubemus esse rata; salva utrique parti agendi potestate, si qua sunt inter ipsos agenda, exceptis iis quæ pagina præsenti notantur. Nos Bartholomæus Cardicensis Episcopus unà cum Capitulo ejusdem Ecclesiæ huic paci vel conventioni assentimus, ratamque & firmam semper habere promittimus; & præterea tam apostolicæ clementiæ quàm imperatoriæ supplicamus majestati ut hanc pacem custodire suarumque munimine litterarum roborare dignentur. Barones insuper eodem modo precamur, scilicet Dominos Conum Senescallum, Gaufridum de Villa-Arduini Marescalcum, Milonem de Brabant, & omnes alios Barones, quòd hanc custodiant pacem, suoque roborent sigillo, & parti observanti hanc pacem faventes contra non observantem existant. Nos frater Stephanus Præceptor domus de Phitalea & aliarum domorum Hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani in Romania, unà cum fratribus nostris huic paci vel conventioni assentimus, ratamque & firmã semper habere promittimus; & præterea tam apostolicæ clementiæ quàm imperatoriæ supplicamus majestati quòd

» hanc pacem custodire & suarum munimine
» litterarum roborare dignentur. Barones in-
» super eodem modo precamur, scilicet Do-
» minos Conum Seneschalcum, Gaufridum
» de Villa-Harduini Mareschalcum, Milo-
» nem de Brabant, & omnes alios Barones,
» quòd hanc custodiant pacem, suoque ro-
» borent sigillo, & parti observanti hanc
» pacem faventes contra non observan-
» tem existant. Datum & recitatum apud
» Armiro in præsentia Domini Gualterij Ca-
» merarij, Nicolai Rugulusu, Theobaldi,
» Yvonis, Thomæ, & multorum aliorum,
» anno Domini millesimo ducentesimo XII.
» anno XV. pontificatus Domini Innocentij
» Papæ III. mense Decembri, die undeci-
» ma.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c *usque* incursurum. Datum Signiæ V. Kal. Octobr. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO NARNIENSI.

Epist. 116. Ejusdem ferè argumenti cũ epistola 94.

CVm excommunicatorum communio sit aliis interdicta, ipsi officia publica exercere non debent. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus constitutiones & sententias Narniensium judicum, quos sententia excommunicationis involvit, tam promulgatas quàm promulgandas in posterum auctoritate nostra decernas irritas & inanes. Prohibemus etiam ne quis extraneus in elusionem mandati nostri apud Narniam officium judicis exercere præsumat. Porrò quia fraus & dolus cuiquam patrocinari non debet, constitutiones & sententias talium inanes & irritas decerni mandamus. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Signiæ VI. Non. Octobris, pontificatus nostri anno decimosexto.

PATRIARCHÆ GRADENSI.

Epist. 117. Commendat Marchionem Estensem. *Vide Sigonium lib. 16. de regno Ital. ad an.* 1213.

CRedebamus hactenus quòd Paduani cives nobis & apostolicæ sedi desiderarent reverentiam majorẽ impendere quàm exhibere probentur, cùm, sicut accepimus, dilectum filium nobilem virum Marchionem Estensem nobis & Ecclesiæ Romanæ devotum contra justitiam vehementer impugnent; cujus pater & ipse pro Ecclesiæ defensione se laboribus & periculis multis exponere minimè dubitarunt. Porrò si Paduani prædicti aliquid contra præfatum Marchionem habebant, poterant saltem in hoc apostolicæ sedi deferre quòd illud in nostram notitiam deduxissent, ut nos eis satisfieri faceremus, antequam contra eum, quem pro certo sciebant nos, quasi specialiter nostrum, carum & acceptum habere, cum Ecilino & aliis excommunicatis procederent nobis penitùs inconsultis & quasi omnino contemptis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus Paduanos eosdem ut à memorati Marchionis impugnatione desistant diligenter moneas & inducas, eis ex parte nostra firmiter repromittens quòd nos ipsis faciemus satisfactionem impendi, cùm nobis ostenderint se contra eum aliquam justam causam habere. Alioquin, ne Marchionem ipsum pro derelicto videamur habere, qui post Deum non habet alium ad quem pro justitia consequenda in hac tempestate recurrat, tu cognita veritate Paduanos prædictos ab injusta ipsius impugnatione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Signiæ VI. Non. Octob. pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO LVNDENSI apostolicæ sedis Legato.

Epist. 118. Respondet ad ejus consulta. *Cap.* Quia circa. *De bigamis.*

QVia circa minima & maxima frequenter humanus deficit intellectus, prudentis est quærere ubi scrupulus dubitationis occurrit. Sanè postulasti per sedem apostolicàm edoceri si Presbyteri successivè * duas concubinas habentes, bigami censeantur, ut cum eis, tamquam cum irregularibus, quoad executionem sui officij nequeas dispensare, & si Presbyterorum filij sint indifferenter ad sacros ordines promovendi, & utrum sacerdotes Suethiæ in publicis debeas tolerare conjugiis, qui super hoc se asserunt cujusdam summi Pontificis privilegio communitos. Ad quæ sic duximus respondendum, quòd cùm sacerdotes prædicti, sive uno sive diversis temporibus, plures habuerint concubinas, irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum eis, tamquam simplici fornicatione notatis, quoad executionem sacerdotalis officij poteris dispensare, si vivere curaverint continenter. De Presbyterorum verò filiis tam ex decreto Vrbani Papæ secundi quàm ex Concilio colligitur Pictavensi quòd ad sacros non sunt ordines promovendi, nisi aut in cœnobiis aut in canonica regulari religiosè fuerint conversati. De Presbyteris autem Suethiæ non possumus dare responsum, nisi viderimus privilegium quod prætendunt. Quæsivisti præterea utrum in canonem incidant laici sententiæ promulgatæ qui sacerdotes aut alios

* *In quart. coll.* plures

Cap. Presbyteror. *Dist.* 56. *Cap.* Vt filij. *De filiis Presb.*

Cap. Quæsivisti. *De sent. excom. in 4. collect.*

clericos in manifesto furto comprehensos contrectaverint violenter, si citra violentiam nequeant comprehendi, & si clericus, quem vehementer præsumis esse falsarium, ad tuam præsentiam citatus legitimè venire contemnens, citra excommunicationis sententiam ad judicium per violentiam trahi possit. Ad hæc taliter respondemus, quòd in neutro casuum prædictorum sententia excommunicationis incurritur, dummodo mandatum interveniat Prælatorum quorum tales clerici sunt jurisdictioni subjecti; cùm hoc non ipsi laici, sed illi potiùs quorum auctoritate id faciunt facere videantur, nec ampliùs laicorum violentia extendatur quàm defensio seu rebellio exegerit clericorum. Subsequenter etiam quæsivisti utrum monachi omnium sanctorum privilegium bonæ memoriæ E. prædecessoris tui super episcopalibus decimis retinendis indultum extendere valeant ad possessiones postmodum acquisitas & in posterum acquirendas. Super quo tale damus tuæ fraternitati responsum, quòd si decimarum illarum remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones, prædecessor tuus indefinitè decimas episcopales monàsterio remittendo, cùm nihil exceperit, & poterat excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri, intellexisse videtur non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri. Sanè quia contingit interdum quòd nullo accusatore publicè comparente qui matrimoniũ impetat jam contractũ, ad te privata quorundam assertio defert consanguinitatis vel affinitatis impedimentum, an sub silentio præterire, an ad denominationem jumentalium, ut tuis verbis utamur, procedere debeas, quæsivisti. Ad hoc sic breviter respondemus, quòd si personæ graves, quibus fides sit meritò adhibenda, tuæ fraternitati denuntient quòd ij qui matrimonio sunt conjuncti se propinquitate contingant, etiamsi nullus manifestus appareat accusator, ex tuo procedere potes officio, ut veritate sollicitè inquisita, quod postulaverit juris ordo decernas; maximè si ex tali copula scandalum sit subortum. Porrò de nobili viro N. pro cujus dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea quæ ipsum quinto gradu consanguinitatis contingit, à sede apostolica obtinenda, falsa nobis causa fuerat allegata, proles videlicet, cùm tamen ante dispensationem obtentam unica filia, quam habebat, viam fuerit universæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat, dissimulare poteris ut remaneat in copula sic contracta, cùm ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso. Datum Signiæ v. Non. Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Cap. Quia circa. *De privile.*

Cap. Quia circa. *De consangu. & affin.*

ABBATI, PRIORI, ET Custodi sancti Nicolai Rigensis dioceſis.

Epist. 119. Vt causæ sibi commissæ diligenter intendant. Vide lib. 13. epist. 141.

CVm olim dilecti filij Magister & fratres militiæ Christi de Livonia transmissa nobis conquestione monstrassent quòd venerabilis frater noster Episcopus & Præpositus Rigenses in insula quæ Holme dicitur Ecclesiam construi non permitterent populo suæ partis, nec ad eam præsentare plebanum, ac dictus Episcopus in civitate Rigensi Ecclesias, decimas, advocatiam, monetam, piscationes, & ipsius civitatis tertiam partem eos non sineret, prout ad ipsos pertinet, possidere, contra compositionem inter Episcopum & fratres prædictos nobis mediantibus initam veniendo, eisdem Episcopo & Præposito per apostolica scripta mandavimus ut supradicta, juxta quod in authentico de præfata compositione confecto plenius continetur, possidere permitterent fratres ipsos liberè ac quietè, nullam eis de cetero super illis inferentes molestiam indebitam & gravamen, ac idem Episcopus in procurationibus quas ab ipsis & eorum Ecclesiis debet recipere annuatim sic se modestè haberet quòd non gravaret eosdem, cùm adhuc illorum & Ecclesiarum ipsarum sint tenues facultates. Vobisque nihilominus dedimus in mandatis ut si memorati Episcopus & Præpositus mandatum apostolicum negligerent adimplere, vos eos à prædictorum fratrum super iis molestatione indebita per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescere curaretis. Sed miramur quòd, sicut accepimus, cùm Episcopus & Præpositus sæpedicti ab eorundem fratrum injuriis non revocaverint manus suas, eòque fortiùs persequantur eosdem quò difficiliùs possunt habere recursum ad sedem apostolicam tam remoti, vos mandatum nostrum exequi non curastis, ex absentia unius vestrum occasione dilationis assumpta, satis siquidem frivola & inani, cùm in litteris pro eisdem fratribus ad vos missis contineretur expresè quòd si non omnes iis exequendis interesse possetis, duo vestrum ea exequi procurarent, & sic fratres prædicti ob moræ dispendium ad

sedem apostolicam appellarunt. Nolentes igitur eorundem fratrum differri justitiam, per iterata vobis scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus in prædicto negotio secundùm tenorem præcedentium litterarum omni occasione & appellatione cessantibus procedatis, memoratum Episcopum ad prædictæ compositionis observantiam per suspensionem pontificalis officij & etiam, si opus fuerit, excommunicationis sententiam compellentes. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ v i. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO, DECANO, & Præposito Lundensibus.

Epist. 120. De institutione novi episcopatus in Livonia. *Vide infrà epist. 114. 127. & lib. 14. epist. 349.*

CVm eo faciente qui venit salvum facere quod perierat & Ecclesiam suam nova semper prole fœcundat, Sackela & Hugenhusen de novo receperint verbum Dei, & per illius misericordiam qui veste nostræ humilitatis indutus, dignatus est peregrinari pro subditis, ut eos supernæ patriæ cives & æternæ beatitudinis faceret coheredes, Dei evangelium quasi semen cadens in terram bonam per partes illas sit longè latèque diffusum, ne huic novellæ plantationi diligentis agricolæ cura desit, nostro fuit apostolatui supplicatum ut & locis per episcopalis dignitatis insignia & populis per circumspecti Prælati sollicitudinem faceremus sine moræ dispendio provideri. Neigitur gregi dominico desit cura pastoris, cùm adhuc lupus rapax circumeat quærens quem devoret, paratus eò fortiùs ad rapinam quò recentiùs perdidit quod diù tenuerat occupatum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficiant, & expedire videritis, episcopatum auctoritate nostra constituatis ibidem, & vocatis qui fuerint evocandi, per electionem canonicam faciatis loco & populo provideri de persona idonea in pastorem, & jura quæ debent ad Episcopum & Ecclesiam pertinere assignari eis integrè ac quietè. Quòd si non omnes &c. tu frater Archiepiscope &c. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI, PRIORI, ET Cellerario de Monte sancti Nicolai Rigensis diocesis.

Epist. 121. Vt protegant neophytos.

CVm pastores Ecclesiæ oves per devium infidelitatis errantes ad ovile dominicum, non solùm prædicationis officio, sed etiam beneficiorum gratia, debeant invitare, grave gerimus & indignum quòd, sicut accepimus, venerabilis frater noster Rigensis Episcopus quosdam neophytos, vix adhuc plenè in sanctæ fidei eruditione plantatos, in injuriam fratrum militiæ Christi exheredat in Riga, & aliàs indebita molestatione fatigat. Vnde contingit quòd respicientes retro qui ad aratrum jam manum posuerant, Christi jugum abiciunt, relabentes in pristinæ gentilitatis errorem; cùm in jam Christianos ea præsumat memoratus Episcopus quæ in gentiles nullatenus attentaret. Volentes igitur prædictos neophytos debita quiete gaudere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus supradictum Episcopum ab ipsorum injuriis districtione qua convenit sublato appellationis obstaculo compescatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide epist. seq.

ABBATI DE GOTHLANDA, & de Northlanda & de Sutherlanda Præpositis Lundensis diocesis.

Epist. 122. Dantur conservatores fratribus militiæ Christi.

QVoniam nimis dispendiosum est & grave dilectis filiis fratribus militiæ Christi de Livonia, cùm sint in remotis partibus constituti, pro singulis querelis apostolicam sedem adire, cùm frequenter à multis tam clericis quàm laicis gravibus sint injuriis lacessiti, ad supplicationem eorum super hoc eis duximus providendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cùm à dictis fratribus fueritis requisiti, malefactores eorum in Bremensi provincia constitutos, ut eis ablata restituant, & de damnis & injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromittant qui appellatione remota justitia mediante procedant, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compellatis. Quia verò venerabilis frater noster Rigensis Episcopus eos, sicut accepimus, in multis opprimere consuevit, volumus ut cùm vobis constiterit memoratum Episcopum malitiosè vexare fratres

Vide suprà epist. 121.

eosdem, eum ipsis in expensis legitimis condemnetis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ v. Idus Octob. pontificatus nostri anno x v i.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiæ Christi in Livonia constitutis.

Epist. 123. Confirmat eis possessiones.

CVm à nobis petitur &c. *usque* assensu, Saccale ac Hugenhusen Gutlandiæ adjacentes & omnia bona quæ obtinetis in Gutlandia, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, salvo jure quod debet ad Episcopum & Ecclesiam pertinere, vobis & per vos ordini vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Signiæ v. Idus Octob. pontificatus nostri anno decimosexto.

VNIVERSIS CHRISTI fidelibus per Saxoniam constitutis.

Epist. 124. Quòd subveniant Episcopo Estiensi prædicanti fidem. *Vide supra epist.* 120. *& infra epist.* 125.

QVoniam juxta sententiam sapientis ab adolescentia prona est vita hominis ad peccandum & diversis inquinamentis obnoxia vitiorum, multa ei caritatis opera proponuntur, ut ibi multiplicentur remedia ubi morborum diversitas invalescit. Sanè ad vestram dudum credimus notitiam pervenisse quòd Dominus noster, qui neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem pertingere veritatis, calciamentum suum in Livoniam miseratus extendit, ad partes illas novos Apostolos dirigendo, per quos populus, qui usque nunc ambulabat in tenebris, cerneret lucem magnam ortam ambulantibus in medio umbræ mortis. Inter ceteros autem per quos in gentibus illis revelavit Dominus brachium sanctum suum, ut viderent salutare Domini Dei sui, venerabilis frater noster Estiensis Episcopus plurimùm laborasse dinoscitur & divina cooperante gratia profecisse: qui quamquam sibi liceat eorum carnalia metere quibus spiritualia seminat, cùm os bovis alligari non debeat triturantis, & Dominus iis qui annuntiant evangelium de evangelio vivere ordinarit, quia tamen, cùm sit neophytorum Episcopus, hac uti metuit potestate, ne quod offendiculum det evangelio Christi, eundem sine baculo atque pera portantem coram Regibus & gentibus nomen Dei universitati vestræ duximus propensiùs commendandum, caritatem vestram monentes & obsecrantes in Domino, atque in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ipsum tamquam Iesu Christi Legatum recipiatis benignè ac sincera tractetis in Domino caritate, suam & coadjutorum ejus in evangelio ex abundantia vestra in hoc præsenti tempore supplentes inopiam, ut & illorum abundantia vestræ sit supplementum inopiæ in futuro. Datum Laterani i i i. Kal. Novembr. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO MONASTERIENSI.

Epist. 125. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ. *Vide supra epist.* 124.

AB eo qui neminem vult perire, sed ut omnes ad agnitionem perveniant veritatis, tibi esse audivimus & credimus inspiratum ut venerabili fratri nostro Estiensi Episcopo, qui, sicut servus fidelis & prudens, in Domini vinea fideliter operatur, cooperator accedens, cum eo portare proposueris coram gentibus & Regibus nomen Dei & dare salutis scientiam plebi suæ. Nos igitur tuum pium propositum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatem tuam monemus attentiùs & hortamur quatenus accensus zelo fidei Christianæ, ac sperans quòd qui affectum tibi dedit, adiciet & effectum, evangelistæ aggrediaris opus & officium confidenter, ut cum illis qui euntes ibant & flebant mittentes semina sua, exultationis manipulos valeas reportare. Vt autem prædicationis officium valeas liberiùs exercere, statuimus ut, te hujusmodi pietatis operi mancipato, Ecclesia & persona tua cum omnibus bonis suis sub apostolicæ sedis protectione consistant. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani i i i. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem modum scriptum est Episcopo Verdensi. In eundem modum scriptum est Episcopo Paderburnensi.

ABBATIBVS, ARCHIDIACONIS, Decanis, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Saxoniam constitutis.

Epist. 126. Eis commendat Episcopum Estiensem. *Vide epist.* 124.

AD vestram jamdudum notitiam credimus pervenisse quòd Dominus noster, qui neminem vult perire, sed ut omnes ad agnitionem perveniant veritatis, ad partes Livoniæ calciamentum suum miseratus extendit, & nonnullos gentilitatis tenebris obvolutos, ab eis ostensa sibi luce magna, quæ ipse est, misericorditer liberavit. Cùm autem venerabilis frater noster Estiensis Episcopus, qui prædicando in jamdictis partibus verbum Dei multùm laboravit in evangelio & divina gratia cooperante profecit, animo indefesso desideret

deret portare coram gentibus & Regibus verbum Dei, & ad messem, quæ multa est, sufficere operarij pauci non possint, universitatem vestram monemus in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus cùm idem Episcopus aliquos de fratribus vestris ad hujusmodi ministerium utiles & idoneos à vobis duxerit exigendos, sibi duos aut saltem unum de vestris collegiis singuli concedatis, ut cooperantibus ipsis, currat velociter sermo ejus qui emittit eloquium suum terræ. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis. Datum Laterani III. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ESTIENSI.

Epist. 127. Confirmat ejus ordinationem. *Vide supra epist. 120.*

COmmissi nobis officij sollicitudo deposcit ut iis quæ ad divini cultus ampliationem pertinere noscuntur favorem studeamus benivolum impartiri. Cùm ergo venerabiles fratres nostri Padeburnensis, Verdensis, Raskeburgensis, & Rigensis Episcopi te in Episcopum Estiensis provinciæ duxerint ordinandum, sicut ex litteris accepimus eorundem, nos quod super hoc ab ipsis providè atque canonicè factum est ratum habentes & gratum, præsentium tibi auctoritate concedimus ut in ea liberè officium exerceas pastorale. Datum Laterani II. Kal. Novembr. pontificatus nostri anno sextodecimo.

DILECTIS FILIIS MILITIBVS Christi in Livonia.

Epist. 128 Eis cõmendat eundem Episcopum. *Vide supra epist. 120. & seqq.*

ETsi cunctis fidelibus cor unum in Domino & anima debeat esse una, specialiter tamen ij qui secularibus desideriis abnegatis in medio nationis habitant infidelis, putantes necessarium in carne manere solummodo propter fratres, servare debent spiritus unitatem; ut se tamquam Dei ministros irreprehensibiles omnibus exhibentes, ac lucentes sicut luminaria inter eos, ipsos ad æmulationem fidei valeant provocare. Noveritis autem ad nostram audientiam perveniſſe quòd cùm venerabiles fratres nostri Padeburnensis, Verdensis, & Raskeburgensis Episcopi T. quondam montis sancti Nicolai Abbatem, qui calciatus pedes in præparationem evangelij pacis, infidelium multitudinem ad fidem Domino cooperante convertit, in Episcopum Estiensis provinciæ, quæ per Dei gratiam jam pro magna parte conversa est, auctoritate nostra duxerint ordinandum, vos eidem in evangelio laboranti non solùm vestrum denegatis auxilium, sed etiam impedimenta paratis, nisi vobis certam concedat in eadem provincia portionem, non tam solliciti propagare nomen fidei Christianæ quàm conjungere domum ad domum & agrum agro usque ad loci terminum copulare, quasi soli habitare in terræ medio debeatis. Præterea cùm quosdam receperitis obsides ipsi Episcopo præsentandos, ipsos sibi præsentare postmodum remiſistis, temporale lucrum ex eorum retentione captantes, qui lucra hujusmodi detrimenta deberetis credere propter Christum. Denique Christi evangelio præbere offendiculum non timetis, dummodo vestras possitis possessiones & redditus ampliare. Ne igitur qui Christi milites appellamini, militare probemini contra Christum, universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus attendentes quòd non est regnum Dei possessiones & villæ, sed pax atque justitia & gaudium in spiritu sancto, extincto prorsùs cupiditatis ardore, præfato Episcopo & aliis bajulis verbi Dei pro viribus impendatis consilium & auxilium opportunum, ab eorum impedimento sic penitùs abstinentes quòd de vobis ad aures nostras clamores hujusmodi de cetero non ascendant; ne, si secùs duxeritis faciendum, concessis vobis à sede apostolica privilegiis, ex quibus assumere dicimini audaciam excedendi, vos reddatis indignos, & à gratia quam hactenus vobis exhibere curavimus excidatis. Datum Laterani II. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ESTIENSI.

Epist. 129. Eximitur à jurisdictione Metropolitani. *Vide infra epist. 182.*

CVm in memoria hominum non existat quòd Estiensis provincia cuiquam fuerit metropolitico jure subjecta, præsentium tibi auctoritate mandamus ne cuiquam tamquam Metropolitano respondeas absque mandato sedis apostolicæ speciali. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani IV. Non. Novemb. pontificatus nostri anno XVI.

IOHANNI ILLVSTRI Anglorum Regi.

Epist. 130. Ejusdem argumenti cum epistola 78.

SIcut in arca fœderis Domini cum tabulis testamenti virga continebatur & manna, sic in pectore summi Pontificis cum scientia legis divinæ rigor districtionis & favor dulcedinis continetur. Vnde semper hanc consuevit moderantiam observare ut verbera patris & ubera matris

habens, sic in rebelles & indurazos severitatem exerceat quòd benignitatem exhibeat erga humiles & correctos, ejus exemplo qui vinum superinfudit & oleum vulneribus sauciati. Gaudemus autem in Domino & in potentia virtutis ipsius quòd adeo tibi nostra medicamina profecerunt ut tua per illa sanasse vulnera videamur, & qui medico fuisti molestus cùm asperitatem medicaminis sentiebas, jam gratus existis ex quo percepisti gratiam sanitatis. Planè gratus, quia ut perfectè satisfaceres de commissis, te ipsum & tua Deo & Ecclesiæ obtulisti. Et ecce, qui te jam quasi dejecerat, subitò te erexit, humiliando sublimem, & humilem sublimando: quinetiam adeo te firmavit, super illam petram stabiliens pedes tuos de qua ipsa veritas inquit ad Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, quòd si non retraxeris pedes ab illa, nullum oportebit te casum aliquatenus formidare. Venientes igitur ad apostolicam sedem venerabilem fratrem nostrum Iohannem Norvuicensem Episcopum, & dilectos filios H. Abbatem Belli loci & fratrem A. Martel, & nobiles viros H. de Bova & P. de Maulay nuntios tuos paterna benignitate suscepimus, & petitiones tuas per ipsos nobis prudenter expositas, quantum cum honestate potuimus, curavimus exaudire, firmum gerentes in vito propositum ea semper efficere quæ ad tuum commodum & honorem debeant pervenire; cùm pro certo speremus quòd & tu in devotione ac obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ non solùm persistere sed & proficere pura intentione studebis. quod utique tibi & spiritualiter & temporaliter ad magnum proficiet incrementum. Serenitatem itaque regiam rogamus attentiùs & monemus quatenus sanctam Ecclesiam sponsam Christi semper in regno tuo studeas honorare, faciens eam debita libertate gaudere, ut verè specialis Ecclesiæ filius comproberis, quia tunc tibi regalis dignitas integra conservabitur cùm ecclesiasticam libertatem integram conservabis; diligenter attendens quòd Principes illi penè penitùs defecerunt qui ecclesiasticam præsumpserunt infringere libertatem, ij verò semper de bono profecerunt in melius qui jura studuerunt ecclesiastica confovere. Illud autem tuæ regali prudentiæ consulimus ad cautelam, ut cum Archiepiscopis & Episcopis regni tui contentiosè non agas, maximè super negotiis spiritualibus & ecclesiastico jure; cùm ad nos possis habere recursum, per quos multa poteris honestè perficere quæ honestè non posses efficere per te ipsum; pro certo confidens quòd nos petitiones & preces tuas, quantum honestas permiserit, intendimus efficaciter exaudire. Quid denique prædictis nuntiis respondemus super tua non excommunicanda persona neque tua interdicenda Capella nisi de mandato sedis apostolicæ speciali, aliisque nonnullis de quibus cum eis studiosè contulimus, ipsi, tamquam viri providi & fideles, tuæ poterunt excellentiæ viva voce referre, quos merito suæ probitatis & fidei tibi reddimus commendatos. Datum Laterani 11. Non. Novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

IOHANNI ILLVSTRI Anglorum Regi, ejusque de sua uxore liberis heredibus in perpetuum.

Epist. 191. Ejusdem argumenti cum epistola 79.

REx Regum & Dominus dominantium Iesus Christus, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ita regnum & sacerdotium in Ecclesia stabilivit ut sacerdotale sit regnum & sacerdotium sit regale, sicut in epistola Petrus & Moyses in lege testantur, unum præficiens universis, quem suum in terris vicarium ordinavit; ut sicut ei flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & etiam infernorum, ita illi omnes obediant & intendant, ut sit unum ovile & unus pastor. Hunc itaque Reges seculi propter Deum adeo venerantur ut non reputent se rite regnare nisi studeant ei devotè servire. Quod tu, fili carissime, prudenter attendens, illo misericorditer inspirante in cujus manu sunt corda Regum, & quò voluerit vertit illa, te ipsum & regna tua etiam temporaliter ei subicere decrevisti cui noveras spiritualiter esse subjecta; ut in unam vicarij Christi personam, quasi corpus & anima, regnum & sacerdotium uniantur ad magnum utriusque commodum & augmentum. Ille utique hoc dignatus est operari qui cùm sit alpha & omega, finem retulit ad principium, & principium protraxit ad finem; ut illæ provinciæ quæ olim sacrosanctam Romanam Ecclesiam propriam in spiritualibus habuere magistram, nunc etiam in temporalibus dominam habeant specialem. Tu quippe, quem Deus ad hoc idoneum ministrum elegit, tam te quàm etiam regna tua, Angliæ videlicet & Hiberniæ, cum omni jure ac pertinentiis suis devota & sponta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nea voluntate ac communi consilio Baronum tuorum Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo sanctæque Romanæ Ecclesiæ nobisque ac successoribus nostris in jus & proprietatem sub annuo mille marcharum censu offerens concessisti, sicut in tuo continetur authentico scripto*, cujus de verbo ad verbum talis tenor existit. *IOHANNES Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, omnibus Christi fidelibus præsentem chartam inspecturis salutem. Vniversitati vestræ per hanc chartam* * *nostram sigillo nostro munitam volumus esse notum quia cùm Deum & matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis &c. ut suprà epist. 77.* Nos autem oblationem & concessionem hujusmodi piè ac providè factas gratas & ratas habentes, personam tuam & personas heredum tuorum cum prædictis regnis & pertinentiis eorundem & omnibus bonis aliis rationabiliter nunc possessis & in posterum possidendis sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, tibi & ipsis secundùm præscriptam formam de communi consilio fratrum nostrorum supradicta regna concedentes in feudum & præsenti privilegio confirmantes; ita quòd quilibet heredum tuorum, cùm regni coronam acceperit, feudum hujusmodi summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ publicè recognoscat, & eis fidelitatis exhibeat juramentum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. *usque* incursurum. Datum Laterani per manum Rainaldi Acolythi & Capellani Domini Innocentij III. Papæ 11. Non. Novembris, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimotertio, pontificatus verò ejusdem Domini Innocentij anno sextodecimo.

* To. v. Spicilegij Dacheriani pag. 574. additur, aurea bulla munito

* In Spicilegio, aurea bulla munitam

DVBLINENSI ARCHIEPISCOPO, & Norvuicensi & Wintonienſi Episcopis, & nobilibus viris Guillelmo Saresberiensi, G. filio Petri Essexiæ, R. Boloniæ, R. Cestriæ, W. Vuaranniæ, W. Marescallo Pambrociæ, R. li Bigot Norfolciæ, W. Arundelli, Guillelmo de Ferr. & Sacro Wintoniæ Comitibus, & R. filio Rogeri; W. Brigerte, R. de Ros, G. filio Raufredi, R. de Mortuomari, P. filio Heberti, & W. de Albiniaco.

Epist. 132. De eadem re.

IN forma concordiæ qua cum multa deliberatione providimus proreformanda pace inter carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Anglorum Regem illustrem & Ecclesiam Anglicanam hoc inter cetera continetur expressum, quòd idem Rex veram pacem & plenam securitatem præstabit venerabilibus viris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, Vvillelmo Londoniensi, Eustachio Eliensi, Ægidio Herefordensi, Iocelino Bathoniensi, & Huberto Lincolniensi Episcopis, Priori quoque ac monachis Cantuariensibus, & Roberto filio Vvalteri, ac Eustachio de Vesci, necnon ceteris clericis ac laicis hoc negotium contingentibus, præstando simul coram Legato vel delegato nostro publicè juramentum quòd ipsos cum suis nec lædet nec lædi faciet vel permittet in personis vel rebus, eisque omnem indignationem dimittet, & in gratiam suam eosdem recipiet ac bona fide tenebit, quòdque præfatos Archiepiscopum & Episcopos non impediet nec faciet aut permittet aliquatenus impediri quò minùs ipsi liberè suum exequantur officium & plena suæ jurisdictionis auctoritate, prout debent, utantur, & super iis tam nobis quàm ipsi Archiepiscopo & singulis Episcopis suas patentes litteras exhibebit, faciens ab Episcopis & Comitibus ac Baronibus suis, quot & quos præfati Archiepiscopus & Episcopi postulaverint, juramenta & eorum patentes litteras exhiberi quòd ipsi bona fide studebunt ut hæc pax & securitas firmiter observetur, & si fortè, quod Deus avertat, idem Rex per se ipsum vel alios contravenerit, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis apostolicis inhærebunt, ac dictus Rex perpetuò custodiam vacantium Ecclesiarum amittat. Sanè intelleximus vos pro præscripta securitate ac pace juravisse vestrasque patentes litteras tradidisse. Vnde per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ad consummandam & conservandam formam ejusdem securitatis & pacis diligens studium impendatis & operam efficacem. Ne quis autem ex hujus vinculo cautionis occasione assumat contra præfatum Regem aliquam turbationis materiam suscitandi, cùm per eam sic illis ad necessariam securitatem & pacem velimus esse provisum quòd isti ad gravamen indebitum vel incommodum non redundet, præsentium vobis auctoritate præcipimus quatenus si quid forsan emerserit quod contra præscriptam securitatem & pacem facere proponatur, non antè cujusquam instinctu adversùs eundem Regem aliquatenus moveamini quàm con-

sulto Romano Pontifice ipsius recipiatis cum responso mandatum qui omnia consuevit æquo libramine moderari; cùm hoc ipsum in prædicta forma contineatur expressum, quòd vos pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis debetis mandatis apostolicis inhærere. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

NICOLAO TVSCVLANO Episcopo apostolicæ sedis Legato.

Epist. 313. De absolutione Regis Angl

CVm de carissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri Anglorum Rege ac ejus regno, quod ad Romanam Ecclesiam ex ejus dono jure pertinet speciali, oporteat nos curam & sollicitudinem gerere diligentem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, postquam relaxatum fuerit interdictum, venerabilibus fratribus nostris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali & coëpiscopis ejus ex parte nostra districtè præcipias quatenus omnes litteras, tam priores quàm posteriores, impetratas à nobis contra eundem Regem si formam pacis non duceret admittendam, illasque præsertim quæ sic incipiunt, *Expectantes hactenus expectavimus*, per regnum Franciæ, Angliam, Scotiam, & Hiberniam ad Archiepiscopos & Episcopos, necnon Leodiensem & Trajectensem Pontifices destinandas, tibi sine diminutione aliqua repræsentent, easque protinus facias minutatim incidi vel igne comburi, ne contra eum ipsarum occasione quicquam sinistri valeat attentari; ipsos ad hoc, si necesse fuerit, districtione qua convenit compellendo. Datum Laterani 11. Kalen. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EIDEM.

Epist. 314. De eadem re.

FRaternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus postquam interdictum Angliæ fuerit relaxatum, omnes conjurationes & factiones, si quæ occasione discordiæ inter regnum & sacerdotium factæ sunt, denunties auctoritate nostra irritas & inanes, cùm causa cessante cessare debeat & effectus. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO ET Episcopis & nobilibus viris Baronibus, Militibus, necnon & universis populis per Angliam & Walliam constitutis.

Epist. 135. Super eodem.

CVm per ipsius gratiam qui discordantes parietes in se angulari lapide copulavit, vera pax & plena concordia sit inter regnum & sacerdotium in Anglia reformata, nos, qui tenemur curam & sollicitudinem gerere specialem de carissimo in Christo nostro Iohanne illustri Anglorum ac ejus regno, quod ad Romanam Ecclesiam per donum ipsius speciali jure noscitur pertinere, sibi & heredibus suis providere volentes, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus in fidelitate ipsius Regis ac heredum suorum prompto animo & corde sincero perseverare curetis, tales vos circa devotionem ipsius per omnia exhibentes quòd tam à nobis quàm ipso debeatis meritò commendari; scientes pro certo quòd nos ad ipsius commodum & honorem efficaciter aspiramus. Datum Laterani v. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem modum scriptum est Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis & nobilibus viris Principibus, Comitibus, Baronibus, & universis Militibus, & populis per Hiberniam constitutis.

In eundem modum Vuillelmo illustri Regi Scotiæ, & nobili viro Alexandro filio ejus.

ROBERTO TITVLI SANCTI Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato.

Epist. 136. Super eodem.

CVm per ipsius gratiam &c. *ut suprà usque* mandamus quatenus nobis inconsultis in cismarinam terram ipsius non proferas aliquo modo sententiam interdicti. Datum Laterani v. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

NICOLAO TVSCVLANO Episcopo apostolicæ sedis Legato.

Epist. 137. Super eodem.

OLim venerabilibus fratribus nostris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali, Willelmo Londonienſi, Eustachio Elienſi, Ægidio Herefordensi, & Huberto Lincolnienſi Episcopis apostolicis dedimus litteris in mandatis quatenus concessiones, pactiones, sive promissiones quas Clerici seu religiosi viri cujuscunque professionis vel ordinis Iohanni Regi Angliæ super ablatis vel extortis post interdictum fecerunt quò minùs ipsa restituantur ad plenum denuntiarent irritas &

inanes, auctores etiam & procuratores illarum, nisi moniti satisfecerint, excommunicationis vinculo innodarent, si qui verò prædictorum noluerint ablata vel extorta repetere, detentores eorum nihilominus ipsa restituere compellerent in terræ sanctæ subsidium juxta mandatum apostolicum reservanda. Cùm igitur ad subsidium terræ sanctæ totis affectibus aspiremus, volentes id per tuæ sollicitudinis studium effectui mancipari, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus ea quæ taliter fuerint reservanda facias apud domos Hospitalis & Templi accuratè deponi & fideliter custodiri, recipiens super ipsis depositis testimoniales litteras Magistrorum; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellens. Datum Laterani III. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecmo.

EIDEM.

Epist. 138. Super eodem. *Vide Mat. Paris. ad an. 1213 ubi hæc epistola refertur.*

CVm non possit Ecclesiis meliùs provideri quàm si eis præficiantur pastores idonei, qui non tam præesse cupiant quàm prodesse, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatenus episcopatus & abbatias Angliæ nunc vacantes facias cum tuo consilio de personis idoneis per electionem vel postulationem canonicam ordinari, quæ non solùm vita & scientia sint præclaræ, verùm etiam Regi fideles & regno utiles, necnon ad consilium & auxilium efficaces, assensu regio requisito. Cùm ergo vacantium Ecclesiarum Capitulis nostris demus litteris in præceptis ut tuo consilio acquiescant, tu Deum habens præ oculis, consulas super hoc viros providos & honestos, qui plenè norint merita personarum, ne te cujusquam astutia circumveniri contingat. Si qui verò contradictores fuerint vel rebelles, tu eos per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Laterani II. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

Scriptum est super hoc vacantium Ecclesiarum Capitulis.

NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 139. De accusatione adversùs Archiepiscopũ Surrentinum. *Cap.* Constitutis. *De testib.*

COnstitutis in nostra præsentia venerabili fratre nostro Alferio Archiepiscopo & dilecto filio Matthæo Canonico Surrentinis, dum idem M. accusationis concepto libello eundem Archiepiscopum deferret de crimine simoniæ, asserens nihilominus eum crimini læsæ majestatis obnoxium, eò quòd, ut dicebat, eodem Archiepiscopo machinante Surrentina civitas à regia fidelitate recessit & reprobo juravit Othoni, ac ipsum Archiepiscopum excõmunicatum celebrasse divina, cùm post talem machinationem, per quam machinatores hujusmodi latam à sede apostolica excommunicationis sententiam incurrerunt, divina præsũpserit celebrare, Archiepiscopus, antequam describendi libellũ fieri sibi copiam postularet, in personam accusatoris quòd esset inimicus & conspirator excepit, allegans interdicendum ei aditum accusandi, cùm secundùm instituta canonica inimici & conspiratores in nullius debeant accusationem admitti. Ad quod pars adversa respondit quòd cùm tanta sit labes simoniacæ pravitatis ut servi adversùs dominos & criminosi quilibet admittantur, & in prodendo crimine læsæ majestatis socius etiam initæ factionis non solùm auditur, quin immo præmio & honore donatur, super præmissis exceptiones hujusmodi accusationem elidere non valebant, præsertim cùm publicæ utilitatis interfit ne crimina remaneant impunita. Fuit autem ad hæc ex adverso responsum quòd cùm in decreto Anacleti Papæ caveatur expressè accusatores esse non posse qui ante hesternum diem aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant vel læsi ulcisci, & inoffensus accusatorum quæratur affectus, & non suspectus, ac constitutio Calisti Papæ generaliter interdicat conspirationem in alicujus accusationem admitti, nec in aliquo canone sit expressum quòd inimicus ac conspirator in exceptis criminibus audiatur, ne quod sanctorum patrum documento sancitum non est superstitiosis adinventionibus attentetur, circa præmissa prohibitioni standum est generali, præsertim secundùm æquitatem canonicam, quæ viam non debet malignitatibus aperire. Inter hæc autem de causis inimicitiarum & conspirationis Archiepiscopus interrogatus respondit quòd memoratus M. ipsi Archiepiscopo & cùm in Archidiaconum & cùm in Archiepiscopum fuit assumptus se opposuit adversarium manifestum. Præterea cùm quidam Neapolitanus fuisset in mortem fratris Archiepiscopi machinatus, & per amicos ipsius eiceretur de propria civitate, quidam magnates quos dictus Neapolitanus consanguinitatis linea contingebat ejectionem illius ad injuriam reputantes, eundem induxere Matthæum ut cum quibusdam aliis

Cap. Tanta. *& ca.* Licèt Heli. *De simonia.*

3 q. 5 c. *Accusatores.*

Callistus I. epist. 2. cap 1.

in damnationem ipsius Archiepiscopi conjuraret. Porrò priorem causam non duximus admittendam, maximè cùm reconciliatio fuerit subsecuta; prout ex narratione ipsius Archiepiscopi notabatur. Super alia verò quam inficiabatur M. fuit pro ipsius parte propositum quòd non est interdicta subjectis omnis conjuratio in prælatum: quia cùm secundùm decretum Gelasij Papæ quisquam clericorum confidere non debeat offensæ apostolicæ se immunem, si in iis quæ sequenda salubriter apostolica deprompsit auctoritas Episcopum viderit excedentem, & non protinus ad aures Romani Pontificis deferre curaverit, in pestilentem prælatum non immeritò possunt conjurare subjecti, exemplo quadraginta Episcoporum Illyrici ac Græciæ, qui per professionem in scriptis factam convenientes in unum, à Timotheo, qui per metum Imperatoris Anastasij fuerat in Constantinopolitanum assumptus Episcopum, discesserunt. Verùm asserente Archiepiscopo ex fomite malignitatis in eum conjurasse Matthæum & hoc se legitimè probaturum, ad ultimum consentientibus partibus sic duximus providendum, ut Archiepiscopus porrectum libellum accipiens, super objectis criminibus responderet, reservata sibi facultate probandi quòd idem M. ex malignitate conjuravit in ipsum. Libelli verò conceptio talis erat. In » Nomine Domini. Amen. Anno Do- » mini millesimo CCXIII. pontificatus Do- » mini Innocentij III. summi Pontificis an- » no sextodecimo, mense Octobris, septimo » Idus ejusdem. Apud vos, Domine Inno- » centi Dei gratia summe Pontifex, ego » Matthæus Canonicus Surrentinus defero » Dominum Alferium Surrentinum Archie- » piscopum lege canonica reum de simonia; » quia dico ipsum promisisse archidiacona- » tum Surrentinum Iohanni Ciroleon olim » Canonico Surrentino ut consentiret elec- » tioni suæ in civitate Surrenti, in camera, » juxta triclinium episcopij, tempore Domi- » ni Celestini tertij summi Pontificis, mense » Ianuarij. Item defero eum reum de crimine » læsæ majestatis; quia civitas Surrentina » recedendo à fidelitate regia, juravit Otho- » ni, ipso hoc procurante, tempore Domi- » ni Innocentij tertij summi Pontificis in civi- » tate Surrenti, in palatio suo, mense Maij. » Et defero eum postmodum multotiens ce- » lebrasse divina in Ecclesia Surrentina, cùm » per sententiam vestram credam eum ob » hoc excommunicationis vinculum incur- » risse. Ego dictus M. profiteor me hunc libellum inscriptionis dedisse.] Oblato tandem libello, pars Archiepiscopi allegavit quòd erat minùs legitimè in quadam sui parte conceptus, eò quòd non continebatur in ipso quo anno fuerint crimina objecta commissa. Cùm enim libelli conceptio continere debeat mensem & Consules sub quibus crimen dicitur fuisse commissum, & antiquitus Consules constituerentur annales, videtur quòd admissi criminis annus exprimi debeat in libello. Frustra etiam mensis juberetur apponi, si anni cujus est mensis non habetur aliqua certitudo. Ad quod pars accusatoris respondit quòd cùm in forma concipiendi libellum de anno non inveniatur expressum, sicut nec dies, ita nec annus admissi criminis debet apponi, ne subornationi testium occasio præbeatur. Nec propter hoc quòd in foro civili debent exprimi Consules, licèt Consules essent antiquitus annui, sequitur quòd certus annus sit exprimendus, cùm idem Consul diversis vicibus & pluribus annis gerere potuisset officium consulatus; unde per expressionem nominis ejus de certo anno constare non posset. Et cùm in denominatione mensis non constet cujus anni mensis existat, non ita per expressionem mensis, sicut & anni, ad subornandum testes occasio posset assumi. His autem & aliis hinc inde propositis, cùm ad ultimum accusator expresserit Archiepiscopum eo anno commisisse simoniæ crimen objectum quo fuit archiepiscopatum adeptus, promittendo archidiaconatum Ecclesiæ Surrentinæ I. Ciroleon quondam Canonico Surrentino si consentiret in ipsum, ac de tempore quo prædicta civitas juravit Othoni satis manifestè constaret, ad contestationem litis, inficiante Archiepiscopo crimina sibi opposita, est processum. Confessus est tamen quòd postquam civitas juravit Othoni, multotiens celebravit. Productis autem ex parte Archiepiscopi quibusdam testibus ad probandam exceptionem objectam cum hujusmodi protestatione M. scilicet quòd post publicationem depositionum illorum, si vellet, posset obicere in personas, quia illis Archiepiscopus contentus esse nolebat, depositiones ipsorum minimè publicantes, receptionem testium tam super principali quàm super exceptione prædicta de consensu partium fraternitati tuæ duximus committendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus testes quos utraque pars duxerit producendos diligenter examines, & eorum dicta conscripta fideliter

2. q. 7. cap. Quapropter.

16. q. 7. c. Sanè Thessalonicenses.

ad nos sub tuo conclusa sigillo transmittas, præfigens partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent. Ceterùm quoniam à principio protestatus est præfatus M. nobilem virum Simonem de Surrento germanum Archiepiscopi memorati & quosdam alios ipsius Archiepiscopi consanguineos multa impedimenta per suam potentiam præstitisse quò minùs probationis copiam in nostra præsentia secum habuerit, cùm quosdam induxerint ad jurandum ne adversùs Archiepiscopum aliquid dicerent, & alios minis ac terroribus à perhibendo testimonio nitantur arcere, nos ex officio nostro super hoc providere volentes, mandamus ut generalem feras excommunicationis sententiam in omnes qui aliquod impedimentum ipsi M. præstare præsumpserint in testibus producendis. Illos autem quos, sicut dictum est, juravisse constiterit quòd contra Archiepiscopum nihil dicerent denunties juramento hujusmodi non teneri quò minùs valeant in hac causa perhibere testimonium veritati. Si quis autem de consanguineis Archiepiscopi aliquos de testibus præsumpserit impedire, quia verisimile non videtur ut eo invito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultæ, eò quòd, si voluerit, poterit prohibere, cùm secundùm legitimas sanctiones ostendat se iniquam litem fovere, ac experiri debeat judicis auctoritatem elusam qui defensionis copiam subtrahit adversario, eundem Archiepiscopum ab officio pontificali suspendas, & facias sublato appellationis obstaculo manere suspensum donec illum fecerit à tali præsumptione cessare. Tu denique frater Archiepiscope &c. Datum Laterani VIII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO TAVRINENSI.

Epist. 140. Ut recipiat cessionem Episcopi Aquensis

VEnerabilis frater noster Aquensis Episcopus nobis per litteras suas humiliter supplicavit ut eundem senectute confectum à sollicitudine pontificalis officij absolvere dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cessionem ipsius recipias vice nostra, ipsum, si à cedendi proposito fortè destiterit, ad id per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Ejus autem cessione recepta, relaxes suspensionis sententiam quam dilecti filij Abbas sancti Stephani Bononiensis & magister Gra. in eum auctoritate nostra protulisse noscuntur; ac sibi de proventibus Aquensis Ecclesiæ juxta facultates ipsius & necessitatem personæ provisionem congruam facias assignari; injungens Capitulo ejusdem Ecclesiæ ut personam idoneam sibi per canonicam electionem præficiant in pastorem, non obstante privilegio Alexandrinis ab apostolica sede concesso, cùm eodem reddiderint se indignos. Tu denique frater Episcope &c. Datum Laterani II. Idus Noembris, anno decimosexto.

Vide lib. 15. epist. 189.

CAPITVLO MEDIOLANENSI.

Epist. 141. Dat eis Archiepiscopum. Vide lib. 15. epist. 112.

REceptis litteris nostris, quibus vobis dedimus in mandatis ut causam electionum & postulationis in vestra celebratarum Ecclesia, quam dudum ad petitionem vestram duximus committendam, coram judicibus quibus illam commisimus usque ad festum sanctæ crucis proximò præteritum finaliter prosequi studeretis, alioquin ex tunc procuratores idoneos ad nostram curaretis præsentiam destinare, pastorem quem Domino inspirante vobis & eidem providerimus Ecclesiæ recepturos, nuper dilectos filios Alkerium Subdiaconum nostrum, Stephanum Balbum, & Vvillelmum concanonicos vestros ad sedem apostolicam cum vestris litteris destinastis, cum multimoda gratiarum actione, mandatum nostrum humiliter admissuros, suppliciter postulantes ut quem mallemus de gremio Ecclesiæ vestræ vobis dignaremur concedere in pastorem. Nos autem super hoc deliberatione habita diligenti, suspicionis & dissensionis materiam vitare volentes, dilectum filium Henricum Cimiliarcham Ecclesiæ vestræ, virum providum & honestum, in pastorem vobis duximus concedendum, per apostolica scripta mandantes quatenus ei tamquam pastori vestro reverentiam & obedientiam impendatis debitam ac devotam. Datum Laterani VII. Idus Novembris, anno XVI.

PRIORI ET CONVENTVI Farfensibus.

Epist. 142. De electione Abbatis.

QVàm graviter & enormiter propter intrinsecam & extrinsecam pestem in spiritualibus & temporalibus à longo jam tempore Farfense monasterium sit collapsum manifesta demonstrant indicia & certa comprobant argumenta. Nos autem, quibus divinitus omnium Ecclesiarum est sollicitudo commissa, frequenter ad ejus curationem intendimus; sed propter lethalem plagam cordis & capitis, quæ quasi à planta pedis usque ad verticem corpus infecit, nondum illam potuimus ex

toto curare, ut dicere valeamus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Nunc verò tempus advenit ut si ei caput præficiatur idoneum, totum corpus valeat à langore curari. Verùm mirari cogimur & moveri quòd nobis irrequisitis penitùs & contemptis, qui Deo teste ad reformationem ipsius monasterij pura semper intentione processimus, vos ad electionem Abbatis de Præposito faciendam præpropere processistis, qui, ut de ceteris taceamus, in tantæ præsumptionis & ambitionis arrogantiam est elatus ut antè quàm confirmatio postularetur à nobis, quin etiam priùs quàm quicquam nobis de ipsius fuisset electione relatum, præsumpserit monachorum obedientias & laicorum fidelitates recipere, in choro, in Capitulo, in refectorio, & in camera locum Abbatis usurpans, recipiendo munitiones & castra, seque Farfensem electum non solùm gerere sed & scribere non expavit; sicut per juramenta constitit monachorum, quorum nonnulli super pravitate simoniaca requisiti, tam de auditu quàm etiam de credulitate testimonium perhibuere jurati. Nos igitur ecclesiasticæ puritatis zelo succensi, quod tam improbè factum est irritantes, universos ab obedientia & fidelitate illi præstita decernimus auctoritate apostolica penitùs absolutos; districtè præcipientes eidem ut, si periculum vult ordinis evitare, de ipsa electione se nullatenus intromittat, sed incontinenti universa resignet quæ tali occasione recepit, ac deinde vocatis omnibus ad quos spectat electio, Deum habentes præ oculis, talem personam, sive de ipso monasterio sive de alio vobis eligatis regulariter in Abbatem cui nihil obsistat de canonicis institutis. Nos enim ex parte Dei omnipotentis patris & filij & spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, excommunicamus & anatematizamus omnes & singulos qui contra conscientiam suam quemquam nominare vel eligere præsumpserint in Abbatem, maximè pro quo sciant aut credant donationem sive promissionem factam esse aut etiam faciendam; & si aliquo tempore de tali fuerint reatu detecti, sciant se ab ipso monasterio perpetuò removendos. Has denique litteras districtè præcipimus coram clero & populo publicè legi & diligenter exponi, ne valeant excusari si qui fortè præsumpserint mandatis apostolicis obviare. Datum Laterani XVI. Kal. Decemb. pontificatus nostri anno XVI.

G. FERRARIENSI PRÆPOSITO.

Epist. 144. Constituitur rector massæ Ficaroli. *Vide supra epist.* 101.

DE tua confisi prudentia & potentia, post obitum bonæ memoriæ Ferrariensis Episcopi curam & administrationem massæ Ficaroli tibi duximus committendam, mandantes ut redditus tam ipsius massæ quàm civitatis Ferrariensis, quos Romana Ecclesia percipere consuevit, nomine nostro colligeres & fideliter conservares. Verùm, sicut ex tuis accepimus litteris, ad te non pervenit illud mandatum. Vnde credimus ipsum non sine malitia fuisse suppressum. De illis autem redditibus ad Ecclesiam Romanam spectantibus quos quidam Ferrarienses, sicut intelleximus, ex concessione claræ memoriæ Marchionis Estensis percipiunt, scire te volumus concessiones hujusmodi non esse factas de nostræ arbitrio voluntatis. Vnde nos ipsas decernimus, & tu de mandato nostro denunties irritas & inanes. Tu igitur redditus ipsos & alios ad Romanam Ecclesiam pertinentes tam in Ferraria quàm in massa prædicta nomine nostro recolligas & studeas conservare. Quæ verò male alienata vel concessa repereris, auctoritate sedis apostolicæ revoces; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quicquid autem super his feceris, nobis rescribere non postponas. Datum Laterani XII. Kal. Decemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI SANCTI PETRI Altisiodorensis, Decano Trecensi, & Sacristæ Altisiodorensi.

Epist. 144. Vt cives Senonenses satisfaciant Ecclesiæ.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Senonensis quòd cùm dilectus filius Abbas sancti Petri Vivi olim bona quondam Menardi defuncti, hominis Ecclesiæ suæ, tamquam res proprias & sibi debitas accepisset, & ipsas ad mandatum Majoris & parium Senonensium reddere vel recredere non curasset, ipsi homines Ecclesiæ jamdictæ auctoritate propria capere præsumpserunt, & licèt postmodum ad mandatum dilecti filij P. officialis præfati Archiepiscopi restituerint viros illos, quia tamen post hæc dicti cives admoniti sæpius recusarunt Abbati prædicto injuriam de captione suorum hominum emendare, prout idem officialis per sententiam diffinivit, excommunicavit officialis eosdem. Propter quod ipsi plusquam duodecim homines Ecclesiæ sancti Petri capere iterum præsumpserunt, ipsos Senonis

nis in carcerem detrudentes ; quos quia pluries requisiti reddere vel recredere noluerunt , denuo dictus officialis eos excommunicationis pœnæ subjecit , & civitatem Senonensem, in qua tenebantur in carcere religati homines Ecclesiæ memoratæ , supposuit interdicto. Consequenter verò dicti cives propter suam contumaciam manifestam, quia respondere in Senonensi curia contempserunt , occasionem frivolam prætendendo , & quia noluerunt securos reddere homines Ecclesiæ sancti Petri , sicut per officialis præfati sententiam fuerat diffinitum , necnon & quia reddere noluerunt res cujusdam feminæ ipsius Ecclesiæ quas ceperant , iteratò per dictum officialem insuper triplici excommunicationis laqueo sunt astricti ; sicque tam gravi pœnæ quinquies subici meruerunt. Postmodum autem ad partes illas accedens dilectus filius Robertus tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus , & coram se utramque partem faciens præsentari , præscriptis Majori & paribus, recepto priùs ab ipsis corporaliter juramento quòd mandatis ejus in omnibus & per omnia obedirēt,beneficium absolutionis impendit, præcipiens eis firmiter in virtute præstiti juramēti quòd Ecclesiæ prædictæ captos homines liberarent & emendas tribuerent , ac insuper de solvendis excommunicationum emendis necnon & de restituendis integrè universis quæ restituenda forent , fidejussores idoneos exhiberent , sicut præsentatæ nobis ipsius Legati litteræ continebant. Ipsi verò , licèt homines liberarint , spreta tamen postmodum in suarum periculum animarum religione præstiti juramenti , mandatum ipsius Cardinalis implere de faciendis emendis & fidejussionibus exhibendis penitùs contempserunt , sicut per litteras executorum præfati Legati nobis constitit manifestè. Cùm igitur Cardinalis prædictus in negotio crucis dominicæ promovendo multipliciter occupatus , decisioni hujus causæ non valeat absque dispendio interesse , nec velimus tantam contumaciam totque injurias, quæ asseruntur Christi Ecclesiæ irrogatæ , surdis auribus pertransire, volentes etiam dictorum Majoris & civium spirituali periculo præcavere , discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus nisi dicti Major & pares emendas fecerint , & de solvendis emendis & restituendis integrè universis quæ propter hæc restituere tenebuntur , fidejussores idoneos dederint Archiepiscopo memorato , prout eis dictus Cardinalis præcepit sub debito præstiti juramenti , vos ipsos auctoritate nostra in priores excommunicationum sententias appellatione postposita reducatis , facientes easdem cum interdicti sententia usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Si verò præscripti Major & pares prædicta fecerint universa , sicut superiùs est expressum , audiatis quæ partes hinc inde contra suprascriptas sententias vel pro ipsis duxerint proponenda. Et si forsan infra certum tempus quod eis duxeritis præfigendum legitimè vobis constiterit injustè fuisse latas sententias antedictas , ipsos cives ac fidejussores eorum ab emendis penitùs absolvatis , & faciatis ei congruè satisfieri de injuriis irrogatis. Alioquin tam ipsos quàm fidejussores eorum ad satisfaciendum plenariè de injuriis & emendis & restituendum omnia quæ propter hoc restituere tenebuntur per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique , fili Abbas &c. Datum Laterani Idibus Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

De Claromarisco et de Longovillari Abbatibus , & Decano Christianitatis de Mosterolo , Morinensis & Ambianensis diocesum.

Epist. 145. De reformatione monasterij S. Iudoci. Vide lib. 13. epist. 175.

Dilectus filius Abbas sancti Iudoci proposuit coram nobis quòd cùm olim propter alleviationem oneris debitorum quibus ejus monasterium premebatur, & deprimendam quorundam contumaciam monachorum , apostolicæ sedis auxilium imploraſſet , ad petitionem ipsius vobis dedimus in mandatis ut ad dictum monasterium personaliter accedentes , ei vice nostra visitationis impenderetis officium , corrigendo & reformando in ipso quæ inveniretis correctionis & reformationis officio indigere. Vos autem hujus auctoritate mandati quædam pro parte in ipso monasterio correxistis , jurisdictione vobis in aliis reservata , ut certo tempore rediretis ad statum ipsius monasterij plenariè reformandum. Interim autem per nuntium venerabilis fratris nostri Ambianensis Episcopi ad Abbatem & Priorem de Gardo diocesana sibi lege subjectos & Atrebatensem Præpositum quondam suum concanonicū & speciali sibi familiaritate conjunctum à sede apostolica quibusdam generalibus litteris impetratis super inquisitione facienda in monasteriis per Ambianensem diocesim

constituris, iidem occasione litterarū ipsarum in memorato monasterio sancti Iudoci volebant correctionis officium exercere. Verùm cùm Abbas & conventus ad eorum citati præsentiam rescripti apostolici copiā sibi fieri, ut ex ipsius tenore constaret si tales inquisitores haberent aliquid jurisdictionis in ipsis, & dari sibi ad deliberandum inducias postularent, nec obtinere valerent, ad sedem apostolicam appellarunt; sed illi, appellatione contempta, in eundem Abbatem suspensionis, sicut audivit, sententiam promulgarunt, aliàs in ipsius & quorundam aliorum de monasterio præjudicium perperam procedentes. Vnde petebat à nobis Abbas prædictus eorundem processum irritum nuntiari. Auditis igitur iis & aliis propositis coram nobis tam per Abbatem eundem quàm per magistrum P. nuntium Episcopi memorati, qui tamen nuntius de iis quæ proposuit non potuit facere nobis fidem, quia generale mandatum non derogat speciali, præsertim cùm in eo de speciali mentio non habetur, prædicti Abbatis de Gardo & collegarum ejus processum decrevimus irritum & inanem. Verùm ne sæpedictum monasterium tali prætextu plenariæ correctionis officio defraudetur, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cùm interfit Episcopi ne in sua dioceſi monasteria remaneant incorrecta, prædicto Ambianensi vocato, ut per se vel per nuntium, si velit, interfit, non ut impediat, sed ut in præsentia vestra proponat si quid viderit corrigendum, ad ipsum monasterium personaliter accedatis, eidem secundùm tenorem præcedentium litterarum plenæ visitationis officium impensuri. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

WILLELMO ABBATI Gemblacensis monasterij, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris religiosam vitam professis in perpetuum.

Epist 146. De confirmatione privilegiorum.

RElegiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Innocentij, Eugenij, & Celestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona &c. *usque* & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsum videlicet monasterium in beatorum Petri & Exuperij honore fundatum, quod utique ipsius burgi principalis Ecclesia esse dicitur, cum Capella sua, quæ vocatur sancti Salvatoris, juxta providentiam tuam & successorum tuorum, fili Abbas, tam in temporalibus quàm in spiritualibus liberè & absque contradictione aliqua disponenda, salvo nimirum jure debito Leodiensis Episcopi. Similiter etiam villas & Capellas de Corcis, de Esnagia, & de Salveniriis, & de Lircil, & de Arentin, ad prædictum locum tam parrochiali quàm seculari jure pertinentes. Præterea fundum ipsius burgi, & terras adjacentes, cum banno & justitia, percussura monetæ, mercato, & teloneo, foragio vini, cambatico, & materia, positione villici sive scabinorum atque ceterorum officialium ad eundem locum pertinentium. Piscarias & vivaria, cum molendinis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, & sylvis, ac partem allodij Gemblacensis quæ fuit Ægidij & Iohannis fratrum de Corcis & comparticipum suorum. Ecclesiam quoque de Castris, Pictam villam, villam quæ dicitur Eineis, vicum qui dicitur Boferolus, vicum qui dicitur Maisnil, censum de Roseriis, villam quæ dicitur Soe cum Ecclesia, banno, justitia, terris, sylvis, pratis, pascuis, & piscaria. Censum villæ quæ dicitur Templiacus, cum tribus placitis annualibus, villam quæ dicitur Ferolt, villam de Molenrivo cum Ecclesia, villam sancti Gaurerici cum Ecclesia, villam de Niele cum Ecclesia, allodium de Vvalchem, villam de Bellorivo, montem qui dicitur sancti Vviberti cum Ecclesia & appendiciis suis, decimas quorundam sartorum de Sumbresia, villam de Diona cum Ecclesia, terris, pratis, & silvis, allodium de Iandrenolio, apud Puccium viginti duos solidos Leodiensis monetæ, Ecclesiam de Bossuth, Ecclesiam de Baverechircum cum terris ad eam pertinentibus, villam de Stirs. Apud Leodium duos mansos, unum in insula juxta sanctum Paulum, altera sanctum Lambertum, & vineam unam apud Viniacum. Apud Namucum aliam vineam. Villam de Soffri cum Ecclesia, heremum sanctæ Mariæ apud Brenam cum Ecclesia. In episcopatu Cameracensi villam de Turp cum Ecclesia. Adicientes vicesimam par-

tem totius allodij de Bevenchin, quam tenetis de Ecclesia sancti Lamberti sub annuo censu viginti quinque solidorum Leodiensis monetæ. Ecclesias quoque de Bossuth & de Bavenchien. cum omni jure quod habetis in eis tam ex patronatu quàm ex donatione piæ recordationis Alberti Leodiensis Episcopi, quam vobis specialiter sedes apostolica confirmavit. Decimam sartorum totius sylvæ Episcopi Leodiensis apud Bavenichen. Decimam quoque in villa Smirei, quadraginta bunuariorum terræ & ampliùs, cum decimis quas habetis in monte sancti Vviberti à parrochianis mansionariis vestris. Medietatem Ecclesiæ de Vuares cum dominio dotis & terræ & census & Gallianorum. Præterea libertatem, donationes, & possessiones ab illustri quondam viro Imperatore Ottone & Vvilbodone Leodiensi Episcopo rationabiliter eidem venerabili loco collatas, & prædecessoris nostri bonæ memoriæ Benedicti Papæ privilegio roboratas, & usque ad hanc diem quietè à vestro monasterio habitas, nos quoque vobis concedimus & firmamus, sicut in eorum scriptis & privilegiis authenticis continetur. Sanè novalium vestrorum &c. *usque* exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos &c. *usque* contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper &c. *usque* nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum &c. *usque* divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum &c. *usque* voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis &c. *usque* quod postulatur impendat. Adicimus etiam ut si quando in aliquo negotio vos gravari senseritis, sedem apostolicam vobis liberè liceat appellare. Quotiens etiam sanctam Romanam Ecclesiam pro gravaminibus vestris aut certa utilitate adire volueritis, idipsum faciendi facultarem liberam habeatis. Sancimus etiam ut bonæ atque canonicæ consuetudines quæ in vestro monasterio hactenus viguerunt, eidem venerabili loco in perpetuum illibatæ serventur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. *usque* providerint eligendum. Decernimus ergo &c. *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. *usque* districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. *usque* pacis inveniant. Datum Laterani per manum Rainaldi Acolythi, & Capellani Domini Innocentij Papæ III. XVII. Kal. Decembris, Indictione II. incarnationis dominicæ anno millesimo ducentesimo XIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno sextodecimo.

EPISCOPO ET ARCHIPRESBYTERO & R. Canonico Florentinis.

Epist. 147. Scribitur pro Iudice Calaritano.

CVm olim cives Pisani ad apostolicæ sedis jura manus avidas extendere cupientes, dilectum filium nobilem virum Iudicem Calaritanum, qui ab Ecclesia Romana terram quam habet in Sardinia in feudum tenere dinoscitur, super quibusdam ejusdem terræ partibus coram Potestate Pisana per suum syndicum convenissent, ac pro suæ voluntatis arbitrio quasdam promulgari fecissent sententias contra eum in juris apostolici læsionem, nos attendentes quòd idem Iudex super iis quæ à Romana tenet Ecclesia nonnisi sub Romano Pontifice debuit conveniri, sententias ipsas, tamquam à non suo judice latas, denuntiari fecimus irritas & inanes, ac inhiberi nihilominus civibus antedictis ne ipsarum occasione præfatum Iudicem de cetero molestarent. Nuper autem ad audientiam nostram eodem significante pervenit quòd dicti cives uti volentes sententiis antedictis, nuntios suos in Sardiniam postmodum transmiserunt, ut per ipsos eorum possessionem apprehenderent quæ ipsis per sententias adjudicata fuerant sæpedictas. Præterea B. Caietanus Pisanus civis super fructibus cujusdam partis quam in Caleri se habere proponit, coram Rectoribus Pisanis in causam traxit nobilem memoratum, eumque sibi obtinuit condemnari. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus nobilem sæpedictum sententiarum occasione dictarum non sinatis ab aliquo molestari, molestatores, quotiens ab eo fueritis requisiti, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quòd si non omnes &c. tu ea frater Episcope &c. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani VI. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI SANCTI MAVRICII Agaunensis Sedunensis diocesis.

Epist. 148. De Diacono promoto extra tempora.

COnstitutus in præsentia nostra dilectus filius P. Ecclesiæ tuæ Canonicus nobis humiliter intimavit quòd cùm bonæ memoriæ Sedunensis Episcopus olim in eadem Ecclesia in solemnitate beati Mauricij celebraret, idem ad præsentationem bonæ memoriæ Vvillelmi prædecessoris tui eum in Subdiaconum ordinavit, à quo ad ejus-

dem præsentationem Abbatis in festo Annuntiationis beatæ Mariæ in Diaconum fuit postmodum ordinatus; nec recolit utrum dies qua ordinem subdiaconatus accepit esset sabbathum quatuor temporum, utrumve dies quo fuit in Diaconum ordinatus esset sabbathum quo canitur *Sitientes*. Vnde licèt statuto tempore in sacerdotem promotus divina diù officia celebrarit, postmodum tamen, ut à conscientia sua dubitationis scrupulum amoveret, à divinorum celebratione duxit humiliter abstinendum, quousque super hoc nostræ recepisset beneplacitum voluntatis. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si super iis veritas ignoratur, eundem in susceptis permittas ordinibus hberè ministrare: quia ubi contrarium non apparet, Episcopus rite præsumitur processisse; præsertim cùm & solemnitas beati Mauricij quatuor jejuniorum temporibus, & festum Annuntiationis sabbatho quo *Sitientes* canitur, frequenter occurrant. Verùm ex anno quo extitit ordinatus per diligentem computationem posset veritas indagari; & si constaret quòd extra statuta fuisset sabbatha ordinatus, quamquam sustineri posset quod fuit de ordine subdiaconali præsumptum, diaconalis tamen ordinis ei deberet executio interdici. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani x v 1. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimosexto.

EPISCOPO SVESSIONENSI, Abbati Longipontis Cistercienſis ordinis Sueſſionenſis dioceſis, & G. Decano Sueſſionenſi.

Epist. 149. De negotio comitatus Campaniæ & Briæ. *Vide infrà epist.* 151.

DIlecta in Christo filia nobilis mulier Blancha Comitissa Campaniæ ac Theobaldus natus ejus nostris auribus intimarunt quòd inclitæ recordationis Henricus Comes Campaniæ atque Briæ profecturus in terram sanctam, Baronibus & Militibus suis jussit ut si eum de transmarinis partibus contingeret non redire, claræ memoriæ Theobaldo fratri suo intenderent, utpote terræ domino, faciens eos super hoc præstare corporaliter juramentum; qui post mortem ejusdem Comitis præfato Theobaldo tamquam Campaniæ ac Briæ Comiti, terris suis receptis ab ipso, fidelitatem & homagium præstiterunt. Verùm quia præfatus Henricus in partibus transmarinis duas filias ex claræ memoriæ [Isabella] Regina Hierosolymitana sibi, ut dicitur, minùs * legitimè capulata suscepit, Comitissa præfata & filius ejus timentes sibi ab illis vel à viris earum, cùm fuerint matrimonio copulatæ, moveri super eisdem comitatibus quæstionem, ne pro defectu testium jus eorum valeat deperire, nobis humiliter supplicarunt ut valitudinarios testes & senes recipi faceremus. Nos igitur eorum volentes indemnitatibus præcavere, ne veritas valeat occultari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus testes senes & valitudinarios, quos super iis iidem producendos duxerint, admittatis, & diligenter examinantes eosdem, ac depositiones ipsorum fideliter redigentes in scriptis, ipsas sigillorum vestrorum munimine roboratas faciatis cautiùs custodiri. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcope &c. Vos denique, frater Episcope, ac fili Abbas, super vobis ipsis & creditis vobis gregibus taliter &c. Datum Laterani 1 1. Idus Decemb. pontificatus nostri anno sextodecimo

Vide gesta Innoc. III. cap. 58.

In eundem modum Vindocinenſi & de Eleemoſyna Abbatibus Carnotenſis dioceſis, & Subdecano ſancti Martini Turonenſis uſque in finem. Datum Laterani ut ſuprà.

PATRIARCHÆ Ieroſolymitano apoſtolicæ ſedis Legato, & Tyrenenſi Archiepiſcopo.

Epist. 150. De matrimonio Erardi de Brena. *Vide appendicem hujus libri.*

EX parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blanchæ Comitissæ Campaniæ ac Theobaldi nati ejus nostro est apostolatui relatum quòd nobilis vir Erardus de Brena nuper ad partes vestras accessit ut unam de filiabus claræ memoriæ Henrici Comitis Campaniæ accipiat in uxorem, quæ ipsum dicitur in eo gradu consanguinitatis attingere quòd secundùm sanctorum patrum statuta legitimè nequeunt copulari, cùm inclitæ recordationis Lodovicus Rex Grossus, proavus videlicet Comitis supradicti, frater extiterit Florij, cujus pronepos est Erardus. quod, ut asserunt, satis est in Galliarum partibus manifestum, & constare de facili poterit evidenter. Cùm igitur ipsi, si necesse fuerit, id probare in eisdem partibus sint parati, & satius sit in hujusmodi ante tempus occurrere quàm post tempus remedium mendicare, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus sub pœna excommunicationis appellatione remota inhibere curetis hujusmodi contrahi copulam inter eos, ne scandalum oriatur ex eo ex quo debet utilitas provenire. Quòd si non ambo &c. alter vestrum &c. Vos denique, fratres Patriarcha & Archiepiscope, super vobis ipsis &c.

Datum Laterani XVII. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

In eundem modum Sueſſionenſi & Cathalaunenſi Epiſcopis, & Decano Sueſſionenſi uſque ad partes ultramarinas acceſſit &c. *uſque* probare in veſtris partibus &c. *uſque* quatinus ſi fortè idem Erardus in Galliam venerit cum puella, ſub pœna excommunicationis &c. *uſque* provenire. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Vos denique fratres Epiſcopi &c. Datum Laterani &c. ut ſuprà.

NOBILI MVLIERI BLANCHÆ Comitiſſæ Campaniæ, ac Theobaldo nato ejus.

Epiſt. 151. Ejuſdem argumenti cum epiſtola 149. *Vide appendicem hujus libri.*

EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis quòd dilectus filius noſter Robertus tituli ſancti Stephani in Cœlio monte Preſbyter Cardinalis apoſtolicæ ſedis Legatus, adjunctis ſibi quibuſdam Epiſcopis & aliis bonis viris, ſuper hoc quòd inclytæ recordationis Comes Henricus ad partes ultramarinas iturus terram ſuam Theobaldo fratri ſuo fecit jurari ſi de illis partibus non rediret, & quòd prædictus Comes cum claræ memoriæ [Iſabella] Regina Hieroſolymitana poſt mortem [Conradi] Marchionis Montisferrati, qui eam * Vnfredo de Toron legitimo viro ejus violenter abſtulerat, ipſo Vnfredo vivente contraxit, quoſdam teſtes recepit, pro eo quòd de morte quorundam illorum, cùm eſſent ſenes, poterat meritò dubitari, & de longa timeri abſentia aliorum, necnon & periculis aliis quæ propter guerras poterant imminere. Nos igitur veſtris precibus annuentes, quod ſuper iis providè ac legitimè factum eſt per Cardinalem prædictum, robur habere præcipimus firmitatis. Datum Laterani III. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

*Vide Vvillel. Tyr. lib. 22. cap. 5.

MAGISTRO RADVLPHO Clerico.

Epiſt. 152. Confirmatur ſententia lata pro eo.

EX multarum tenore perpendimus litterarum quòd cùm olim cauſam quæ inter te ex parte una & G. Militem de Curi & Majorem, Scabinos, Oiſellum & magiſtrum domus Dei de Bancingnis dioceſis Laudunenſis ex altera ſuper terris, pratis, frumento, pomœrio, foragiis, minuta decima, & rebus aliis vertebatur, dilecto filio Abbati ſancti Eligij Noviomenſis & conjudicibus ſuis duxerimus committendam, ipſi rationibus utriuſque partis auditis, & cauſæ meritis intellectis, pro te ſuper prædictis omnibus diffinitivam ſententiam promulgarunt, condemnantes partem alteram in expenſis. Cùmque poſtmodum ſuper hoc à nobis plures litteræ ad diverſos judices emanaſſent, demum dilecto filio Cantori Noviomenſi & ſuis conjudicibus noſtris litteris dedimus in mandatis ut dictam ſententiam, ſicut eſſet juſta, executioni mandantes, ipſam facerent firmiter obſervari, contradictores appellatione remota per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Coram quibus propoſuit pars adverſa quòd ab eadem ſententia fuerat ad noſtram audientiam appellatum. Sed quamvis ad hoc probandum teſtes plurimos produxiſſet, penitùs tamen in probatione defecit. Propter quod iidem judices invenientes eandem ſententiam juſtè latam, ipſam auctoritate apoſtolica confirmarunt, prædictos Militem, Majorem, & alios, eò quòd parere diffinitivæ ſententiæ contempſerunt diutiùs & contemnunt, excommunicationis laqueo innodantes. Ne igitur de cetero cauſa iſta ſemper repullulet, adverſariorum malitia procurante, in tuum præjudicium & gravamen, tuis laboribus finem imponere volumus atque liti. Vnde quod ab ipſis rationabiliter factum eſſe dinoſcitur approbantes, diffinitivam ſententiam juſtitia exigente prolatam auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *uſque* incurſurum. Datum Laterani IV. Idus Decemb. pontificatus noſtri anno ſextodecimo.

ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

Epiſt. 153. De dioceſibus recuperatis à Chriſtianis. *Vide lib. 15. epiſt. 182. 183.*

CVm quædam dioceſes olim Eccleſiæ Toletanæ ſubjectæ, quas Chriſtianorum exigentibus culpis inimici nominis Chriſtiani tenuerunt diutiùs occupatas, nuper dextera Domini faciente virtutem, per ſtudium & prudentiam cariſſimi in Chriſto filij noſtri Adelphonſi illuſtris Regis Caſtellæ ſint extortæ de manibus impiorum, ne cura paſtoris deſit fidelibus poſitis in eiſdem, eas ſollicitudini tuæ duximus committendas; ut donec apoſtolica ſedes de illis aliter duxerit diſponendum, curam eis exhibeas paſtoralem. Ideoque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eas habeas taliter commendatas quòd divini nominis cultus in eis per tuam ſollicitudinem amplietur, ad reſtaurandum tamen in eis Epiſcopos impendas ſtudium & operam efficacem. Tu denique, frater Archiepiſcope &c. Datum Laterani XIII. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno decimoſexto.

NOBILI VIRO HERVEO Comiti, & Mathildi uxori ejus Comitissæ Nivernensi.

Epist. 154. Dispensat super cognatione. Vide lib. 15. epist. 83.

ASCitis aliis in partem sollicitudinis, summus pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis: qui cùm moderator sit canonum, Juri non facit injuriam si dispensat; præsertim cùm dispensatio sic juris vincula laxet in aliquo quòd in aliis non dissolvit, & sic beneficium gratiæ specialis inducat quòd vigorem constitutionis non perimit generalis. Sanè supplicastis nobis ut cùm per tredecim annos in conspectu Ecclesiæ cohabitaveritis vobis adinvicem, de cohabitatione hujusmodi sobole procreata, impedimentum ex eo quòd vos quarto gradu parentelæ vel remotiori contingitis amovere per dispensationis gratiam dignaremur, maximè ob reverentiam crucifixi, ad cujus vos obsequium devovistis, signo crucis assumpto in subsidium terræ sanctæ. Quia verò dignum est ut in ejus vicario cujus causam in isto negotio specialiter assumpsisse videmini favorem inveniatis gratiæ specialis, considerato etiam quòd super facto Virziliacensis Ecclesiæ circa procurationes mandatum apostolicum impleveristis, vobiscum in gradu prædicto & remotiori, si eo vos fortè contingitis, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio dispensamus. Nulli ergo &c. dispensationis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani XIII. Kal. Januarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide suprà epist. 22. & infrà epist. 159.

DECANO ET CAPITVLO Eboracensibus.

Epist. 155. De electione Episcopi.

CVm Ecclesiam vestram speciali diligamus in Domino caritate, utpote maximum Ecclesiæ Dei membrum, ipsius commodum & honorem sollicitè volumus procurare, cupientes ut eidem præficiatur annuente Domino talis pastor qui sibi non sit oneri sed honori, & qui magis prodesse desideret quàm præesse, plebem sibi subjectam ædificans verbo pariter & exemplo. Cùm igitur in cujuslibet electione pastoris cum multa sit discretione ac prudentia procedendum, & omni carnalitate, timore, ac amore mundano exclusis, timor Domini sanctus præ oculis sit habendus, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & sub divini judicij obtestatione præcipimus quatenus convenientibus vobis in unum in Capitulo ad tractandum de vestri electione pastoris, & spiritus sancti gratia invocata, electionem canonicam de persona idonea celebretis cum consilio venerabilis fratris nostri Episcopi Tusculani apostolicæ sedis Legati; districtiùs inhibentes ne per violentiam aliquam sive fraudem mandatum nostrum deludere quis præsumat. Datum Laterani x. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

IOHANNI CANONICO sancti Petri Leodiensis.

Epist. 156. Ei adjudicat præbendam.

DIligenter examinatis & perspicaciter intellectis meritis causæ quæ inter te ac G. Subdiaconum Leodiensis diocesis super præbenda ejusdem Ecclesiæ vertebatur, tibi exigente justitia præbendam adjudicantes eandem, super ea perpetuum silentium memorato Subdiacono duximus imponendum. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani IX. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimosexto.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Hospitalis Theutonicorum.

Epist. 157. Decimas illis donatas confirmat.

CVm à nobis petitur &c. *usque* concurrentes assensu, hospitale apud Frisacum & decimas omnium victualium quæ solent adduci in castrum Frisaci, quæ venerabilis frater noster Eberhardus Salzeburgensis Archiepiscopus, Præpositi & Capituli Salzeburgensis Ecclesiæ assensu legitimo accedente, ordini vestro intuitu obtulit pietatis, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, & in authentico scripto prædictorum Archiepiscopi & Capituli continetur, vobis & per vos ordini supradicto auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani V. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

LINGONENSI EPISCOPO, & Abbati Morimundensi Cisterciensis ordinis Lingonensis diocesis.

Epist. 158. De purgatione canonica Archiepiscopi Bisuntini. Cap. Accepimus. De purgatione canonica. Vide suprà epist. 63.

RECepimus litteras vestras, quibus nobis intimare curastis quòd apostolico susceptо mandato super indicenda purgatione venerabili fratri nostro Archiepiscopo Bisuntinensi, ad diem sibi præfixum comparuit coram vobis, juramentum purgationis offerens sub hac forma, videlicet quòd immunis erat ab illis criminibus super quibus se purgare debebat. Cùmque vos diceretis hanc non esse formam canonicam, & super hoc fuisset aliquandiu dis-

putatum, ipse tandem ad nos vocem appellationis emisit, cui de prudentum virorum consilio detulistis. Ipse verò ad præsentiam nostram accedens humiliter supplicavit ut saltem super purgatione incontinentiæ dignaremur temperare rigorem, quia non audebat asserere quòd à nativitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis. Porrò cùm ab eo non credatur exactum fuisse hujusmodi juramentum, potiùs fortè præsumitur quòd alia de causa volebat sub præscripta forma jurare, videlicet quòd immunis esset ab illis criminibus de quibus fuerat infamatus, tamquam dimissis per pœnitentiam jam esset immunis ab illis. Sed hoc jurare non parvæ temeritatis existeret, cùm beatus Iob dicat: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea.* Et Salomon: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato.* Vnde psalmista dicebat: *Delicta quis intelligit, ab occultis munda me Domine.* Apostolo attestante: *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum.* Ideoque præscriptam purgationis formam, secundùm quam idem Archiepiscopus coram vobis obtulit se purgare, penitùs reprobamus, utpote indiscretam & temerariam necnon incongruam & ineptam; injungentes eidem ut si potuerit & voluerit, sub hac forma se purget secundùm sanum intellectum quem ei duximus exprimendum, videlicet quòd illa crimina graviora, id est, simoniam, venditionem justitiæ, atque incontinentiam, de quibus infamatus existit, juret se minimè commisisse postquam ad archiepiscopalem promotus est dignitatem, & compurgatores sic jurent, quòd credunt eum verum juravisse. Quo facto, vos illum dimittatis in pace. Alioquin eum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo removere curetis à regimine pastorali, processuri secundùm formam in prioribus litteris nostris expressam. Quòd si fortè non ambo iis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum dilecto filio Priore Morimundensi ea nihilominus exequaris. Vos denique, frater Episcope, & fili Abbas &c. Datum Laterani IV. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI Virziliacensi.

Epist. 119. Approbat concordiam initã cum Comite Nivernensi.

CVm litigantium utilitatis interfit ne sopitæ judicio vel concordia quæstiones iterum suscitentur, si ea quæ provida sunt deliberatione firmata, auctoritatis nostræ robur exposcant, eis grato concurrentes assensu, favoris apostolici præsidium impertimur. Sanè postulastis à nobis ut concordiam quæ inter vos ex parte una & Comitem ac Comitissam Nivernenses ex altera super procurationibus, damnis, & injuriis intervenit, sicut per litteras vestras accepimus, quas de verbo ad verbum jussimus præsentibus annotari, dignaremur apostolico munimine roborare. Tenor autem litterarum talis existit. SANCTISSIMO Patri & Domino reverendo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, devoti & humiles filij frater Galterius dictus Abbas & conventus Virziliacensis, devota pedum oscula. Noverit sanctitas vestra quòd Dominus Herveus Comes & Mathildis Comitissa Nivernenses fecerunt nobis authenticum instrumentum, cujus tenor est talis. VNIVERSIS Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Herveus Comes & Mathildis Comitissa Nivernenses salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd cùm inter nos ex una parte & Abbatem & conventum monasterij Virziliacensis ex altera super quibusdam procurationibus annuis, damnis, & injuriis quæstio verteretur, tandem mandavimus Domino Papæ quòd per omnia volebamus in hac causa ipsius obtemperare mandatis. Ipse verò communicato fratrum suorum consilio scripsit in hunc modum. INNOCENTIVS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo & dilectis filiis Abbati sancti Victoris & Cancellario Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Cùm pro quæstione quæ inter nobilem virum Herveum Comitem Nivernensem ex parte una & dilectos filios Abbatem & conventum monasterij Virziliacensis diœcesis Eduensis ex altera super quibusdam procurationibus annuis, damnis, & injuriis vertebatur, ipsius nobilis & partis alterius procuratores ad nostram præsentiam accessissent, & in ea fuisset aliquandiu coram nobis prudenter & providè disputatum, tandem ex parte nobilis antedicti relatione suorum procuratorum accepimus quòd ipse volens per omnia complacere nostræ beneplacito voluntatis, paratus erat in hac causa nostris obtemperare mandatis. Nos autem communicato fratrum nostrorũ consilio hoc duximus injungendum, ut cùm ipse & successores sui Comites Nivernenses in festo paschali ad monasterium accesserint memoratum, nomine procurationis centum librarum usualis monetæ, quæ pro tempore

Vide supra epist. 12.

» curret, sint summa contenti, tantundem » in festo beatæ Mariæ Magdalenæ procura- » tionis nomine recepturi si ad monasterium » accesserint supradictum, ad protectionem » ejusdem monasterij, secundùm quod de ju- » re tenentur, dantes operam efficacem. Vt » ergo super hoc nulla possit in posterum via » patere calumniæ, mandavimus ut prædictus » nobilis & uxor ipsius per authenticum inst- » trumentum Abbati & conventui monasterij » ejusdem promittant se id firmiter serva- » turos, suos nihilominus successores ad hu- » jus rei observantiam obligantes, & ad ma- » jorem cautelam faciant hoc per carissi- » mum in Christo filium nostrum illustrem » Regem Francorum auctoritate regia con- » firmari. Ideoque discretioni vestræ per apo- » stolica scripta mandamus quatenus post- » quam nobilis memoratus & uxor sua litte- » ras secundùm formam concesserint supra- » dictam, eundem nobilem juxta formam » Ecclesiæ ab excommunicationis vinculo » absolvatis quo propter idem negotium no- » stra est auctoritate ligatus, injungentes » eidem sub debito præstiti juramenti ut ad » impetrandam super hoc confirmationem » regiam det operam bona fide. Abbatem » verò & conventum prædictos ab omni de- » crevimus impetitione cessare, omnemque » remittere quæstionem quæ ipsis adversùs » nobilem sæpedictum super damnis & inju- » riis competebat; decimis de Dornitiaco » duntaxat exceptis, super quibus eis satis- » fieri volumus & mandamus. Quòd si non » omnes &c. Datum Laterani 11. Idus Apri- » lis, pontificatus nostri anno sextodecimo.] » Nos autem, ut promisimus, volentes, si- » cut decuit, mandatum apostolicum adim- » plere, mediante venerabili Patre Rober- » to tituli sancti Stephani in Cœlio monte » Presbytero Cardinale apostolicæ sedis Le- » gato, solemni coram eo præstito corpora- » liter sacramento concessimus quòd pacem » præscriptam cum maxima deliberatione » à Domino Papa & Cardinalibus ordina- » tam observabimus bona fide, & litteris » præsentibus ad prædictæ pacis observatio- » nem successores & heredes nostros in per- » petuum obligamus, volentes modis omni- » bus & liberaliter concedentes ut supra- » scriptæ pacis forma à nobis & successori- » bus & heredibus nostris in æternum firmi- » ter & inviolabiliter penitùs observetur. Vt » igitur quæ prædicta sunt majori gaudeant » firmitate, ista omnia.. filia nostra lauda- » vit, & nos ea præsenti scripto & sigillorum » nostrorum appositione roboravimus. Ac- » tum apud Leigniacum castrum anno gra- tiæ millesimo CCXIII. mense Octobri.] » Inde est quòd sanctitatem vestram quò hu- » miliùs possumus exoramus quatenus pa- » cem istam per vos & à vobis factam ita dig- » nemini confirmare quòd firma & stabilis » permaneat in æternum.] Nos igitur preci- bus vestris favorem benivolum impenden- tes, id auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communi- mus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani IV. Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimo- sexto.

CAPITVLO TERVISINO.

Epist. 160. De negotio Episcopi Teruis. sini. Vide supra epist. 19.

LIcèt dilectus filius magister Maximus Notarius noster & collegæ ipsius, per quos inquisitionem quam venerabilis frater noster Cremonensis Episcopus, tunc apostolicæ sedis Legatus, fecerat contra venerabilem fratrem nostrum Episcopum Teruisinum, ac etiam illam quæ primò contra eundem facta extitetat auctoritate bonæ memoriæ Albanensis electi apostoli- cæ sedis Legati, examinari mandavimus, ejusdem Cremonensis processum exigente justitia irritarint, & nos postmodum quod super hoc factum extitit ab eisdem duxe- rimus approbandum, quia tamen eundem Episcopum propter alienationes quasdam & debita quibus suam dicebatur Ecclesiam oneravisse habuimus de dilapidatione suspec- tum, super hoc venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Gradensi & Episcopo Castellano direximus scripta nostra. Qui juxta formam sibi traditam procedentes, veritatem super iis & aliis per Teruisinos Canonicos juramento præstito sollicitè in- quisitam sub suis nobis destinavere sigillis, certo termino ipsi Episcopo assignato quo personaliter vel per procuratorem ido- neum nostro se conspectui præsentaret. Ipso igitur in nostra præsentia constituto, & inquisitione facta per Patriarcham & Episcopum antedictos pleniùs intellecta, nobis manifestè innotuit per eandem vetus debitum quo tenetur Ecclesia Teruisina tredecim millium librarum summam attin- gere, computatis usuris, ac præfatum E- piscopum debito ipso in quinque librarum millibus ampliato, molendinum quoddam Ecclesiæ ipsi perutile octingentarum libra- rum pretio vendidisse, ac sustinuisse vas- sallos suos circa duorum millium librarum valentiam alienare de feudis quæ ab Ec- clesia tenebant eadem, data ipsi Episcopo juxta Teruisinæ civitatis statutum pretij sexta parte; quamquam & à subditis suis

quædam

quædam receperit pro collecta, & episcopij redditus circa duo millia librarum valeant annuatim. Civibus etiam Teruisinis teloneum ipsi Ecclesiæ auferentibus se nequaquam opposuit, ut debebat, quin immo illud duobus millibus librarum æstimari obtinuit ab eisdem: quamquam de ipsa pecunia nihil receperit, nisi quòd commune septingentas libras, quas extorquere nitebatur ab ipso, sibi recompensavit ex illis. Ad hæc, post confirmationem suam nobili viro Guercio duo millia librarum, Ecclesiæ suæ onere non considerato, donavit, quietem propriam ipsius Ecclesiæ dispendio satagens procurare. Etsi ergo eundem Episcopum ab administratione possemus meritò removisse, utpote qui de dilapidatione non suspectus solummodo, verùm etiam proculdubio culpabilis est inventus; quia tamen vexationes quas à dicto Guercio pertulisse dinoscitur aliquatenus extenuant culpam ejus, & quia etiam à vobis testimonium sibi laudabile perhibetur, eum, rigore juris mansuetudine temperato, adhuc in administratione ipsa duximus tolerandum, volentes cum evangelico illo agricola experiri utrum arbor hujusmodi fructum missis circa eam stercoribus sit factura; ut dimittamus eandem, siquidem fructum fecerit expectatum, alioquin ipsam, ne terram inutiliter occupet, succidamus. Ne autem Ecclesia sæpedicta sub voragine pereat usurarum, ipsius necessitate ac utilitate pensatis, licentiam dedimus Episcopo memorato ut cum consilio dilectorum filiorum Iordani Prioris sancti Benedicti & Iacobi Archidiaconi Paduani & assensu vestro, tantum de possessionibus ejusdem Ecclesiæ remotioribus ac minùs utilibus alienet quòd decem millia librarum veteris debiti de pretio solvi valeant earundem, omnem aliam alienationis speciem penitùs interdicentes eidem; ita ut ipso jure contractus alienationis sit irritus, si quem fortè alium à prædicto de bonis Ecclesiæ sæpedictæ præsumpserit attentare. Ipse verò sic suas moderetur expensas quòd mille libras proprij debiti de proventibus solvat episcopalibus annuatim quousque totum fuerit persolutum, ac usuras trium millium librarum, quæ remanent de antiquo, interim excrescere non permittat; proviso sollicitè ut dictarum possessionum pretium in solutinè debiti prænotati sine diminutione qualibet convertatur. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, quem ad vos cum favore gratiæ nostræ remittimus, in his & aliis quæ ad ejus spectant officium fideliter assistatis, impendentes ei consilium & auxilium opportunum. Datum Laterani v. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno decimosexto.

In eundem modum scriptum est Iordano Priori sancti Benedicti & Iacobo Archidiacono Paduano usque & quia etiam à Capitulo suo testimonium sibi laudabile &c. *usque* ut cum consilio vestro & assensu Capituli sui tantum de possessionibus &c. *usque* convertatur. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædicta faciatis ab ipso Episcopo firmiter observari, alioquin eundem ab administratione curetis sublato appellationis obstaculo removere. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI & universis Episcopis in Vngaria constitutis.

Epist. 161. Adversùs eos qui manus injiciunt in Clericos.

IN illis non modicùm superabundat iniquitas qui præsumunt Christos Domini tangere, in Prælatis Ecclesiæ malignantes. Sanè intelleximus quosdam Vngaros in tantum prorupisse furorem quòd inter alia quæ commiserunt enormia, in venerabilem fratrem nostrum Colocensem Archiepiscopum manus præsumpserunt inicere temerè violentas, & audacter desævientes in gregem, qui non timuerant in pastorem, ipsius Archiepiscopi clericos necnon & monachos verberibus, damnis, & aliis injuriis afflixerunt. Volentes igitur eosdem sacrilegos in præsenti confundi, si fortè resipiscant, ne pereant in futuro, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, ipsos singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per vestras dioceses excommunicatos denuntiari publicè faciatis & tamdiu ab omnibus arctiùs evitari &c. *usque* absolvendi. Vos denique, fratres Archiepiscope ac Episcopi &c. Datum Laterani VII. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno decimosexto.

In eundem modum scriptum est nobilibus viris universis Ducibus Poloniæ usque & aliis injuriis afflixerunt. Quia verò dignum est ut suffragiis & solatio careant devotorum qui se adversùs Dei ministros in tantæ indevotionis malitiam erexerunt, nobilitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes quatenus si quos de memoratis sacrilegis ad vos confugere fortè contigerit, eos in vestræ salutis dispendium nullatenus admittatis; ne illicito favore, quod absit, eorum videamini communicare peccatis. Datum ut suprà.

ALBANENSI EPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 161. Scribitur pro monasterio de Chortato. *Vide lib.* 15. *epist.* 70. * *In Cod. Colb.* Cotharto

EX relatione dilectorum filiorum Abbatis & monachorum monasterij sanctæ Mariæ de * Chortato Thessalonicensis dioceſis nos noveritis accepisse quòd cùm ipsorum monasterium, sicut & alia multa, juxta morem patriæ à jurisdictione quorumlibet ecclesiasticorum Prælatorum exemptum fuerit ab antiquo & soli Constantinopolitano Imperatori subjectum, tanta quondam bonorum omnium affluentia redundabat quòd idem magna temporalium ubertate refertum, & jucunda spiritualium venustate præclarum, ducentorum monachorum collegium sustentabat. Sed olim claræ memoriæ [Willelmo] Marchione Montisferrati partium illarum, sicut Domino placuit, dominium obtinente, ipsisque à facie hominum fugientibus in solitudinem præ timore, P. Abbas Lucetij Cistercienſis ordinis ab eodem Marchione dari sibi dictum monasterium interim impetravit, & ipsius Ecclesiæ præsumens infringere libertates, G. monachum suum instituit in eodem: qui tamquam lupus rapax & prædo crudelis, ablatis thesauro & omnibus aliis Ecclesiæ ipsius ornamentis, venditisque victualibus & ceteris bonis quibus ipsa Ecclesia copiosissimè affluebat, exinde furtivè recessit; nec, quæsitus à Marchione, ut pœnas solveret de commissis, potuit inveniri. Verùm quia peccatis exigentibus in iis omnibus aversus furor Domini nondum erat, sed ad percutiendum extenta fortiùs manus ejus, pessimus succeſſit iniquo. Nam R. monachus de Lucetiis tunc temporis superveniens, & nequiter se humilians, cùm interiora ejus existerent plena dolo, ac se in lucis angelum transfigurans, ab eodem Marchione obtinuit monasterij custodiam antedicti; cujus iniquitas postmodum tanta fuit ut prioris prædonis non videretur frater vel discipulus, sed magister. Nempe cellis dirutis, & domibus desolatis, ac eradicato quodam funditus oliveto, quod repræsentabat quodammodo terrestris delicias paradisi, tamquam mercator improbus ligna vendebat clibanis impudenter. Nec sic tamen potuit ejus inexpleta cupiditas satiari quin omnibus animalibus venditis & iniquè distractis ita consumpserit omnia bona domus quòd novissimi exactoris crudelitas priore peior extitit in universum: quia lupi rapacitas præcedentis, subsequentis respectu somnium potuit reputari. Cùmque ad aures Marchionis hæc omnia pervenissent, idem considerans se fore à dictis monachis circumventum, & dolens per se factam ruinam miserabilem tantæ domus, exinde dictum monachum expelli præcepit, & supradicto Abbate ac monachis convocatis, præfatum ipsis monasterium disposuit resignare perpetuò possidendum. Sed eodem morte prævento, carissimus in Christo filius noster Henricus Imperator Constantinopolitanus illustris, cui præmissa constabant, ipsos restituit in eodem, confirmans postmodum factum suum privilegio aurea bulla munito. Porrò cùm ipsi nihil inveniſſent ibidem unde possent unius diei esuriem saturare, ac propter hoc ad eleemosynarum suffragia convolantes, multa ibidem denuo congregassent, pestis alia supervenit, quorundam videlicet monachorum de Lucetiis; qui se spoliatos dicto monasterio asserentes, auctoritate litterarum nostrarum se in ipso restitui & exinde monachos Græcos expelli fecerunt; quibus ob reverentiam apostolici mandati non fuit ausus contradicere Imperator. Cùm igitur tantæ calamitatis immensitas non solùm ad compatiendum corda movere, sed auribus horrorem incutere debeat ex auditu, nobis humiliter supplicarunt ut tantis ipsorum miseriis atque malis finem imponere dignaremur, sub nostra protectione suscipientes eosdem, & à dicto monasterio ejectis malignis invasoribus memoratis, ipsos in eodem restitui faceremus & pacifica possessione gaudere. Quia verò nobis non constitit de præmissis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius & cognita veritate, auctoritate nostra super iis statuas & disponas quæ secundùm Deum videris expedire; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani 11. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ET CAPITVLO Massilienſibus.

Epist. 165. Vt præbendam assignent Raimundo scriptori.

QVantum sit inobedientiæ culpa gravis & obedientiæ virtus magna protoplasti transgressoris pœna demonstrat, quam adhuc solvit tota sua posteritas & deplorat, & secundi Adæ obedientia humilis & devota, quam usque ad mortem patri exhibuit, protestatur: propter quam Deus pater super omnes ipsum exaltans, non solùm dedit ei nomen quod est super omne

nomen, & omnem sibi principatum & potestatem subjecit, verùm etiam sibi concessit ut genus humanum perpetua morte damnatum sua morte redimeret & ad gaudia æterna transferret. Cùm igitur contra inobedientiæ gradus, qui præcipitant in infernum, per Christum scala sit obedientiæ præparata, per quam conscendere valeamus in cœlum, de vobis non sufficimus admirari quòd vos viam regiam declinantes, ambulare per devia in contemptum nostrum & animarum vestrarum salutis dispendium contumaciter elegistis. Nam cùm vobis pro dilecto filio magistro Raimundo scriptore ac familiari nostro, cujus fidelitatem & prudentiam laudabilem & devotam diutiùs sumus experti, jam quartùm direxerimus scripta nostra, ut eidem, quem dudum ad mandatum nostrum nullo sibi beneficio assignato in fratrem & Canonicum recepistis, curaretis, sicut uni ex vobis, tam in domibus quàm in aliis providere, ac postmodum quibusdam ex vestris in nostra præsentia constitutis hoc idem injunxerimus viva voce, vos, quod grave gerimus & indignum, tamquam inobedientiæ filij, pingui cervice ac armato collo jugum præcepti nostri excutientes à vestris humeris impudenter, id hactenus efficere non curastis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus juxta præscriptam formam ipsi magistro non differatis ulteriùs providere. Alioquin tantarum transgressionum non effugietis debitam ultionem; scientes nos dilecto filio Petro tituli sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato per apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse ut si vos mandatum nostrum neglexeritis adimplere, ipse de bonis Ecclesiæ vestræ secundùm formam eandem competentem sibi provisionem nostra suffultus auctoritate assignare procuret; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Laterani XIII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

NICOLAO TVSCVLANO Episcopo apostolicæ sedis Legato.

Epist. 164. De relaxando interdicto Angliæ.

CVpientes secundùm officij nostri debitum tam regno quàm sacerdotio in Anglia providere, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus cùm carissimus in Christo filius noster Iohannes illustris Rex Angliæ persolverit in manibus tuis & venerabilium fratrum nostrorum Cantuariensis Archiepiscopi S. R. E. Cardinalis ac Episcopi Elien sis necnon dilecti filij Pandulphi Subdiaconi nostri centum millia marcharum argenti ad opus eorum quibus facienda est restitutio ablatorum, computatis iis quæ ipse jam tradidit præfato Archiepiscopo & Episcopis aut aliis hoc negotium contingentibus de ipsorum conscientia vel mandato, ita quòd si facta inquisitione constiterit plus ablatum, suppleatur ab ipso, si verò minus, refundatur eidem, tu receptis ejus patentibus litteris suo sigillo munitis, quibus se profiteatur ad hoc etiam inter alia ex præstito pridem nobis juramento teneri quòd tam super restituendis ablatis quàm super recompensandis damnis mandatis nostris absque refragatione parebit, relaxes protinus sententiam interdicti, & super utrisque inquisitionem fieri facias diligentem, quam nobis mittere non postponas, prætaxatam verò pecuniam distribui facias secundùm proportionem ablatorum inter eos quibus est restitutio facienda. Cùm igitur hoc mandatum de certa scientia faciamus, volumus & jubemus ut illud sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequaris, nisi jam aliter sit de communi voluntate provisum vel adhuc convenerit providendum pro relaxando celeriter interdicto: quia tali ac tanta cautione præmissa servari non decet ob hujusmodi causam diutiùs circa populum sententiam interdicti, quam circa Regem absque mandato nostro idem Archiepiscopus relaxavit, celebrando illi divina, ut alia taceamus in quibus ipse fines nostri mandati asseritur excessisse; per quæ tamen ecclesiasticæ libertati nolumus impedimentum afferri, pro qua est summopere insistendum. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO WRATISLAVIENSI.

Epist. 165. Vicaria perpetua est beneficium. *Cap.* Postulasti. *De rescriptis.*

POstulasti per sedem apostolicam edoceri utrum alicujus Ecclesiæ perpetuo vicario de proventibus vicariæ bonisque paternis habenti unde valeat commodè sustentari tenearis per illam communem formam, * *Cùm secundum Apostolum*, in ecclesiastico beneficio providere. Ad quod sic duximus respondendum, quòd cùm per formam prædictam necessitatibus pauperum clericorum qui nullum sunt ecclesiasticum beneficium assecuti, sicut ibidem exprimi consuevit, sedes apostolica duxerit

* Lib. 1. epist. 76.

succurrendum, perpetuus vicarius, nisi de vicaria fecerit mentionem, commodum reportare non debet de hujusmodi litteris, utpote veritate tacita impetratis. Non enim carere beneficio ecclesiastico dici debet cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum; & pro habente beneficij sufficientis subsidium ex certa scientia super obtinendo alio beneficio de levi non scribimus, quin faciamus de primo in nostris litteris mentionem. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EIDEM.

Epist. 166. Sectio præbendarũ quomodo intelligatur vetita. *Cap.* Vacante. *De prabendis.*

VAcante quadam in Ecclesia tua præbenda, duas ex ea constituens, ad illas de assensu Capituli tui duos Canonicos assumpsisti; quorum altero apud sedem apostolicam viam universæ carnis ingresso, præbendam quam defunctus habuerat, quidam clericus Hippolytus nomine fuit auctoritate sedis apostolicæ assecutus. Verùm cùm idem Hippolytus te super integratione præbendæ per quasdam nostras litteras inquietet, & alius idem jus adversùs te se habere proponat, quid facere debeas postulasti per sedem apostolicam edoceri. Super quo fraternitati tuæ sic duximus respondendum, quòd cùm Turonensis statuta Concilij sectionem inhibeant præbendarum, teneris utique de his quæ vacare contigerit integrare præbendam; nisi fortè rationabili causa de vacante præbenda prædictæ duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusque proventus quòd per utramque sit utrique provisum in beneficio competenti. Tu denique frater Episcope super te &c. Datum ut suprà.

EBREDVNENSI, ARELATENSI, Aquensi, & Narbonensi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis, & Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, & Narbonensi provinciis constitutis.

Epist. 167. Eis commendat Legatum.

EQuo rufo, de quo loquitur in Apocalypsi Iohannes, jamdudum in Provincia & convicinis partibus exeunte, qui super eum sedebat discordiæ seminator pacem sumpsit de terra, prout sibi datum fuerat exigentibus meritis habitantium in eadem, ut se ad invicem interficerent, & terra penitùs vastaretur, & non solùm privata bona essent in direptionem & prædam, verùm etiam ad sacra extenderent manus suas, ac Ecclesiæ, quæ domus orationis esse debebant & refugium miserorum, incastellarentur in castra, & fierent Sathanæ satellitibus munimentum. Huic autem pesti se niger equus adjunxit, videlicet hæreticorum perversitas; qui quamvis multi sint numero, sunt tamen diabolo unus equus: quoniam etsi Samsonis vulpeculæ significantes eosdem facies gerant diversas, caudas tamen habent ad invicem, quoniam in idipsum perversitatis conveniunt, colligatas; ut qui super eum sedebat hostis antiquus, bilibrem tritici læderet, eos scilicet qui alios verbo & exemplo reficiunt, ac tres bilibres hordei minores fidem sanctæ Trinitatis habentes, & etiam vinum & oleum, mansuetos pariter & austeros, quos omnes Christus uno denario, proprio videlicet sanguine, compararat. Verùm cùm se nullus pro domo Domini opposuisset eidem, facta est fames in terra, & parvuli petierunt panem; sed qui eis frangeret, nullus erat, pastoribus in mercenarios commutatis. Luxit & defluxit & infirmata est terra pariter & infecta, depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum; confusum est vinum, elanguit oleum, & agricolæ sunt confusi. Invaserunt enim gregem Domini lupi rapaces in vestimentis ovium venientes; & pastores, pascentes se ipsos, illos nec canum latratu nec baculo ab ovili dominico effugarunt; sed tamquam mercenarij, lupis dispergentibus oves, sunt in fugam conversi, qui debuerant accingi gladio super femur in ultionem illorum qui vitulum conflaverant adorandum. Nos igitur, quibus omnium sollicitudo imminet generalis, attendentes eos quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit, super gregem suum noctis vigilias non servare, sed dormitare potiùs ac dormire, utrique pesti volentes occurrere, ad partes illas pacis & fidei angelos curavimus destinare; ut alteros per exhortationis studium reducerent ad concordiam, & alteros per sanam doctrinam revocarent ad fidem, ac lædi triticum, hordeum, vinum, & oleum prohiberent. Sed quoniam in verbo Domini pugnando cum bestiis proficere non valebant, super montem caliginosum signum fecimus elevari, contra eos sanctificatis Domini & fortibus evocatis: qui fines ejus ingressi conculcaverunt superbiam Chaldæorum, hæreticis ex maxima parte destructis, & ab illis partibus effugatis, virisque catholicis in locum succedentibus eorundem. Pacis quoque fœdera inter eos qui

ad invicem diffidebant, pacis evangelistæ prædicti, eo qui est pax nostra præstante auxilium, reformarunt; ut non æmularetur Ephraïm Iudam, & Iudas Ephraïm minimè impugnaret. Verùm quia ille qui paci hominum invidet & saluti, novas illic dissensionis materias seminavit, ne superexcrescente zizania triticum suffocetur cum labore tanto & studio seminatum, dilectum filium nostrum Petrum tituli sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, virum utique litteratum, providum, & honestum, quem inter ceteros fratres nostros specialis caritatis brachiis amplexamur, ad partes illas à latere nostro destinamus, qui auctoritate ac vice nostra pacis fœdera jampridem inita corroboret & confirmet, & ut vir potens in opere & sermone, novellam plantationem irrigans in fide foveat & consolidet orthodoxa, & generaliter destruat & evellat, ædificet atque plantet quæ destruenda & evellenda, necnon ædificanda viderit & plantanda, corrigendo & reformando quod correctionis & reformationis officio cognoverit indigere. Quocirca universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram, immo nos in ipso, recipientes benignè, ac honorificè pertractantes, ea quæ statuenda duxerit vel etiam corrigenda recipiatis humiliter & inviolabiliter observetis. Alioqui sententiam quam rationabiliter tulerit in rebelles ratam habebimus & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani XVI. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

SANCTI ATHANASII ceterisque Abbatibus & monachis montis sancti.

Epist. 163. Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

RElatione illustrium & magnorum virorum nostro est apostolatui declaratum quòd ille qui est mons domus Domini præparatus in vertice montium, ut ad eum confluant omnes gentes, sanctus videlicet sanctorum, qui Ecclesiæ fundamenta in sanctis montibus collocavit, montem vestrum super mare situm ad inhabitandum suis fidelibus præelegit; qui effectum sui nominis & numinis in se habens, licèt aridus sit & asper ac temporalis fertilitatis gratia destitutus, est tamen inter alios mundi montes maxima spiritualium ubertate mirabiliter fœcundatus. Nam cùm trecentis monasteriis & glorioſa religiosorum virorum multitudine arctam & pauperem vitam ducentium decoretur, tanta usque modò refloruit excellentia honestatis, tanta religionis eximiæ claritate refulsit, ut de ipso cum Iacob rectè possit quis dicere admirando: *Verè sanctus est iste locus*; quia hic est domus Dei, & quædam quodammodo porta cœli, ubi multitudo cœlestis exercitus, tamquam castrorum acies ordinata, & parata suscitare Leviatan, victoriosè pugnat jugiter cum dracone, psallens Domino sapienter. Propter quod cùm jam dudum fama vestri nominis, quæ fuerat effusa sicut oleum circumquaque, multos populos ad se traxerit in odorem unguentorum vestrorum, ipsos currere faciens à remotis, Ecclesiarum Prælati & Imperatores Constantinopolitani plurèsque Principes seculares per privilegia sua multa olim tantæ libertatis præeminentia vos dotarunt ut post Deum, cui vos volebant liberè famulari, nullius unquam essetis jurisdictioni subjecti. Ceterùm peccatis exigentibus nunc ex parte has infregit mundana potentia libertates per quendam Dei & Ecclesiæ inimicum, qui latrunculis congregatis in quodam castro quod idem in monte vestro construxerat per auxilium brachij secularis, non solùm Ecclesias vestras tamquam prædo sacrilegus & crudelis, auro, argento, & ornamentis omnibus spoliavit, verùm etiam ut pecuniam exhauriret, quam vos credebat ille perditionis filius congregasse, tamquam insanus carnifex atque tortor peremit crudeliter quosdam vestrum multiplici genere tormentorum; sed tandem sua prava intentione frustratus, quam in camino cupiditatis ignis avaritiæ succendebat, exinde justitia exigente per Imperatoris potentiam est dejectus. Vnde ne cujusquam præsumptoris audacia volentis jurisdictionem aliquam super vos sibi temerè usurpare vestra pax & tranquillitas de cætero perturbetur, nobis humiliter supplicastis ut vestris vobis libertatibus confirmatis, sub beati Petri ac nostra protectione vos suscipere dignaremur. Volentes igitur paci & quieti vestræ paterna sollicitudine providere, vestris justis postulationibus inclinati, personas & locum in quo divino estis obsequio mancipati, possessiones etiam & omnia bona vestra quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, vel in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Libertates autem & immunitates rationabiles & antiquas ac etiam approbatas,

prout in vestris privilegiis dicitur contineri, vobis & per vos monasteriis vestris auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani XVI. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITVLO sanctæ Mariæ in Vineis, Ianuensibus.

Epist. 169. Eis conservat jura parrochialia. *Vide supra epist. 86.*

OLim ad instantiam S. de Camilla civis Ianuensis asserentis quòd ad Ecclesiam vestram, cujus parrochianus existit, sine periculo vitæ accedere non valebat, venerabili fratri nostro Ianuensi Archiepiscopo dedimus in mandatis ut si dictus civis tantum annui redditus juxta bonorum virorum æstimationem assignare vellet Ecclesiæ memoratæ quantum à domo sua Ecclesia ipsa percipere consueverat annuatim, daret eidem licentiam oratorium in fundo proprio construendi sine juris præjudicio alieni. Cùm igitur inter eundem S. ac vos proponentes quòd hujusmodi litteræ per veri suppressionem & expressionem mendacij fuerant impetratæ coram dicto Archiepiscopo fuisset diutiùs disputatum, ac idem rei seriem per suas nobis litteras intimasset, nos iis quæ Vv. concanonicus vester & Vv. Presbyter procuratores partium in nostra proposuere præsentia pleniùs intellectis, præfatam Ecclesiam vestram ab ipsius civis impetitione super hoc duximus absolvendam. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis &c, Si quis autem &c. Datum Laterani XVII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PETRO SANCTÆ MARIÆ in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato.

Epist. 170. De vicecomitatu Nemausensi.

CVm dilectus filius nobilis vir Simon Comes Montisfortis vicecomitatum Nemausensem, qui nomine nostro tenetur, ad vicecomitatum Biterrensem asserat pertinere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiras super hoc pleniùs veritatem, & quod inveneris, cures nobis fideliter intimare. Datum Laterani XIII. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EIDEM.

Epist. 171. De absolutione quorundã nobilium. *Vide hist. Albig. cap. 77.*

ETsi nobilium virorum Comitis Convenarium & Gastonis excessus graves sint plurimùm & enormes, quia tamen humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sufficienti ab eis, juxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies ecclesiasticæ unitati, & disponas de illis secundùm Deum prout de prudentum virorum consilio videris disponendum. Datum Laterani XI. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eundem modum scriptum est nobili viro Simoni Comiti Montisfortis ut suprà uno folio.* Equo rufo &c. *usque* orthodoxa, & natum inclytæ recordationis Petri Regis Aragonum, quem tu detines, restitui faciat regno suo, ut de ipsius custodia provideat & disponat. Quocirca nobilitatem tuam rogando monemus & exhortamur attentiùs per apostolica scripta mandantes quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram, immo nos in ipso, honorificè ac benignè recipias & pertractes, & ejus monitis ac præceptis intendas humiliter & devotè. Et quoniam amodò indecens esset ut quacunque occasione natum retineres Regis prædicti, eundem in manibus Legati memorati resignes, ut de ipso provideat sicut viderit expedire. Alioquin super hoc idem Legatus procedet prout in mandatis à nobis viva voce recepit. Datum Laterani X. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vt libertati restituat filium Regis Aragon. * *id est, supra epist. 167.*

PETRO SANCTÆ MARIÆ in Aquiro Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato.

Epist. 172. De absolutione Tolosanorum. *Vide Guillelm. de Podio. Laur. cap. 24.*

ETsi Tolosanorum excessus gravis sit & enormis, quia tamen sæpe & nuper per dilectos filios P. Guitardum & B. Gilaberti nuntios suos pulsarunt ad januam, & humiliter pulsantibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sufficienti ab eis, juxta quod videris expedire, cautione recepta, ipsos reconcilies ecclesiasticæ unitati, & sic civitas ipsa reconciliata sub apostolicæ sedis protectione consistat, non molestanda de cetero à Comite Montisfortis vel aliis fide catholicis, dum in fide catholica & ecclesiastica pace duxerint perstistendum. Quòd si fortè satisfacere noluerint, & in errore suo duxerint perstistendum, nos per indulgentias innovatas crucesignatos & fideles alios præcipimus excitari ut ad extirpandam pestem hujusmodi divino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos quàm quoslibet alios receptatores aut defensores eorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nocivi, proce-

dant in nomine Domini Sabaoth. Datum Laterani VIII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

NICOLAO TVSCVLANO Episcopo apostolicæ sedis Legato, & P. Subdiacono & familiari nostro.

Epist. 173. De denario B. Petri in Anglia.

CVm, sicut vestra discretio plenè novit, singulæ domus totius Angliæ singulos denarios pro censu beati Petri annuatim nobis solvere teneantur, Prælati Angliæ, qui eum nostro nomine collegerunt, rem invito domino contrectantes, majorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cùm nonnisi trecentas marcas nobis persolverint, & sibi mille vel ampliùs usurparint. Vt igitur jus Ecclesiæ Romanæ servetur illæsum, discretioni vestræ præsentium auctoritate districtè præcipiendo mandamus quatenus priùs recipientes ab eis denarium ipsum, prout hactenus exsolverunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, firmiter postmodum ex parte nostra injungatis eisdem ut residuum cum integritate persolvant. Non enim videmus quo jure valeant se tueri, cùm nec concessionem possint ostendere à sede apostolica sibi factam, nec centenariam contra Romanam Ecclesiam præscriptionem probare, maximè si tempora * schismatum subducantur. Si tamen de jure voluerint experiri, præfigatis eis terminum competentem quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent, quicquid juris super iis habuerint ostensuri; protestatione præmissa, quòd si judicio duxerint contendendum, nos quicquid hactenus est subtractum, in ipso judicio repetemus. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* Vide lib. 12. epist. 92.

TVSCVLANO EPISCOPO apostolicæ sedis Legato, & Norvuicensi & Wintoniensi Episcopis.

Epist. 174. Scribitur pro Richardo de Marisco. *Fuit is postea Episcopus Dunelmensis ann. 1219. ut docet Matthæus Paris.*

CVm quidam Pontifices & Ecclesiarum Prælati de Anglia, qui à dilecto filio Richardo de Marisco jamdudum regiis obsequiis insudante in multis existimant se offensos, in quibus fortè culpabilis non existit, moliantur eidem, sicut accepimus, gravamina irrogare, nos ipsi volentes super hoc paterna sollicitudine providere, fraternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus quoslibet molestatores ipsius ab ejus indebita molestatione per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non omnes iis &c. Vos denique fratres Episcopi &c. Datum Laterani v. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

TVSCVLANO EPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 175. Super eodem.

LIcèt olim duxerimus providendum ut clerici Angliæ, qui pro discordia inter sacerdotium & regnum exorta excommunicationis fuerunt vinculo innodati, cum litteris venerabilis fratris nostri Stephani Cantuariensis Archiepiscopi S. R. E. Cardinalis rei veritatem plenariè continentibus ad apostolicam sedem accederent absolutionis beneficium petituri, & dilectus filius Richardus de Marisco Clericus Regis sine hujusmodi litteris ad nostram venisse præsentiam dinoscatur, quia tamen non creditur id ex contemptu fecisse, sed ejusdem Regis potiùs urgente mandato, qui ad nos cum festinantia destinabat eundem, nolumus ut ea occasione ab aliquo molestetur; maximè cùm ratiociniis & aliis regiis negotiis impeditus, facilè non valeat super hoc denuo ad sedem apostolicam laborare. propter quod nos sibi de speciali gratia super præmissis fecimus beneficium absolutionis impendi. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si eundem propter hoc ab aliquibus contigerit molestari, tu eos ab ipsius molestatione, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani ut suprà.

RICHARDO DE MARISCO Archidiacono Norumbriæ.

Epist. 176. Recipitur sub protectione B. Petri.

SAcrosancta Romana Ecclesia &c. *usque* concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione susçipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, ut donec te dignum reddideris, apostolica valeas protectione gaudere. Nulliergo &c. nostræ protectionis &c. Si quis &c. Datum Laterani II Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PATRIARCHÆ ET CAPITVLO Antiochenis.

Epist. 177. De præbenda quadam Antiochena.

COnstitutus in nostra præsentia dilectus filius I. Diaconus nobis humiliter supplicavit quòd cùm in Antiochena Ecclesia per novem annos & ampliùs in regimine scholarum & divinis officiis fideliter servierit & devotè, diaconatus ordinem susciens in eadem, ipsum in Canonicum ejusdem Ecclesiæ recipi faceremus. Quia verò ei non solùm venerabiles fratres nostri Patriarcha Hierosolymitanus & Tripolitanus & Antaradensis Episcopi per litteras suas, verùm etiam tu, frater Patriarcha, per tuas laudabile testimonium perhibes, asserens quòd nisi propositum assumpsisset redeundi ad propria, cùm tibi, frater Patriarcha, & vobis, filij Capitulum, servitium ejus gratum esset non modicùm & acceptum, posset apud vos de facili beneficium adipisci, cùm dignum sit ut ubi laborasse dinoscitur, ibi pro labore stipendium consequatur, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, necnon ejusdem prudentiam, ipsum recipiatis in Canonicum & in fratrem, ei stallum in choro & locum in Capitulo assignantes. Alioquin venerabili fratri nostro Sidonienſi Episcopo & dilectis filiis Priori sancti Michaëlis & Cantori Tripolitano damus nostris litteris in mandatis ut vos ad id, nisi aliquid canonicum obviet, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Tu denique, frater Patriarcha, super te ipso &c. Datum Laterani IV. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Illis scriptum est super hoc.

GRIMALDO ET SOCIIS suis crucesignatis.

Epist. 178. Vt votum suũ exequantur.

CVm in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriari oporteat Christianos, eis non deerit doloris materia dum lignum salutiferæ crucis, in quo salus mundi pependit & æternæ mortis chirographum vita moriendo delevit, sub manu tenetur hostili, sepulchro dominici corporis glorioso utcunque facto inglorio & ab impiis prophanato. Venerunt siquidem gentes in hereditatem dominicam, & loca sancta proles polluit Chananæa. Sed cùm in Christo simus heredes, satis in publico nostrum, si volumus, videmus opprobrium, eò quòd hereditas nostra versa est ad alienos, & domus nostræ ad extraneos devenerunt; & sic nobis injuriarum actiones abundant, cùm & dominicas persequi teneamur & nostras omittere minimè debeamus; ne in illo minùs devoti & in nobis desides reputemur, si super hoc non exsolverimus Domino debitum, & interesse neglexerimus nostræ fidei speciale; præsertim cùm etsi utriusque merita se contingant, utraque tamen felices & suos habet effectus, eò quòd in hujusmodi casu causa Dei temporalis honoris commodum non excludit, & nostra æternæ gloriæ præmio non privatur. Vnde ferventer & providè currendum est in hujusmodi stadio, ut tale possit bravium comprehendi; feliciter & constanter est in hoc agone pugnandum, ut tanti præmij corona sequatur. Quapropter gaudere potestis in Domino vobis esse divinitus, sicut credimus, inspiratum ut vos ad tanti Regis devoveritis obsequium, signo crucis assumpto in subsidium terræ sanctæ, ibi peregrinaturi pro Domino ubi Rex Regum & Dominus dominantium dignatus est peregrinari pro servis, ut eos supernæ patriæ cives & æternæ beatitudinis faceret coheredes. Eia igitur, viri prudentes, jactate in Domino cogitatum, & ipse diriget gressus vestros, non in viribus vestris sive prudentia, sed in illius potentia & misericordia confidentes qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, gloriosus in sanctis suis, & in majestate mirabilis, cujus verbo cœli firmati sunt, & cùm imperat mari & ventis, cessat tempestas. Nec est vobis de adversæ partis multitudine desperandum, si puro corde prælium Domini sabaoth curaveritis præliari, memores quòd in Gedeonis prælio sub brevi satis numero suum Dominus restrinxit exercitum, & de inermis funda David emissi lapides armati Philistæi superbiam depresserunt. Ceterùm cùm procedatis in Domino parare viam exercitui generali, ea remissionis & immunitatis gratia volumus vos gaudere quam in generalibus * litteris duximus exprimendam. Datum Laterani XV. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

* Suprà ep. 28.

NOBILI VIRO DVCI ET Consiliariis Venetorum.

Epist. 179. Vt navigia cõmodene crucesignatis.

CVm in cruce Domini &c. *ut suprà usque* debeamus. Sanè dilectus filius nobilis vir Grimaldus de Monte Silicis & quamplures socij sui zelati Christianæ gentis honorem, humeris suis signo crucis impresso, se devoverunt ad obsequium crucifixi,

cifixi, Hierosolymam profecturi, ut ibidem sub crucis vexillo militent Deo Regi, qui pro nobis triumphavit in cruce. Verùm cùm ipsi non in viribus suis nec virorum multitudine, sed in illius potentia confidentes qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, gloriosus in sanctis, & in majestate mirabilis, proponant cum cautela procedere ac parare viam exercitui generali, nobis cum multæ devotionis instantia supplicarunt ut cùm navigio egeant, super hoc vobis scribere dignaremur. Porrò à tanti Regis obsequio manus vestra non debet esse remota, quoniam sic causa Dei agitur quòd cujuslibet fidelis commoditas geritur in hoc casu. Absurdum quoque videretur & absonum si prudens potentia & potens prudentia vestra, quæ in multis temporalibus eminet, lateret, quod absit, in negotio Iesu Christi, ubi dum temporale præstatur obsequium, æternæ felicitatis præmium expectatur. Eia igitur, viri prudentes & providi, ad factum tam laudabile auxilij manum porrigite; ut prædicti crucesignati pro competenti naulo vestro navigio transeant, vel de vestra licentia naves emant à Venetis, quibus valeant transfretare. Verùm quia jacula imprævisa plus nocent, transitus talium ante tempus in publicam deduci non debet notitiam; ut prælium Domini eò salubriùs prælientur quò minùs præscientiæ clypeo adversarij fuerint præmuniti. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPIS ET Episcopis per Lombardiam & Tusciam constitutis.

Epist. 180. Super eodem.

QVàm laudabile, quàm pium & favorabile pro subsidio terræ sanctæ propositum lator præsentium nobilis vir Grimaldus assumpserit, ipsius relatione poteritis edoceri. Cùm igitur res sit digna favore, immo dignissima, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus habentes ad illum respectum cujus causa specialiùs geritur in hoc casu, opem detis & operam ut viros inveniat secundùm cor suum, cum quibus in divinæ virtutis potentia quod pio concepit proposito in subsidium terræ sanctæ salubri persequatur effectu. Ceterùm quia prævisa jacula minùs nocent, expedit ut quod idem vobis secretò retulerit in publicam non deducatur notitiam ante tempus; ut dante Domino exequatur efficaciùs quod intendit quò minùs adversarij fuerint præmuniti. Vos denique fratres Archiepiscopi & Episcopi &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum x i. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO LVNDENSI apostolicæ sedis Legato.

Epist. 181. Vt veniat ad Concilium generale.

INter cetera devotionis obsequia quæ tenentur Episcopi & præcipuè Archiepiscopi sedi apostolicæ tamquam matri fideliter exhibere, hoc unum præcipuè debet esse, ut ad Concilium veniant evocati; ad quod Archiepiscopi juramento præstito sunt astricti. Vnde plurimùm admiramur quòd te super hoc excusare aliquatenus voluisti, cùm etiam non vocatus deberes modis omnibus laborare ut tam sancto Concilio interesses, ad quod ex omni parte cum desiderio multo current Principes & Prælati & totius cleri generaliter flos & decus, ut tot & tantos patres conscriptos ad ædificationem suam videre valeant & audire, ac mereantur esse participes orationum suarum & bonorum omnium quæ sancta synodus duxerit statuenda. Non ascendat igitur in cor tuum vel cujusquam Pontificis aut Prælati ut tam ignominiosam maculam in gloria sua ponat quòd se à tanta solemnitate ac opere sic necessario & tam pio qualibet occasione subducat: quia præter inobedientiæ culpam & pœnam, indignationem Dei & nostram & confusionem incurreret ac opprobrium sempiternum. Ideoque per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus tam tu præcipuè quàm ceteri Ecclesiarum Prælati per tuam provinciam constituti juxta primi mandati nostri tenorem à Kalendis Novembris proximò nunc futuris usque ad annum, sive per mare, sive per terram, quocunque modo poteritis, ad sedem apostolicam venire pro viribus laboretis. Speramus enim in Domino quòd interim ille qui potenter imperat ventis & mari, frementis freti fluctus sedabit, ut fiat optata tranquillitas navigantibus, & inimicos reducet ad pacem, ut fiat iter agentibus via tuta. Ad hæc, quoniam consimiles litteras venerabili fratri nostro Archiepiscopo misimus Vpsalensi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ei & suffraganeis ejus districtè præcipias ut usque prædictum terminum quocunque modo poterint ad apostolicam sedem venire pro viribus elaborent. Sanè quia, ut asseris, ad crucis negotium promovendum tibi non sufficit evectionum numerus nostris litteris designatus, & usque ad triceſimum numerum

postulas licentiam tibi dari, nos hoc tuæ conscientiæ duximus committendum, ut super hoc procedas sicut videris expedire. Tu denique, frater Archiepiscope &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IX. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

RIGENSI EPISCOPO.

Epist. 182. Quòd Ecclesia Rigensis nulli Metropolitano est subjecta.

CVm in memoria hominum non existat Rigensem Ecclesiam alicui metropolitico jure subesse, volumus & mandamus ut donec in generali Concilio super hoc aliquid certum duxerimus statuendum, nulli tamquam Metropolitano interim respondere cogaris. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum X. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide supra epist. 122.

In eundem modum scriptum est Estonienſi Episcopo pro Estonienſi Ecclesia.

APPENDIX
LIBRI DECIMI SEXTI.

SANCTI PETRI DE Monasterio & de Chantila Prioribus Bituricensis & Nivernensis dioecesum, & Thesaurario Nivernensi.

Epist. 183. De subjectione monasterij Menatensis.

CVm causa quæ inter Cluniacensem Ecclesiam ex parte una & monasterium Menatense ac venerabilem fratrem nostrum Claromontensem Episcopum ex altera super ejusdem monasterij subjectione noscitur agitari diversis judicibus fuisset ab apostolica sede commissa, tandem ad instantiam Cluniacensium dilectum filium Vv. Abbatem præfati monasterij ad præsentiam nostram vocavimus responsurum. Ipso igitur & dilectis filiis H. & P. monachis & procuratoribus ipsius Ecclesiæ in nostra præsentia constitutis, & tam super petitorio quàm possessorio lite legitimè contestata, quia super hinc inde propositis per assertiones eorum fieri nobis non potuit plena fides, causam eandem de ipsorum assensu vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatinus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita decernatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. *usque* perhibere. Nullis litteris obstantibus &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani V. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATI & Episcopo Cremonensi.

Epist. 184. Vt Bononiensem Episcopus compellatur ad cessionem.

CVm Bononiensis Episcopus olim ad consilium & suggestionem bonæ memoriæ Gerardi Albanensis electi, suam insufficientiam recognoscens, sarcinam pontificalis officij, quam sine suo & commissi sibi gregis periculo portare non poterat, infra certum tempus deponere promisisset, idem præesse gaudens potiùs quàm prodesse, post recessum illius promissionem inficiari non metuit supradictam, adeo ut à tabellione qui fecit super hoc publicum instrumentum, illud, sicut accepimus, faciat occultari. Cùm igitur dicta promissio dubia non existat, & insuper ejus sit insufficientia manifesta, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ex parte nostra moneatis eundem ut Bononiensem Ecclesiam exoneret de se ipso, eum, si monitis vestris infra quindecim dies acquiescere fortè noluerit, ab eadem sublato cujuslibet contradictionis seu tergiversationis diffugio penitùs amoventes, & compellentes eundem ut in manibus vestris resignet pecuniam quam pro terræ sanctæ succursu noscitur congregare, injungatis Capitulo Ecclesiæ memoratæ ut virum scientia, vita, & fama præclarum sibi per electionem canonicam infra octo dies præficiant in pastorem. Alioquin vos ex tunc auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, personam quæ tanto congruat oneri & honori præficiatis eidem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Vos denique, fratres Archiepiscope & Episcope, super vobis ipsis ac credito vobis grege taliter vigilare curetis, extirpando vitia, plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundùm opera sua, dignam possitis reddere rationem. Datum Laterani IV. Idus Iunij, anno decimo sexto.

ROBERTO TITVLI SANCTI Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 185. Scribitur pro Comitissa Campaniæ.

DIlecta in Christo filia nobilis mulier Blancha Comitissa Campaniæ nobis conquerendo monstravit quòd quidam Clerici & laici crucesignati homines suos

super feodis quæ immediatè ab ipsa tenere noscuntur auctoritate nostrarum convenient litterarum in ipsius non modicum præjudicium & gravamen, quòd res de quibus agitur ad eandem pertineant nullam facientes in commissionis litteris mentionem. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus super hoc indemnitati ejusdem Comitissæ, prout expedire videris, sublato appellationis obstaculo studeas providere. Datum Signiæ v. Idus Augusti, pontificatus nostri anno decimo sexto.

EPISTOLA HONORII III. in quæ continetur compositio cujus mentio fit suprà epist. XCVIII. *nunc primùm edita ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.*

HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis & dilectis filiis Capitulis eorundem in terra nobis viri G. de Villa Arduini Principis Achaiæ citra passum Megaræ Corinthiensis constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Sedis apostolicæ circumspectio constituta super gentes & regna ut evellat & destruat, ædificet atque plantet, ubique retinens moderamen, interdum rigore, interdum mansuetudine utitur, interdum consideratis circumstantiis temporum & locorum, medium faciens ex utroque, aspera in vias planas & prava dirigit in directa, & lite confusionis implicita explicans & dirimens, litem ipsam ad certas imaginem & rectitudinis normam provida distinctione reducit, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo congrua dispensatione reddantur. Sanè cùm ex Principum imperij Romaniæ insolentia confutanda hujusmodi confusionis inoleverit corruptela ut nunc iidem bona conferrent Ecclesiis, & nunc ea ipsis auferrent pro suæ libito voluntatis, & collata præcipuè abbatiis juxta beneplacitum suum propriis usibus applicarent, ac Græci Prælati receptis muneribus indifferenter quoslibet ad sacerdotium promoverent, & dilectus filius nobilis vir G. de Villa Arduini Princeps Achaiæ intrusus hujusmodi corruptelæ abbatias & possessiones ecclesiasticas in suis manibus retinens, & fructus earum propriis usibus applicans, & quibus volebat pro libito tribuens, papates tamquam rusticos retineret, quia monitus ab abolenda corruptela prædicta nolebat desistere, ipsum contigit excommunicationis laqueo innodari; sed non tactus ab eo qui tangit montes & fumigant, se mandatis Ecclesiæ obtulit saniori usus consilio parituru[m]. Et quia humiliter redeuntibus non est Ecclesiæ aditus præcludendus, juxta formam Ecclesiæ intra castra ipsius obtinuit per humilitatem reduci, à quibus ejectus fuerat per contumaciam & contemptum. Nos ergo non minùs ipsius Principis saluti quàm Ecclesiarum utilitatibus providere volentes, sibi præcepimus ut vel resignationem Ravenicæ auctoritate sedis apostolicæ ampliatam reciperet, vel pacem quam ecclesiastici inierunt, Constantinopolitani Barones, qui erga Romanam Ecclesiam majorem devotionem habentes in servitiis defensionis imperij potiùs sunt gravati. Verùm licèt resignationem prædictam, quæ gravior videbatur, dictus Princeps se dixerit recepisse, quia tamen eam nullatenus effectui mancipavit, sed vobiscum compositionem iniit valde illicitam & penitùs inhonestam, nos de ipsius salute solliciti, ipsumque de confusione consilij Achitofel volentes eruere & ad devotionem Ecclesiæ revocare, duximus concedendum ut per venerabilem fratrem Pelagium Albanensem Episcopum & dilectos filios nostros Thomam tituli sanctæ Sabinæ & Iohannem tituli sanctæ Praxedis Presbyteros Cardinales cum dilectis filiis Clericis Ecclesiarum vestrarum apud sedem apostolicam existentibus, necnon P. de Altomagno Milite ac nuntio Principis memorati, inter Principem ipsum ac Clericos memoratos pax tractaretur honesta, & eisdem Episcopo & Cardinalibus mediantibus, post tractatum diutiùs habitum, in pacem hujusmodi convenerunt, ampliata resignatione Ravenicæ de assensu vestro, deducta terra nobilis viri Oddonis de Roccha Domini Athenarum taliter moderata, ut videlicet omnes Ecclesiæ vestræ omnes possessiones suas quas obtinent in præsenti vel habuisse aliquando dignoscuntur à tempore coronationis Alexij Bambacoratij ab omni exactione ac jurisdictione liberas habeant laicali, salvis justis & debitis acrosticis secundùm moderationem inferiùs adnotatam, nonobstantibus compositionibus si quæ repetiantur factæ perpetuò, ne illis super quibus non apparent aliqua instrumenta nisi à vobis & subditis vestris eorum aliquæ meritò acceptentur; ita tamen quòd super possessionibus quas in præsenti eædem tenent Ecclesiæ nulla eis prorsùs à quoquam quæstio moveatur. In casali verò XXV. & ultrà usque ad LXX. lares habenti duo erunt Papates cum uxoribus, filiis, & familiis suis, nisi fortè filij manserint extra domos paternas sub Ecclesiarum dominio à laicali jurisdictione omnino liberi & immunes. Quilibet verò Papas unum ennicarium in scatia sua liberum habeat, si illum nunc habet vel habuerit à tempore supradicto. Quòd si larium numerus septuagenarium excesserit, in casali quatuor Papates erunt in illo liberi & immunes cum singulis ennicariis, sicut superiùs est expressum. Quòd si ultra centenarium & vicesimum quintum excesserit, numerus Papatum excrescet in sextum. Et sic deinceps Papates addentur cum libertate præscripta. At si casalis XXV. lares non habeat, de vicinioribus casalibus seu locis tot adjungantur eidem quòd præfatus XXV. numerus impleatur; & sic erunt duo Papates in illo præscripta libertate gaudentes. Ceterùm reliqui rurales Papates cuncta servitia & auxilia consueta & præstita hactenus laicis exhibebunt; eo tamen salvo, quòd ipsorum dominus temporalis & sui in personas eorum manus mittere non audebunt, nec permittent quòd in terra contra Latinorum Clericorum celebretur voluntatem. Papates verò seu Clerici Græci Ecclesiarum cathedralium viventes à tempore quo mandatum apostolicum emanavit ad quod resignationem Ravenicæ dictus Princeps dicitur recepisse erunt omnino liberi ut de aliis superiùs est expressum. Sed & circa reliquos Papates civitatum illud idem servetur quod est de ru-

Vide Raynald. ad an. 1224. §. 25.

Vide quintam collect. Decretal. lib. 1. tit. 20. c. 1.

ralibus ordinatum. Prælati quoque de laicorum hominibus contra voluntatem ipsorum tam in Ecclesiis cathedralibus quàm in aliis civitatum seu casalium de cetero aliquem non instituent nec ad ordines promovebunt ultra Papatûm numerum prætaxatum. Sed & Papates à jurisdione liberi laicorum debitum & antiquum acrosticum, si quod debent pro terris quas nunc tenent ex illis quas à prædicto tempore tenuerunt, laicis sine difficultate persolvent. Sæpedictus verò Princeps & Latini sibi subjecti decimas integrè solvent, & facient à Græcis sibi subditis & non rebellantibus simili modo persolvi. Porrò vos eidem Principi & suis Ecclesiarum thesauros & alia mobilia vestra necnon & injurias irrogatas, præter personales, remittetis omnino. Veruntamen de personalibus fructibusque perceptis & damnis datis tempore quo Princeps ipse fuit à dilecto filio nostro Iohanne tituli sanctæ Praxedis Presbytero Cardinale nunc apostolicæ sedis Legato excommunicationis sententia innodatus, necnon de perceptis fructibus ex possessionibus & bonis ecclesiasticis & damnis illatis à tempore quo mandatum emanavit prædictum, Princeps ipse ac sui vobis competentem satisfactionem impendent, & dimittent vobis si in aliquo reputant se offensos, ac in recompensationem omnium prædictorum vestris cathedralibus Ecclesiis, deducta Argolicensi Ecclesia pro parte nobilis memorati, mille hyperperorum annuum redditum assignare curabunt; ita quòd cuilibet cathedrali Ecclesiæ sors quæ ipsam contingit, videlicet centum septuaginta Ecclesiæ Patracensi, Corinthiensi totidem, necnon centum quinquaginta Lacedæmonensi & Amiclensi Ecclesiis, Coronensi quoque centum quinquaginta, & totidem Mothonensi, necnon Olenensi Ecclesiæ totidem; & Argolicensi Ecclesiæ sexaginta octo certo loco & congruo in ejus diocesi assignetur, nisi fortè eadem Ecclesia in acrostico teneatur, quod pro quantitate ipsius eadem sibi reputabit in sortem; si quid ex ipsa defuerit, loco idoneo de aliis suppleturi. Quòd si sæpefatus Princeps ac sui ab Ecclesiis acrosticum duxerint exigendum, de ipso & quantitate ipsius, nisi jam sit remissum, erit priùs veritas inquirenda. Et cùm constiterit de illo & quantitate ipsius, inquiri debet nihilominus utrum possessiones & bona pro quibus illud debetur acrosticum deteriorata sint propter malitiam temporis seu etiam imminuta; & juxta quantitatem deteriorationis vel diminutionis illorum acrosticum pro illis debitum minuatur; reliquis in suo robore remanentibus in prædicta resignatione Raveniæ ac prædicto mandato apostolico comprehensis, necnon & privilegio quod super Ecclesiarum & Clericorum libertatibus voluntariè Princeps ipse concessit. Ipse quoque ac sui & illi quibus de novo terra dabitur vel baliva pacem præscriptam servare bona fide jurabunt ac contra ipsam penitùs non venire. Quòd si eidem Principi vel suis quisquam subjectus contravenire præsumpserit, & ob hoc laqueo excommunicationis ligatus super eo non satisfecerit infra annum, dictus Princeps vel ille cui noscitur immediatè subesse compellet ad satisfactionem competentem & debitam exhibendam, quem tamquam excommunicatum ipse & sui in omnibus evitabunt præterquam in perceptione servitij quod sibi vel illis exhibere tenetur. Cùm igitur vos ex parte una necnon & memoratus Princeps ac sui ex altera præscriptam pacem sponte duxeritis acceptandam, & tam ex parte vestra quàm sua fuerit nobis humiliter supplicatum ut eandem dignaremur apostolico munimine robotare, nos vestris & ipsius precibus inclinati, ne negotium possit iteratè labyrintum confusionis immergi, pacem ipsam sive concordiam prædictis Episcopo & Cardinalibus mediantibus auctoritate nostra providè factam & ultro receptam, gratam & ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus & præcipimus firmiter observari. Ad majorem autem evidentiam sæpedictam resignationem Ravenicæ, prout exinde confecto authentico continetur, huic nostræ paginæ de verbo ad verbum fecimus adnotari. « In nomine Domini. Amen. Ad honorem Dei & « sanctæ matris Ecclesiæ & Domini Papæ Innocen- « tij tertij. Hoc est pactum sive conventio super « universis Ecclesiis positis sive sitis vel fundatis in « Thessalonica usque Corinthum, quod intervenit « inter Dominum Thomam Dei gratia Constanti- « nopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham & Archiepisco- « pos Atheniensem, Larissensem, Neopatrensem, « & Episcopos infrà ponendos, & Barones inferiùs « propriis nominibus declarandos. Renuntiaverunt « quidem Domini Nameus Roffredus Comestabu- « lus regni Thessalonici, Otto de Roccha Dominus « Athenarum, Guido Marchio, Ravanus Dominus « insulæ Nigripontis, Raynerius de Traval, Alber- « tinus de Canosa, Thomas de Stromoncort, Co- « mes Bertuldus, Nicolaus de sancto Omer, Guil- « lelmus de Blanel, Guillelmus de Arsa pro se & ho- « minibus suis & fidelibus & vassallis, in manibus « supradicti Domini Patriarchæ recipientis pro Ec- « clesia nomine Domini Papæ & suo & Archiepisco- « porum & Episcoporum infra dictos terminos posi- « torum & Ecclesiarum cunctarum, omnes Eccle- « sias & monasteria, possessiones, redditus, mobilia « & immobilia bona, & universa jura Ecclesiæ Dei, « volentes & firmissimè promittentes dictas Eccle- « sias & monasteria cum omnibus rebus suis habitis « & habendis, & personas in eis positas & ponen- « das, & claustra Ecclesiarum, & servientes & ser- « vos & ancillas & homines, & universa suppellec- « tilia & bona libera & absoluta per se successores- « que suos, homines, milites, vassallos, fideles, ser- « vientes & servos in perpetuum permanere ab om- « nibus angariis & parangariis; taliis, servitiis, & « servitutibus universis, excepto acrostico tantùm, « quod eis debent cuncti sive Latini sive Græci tam « in dignitatibus quàm in minoribus officiis & ordi- « nibus constituti propter terras quas tenent ab ipsis, « si quas tenent vel tenuerunt, quod tempore cap- « tionis civitatis regiæ Constantinopolitanæ solve- « batur à Græcis, & nihil aliud debent, & nihil aliud « præfati Barones per se, successores suos, vassal- « los, homines, fideles, servientes & servos, sibi in « prædictis Ecclesiis sive monasteriis vendicare ni- « hilque in posterum usurpare, sed si qui ex prædictis « clericis tam prælatis quàm ceteris Ecclesias vel « monasteria destruere voluerint, debent quantũ eis « licuerit repugnare decenter & turbare ne cõpleant « quod nequiter conceperunt. Si qui verò fuerint « de clericis Latinis vel Græcis, sive monachis, Pa- « patibus vel Calogeris, in dignitatibus vel minori- «

" bus ordinibus vel officiis constituti, qui dictorum " Baronum terras detineant & laborent, & acrostì- " cum solvere noluerint termino inter eos statuto, " nisi solverint quod tenentur, potestatem habeant " nominati Barones accipiendi de bonis eorum tan- " tum quòd eorum debitum & nihil ampliùs perfol- " vatur; sed in cunctis absoluti & liberi quantum ad " personas & res ipsorum & Ecclesiarum quæ su- " perabundant debitum perpetuò in posterum per- " severent. Heredes quoque sive filios clericorum " sive Papatum & uxores eorum non capiant vel de- " tineant vel faciant detineri vel capi quandiu ad " mobilia eorum suas poterint extendere manus, si- " ve de eorum mobilibus eis poterit super debiti " quantitate satisfieri competenter. Filij quoque lai- " corum Græcorum sive Clericorum seu Papatum in " Baronum servitio juxta morem solitum perseve- " rent, nisi per Archiepiscopos vel Episcopos vel de " eorum licentia fuerint ordinati. Post ordinationem " verò eodem privilegio gaudeant quo funguntur " Clerici in obedientia Romanæ Ecclesiæ constituti. " Si qui verò Papatum vel monachorum Græcorum " Baronum detinuerint & laboraverint terras quæ ad " Ecclesiarum vel monasteriorum non pertineant ju- " ra, eodem modo prædictis respondeant Dominis " quo fecerint laici qui eorum terras detinent & la- " borant. Alioquin si præfati Barones contra jamdi- " cta venerint vel aliquod præmissorum, post admo- " nitionem per suos excommunicentur Prælatos, & " tamdiu in excommunicatione persistant quandiu " de damnis & injuriis canonicè satisfecerint irroga- " tis. Vt autem præmissis fides plenior habeatur, " de voluntate & consensu & auctoritate Domino- " rum Thomæ Patriarchæ & Imperatoris Henrici Constantinopol. & Archiepiscoporum & omnium " Baronum in præsenti chartula positorum appensa " sigilla confirmant. Salvis in omnibus Domini Papæ " auctoritate, reverentia, & honore. Acta sunt hæc " apud Ravenicam anno Domini MCCX. Indictio- " ne XIII. præsentibus Archiepiscopis & Episcopis " & electis & Clericis & Militibus, videlicet Hera- " clensi, Atheniensi, Larissensi, Neopatrensi Ar- " chiepiscopis, Avallonensi, Termopilensi, Dava- " lensi, Zaratoriensi, Castoriensi, Sidoniensi Epis- " copis, Nazariensi, Citrensi electis, de quorum " consensu & voluntate & auctoritate sunt præmissa " peracta, & præsentibus Cantore Leonardo, Iaco- " bo Presbytero, Henrico, magistro Bonifacio Ca- " nonico Ecclesiæ sanctæ Sophiæ de Constantinopo- " li, & Priore Cruciferorum Bononiæ, Archidiaco- " no Thebano, Decano Davaliensi, Domino Ar- " duino & Arnuldo Capellanis Imperatoris præfati, " & præsentibus Guiffredo Marescalco totius impe- " rij Romaniæ, & Rolandino de Canosa, & Raine- " rio de Gumbulla, & Guillelmo de Sarz, & Bonuz " de sancto sepulchro, & Gerandino de Gummula, " & Iacobe de Assesso, & Hugone de Settenguen, " Albuin de Plunges, & Philippo de Mombis, & " aliis pluribus. Hæc autem completa sunt mense " Madij die secundo intrante.] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmatio- nis & jussionis infringere vel ei ausu temerario con- traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Pe- tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursu- rum. Datum Signiæ secundo Nonas Septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Quoniam suprà in epistola CXLIX. *& duabus sequentibus agitur de magna illa controversia quæ ævo Innocentij nostri ac postea fuit de comitatibus Campaniæ & Briæ inter Blancham eorundem comitatuum Comitissam filiumque ejus Theobaldum ex una parte & Erardum de Brena uxoremque ejus Philippam ex alia, res postulare videtur ut negotium intricatissimum explicemus data occasione.*

MOriens Hierosolymorum Rex Amalricus anno MCLXXIV. regnum Balduino filio reliquit istius nominis quarto. Is verò lepræ morbo laborans, uxorem ducere noluit. Sed cùm duas haberet sorores, Sibyllam & Isabellam, in his quæsivit posteritatem. Primam ergo collocavit Guillelmo cui Longæspatæ cognomen fuit; quæ dein, eo mortuo, nupsit Guidoni Luziniano nobili Aquitano. Isabellam verò, octo tum annorum puellam, despondit Henfredo de Torono nobili Hierosolymitano, filio Henfredi regij Constabularij, anno MCLXXX. ut Vvillelmus Tyrius tradit. Mortuo denique Balduino anno MCLXXXV. succedens Sibylla maritum Guidonem nominavit Regem. Tandem ista filiabusque ejus in obsidione Acconensi mortuis anno MCXCI. regnandi jus ad Isabellam transiit. Quod ubi Conrado Montisferrati Marchioni, penes quem major ac præcipua auctoritas erat in regno Hierosolymitano, notum fuit, à matre Isabellæ Patriarchaque Hierosolymorum Heraclio petiit eam sibi conjugem dari. Haud ægrè impetratum; tamenetsi proxima consanguinitatis linea conjuncti forent, & tamenetsi Henfredus valde repugnaret, fieri id clamitans contra sacrosanctas connubij leges. Celebrato itaque divortio, Conradus duxit Isabellam, ac mox in regium nomen invasit. Anno demum MCXCII. Conradus occisus est in oppido Tyrio à duobus Assassinis. *Post interfectionem verò prædicti Conradi*, inquit Rogerius de Hoveden, *uxor illius nupsit Henrico Comiti de Campania, nepoti Regis Angliæ & Regis Franciæ. Et statim per communem totius exercitus electionem prædictus Henricus est electus in Regem terræ Hierosolymitanæ.* Matrimonium illud approbatum in occidente non fuit, ut patet ex epistola LXXV. libri secundi, tum etiam ex epistolis Honorii III. quæ extant in quinta compilatione Decretalium lib. II. tit. V. cap. V. & apud Odoricum Raynaldum ad ann. MCCXIX. in quibus Honorius docet motam fuisse coram se ac pendere adhuc controversiam de natalibus Alaydis Reginæ Cypri & Philippæ uxoris Erardi de Brena, quæ erat Henrici & Isabellæ filiæ. Vnde & in actis illorum temporum, quum retractatur controversia de comitatu Campaniæ inter Theo-

baldum fratris Henrici filium & Philippam, quia nuptias Henrici cum Isabella vitio coiisse nonnulli contendebant, cùm ad Henrici nomen ventum est, additur, *quem ipsa Philippa patrem suum esse dicebat*. Ex quo colligitur statum liberorum Henrici fuisse incertum, neque satis constitisse inter Gallos nostros justum fuisse illius matrimonium. Nam si istud constitisset, dubium esse non poterat quin Philippa adire patris hereditatem posset, quando Alaydis, quæ Henrici filia natu major erat, heredem se patris non ferebat, regno Cyprio contenta. Quamquam & ipsa quoque postea litem movit de comitatu Campaniæ, quæ in initiis regni sancti Ludovici sopita est. Ceterùm Theobaldi causam adversùs Philippam multa juvabant. Primùm, mortuo Henrico, nulla filiarum ejus adivit hereditatem, quæ Theobaldo Henrici fratri venit secundùm quod ipse statuerat paulò antè quàm in orientem proficisceretur. Theobaldo verò mortuo, Blancha vidua ejus anno MCCI. homagium Philippo Francorum Regi præstitit pro comitatibus Campaniæ & Briæ, investituramque ab eo accepit nomine liberorum suorum. Aliquantò pòst enixa est filium, cui Theobaldo quoque nomen fuit. Rursum verò Philippus Blancham filiosque ejus agnovit ùt legitimos Comitum Campaniæ successores & heredes, nullo contrà tendente. Res in eo statu mansit donec anno MCCCXI. Erardus de Brena Dominus Rameruci, qui anno proximo in orientem profectus erat ut favore adjutus Iohannis Regis Hierosolymitani, cujus consanguineus erat, duceret unam ex filiabus Hentici Cegis Hierosolymitani, captata dein occasione mortis Alberti Patriarchæ, qui tum recenter obierat, Philippam sibi junxit, quam vivente Alberto habere non potuerat. Gravem quippe eum adversarium expertus erat Erardus, dicentem non posse Philippam ei nubere cui proxima affinitatis linea conjuncta erat. Ita quippe Albertum edocuerat Innocentius in epistola ad eum scripta, quæ est CL. hujus libri, ex relatione Romam è Galliis missa. Quin & illud ipsum ad Ioannem Regem Hierosolymorum scripsit etiam Ludovicus Philippi Francorum Regis primogenitus, ut postea videbimus. Dut ante ergo controversia inter Theobaldum & Philippam, matrimonium illud ratum non fuit. Vnde in actis illorum temporum ita vulgò legitur: *Erardus de Brena, & Philippa, quæ dicitur uxor ejus.* Rediit tandem concordia anno MCCXXI. ope & industria Giroldi Episcopi Valentini, qui postea fuit Hierosolymorum Patriarcha. Tum verò reperio Philippam vocari simpliciter uxorem Erardi, aut Philippam Dominam Rameruci, Erardum verò Dominum Rameruci. Denique Alaydis Regina Cypri anno MCCXXXIV. jus omne quod habere poterat in comitatibus Campaniæ & Briæ transtulit in Theobaldum Blanchæ filium posterosque ejus. Et sic omnino conquievit magna illa controversia. Ista nos collegimus ex historicis illorum temporum & ex certissimis monumentis quæ extant in antiquis chartulariis Comitum Campaniæ; quorum unum extat Parisiis in camera computorum, aliud in bibliotheca regia, tertium in Colbertina. Hinc ergo descripsimus vetera monumenta quæ sequuntur.

Epistola Innocentij III. de vetitis nuptiis Erardi & Philippæ.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Patriarchæ Hierosolymitano salutem & apostolicam benedictionem. Cùm olim ex parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blanchæ Comitissæ & Theobaldi nati ejus Comitis Campaniæ nostro fuisset apostolatui relatum quòd nobilis vir Erardus de Brena in partes Hierosolymitanas accesserat ut unam de filiabus bonæ memoriæ Henrici Comitis Campaniæ acciperet in uxorem, quæ ipsum dicitur in eo consanguinitatis gradu attingere quòd secundùm sanctorum patrum statuta legitimè nequeunt copulari, cùm inclitæ recordationis Lodovicus Grossus Rex, proavus videlicet Comitis supradicti, frater extiterit Florij, cujus pronepos est Erardus, quod, ut asseverant, satis est in Galliarum partibus manifestum, & ipsi, si necesse fuerit, parati erant in eisdem partibus id probare, nos, quia satius est in hujusmodi ante tempus occurrere quàm remedium mendicare post tempus, bonæ memoriæ prædecessori tuo & venerabili fratri Tyrenensi Archiepiscopo nostris dedimus litteris in præceptis ut sub pœna excommunicationis appellatione postposita inhiberent hujusmodi contrahi copulam inter eos, ne scandalum oriretur ex eo ex quo debebat utilitas provenire. Ipsi verò, sicut præfata Comitissa & filius suus nobis intimare curarunt, receptis litteris hujusmodi prohibitionem fecere privatim, sed non processerunt ad eandem publicè ac solemniter faciendam, cùm interim prædecessor jamdictus rebus fuerit humanis exemptus. Cùm igitur tibi constet, ut dicunt, per dictos prædecessorem tuum & Archiepiscopum jam factam fuisse prohibitionem prædictam, & ministros Christi, qui veritas est, deceat veritati testimonium perhibere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, litteras tuas in testimonium tuum super hoc concedas eisdem. Tu denique, frater Patriarcha, super te ipso & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, ùt in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundùm opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani x. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno septimo decimo.

Suprà epist. 150.

Ejusdem epistola ad Archiepiscopum Cæsariensem, ut prædicta inhibitio publicetur in regno Hierosolymitano.

INnocentius &c. venerabili fratri Cæsariensi Archiepiscopo, & dilectis filiis Priori dominici sepulcri & Cantori Acconensi, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm olim ex parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blanchæ Comitissæ ac Theobaldi nati ejus Comitis Campaniæ nostro fuisset apostolatui relatum quòd nobilis vir Erardus de Brena in provinciam Hierosolymitanam accesserat ut unam de filiabus claræ memoriæ Henrici Comitis Campaniæ acciperet in uxorem, quæ ipsum dicitur in eo consanguinitatis gradu attingere quòd secundùm sanctorum patrum statuta legitimè nequeunt copulari, cùm inclitæ recordationis Lodovvicus Rex Grossus, proavus videlicet Comitis supradicti, frater extiterit Flo-

rij, cujus pronepos est Erardus, quod, ut asseverant, satis est in Galliarum partibus manifestum, & ipsi, si necesse foret, parati erant in eisdem partibus id probare, nos, quia satius est in hujusmodi ante tempus occurrere quàm remedium mendicare post tempus, bonæ memoriæ Hierosolymitano Patriarchæ ac venerabili fratri nostro Tyrenensi Archiepiscopo nostris dedimus litteris in præceptis ut sub pœna excommunicationis appellatione postposita inhiberent hujusmodi contrahi copulam inter eos, ne scandalum oriretur ex eo ex quo deberet utilitas provenire. Ipsi verò, sicut præfata Comitissa & filius ejus nobis intimare curarunt, receptis litteris nostris hujusmodi prohibitionem fecere privatim, sed non processerunt ad eandem publicè ac solemniter faciendam, cùm interim Patriarcha prædictus rebus fuerit humanis exemptus. Ne igitur ad hujusmodi copulam aspirantes excusationem assumere valeant in peccatis, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus sub pœna prædicta, occasione qualibet & excusatione ac appellatione cessantibus, infra quindecim dies post susceptionem præsentium publicè inhibere curetis hujusmodi contrahi copulam inter eos, facientes in Ecclesiis & locis in quibus videritis expedire inhibitionem prædictam solemniter publicari. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Archiepiscope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Laterani x. Kal. Martij, pontificatus nostri anno septimo decimo.

Quòd Gaufridus Thesaurarius domus Templi accepit litteras Domini Papæ super negotio Domini Erardi de Brena & Dominæ Philippæ filiæ Henrici quondam Comitis Trecensis, quas reddidit Patriarchæ Hierosolymitano & Archiepiscopo Tyrenensi.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici frater Gaufridus Thesaurarius domus Templi, pedum sanctitatis apostolicæ pulvis exiguus, se ipsum ad pedes, cum osculo eorundem. Sciat vestræ sanctitatis superexcellens pietas me libertatis apostolicæ litteras accepisse super negotio Domini Erardi Dominæque Philippæ, ipsasque Domino Patriarchæ Hierosolymitano Alberto bonæ memoriæ & Archiepiscopo Tyrenensi humiliter reddidisse. Ipsi verò auctoritate apostolica convocatis Domino Rege prædictoque Erardo, utrique divisim & separatim sub pœna excommunicationis inhibuerunt ne iste consentiret vel alter contraheret matrimonium in vestris litteris denegatum. Ad hæc, Dominus Patriarcha Tyrenensem Archiepiscopum ad Dominam Philippam direxit in Regis palatio, qui eidem auctoritate sua & apostolica pœna prohibuit sub eadem. His autem omnibus executis, mihi pedum vestrorum pulveri duo supradicti Domini, Patriarcha videlicet & Archiepiscopus, prout ex mandato sedis apostolicæ habuerunt & executi fuerunt, exponere penitùs curaverunt. Dictus verò Erardus non multò pòst, ut contumax & rebellis ductus, ut opinor, non bono spiritu, contra prohibitionem apostolicam & sententiam in factores vel consentientes huic matrimonio promulgatam, cum dicta Domina contraxit Philippa matrimonium inde Veneris clandestinum & occultum. Quocirca coram sanctitatis apostolicæ clementia hujus rei provise habui veritati testimonium perhibens, quantum scio explico & ostendo, paternæ pietati significans cum omni supplicione ut quod super hoc viderit faciendum paterna sanctitas provideat & disponat.

Ludovicus primogenitus Philippi Regis Francorum significat Regi Ierusalem quòd Comes Theobaldus non debet trahi in causam de terra patris sui donec impleverit viginti unum annos.

EXcellentissimo & carissimo consanguineo suo Iohanni Dei gratia illustri Regi Hierosolymitano Ludovicus Domini Regis Franciæ primogenitus salutem & sinceri amoris constantiam. Scire vos volumus quòd consuetudo antiqua & per jus approbata talis est in regno Franciæ, quòd nullus ante viginti & unum annos potest vel debet trahi in causam de re quam pater ejus teneret sine placito cùm decessit. Hujus igitur ratione consuetudinis carissimus Dominus & genitor noster & nos statuimus & concessimus carissimæ amicæ nostræ Comitissæ Trecensi & Theobaldo filio ejus, præsentibus & audientibus vobis ipsis, quòd si filiæ Comitis Henrici vel aliqui pro ipsis vellent prædictum Theobaldum vel matrem ejus in causam trahere de terra quam pater ejus tenuit, nos non audiremus inde verbum donec idem Theobaldus haberet viginti & unum annos, nec ipsum vel matrem ejus in antea in causam trahi permitteremus; præcipuè cùm de testimonio multorum nobilium virorum, quibus fidem bene adhibere debemus, bene constet quòd carissimus quondam consanguineus noster Comes Henricus, cùm vellet Hierosolymam proficisci, totam terram suam dimisit & dedit fratri suo Theobaldo quondam Comiti Trecensi, sibipsum Comitem Henricum de transmarinis partibus contingeret non redire. Ad hæc, nullo modo volumus quòd Erardus de Rameruco filiam Comitis Henrici habeat in uxorem, sed id fieri modis omnibus prohibemus: quia si fieret, contra nos fieret. Et præterea dictum est nobis quòd in eo gradu consanguinitatis se attingunt quòd non possunt nec debent legitimè copulari. Actum apud Compendium anno MCCIXV. mense Martio.

Littera Philippi Regis Francorum de eadem re ad Papam Innocentium.

REverendo Patri ac Domino suo carissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem & debitam in Christo reverentiam. Noverit paternitas vestra quòd nos cum dilecta & fideli nostra Blancha Comitissa Campaniæ per consilium Baronum nostrorum & per consuetudinem in regno Franciæ hactenus approbatam tales conventiones fecimus & habemus. Videlicet quòd si aliquis dictam Comitissam vel dilectum & fidelem nepotem nostrum Theobaldum Comitem Campaniæ filium ejus in causam traheret super comitatu Campaniæ & Briæ vel eorum altero, nos non audiremus inde clamorem nec placitum teneremus donec idem Theobaldus compleverit vicesimum primum annum, & quòd dicta Comitissa habeat tutelam filij sui & dictorum comitatum usque ad terminum

supradictum, & tam ipsa quàm ipse filius ejus interim ..... que possideant & teneant pacificè comitatum. Cùm igitur secundùm prædictam consuetudinem nullus possit vel debeat in causam trahi de re quam pater ejus teneret sine placito cùm decessit, antequam compleverit vicesimum primum annum, paternitatem vestram rogamus & attentè requirimus quatinus prædictam consuetudinem & conventiones prædictas præfatis Comitissæ & Comiti auctoritate apostolica confirmare velitis. Actum Parisius anno Domini MCCXIV. mense Martio.

Innocentij III. epistola qua excommunicari mandat fautores & coadjutores Erardi de Brena & Philippæ ejus uxoris.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Carnotensi, & dilectis filiis Abbati sanctæ Genovefæ & Priori sancti Martini de Campis Parisiensis, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm nostris dudum fuisset auribus intimatum quòd Erardus de Brena Hierosolymitanas partes adierat ut sibi duceret in uxorem unam de duabus filiabus Henrici quondam Trecensis Comitis procreatis de illegitima copula quam cum filia Regis Hierosolymitani, ad quam regnum spectabat, contraxerat idem Comes, quæ antea modo simili Conrado quondam Marchioni Montisferrati copulata fuerat per incestum, propter quod gravis pœna peremit utrumque, per hoc intendens Erardus prædictus sibi comitatum Trecensem & aliam terram pertinentem ad eundem quondam Comitem vendicare, quoniam intelleximus quòd illa ipsum proxima linea consanguinitatis attingit, fecimus ei ex parte nostra per sanctæ memoriæ Albertum Hierosolymitanum Patriarcham solemniter interdici ne præsumeret cum illa contrahere, cùm mandaverimus testes recipi super linea consanguinitatis prædictæ, ut redderemur de impedimento legitimo certiores. Ipse verò post prædicti obitum Patriarchæ, captata successoris absentia, non est veritus eam sibi clandestinè copulare, ambitiosa cupiditate cœcatus, cùm non sit filia primogenita, quæ utcunque succederet si jus haberet alterutra succedendi. Et cùm idem nuper cum multis aliis applicuisset Gaietam, ceteris ad nostram præsentiam accedentibus, ipse tamquam conscius malè sibi nostrum declinavit aspectum, cursu concito ad Ianuensem navigans civitatem, ut opportunitate adepta quantocius transalpinans, contra dilectum filium nobilem virum Theobaldum Trecensem Comitem suscitet schisma, si possit, non solùm in grave scandalum regni Franciæ, verùm etiam in grande dispendium terræ sanctæ. Sed speramus in Domino & in potentia virtutis ipsius quòd ejus machinatio non poterit prævalere, cùm & carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris per suas nobis litteras intimarit quòd cùm præfatum Theobaldum ad suum comitatum remisit, per privilegium sibi regale concessit, quod auctoritate petiit apostolica confirmari, ut usque ad legitimam ejus ætatem nullam de his contra ipsum querelam audiret. Vnde nos volentes imminentibus periculis obviare, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ constitutis olim dedimus nostris litteris in præceptis ut dictum Erardum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per ecclesiasticam censuram compescerent, si fortè occasione præscripta præsumeret malignari. Consulibus etiam & populo Ianuensibus districtè dedimus in præceptis ut cùm dictus Erardus, sicut nostris fuit auribus intimatum, moram faciat apud ipsos, ut juxta iniquitatem conceptam ipsorum fretus auxilio intendat, si poterit, arcum suum, ipsi eidem intendere volenti malignitati prædictæ omnino suum subtrahant auxilium & favorem, sicut caram habent apostolicæ sedis gratiam & Dei ac nostram, terræ sanctæ ac Regis Franciæ volunt offensam & dispendium evitare, attentiùs præcaventes ne si forsan, quod absit, inventi fuerint tantæ iniquitatis fautores, tunc facilè non possint pœnæ consortium, ut nunc culpæ participium, declinare. Nos autem hujus rami malè pullulantis radices debilitare volentes, dilectis filiis Abbati sancti Andreæ de Sexto & sancti Theodori & sanctæ Mariæ de Albaria Prioribus Ianuensis diœcesis dedimus in mandatis ut si quos ex ipsis culpabiles invenerint in hoc facto, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cessare à sua præsumptione compellant. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatinus cùm, sicut creditur, tota illius Erardi circa hoc versetur intentio ut aliquibus sibi ascitis complicibus & fautoribus comparatis, præfatum Comitem molestet, si poterit, & offendat, de terra sua cupiens aliquid sibi surripere, sicut prædo in insidiis latitando, vos auctoritate nostra suffulti, si quos in Senonensi provincia inveneritis qui prædicto Erardo super hoc iniquè præsumpserint impendere auxilium vel favorem, ab hujusmodi præsumptione cessare appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellatis. Volumus enim malis obviare principiis, ne per negligentiam vires sumant, seu per insolentiam invalescant. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani III. Non. Februarij, pontificatus nostri anno octavodecimo.

In eundem modum scriptum est Episcopo Cabilonensi, & Abbati Cisterciensi & Priori de Vergiaco Cabilonensis & Eduensis diœcesum, in Lugdunensi provincia &c. *ut in alia per totum.*

In eundem modum Episcopo Cabilonensi, & Abbati sancti Iohannis in Vineis, & Decano Suessionensi, in Remensi provincia &c. *ut in prima per totum.*

Scribitur Prælatis Franciæ ut Erardum à sua præsumptione compescant.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Olim cùm ageretur Lib. 2. epi. 75.
coram nobis in publico consistorio de quadam incestuosa copula quæ contracta fuerat in Hispania pronuntiasse meminimus, præsente clericorum & laicorum multitudine copiosa, quòd sicut in Syria una fuerat incestuosè copulata duobus, sic in Hispania unus sibi duas copulaverat per incestus. Et quidem peccatum quod fuerat in oriente commissum graviter est punitum, quia Conradus Marchio Montisferrati gladio & Henricus Comes

Trecensis

Trecensis præcipitio perierunt, qui filiam Regis Hierosolymitani, ad quam regnum spectabat, sibi præsumpserant illegitimè copulare. Vnde illorum exemplum alium debuerat deterrere ne similem culpam in occidente committeret: qui forsan idcirco pœnam similem non incurrit, quia pœnitens de commissis, utramque à suo consortio separavit. Nuper autem cùm nostris fuisset auribus intimatum quòd Erardus de Brena Hierosolymitanas partes adierat ut unam de duabus filiabus præfati Comitis, quas de tali copula procreaverat, sibi duceret in uxorem, ut comitatum Trecensem & aliam terram ad eundem quondam Comitem pertinentem sibi occasione hujusmodi vendicaret, quoniam intelleximus quòd illa ipsum proxima linea consanguinitatis attingit, fecimus ei ex parte nostra per sanctæ memoriæ Albertum Hierosolymitanum Patriarcham solemniter interdici ne præsumeret cum illa contrahere, cùm mandaverimus testes recipi super linea consanguinitatis prædictæ, ut redderemur de impedimento legitimo certiores. Ipse verò post prædicti obitum Patriarchæ, captata successoris absentia &c. *ut in superiore usque* aspectum, sed concito cursu Ianuam navigavit, ut celeriter transalpinans &c. *usque* querelam audiret. Volentes igitur imminentibus periculis obviare, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus dictum Erardum, si fortè occasione præscripta præsumeret malignari, vos Deum habentes præ oculis, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compescatis, mandatum apostolicum taliter impleturi quòd de diligentia studiosa mereamini commendari. Datum Ferentini secundo Kal. Augusti, pontificatus nostri anno octavodecimo.

Mandatur ut Comitissa & Erardus Romam veniant aut mittant.

INnocentius &c. venerabili fratri Episcopo Suessionensi, & dilectis filiis Cluniacensi & Longipontis Abbatibus Masticonensis & Suessionensis diocesum, salutem & apostolicam benedictionem. Querelam nobilis mulieris Blanchæ Comitissæ Campaniæ pro nobili viro Theobaldo nato suo pupillo Comite Campaniæ recepimus continentem quòd Erardus de Brena & Philippa illegitima filia quondam Henrici Comitis Campaniæ ipsum & sua molestare nituntur, moliente prædicta Philippa in terra quam possidet idem Comes succedere occasione incestuosæ copulæ quam mater ipsius Philippæ cum prædicto Comite, alio etiam legitimo viro vivente, contraxit, ex qua non sine duplici nota progenita, cùm manifestum habeat defectum natalium, successionis titulum non meretur. Volentes autem in causa natalium publicam exhiberi justitiam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus Comitissæ pro filio suo & prædictis Erardo & Philippæ ex parte nostra præcipiatis expresè quòd usque ad terminum competentem, quem vos eis peremptorium assignetis, per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent; ut auditis & plenius intellectis quæ fuerint hinc inde proposita, utrum ipsa Philippa ex copula prædicta susceptа illegitima debeat reputari, justo judicio declaretur. Cetera cùm successionis causa ex ista dependeat, ne fortè negotium confundi contingat, terram prædictam in statu in quo nunc esse dinoscitur conservetis, molestatores interim per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Perusij XIII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno nonodecimo.

Testimonium receptum ab Abbatibus Arremarensis monasterij & Quinciaci & Vallisflucentis super linea consanguinitatis inter Erardum & Philippam.

VNiversis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, R. Arremarensis monasterij, O. Quinciaci, & G. Vallisflucentis dicti Abbates, salutem & sinceram in Domino dilectionem. Vniversitati vestræ notum facimus & testificamur quòd nos de mandato venerabilis patris Roberti tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati recepimus testimonium virorum nobilium Simonis de Corpalais, Petri de Bauveoir, & Guidonis Gasteble juratorum quòd inter nobilem Domicellam filiam bonæ memoriæ Comitis Henrici & Erardum de Rameruco tanta & talis est parentela quòd inter eos non potest nec debet matrimonium celebrari. Hujus autem parentelæ lineam computaverunt tali modo, quòd Rex Franciæ qui cognominatur Grossus Rex fratrem habuit nomine Florium. Hujus Florij filia fuit Isabellis de Nangies. Hujus Isabellæ filia fuit Domina de Venisiaco, mater præfati Erardi. Ex alia parte Grossi Regis filius, Ludovicus Rex. Regis Ludovici filia fuit Comitissa Maria. Comitissæ Mariæ filius fuit Comes Henricus, pater præfatæ Domicellæ. In testimonium igitur eorum quæ in nostra præsentia testificati sunt præsentes litteras emisimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum anno verbi incarnati MCCXIII. mense Iulio.

Testimonium Roberti Cardinalis de eadem re.

RObertus servus crucis Christi, miseratione divina tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & sinceram in Domino caritatem. Noverit universitas vestra quòd plures nobiles viri juramento interposito testificati sunt coram nobis quòd inter nobilem Domicellam filiam quondam inclitæ recordationis Comitis Henrici, qui decessit in partibus transmarinis, & Erardum de Brena tanta est consanguinitas quòd inter eos non potest nec debet matrimonium celebrari. Lineam autem hujus consanguinitatis computant hoc modo. Grossus Rex fratrem habuit nomine Florium. Hujus Florij filia fuit Elisabeth de Nainville. Cujus Elisabeth filia fuit Domina Venisiaci. Hujus Dominæ Venisiaci filius est præfatus Erardus. Ex alia parte, Grossi Regis filius fuit Rex Ludovicus. Regis Ludovici filia fuit Comitissa Maria. Comitissæ Mariæ filius fuit Comes Henricus prædictus, pater Domicellæ præfatæ. Datum Meleduni anno gratiæ MCCXIII. mense Augusto.

Litteræ ejusdem de incestuoso matrimonio Comitis Henrici.

VNiversis præsentes litteras inspecturis Robertus servus crucis Christi, divina miseratione tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd nos habito virorum prudentium consilio, adjunctis etiam nobis venerabilibus fratribus H. Suessionensi & G. Meldensi Episcopis & aliis bonis viris, audivimus testes, & eorum depositiones sub nostro & dictorum Episcoporum sigillis inclusimus. Audivimus autem eos super his articulis nobis expressis, scilicet quòd Comes Henricus iturus ultra mare terram suam fecit jurari Theobaldo fratri suo si non rediret de partibus transmarinis & de pertinentibus ad hoc, & quòd Regina Hierosolymitana per Marchionem ablata fuit per violentiam Vmfrido de Thorun viro suo, & eodem Vmfredo adhuc vivente habuit eam Comes Henricus post mortem Marchionis, & de pertinentibus ad hoc. Hoc autem fecimus quia de morte quorundam ex illis testibus, qui erant senes, poterat meritò timeri, & de longa absentia aliorum, & propter guerras & propter alia pericula quæ imminebant & poterant imminere, & propter negotij qualitatem. Hi sunt autem testes.

Guido de Dampetra vir nobilis juratus dixit quòd non interfuit quando Comes Henricus fecit jurari terram fratri suo Comiti Theobaldo, audivit tamen dici. Requisitus de causa Henrici, quomodo habuit Reginam, respondit quòd vivebat Vmfredus prior ejus maritus quando cum ea contraxit; qui Vmfredus eam in matrimonio tenuerat per tres annos & amplius. Et adjunxit quòd audivit præfatum Vmfredum conquerentem sæpe per exercitum de eo quòd uxor sua erat ablata à Marchione. Et adjecit quòd quando Vmfredus tenuit eam tamquam uxorem, ipsa erat decem & octo annorum. Et hoc totum vidit in obsidione Accon & in Tyro, testificatus etiam quòd fama publica erat in exercitu quòd ipsa uxor erat Vmfredi. Et hoc idem bene sciebat ipse Comes. Et adjunxit quòd Comes fuit in auxilium eorum qui rapuerunt eam, & ipse Comes adduxit eam cum aliis ut traderetur Marchioni. Et hoc fuit factum apud Accon.

Nobilis vir Odardus Marescallus Campaniæ juratus dixit idem quod Guido de terra jurata. De Vmfredo autem, an viveret quando Comes cum ipsius uxore contraxit, idem. De conquestione Vmfredi idem dixit, & adjecit quòd præsente Comite & coram multis Baronibus repetebat idem Vmfredus sibi restitui uxorem suam per os Domini Reginaldi de Tabaria, & ferè omnes comminati sunt ipsi Vmfredo dicentes: Domine, vultis vos ut nos omnes pereamus in exercitu fame propter vos solum. Melius est ut Domina tradatur alicui bono viro qui regat exercitum, ne fame pereat. De ætate, loco, & aliis idem quod primus. Adjecit etiam quòd tres filiæ illius Reginæ natæ fuerunt vivente Vmfredo. Iste nuntius fuit ad impetrandum illud matrimonium Marchioni; & nuntiavit quòd nisi hoc fieret, exercitus fame periret.

Guido de Capis juratus dixit quòd præsens fuit apud Sezanniam quando Comes Henricus fecit jurari terram Theobaldo fratri suo. Nam & ipse juravit. De vita Vmfredi & loco ablationis, de ætate, idem cum prædictis. Et dixit quòd ferè exercitus clamans conquerebatur: O quantum flagitium commissum est in exercitu quòd abstulerunt Vmfredo uxorem suam per violentiam! aliis dicentibus quòd factum fuit pro meliorando foro exercitus per Marchionem. Et adjunxit quòd nec audivit nec credit quòd unquam factum fuerit divortium per Ecclesiam inter Vmfredum & Reginam uxorem suam.

Petrus Turxinus nobilis vir dicit idem quod Guido de Capis de juratione terræ, & quòd credit se ipsum jurasse. De vita Vmfredi & ætate Reginæ & loco ablationis idem quod alij.

Vvillelmus Comes Ionviniacensis juratus de juratione terræ & vita Vmfredi idem quod primus. De aliis nihil scit nisi de auditu. Tamen adjecit quòd audivit magnum clamorem sæpe fieri per exercitum de eo quòd Vmfredus perdidit tam turpiter uxorem suam ei per violentiam ablatam.

Hugo de sancto Mauritio juravit & dixit de juratione terræ idem quod Guido de Capis. De vita Vmfredi, ætate Reginæ, de conquestione Vmfredi quam fecit ubique pro uxore sua ablata, idem per omnia quod Guido de Capis. Et adjecit quid in eodem tentorio fuit cum Vmfredo quando ab alio tentorio vicino fuit uxor ejus violenter ablata, & dixit ei Vmfredus: Domine Hugo, timeo ne illi qui sunt cum uxore mea faciant illam dicere aliquid diabolicum. Et tunc venit quidam miles suus dicens ei: Ecce illi abducunt uxorem tuam. Et cùm ipse Vmfredus insequerentur eam, dixit illi: Domina, non est hæc recta via ad hospitium tuum; redeas ad me. At illa submisso capite in aliam viam se convertit. In omnibus aliis concordat cum Guidone de Capis.

Robertus de Miliaco vir nobilis juravit, & dixit idem de juratione terræ; de vita Vmfredi, de loco ablationis, idem quod Guido de Capis. De ætate idem quod alij; nec credit nec audivit quòd unquam factum divortium fuerit inter Vmfredum & Reginam uxorem suam.

Dominus Rogerius de sancto Karauno juravit & dixit de juramento terræ, de vita Vmfredi, de ætate Reginæ, idem quod G. de Capis, & audivit Barones sæpe dicentes: Vmfredus nihil valet ad regnum tenendum. Et ideo dicebant: Auferamus ei uxorem suam, & demus eam Marchioni, qui bene reget regnum, & faciet bonum forum per exercitum. De conquestione Vmfredi idem quod alij.

Lambertus de Barro juratus dixit idem de juramento terræ quod Guido de Capis, excepto quòd tunc apud Sezanniã non juravit. De aliis nihil scit.

Omnes isti concordant in hoc, præter Robertum, quòd dicebatur publicè per exercitum quòd propter peccatum illud, scilicet quia ablata erat Vmfredo uxor sua, multa mala evenerunt exercitui, videlicet quòd die nuptiarum multi milites & alij homines capti sunt à Sarracenis & occisi, in modico tempore succedente ipse Marchio ab Assacidis interfectus est, & ipse Comes Henricus, postquam contraxit cum ea, similiter à fenestra corruit & mortuus est.

Nos igitur attendentes prædictas rationes & utilitatem regni & totius Ecclesiæ Gallicanæ, &

pro bono pacis in posterum meliùs conservandæ, communicato etiam prudentum & virorum religiosorum consilio, de auctoritate legationis nostræ volumus ut attestationes istæ vim ac fidem habeant, quando necesse fuerit, ac si essent auditæ post litem inchoatam, & ipsas eadem auctoritate ad hanc virtutem habendam confirmamus. Actum anno gratiæ MCC. tertio decimo, mense Octobri.

Abbas Prulliaci fecit hujusmodi inquestam super parentela inter Erardum & Philippam filiam Comitis Henrici,

VNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis frater A. dictus Abbas Prulliaci in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd venerabilis pater Robertus Dei providentia tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus mandavit nobis per litteras suas ut præciperemus dilecto fratri Gerardo Aventato monacho nostro quatenus interposito sacramento perhiberet testimonium veritati super eo quòd à nobis esset requisitus de parentela quæ est inter nobilem Domicellam Philippam filiam quondam inclitæ recordationis Comitis Henrici, qui decessit in partibus transmarinis, & Erardum de Brena. Qui vocatus coram nobis, tactis sacrosanctis reliquiis cum juramento parentelam Erardi prænominati & Domicellæ præfatæ ad inquisitionem nostram per secramentum quod fecerat taliter enarravit. Grossus & Florius fuerunt fratres. Hujus Regis qui cognominabatur Grossus filius fuit Ludovicus Rex qui sepultus est apud sanctum Portum. Hujus Regis Ludovici filia fuit Comitissa Maria. Comitissæ Mariæ filius fuit præfatus Comes Henricus, pater prædictæ Domicellæ. Ex alia parte, de Florio exiit * Ysabiaus. Mater fuit Aalaidis Dominæ Venisiaci. Aalaidis Domina Venisiaci mater est prædicti Erardi. In cujus rei memoriam præsentes litteras fecimus sigilli nostri charactere consignatas. Actum Prulliaci anno gratiæ MCC. tertiodecimo in festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

* *In codice Colbertino:* Isabella de Nangies. Isabella mater fuit Aalidis

Girardus Aventatus sive Eventatus, cujus testimonium refertur in superioribus litteris, erat antiquissimus monachus monasterij Prulliacensis, & fuerat olim Miles, ut notatur in codice Colbertino.

Inhibitio Honorij Papæ III. facta contra Erardum de Brena & Philippam uxorem.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Anima nostra turbata est valde, ac impletus amaritudine venter noster, conturbataque sunt viscera nostra, & lumbi nostri dolore repleti, quoniam filij venerunt usque ad partum, & ecce virtus videtur deficere pariendi & efflorere cui benedixerat Dominus ager satus exhortationis apostolicæ semine ante messem. Leviathan enim sanctificatis Domini, qui super montem caliginosum signum levaverunt, ut redderent Ægypto & habitatoribus ejus malum quod fecerunt in Sion & Hierusalem in conspectu Domini Dei nostri, iter rectum per anfractus ut serpens tortuosus distorsit & obseravit ut vectis, coram eis ponens offendiculum quò impingant & convertantur retrorsum. Attendite igitur & videte si sicut dolor noster est dolor, cùm exercitus ad obsequium Domini præparatus tanto studio & labore, passagio imminente, quasi regione albescente ad messem, astutia diabolica retrorsum videatur converti, ne ascendant in palmam & colligant fructus ejus, quodque nos magis monet ac turbat, vos videntes hoc malum, non solùm non habeatis, sicut dicitur, ex hòc luctum, & eidem nequaquam, prout ad vestrum officium pertinet, obvietis, verùm etiam, sicut accepimus, quidam vestrum tanto malo incentivum potiùs tribuunt & fomentum. Olim sanè felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster volens imminentibus periculis obviare, audito quòd Erardus de Brena, cui per sanctæ memoriæ Albertum Hierosolymitanum Patriarcham solemniter fecerat interdici ne cum Philippa, quam Comes quondam Henricus de copula incestuosa susceperat, contrahere præsumeret, cùm, sicut acceperat, eadem ipsum proxima consanguinitatis linea contingeret, & ipse prædecessor noster mandaverit testes recipi super consanguinitate prædicta, cupiditate ambitiosa cœcatus eandem Philippam sibi clandestinè copularat, & de partibus rediens transmarinis, in regnum Franciæ festinaret accedere, ut, si posset, schisma contra dilectum filium nobilem virum Theobaldum Campaniæ Comitem susciteret, non solùm in grave scandalum regni ejusdem, verùm etiam in grande dispendium terræ sanctæ, apostolicis vobis dederit litteris in præceptis ut dictum Erardum, Deum habentes præ oculis, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam compescere curaretis, si fortè occasione præscripta presumeret malignari; cujus nos vestigiis inhærentes, ne hujusmodi occasione posset ejusdem terræ sanctę impediri succursus, contra dictum Erardum & eandem Philippam nuper vobis præceptum simile recolimus direxisse. In generali quoque Concilio, quoniam ad crucis negotium exequendum est permaximè necessarium ut principes populi Christiani ad invicem pacem observent, provida fuit deliberatione statutum ut saltem per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter servaretur, ita quòd per Ecclesiarum prælatos discordantes reducerentur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter observandam; & qui acquiescere fortè contemnerent, per excommunicationem in personas & interdictum in terras arctissimè cogerentur; nisi tanta esset injuriatorum malitia quòd ipsi tali non deberent pace gaudere. Licèt igitur dictus Erardus cum complicibus & coadjutoribus suis, sicut ex litteris dilecti filij nobilis viri Odonis Ducis Burgundiæ crucesignati nobis innotuit, terram Comitis memorati nuper hostiliter intrans, quasdam villas incendio devastarit, & mercatores euntes ad nundinas in strata publica fuerit deprædatus, eundemque Comitem & terram suam infestare non cessans, quamquam dilecta in Christo filia Blancha Comitissa mater ipsius Comitis, quæ ballium gerit ejusdem, parata sit secundùm approbatam regni Franciæ consuetudinem stare juri, vos tamen tam præceptum ejusdem prædecessoris nostri & nostrum quàm constitutionem præfati Concilij surdis auribus transeuntes, non tantùm prædicti Erardi & fautorum ipsius temeritatem & malitiam, sicut dicitur, compescere non curatis, sed & quidam

Vide Odor. Raynald. ad an. 1216. §. 42.

vestrum, quod grave gerimus & molestum, omissa pontificalis officij gravitate, ambulantes secundùm carnem, & luctum viarum Sion ducentes pro nihilo, eidem auxilium tribuunt & favorem, qui, ut de prædictis rationibus taceamus, ratione homagij quod receperunt ab eo, deberent eundem Comitem defensare. Adjunxit etiam idem Dux quòd nisi huic morbo citiùs apponatur remedium, plusquam credatur terræ sanctæ impedietur succursus, eò quòd ex hujusmodi guerra non ipsius & suorum duntaxat, qui, sicut asserit, propter hoc etiam de partibus transmarinis rediret ad propria festinanter, cùm tum ratione hominij quo idem Comes tenetur astrictus, tum propter juramentum quod ipse de illo juvando pro viribus præstitit, tum propter necessitudinem sanguinis, eidem ullatenus deesse non possit, & dictus Comes defensionem & auxilium debitum instanter postulet ab eodem, voti executio retardatur, verùm etiam omnium Baronum regni Franciæ, qui affixerunt suis humeris signum crucis, & qui adhuc id ipsum habēt in proposito faciendi, quoniam guerra ista plures quàm æstimetur involvet, & pecunia pro votorum executione parata in expugnationem hostium crucis Christi consumetur in interitionem populi Christiani dextras in sua viscera convertentis. Ecce quomodo astutia Sathanæ lætitiam afferre nititur Philistæis, quasi percussoris eorum comminuta sit virga, dum ij qui signum levaverant contra eos, à via in invium declinando fiunt in adjutorium filiis Loth, eis videlicet qui disponentes adversùs Dominum testamentum dicunt: *Hereditate possideamus sanctuarium Dei nobis.* Nos igitur, qui ex hoc tacti sumus dolore cordis intrinsecus, & de tanto scandalo urimur vehementer, illius volentes, prout ad nostrum officium pertinet, versutiis obviare qui lætatur cùm malè fecerit & in pessimis rebus exultat, ne modico malignitatis fermento tota massa eorum qui de regno Franciæ ad obsequium Iesu Christi facta est quasi nova conspersio corrumpatur, sed in azymis sinceritatis & veritatis potiùs epulando reddat Domino vota sua, fraternitati vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus quatinus Deum habentes præ oculis, gratia, odio ac timore postpositis, contra eorundē Erardi & Philippæ præsumptionem malignam juxta prædecessoris nostri mandatum & nostrum taliter sine moræ dispendio procedatis quòd zelum habere videamini terræ sanctæ, cujus ex hujusmodi temeritate auxilium impe itur, & expiasse nihilominus inobedientiam quæ dicitur præcessisse per obedientiam subsecutam, ac nos vobis scribere duriùs non cogamur, qui habemus in promptu omnem inobedientiam vindicare, spiritualibus armis & Deo potentibus militantes. Datum Laterani VI. Non. Maij, pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum scriptum est Episcopo Silvanectensi & Abbati sanctæ Genovefæ & Priori sancti Martini de Campis, verbis competenter mutatis usque Domino vota sua, discretioni vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus quatinus Deum habentes præ oculis, gratia, odio ac timore postpositis, dictos Erardum & Philippam necnon & factores eorum ut ab infestatione prædicti Comitis & terræ suæ & suorum ob Christi reverentiam desistentes, firmam treugam inviolabiliter observandam usque ad tempus in prædicto Concilio diffinitum ineant cum eodem, monitione præmissa per excommunicationis sententiam in personas & interdictum in terras eorum sublato appellationis obstaculo sine moræ dispendio compellatis, præsertim cùm Comitissa præfata parata existat pro eo ubi debuerit secundùm consuetudinem regni ejusdem ipsis justitiæ plenitudinem exhibere. Et quoniam sæpe contingit quòd illis præbet temporalis vexatio intellectum quos à malis non retrahit amor Dei nec ecclesiastica censura compescit, illustrem Regem Francorum moneatis prudenter & efficaciter inducatis ut tactus injuria Iesu Christi, cujus ex præsumptione hujusmodi negotium impeditur, eorundem Erardi & Philippæ ac fautorum ipsorum malignitatem temerariam tradita sibi cælitus potestate compescat, in hoc Deo potiùs quàm homini serviendo. Taliter autem sine dilatione mandatum apostolicum exequi procuretis quòd zelus terræ sanctæ vos comedere videatur, & reprehendi de negligentia non possitis, sed de diligentia potiùs commendari. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum ut in alia.

Prohibet Papa ne Regina Cypri audiatur in causa successionis donec probetur esse legitima.

HOnorius &c. venerabili fratri Episcopo Cathalaunensi & dilectis filiis sancti Iohannis in Vineis & Vallis secretæ Præmonstratensis ordinis Suessionensis diocesis Abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia nobilis mulier Blancha Comitissa & dilectus filius nobilis vir Thebaldus natus ejus Comes Campaniæ nobis insinuare curarunt quòd carissima in Christo filia nostra illustris Regina Cypri illegitima filia Henrici quondam Comitis Campaniæ ipsos & sua nititur molestare, moliendo in terram quam possidet idem Comes succedere occasione incestuosæ copulæ quam mater ipsius Reginæ cum Henrico Comite supradicto, alio etiam legitimo viro vivente, contraxit, ex qua non sine duplici nota progenita, cùm manifestum patiatur defectum natalium, successionis titulum non meretur. Volentes igitur in causa natalium justitiam publicam exhiberi, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus ipsi Reginæ, si ad partes accesserit Gallicanas, auctoritate nostra injungatis expressè ut usque ad terminum competentem, quem ipsi peremptorium assignetis, personaliter vel per procuratores idoneos apostolico se conspectui repræsentet; id ipsum injungentes ejus procuratori, si aliquem fortè propter hoc ad partes destinaverit supradictas; ut auditis & plenius intellectis quæ fuerint hinc inde proposita, justo declaretur judicio utrum ipsa Regina ex copula prædicta suscepta debeat illegitima reputari. Quòd si fortè dicta Regina vel aliquis nomine seu etiam occasione ipsius super ipsa causa successionis litigare vellet in par-

tibus Gallicanis, ipsos non permittatis audiri quousque causa natalium, ex qua illa dèpendet, per apostolicæ sedis judicium terminetur. Quin immo, ne fortè negotium confundi contingat, præfatam terram in statu in quo nunc esse dinoscitur conservantes, illam non permittatis hujusmodi occasione ab aliquo perturbari; perturbatores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Reate VIII. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno tertio.

Ad Philippum Regem, ne audiat in causa successionis donec terminetur causa natalium Reginæ Cypri.

HOnorius &c. carissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Licèt indubitanter noverimus te promptum esse ad justitiam cunctis petentibus exhibendam, ex abundanti tamen nuper ad preces carissimæ in Christo filiæ nostræ illustris Reginæ Cypri serenitatem tuam rogavimus & adhuc quoque rogamus ut eandem Reginam, cùm ipsam ad præsentiam tuam venire contigerit, cures benignè recipere, & tam eam quàm A. nuntium suum in ipsius Reginæ justis petitionibus exaudire. Verùm, sicut dignum est ut exaudiantur à te in petitionibus justis, ita etiam dignum est ut eis audientiam deneges in injustis. Injusta autem esset petitio si forsitan peterent ut super successione comitatus Campaniæ audires ipsius Reginæ hoc tempore quæstionem: quia cùm ad examen nostrum jam deducta sit causa natalium, quæ ad forum ecclesiasticum pertinet, & ex qua illa dependet, nihil aliud esset antequam hæc sit terminata illam incipere quàm diversis processibus intricare negotium & confusione quadam ordinem judicij perturbare. Ideoque serenitatem tuam prænomendam duximus & rogandam quatinus si forsan ab ipsa Regina seu à præfato nuntio ejus vel alio super hoc fueris requisitus, eorum precibus aures regias, donec jamdicta causa natalium apostolico judicio finem acceperit, non inclines. Datum Viterbij IV. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Ludovico Regi, ne ipsos audiat in causa successionis donec terminetur causa natalium.

Quinta compil. Decretal. lib. 2 tit. 5. c. 1.

HOnorius &c. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Tuam non credimus latere prudentiam causam natalium carissimæ in Christo filiæ nostræ illustris Reginæ Cypri ad examen nostrum, utpote quæ ad forum ecclesiasticum pertinet, jamdudum esse delatam. Vnde claræ memoriæ Philippum Regem Franciæ patrem tuum litteris nostris curavimus prænomonere ut si forsan Regina ipsa super successione comitatus Campaniæ quæstionem proponeret coram eo, non audiret eandem quousque terminata esset prædicta causa natalium, ex qua illa noscitur dependere. Licèt ergo, sicut eidem patri tuo scripsimus, velimus Reginam ipsam in suis justis petitionibus exaudiri, quia tamen antequam natalium causa terminata sit, dependentem ex illa successionis causam incipere nihil aliud esset quàm diversis processibus intricare negotium & confusione quadam ordinem judicij perturbare, tuam quoque serenitatem prænomendam duximus & rogandam quatinus si fortè ab ipsa Regina vel nuntio ejus seu quolibet alio super hoc fueris requisitus, eorum precibus aures regias, donec jamdicta causa natalium apostolico judicio finem acceperit, non inclines. Datum Laterani XVII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Charta Erardi de Brena qualiter quitavit Theobaldo Comiti Campaniæ & rectis heredibus ejus quicquid clamabat ex parte Philippæ uxoris suæ in comitatibus Campaniæ & Briæ.

EGo Erardus de Brena notum facio universis tam præsentibus quàm futuris quòd cùm discordia extitisset inter me & Dominam Philippam uxorem meam ex una parte & nobilem virum Theobaldum Campaniæ & Briæ Comitem Palatinum ex altera super comitatibus Campaniæ & Briæ & pertinentiis eorundem, super quibus coram Domino Rege Franciæ traxeramus in causam ego & prædicta uxor mea Comitem supradictum, & etiam guerram moveramus contra eum, tandem propria & spontanea voluntate mea, nullo metu, nulla coactione compulsus, de consensu & voluntate prædictæ uxoris meæ quitavi penitùs & remisi supradicto Theobaldo Comiti & heredibus ex corpore suo successivè in perpetuum descendentibus quicquid clamabam seu clamaveram ex parte dictæ Philippæ uxoris meæ in comitatibus & pertinentiis supradictis; tali conditione apposita, quòd si fortè contingeret prædictum Theobaldum Comitem sine herede corporis sui vel heredes ex corpore suo successivè descendentes sine herede corporum suorum decedere, nullum mihi nec prædictæ uxori meæ nec heredibus ex corpore ipsius successivè descendentibus fieret præjudicium ex quitatione & remissione prædictis quin ad jus nostrum, si quod unquam habuimus vel habere debuimus super præmissis, liberè possemus redire non obstantibus prædictis; ita tamen quòd nobilis Domina Blancha Comitissa mater Comitis supradicti liberè ac pacificè sine contradictione ac molestatione aliqua teneret & possideret quandiu viveret totum doarium suum cum omnibus pertinentiis sicut ei factum fuit à Comite Theobaldo quondam marito ipsius, & insuper omnes conquestus suos quos habere debet de jure consuetudinario sive scripto, idem esset de doario & conquestibus uxoris Theobaldi Comitis, quæcunque illa foret. Et sciendum quòd si soror prædictæ uxoris meæ Regina Cypri vel heredes ipsius venient ad partes istas, & de comitatibus Campaniæ & Briæ ac pertinentiis supradictis aliquid acquirerent per guerram vel placitum sive pacem, postquam essent in saisina & teneura illius conquestæ seu acquisitionis quas ad remanentiam, id est, sine contradictione prædictorum Comitissæ & Comitis & heredum ex corpore ejusdem Comitis successivè descendentium retinerent, si ego vel prædicta uxor mea seu heredes ex corpore successivè descendentes aliquo modo à prædicta Regina vel

heredibus suis aliquid de prædicta conquesta seu acquisitione possemus acquirere, illud nobis remaneret pacificè nonobstantibus prædictis. Sic autem intelligimus quòd contradictio dictorum Comitissæ & Comitis non valeret si priùs laudassent & concessissent prædictam conquestam seu acquisitionem aliquo prædictorum modorum factam. Prædictus autem Comes Theobaldus propter quitationem & remissionem prædictas dedit prædictæ Philippæ uxori meæ & heredibus ex corpore suo successivè in perpetuum descendentibus mille & ducentas libratas terræ in feodum ligium; tali conditione apposita, quòd si contingeret eandem Philippam sine herede corporis sui vel heredes ex corpore suo successivè descendentes sine herede corporum suorum decedere, terra prædicta ad ipsum Theobaldum Comitem vel ad heredes ex corpore suo successivè descendentes sine contradictione aliqua reverteretur. Præterea idem Comes Theobaldus dedit mihi & prædictæ Philippæ uxori meæ quatuor mille libras Pruvinenses, & quitavit nobis damna omnia quæ intulimus ei per guerram nos & coadjutores nostri. Et quitavit etiam grueriam quam clamabat in propriis nemoribus meis. Et insuper quitavit me de omni debito quod debebam Iudæis & burgensibus ipsius, qui scilicet Iudæi & burgenses sui erant in vigilia omnium sanctorum proximò præterita, quod quidem debitum contraxeram antequam ivissem ultra mare. Per hæc itaque supradicta mihi & prædictæ Philippæ uxori meæ data & quitata tenui & teneo me pro pagato per consensum & voluntatem ejusdem uxoris meæ de omni eo quod clamabam seu clamaveram ex parte ipsius Philippæ in comitatibus Campaniæ & Briæ & in pertinentiis eorundem. Salva tamen conditione quæ superiùs est expressa. Præterea concessi propria & spontanea voluntate mea, & etiam de consensu prædictæ uxoris meæ, ut si fortè, quod absit, contigerit me vel eandem uxorem meam aut heredes ex corpore ipsius successivè descendentes vel alium nomine nostro contra quitationem vel remissionem prædictas venire movendo placitũ seu guerram, prædictus Theobaldus Comes vel heredes ex corpore suo successivè descendentes sine mesfacere & sine fidem mentiri possint accipere prædictas mille & ducentas libratas terræ & debita superiùs quitata repetere ac quicquid juris habebant in memorata grueria reclamare. Et teneremur etiam in hoc casu ego & prædicta uxor mea vel heredes ex corpore ipsius successivè descendentes reddere eidem Comiti Theobaldo vel heredibus ex corpore suo successivè descendentibus quatuor millia librarum Pruvinensium, & de damnis quæ idem Comes incurrit per guerram prædictam essemus in eodem statu & puncto in quo eramus ego & prædicta uxor mea antequam dicta quitatio seu remissio facta esset. Hæc omnia & singula, sicut suprà sunt expressa, propria & spontanea voluntate mea, & etiam de consensu & voluntate supradictæ Philippæ uxoris meæ, juravi me in perpetuum observaturum & nunquam contra venturum. Quod ut notum permaneat & firmum teneatur, litteris annotatum sigilli mei munimine roboravi. Actum anno ab incarnatione Domini MCCXX. primo, mense Novembri.

Litteræ ejusdem Erardi & Philippæ ejus uxoris; quibus promittunt sigillare ad voluntatem Patriarchæ Hierosolymitani pacem & concordiam factam inter ipsos & Comitissam & filium.

NOs Erardus de Brena & ego Philippa uxor ejus notum facio universis tam præsentibus quàm futuris quòd cùm dies esset assignata apud Calvummontem in recessu venerabilis patris Girardi Patriarchæ Hierosolymitani, quo mediante facta fuit pax, dum esset Episcopus Valentinensis, inter carissimam Dominam nostram Blancham Comitissam Trecensem Palatinam & carissimum Dominum nostrum Theobaldum Comitem Campaniæ & Briæ Palatinum ex una parte, & nos Erardum & Philippam uxorem ejus ex altera, nos dicto loco, videlicet apud Calvummontem, eidem Patriarchæ promisimus per præsentes litteras quòd quantumcunque Dominus Theobaldus Comes Campaniæ super hoc monebit, & ubicunque voluerit, veniemus, & pacem prædictam cum correctione quam apposuerit Dominus Patriarcha per suas litteras patentes, nos concedemus de novo & sigillabimus iterum quando fuerimus requisiti. Quod ut notum permaneat & firmum teneatur, litteris annotatum sigillorum nostrorum fecimus munimine roborari. Actum anno gratiæ MCCXXVI. die Veneris in festo sancti Vincentij.

Confirmatio pacis initæ inter partes supradictas.

HOnorius &c. dilecto filio nobili viro Theobaldo Comiti Campaniæ salutem & apostolicam benedictionem. Si pedes evangelizantium pacem pulcri voce prophetica nuntiantur, facientium illam seu etiam conservantium tanto pulciores possunt non immeritò æstimari quanto præminet opus verbo. Propter quod nobis, qui, licèt immeriti, ejus locum tenemus in terris qui pacificavit quæ in terris & quæ in cœlis sunt per sanguinem crucis suæ, ex officio apostolatus incumbit ad ea quæ sunt pacis intendere; ut videlicet discordantes reducamus ad pacem, & ad concordiam revocatos circumspectione apostolica foveamus in illa, ne sopita patiatur discordia recidivum in discrimen corporum & periculum animarum, consecuturi ex hoc pulcritudinem præmij amplioris; cùm in pace Principum secularium Ecclesiarum tranquillitas ex magna parte consistat, & ex ipsorum discordia eædem incurrant frequenter oppressiones non modicas & jacturas. Cùm igitur gravis & periculosa discordia quæ inter te ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Blancham Comitissam Campaniæ matrem tuam ex parte una & nobilem virum Erardum de Brena & Philippam uxorem ejus ex altera vertebatur sit, eo faciente ad cujus imperium spiritus procellæ subsistit & fluctus silent ejusdem, amicabili pace sopita, & prædicti Erardus & uxor ejus suis nobis litteris supplicarint ut eandem dignaremur apostolico munimine roborare, nos tam tuis quàm eorum precibus inclinati pacem ipsam sive concordiam, sicut providè facta est & ab utraque parte sponte recepta & hinc inde juramento firmata, necnon & in authenticis inde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. *usque* incursurum. Datum Sig-

niæ IV. Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno octavo.

Litteræ Reginæ Cypri de renuntiatione comitatuum Campaniæ & Briæ.

EGo Aelidis Dei gratia Regina Cypri notum facio univerſis tam præſentibus quàm futuris quòd ego dedi & do, quitavi & quito, ceſſi & cedo, conceſſi & concedo Theobaldo Comiti Campaniæ & Briæ Palatino & heredibus ſuis quos habet & habiturus eſt ab ipſo & uxore ſua & uxoribus jam habitis vel habendis linea matrimoniali deſcendentibus perpetuò habendum & poſſidendum omne jus quodcunque habebam vel habuerã vel habere poteram in comitatibus Campaniæ & Briæ & pertinentiis eorundem in tota terra quam habuit, tenuit, ſeu poſſedit in proprietate, dominio, & feodis bonæ memoriæ Henricus avus meus quondam Comes Trecenſis, ſi quod jus habebam vel habueram vel habere poteram in dictis comitatibus & pertinentiis eorundem in terra jamdicta; ita quòd de cetero nec ego nec heredes mei in dictis comitatibus & pertinentiis eorundem ac terra prædicta aliquid poterimus reclamare contra dictum Comitem vel heredes ſupradictos, ſicut dictum eſt, ab ipſo linea matrimoniali deſcendentes. Et me deveſtivi de omni jure, ſi quod habebam vel habueram in dictis comitatibus & pertinentiis eorundem & terra jamdicta, in manu cariſſimi Domini mei Ludovici Dei gratia Regis Francorum illuſtris. Et hæc omnia feci in mea propria & libera poteſtate conſtituta & ſpontanea voluntate, nullo timore, captione, violentia, vel compulſione alia inducta. Promiſi etiam & promitto dicto Comiti quòd procurabo bona fide ſine meo ponendo quòd heredes mei omnia quæ continentur in charta iſta laudabunt & approbabunt Comiti ſupradicto & heredibus ejus jam dictis, & juri ſuo, ſi quod habent in dictis comitatibus & pertinentiis eorundem & jamdicta terra, renuntiabunt & quitabunt ac cedent dicto Comiti & ejus heredibus jamdictis; & hæc facient coram aliquibus authenticis perſonis, quæ dicto Comiti litteras ſuas patentes dabunt omnia quæ in charta iſta exprimuntur continentes. Promiſi & promitto etiam me rogaturam Dominum Papam & alias perſonas quas dictus Comes, heredes ejus, vel eorum mandatum mihi nominabunt, ut ſuper dictis conventionibus ſive promiſſionibus ſuas patentes litteras confirmatorias teſtimoniales conficiant & tradant Comiti ſupradicto & heredibus ſuis jamdictis. Suppono etiam me juriſdictioni Prælatorum quorumcunque qui mihi à dicto Comite vel heredibus ſuis ſupradictis vel eorum mandato fuerint nominati, in quorum diœceſibus fuero vel terram habuero, petendo ſupplicando humiliter eiſdem ut ſi contra prædictas conventiones ſive promiſſiones vel aliquam earum aliquo tempore contingeret me venire, in perſonam meam excommunicationis & in terram meam interdicti ſententias promulgarent & uſque ad condignam ſatisfactionem eaſdem facerent inviolabiliter obſervari. Volo etiam & concedo quòd me & heredes meos ad reſtitutionem omnium damnorum & expenſarum hujuſmodi occaſione factarum dicto Comiti & heredibus ejus ſupradictis compellant, ceſſionibus & conventionibus ſupradictis nihilominus in ſuo robore duraturis. Iuravi etiam quòd ante confectionem harum litterarum dictos comitatus vel alterum eorum vel etiam partem dictæ terræ nemini dederam, vendideram, vel conceſſeram; excepto hoc quòd promiſi ſeptingentas libratas terræ ante confectionem iſtarum litterarum, quæ non poterunt capi nec ſolvi in terra à dicto Comite mihi aſſignata; niſi fortè centum libratæ terræ quas promiſi & conceſſi Florentio de Villa Militi per litteras meas ſub certo modo, quæ etiam ibidem non aſſignabuntur niſi jus Domini Regis ad hoc me compellat, & ego me defendam in cauſa quantumcunque potero bona fide. Nec jus, ſi quod ibi habebam vel habere poteram, vel actiones meas, ſi quas habebam, alicui conceſſeram, vel quocunque alio modo alienaveram; nec de cetero cedam vel alienabo jus vel actiones, ſi quas habebam vel habueram ante compoſitionem iſtam ad petendos dictos comitatus vel alterum eorum. Prædicta omnia univerſa & ſingula juravi tactis ſacroſanctis evangeliis me ſervaturam & impleturam, & quòd nullo tempore per me vel per alium contrà non eam, & quòd non procurabo quòd ab hoc juramento abſolvar, vel quòd mihi aliquod jus petendum in ſupradictis reſtituatur, & quòd ſi quod horum ab aliquo eſſet pro me impetratum per me vel per alium, non utar, & quòd nec jamdictum Comitem nec ſupradictos heredes ipſius ſuper præmiſſis per me vel per alium de cetero moleſtabo; ſub eodem juramento renuntians litteris impetratis & impetrandis ſuper præmiſſis, & omni privilegio & omni auxilio juris canonici & civilis. Propter ceſſiones autem, quitationes, & conventiones, & alia ſupradicta dedit mihi dictus Comes quadraginta milia librarum Turonenſium in pecunia numerata, & plenè ſatisfecit mihi de dicta pecuniæ ſumma. Dedit inſuper mihi & aſſignavit duo milia libratarum terræ in terra plana in comitatibus Campaniæ & Briæ; in qua nec habebo fortericiam nec potero facere, quam teneo & tenebo in allodio ad uſus & conſuetudines aliorum allodiorum Campaniæ & Briæ quandiu vixero. Poſt deceſſum autem meum heres meus, ſi citra mare fuerit, homagium ligium inde faciet dicto Comiti vel heredi ejus. Si autem citra mare non venerit, dictus heres requiret per nuntium ſuum & ſuas litteras patentes à Comite Campaniæ vel herede ejus terram. Et tunc dictus Comes vel heres ejus ſine dilatione remittet nuntium ſuum cum litteris ſuis patentibus, qui loco ejus recipiet homagium ligium à dicto herede. Et dictus heres nuntio Comitis vel heredis ejus faciet homagium ligium, quod recipiet nuntius nomine Comitis. Et dabit dictus heres dicto nuntio litteras ſuas patentes de facto homagio, & ſuper hoc litteras teſtimoniales Templi vel Hoſpitalis vel Patriarchæ Hieroſolymitani. Et hæc debent fieri infra annum à morte mea vel heredis mei qui dictam terram poſt me tenuerit; & ſimili modo in perpetuum fiet herede meo vel eo qui terram tenuerit morien-te, & ſimili modo Comite ſeu herede ſuo morien-te. Mortuo autem eo qui dictam terram mihi aſſignatam tenuerit, ſi ultra mare deceſſerit, omnes proventus iptermedij temporis per manum dicti Comitis vel ejus heredis reſervabuntur, & ſucceſſori meo, ſcilicet heredi meo, reſtituentur. Si autem heres meus infra annum non mitteret pro

homagio faciendo, sicut prædictum est, proventus terræ essent dicti Comitis vel heredis usque ad factum homagium. Si autem per Comitem vel heredem ejus staret quò minùs ipsi fieret homagium infra annum, cùm fuisset competenter requisitus, nihil heredi meo deperiret, sed omnes proventus totius temporis intermedij heredi meo salvi essent, & saisina terræ Ballivo ejusdem heredis mei traderetur. Nihilominus tamen cùm ad heredem meum dictus Comes vel heres ejus nuntium mitteret, ipsi nuntio homagium facere eo modo quo dictum est heres meus teneretur. Insuper Ballivus heredis mei in terra dicta Comiti jurabit fidelitatem se servaturum quandiu erit Ballivus, & de dicta terra dicto Comiti vel heredi ejus competentia servitia se facturum quandiu heres meus moram fecerit ultra mare. Sciendum autem est quòd si dictus Comes decederet sive herede vel heredibus de uxore vel uxoribus, sicut suprà dictum est, propter ista quæ in charta ista continentur mihi vel heredi meo non minueretur jus vel augmentaretur in aliquo quin ego & heres meus essemus in eodem puncto prosequendi jus nostrum, si quod haberemus, in quo eramus ante hæc omnia supradicta. Salvo doario Margaretæ Comitissæ Campaniæ uxoris dicti Comitis, filiæ Domini Archambaudi de Borbon, quod tale est. Sparnacum, Virtutum, Sesannia, Cantumerula, Pontes, Nogentum, Meriacum, Peantium, & Castellaniæ & pertinentiæ eorundem locorum, Semonia, & Barbona. Salvis etiam pactionibus initis super maritagio dictæ Margaretæ pro triginta & sex milibus librarum Parisiensium in maritagio eidem Margaretæ à dicto patre suo datis. Ita tamen quòd de dicta pecunia data in maritagio nihil poterit capi in terra prædicta mihi assignata. Super prædictæ terræ assignatione necnon quadraginta milium librarum satisfactione teneo me pro pagata, & confiteor me gratum meum recepisse, renuntians exceptioni terræ non assignatæ & pecuniæ non numeratæ & omni privilegio & auxilio juris canonici & civilis & omni alij exceptioni quæ posset obici contra factum hujusmodi vel præsens instrumentum & omni penitùs suffragio quod mihi vel heredibus meis posset in hoc facto prodesse & dicto Comiti vel heredi ejus obesse. Et sciendum quòd post mortem meam dictus Comes dictam terram teneret & retineret usque dum dictus heres meus omnia supradicta laudasset & approbasset, si heres meus requisitus nollet conventiones supradictas laudare & approbare. Facta verò sunt & dicta hæc omnia præmissa in præsentia Domini Ludovici Dei gratia Regis Francorum illustris; quem rogavi & rogo ut super præmissis omnibus litteras suas patentes totam seriem istarum litterarum continentes & omnia supradicta confirmantes conficiat & tradat dicto Comiti sigilli sui munimine roboratas, & quòd faciat omnia supradicta in feodis suis & Baronum Franciæ tamquam dominus firmiter observari, & quòd de cetero aliquem contra prædicta venientem non audiat, nec in regno suo ab aliquo audiri permittat. Item sciendum quòd carissimus Dominus meus Ludovicus Dei gratia Rex Francorum illustris prædictum Theobaldum Regem Navarræ, Campaniæ & Briæ Comitem Palatinum investivit de prædicto jure, de quo, ut continetur superiùs, me in manu ipsius devestivi secundùm conventiones supradictas. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri volui sigilli mei munimine roboratas. Actum anno gratiæ MCCXXXIV. mense Septembri.

Litteræ Ludovici Regis de renuntiatione Reginæ Cypri.

LVdovicus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentem paginam inspecturi quòd nobilis mulier Aleydis Regina Cypriin præsentia nostra constituta quittavit carissimo consanguineo & fideli nostro Theobaldo Campaniæ & Briæ Comiti Palatino omne jus quod habebat vel dicebat se habere in comitatibus & Briæ & pertinentiis eorundem, & de eodem jure se devestivit in manu nostra, & nos ad petitionem dictæ Reginæ investivimus de eodem jure Dominum Archembaudum de Borbonio nomine dicti Comitis. Salvo hoc, quòd si dictus Comes decederet sine herede ab ipso linea matrimoniali descendente, supradicta non obessent dictæ Reginæ quin posset petere dictos comitatus sicut poterat antè, nec propter supradicta jus suum minueretur vel augmentaretur. Pronuntiamus etiam quòd quando assisia duorum milium libratarum terræ ..... facta dictæ Reginæ, nos ita sicut continentur in charta dictæ Reginæ tradita dicto Comiti faciemus scribi & sigillari & tradi dicto Comiti. Et his omnibus supradictis scriptis & sigillatis, & dicto Comiti traditis, præsentes litteræ nobis reddentur. Actum anno gratiæ MCCXXXIV. mense Septembri.

FINIS LIBRI DECIMI SEXTI.

OMISSA

OMISSA IN LIBRO DECIMO,
Addenda in fine paginæ 138.

PRIORI PRIORATVS sancti sepulcri de Sambleriis ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 224. De confirmatione privilegiorum.

AD hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum Deo commissa est ut religiosas diligamus personas & beneplacentes Deo religiones studeamus modis omnibus propagare. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & sancti Sepulcri Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Innocentij & Alexandri prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneāt. in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Villam sancti sepulcri cum Ecclesiis & omnibus decimis & justitiis ceterisque ad eam pertinentibus, annuales præbendas, sicut per litteras Trecensis Episcopi & Capituli in Ecclesia sancti Petri Trecensis vobis concessæ sunt, Ecclesiam de monte Suzanno, Capellam de Gued, Capellam de abbatia, molendinum de Gued, & quicquid habetis in territorio ejusdem villæ, tertiam partem oblationum in Ecclesia de Bulliaco, videlicet in natale Domini, in Pascha, in festivitate sancti Laurentij, & decimam in quarto anno, domum de Bulliaco cum vineis & appendiciis suis, & vineas de Lanis, Ecclesiam de Viaspero, de sancto Victore de Bonavicina, Ecclesiam de Albiniaco, & decimam in tertio anno, & minutam decimam. Ecclesiam montis Hugonis & terras ad eam pertinentes, & minutam decimam, & medietatem majoris, & censum atrij, & domum hospitalem cum appendiciis. In Ecclesia sancti Leonis tertiam partem oblationum in Natale, in Epiphania, in Purificatione beatæ Mariæ. in Paschæ, in Pentecoste, in festivitate sancti Leonis & omnium sanctorum, de oblationibus eorum qui peras accipiunt; similiter sepulturas, censum atrij, medietatem majoris & minutæ decimæ. Decimam de Redelor, Ecclesiam de Bellevilla, & eandem villam cum pertinentiis suis, & minutam decimam, & decimam totius agriculturæ vestræ. Ecclesiam de Mergi, & decimam minutam ejusdem villæ, & majorem in tertio anno, & quicquid apud eandem villam habetis. Ecclesiam de Troanno cum omnibus decimis, & tertiam partem in molendino de Mediavilla, & censum & justitiam ejusdem molendini, & quicquid apud ipsam villam habetis. In Ecclesia de Human duas partes oblationum in natale Domini, in Pascha, in festo omnium sanctorum, & minutam decimam. Ecclesiam de Villeta & censum atrij cum omnibus decimis. Demam fœnicis in grangia de Vulperia, sex sextaria bladi. Minutam de Vilermis, & medietatem majoris. Seeleriis quartam partem majoris decimæ & minutæ, & censum atrij. In Fontanis quartam partem totius decimæ. Capellam Galonis, & justitiam ejusdem, cum omnibus decimis & pertinentiis suis. Trecis aream domus sancti Arraldi omnino liberam, & omnem hereditatem quam idem Arraldus cum servis & ancillis cœnobio sancti sepulcri contulit liberam omnibus exclusis heredibus & sine ulla retentione; sicut in instrumento bonæ memoriæ Philippi quondam Trecensis Episcopi legitimè continetur. Trecis domum Theobaldi Archidiaconi, & aliam domum quam in foro habetis, decimam redditum duarum nundinarum quæ fiunt Trecis in festo sancti Iohannis & in festo sancti Remigij, & decimam vini clausi Comitis Trecensis, & quatuor libras denariorum in Trecensi moneta in unoquoque anno, quæ dedit vobis Hugo Trecensis Comes. Villam de Fontanis & justitiam ejus cum pertinentiis suis. Domum Droti cum pertinentiis suis; & quicquid habetis apud alium Drotum & apud Villare. Quicquid habetis apud Sosiacum & Lintella in terris cultis sive incultis, & apud Sezanniam, & decimam vinearum vestrarum de Bulliaco & Lanis. Quicquid

justè acquirere poteritis dono vel emptione de casamento Trecensis Comitis, de casamento Gaufredi de Bullepot & uxoris suæ Alaidis. Salvamentum de Fractaripa, & quicquid apud eandem villam habetis. Salvamentum de Calciniaco, de Mergiaco, de Chauchiniaco, de Fontenis, de sancto sepulcro. Vsuaria in omnibus nemoribus Comitis Brenensis ad omnia necessaria, à Bernardo Comite Brenensi vobis concessa. Pasturas Guidonis de Pedaniis in Expensario ad omnia necessaria, & molendina de Espimiaco. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Prohibemus itaque ut nullus terras vel possessiones quas à vestro tenet monasterio aliis Ecclesiis vel monasteriis in vita seu in morte conferre vel ab ipso alienare absque licentia vel assensu vestro præsumat. In parrochialibus verò Ecclesiis quas tenetis liceat vobis sacerdotes eligere & Episcopo præsentare: quibus, si idonei inventi fuerint, Episcopus animarum curam committet; ut de plebis quidem cura Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus; ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Iohannes Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Iohannes Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Nicolaus Tusculanensis Episcopus subscripsi.

Ego Guido Prænestinus Episcopus subscripsi.

Ego Hugolinus Ostiensis Episcopus subscripsi.

Ego Iohannes tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Cynthius tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Soffredus tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Cencius tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Leo tituli sanctæ crucis Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Rogerius tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli sancti Georgij ad velum aureum Diaconus Card. subscripsi.

Ego Guido tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardin. subscripsi.

Ego Guala tituli sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli sancti Theodori Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus tituli sanctorum Sergij & Bacchi Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Iohannes tituli sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij VI. Kalend. Aprilis, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS de Pereiro.

Epist. 225. De confirmatione possessionum.

SOlet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, decimas, Ecclesias, & possessiones quas per quadraginta annos & amplius quietè & pacificè possedistis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, inhibentes districtiùs ne quis vos super his indebitè molestare præsumat. Nulli ergo &c. inhibitionis &c. *usque* incursurum. Datum Laterani 11. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CONSVLIBVS ET POPVLO Montisfessulani.

Epist. 226. Confirmat quandam compositionem.

CVm iliius locum, licèt immeriti, teneamus in terris qui discordias detestatur, ne in iis quæ pro bono pacis facta noscuntur quæstionis scrupulus vel fomes discordiæ valeat suboriri, apostolica debet circumspectio providere. Eapropter, dilecti filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos & carissimum filium nostrum Regem Aragonensium per venerabilem fratrem nostrum Magalonensem Episcopum super controversiis, guerris, & dissensionibus rationabiliter initam, quia sine prævitate facta est & ab utraque parte sponte recepta interposito juramento, ut in vestris & ejusdem Regis authenticis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

ABBATI ET CONVENTVI Cluniacensi.

Epist. 227. Confirmat quandam donationem.

AVthenticum felicis memoriæ Clementis Papæ prædecessoris nostri recepimus in hæc verba. *Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Capellam quam in Tuscanensi civitate de concessione venerabilis fratris nostri Iohannis Tuscanensis Episcopi canonicè adepti estis, sicut eam juste ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indegnationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.* Nos igitur præsentium vobis auctoritate concedimus ut eodem authentico utamini liberè ac licenter. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo.

ABBATI CLVNIACENSI.

Epist. 228. De correctione monachorum.

AVthenticum bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri in hunc modum nobis accepimus præsentatum. *Relatum est auribus nostris quòd quidam monachorum tuorum quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, prioratus & obedientias sibi creditas detinere interdum te renuente contendunt, & monasticæ professionis obliti, causa vitandæ correctionis, contra constitutionem nostram in vocem appellationis erumpunt. Vnde quoniam non ad hoc fuit appellationis remedium institutum ut per eam regula monastica dissolvatur, præsentibus tibi litteris indulgemus monachos tuos sublato appellationis obstaculo secundùm regulam beati Benedicti & institutiones monasterij tui corrigere ac à prioratibus & aliis obedientiis, cùm causa exegerit, appellatione postposita removere.* Nos igitur tuis precibus inclinati, devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus eodem authentico liberè ac licenter utaris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Addenda paginæ 593. col. 2. post epistolam Gregorij IX.

EPISTOLA HONORII III. de matrimonio Guillelmi de Dampetra cum Margareta sorore Comitissæ Flandrensis.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis de Ripatorio Cisterciensis ordinis & Arremarensi Abbatibus Trecensis diocesis, & Cantori Lingonensi, salutem & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras multorum relatione pervenit quòd nobilis mulier Margareta soror dilectæ in Christo filiæ nobis mulieris Comitissæ Flandrensis, quæ olim cum Bochardo de Avennis matrimonium de facto contraxit, cùm de jure non posset, nunc simili modo contraxit cum alio, Vvillelmo de Donnapetra videlicet, ita proxima consanguinitatis linea sibi juncto ut secundùm statutum generalis Concilij non debeat hujusmodi copula tolerari. Nolentes igitur id vel indiscussum relinquere vel, si verum est, sub dissimulatione transire, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis quos propter hoc videritis evocandos, & inquisita super hoc diligentissimè veritate, si inveneritis rem taliter se habere, injungatis utrique ut se ab invicem abjurantes, nullatenus cohabitare præsumant: qui nisi vobis paruerint, in eos appellatione remota excommunicationis sententiam proferentes, & facientes eos usque ad satisfactionem condignam arctiùs evitari, prolem, si quam ex hujusmodi copula incestuosa fortè susceperint, illegitimam publicè nuntietis & in hereditate paterna nullo unquam tempore successuram. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XVII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Guillelmus de Dampetra erat frater Archambaldi de Borbon. Fuit autem Constabularius Campaniæ anno MCCXX. *sed non hereditarius. De matrimonio ejus cum sorore Comitissæ Flandrensis mentionem reperimus in litteris Ingerranni Domini Couciaci ad Theobaldum Comitem Campaniæ & Briæ, ubi sic scriptum est:* Sciatis insuper quòd ipsâ die quando litteræ vestræ ad me venerunt, mihi verissimè dictum fuit quòd Dominus Willelmus de Dampetra sororem Comitissæ Flandrensis, Dominam Hanoniæ, duxerat in uxorem. *Antè porrò quàm Margaretam duceret, cogitaverat de matrimonio cum Aalaide Regina Cypri; ut patet ex sequentibus Honorij III. litteris.*

HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Senonensi Archiepiscopo & Episcopo Cathalanensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram noveritis pervedisse quòd licèt nobilis vir Vvillelmus de Donnapetra & carissima in Christo filia nostra illustris Regina Cypri se in eo gradu propinquitatis attingant ut secundùm canonicas sanctiones nequeant matrimonialiter copulari, nihilominus tamen tractatur de contrahendo matrimonio inter eos. Cùm igitur melius sit ante tempus occurrere quàm post vulneratam causam remedium implorare, vosque, in quorum provincia & dioceſi terra nobilis prædicti consistit, super iis investigare possitis faciliùs veritatem, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si res ita se habet, præfato nobili auctoritate nostra inhibeatis publicè ac expresè ne ad hujusmodi copulam procedere aliquo modo præsumat; denuntiantes etiam quòd si secùs facere attentaret, nos non solùm illegitimam nuntiaremus prolem ex tali conjunctione susceptam, verùm etiam procederemus aliàs contra eos prout ratio postularet. Idipsum autem eidem Reginæ inhibere ac denuntiare curetis, si forte ad partes venerit Gallicanas. Datum Signiæ XV. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno octavo.

FINIS TOMI SECVNDI.

INDEX

INDEX TOMI SECVNDI.

Prior numerus paginam, posterior columnam indicat.

A

Abbas an de suo monasterio in aliud possit transmigrare. 165. 1
Abbas ante susceptum monachalem habitum electus. 171. 1. In Abbatem an possit assumi in minoribus ordinibus constitutus. 182. 1
Abbates an possint conferre ordinem Clericalem. 471. 1
Abbas an possit sibimet conferre beneficium à sua abbatia dependens 46. 1
Abbas monasterii exempti quid debeat facere Episcopo pro Ecclesiis parrochialibus ad monasterium suum pertinentibus. 21. 2
Abbates an teneantur congregationum suorum negotia procurare. 140. 1. 2
Abbates, Abbatissæ, &c. qui scientes Clericis excommunicatis beneficia ecclesiastica contulerunt, qua pœna corrigi debeant. 33. 2
Abbatissis vetita suarum monialium benedictio, & verbi divini prædicatio. 455. 2
Abbatis Casinensis notanda privilegia. 289. 1
Abbatis sancti Pauli Antiocheni electio. 711. 2
Abbates Græci Corinthiensi Archiepiscopo jussi obedire. 619. 2
Abbates & monachi Montis sancti sub protectione sedis apostolicæ recepti. 829. 1
Abbatiæ restitui jussæ. 618. 1
Abbatia suo Abbati restituta. 645. 1
Aberdenensis Episcopi electio sub conditione confirmata. 119. 2
Aborsus causatus à Presbytero. 536. 2
Absolutio non prodest veritatem supprimenti. 273. 1
Absolutio ab excommunicatione. 472. 2
Abusus in clero reformandi. 512. 1. 2.
Academia. Vide *Theologus*.
Acapui Abbas & conventus sub protectione sedis apostolicæ recipiuntur. 425. 2
Accusatoris pœna si in probatione defecerit. 100. 2
Accusator & testis an esse quis possit in eadem causa. 535. 1. 2
Achaiæ universus clerus ad subveniendum necessitatibus Archiepiscopi Patracensis invitatus. 13. 2
Achaia à Latinis occupata, & quid inde. *Ibid.* & 24. 1
Achaiæ Episcopis Latinis termini præfixi, eisque ab illicitis excommunicationibus abstinere imperatum. 421. 2
Achaiæ nobiles de bonorum ecclesiasticorum detentione redarguti. 486. 1
Acta publica si litterarum memoriæ tradita fuerint, perpetua inspectione clarescunt. 300. 2
Actio reassumit vigorem per replicationis suffragium. 28. 1
Actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, debet obtinere. 217. 1
S. Adelberti monasterium emendari jussum. 506. 2
Adversitates quomodo excipiendæ. 441. 2
Adulpho Colonienſi quondam Archiepiscopo quædam gratiæ conceduntur. 490. 1
Adulterium. Vide *Mulier*.
Adulterii causa committitur Archiepiscopo Turonensi. 164. 2
Adulteri quando sunt ambo conjuges, an debeat matrimonium separari. 184. 2
Adulteram quam quis viro superstite cognovit, ducere postea possit. 636. 2
S. Ægidii monasterii privilegia confirmantur. 220. 2
S. Ægidii Consulum juramentum. 367. 1
Agennensis Episcopi contra Comitem Tolosanum querela. 399. 1
Alba, monasterium ordinis Cistercienſis. 797. 2
Albanensis Episcopi lis cum monasterio Criptæ ferratæ. 473. 2
Albericus Remensis Archiepiscopus. 75. 2
Albiganensis Episcopus depositus. 254. 2. 476. 1
Albiganenses Ianuensi Episcopo reverentiam exhibere jussi. 680. 1
Albigenses hæretici. *Vide* Provinciales.
Alexandrinus Episcopus suspendi mandatus. 558. 1. 2. 559. 1
S. Allucii hospitale adjudicatum Hospitalariis. 281. 1
Altare si extructum fuerit contra prohibitionem Episcopi. 502. 1
Altaris reconciliatio per aquam cum vino & cinere benedictam. 41. 2
Altaria inter veteris & novi testamenti quanta sit differentia. 194. 2
Altisiodorensis Episcopus dissidet cum Decano. 211. 1
Altisiodorensis lectoria & scholastria. 218. 2
Ambasiæ castrum. 434. 2
Amoris plagæ dulciores cùm amariùs inferuntur. 90. 1. 248. 2
Amiclensis Episcopus. 422. 1
S. Anastasis C. P. bona ablata ut restituat inducitur Constantinopolitanus Imperator. 160. 1
S. Anastasis C. P. quidam Canonicus malè habitus à suis concanonicis. 159. 2
Anathematis sententia secundo loco prolata an subjaceat cognitioni priorum judicum. 226. 2
Anconitana. Vide *Marchia*.
S. Andreæ episcopatus privilegia confirmata. 56. 1
Andrense monasterium. 238. 1. 241. & *seqq.* 517. 2. *Vide* Garrofen.
Andrevillensis archidiaconatus. 421. 1
S. Angeli monasterium. 604. 2
Angliæ Rex excommunicatus. 331. 2. Absolvi jussus. 785. & *seqq.* 809. & *seq.*
Angliæ magnates hortatur Innocentius ut Regem suum sanis juvent consiliis. 90. 2
Angliæ interdictum relaxatum. 817. 1. *Vide* Cantuariense negotium.
Anianense monasterium. 715. 2
S. Aniani Aurelianensis Capitulum an teneatur observare interdictum ab Episcopo Aurelianensi prolatum. 603. 1. Eorum privilegia confirmantur. 53. & *seq.*
Anicienſis Episcopi consuetudo de viduarum & decedentium sepulturis. 47. 1
Annua quæ sunt ad agendum, perpetua ad excipiendum dicuntur. 28. 1
Antiochenæ provinciæ impietatum scelera. 190. 2
Antiochenus Patriarcha Tripolitano Comiti commendatus. 321. 2. Item Soldano de Alapia. 537. 1 Querelæ adversùs eum excitatæ. 685. 1
Antiochenus archidiaconatus. 104. 2
Antiochena præbenda conferri mandata. 832. 1
Antiocheno principatus controversus. 470. 2
Antipolitanum inter Episcopum & Abbatem Lirinensem inita concordia. 422. 1
Antisiodorensis & Aurelianensis Episcoporum in favorem scriptæ epistolæ. 614. 1. 640. 1. 649. 1
S. Apollinaris de Venetiis plebanatus confirmatur. 704. 1. 2
Appellationes ad sedem apostolicam. 93. 2. 343. 1
Apuliæ universi cives super adjutorio Regi Siciliæ præstando admoniti. 201. 2. 202. 1. 2
Aquæ ferventis judicium prohibitum. 157. 2
Aqua quæ fluxit ex latere Christi, an vera fuerit aqua, vel humor aquaticus. 301. 2
Aquilegensis Patriarcha suspectus de detentione peregrinorum. 340. 2
Aragonum Regis in favorem electionum episcopalium diploma. 84. 1
Aragoniæ Regis soror petitur in uxorem Regis Siciliæ. 140. 141. 1
Aragonum Regi scribitur de ope ferenda Simoni de Monteforti. 182. 1
Aragonensis Regis in Concilio apud Vaurum petitiones. 765. 1. 770. 1. 2 & *seq.*
Aragonum Regi confirmatur privilegium ei ab Vrbano Papa II. concessum 790. 2
Arausicenses Consules. 368. 2
Arbitrorum quæ sit auctoritas. 15. 1
Archidiaconi Castellanensis procacitas. 98. 1
Archiepiscopus debet esse pater patrum & magister magistrorum. 18. 2
Archipresbyteri cujusdam intestati bona duabus in Ecclesiis acquisita quomodo divisa. 328. 2
Arelatenſi Ecclesiæ consueta servitia impendere jussi Arelatenses. 163. 2

Arelatensis Archiepiscopi privilegium. 164. 1
Arelatenses Consules. 371. 1
Aretini præpositi electio. 736. 1
Argentariæ Consules. 372. 1
Argentæ castri custodia commissa. 539. 2
Arienses præbendæ à quo pendeant. 519. 2
Arma ad infideles deferre prohibitum. 387. 1
Armeniæ Rex redargutus. 734. & seqq. Persuadetur ut treugas ineat cum Comite Tripolitano. 326. 1
Armenorum clero concessum privilegium. 470. 1
Arnulfi Canonici de Blakerna causa committitur 69. 2. *Vide Blakerna.*
Asciacensis Abbatis electio. 317. & seqq.
Athenienses Archiepiscopi & Capituli privilegia confirmantur. 193. 1. 260. 2. 267. 1. Statuitur ut Ecclesia Athenienses ordinetur secundùm consuetudinem Ecclesiæ Parisiensis. *Ibidem.*
Athenienses thesaurariæ cuidam laico facta collatio cassatur. 261. 1
Athenienses inter Archiepiscopum & ejusdem Ecclesiæ Capitulum inita compositio confirmatur. 558. 1
Attestatio. Vide *Publicatio.*
S. Auberti Cameracensis monasterium. 522. 1
Auritus testis an admittendus. 174. 1
S. Aviti monasterium. 444. 2
Avoguiæ Regem hortatur summus Pontifex ad defensionem terræ sanctæ. 536. 2
Auregniacensi Abbatissæ privilegia conceduntur. 526. 2
Aurelianensis. Vide *Antissiodorensis.*
Aurelianensis Episcopi causa contra Camerarium Philippi Francorum Regis. 565. 1
Austriæ Ducis pietas commendata. 24. 2
Auximanum inter Episcopum & Templarios concordia. 518. 2
Auximanus Archiepiscopus de multis & gravibus criminibus infamatus. 737. 1. Ei præcipitur ut renuntiet suæ dignitati. 524. 1

B

Bajocensis Episcopi consultis respondet summus Pontifex. 226. 2
Balcius, VVillelmus, Princeps Auraunicensis. 367. 2. VVido. 372. 2
Balneolensis Ecclesia. 79. 1. 601. 2
Bambergensis Episcopus de nece Ducis Sueviæ suspectus. 252. 1. 379. & seq. 717. & seq.
Barensis Archiepiscopus ad Ecclesiam Panormitanam translatus. 801. 1
Bartholomæus Cardicensis Episcopus sub protectione apostolica recipitur. 213. 1
S. Bartholomæi Ferrariensis monasterium. 478. 2
Bellimontis monasterii immunitas. 721. 2
Belli monasterium. 235. 2
S. Benedicti monasterium supra Padum. 344. 1
Benedictio Abbatum pretio constare non debet. 503. 2. 526. 2
Beneficium utrum acquiri possit per concessionem bonorum factam Ecclesiæ. 310. 1
Beneficium qui est sortitus, exequi debet officium. 312. 2
Beneficii confirmatio. 339. 2
Beneficia non vacantia promittere prohibitum. 504. 2. 512. 1. 522. 1. 588. 1
Beneficiorum superfluitas semper improbanda, nonnunquam tamen toleranda pluralitas. 386. 1
Beneficia non danda iis qui sufficienter sunt beneficiati. 743. 1
Beneficiati in suis Ecclesiis residere cogendi. 23. 2
Beneventano populo fidantiarum remissio confirmatur. 591. 2
S. Benigni Divion. monasterium. 522. 2
Berengariæ Anglorum Reginæ bona restitui mandantur. 253. 2. 447. 1
S. Bertini monasterium. 93. 1. 314. 1. 504. 1
Bigamus in viduitate Monachus, an ad ordines promoveri debeat. 211. 1
Bisontinus Archiepiscopus de simonia & aliis criminibus infamatus. 562. 1. Ei canonica purgatio indicitur. 779. 2. 822. 2
Bituricensis Archiepiscopi electio. 522. 2
Bituricensem inter & Burdegalensem Archiepiscopos contentio. 617. 1. 2. 780. 1. Vide *Burdegalenses.*
Bivinensis Capituli privilegiorum confirmatio. 285. 2
Blakernensis Ecclesia. 159. & seqq. 319. 2
Blancha Comitissa Campaniæ. 36. 1. 492. 1. 820. & seq. 834. & seqq.
Blandekense monasterium. 114. 2
Blesensis Comes Archiepiscopo Senonensi commendatus. 56. 1
Boehardus de Avesnis ducit in matrimonium Margaretam sororem Comitissæ Flandrensis. 570. 1. 591. & seqq.
Boëmiæ Regis divortium. 429. & seq.
Belonense monasterium supra mare. 191. 1
Bononiensis potestas & populus ad deferendum partes Ottonis Imperatoris invitantur. 540. 1
Bononiensis Episcopus ad cedendum episcopatu compelli mandatus. 834. 2
Bonum majus minori bono præponitur. 217. 2
Bona Ecclesiæ restituenda. 461. & seq.
Brabantiæ Dux ab excommunicatione absolvitur. 774. 2
Brandeburgensis Marchionis postulatio committitur. 419. & seq.
Bremensis Ecclesia, & de ea quædam notanda. 131. 1. Ejus Archiepiscopi electio ad Regem Danorum an pertineat. 142. 2
Brenensis Comes ad Matiæ Hierosolymorum Reginæ conjugium evocatus. 313. 1
Brivatensis Ecclesia. 255. & seq. 258. 1. 783. & seq.
Brugensis præbenda. 2. 2
Bucca-Leonis Ecclesia apud Constantinopolim. 160. 1. 359. 2
Buchaugiensis Abbatissæ electio. 245. 2
Buchkirchen Ecclesia. 747. 2
Burdegalensem adversùs Archiepiscopum nonnulla. 654. 1. 2. *Vide* Bituricensis.
Burgensem inter Episcopum & Ouiense monasterium concordia inita confirmatur. 445. 2
Burgulienſe monasterium. 10. 2. 12. 2. Ejus Abbas. 5. 2. 10. 2. 209. 1
Bunnensis præpositi electio. 633. 1

C

S. *Cæcilia* Transtyberinæ Clerici à pecuniaria quadam petitione absoluti. 794. 2
Calabromariæ monasterium. 552. & seqq.
Calamo atramentali judicialis diffinitio debet exarari, & quare. 84. 2
Calatritanus Archiepiscopus redarguitur. 83. 2
Calatritanus judex. 554. 2. 819. 2
Calidonensis Ecclesiæ. 293. 2. 618. 1
Calo-Iohannes. *Vide* Kalo-Iohannes.
Camaldulense monasterium. 592. 2
Campaniæ & Briæ comitatus. 810. 1. 834. & seqq.
Campelleiæ monasterii privilegia confirmantur. 598. 2
Cancellaria Simonis de Monte-forti Petro Marco Subdiacono pontificio conferri concessa. 681. 2
Canonum reverentia. 74. 2
Canonici instituendi in Ecclesiis cathedralibus. 359. 2. 485. 1. De eorum statu numero. 680. & seq. 684. 1
Canonicorum residentia. 120. 1. 262. 1. 265. 2. 312. 2. 617. 2
Canonici studiorum causa absentes. 33. 1 120. 1
Canonici cogi possunt ad suscipiendos ordines superiores. 566. 2. etiam presbyteratum. 46. 1
Canonicos inter & Monachos duarum Ecclesiarum Mediolanensium concordia confirmatur. 102. 2. 103. 1. & seq.
Canonico per plures annos non residente, an vacet illius præbenda. 320. 1
è Canonicorum domibus mulieres expelli mandatæ. 335. 2
Canonici Sancti Martini Trecensis à Summo Pontifice redarguti. 204. 1. 2
Canonici regulares an possint fieri Monachi. 408. 1
Canonicorum Portugalensium excessus. 435. 2
Canonicus sancti Vrsini Bituricensis sub protectione sedis apostolicæ receptus. 475. 2
Cantoriæ Salamantinæ confirmatio. 483. 1
Cantuariensis Archiepiscopi causa cum Rege Angliæ. 63. & seq. 114. & seq. 177. & seqq. 206. & seq. 247. & seq. 252. & seq. 727. & seq. 731. & seq.
Capellæ regiæ an sint ab interdicto immunes. 718. 1. 2
Capitulum celebrandum semel in anno ab universis Abbatibus nigri Ordinis per Rothomagensem provinciam. 471. 1. Alexandriæ & Babyloniæ captivi. 578. & seq.
Capuanæ Ecclesiæ privilegiorum confirmatio. 196. 2. 197. 1. *Vide* Iententia.
Carcassonensis Episcopi electio. 314. 2
Cardicensis Ecclesia sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 462. 2
Cardicensis Episcopus à fratribus sancti Iohannis Ierosolymitani malè habitus. 463. 1. Ejus paupertas. 465. 1. 467. 1
Cardicensis Episcopi causa adversùs Hospitalarios. 468. 2. 615. 1. 617. 1. 630. 1
Cardicensibus Episcopo & Capitulo confirmatur quædam compositio. 802
Carnotensi in Ecclesia infames & criminosi præbendas obtinere prohibiti. 107. 2
Carnotensis Camerarius de multis criminibus accusatus. 320. 1
Carrozetum monasterium. 490. 1
Carthusiensium D. Bartholomæi de Trisulco privilegia confirmantur. 555. 2. 556. 1. & seq. Eorundem causæ cum Cisterciensibus.

sibus pacificè terminari mandatur. 556. 2
Casaperotæ Ecclesia. 141
Casematii monasterium.
Casinense monasterium. 204. 2. 286. 2, 287. 1. 404. 1. 516. 1
Casserensis præbenda. 305. 1
Cassellensis Ecclesia sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 442. 2
Cathalaunensis præbendæ collatio 427. 2
Cathanidensis Episcopus Regi Siciliæ commendatus. 241. 2
Cautiense monasterium recipitur sub protectione sedis apostolicæ. 433. 2
Cellenses Canonici de cæde sui Abbatis accusati. 528. 1
Censura Ecclesiastica non debet esse innocentum oppressio, sed correctio delinquentium. 474. 2
Cephaloniæ Episcopus Corinthiensi Episcopo jussus obedire. 623. 2. Electionis ejus confirmatio. 16. 1. 793. *& seq.* Ei dantur quædam monita. 346. 1. Redarguitur. 73. 2
Chamenum monasterium. 427. 1
Charitas non solùm ad amicos, sed & ad inimicos extendenda. 159. 1
Charitatis monasterium. *Vide* Gaufridus, Restitutio.
Chiemensis episcopatus institutio. 780. 2
Chorarum monasterium. 816. 1
Chrismatio puerorum interdicitur Priori Pisanorum. 146. 2
Cibinienſis Præpositi electio confirmatur. 582. 1
Cimiteria per excommunicatorum sepulturam polluta quomodo debeant reconciliari. 752. 1
Cisterciensis ordo commendatur. 487. 2. An ad illum transire possint equites Hierosolymitani. 227. 1
Cistercienses redarguuntur de decimis fraudatis. 790. 1. Eorum causæ cum Carthusiensibus pacificè terminandæ. 556. 2. Nolunt servare interdictum Anglicanum. 503. 2
Citrensi Ecclesiæ bona ablata restitui mandatur. 466. 1
Civitatenses inter quosdam Clericos sententia lata confirmatur. 329. 1. 2
Claromarisci monasterium. 93. 2
Cleri libertas. 424. 2. Ejus abusus reformandi. 312. 1
Clericalem ordinem conferre an possint Abbates. 472. 1
Clerici si per saltum promoti fuerint. 84. 2. Episcopus non suis ordinati ab officio suspendendi. 76. 2. 512. 2. 711. 1. Abutentes privilegio clericali, illo privandi. 704. 2 Quid agendum si beneficium ecclesiasticum obtinuerint dum essent excommunicati. 33. 2. Tabellionatum exercere non possunt. 566. 2
Clericus in infirmitate & extasi factus monachus, à summo Pontifice manumittitur. 43. 2
Clerici in minoribus ordinibus constituti, sed nondum beneficium assecuti ecclesiasticum, an possint ad majores promoveri. 157. 2
Clerici proventus ecclesiasticos percipere non permittendi si in suis Ecclesiis personaliter deservire contempserint. 232
Clericus fallarius ad perpetuum carcerem damnatus. 268. 1
Clerici defuncti patrimonium ad quos pertineat. 498. 1
Clericos in manifesto furto deprehensos an liceat violenter contractare. 805. 2
Clerici ab Vngaris Lacessiti. 825. 2
Cluniacenses Abbates & Priores ad meliorem frugem invitati. 738. 1
Cluniacensi Abbati & conventui confirmantur quædam donatio. 851.
Cognatio requirit dispensationem. 695. 2. 822. 1
Coldriz monasterium. 212. 1
Colimbriensis episcopatus. Vide *Limitatio.*
Colimbriense monasterium. 358. 1
Colimbriensis Episcopi cum Egitanensi negotium. 511. 1
Colimbrienses inter Clericos & Monachos controversia. 678. 1
Colocensis Episcopi electio confirmatur. 97. 2
Colocensem inter & Strigoniensem Ecclesias inita concordia confirmatur. 583. 1
Colonienſibus majori Decano, Prioribus, & ceteris Clericis epistola consolatoria & adhortatoria. 8. 2
Colonienſis Archiepiscopi quædam causa committitur. 176. 2
S. Columbani monasterium. 128. *& seq.*
Comestabulus Thessalonicensis monetur ut Ecclesiæ Dimicensi dignitates & possessiones restituat. 144. 1
Compostellano Archiepiscopo conceditur ut palleo uti possit extra provinciam. 309. 2
Compostellanæ præbendæ collatio. 785. 1
Conchæ sancti Iacobi Compostellani prohibitæ. 44. 1
Concilii generalis indictio. 756. *& seq.* Ad illud invitati Alexandrinus & Hierosolymitanus Patriarchæ. 759. 1
Concubinarii absolvendi. 642. 1
Confessorem eligendi concessio. 73. 1
Confirmationis sacramentum an liceat conferre interdictis. 180. 2
Conflictus ubi gravior est, gloriosior est triumphus. 307
Conjugii impedimenta. 280. 2
Consanguinitas. *Vide* Matrimonium.
Consanguinitatis in quarto gradu dispensatio. 68. 1
Consecratio. *Vide* Ritus.
Conseeratio Græcorum Episcoporum facienda more Latino. 146. 2
Consensus ad matrimonium necessarius. 586. 2
Conservatores dati fratribus militiæ Christi de Livonia. 807. 2
Consolatio. *Vide* Adversitas, Dolor.
Consolatoria epistola. 305. 2
Consolatores dicti quidam hæretici. 115. 1
Constantiensis Præpositi electio confirmata. 502. 1. 2. *& seq.*
Constantinopolitanos inter Patriarcham & Imperatorem causa commissa 145. 1. *Vide* Gradensis. Sententiæ.
Constantinopolitanus Patriarcha de multis criminibus redarguitur. 166. *& seqq.*
Constantinopolitano Patriarchæ mandatur ut ordinet Clericos ex omni natione. 418. 2
Constantinopolitanus Imperator de restituendis Ecclesiæ bonis ablatis admonetur à summo Pontifice. 462. 2. *& seqq* 467. 1
Constantinopolitani Patriarchæ electio. 551. 1. 672. 2. 673. *& seqq.* 801. 2
Consuetudo antiquitus approbata quam vim habeat. 318. 1
Consuetudinum diversitas deformitatem, non inducit in Ecclesia. 337. 1
Contradictio unius publicæ utilitati prævalere non debet. 47. 1
Convenarum Comitis professio. 769. 2. 830. 1
Coranum castrum. 545. 1
Corbeiense monasterium. 166. 1 576. 2. Ejus Abbas accusatus. 405. *& seqq.*
Corinthiensis Ecclesia ad ritum Latinorum reduci jussa. 409. 2. Ei bona restitui jubentur. 624. 1. Ejus thesaurus per vim detentus. 628. 2
Corinthiensis Archiepiscopus sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 622. 1
Corinthienses suffraganei suo Archiepiscopo obedire jussi. 623. 1
Cormatiacensem inter Abbatem & Turonensem Archiepiscopum facta compositio comprobatur. 419. 1
Cornu monasterium. 236. 1
Coventrensis Episcopi electio. 249. 1
Cracovienſi Capitulo suus Episcopus commendatur. 153. 1
Cretæ negotium. 299. 1. 2
Cripiæ ferratæ monasterium. 549. 1
Crucesignatos in Romaniæ partibus constituti. 17. 2. Vota sua exequi jubentur. 831. 1. Non sunt impedienda. 20. 2. Immo eis præstanda subsidia. 350. *& seq.* 384. *& seq.* Ab eis debita per biennium exigi prohibita. 244. 1. Abuti non debent privilegiis sibi concessis. 703. 2
Crucesignati contra Albigenses sub protectione sedis apostolicæ recipiuntur. 214. 2
Cruciferi an teneantur solvere decimas de prædiis quæ suis manibus non excolunt. 42. 2
Cruciferis Bononiensibus monasterium sancti Angeli restitui imperatur. 436. 1
Crucis ferræ remissio confirmata. 420. 2. 957. 2
S. Cuenfatis monasterium. 581. 1
Culturarum S. Petri Ecclesia. 265. 1
Cusentino Archiepiscopo epistola consolatoria. 121. 2
Custodia sancti Petri in Leodio. 5. 2
Custodia Peronensis. 45. 1
Cypri Regem ut à Christianorum oppugnatione desistat hortatur Innocentius. 707. 1. De causa ejus cum Comestabulo. 555. 1

D

Daciæ Regi suaderur ut pugnet adversùs paganos. 362. suscipitur sub protectione sedis apostolicæ. 394. 2
Danorum Rex sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 441. 1. Ei gratiæ habitæ pro liberatione cujusdam Episcopi. 19. 1
Dantem inter & recipientem debet esse distinctio personalis. 46. 1
Davaliensis decanatus confirmatio. 261. 1
Decanatuum Thoarcensis & Bertorii divisio. 118. 2
Decanatus Ecclesiæ Lingonensis. 597. 2
Decano Senonensi concessum ut maneret per triennium in studio Parisiensi. 164. 1
Decanis duobus ab iisdem electoribus electis, uter præferendus. 226. 2
Decanus Divionensis. 705. 1
Decimæ cum integritate persolvendæ Ecclesiis. 147. 1. 193. 2. 261, 2. 286. 2
Decimas conferendi facultas concessa. 377. 2. 378. 1. de iis. 466, 1. Cuidam hospitali concessæ. 634. 2. 722. 2. item & quibus-

dam capellaniis. 670
Decimæ antiquitus non solutæ, mutato earum possessore cujus sint. 689. 2. An de eis cognoscere possint judices seculares. 624. 2
Decimæ in feudum laicis datæ an possint ab ecclesiasticis redimi. 739. 2
Decimis non solutis, & quarum solutio sine sanguinis effusione non potest obtineri, utrum liceat regiam potestatem implorare. 752. 1
Decimæ controversiæ inter Vesprimiensem Episcopum & Capitulum. 779. 1
Decimæ adjudicatæ Abbati & conventui sancti Vincentii. 217. 2
Decimæ episcopales monachis datæ an extendi possint ad possessiones postmodum acquisitas & in posterum acquirendas. 806. 1
Decimæ & primitiæ Ecclesiæ Thebanæ. 213. 2
Decretalis falsa, quamvis quædam juri consona contineat, respuitur & damnatur. 7. 1
Dedicatio altarium. 194. 2
Defunctis prosunt preces vivorum. 23. 1
Delictum famosum. 700. 2
Demetrius Princeps Arbanensis. 141. 2
Demonstratio in testium depositione an vicem nominis obtineat. 333. 1
Denarius sancti Petri in Anglia. 831. 1
Dertusenses hortatur Innocentius ut Dertusensem Ecclesiam revereantur. 88. 2. 89. 1
Diaconus cum uxore quam ante susceptum diaconatum duxerat vivere compulsus. 46. 1
Diaconi cujusdam ad Engolismensem Episcopum & alios commendatio. 776. 1
Diaconus extra tempora ordinatus. 819. 2
Dieteræ Presbytero Rectori Ecclesiæ sancti Pauli Senensis confirmantur privilegia ei per Episcopum Senensem concessa. 396. 2
Dignitatis portæ vilibus & indignis personis patere non debent. 176. 2
Dimicensis Ecclesia. *Vide* Cadilonensis Episcopus.
Dimicensis Episcopus ad Ecclesiam suam redire compulsus. 464. 2
Dimitriacensis electus absolvitur à vinculo quo tenebatur Ecclesiæ suæ. 616. 2
Dimitriocensis Ecclesia commendatur Episcopo Cardicensi. 627. 2
Diœceses quædam in Hispania à Christianis recuperatæ Tolet ano Archiepiscopo commendantur. 811. 2
S. Dionysii Remensis Abbas. 283. 1
Dispensatio per falsitatem obtenta. 560. 2
Dispensatio sic juris vincula relaxat in aliquo quòd in aliis non dissolvit. 812. 1
Divionensi Capellæ bona à Duce Burgundiæ data confirmantur. 588. *& seq.*
Divortii à marito attentati & ab uxore per vim & metum indefensi notanda controversia. 21. 1. 2. *Vide* Mulier.
Divortium Philippi Francorum Regis. 97. 2. 175. 2. *& seq.* 441. 2. 638 2. *& seq. Vide* Philippus
Divortii sententia quosdam inter conjuges fieri mandata. 304. 1
Divortium Regis Boëmiæ cum sua conjuge. 429. *& seq.*
Divortium Petri Regis Aragonum cum Maria sua conjuge. 713. *& seq.*
Doctrina quo casu rectè silentio præponatur. 227. 2
Dolense monasterium. 651. *& seq.* 661. *& seq.*
Donationum quarundam confirmatio. 415. 1. 2. 454. 1. 2
Donationes in minori ætate factas Regi Aragonum revocare conceditur. 522. 2
Donatio facta Abbati & fratribus S. Mariæ de parvo Ponte Brundutii. 624. 2
Donum Imperatoris à Summo Pontifice confirmatum. 68. 1
Dos cujusdam mulieris controversia. 690. 1
Duelli judex ad tenendum beneficium dispensatur. 162. 2
Dunelmensi Priori & conventui concessa privilegia. 53. 2
Dunelmensis Episcopus. *Vide* Eboracensis Archiepiscopus.
Dunkeldensis Episcopi electio. 648. 2
Duracensis Archiepiscopi electio. 549. 2
Duracensis Arciepiscopus à Venetorum injuriis liberari mandatus. 355. 1
Durandus de Osca cum sociis suis. 238. *& seq.* 309. 1. 336. *& seqq.* 440. 2. 450. *& seq.* 630. *& seqq.*

E

EBoracensis Archiepiscopi cum Rege Angliæ negotium. 95. 1. 442. 1.
Eboracensis Ecclesiæ interdictum servari mandatum. 175. 2. 176. 1
Eboracensis præbendæ confirmatio. 433. 2
Eboracensis Episcopi electio. 822. 1. 2
Ebredunensis præpositus sub protectione sedis apostolicæ receptus. 576. 1
Ecclesiæ imperiales in imperio Constantinopolitano. 153. 2
Ecclesiæ cujusdam donatio. 219. 2
Ecclesiæ cujusdam summi Pontificis subdiacono & capellano facta collatio confirmatur. 345. 2
Ecclesia in fundo Romanæ Ecclesiæ construenda. 455. 1
Ecclesiæ illata injuria ab Imperatore Constantinopolitano. 462. 2
Ecclesia incendium passa, parietibus tamen illæsis, an denuo debeat consecrari. 681. 1
Edera monasterium. 132. 2
Egitanensis episcopatus. *Vide* Limitatio.
Electionum episcopalium libertas. 84. 1. Pro earum confirmatione nihil exigendum. 706. 2
Electorum desideria ex adversitate proficiunt, dum premuntur. 305. 2
Eleemosynæ concessæ piis locis. 383. 2
Emptio in qua venditor ultra dimidiam justi pretii partem erat deceptus, aut revocari aut suppleri mandata. 84. 2
Emptio cujusdam fundi. 635. 1
Englia monasterium. 309. 1
Engolismenses Canonici ad presbyteratum promovendi. 46. 1
Episcopalis sedis erectio dilata. 580. 1
Episcopatus dividendus in plures, & plures conjungendi in unum, cùm necessitas exigit, vel utilitas persuader. 24. 1
Episcopis successoribus an liceat ea revocare quæ ipsorum decessores Ecclesiis vel monasteriis ex mensa episcopali contulerunt. 22. 1
Episcopi incautus & ineptus delator quomodo coërcitus. 31. 7
Episcopus qui per ignorantiam peccaverat, depositus, postea que restitutus. 46. 2
Episcoporum mutatio sine speciali licentia sedis apostolicæ fieri non debet. 132. 2
Episcoporum Græcorum consecratio aliter fieri vetita quàm more Latino. 146. 2
Episcopus suo Archiepiscopo reverentiam & honorem impendere jussus. 216. 2
Episcopi cujusdam, eò quòd judiciis secularibus se immiscuerat, ab episcopatu remotio. 234. 2
Episcopi quam debeant suis Metropolitanis obedientiam. 236. 1
Episcopus illiteratus quomodo literaturæ defectum, possit & debeat redimere. 232. 2
Episcopi portio quænam in iis quæ testamento relicta sunt Ecclesiis vel monasteriis. 271. 2
Episcoporum exactiones coërcentur. 530. 1
Episcopi decessoris debita à successore solvi postulata. 628. 2
Episcopum se falsò asserens, quomodo coërcitus. 646. 1
Episcopus Græcus ad Ecclesiæ unitatem aspirans. 656. 1
Eradus de Brena. 820. 2. 838. *& seqq.*
Erici Sueciæ regni invasor. 224. 1
Error facti nemini necdum finito negotio nocet. 28. 2
Estensis Marchio Gradensi Patriarchæ commendatus. 805. 1. 2.
Estiensis Episcopus populo & clero Saxonum aliisque, pluribus commendatus. 808. *& seq.*
S. Evasii de Casali Ecclesia. 571. 2
Evectionum episcopalium in visitationibus moderatio. 49. 1 801. 1
Eveshamensi Abbati monachus excommunicatus remittitur. 1. 1
S. Eusebii Vercellensis Consules. 154. 1
Exceptio est actionis exclusio. 28. 1
Excommunicationes perperam fulminatæ. 44. 1. 321. 1. 334. 2. *Vide* Anathema.
Excommunicationis contra nonnullos latæ sententiæ publicati mandatæ. 83. 2. 670. 2
Excommunicatus non est communicandum. 249. 2. 610. 2. Non sunt protegendi à Regibus. 627. 2
Excommunicatus à pluribus Prælatis, an ab uno ex iis valeat absolvi, & aliis absolutus denuntiari. 275. 1
Excommunicatis ecclesiasticam tradere sepulturam prohibitum. 654. 2. 655. 1
Excommunicato qui pœnitens decesserat, sepultura conceditur ecclesiastica. 771. 2
Exemplum gravius est facinore. 136. 2
Exemplum facilè solent trahere subditi ea quæ vident fieri à majoribus. 706. 2
Exemplis christma, oleum sanctum, & alia ecclesiastica sacramenta conferenda. 612. 2
Exhortatio pugnantibus est opportuna. 185. 1

F

FActi alieni ignorantia tolerabilis error est. 28. 2
Falsarius. *Vide* Decretalis.
Falsitas tolerari non debet sub velamine pietatis. 602. 1
Farfensis monasterii libertas. 142. 1
Farfensis Abbas & conventus absolvuntur ab impetitione Sabinensis Episcopi. 353. *& seq.*
Farfensis Abbatis electio. 815. 2

Faventinensis potestas & populus. 14. 1. 65. 2
Faventinæ Ecclesiæ Episcopus eligi mandatur. 262. 2
Faya dicta præbenda. 155. 2
Feriens primò, ferit tangendo, qui ferit secundò, ferit dolendo. 332. 2
Fermopilenses. *Vide* Decimæ.
Ferrariensis Præpositus constituitur rector massæ Ficaroli 797. 2. 816. 2.
Ferrariensi Ecclesiæ pastor idoneus præfici mandatus. 539. 1. Ei construendi castrum in Ferrariensi civitate facultas conceditur. 540. 1
Ferro abscindenda sunt vulnera quæ Comentorum non sentiunt medicinam. 86. 2. 137. 2
Feudum quomodo alienandum. 217. 1. Concessum. 642. 2
Fialanda ad fidem conversa. 361
Fichechum monasterium. 217. *& seq.*
Fidantiarum remissio confirmantur populo Beneventano. 391. 2
Fidejussio monachis prohibita. 521. 2
Fidelitatis juramentum Imperatori ab Episcopis præstandum. 152. 2. 378. 1
Fides non servanda ei qui Dei fidem non servat. 149. 1. 694. 1
Fidei catholicæ notanda & luculenta professio. 238. *& seq.* 458. *& seq.*
Filius censendus quem pater & mater publicè talem agnoverunt. 492. *& seq.*
Finis pugnæ coronat, non pugna. 351. 1
Finibus suis quisque debet esse contentus. 611. 1
Florentinos ad pacem & concordiam hortatur Innocentius. 47. 2. Eis suadetur ut sedis apostolicæ & ejusdem Legati monitis acquiescant. 57. 1. 2
Florentinus. *Vide* Ambasia.
Flaviniacensis Abbatis depositio. 50. 2. 51. 1
Floriacense monasterium. 327. 1
Fluminis de Ceccano monasterium. 203. 2
Foietanos inter & Trojanos dissensio. 684. 1
Fonsladumense monasterium. 629. 1
Fontis-Gerardi monasterium. 545. *& seq.*
Forcalcariensis Comes. *Vide* Provincia.
Fossæ-novæ monasterium. 121. *& seq.* 153. *& seq.* 521. 1
Fossatensi conventui facta quædam concessio confirmatur. 135. 1
Fovere perversos. 754. 2
Francorum Regis & nationis encomium. 313. 1
Franciæ populus adversùs hæreticos Albigensibus invitatus. 150. 2
Frederico Siciliæ Regi mandatur ne jurisdictionem spiritualem sibi vendicet. 246. *& seq.* Ejus connubium cum constantia sorore Regis Aragonum. 203. 1
Fridesslerensis Ecclesiæ præbenda. 682. 1
Funiculus triplex difficilè rumpitur. 693. 2
Fuxensis Comitis professio. 769. 1

G

Gaudersem monasterium. 772. 2
Garganicæ Ecclesiæ præbenda. 523. 1
Gasto de Bearno. 379. *& seq.* 831. 1
Gaufridus Prior de Charitate. 665. *& seqq.* 697. *& seq.*
Gebennensis Episcopus ad Ebredunensem Archiepiscopatum translatus. 683. 2
Gemblacensis monasterii privilegia confirmata. 818. 1
S. Georgius de Sisto. *Vide* S. Thomas Aconensis.
S. Germani Autissiodorensis monasterium. 318. 1. 646. *& seq.*
S. Germani de Pratis monasterium. 456. 1. 567. 2
Gerondod monasterium. 58. *& seqq.*
Geruntinensis Episcopi electio. 188. 2
Gif monasterium. 88. 1
Girardus Ecclesiæ Thebanæ thesaurarius. 153. 2
Gradensis & Constantinopolitani Patriarcharum causa. 145. 1. 2
Græci in sua rebellione non manutenendi. 142. 2
Græcorum Episcoporum consecratio aliter fieri vetita quàm more Latino. 146. 2
Græci tunicam Christi inconsutilem scindere moliti. 158. 2
Græci ad solvendas decimas cogendi. 307. 1
Græcus Episcopus ad Ecclesiæ unitatem aspirans, monetur ut & alios ad idem consilium compellat 656. 1
Græca Ecclesia reformatione indigens post errorem. 799. 2
Grandimontenses monachi. 23. 1. 577. *& seq.*
Guala Cardinalis & Legatus. 174. *& seq.* 232. 1. *Vide* Philippus Franciæ Rex. 17. 1
Guarinus Verisiensis Archiepiscopus. 259. 2
Guido Comes Alvernensis absolvi mandatus. 397. 1
Guido Rector Ecclesiæ S. Matthæi Senensis. 610. 1
Guido nobilis Polonus sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 593. 2. 852
Guillelmus de Dampetra.
Gurcensis Ecclesiæ cum Salsburgensi, rotanda controversia. 27. *& seq.* 172. *& seq.* 527. 1

H

Hæretici apprime depicti 86. *& seq.* Manifesti quidam dicendi. 393. 1. 398. 2. 399. 1. Vulpium nomine designati. 693. 2
Hæreticorum persecutio Regi & magnatibus Francorum persuaderi mandata. 151. 2. expugnatio. 374. 2
Hæreticorum bona confiscata. 382. 2
Hæretici privandi terris quas tenent ab Ecclesia. 599. 2
Hæretici quamvis multi sint numero, sunt tamen diabolo unus equus. 828 2
Hæretici Albigenses. 384. *& seq.* 767. 2
Halberstatensem adversùs Episcopum nonnulla. 783. 2
Henrico Imperatori Constantinopolitano indultum ut excommunicari non possit nisi pro excessu enormi. 68. 2
Henrici Maltæ Comitis laudes. 299. 1
Herisiensis Abbatissæ electio. 273. *& seqq.*
Herbipolensis Episcopi negotium. 772. 1. electio. 773. 1
Herveus Canonicus Divionensis. 503. 1
Hiberniæ Hospitalarii. 655. 1
Hierosolymitano Patriarchæ protegatur legatio in quadriennium. 189. 2. Ei committitur electio Patriarchæ Antiocheni. 190. 2
Hierosolymitani Regis commendatio. 707. *& seq.*
Hikelinge monasterium. 397. 1
Hilarius Abbas Burgulienses. 10. 1. *& seq.*
Hildesemensis Episcopus. 783. 1
Hispaniam invadunt Sarraceni. 582. *& seq.* 604. 1. *Vide* Sarraceni.
Homicidium casuale an impediat promotionem ad ordines. 310. 1. *Vide* Percutere.
Honorii III. epistola de controversia inter Episcopum Meldensem, & Abbatissam Iotrensem. 293. *& seq.* Alia de subjectione monasteriorum Resbacensis & Iotrensis. 296. 1
Hospitale S. Georgii. 152. 1
Hospitale S Spiritus in Saxia. 59. *& seq.* 137. *& seq.* 188. 2
Hospitale S. Spiritus in dioecesi Halberstadensi. 164. 1
Hospitalis Hierosolymitani fratres inter, & Abbatissam sanctæ Mariæ Andegavensis, controversia per sententiam in favorem Abbatissæ latam dissinita. 116. *& seq.*
Hospitalis S. Ioannis Andegavensis. 161. 2
Hospitalis Ierosolymitani magistri moventur ut invigilent custodiæ terræ sanctæ. 190. 1. 2
Hospitalis sancti Sansonis Constantinopolitani privilegia confirmantur. 194. 2
Hospitalis S. Bartholomæi in Silice Lucanensi rectoris electio quomodo facienda. 211. 2
Hospitale sancti Allucii Hospitalariis adjudicatum. 281. 1
Hospitali Hierosolymitano confirmantur à Forcalcariensi Comite & à Rege Armeniæ factæ donationes. 375. 2. 467. 2
Hospitale Casinense. 404. 1
Hospitali sancti Samsonis Constantinopolitani confirmantur dona facta ab Imperatore. 418. 2
Hospitale leprosorum de Missino sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 420. 2
Hospitalis sancti Thomæ martyris & sancti Antonii Abbatis de porta Mileti de Cadomo privilegia confirmantur. 432. 1
Hospitale Theuconicorum Acconense. *Vide* Theutonici.
Hospitalitatis usus. 505. 1
Hubaldus Episcopus Faventinus ad Ecclesiam Ravennatem translatus. 286. 1
Hungari. *Vide* Vngari.

I.

S. Iacobi de Carnificeria Ecclesia Parisiis. 389. 1. 493. 1
S. Iacobi Compostellani altaræ reconciliari mandatum. 43 2
S. Iacobi militia. 412. 1. *& seqq.*
Iacinthensis Episcopus Corinthiensi Archiepiscopo jussus obedire. 623. 2
Iadertinæ civitatis excidium. 645. 1
Ianuensibus indictum ut treugam ineant cum Pisanis. 329. 2
Ianuensibus Præposito & Canonicis S. Mariæ in vineis confirmantur privilegia. 790. 1. 830. 1
Ieddevurdense monasterium. 310. 2
Iesu-Christi vetus artificium, & miraculosum ingenium Salvatoris. 143. 2
Ignis qui semper in altari debet ardere. 195. 2
Indemnitati cujusdam sacerdotis consulitur. 152. 2
Induciæ deliberationis utrum illi dandæ sint qui coram judice ordinario eas obtinuit, cùm coram judice delegato reus apparet. 7. 2
Induciæ Reges inter Franciæ & Angliæ fieri optatæ. 148.
Indulgentia strictò modo accipienda. 690. 1. 2
Infamia cuidam militi remissa. 678. 1

Immunitas quædam confirmata. 681. 1
Ingratitudo monstruosa. 224. 1
Inobedientia. *Vide* Obedientia.
Inquisitio quomodo facienda. 693. 2
Instrumenti authentici ex parte corrosi recuperatio. 656. 1
Instrumentum hinc inde allegatum an sufficere valeat ad probandum propositum, testibus de medio sublatis. 15. 1
Intellectus humanus circa minima & maxima frequenter deficit. 805. 2
Interdicti sententia promulgari mandata. 91. 1
Interdicti tempore quid sit observandum, & quidnam liceat. 538. 2
Interdicti tempore divina officia celebrandi concessa licentia. 249. 2. 250. 2. 522. 1
Interdictis an liceat prædicare verbum Dei & confirmationis sacramentum conferre. 289. 2
Interdictis ecclesiasticam tradere sepulturam prohibitum. 654. 2
Interdictum si quis non servaverit. 33. 2. 68. 2. 268. *& seq.*
Interdicti sententia retractari mandata. 796. 2
Interdictum quod sterilitatem terræ cui inflictum erat causare putabatur, tandem relaxatum. 747. 1
Interdictum Anglicanum. 303. *& seq.*
Interitui proximum est quicquid antiquatur & senescit. 803. 1
Intrusio cujusdam Prioris per excommunicationem coërcita. 633. 1
Joachim Abbas, cujus vaticinationes celebres sunt. 533. 1
Iobi constantia & fortitudo in exemplum proposita. 9. 1
Johannes Anglorum Rex citatus à summo Pontifice. 69. 2. Ei Innocentius mittit munera. 133. 2. 253. *& seq.* Ei pacis & reconciliationis leges missæ. 727. *& seq. Vide* Anglia.
Iohanni Rectori Ecclesiæ S. Andreæ Senensis confirmantur privilegia. 397. 1
S. Iohannes Evangelista. *Vide* Aquila.
Iotrensi Abbatissæ benedictio impendi jussa. 160. 2. 161. 1. Ejus controversia cum Episcopo Mesdensi. 290. *& seqq.*
Iovisvillæ Ecclesia. 12. 1
Irsutus Comes sub protectione sedis apostolicæ suscipitur. 320. 1
Iudæi decimas reddere tenentur. 33. 1. Usurarum graves exactores. 112. 2. Eas remittere jussi crucisignatis. 215. 1
Iudæus qui manus injecit in presbyterum. 646. 1
Iudæi cujusdam ad fidem conversio. 789. 1
Iudices nonnulli amorem Dei amori mundi quandoque postponunt. 7. 2
Iudex delegatus post recusationem unius ex collegis, ut suspecti, & obitum alterius, an possit mandatam exercere jurisdictionem. 281. 2
Iudici si quis insultaverit arbitrio judicis puniendus. 500. *& seq.*
Iudices seculares an possint judicare de decimis. 624. 2
S. Iudoci monasterium. 489. 1. 817. 2
Iuramentum fidelitatis quod Imperatori CP. præstare debent Episcopi. 152. 2
Iuramentum non debet dici per quod justitia Cæditur & fides alii debita violatur. 730. 2
Iuramentum varia genera in causa matrimonii. 64. *& seq.*
Iurandi temeritas coërcita. 735. 2. 736. 1
Jurisdictio spiritualis non competit Regibus. 246. 1

K

Kalendæ Ecclesia. 261. 1
Kalo-Johannes inducitur ut pacem ineat cum Imperatore CP. & Latinis. 35. *& seq.*
Kambuskinellense monasterium. 14. 2
Karrofense monasterium. 4. 1. 95. 1. 242. *& seq.*
Kuphan Ecclesia. 71. 2
Kyrchan monasterium. 48. 2

L

Labor quo casa præferatur quieti. 227. 2
Laicis an liceat testari in favorem Ecclesiarum. 567. 1. *Vide* Testamentum.
Laici an incidant in canonem sententiæ promulgatæ, qui Clericos in manifesto furto deprehensos contractaverint violenter, si citra violentiam nequeant comprehendi. 805. 2
Landrevillensis Ecclesia. 608. 1
Lariſſenus Archiepiscopus & Ecclesiæ. 194. 2. 215. 2. 425. 1. 464. 1
Laicarus, Theodorus, inducitur ad pacem ineundam cum Imperatore CP. 158. 1
Larsé Clerus commendatus. 214. 1
Lateranensis conventus. 501. 1
Latini apud Constantinopolim commorantes de apostasiæ crimine reprehensi. 158. 1
Latinorum ritus in consecrationibus Episcoporum, &c. apud Græcos observari mandati. 214. 1
Latinis apud Græcos dandi proprii sacerdotes. 418. 2
Latronis cujusdam notandum supplicium. 587. 1
Laudunensis præbendæ fructus consanguineo Papæ conferri mandantur. 774. 1
Laudunenses Major & Juráti ab excommunicatione absolvuntur. 775. 1. 2
Legata Ecclesiis facta impedire prohibitum. 144. 2
Legati apostolici concessiones à summo Pontifice confirmatæ. 56. 2
Legatus apostolicus Vngaris commendatus. 77. 1. item Ruthenis. 78. 1. & Regi Francorum. 759. 1. & Imperatori CP. 798. 1
Legati apostolici altera commendatio. 822. 1. 2. *& seq.*
Legatus falsarius qua pœna punitus. 739. 2
Legitimatio per subsequens matrimonium. 58. 1
Lemovicensis præbendæ collatio. 501. *& seq.*
Leodiensis præbendæ adjudicatio. 821. 2
Leprosi de Missino. *vide* Hospitale.
Legis auxilium frustra invocat qui committit in legem. 431. 2
Lexoviensis thesauraria & præbenda. 265. 2
Liberalitas indiscreta & damnosa. 225. 2
Libertas ecclesiastica tuenda. 89. *& seq.* 206. *& seq.*
Libertum hominem servum effici per confessionem servitutis, jus civile non finit. 29. 1
Limitatio episcopatuum Colimbriensis & Egitaniensis in Portugallia. 733. *& seq.*
Lincolniensis Episcopi electio. 330. 2. 331. 1. 352. 2. 553. 1
Lingonensi Capitulo concessum bona suæ Ecclesiæ alienata revocare. 597. 1
Lingonensis Decani electio. 598. 1
Lingonensis quidam Canonicus de hæresi suspectus. 744. 1
Lis mirum in modum implicita. 718. *& seqq.*
Literæ apostolicæ per fraudem obtentæ. 44. 1. 216. 1. Velsaliæ. 602. 2. 716. 2
Litteræ apostolicæ non valent ultra annum. 282. 2
Liubuldus Austriæ Dux. 339. 2
Livoniæ novus episcopatus. 807. 1
Locediensis Abbas. 626. 2
Lateranensis Ecclesiæ. 671. 2
Lornani plebs. 396. 1. monasterium. 491. 2
Lucanus Episcopus. 207. *& seq.*
Lucas Abbas Burgulienſis. 5. *& seq.*
S. Lucas Evangelista cur in vituli figura describatur. 675. 1
Lugdunensis Archiepiscopus variis accusationibus impetitus. 117. 2
Lundensis Archiepiscopus apostolicæ sedis Legatus. 604. 1. ad Concilium generale invitatus. 833. 2
S. Lupi Archiepiscopi Senonensis corpus est integrum in Ecclesia S. Columbæ Senonensis. 602. 1

M

Machometus pseudopropheta. 753. 1
S. Macuti de Barro Capitulum. 612. 2
Magdeburgense Capitulum. 4. 1
Magdeburgensis præbendæ collatio confirmata. 4. *& seq.*
Magdeburgensis præpositura. 428. *& seq.* 523. 2
S. Maglorii Abbas. 577. 1
Maguntino clero mandatur ut mandata sedis apostolicæ humiliter recipiant. 172. 1
Maguntinensis archiepiscopatus temporalia viris quibusdam nobilibus commissa. 180. 1
Maguntinensis præbendæ mandata collatio. 339. 2
Majoritatis præeminentia apud Polonos. 455. 2
Malaspinæ Marchio. 22. 2
Malefactores puniri mandati. 610. 2
Roberti Mali vicini commendatio. 382. *& seqq.*
Mali sæpe malorum ministerio puniuntur. 158. 2
Malum plerumque bono collatum, aliquid ei laudis adjungit. 89. 1
Malum fortuitum doloris habet qualecumque remedium. 252. 2
Mandatum apostolicum an exequi teneatur qui de eo non est certus. 216. 2
Mandata apostolica sibi contraria & invicem succedentia quomodo executioni mandanda. 472. 1
Manichæi dogma. 26. 2
Manifestum quid proprié dici debeat. 36. 2
Mansuetudo rigore temperanda. 34. 2
Mantignanum monasterium. 211. 2
Manuum injectio violenta in Clericos. 342. 2. 611. 2. 617. 2. 654. 1
Marchia-Anconitana. 797. 2
S. Marco Evangelistæ cur appingatur leo. 675. 1
Marcus Petrus commendatus. 682. 1. 2. *& seqq. Vide* Cancellaria.
Mariæ quondam Imperatrici Constantinopolitanæ facta donatio propter nuptias confirmatur. 423
Mariſco, Richardus, Archidiaconus Northumbriæ. 831. 1
Maritus, divortio per fraudem cum prima uxore celebrato, ad eam redire coactus. 60. 1
Marsicanam inter Ecclesiam & monasterium Casemarii contro-

versia. 305. 1
Martha cur legatur Dominum in suam domum excepisse, non verò Maria. 227. 2. 307. 1
S. Martini de Campis Parisiense monasterium. *Vide*, S. Iacobi de Carnificeria.
S. Martini Laudunensis monasterium. 408. 1
S. Martini de Monte monasterium. 125. *& seqq.*
S. Martini de Pannonia monasterium. 600. *& seq.*
S. Martini Turonensis monasterium. 451. *& seqq.*
S. Martini Turonensis præbenda. 200. *& seqq.*
Massiliæ dominium ad quem pertineat. 62. 1
Massiliensis monasterii reformatio. 541. 2
Massiliensis præbenda. 752. 1. 826. *& seq.*
Mathildæ Philippi Comitis Flandrensis viduæ jus patronatus conceditur, præbendarum collatio denegatur. 699. 2. 703. 2
Matrimonium contractum in primo & secundo gradu affinitatis. 77. 1. 583. 1. Impuberis cum impubere non ratum post pubertatem. 245
Matrimoniorum impedimenta. 689. 2. 806. 1
Matrimonium qui accusare possint. 586. Quinam testes adhibendi 319. 2. An debeat separari quando ambo conjuges sunt adulteri. 184. 2. Quænam juramenta licita sint in causa matrimonii. 64. 2
Matrimonialis quædam causa diffinitur. 333. 1
S. Mauritii Augustensis Canonici. 32. 1.
Maximus Notarius & Legatus apostolicus. 672. *& seq*
S. Medardi monasterium. 312. 2
Medensis Ecclesiæ unio cum Verifiensi. 494. 2
Medici infirmitas vim non impedit medicinæ. 27. 2
Medicus an sit arguendus qui aliquid aliquando minus sanum indulget ægroto nimium cupienti. 337. 1
Mediolanensis Archiepiscopi electio. 642. 1. 815. 2
Mediolanenses de quibusdam excessibus redarguti. 692. *& seq.*
Meduntensis Capitulum. 165. 1
Meldensis Episcopi electio. 91. *& seq.*
Meldensem inter Episcopum & Abbatissam Iotrensem controversia. 290 *& seqq.*
Melfiensis Episcopi scelera. 643. *& seq.* amotio ab episcopatu. 729. *& seq.*
Melgoriensis comitatus. 259. 1. 514. 2. 602. 1. 683. 1
Melgorii castri milites & populus ad obedientiam invitati. 637. 1. 774. 2
Melros monasterium. 71. *& seq.*
Menatense monasterium. 814. 1
Metensi Episcopo plura conceduntur privilegia. 691. 2
Metensis præbendæ collatio. 605. 2
Metropolitanorum dignitas & auctoritas. 91. 1. 236. 1
Michalicius Constantinopolitano Imperatori rebellis. 494. 1
Militensis Episcopi protectio adversùs Comitem Amfusam. 62. 2
Milites Templi de interdicto non servato redarguti. 68. 2. 69. 1
Militiæ Christi fratres inter & Rigensem Episcopum inita concordia confirmatur. 479. 1. 806. 2. Eis confirmantur privilegia. 807. *& seq.*
Milo Notarius Papæ & Apostolicæ sedis Legatus. *Vide* Provincia.
Missino. *Vide* Hospitale.
Molendinum habendi concessio. 141. 2. 434. 1
Molismensis monasterii visitatio. 264. 1
Monachalium nemo suscipere debet invitus. 644. 2
Monachus excommunicatus Abbati suo remittitur. 1. 1
Monachi singulariter habitare prohibiti. 572. 88. 1
Monachos inter & Canonicos duarum Ecclesiarum Mediolanensium concordia. 102. *& seq.*
Monachi an possint de suis fratribus in causis propriis testes producere. 157. 2
Monachus qui per dolum uxoris consensum elicuerat, in professione jussus remanere. 306. 1
Monachus post multas altercationes ad monasterium suum redire coactus. 324. 2
Monachus qui medicinam exercet, an sit irregularis. 332. 2. 587. 1
Monachi ad Patracensem Archiepiscopum destinati. 487. 1
Monachis vetita fidejussio. 521. 2
Monachorum quorundam pravi mores. 637. 2
Monachi privilegium super episcopalibus decimis indultum an extendere valeant ad possessiones postmodum acquisitas & in posterum acquirendas. 806. 1
Monasteriensis Episcopus sub protectione apostolica receptus. 808. 2
Monasteriorum Tusciæ visitatio commissa. 227. 1
Monasteria imperialia, & eorum libertas. 424. 1
Monasteria patriarchalia. 387. 2
Monasteriorum paupertas quomodo possit relevari. 725. 2
Monasteriorum quorundam unio confirmata. 676. 2. *& seqq.*
Moneta per totam Campaniam recipienda. 203. 1
Monialium benedictio Abbatissis vetita. 493. 1
Mons sanctus. 829. *& seq.*
Montispessulani cives. 401. 1. Consules. 370. *& seq* 851. 1. Novæ parrochiæ. 732. 2
Montispessulani dominium. 617. 2. 749. *& seq.*
Montilium. 369. *& seq.*
Morbus acutus acuta indiget medicina. 79. 2
Morinensis Episcopi electio controversa. 154. *& seq.* 156. *& seqq.*
Mothonensi Ecclesiæ ablata restitui imperantur. 617. 1
Mothonensis Episcopus sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 620. 1
Mulæ restituendæ litigium. 160. 2
Mulier quæ vivente priori conjuge nupsit alteri. 54. 1. *Vide* Divortium.
Mulieres è domibus Canonicorum expelli mandatæ. 135. 2
Mulieri quæ parrum supposuit, vel de adulterio concepit, nec audet marito detegere, an sit injungenda pœnitentia, quamvis non detegat. 272. 2
Mulier quæ per injuriam relicto viro alteri nupserat, ad primum redire coacta. 434. 1. 2
Mulieris cujusdam impetitio rejecta. 451. 2
Mulieris bigamæ matrimonii causa delegatur. 658. 2
Muratines olim à monachis Casinensibus custoditæ. 404. 1
Murcedo monasterium. 528. 1

N

Narbonensis Archiepiscopus de variis criminibus accusatus. 37. 1. 255. 2
Narniensi Episcopo mandatur ut servet interdictum latum in civitate. 108. 2
Natalium defectus. 316. 2. 361. 2. 784. 2. 785. 1. 791. 1
Nazorensis electus sub protectione sedis apostolicæ suscipitur. 236. 1. 619. 2. 796. 1
Necessitatibus proximi subveniendum. 350. 2
Negotio vera quandoque probari non potest. 300. 2
Negligentia Prælatorum lapidenda. 376. 1
Nemausenses Consules. 368. 1. Vicecomitatus. 810. 1
Neopatrensis Episcopus. 551. 2
Neophyti quantum protegendi. 807. 2
Neritonensis Abbas redargutus. 739. 1
Nicensis Episcopus restituitur. 46. 2
Nicomediensis Episcopi electio. 548. 2
Nicosiensis Episcopus. 570. 2. 705. *& seq.*
Nigripontensis Episcopus ab episcopatu dejectus & restitui mandatus. 228. 1
Nivernensis Comes de favore Iudæis præstito redargutus. 112. 2. 113. 1. *& seq. Vide* Virziliacenses.
Nivernensem inter Comitem, & Virziliacense monasterium inita concordia approbatur. 823. *& seq.*
Nivernensis Comitis resipiscentia. 631. 1
Nonantulensis conventus privilegia confirmantur. 776. 2
Nonensis Episcopus excommunicationis vinculo innodatus & solutus. 188. 1
Norvvegiæ inter duos Reges divisa. 538. 1
Novalis definitio. 61. 2
Noviomensem inter Episcopum & Capitulum sancti Quintini controversia. 696. 2
Nuptiæ spirituales in conversione peccatoris inter spiritum hominis & gratiam conditoris. 99. 2

O

Obedientiæ virtus victimis antefertur. 10. 1. 89. 1
Obedientia quam Episcopi debent suis Metropolitanis. 236. 1
Obreptio rescripti reddit nullum. 773. 2
Officium exequi debet qui beneficium est sortitus. 312. 2
Oliverius magister commendatur. 120. 2
Onciensis monasterii libertas. 436. *& seqq.* 443. 2
Onus honori annexum. 312. 2
Orarium à Presbyteris quomodo debeat disponi. 390. 2
Ordinarius & ab ejus potestate exemptio. 153. 1
Ordines sacri an ei conferendi qui latronem percussit cum moderamine inculpatæ tutelæ. 587. 1
Ortanensis potestas ad tuendum jura Ecclesiæ compellitur. 605. 2
Ortega monasterium. 439. 2
Orthoxarus Boëmiæ Rex. 232. 1
Osnaburgensis Episcopi translatio. 485. 2
Othecapellæ Ecclesiæ adjudicatio. 125. 2
Otto IV. Imperator. 314. 1. 340. 2. 342. 1. 362. 1. 379. *& seq.* 381. *& seq* 497. 1. 505. 2. 539. 2. 554. 1. 607. 2. 611. 2. 631. 2. 649. 1. 657. 2. 693. *& seq.*

P

Pacilianensis Ecclesiæ. 571. *& seqq.*
Pallium Metropolitanorum plenitudo pontificalis officii. 76.

2. Datum Archiepiscopo Remensi. 185. & seq.
Pampilonensis Episcopi electio. 400. & seq. 560. 2
Panormitani Archiepiscopi electio. 616. 2
Parisiensi Episcopo & Decano mandatum ut procedant contra quosdam falsarios. 7. & seq.
Parisienses monachi & Clerici correctione mancipantur. 87. 2
Parisiensis Academiæ statuta confirmantur. 282. 1. 402. 2
Parochiarum novarum erectio. 506. 1. 732. 2
Parochiarum divisio. 603. 1
Parochiales Ecclesiæ religiosis concessæ an post obitum decessoris possint ab eisdem usurpari. 21. 2
Partus suppositio. *Vide* Mulier.
Pataviensis episcopatus parochialibus limitibus diffusus. 24. 2
Pater paternum nequit deponere affectum, licèt provocatus & offensus à filiis. 694. 1
Patarini hæretici. 38 2. 74. 1
Patracensis Archiepiscopus. 29. 1. 387. 2. 485. & seqq. 627. 2. *Vide* Achaia.
Patracenses Canonici. 608. 1
Patriarcharum Constantinopolitani & Gradensis controversia. 145. 1. 2
Patriarchæ an liceat unire sedes episcopales. 378. 2
Patriarchales Ecclesiæ per quatuor animalia de quibus in Apocalypsi fit mentio designatæ. 672. & seq.
Patrimonium D. Petri. 75. 1
Patronatus jus. 268. 1. Eorum negligentia supplenda. 86. 2. 189. 2
S. Paulini Argentinensis Ecclesia. 128. 1
S Pauli monasterium. 590. & seq.
Paupertas monasteriorum quomodo possit relevari. 725. 2
Pacis suasio. 47. 2
Pecunia in terræ sanctæ necessitates impendenda mittitur Patriarchæ Hierosolymitano. 314. 1
Pecunia apostolica Thesaurario templi Parisiensis tradi mandata. 682. 2
Pensionis confirmatio. 575. 2
Peregrinatio ad loca sancta à Venetis impedita. 298. 2
Peregrinorum ex partibus transmarinis redeuntium detensi. 340. & seq.
Pereiro militia. 851
Pergamense interdictum relaxari jussum. 425. 1
Periculum proprium vitare per alienum. 9. 2
Peroallum monasterium. 599. 2
Peronensis custodia. 45. 1
Persecutio probat virum justum. 113. 2
Perseverantia in bono opere necessaria. 9. 2. 187. 1
Personatuum institutio apud Thebanos. 421. 2
Petragoricensis Episcopus accusatus. 202. 1
Petragoricensis præbendæ collatio. 634. 2
Petræ-Martinæ monasterium. 73. 2
Petrus de Castronovo Legatus apostolicus occisus. 147. & seqq.
Philippensis Ecclesiæ bona alienata concessum revocare. 619. 1
Philippensis Archiepiscopus sub protectione sedis apostolicæ recipitur. 620. 2
Philippi Regis Romanorum epistola ad Papam in gratiam Episcopi Slevicensis. 131. 1
Philippus Augustus Rex Franciæ. 19. & seq. 77. 2. 149. 2. 163. 1. 175. 2. 228. & seq. 313. 1. 492. 1. 496. 1 528. 2
Pictavensis Episcopus absolutus. 113. 2. 456. 2. 540. 2. 598. 2. 690. 2
Pictavensis succentoria. 276. 1
Pietas exerceatur circa eum qui castigatur. 90. 1
Pietas paterna bellè descripta. 252. 2
Pignori obligare bona sua non possunt monachi. 162. 2
Pignoris fructus in sortem computandi. 469. 1
Pineta Abbati sanctæ Mariæ Rotundæ adjudicatur. 461. 1
Piratæ excommunicationis vinculo innodati. 754. 2
Pisanorum erga sedem apostolicam satisfactio. 67. & seq. Eis mandatur ut cessent ab impugnatione regni Siciliæ. 171. 2
Pisanæ Ecclesiæ quædam consuetudo confirmata. 703. 1. Ejus privilegia confirmata. 172. 1
Pistorienses Ecclesiæ privilegia confirmantur. 360. 1. 2. 361. 1
Piverensis præbendæ collatio. 608. 2
Placentini Consules 34. 2. Eorum in Ecclesiam rebellio. 224. 2. Mandata eis facta. 135. & seq.
Platamonensis episcopatus commendatur electo Citriensi. 193. 2
Pœna debet esse in exemplum quibus culpa fuit in scandalum. 237. 1. 226. 1
Pœnæ moderatio. 476. 2
Policastrensis Episcopi electio. 540. 1
Poloniæ Ducis statutum confirmatur. 453. 2
Porcelerus, VVillelmus. 368. 2
Portio congrua. *Vide* Presbyter.
Portio congrua danda Capellanis. 505. 1. 633. 1. 710. 2
Portugalensium Canonicorum excessus. 435. 2
Portugalensis Episcopus sævè tractatus à Rege. 448. & seq.
Portugalensis Rex recipitur sub protectione sedis apostolicæ. 609. & seq. Redarguitur de quibusdam excessibus 510. & seqq. Absolvitur ab excommunicatione. 773. 1. De ejus testamento. 531. & seq.
Possessorii ac petitorii quæstio. 35. 2
Postulationis & electionis discrimen. 220. 1
Poznanensis Episcopi electio. 546. & seq.
Præbendarum quarundam collatio. 261. 1
Præbenda S. Sophiæ. 378. 1
Præbenda puero lactenti abusivè collata. 442. 2
Præbenda Parisiensis reservata uni ex consanguineis Papæ collata. 474. 1
Præbendæ restitutio. 607. 2
Præbendæ vacaturæ reservatio confirmatur. 613. 2
Præbendarum sectio quomodo intelligatur vetita. 828. 1
Præcentor Londoniensis Ecclesiæ. 262. 1
Prædicare verbum Dei an liceat interdictis. 180. 2
Prædicationis officium nemo debet usurpare ante annum trigesimum ætatis suæ. 18. 2
Prædicatio illius contemnitur cujus vita despicitur. 737. 1
Præpositi ab Imperatore constituti, à Patriarchæ C P. vexatione liberati. 378. 2
Præpositi Constantiensis electio confirmata. 507. & seq.
Præpositura Magdeburgensis. 428. & seq.
Præscriptio nonnisi centum annorum valet contra Romanam Ecclesiam. 173. & seq.
Testes an sint recipiendi cùm agitur de præscriptione. 444. 1
Præsumptores coërciti. 421. 2
Præsor nonnunquam variantem admittit, nec mutantis consilium aspernatur. 182. 2
Presbyteratus conferri mandatus. 260. 2
Presbyter uxoratus. 39. 2
Presbytero qui digitum sinistræ manus amiserat, ministrare permissum. 71. 2
Presbyteri cujusdam de adulterio & incestu diffamati causa. 109. & seqq.
Presbyter in hæresim lapsus & relapsus. 261. 2
Presbyter cui per vim fuerant abscisa virilia. 187. 2
Presbyter peccati mortalis sibi conscius, & tamen ad celebrandum adstrictus 211. 1
Presbytero pœnitenti pristinus redditur status. 454. 1
Presbyter contra sententiam latam tergiversans coërcetur. 490. 2
Presbyter qui causaverat aborsum. 556. 2
Presbyteris prohibita vulgaria judicia. 576. 1
Presbyteri successivè duas vel plures concubinas habentes, an censeantur bigami. 805. 1
Primatiæ judicium dilatum. 530. 2
Primitiæ. *Vide* Decimæ.
Primus, Bernardus. *Vide* Durandus de Osca.
Prioris electio cuidam monasterio concessa. 56. 1
Priori Pisanorum interdicitur chrismatio puerorum. 146. 2
Privilegii cujusdam malè intellecti interpretatio. 4. 2
Privilegium super re litigiosa impetratum an valeat. 7. 1
Privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate. 69. 1. 217. 2. 256. 2
Processio generalis menstrua indicitur pro negotio terræ sanctæ. 754. 2
Procurationes debitæ Archiepiscopo Compostellano suam visitanti diocesim. 43. 2
Procurationum relaxatio in quorundam favorem confirmata. 558. 1
Procuratio debita pro visitatione. 632. 2
Procurationis episcopalis modus. 740. 1. 2
Procurationes ab Episcopis non sunt exigendæ nisi cùm visitationis officium ab ipsis personaliter impenditur. 752. 1. 2
Procurator ad illa intelligitur solummodo constitutus quæ in commissionis litteris inveniuntur expressa. 279. 1
Professio monachalis sine habitu. 206. 1
Promissio statutis Conciliorum contraria an valeat. 235. 2
S. Prosperi monasterium. 284. 2
Proventus ecclesiastici Patriarcham inter & Clericos Constantinopolitanos dividendi. 495. 1
Provideri quando mandatur. 187. 2
Provinciales hæretici. 258. & seq. 365. & seqq.
Prussi recens ad fidem conversi. 473. 1. 669. & seq.
Psalmodiense monasterium. 640. 2
Publicationes attestationum. 15. 1
Pugna in qua longè magis est glorioſum vinci quàm vincere. 137. 1

Q.

Q

Quaternarius numerus quid significet. 133. 2
Quieti quo casu rectè labor præferatur. 227. 2
Quindelingeburgensi monasterio concessa privilegia. 3. 1
Quinquecclesiensis Episcopus de incestu infimulatus. 415. 2
S. Quintini Belvacensis monasterium. 527. 1
S. Quirici Abbas. 282. 1

R

S. Radegundis Pictaviensis Prior frustra impetitus. 742. 2
S. Radingiæ monasterium. 8. 1
Rajus Ecclesia. 25. 2
Ravennatensi Archiepiscopo palleum per gratiam concessum 22. 2
Ravennatensis Ecclesiæ gravis & notanda inopia. 65. 1
Raymundus Comes Tolosanus. 38. 1. 147. 2. 232. 1. 346 & seqq. 366. 2. 392. 1. 398. 2. 495. 2. 588. 2. 636. 2. 525. 1. 708. 2. 792. & seqq. Ejus filius. 716. 1
Reconventioni coram arbitris utrum sit locus. 15. 1
Reddituum ratione multiplicandi vel minuendi Ecclesiarum ministri. 30. 1
Redituum quorundam ecclesiasticorum redemptio confirmata. 588. 1
Reformandi Ecclesias sibi subjectas Prioribus quibusdam & monachis potestas concessa. 16. 1
Reformationis cujusdam monasterii commendatio. 751. 2
Regalia Alexiodorensis. 40. 1. 118. 1
Regalia restituere Episcopis Aurelianensi, & Antissiodorensi, mandatur Philippo Francorum Regi. 496. 1. 528. 2. 614. 2
Religionem actiorem an deserere liceat pro laxiori. 111. 1. 227. 1
Religionis ingressus gratis tribuendus. 792. 1
Religiosi an teneantur solvere decimas de terris quas acquirunt. 157. 2
Remedia falsa veris periculis graviora. 211
Remensi Archiepiscopo palleum assignatum. 185. 1
Reomensis monasterii reformatio. 530. 1. 2. & privilegiorum confirmatio. 532. 1
Replicationis suffragium. 28. 1
Resbacense monasterium. 54. 2. 60. 1
Residentia Canonicorum. 262. 1. 580. & seq. 617. 2
Resignationes factæ per nobiles Thessalonicenses confirmatæ. 496. 2.
Restitutio quorundam bonorum monasterii Caritatis super Ligerim à Monachis Cluniacensibus repetita. 585. 1. 2. & seq.
Reus, etsi nihil præstiterit, actore non probante debet obtinere. 217. 1
Ribodimontis Ecclesia. 297. 1
Ricardus Innocentii III. germanus, Comes Soranus. 299. 2
Rigensem inter Episcopum & fratres militiæ Christi inita quædam compositio confirmatur. 479. 1
Rigensis Ecclesia nulli Metropolitano subjecta. 834. 1
Rigor mansuetudine temperandus. 34. 2
Ritus Latinorum apud Græcos observari mandatus. 214. 1
Rivoalto plebanatus. 704. 1
Roffridus Cardinalis & Abbas Casinensis. 404. 1
Romanensis Ecclesiæ. 525. 2
Roncelinus monachus & dominus Massiliensis. 525. 2. 549. & seq.
Rosevelde monasterium. 237. 1
Rotonensis monasterii exemptio. 410. 1
Ruthenis commendatus Legatus apostolicus. 78. 1

S

Sacerdotis iniquitas virtutem non evacuat sacramenti. 27. 2
Sacerdos beneficiatus in una dioecesi, in alia delinquens, cujus Episcopi jurisdictioni subjaceat. 751. 2
Sacerdotum filii utrum indifferenter ad sacros ordines promovendi. 805. 2
Sacramentum, non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludit. 187. 2
Sagiensis Ecclesiæ. 640. 2
Salamantina cantoria. 85. 1
Salis Ecclesia. 441. 1
Salseburgensis Ecclesiæ cum Gurcensi controversia. 27. & seq.
Saucii Regis Portugalensis filia. 559. 1
Sanctis Ecclesia. 616. 1
Sanctonensis Ecclesiæ præbendæ. 260. 1. 613. 2. 771. 2
Sarraceni expugnandi. 493 & seq 508. 2
Sarraceni in Hispania. 581. 1. 2. & seq. 604. 1. 2. De iis victoria. 686. & seqq.
Sarrensis Archiepiscopus. 621. 2

Saxia. *Vide* Hospitale S. Spiritus.
Saxoniæ Dux cum bonis suis sub protectione sedis apostolicæ receptus. 3. 1
Saxivivi monasterium. 179. 2. 504. 2. 712. 1
Scibinicnsis Præpositi electio confirmatur. 544. 2
Schismata an cursum præscriptionis contra Romanam Ecclesiam impediant. 173. & seq.
Scholastriæ Brevensis confirmatio. 334. 1
Sciro monasterium. 466. 2
Scurlensis castri dominis multa conceduntur privilegia. 692. 1
Senensis Episcopi privilegia confirmantur. 395. & seq.
Senonensis Capituli privilegia confirmantur. 100. 2. Eis confirmatur quoddam altare. 165. 1
Senonenses cives ut Ecclesiæ satisfaciant admoniti. 816. & seq.
Sententiæ cujusdam in rem magni momenti commissa executio. 98. & seq.
Sententia lata in favorem Archiepiscopi Capuani contra Abbatissam S. Mariæ Capuanæ confirmatur. 197. & seq. 217. 1
Sententiæ Constantinopolitani Patriarchæ observari mandatæ. 145. 2
Sententiæ à judicibus excommunicatis latæ an valeant. 794. 1. 805. 1
Sententiæ cujusdam executio commissa. 797. 1
Sententia quædam in favorem cujusdam Clerici confirmata. 821. 1
Sepulchrum dominicum. 63. 2. 632. 1
Sepulturæ decedentium. 47. 2
Serenæ monasterium. 356. & seq.
Sexenæ monasterium. 31. 2
Servorum Ecclesiæ filii traditi à parentibus militiæ clericali quæ libertate fruantur. 41. 2
S. Severini monasterium. 612. 1. 2
Siciliæ Regi auxilia procurata. 201. & seq.
Siciliæ Reginæ facta donatio propter nuptias confirmatur. 454. 1
Siculos hortatur summus Pontifex ut Regi Siciliæ sint adjumento. 79. 1
Si est ita clausula quid significet. 599. 2
Signini Episcopi electio. 104. 1
Signtino Episcopo indicitur purgatio super quodam facinore. 385. 2
Silentia quo casu doctrina rectè præponatur. 227. 2
Silvæ majoris monasterium. 723. & seq.
Simigienie monasterium. 801. 2
Simon Comes Leicestriæ, dominus Montisfortis. 374. 2. 381. & seqq. 455. 1. 495. 2. 681. 2. 709. & seq. 830. 2
Simonia an committatur cum quis bona sua legat Ecclesiæ ut in ea præbendam obtineat. 93. 2
Simplicitas occasionem præstans delicto. 792. 2
Sisti Ecclesia. 247. 2
Situm castrum restitui mandatur Templariis. 557. 1
Slevvicensis Episcopus excommunicatus. 126. & seq. Pro eo scribit Philippus Romanorum Rex. 131. 1
Slevvicensis Episcopi electio. 222. 2
Societatis occultæ scrupulo non caret qui manifesto facinori desinit obviare. 754. 2
Soldanus Damasci & Babyloniæ ad restitutionem terræ sanctæ invitatus. 761. 1
Sollicitudo rectè contemplationi quo casu præponatur. 227. 2
Sophiæ Abbatissæ Quindelingeburgensis. 3. 1
S. Sophiæ Ecclesia Constantinopoli. 549. 2
Soris castrum. 438. & seq.
Sorani cives. 163. 1. Episcopus. 519. 2
Spigantenses Episcopum proprium petunt. 387. 2
Spirense Capitulum. 800. 2
Spoliatus an teneatur spoliatori in judicio respondere. 177. 1
Spoliatus ante judicium restituendus. 750. & seq.
Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus. *Vide* Cantuariense negotium, Iohannes Rex Angliæ.
S. Stephani Herbipolensis Abbatis electio confirmata. 513. & seq.
Strigoniensi Archiepiscopo facta ab Vngariæ Rege donatio confirmatur. 317. 1. Ei confirmata Regis Vngarici coronatio. 323. 1
Strigoniensem inter & Colocensem Ecclesias discordia. 544. 2. Inita inter eas concordia confirmatur. 583. & seq.
Subdiaconus ad uxorem quam ante subdiaconatus susceptionem duxerat redire coactus. 243. 1
Subdiaconus an possit eligi in Episcopum. 92. 1
Succentoria Pictavensis. 176. & seq.
Sueciæ regnum ab Erico invasum. 224. 1
Suessionensis præbenda. 180. & seqq.
Suethiæ sacerdotes publicè conjugati. 805. 2
Sulbiniensis Ecclesia. 680. 1
Sembleriarum prioratus. 849. 1

Supplicationis generalis Romæ celebratæ descriptio. 685. 2
Suppositio pactus. *Vide* Mulier.
Surrentinum adversùs Archiepiscopum accusatio. 815. 1
Suspiciones sunt vitandæ. 260. 1

T

TAurinensis Episcopi cessio. 815. 1. 2
Templarii. 68. 2. 152. 2. 190. 1. 477. 2. 480. *& seqq.* 501. 1. 549. 1. 557. 1
Templi dominici Abbas & Canonici. 68. 2
Terminus competens partibus litigantibus assignari mandatus. 668. 2
Terræ sanctæ status miserandus. 174. 2. 232. *& seq.* 303. 1. 313. 1. 363. 1. 752. *& seqq.* 760. *& seqq.* 832. *& seq.*
Tervisinus Episcopus cedit episcopatui propter simoniam unius ex consanguineis suis. 335. 2. 336. 1. *& seq.*
Tervisino Episcopo conceditur temporalium administratio. 700. 1. *& seqq.* 746. 1. 824. *& seq.*
Tervisinus populus ad resipiscentiam invitatus. 26. 2
Testamentum in favorem Episcopi Ecclesiæ quomodo intelligendum. 277. 1. 331. 2
Testamentum facere in favorem Ecclesiarum quidam Principes prohibent. 462. 2. 465. *& seq.* 628. 1
Testes valetudinarii, & alii de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, quo casu ad testimonium admittendi. 173. 1. 820. 2. 821. 2
Testes an recipi valeant lite non contestata. 279. 1
Testes de quibus interrogandi. 311. 2
Testes quomodo admittendi in accusatione matrimonii. 309. 2. 320. 1. 335. 2
Testis & accusator an quis esse possit in eodem negotio. 333. 2
Theatinæ Ecclesiæ privilegia confirmantur. 403. 1. 2. *& seq.*
Thebarum dominis mandatur ut solvant decimas Ecclesiæ Thebanæ. 193. 2. 213. *& seq.*
Thebanæ præbendæ confirmatio. 216. 1
Thebanorum Canonicorum congrua portio. 418. 1
Thebanus Archiepiscopus à summo Pontifice redarguitur. *ibid.*
Thebani Archiepiscopi electio. 478. 1
Thebanum Capitulum. 557. 2
Thedisius Clericus an fuerit Legatus apostolicus. 394. 2
Theologorum Academiæ Parisiensis numerus definitur. 87. 1
Thesaurariæ Lexoviensis collatio Papæ reservata. 265. 2
Thesauraria Cittensis confirmatur. 619. 2
Thesaurus Ecclesiæ Corinthiensis restitui jussus. 628. 2
Thessalonicæ Domina sui officii admoneri mandata. 213. 1
Thessalonicensis Archiepiscopi electio. 416. 2
Thessalonicensis Archiepiscopus, & Primas & sedis apostolicæ Legatus constituitur. 605. *& seq.*
Thessalonicensis archidiaconatus confirmatur. 619. 2
Thessalonicensem inter Archiepiscopum & Priorem ac Capitulum dominici sepulchri Hierosolymitani facta compositio confirmatur. 631. *& seq.*
Theobaldus Comes Campaniæ & Briæ. *Vide* Blancha & Erardus.
Theutonicis militibus prohibitur ferre alba pallia. 471. 2
S. Thomæ Acconensis monasterium. 247. 1
Thomasius de Aquino. 798. 1
Thuringiæ Langravio justitiam promittit summus Pontifex. 800. 1
Tinemvahe monasterium. 247. 2
Toletanæ Ecclesiæ privilegia confirmantur. 408. *& seq.*
Toletanæ præbendæ collatio. 411. 2
Tolosani Consules. 768. 2. 830. 2. & Cives. 393 *& seq.*
Tolosanus Comes. *Vide* Raymundus.
Tonsura. *Vide* Clericalis ordo.
Torneamenta prohibita. 43. 1
Tornodorense monasterium. 533. 1
Trajectonsem adversùs Episcopum inquisitio commissa. 126. 1
Trecensis Ecclesiæ privilegia confirmantur. 132. *& seq.* 250. *& seq.*
Trecensis præbenda. 444. *& seq.*
Tribulatio virtutum est adjutrix. 305. 2
Tridentini Episcopi electio. 41. *& seq.*
Tripolitanus Comes. 130. 1. 190. 2
Troiani Episcopi electio. 684. 1
Triumphus gloriosior est ubi gravior est conflictus. 307. 1
Tudertinensis Prior. 198. 2
Tullensis Episcopi electio. 390. *& seq.*
Tullensis præbendæ. 425. 2
Turonensis Archiepiscopus. 23. 1. 211. 2. 419.
Turpitudinis patronus est qui celat crimen uxoris. 65. 1
Tusculanensis Episcopi privilegia. 80. 1
Tusciæ monasteriorum visitatio commissa. 217. 1
Tusculanensis Episcopi legatio in Angliam. 792. 1
Tutellensis Abbatis electio. 653. 2

V

VAldensium fidei professio & conversatio. 458. *& seq.* 656. *& seq.* 668. 2
Valentinus Episcopus & clerus. 369. 2
Vallis profunda. *Vide* Vnio.
Vallis Suisionis domus. 781. 1
Vangaditiæ monasterium. 743. 2. 802. 1
Voullæ apud Philippopolim debellatio. 245. 1
Vaurense Concilium. 765. *& seq.*
S. Vedasti Atrebatensis monasterium. 2. 1. 238. 1. 571. 1
Venafrani Archidiaconi & Capituli certa jura, necnon & latæ in eorum favorem sententiæ confirmantur. 51. 1
Venetorum Dux & populus ad obsequium erga sedem apostolicam redire admoniti. 345. 1. 2
Venetis promissio facta cassatur. 387. 1
Veneti crucesignatis navigia commodare imperati. 832. 2
Vercellenses Consules. 352. 2
Verisiensis. *Vide* Medensis.
Verrucense monasterium. 401. 2
Vesprimiensem inter Episcopum & Abbatem S. Martini de Pannonia litigium. 600. 1
Vezeliacense monasterium. 49. 1. 277. *& seq.* 561. *& seqq.* 749. 1. 823. 1
Viaticum si haberi non possit, quid agendum. 187. 2
Vicaria perpetua an sit beneficium. 817. 2
Vicentini Episcopi depositio confirmata. 658. 1
Vicentina Ecclesia Episcopo Reginensi commissa. 743. 2
S. Victoris Massiliensis Abbatis electio. 618. 1
S. Victoris Parisiensis Abbas 580. 1
Victoria insignis habita contra hæreticos. 373. 2
Vicovarium monasterium. 847. 2
Viduarum nuptiæ. 47. 1
Viduæ jus suum restitutum. 70. 1
Viennensis capella in honore S. Spiritus. 219. 2
Villaris parrochiæ limitatio. 328. 1
Vlinbonensis Episcopus. 560. 1
Vinci à Deo, gloriosum est homini. 253. 2
Vindecinense monasterium. 723. 2
Vineæ montis Aventini confirmatæ monasterio S. Alexii de urbe. 653. 2
Virdunensis Episcopi electio. 269. *& seq.* 700. 1
Virtutem qui captivat, à vitio captivatur. 137. 1
Virtutum tribulatio est adjutrix. 305. 2
Virtus sine adversario marcet. 441. 2
Virziliacum. *Vide* Vezeliacense.
Vim vi repellere licet. 326. 2. 332. 2
Vires collectæ frequenter proficiunt, quæ sparsæ de levi deficerent. 710. 2
Visitatio quot evectionibus facienda. 49. 1
Vitam inter contemplativam & activam comparatio. 307. 1
Viterbiensis Ecclesia cathedralis honore insignita. 78. 2
Viterbienses inter Archipresbyterum & Canonicos atque Viterbiensem Episcopum concordia. 85. 2
Viterbiensis quædam causa committitur. 91. 1
Viterbiensibus potestati & populo confirmata quædam immunitas. 794. 1
Vitium abstuliſſe virtus videtur. 320. 2
Vitium qui vincit, vincitur à virtute. 257. 1
Vngariæ Rex repulsam patitur à summo Pontifice, quam humanissimè excusat ipsemet Pontifex. 18. 1
Vngaris commendatus Legatus apostolicus. 77. 1
Vngarorum in Clericos sævitia. 825. 2
Vnio monasteriorum Vallis profundæ & de Gif in diœcesi Parisiensi. 88. 1
Vnitas Ecclesiæ. 78. 1
Vnitas inter regnum & sacerdotium per Moysem & Petrum signata. 350. 1
Volobricensis Ecclesia. 316. 2
Voti sanctitas & necessitas. 570. 1. 717. 2. 760. 1. 794. 1. 800. 2
Vpsalensis Archiepiscopi electio. 85. 1
Vrbevetani & præsumptione redarguti. 342. 2
Vrsini Bituricensis Canonicus sub protectione sedis apostolicæ receptus. 475. 2
Vsurarum certæ causæ committuntur audiendæ. 52. 2
Vsuræ crucesignatis remitti jussæ. 215. 1. 234. 1
Vsurpari manifesti quomodo puniendi. 33. 1
Vsurarii burgi de Caritate. 123. 1
Vsurarsorum multitudo quomodo coërcita. 162. 2
Vtilitas communis speciali utilitati præfertur. 227. 2

VValdemarus Slevvicensis Episcopus de multis criminibus accusatus. 334. & seq.
VValdemarus intrusus Bremensis. 598. 1
VValkeriæ cujusdam in Cosmidin proventuum distributio facienda. 172. 2
VValterus Abbas Corbeiensis. *Vide* Corbeiensis.
VVatefordensis Episcopus. 650. & seq. Canonici. 461. 1. monasterium. 451. 1
VVienna post Coloniam una de melioribus regni Teutonici urbibus, deque ejus episcopatu restituto. 25. 1
VVladislaus filius Oddonis quondam Ducis Poloniæ recipitur sub protectione B. Petri. 528. 1
Vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam ferro abscindenda. 86. 2. 137. 2
Vxoris crimen qui celat, patronus est turpitudinis. 65. 1
Vxori secundæ cohabitare concessum cuidam laico qui eam duxerat priore vivente. 284. 1

X

Xantonensis Ecclesia. *Vide* Sanctonensis.

Y

Yvilicensis Episcopi electio cassata. 498. & seq.
Yporiensis Episcopus ad sedem Thessalonicensem translatus. 188. 2
Yporiensis Episcopus ad Antiochenam Ecclesiam translatus. 302. 2

Z

Zantonensis Episcopi paupertas. 610. 2
Ziani, Petrus, Dux Venetorum. 795. 2

FINIS.

EXTRAIT DV PRIVILEGE DV ROY.

LE Roy par ses lettres patentes données à Paris le huitiéme Ianvier 1661. signées Par le Roy en son Conseil CEBERET, & scellées du grand seau de cire jaune, a permis à Messire François Bosquet Evesque de Montpellier de faire imprimer par tel Libraire & Imprimeur que bon luy semblera les epistres du Pape Innocent III. pendant vingt ans à commencer du jour qu'elles seront achevées d'imprimer, avec defenses à tous autres de les imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer d'autre impression sans le consentement exprés dudit sieur Evesque ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mille livres d'amende, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages, & interests; comme il est plus à plein porté par lesdites lettres.

Registré sur le livre de la Communauté des Libraires de Paris suivant l'arrest du Parlement du 8. *Avril* 1653. *Signé George Iosse Syndic.*

Et ledit Seigneur Evesque a cedé ledit privilege à François Muguet Libraire & Imprimeur ordinaire du Roy le 5. Octobre 1666. Signé François E. de Montpellier.

EXTRAIT DV PRIVILEGE DV ROY.

LE Roy par ses lettres patentes données au Camp devant Cambray le 22. Mars 1677. signées LOVIS, *Et plus bas*, par le Roy, COLBERT, & scellées du grand seau de cire jaune, a accordé audit Muguet la continuation du privilege cy-dessus pour le temps & espace de cinquante années à compter du jour que ledit privilege à luy cedé sera expiré, avec les defenses necessaires, sur peine de dix mille livres d'amende, confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages, & interests.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires de Paris, le 12. *May* 1677. *Signé Couterot Syndic.*

Achevé d'imprimer le 10. Ianvier 1682.

Les Exemplaires ont esté fournis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


EPISTOLÆ
INNOCENTII
III
TOM. II
236